ARISTOTELIS

OPERA OMNIA

IMPRIMATUR.

FR. AUGUSTINUS BAUSA O. P.

S. P. A. Magister.

BIBLIOTHECA THEOLOGIÆ ET PHILOSOPHIÆ SCHOLASTICÆ
SELECTA ATQUE COMPOSITA
A FRANCISCO EHRLE, S. J.

ARISTOTELIS
OPERA OMNIA

QUÆ EXTANT
BREVI PARAPHRASI ET LITTERÆ PERPETUO INHÆRENTE EXPOSITIONE
ILLUSTRATA

A SILVESTRO MAURO, S. J.

EDITIO JUXTA ROMANAM ANNI MDCLVIII DENUO TYPIS DESCRIPTA
OPERA FRANCISCI EHRLE, S. J.
ADJUVANTIBUS BONIF. FELCHLIN ET FR. BERINGER, EJUSD. SOC. PRESB.

TOMUS I
CONTINENS LOGICAM, RHETORICAM, POETICAM.



PARISIIS, MDCCCLXXXV
SUMPTIBUS ET TYPIS P. LETHIELLEUX, EDITORIS
4, VIA « CASSETTE », ET VIA « DE RENNES », 75
ET APUD FRED. PUSTET, S. SEDIS APOSTOL. TYP., RATISBONÆ ET NEO-EBORACI.



DIVISIO TOTIUS OPERIS

IN QUATUOR TOMOS

TOMUS PRIMUS *continet : Philosophiam rationalem, hoc est Logicam, Rhetoricam, Poeticam.*

TOMUS SECUNDUS : *Philosophiam moralem, hoc est Ethicam, Politicam, Œconomicam.*

TOMUS TERTIUS : *primam partem Physicæ seu Philosophiæ naturalis, hoc est libros de Physico Auditu, de Cœlo et Mundo, de Generatione et Corruptione.*

TOMUS QUARTUS : *secundam partem Physicæ seu Philosophiæ naturalis, hoc est libros de Anima, Parva Naturalia ; demum Philosophiam transnaturalem seu Metaphysicam.*

LECTORIBUS

HUJUS NOVÆ EDITIONIS

Vulgaturi denuo egregia Silvestri Mauri in libros Aristotelis commentaria, haud ingratum Lectoribus nos facturos putamus, si pauca *primum* de auctoris vita, *deinde* de hujus editionis ratione ac modo præmiserimus.

I. Ac primum quidem inter viros ingenio et eruditione præclaros, qui sæculo decimo septimo Collegium Romanum Societatis Jesu illustrarunt, Petrum Arrubal dico, Gregorium de Valentia, Joannem de Lugo, Antonium Perez, Sforza Pallavicini, Nicolaum Martinez, Joannem Gormaz, Joannem Ptolomeum, ut solos Theologos ac Philosophos recenseam, — haud ultimum locum occupat *Silvester Maurus.*

Natus is erat Spoleti, genere nobili, parentibus Andrea Mauro et Livia Zucconi (1) die 31 decembris an. 1619 (2). Primis Grammaticæ et Rhetoricæ, fortasse jam Philosophiæ quoque præceptis Romæ (3) excultus, die 21 aprilis an. 1636 ibidem apud S. Andream in Colle Quirinali Societati Jesu nomen dedit. Transacto in multiplici virtutum exercitatione novitiatus biennio (1636-1638), per annum et dimidium ad latinarum et græcarum litterarum studia redire jussus est (1638 et 1639). Deinde tribus annis (1639-1642) Philosophiæ vacavit in Collegio Romano, magistro usus P. Sforza Pallavicino (4), viro non minus theologicis scriptis, quam historia Concilii Tridentini clarissimo. Ut animum paullisper a gravioribus studiis relaxaret, ad docendum in scholis Grammaticam per duos annos (1642-44) est adhibitus. Quibus elapsis ad theologicas in Collegio Romano addiscendas disciplinas ascendit. Quare in Catalogo sub finem an. 1644 vulgato inter Theologos primi anni ejus nomen occurrit addita nota : « Præfectus Academiæ Græcæ », ex qua quantum in usu hujus linguæ pro studiis philosophicis tam necessariæ profecerit, plane apparet. Ex ejus magistris Antonius Perez et is, quem modo diximus Sfoza Pallavicinus, speciali mentione sunt digni.

Absoluto studiorum theologicorum cursu (1644-1648) ac transacto, ut conjicere licet, Florentiæ in monte S. Miniati tertio probationis anno (1648-49), ut se paullatim

(1). Cf. Silvestri vitam ejus Operi theologico 1687 Romae edito præfixam.

(2). Cum plura, quæ in ejus vitæ serie passim referuntur, parum inter se consentire viderentur, authentica documenta excutienda duximus : Catalogos annuos et triennales atque ejus Necrologium paucis post ejus obitum diebus conscriptum, ex quibus omnia fere hausimus, quæ hic adnectimus.

(3). Cf. vitam paullo ante recensitam.

(4). Ex Catalogo annuo quidem plane constat, eum, cum an. 1641 inter Metaphysicos h. e. tertii anni Philosophos versaretur, Pallavicinum habuisse magistrum; ex quo, cum tum unus idemque magister discipulos suos per omnes tres annos perducere soleret, facile licet conjicere, eodem etiam prioribus annis eum esse usum.

ad graviores disciplinas Romæ tradendas pararet, Maceratam missus est, ubi integrum (1) Philosophiæ cursum absolvit (1649-1652), ita tamen, ut quod ex scholastica occupatione restaret temporis, in curam congregationis rusticorum impenderet. Quanta scientiæ laude docendi munus in hac minori palæstra exercuerit, inde facile patet, quod jam anno 1652 ad finem vergente Romam sit revocatus ac Collegio Germanico adscriptus, ut juvenum studia regeret (1652-53).

Demum an. 1653 exeunte in numerum magistrorum Collegii Romani est cooptatus, inter quos fere quod vitæ reliquum erat exegit. Primum ann. 1653-1656 integrum Philosophiæ cursum explicavit, ita tamen ut præterea an. 1654-55 scholares secundæ congregationis ad pietatem institueret. Hoc etiam tempore, nimirum die 2 februarii 1654 Deo ac Societati votis solemnibus emissis se arctius obstrinxit. Anno insequenti (1655-56) inter eos recensetur, « qui ob incommoda pestilentiæ applicari non potuerunt ». — Uno alterove anno in Philosophia tradenda consumpto, exeunte, ut videtur, an. 1658 vel 1659 ad Theologiæ cathedram est promotus, in qua proximis viginti quinque annis ita est versatus, ut uno vel duobus annis ad Ethicam explicandam ad Philosophos rediret (2). Ex his viginti tribus annis, quibus Theologiam professus est, novem annis — idque ante an. 1678 — tertiam, quæ tunc dicebatur, lectionem tradidit, reliquo vero tempore unam ex duabus lectionibus antiqua consuetudine constitutis.

Cum vero non solum ingenio et exquisita præstaret eruditione, verum etiam prudentiæ laude inter suos plurimum valeret, die 24 septembris an. 1684 Rector Collegii Romani est renuntiatus. Hoc fungens munere inter alia « Ignatiani templi partem superiorem, muro interposito clausam summis, quæ huic operi obstabant, difficultatibus obluctatus tandem aperuit, templique magnifici absidem atque eam, quæ nunc spectatur, formam et amplitudinem conspiciendam oculis præbuit. Cui tholum etiam addidit (1685) fictitium quidem et temporarium, sed longe pulcherrimum, quique veri similitudine spectantium oculos falleret; usus ad id opportune opera præstantissimi e nostra Societate artificis et architecti (fratrem Andream Pozzo indicat), quem in arte perspectivæ recte diceres nulli secundum (3). — Sepulchrum etiam amplum et cameratum, quod defunctorum corpora commode caperet, fieri curavit; hisque operibus assiduus affuit velut impulsor et cognitor » (4).

Paullo plus duobus annis in administrando collegio exactis die 13 januarii an. 1687 pie in Domino obdormivit.

Quam sibi vivens docendo acquisierat eximii Philosophi et Theologi famam, eamdem mortuus scriptis prelo vulgatis apud posteros conservavit. — Primum an. 1658, antequam Theologiæ cathedram conscenderet, edidit « Quæstionum Philosophicarum libros quinque, Romæ per Ignatium de Lazaris, 1658, 5 vol. in 8° ». Harum Quæstionum editio altera prodiit Romæ typis Michaelis Herculis, sumptibus Frederici Franzini 1670, 5 vol. in 8°. Tertio demum paucis ante annis Cenomani typis Leguicheux-Gal-

(1). Ex Catalogis ann. 1650 et 1651 elucet, eum his annis Physicam atque Metaphysicam tradidisse.

(2). Legimus enim in Catalogis triennalibus : an. 1655 docuit 2 an. Grammaticam, 5 an. Philosophiam. — an. 1658 docuit 2 an. Grammaticam, 8 an. Philosophiam, 1 an. Præfectus studiorum. — an. 1663 plane idem, ubi tamen addendum putamus : 4 an. Theologiam. Etenim an. 1666 docuit : 2. an. Grammaticam, 8 an. Philosophiam, 7 an. Theologiam et Ethicam, Præf. stud. — an. 1669 idem, sed Theologiam an 10 — an 1672 idem, sed Theologiam an. 14 — an. 1675 idem, Theologiam vero an. 17. — an. 1678 docuit 2 an. Grammaticam, 9 an. Philosophiam, 2 an. Ethicam, an. 1 Præf. stud., 11 an. Theologiam, 9 an. Tertiam Lectionem. — an. 1681 idem, præter hoc : Theologiam an. 14 et nunc. — an. 1685 (atque id quidem sua ipsius manu scriptum putamus) : studuit an. 1 1/2 Rhetoricam, an. 3 Philosophiam, an. 4 Theologiam; docuit 2 an. Grammaticam, 9 an. Philosophiam, 2 an. Ethicam, 1 an. Præf. stud., 9. an. Tertiam Lectionem, 14. an. Theologiam, Rectoratus an. 1°; ad hæc reliquos Catalogos triennales exigendos putamus, maxime cum Catalogi annuales an. 1656 usque ad an 1684 deficiant.

(3). Hujus fabricæ rationes accurate descriptas et delineatas habes in opere Andreæ Puteani (Pozzo) : Perspectiva Pictorum et Architectorum, Romæ 1717, vol. 1.

(4). Hæc ex Necrologio.

lienne 1875 eæ quæstiones sunt vulgatæ. — Deinde eam, quam nunc iterum typis describendam curavimus in opera omnia Stagiritæ paraphrasim, an. 1668 Romæ (apud Angelum Barnabo) sex voluminibus comprehensam vulgavit. Hujus operis volumen alterum, quod Philosophiam moralem continet, Venetiis an. 1696-1698 sumptibus Hieronymi Albrizzi denuo prelo est subjectum (1). — Aliquot annis in docenda Theologia transactis selecta quædam hujus disciplinæ capita ita accurate est commentatus, ut ejus scientiæ quasi succum paucis concluderet voluminibus. Quod opus « Quæstionum Theologicarum libri sex » inscriptum Romæ apud Angelum Barnabo annis 1676-1679 sex voluminibus in 12° typis descripsit. Auctum vero et accuratius perpolitum denuo vulgavit hoc titulo adjecto « Opus Theologicum in tres tomos distributum, in quo præcipua totius Theologiæ capita accurate pertractantur, Romæ typis et sumptibus Nic. Ang. Tinassii, 1687 » in tribus voluminibus in folio.

II. De ratione vero sui operis cum ipse auctor in præfatione accuratius egerit, nobis id unum incumbit, ut quo *consilio* illud ac quo *modo* nos denuo vulgandum duxerimus, breviter indicemus.

1. Cum Philosophia Scholastica potissimum ex scriptis Aristotelis sit nata, qui illius ortum et progressus accuratius voluerit investigare, primum Aristotelicæ doctrinæ quasi fata diligenter excutiat necesse est. Constat autem hujus doctrinæ triplicem velut configurationem posse distingui : græcam, arabicam, scholasticam. Græce enim ab ipso auctore in suis libris est conscripta atque ab antiquis Peripateticis græcis commentariis est illustrata. Inde per Syros ad Arabes migravit, a quibus arabicis litteris consignata diu diligenterque exculta est. Ab his demum sæculo decimo tertio ineunte ad nostras partes pervenit atque a Scholasticis, quos dicimus, secundum veritates nobis divinitus traditas exacta ac latinitate donata est. — Quare hoc imprimis nobis agendum est, ut ope Philologiæ atque Artis Criticæ aristotelicæ doctrinæ genuinam formam ex ejus scriptis eruamus atque ex græcis commentariis illustremus. Deinde investigandum, quam faciem hæc doctrina apud Arabes, quam demum induerit apud Scholasticos, ita ut harum trium formarum unamquamque perspicue describamus, atque ipsis inter se collatis, quomodo inter se differant, plane perspiciamus. Tum enim de varia aristotelicæ doctrinæ forma, tractatione, fortuna, de ejus genuina natura, de arabicæ Philosophiæ indole ac pretio, deque Scholasticorum ad Aristotelem ipsum atque ad Arabes habitudine secure poterimus judicare.

Jam vero ad excutiendum Aristotelem græcum primum nobis ipsa aristotelicorum operum editio atque græcorum commentariorum collectio ab Academia Berolinensi vulgata præsto est; quin etiam haud parum hac in parte a viris doctis Trendelenburg, Brentano, Hertling, Bonitz, Spengel aliisque est elaboratum. — Pro Aristotele arabico illustrando nihil fere hucusque est confectum, quod maxime ex inopia librorum ad id necessariorum evenisse putamus. Quare inter auctores in nostra Bibliotheca Scholastica vulgandos imprimis Avicennam et Averroem adscripsimus.

Jam ut quam facillime constare posset, quomodo Scholastici atque imprimis eorum princeps S. Thomas de Aquino singula aristotelicæ doctrinæ capita ex suis sedibus hausissent atque singulos librorum ejus locos essent interpretati, opportunissimum videbatur, ex infinito pæne commentariorum numero unum aliquem seligere, qui ipsos Aristotelis libros ad Scholasticorum mentem quam accuratissime exactos nobis exhi-

(1) Volumen hoc 900 paginarum in duas partes dispescitur, quarum prior inscribitur : « Nova et accurata Ethicæ Aristotelis editio cum præclara paraphrasi P. Silv. Mauri e Soc. Ies., dicata (a typographo ipso) Ill. et Excel. D° Christino Martinelli, Patritio Veneto, Venetiis 1696 typis et sumptibus Hier. Albrizzi. » — Pars vero altera sic: « Nova et accurata Politicæ et Œconomicæ Aristotelicæ editio cum, etc.. dicata Ill. et Excell. Carolo Zenobio, D° et Patritio Colendissimo, Venetiis 1698, etc ».

beret. Id egregie a Mauro in sua paraphrasi præstitum est. In ea enim ipsos Stagiritæ libros, quales sibi S. Thomas cæterique Scholastici effinxerunt, rejecta molesta interpretationum ac quæstionum mole, quam brevissime et clarissime habes ob oculos positos.

2. Ex his facile apparet, quare in hac nova editione adornanda id maxime nobis esset in votis, ut huic paraphrasi ipsum textum græcum apponere possemus. Verum ab eo nobis erat abstinendum, ne novæ editionis pretium nimium excresceret. Nihilominus, ut antiquam eorum librorum versionem a Mauro vulgatam iterum typis describeremus, adduci non potuimus; quippe quæ maxime scribarum et typothetarum culpa multis in locis sit ita corrupta, ut intelligi omnino non possit. Quare editores Berolinenses secuti eas singulorum librorum versiones selegimus, quæ propius cæteris ad textum græcum accedere viderentur (1).

Id sane facere non potuissemus, si Maurus in paraphrasi conficienda una versione antiqua usus esset. Tum enim paraphrasis ita hujus versionis verbis et sententiis adhæreret, ut sine ea commode intelligi non posset. Verum is non solum meliores, quæ ipsi præsto essent, versiones latinas atque interpretes diligenter adhibuit, verum etiam ipsum textum græcum plerumque habebat ad manus; quod quidem, ut alios locos taceam, ex libro de Arte Poetica manifeste apparet. Quare paraphrasi ex his fontibus derivatæ antiquam versionem ob id solum adjunxit, quod ea tum omnium tereretur manibus. — Paucas illas brevissimasque antiquæ versionis particulas, quas auctor interdum paraphrasi inseruit, etiam reliqua mutata versione non eiciendas duximus, ne ipsa auctoris verba vel minimum attigisse videremus; maxime cum et auctor eas interdum non ex antiqua, sed ex alia, quam ad manus habebat. versione desumpsisset. — Id solum incommodi, si quod est, hæc mutatio effecit, ut cum interdum aliæ versiones aliter Aristotelici textus sententias inter se copulaverint, in iis, quas selegimus, versionibus aliquæ sententiæ fuerint intersecandæ. Verum hae versionum inter se discrepantiæ adeo leves sunt, ut lectores non modo non perturbent, sed potius ad genuinum textum cum paraphrasi comparandum excitent.

Denique quo facilius hæc comparatio possit institui, eam quam editio Berolinensis exhibet librorum aristotelicorum partitionem, uncis inclusam apposuimus. Verum nec antiquorum aliquos libros in « textus » dispertientium divisionem plane negligendam duximus; quare eam in indice ita adscribendam curavimus, ut qui ab antiquioribus auctoribus afferuntur Aristotelis loci, commodius in paraphrasi Mauri et in textu Berolinensi possint inveniri.

In Romana Mauri editione interpungendi ratio ita est confusa, ut ea non sine labore deleta, nova visa sit adhibenda. Præterea cum scriptio Mauri haud parum ab ea discrepet, qua Pacius aliique librorum aristotelicorum interpretes sunt usi, fieri non potuit, quin paraphrasis paullo aliter quam textus esset interpungenda. — Cæterum id maxime studuimus, ut librum a typothetarum mendis quam maxime purgaremus. Quod tamen in hoc volumine nondum ita, ut desiderabamus, videmur nobis esse assecuti. Id nemo mirabitur, qui difficultates, quæ hujusmodi laborum initia circumsepiant et ex correctorum inter se et a typothetis distantia emergant plurimæ, ante oculos habuerit.

Scribebam Romæ, Borgo S. Spirito 12.

FRANCISCUS EHRLE S. J.

(1). Vulgamus igitur Organon Iulio Pacio, Rhetoricam et Poeticam Antonio Riccobono interpretibus.

ILLUSTRISSIMO ET EXCELLENTISSIMO DOMINO

SIGISMUNDO CHISIO

SILVESTER MAURUS FELICITATEM

Eam auri argentique copiam in beatas Peruviæ fodinas munifica manu coegit natura, ut quamquam victrix Hispania immissis fossorum agminibus æraria montium altero jam sæculo populetur, non modo nunquam defecerit pretiosum metallum, sed quo propius ad tartara ventum est, eo ditior occurrerit præda, aviditatem victorum superante opulentia victæ telluris. Aristotelis libros quidni disciplinarum fodinas Peruvianis multo feraciores appellem? Duobus jam annorum millibus non una provincia, sed orbis terrarum universus, conjunctis ingeniorum viribus, Aristotelis voluminibus non tam explicandis, quam effodiendis insudat et, licet immensas sapientiæ opes eruerit, haud temere suspicatur, majus aliquid in immani adhuc profunditate latere. Græci omnium primi fodinas hasce, utpote suo natas in solo, scrutari aggressi, mirati sunt unum Aristotelem eos doctrinarum thesauros congerere potuisse, quibus universa Græcia non sufficeret egerendis. Græcos excepit Arabs, qui Hispania potitus atque acerrimum ingenium a cœlo nactus Hispano, Aristotelem græcum scriptorem arabice loqui docuit, erubescente Græcia, quod Aristoteles clarior ac ditior esset Cordubæ quam Athenis. Superbiebat ventosa atque insolens Arabum natio, atque Aristotele sibi vindicato non minus, quam subacta gloriabatur Hispania; ausa etiam jactare, christianam religionem cum aristotelica, hoc est vera cum Philosophia stare non posse. Barbaros ac Mahometanos Christo ac veritati insultantes Christiani ac Latini non tulimus; Aristotelem quasi quamdam Herculis clavam, qua petebamur, ex eorum manibus extorsimus, eaque superstitionum atque hæresum monstra contrivimus ita, ut hæretici Aristotelem non minus oderint, quam formident, Mahometani vero abjurata Philosophia statuerint, jam non rationibus pugnandum esse, sed viribus, hoc est armis non hominum, sed ferarum. Exinde Christiani sapientes, quorum ad id tempus labor fuerat unicus, e sacrorum voluminum venis eruere doctrinas cœlestes, quas extra naturæ conspectum Deus esse voluerat, operam etiam dedere, ut ex Aristotelis fodinis haurirent disciplinas humanas; atque id sunt assecuti, ut ex fidei divinæ ac naturalis Philosophiæ consortio, et quasi ex Cœli terræque conjugio prodiret in lucem Scholastica Theologia, quæ utrumque parentem referens ostendit, quam apto nexu effatis naturæ per Aristotelem editis oracula divina cohæreant.

Me quoque subiit cupido Aristotelicas fodinas trita jam tot interpretibus via lustrandi, atque eas, quas possem, sapientiæ divitias efferendi. Avarum animum ad hauriendum impulit ipsa exhauriendi desperatio, cum pergratum sitientibus sit, e non defecturo fonte potare. Et quia non ignoro, quanta in te bonarum artium sitis exæstuet, Sigismunde Chisi, dicare constitui tibi Aristotelem hunc meum, hoc est omnium oceanum disciplinarum. Adolescens istius ætatis, qua plerique in sola Grammatica detinentur; istius fortunæ, qua non pauci studia omnia dedignantur, Rhetoricis simul et Poeticis erudiris, ad Dialecticam formaris et Physicam, Mathematicis etiam

institueris, ac modo cum geographis terras lustras et maria, modo cum astronomis cœlum contemplaris ac sidera, modo cum militaribus architectis munis urbes arcesque delineas. Multum disputas, multum audis, multum lectitas, multum scriptitas atque ita tempus otiumque disponis, ut non tantum singulis horis, sed singulis momentis aliquid addiscas. Sine æmulo, sine æqualium exemplo tecum certas, tecum contendis atque eniteris, ut quotidie te ipso doctior evadas. Sed hæc, quæ in aliis prima, in te postrema sunt decora. Illa præcipua tua gloria est, quod ex hac amplitudine fortunæ nihil aliud arrogas tibi, nisi ut qui Romanæ juventutis es princeps, virtute et morum innocentia velis esse secundus nemini. Quam severe te ab omni vitiorum contagione reprimis ac revocas? Quam religiose non modo crimina, sed ipsam criminum umbram exhorres? Quam frequenter animum contractis maculis eluis? Quo sensu pietatis divina te fruge pascis? Nonne affectata aliis, tibi ingenita et innata modestia est, et custos modestiæ verecundia? Virtutes has tuas non adeo miraremur, si tibi indoles minus excelsa, si minus erecta mens foret. Nunc autem cum animum geras summæ fortunæ capacem, unam tibi vindicas obsequii laudem. Jam vero actum in Galliam iter, quam prudentem te, quam constantem rectique propositi tenacem exhibuit. Illud prudentiæ tuæ fuit, quod privatum Pontificii Legati asseclam et Alexandri Pontificis Maximi ex fratre nepotem tam apte miscueris, ut quo humanius te cæteris æquabas, eo impensius omnes hanc ipsam tuam humanitatem venerarentur. Illud fuitconstantiæ, ut qualis ante latueras in tuæ domus umbra, talis effulseris in Galliæ luce, ac plurimum tibi ad famam innocentiæ contulerit, penitus inspici. In illo itineris tumultu consueta pietatis ac literarum studia nunquam intermissa. Gestiebat Galliarum populus visere te, cum sacris adesses, ac majores natu eumdem te, quasi quoddam virtutis exemplar junioribus ostentabant. Cognovisti mores gentium, regionum situs, locorum intervalla, naturam marium, positiones urbium, eaque omnia tam eleganti carmine descripsisti, ut facile appareat, quam in te vivat ac spiret ingenium illius, qui sub Philomathi nomine in suis musis juvenilibus cecinit itinera, per quæ septentrionem ac meridiem non pedibus magis, quam virtutibus peragravit. Sed qui juvniles patrui tui musas tam feliciter imitatus es suavitate carminis, plus esse in eo judicasti, utejusdem virtutes morum concentu referres, atque id es assecutus, ut speculi vice fungaris; siquidemn te videmus, qualis olim Fabius fuerit adolescens, in Alexandro vicissim cernimus prudentia et probitate qualem audentiore forsan voto, at non indebito ominemur, fore te jam ætate grandævum. Quo tanti voti compotes simus, illud unum a Superis petimus, ut dum tibi annos addunt, animum servent. Nam licet in adolescentia sis maximus, non exigua tui parte in isto modestiæ recessu æque lates et luces; cum autem per ætatem ex te ipso totus eruperis, in eo nostram expectationem falles, quod summa pollicitus, majora præstabis.

Leguntur in editione Romana post indicem : approbatio Joannis Pauli Olivæ, Præpositi Generalis Societatis Jesu, data Romæ die 18. Novembris 1664; Summa privilegii Alexandri PP. VII, dati Romæ die 5 Decembris 1664; Regis Christianissimi Ludovici xiv, dati Lutetiæ Parisiorum die 21. Februarii 1665; Serenissimi Venetiarum Ducis Dominici Contareni, dati Venetiis die 20. Decembris 1664.

ARISTOTELIS OPERA

ILLUSTRATA A SYLVESTRO MAURO, S. J.

PROŒMIUM TOTIUS OPERIS

PROPONITUR DIVISIO PHILOSOPHIÆ ET LIBRORUM ARISTOTELIS. — EXPLICATUR SCOPUS AUCTORIS ET DIVISIO OPERIS IN QUINQUE TOMOS.

1. Explicaturi universos, qui extant, Aristotelis libros, præmittendum duximus Proœmium totius operis, in quo *primo* afferemus divisionem Philosophiæ et librorum Aristotelis; *secundo* explicabimus scopum a nobis in hoc opere intentum ac proponemus ordinem et divisionem totius operis in quinque tomos et rationem talis divisionis et ordinis.

2. *Quoad primum : Philosophia* ex Platone (1), quem secutus est Aristoteles aliique communiter, *dividitur in realem, rationalem* et *moralem*. — *Philosophia realis est*, quæ agit de ente reali, hoc est de rebus secundum se et secundum prædicata, quæ rebus conveniunt a parte rei et nemine cogitante. *Subdividitur* in Physicam, Mathematicam et Metaphysicam. *Physica* agit de ente ut naturali, hoc est sensibiliter mobili ac mutabili. *Mathematica* agit de ente ut extenso, *Metaphysica* agit de ente immateriali, cujusmodi sunt ratio entis, substantiæ, etc., ut magis explicabitur in Proœmio Physicæ et Metaphysicæ.

3. *Philosophia rationalis est,* quæ agit de ente rationis, hoc est de rebus relate ad actus rationis, et ad eorum signa, ac de ipsis actibus rationis et eorum signis. *Subdividitur* in Logicam, Rhetoricam, Poeticam et Grammaticam. *Logica* agit de rebus relate ad actus rationis sive intellectus ac docet modum recte definiendi, dividendi, argumentandi, etc. *Rhetorica* agit de rebus relate ad orationem rectam et aptam ad persuadendum ac docet modum dicendi apte ad persuadendum. *Poetica* agit de rebus relate ad orationem imitativam ac docet modum delectabiliter imitandi oratione metrica. *Grammatica* demum agit de rebus relate ad congruam orationem ac docet modum recte loquendi.

4. *Philosophia moralis est*, quæ agit de ente morali, hoc est de rebus relate ad actus morales ac de ipsis actibus moralibus ac docet modum recte vivendi. Sunt autem actus morales, per quos homo efficitur simpliciter bonus vel malus, hoc est, aptus vel ineptus ad consequendum suum ultimum finem. Bene vivere est vivere apte ad consequendum suum ultimum finem, hoc est, felicitatem. Philosophia moralis *subdividitur* in tres partes : in monasticam nimirum seu solitariam, quæ retinet commune nomen *Moralis,* Œconomicam et Politicam. Ratio est, quia Philosophia moralis debet ordinare ad ultimum finem non solum unumquemque hominem solitarie acceptum, sed etiam familiam, civitatem et regnum; sed illa pars Philosophiæ moralis quæ docet quo pacto sint ordinandæ ad ultimum finem actiones familiæ, vocatur *Œconomica* seu

(1) Plato, etsi in eis, quæ ad nos pervenerunt, scriptis, nullibi hanc divisionem indicaverit, tamen eam docuisse videtur, cum ea ab Aristotele, ut jam passim nota, supponatur (Cf. Topic. I, 14, 105, b. 19 et Anal. Post. I, 33, fin.), et ipsi dialogi Platonici juxta hanc divisionem apte in tres classes distribuantur. Cf. Zeller Ed. Die Philosophie der Griechen. Berlin. 1875, 3. Aufl. I, 2, pp. 486 seq.

familiaris; illa pars, quæ docet, quo pacto sint ordinandæ ad ultimum finem actiones totius civitatis ac regni vocatur *Politica* seu civilis; ergo Philosophia moralis dividitur in monasticam, quæ absolute dicitur Moralis, Œconomicam et Politicam, ut magis explicabitur in Prooemio Philosophiæ moralis.

5. *Philosophiam* et omnes ejus enumeratas partes, excepta Mathematica et aliquatenus Grammatica, in suis libris *accuratissime tradidit Aristoteles* (1); et quidem cum tres sint præcipuæ *partes Philosophiæ rationalis,* Logica, Rhetorica ac Poetica, Logicam tradidit in libris Prædicamentorum, in libris Perihermenias seu de Interpretatione, in quibus etiam multa affert, quæ videntur spectare ad scientiam Grammaticæ; in libris de Priori et Posteriori Resolutione, Topicorum et Elenchorum. Rhetoricam tradidit in tribus libris Rhetoricorum, quibus aliqui addunt Rhetoricam ad Alexandrum, licet hic liber ab aliis censeatur non esse Aristotelis. Poeticam tradidit in libro, qui inscribitur Poetica.

6. *Philosophiam moralem* secundum partem monasticam, quæ absolute dicitur Moralis, tradit Aristoteles in decem libris Ethicorum seu Moralium ad Nicomachum; in duobus libris Magnorum Moralium et in septem libris Moralium ad Eudemum, quibus aliqui, addunt libellum de Virtutibus. Œconomicam tradidit in duobus libris Œconomicorum. Politicam demum tradidit in octo libris Politicorum.

7. Primam partem *Philosophiæ realis,* hoc est Physicam, tradit octo libris de Physico Auditu, quatuor de Cœlo et Mundo, duobus de Generatione et Corruptione, quatuor Meteorologicorum, novem de Historia Animalium, quibus aliqui addunt decimum, qui ab aliis censetur non esse Aristotelis; quatuor de Partibus Animalium, uno de Incessu Animalium, tribus de Anima; libris, qui inscribuntur Parva Naturalia, et quinque libris de Generatione Animalium; quibus aliqui addunt duos libros de Plantis, qui ab aliis censentur non esse Aristotelis. His accedit liber Physiognomicorum, liber de Admirandis Auditionibus, et duo libri Physicomathematici, liber nimirum Quæstionum Mechanicarum, et liber de Lineis Insecabilibus, de quo tamen dubitatur, an sit Aristotelis. Accedunt etiam liber de Coloribus, de Audibilibus, de Spiritu, de Proprietatibus Elementorum, de Mundo ad Alexandrum, qui communiter censentur non esse Aristotelis.

9. Omissa Mathematica, quæ est secunda pars Philosophiæ realis, tertiam et altissimam partem Philosophiæ realis, hoc est *Metaphysicam,* tradit Aristoteles in quatuordecim libris Metaphysicorum, quibus additur libellus de Xenophane, Zenone et Gorgia, qui est metaphysicus. Aliqui addunt etiam librum de Causis et libros de Theologia Ægyptiorum, qui profecto non sunt Aristotelis.

10. His libris, quibus Aristoteles complexus est singulas Philosophiæ partes, addidit *librum Problematum,* in quo proponit ac solvit plurimas quæstiones spectantes ad omnes partes Philosophiæ, ad Rhetoricam nimirum, Poeticam, Logicam, Physicam, Mathematicam, Metaphysicam et Moralem.

11. *Quoad secundum :* propositum nobis in hoc opere fuit, omnes Aristotelis libros breviter ac dilucide ita explanare, ut facile ac jucunde possint legi et intelligi; an id simus assecuti, aliorum esto judicium. — In horum librorum explicatione stilo a Scholasticis usitato sumus usi ac optimos quosque ex interpretibus secuti et *præsertim Sanctum Thomam, qui, quia ingenio fuit Aristoteli simillimus, ita Aristotelem explicat, ut non alius Aristotelem, sed Aristoteles se ipsum explicare videatur.* Quia vero usitatus plerisque interpretibus modus exponendi textum verbatim ac pæne dixerim syllabatim, identidem repetendo : *dicit, deinde dicit,* etc., licet sit ad singula explicanda aptissimus, tamen solet esse lectoribus permolestus; ideo aliam rationem explicandi secuti sumus, ac textum in varias particulas divisum ac numeris distinctum perpetua deinde paraphrasi in totidem

---

(1) Nostrum non est hic accuratius in singula, quæ ab auctore Aristoteli adscribuntur, scripta inquirere, ut quæ genuina, quæ sint spuria, statuamus. Nihilominus non abs re est, hic nostratium de hac re sententias brevi conspectu lectoribus ob oculos ponere. Cf. Zeller. l. c. II, 2, pp. 50-109. — Aristotelis opera, quæ habentur

a) *Certa* : Analytica, Topica, Elenchi, Rhetorica, Poetica.

Physica, de Cœlo et Mundo. de Generatione et Corruptione, de Anima, Meteorologica, Historia Animalium, de Partibus, de Ingressu, de Generatione Animalium, Parva Naturalia, Metaphysica.

Ethica ad Nicom., Politica.

b) *Dubia* : Prædicamenta, de Interpretatione.

c) *Spuria* : Rethorica ad Alex.

De Plantis, Physiognomica, Mechanica, de Coloribus, de Audibilibus, de Spiritu, de Proprietatibus Elementorum, de Mundo ad Alex., de Lineis Insecabilibus, Problemata, de Admirandis Audibilibus, etc.

Magna Moralia, Ethica ad Eudemum, Œconomica, de Vir tutibus.

particulas divisa ac totidem numeris distincta sumus interpretati; in qua paraphrasi curavimus, ut nihil textui adderemus, nihil ex iis, quæ sunt in textu, omitteremus, ideoque studiose a quæstionibus ac dubiis circa doctrinam textus occurrentibus abstinuimus, quas quæstiones ac dubia videre quivis poterit apud interpretes.

12. Aristotelis libros ac paraphrasticam nostram explanationem *in quinque tomos sumus partiti.*—Tomus *primus* continebit Philosophiam rationalem, hoc est Logicam, Rhetoricam et Poeticam. — Tomus *secundus* continebit Philosophiam moralem, hoc est omnes libros Moralium, Politicorum et Œconomicorum. — *Tertius* et *quartus* tomus continebunt Philosophiam naturalem seu Physicam, hoc est octo libros de Physico Auditu, quatuor de Cœlo et Mundo, duos de Generatione et Corruptione, quatuor Meteorologicorum, novem de Historia Animalium, quatuor de Partibus, librum unum de Incessu Animalium, tres libros de Anima, libros qui inscribuntur Parva Naturalia, et quinque libros de Generatione Animalium, et alia Opuscula partim Physica, partim Physicomathematica, nimirum librum Quæstionum Mechanicarum, librum de Lineis Insecabilibus, librum Physiognomicorum, etc. — *Quintus* tomus complectetur Philosophiam transnaturalem ac divinam, hoc est quatuordecim libros Metaphysicorum, quibus accedet libellus de Xenophane, Zenone et Gorgia, qui est metaphysicus. In ultima parte tomi quinti addetur liber Problematum, qui continet varias quæstiones spectantes ad universam Philosophiam et omnes ejus partes (1).

13. *Ratio ordinis explicati* est, tum quia hoc fere ordine Aristotelis libri continentur in tomis Averrois, qui omnium manibus versantur; tum quia, cum Logica doceat modum sciendi, debet præmitti cæteris scientiis et facultatibus, etiam Rhetoricæ, quæ, ut ex Aristotele dicetur libro primo Rhetoricorum, cap. 1, art. 3, num. 1 et sequentibus, haurienda est ex fontibus Logicæ, et quodammodo est pars Logicæ; sed Rhetorica est affinis Dialecticæ, et proportionaliter illi altera ex parte respondet, ut docet Aristoteles initio primi Rhetoricorum, in quo videtur Logicam immediate conjungere Dialecticæ; ergo post Logicam ponenda est Rhetorica et post Rhetoricam Poetica, quæ est affinis Rhetoricæ, et est tertia pars Philosophiæ rationalis. — Post Philosophiam rationalem ponenda videtur Philosophia moralis, quia, sicut Philosophia rationalis agit de rebus relate ad actus rationis sive intellectus, sic Philosophia moralis agit de rebus relate ad mores sive ad actus voluntatis. — Post Philosophiam moralem ponenda est Philosophia realis. Et quia intellectus noster a sensibilibus procedit ad intelligibilia, ideo prius ponenda est Physica seu naturalis, quæ agit de ente sensibili, deinde Metaphysica seu transnaturalis ac divina, quæ agit de ente intelligibili. Liber demum Problematum, quia continet quæstiones spectantes ad omnes scientias et ad omnes partes Philosophiæ, ponendus est ultimo loco post omnes scientias et post omnes partes Philosophiæ.

14. Jam vero cum plures versiones (1) librorum Aristotelis circumferantur, apponemus *versionem communem*, quæ habetur in tomis Averrois, quia sub illa solet communiter Aristoteles legi et ab auctoribus citari. Retinebimus etiam communem divisionem in libros et capita; sed quia aliquando capita sunt longiora, tum illa in plures articulos subdividemus.

(1) Nos vero quæ hic tomis 3°, 4°, 5° assignantur, ita distribuemus, ut quæ ad Philosophiam speculativam faciant: libros Physicorum, de Cœlo et Mundo, de Generatione et Corruptione, de Anima, Parva Naturalia, Metaphysicam 3° et 4° tomo comprehendamus, in 5um vero scripta ad historiam naturalem spectantia rejiciamus.

(1) Vide quæ hac de re supra in præfatione diximus.

PROŒMIUM

IN ARISTOTELIS LOGICAM ET PORPHYRII INTRODUCTIONEM

PROPONITUR DIVISIO LOGICÆ ET LIBRORUM ARISTOTELIS; EXPLICATUR SUBJECTUM INTRODUCTIONIS PORPHYRII ET EXAMINATUR, AN SIT PARS LOGICÆ.

---

1. Disciplinæ debent ordinari ac dividi sicut res, quæ sunt objecta talium disciplinarum; sed Logica, hoc est disciplina rationalis, habet pro objecto vel actus rationis seu operationes intellectus, vel entia rationis seu secundas intentiones, hoc est res atque objecta prout denominata ab actibus rationis et intellectus juxta varias sententias : ergo Logica debet ordinari ac dividi, sicut ordinantur ac dividuntur actus rationis, qui, vel sunt objectum Logicæ, vel constituunt entia rationis seu secundas intentiones, quæ sunt objectum Logicæ; sed actus rationis seu operationes intellectus dividuntur communiter ex Aristotele, 3° de Anima, text. 21, c. 6, in tres : primam apprehensionem seu simplicem intelligentiam, compositionem et divisionem seu judicium immediatum, et discursum seu judicium mediatum; ergo proportionaliter *Logica debet ordinari ac dividi in tres partes*; in quarum *prima* agatur de rebus, prout simpliciter intelliguntur; in *secunda* de rebus, prout per secundam operationem enuntiantur; in *tertia* de rebus, prout per tertiam operationem syllogizantur et concluduntur.

2. Hoc ordine tradens *Aristoteles* Logicam *primam ejus partem tradidit* in libro Prædicamentorum, in quo agit de rebus, in quantum simpliciter intelliguntur et apprehenduntur; *secundam* partem tradidit in libris Perihermenias seu de Interpretatione, in quibus agit de enuntiatione ac de rebus, in quantum enuntiantur; *tertiam* tradidit in libris de Priori et Posteriori Resolutione, in Topicis atque Elenchis, in quibus agit de syllogismo in genere ac de variis syllogismorum speciebus, hoc est de syllogismo demonstrativo, topico seu probabili et sophistico, ac de rebus in quantum syllogizabilibus, demonstrabilibus ac probabiliter vel solum apparenter inferibilibus.

3. His Aristotelis libris *Porphyrius* Philosophus Platonicus simul et Peripateticus *addidit librum introductorium* de quinque Praedicabilibus. Subjectum hujus libri, ut patet ex ejus prooemio, sunt quinque praedicabilia; hoc est genus, species, differentia, proprium et accidens. Doctrina libri pæne tota desumpta est ex Aristotelis libris, præsertim Topicis, ita tamen ut aliquando Porphyrius (1) declinet in sententias Platonis Aristotelicis contrarias.

4. Aliqui dicunt, hunc librum non esse partem Logicæ, sed esse solum introductorium ad Logicam. Dicendum tamen, quod ita hic liber est introductio ad Logicam Aristotelis, ut *ipse etiam sit liber logicus*. — *Probatur*, quia liber, in quo agitur de objecto Logicæ, est logicus; sed in hoc libro agitur de objecto Logicæ : ergo hic liber est logicus. — *Probatur* minor : prædicabilia enim sunt objectum Logiiæ; sed in hoc libro agitur de prædicabilibus : ergo, etc. — *Probatur* major : nam objectum Logicæ sunt entia rationis, hoc est res, in quantum denominantur per actus rationis seu intellectus; sed prædicabilia, ut genus, species, etc., sunt entia rationis, hoc est res, in quantum per actus intellectus denominantur genera, species, etc., ergo : etc.

5. Infertur, quod hic liber spectat ad primam partem Logicæ, sicut liber Prædicamentorum. In hoc enim libro agitur

---

(1). Usus enim erat Porphyrius magistro Plotino, scholæ, quam Neoplatonicam appellare consuevimus, facile principe. Hinc quæ Auctor de Platonicis eorumque erroribus cap. 4. 5. sq. docet, rectius ad Neoplatonicos referuntur.

de rebus, in quantum simpliciter intelliguntur et per simplicem apprehensionem denominantur praedicabiles, hoc est genera, species, etc.

6. *Dividitur liber in septem capita :* in *primo* ponit Porphyrius proœmium, in quo explicat necessitatem et utilitatem hujus introductionis ac modum in ea tradenda servandum. In *secundo* agit de genere, in *tertio* de specie, in *quarto* de differentia, in *quinto* de proprio, in *sexto* de accidente, in *septimo* comparat quinque prædicabilia interse et explicat eorum communitates ac differentias, hoc est ea, in quibus conveniunt ac differunt.



PORPHYRII INTRODUCTIO

JULIO PACIO INTERPRETE

DE NECESSITATE AC UTILITATE HUJUS INTRODUCTIONIS AC DE MODO IN EA TRADENDA SERVANDO.

CAPUT PRIMUM

PRÆFATIO.

1. Cum sit necesse, Chrysaori, et ad Categoriarum Aristotelicarum doctrinam, nosse quid sit genus, quid differentia, quid species, quid proprium, quid accidens, et ad definitiones afferendas, et omnino ad ea, quæ ad divisionem et demonstrationem spectant, cumque utilis sit horum cognitio; brevem tibi tractationem faciens, tentabo paucis, ut institutionis ratio postulat, ea quæ apud priscos Philosophos extant, percurrere.

2. Ab abstrusioribus quidem quæstionibus abstinens, simpliciores vero modice conjectans. Nec longe abeam de generibus et speciebus, consistant ne in rerum natura, an in solis nudis animi notionibus posita sint; et, si consistunt in rerum natura, num corpora sint, an incorporalia; et utrum separata sint, an in rebus sensibilibus et circa has consistant, recusabo dicere; cum abstrusissima sit hujusmodi tractatio, et alius majoris indigeat inquisitionis. Quemadmodum autem de his ac de reliquis propositis magis ad Logicam accommodate veteres disseruere, et horum maxime Peripatetici, nunc tibi tentabo monstrare.

Scripturus Porphyrius ad Chrysaorium suam Introductionem de Quinque Prædicabilibus præmittit procemium, in quo explicat hujus Introductionis necessitatem et utilitatem ac modum in ipsa tradenda servandum.

1. Docet igitur, quod hæc Introductio est utilis ac necessaria ad Logicam. In Logica enim explicatur doctrina libri Prædicamentorum Aristotelis, ac præterea agitur de definitione, divisione ac demonstratione; sed ad percipiendam doctrinam libri Prædicamentorum et doctrinam de definitionibus, divisionibus ac demonstrationibus est maxime utile ac necessarium præcognoscere, quid sit genus, species, differentia, proprium et accidens; hæc autem breviter explicantur in hac Introductione juxta doctrinam antiquorum : ergo hæc Introductio est maxime utilis ac necessaria ad Logicam. — *Probatur minor* : *primo* enim in libro Prædicamentorum assignantur decem summa genera ac dividuntur per differentias essentiales in suas species subalternas et infimas, et assignantur accidentia tum propria tum communia talium generum et specierum; ergo ad hæc bene intelligenda utile ac necessarium est præcognoscere, quid sit genus, quid species, quid differentia, quid accidens proprium et quid accidens commune. — *Secundo* : definitio essentialis explicat speciem sive essentiam rei per genus ac differentiam ; definitio descriptiva explicat speciem per genus et propriam passionem; quædam etiam descriptiones explicant rem per accidentia communia; divisio alia est generis in species, alia generis in differentias, alia subjecti in accidentia tum propria tum communia, alia accidentis in subjecta; medium demonstrationis potissimæ est definitio subjecti, quæ definitio constat ex genere et ex differentia ; per ipsam vero demonstrationem de subjecto demonstrantur propriæ passiones; ergo ad doctrinam de definitionibus, divisionibus et demonstrationibus est utilis ac necessaria doctrina quinque prædicabilium.

2. Explicata utilitate ac necessitate hujus Introductionis *explicat Porphyrius modum*, quem in ea tradenda est serva-

turus. Dicit ergo quod abstinebit ab altioribus ac difficilioribus quæstionibus circa genera et species; faciliores vero quæstiones tractabit juxta captum Chrysaorii et aliorum, qui ad Logicam debent introduci. Sunt autem difficiliores et altiores quæstiones : an genera et species dentur a parte rei, an sint entia corporea vel incorporea, an dentur in sensibilibus vel sint separata a sensibilibus vel media inter sensibilia et insensibilia. Hæ igitur et aliæ similes quæstiones utpote altissimæ et ad Metaphysicam spectantes in hac Introductione sunt omittendæ, de facilioribus vero agendum non omnino exacte, sed modo logico, prout de illis egerunt antiquiores ac præsertim Peripatetici.

CAPUT II

DE GENERE.

1. Videtur autem neque genus neque species simpliciter dici. Genus enim dicitur collectio aliquorum, qui ad unum quiddam et inter se quodammodo affecti sunt. Qua significatione dicitur Heraclidarum genus ex habitudine, quæ est ab uno (nimirum ab Hercule) et multitudinis eorum, qui necessitudine ab illo ducta sunt aliquo modo inter se conjuncti; ut ab aliis generibus distinguatur, ita appellatum.

2. Rursus et aliter genus dicitur principium, unde quisque ortum ducit, sive consideretur ortus ab eo, qui genuit, sive a loco ,in quo genitus est; sic enim dicimus Orestem a Tantalo genus ducere, Hyllum ab Hercule, et rursus Pindarum esse genere Thebanum, Platonem Atheniensem, quoniam patria est principium quoddam, ex quo singuli ortum ducunt, sicut etiam pater. Hæc autem significatio videtur esse in promptu. Heraclidæ namque dicuntur, qui genus ducunt ab Hercule, et Cecropidæ, qui a Cecrope et horum affines. Ac primum genus vocatum est principium illud, unde ortum quisque ducit, postea vero et multitudo eorum, qui ab uno principio, utputa ab Hercule, orti sunt; quod genus definientes et ab aliis segregantes nominavimus universam multitudinem, Heraclidarum genus.

3. Alio quoque modo iterum dicitur genus, cui subjicitur species, horum fortasse exemplo ita appellatum. Etenim hujusmodi genus est principium quoddam eorum, quæ sub se sunt, et videtur etiam universam multitudinem continere, quæ sub se est.

Præmisso procemio incipit Porphyrius agere de ipsis prædicabilibus ac primo agit *de genere*, circa quod *primo* explicat tres acceptiones generis, *secundo* affert descriptionem generis philosophici et ex ea declarat, in quo genus conveniat cum aliis prædicabilibus, in quo differat.

1. *Quoad primum :* genus et species dicuntur multipliciter. *Primo* dicitur genus multitudo hominum certa inter se cognatione conjunctorum, eo quod originem ducant ab aliquo uno, ex. gr., genus Heraclidarum dicebatur multitudo hominum certa inter se cognatione conjunctorum, eo quod originem ducerent ab Hercule, per quam originem differebant ab aliis generibus hominum, qui non ducebant originem ab Hercule.

2. *Secundo* dicitur genus principium generationis, seu tale principium sit pater et mater, seu patria, quæ est quodammodo mater. In hoc sensu dicimus Orestem habere originem a Tantalo, Hylum ab Hercule, quia Orestes, habuit principium generationis a Tantalo, Hylus ab Hercule, tamquam a parentibus; dicimus rursus Pindarum esse Thebanum genere, Platonem Atheniensem, quia Pindarus principium generationis habuit a Thebis, Plato ab Athenis, tamquam a patria. Hæc secunda acceptio generis videtur usitatior. Dicuntur enim Heraclidæ, qui descendunt a Cecrope, et horum propinqui. Videtur etiam nomen generis primo impositum esse ad significandum principium generationis; deinde vero esse translatum ad significandum totam multitudinem eorum, qui profluxerunt ab uno principio generationis; ex. gr., primo dicimus genus Heraclidarum ipsum Herculem, a quo Heraclidæ descendunt; deinde vero etiam multitudinem descendentium ab Hercule, prout distinguitur ab aliis multitudinibus, appellamus genus Heraclidarum.

3. *Tertio* genus dicitur id, cui subjicitur species, ex. gr., animal est genus, quia sub animali sunt species hominis, leonis, canis, etc. Porro id, cui subjiciuntur species, videtur dici genus per quandam analogiam et similitudinem ad genus, in quantum sumitur pro principio descendentium et pro multitudine eorum, qui ab uno descendunt. Nam et id, cui species subjiciuntur, est quoddam principium specierum subjectarum, ex. gr., animal est quoddam principium hominis, leonis et aliorum animalium; et præterea id, cui species subjiciuntur, videtur continere totam multitudinem specierum subjectarum, ex. gr., animal videtur continere omnes species animalium, hominem, leo-

nem, etc., quæ animalia participant de genere tamquam de uno.

4. Cum igitur tribusmo dis genus dicatur, de tertio apud Philosophos sermo est. Quod etiam descriptione explicarunt dicentes, genus esse, quod pluribus et differentibus specie attribuitur in quæstione quid est, velut animal. Nam eorum quæ attribuuntur, alia dicuntur de uno tantum, ut individua, ejusmodi est Socrates, et Hic et Hoc; alia de pluribus, ut genera, et species, et differentiæ, et propria, et accidentia, communiter non proprie alicui. Est autem genus ut animal, species ut homo, differentia ut rationale, proprium ut aptum ad ridendum, accidens ut album, nigrum, sedere. Ab iis igitur, quæ uni tantummodo attribuuntur, genera differunt, quia ipsa pluribus attribuuntur. Ab iis vero, quæ pluribus attribuuntur, ita differunt: a speciebus quidem, quoniam etsi species multis attribuuntur, non tamen specie, sed numero differentibus attribuuntur; homo enim, cum sit species, Socrati et Platoni attribuitur, qui non specie inter se differunt, sed numero; animal autem, cum sit genus, homini et bovi et equo attribuitur, qui specie quoque inter se differunt, non solum numero. A proprio autem differt genus, quoniam proprium uni tantum speciei, cujus est proprium, et individuis sub ea specie contentis attribuitur; ut aptum ad ridendum, attribuitur soli homini et particularibus hominibus; genus vero non uni speciei attribuitur, sed pluribus et differentibus specie. Verum a differentia et communiter accidentibus differt genus, quia, etsi pluribus et differentibus specie attribuuntur differentiæ et communiter accidentia, non tamen attribuuntur in quæstione quid est, sed in quæstione quale quid est. Interrogantibus enim aliquibus: quid sit illud cui hæc attribuuntur, genus respondemus; differentias vero et accidentia non respondemus; quia non in quæstione quid est, attribuuntur subjecto, sed potius in quæstione quale quid est. Cum enim quis interrogat: quale quid est homo, dicimus rationale; et cum interrogat: quale quid est corvus, dicimus nigrum. Ac rationale quidem est differentiia; nigrum vero accidens. Sed cum, quid homo sit, interrogamur; animal respondemus; animal autem est hominis genus. Quapropter genus, eo quod dicitur de pluribus, secernitur ab individuis, quæ uni dumtaxat attribuuntur. Sed eo quod dicitur de differentibus specie, distinguitur ab iis quæ ut species sive ut propria attribuuntur. Eo autem quod attribuitur in quæstione quid est, separatur a differentiis et a communiter accidentibus, quæ non in quæstione quale quid est, aut quomodo quid affectum est, attribuuntur, unumquodque scilicet iis, quibus attribuitur. Nihil igitur supervacuum, nihil prætermissum est in dicta generis, id est notionis, descriptione.

4. *Quoad secundum:* de genere in hac tertia acceptione agitur a Philosophis, adeoque de eo tantum est agendum in præsenti. *Genus* igitur in hac tertia acceptione *describitur* a Philosophis, *quod de pluribus specie differentibus, in eo quod quid est, prædicatur,* ut animal. — Explicat Porphyrius hanc definitionem ac simul probat illam esse bonam. Tum enim definitio generis esset bona, quando explicaret, in quo genus conveniat ac disconveniat ab omnibus, quæ prædicantur; sed explicat: ergo, etc. — *Probatur minor:* quæ enim prædicantur, vel prædicantur de uno tantum, ut individua, ex. gr., *Socrates, hoc, illud,* etc., vel prædicantur de pluribus, si de pluribus, vel prædicantur ut genera, ex. gr., *animal,* vel ut species, ex. gr., *homo,* vel ut differentiæ, ex. gr., *rationale,* vel ut propria alicujus speciei, ex. gr., *risibile,* vel ut accidentia non quidem propria unius speciei aut unius individui, sed communia individuis plurium specierum, ex. gr., *album, nigrum, sedens,* etc.; sed allata descriptio explicat, in quo genus conveniat ac differat ab his: ergo etc. — *Probatur minor:* quia cum omnibus convenit in hoc, quod sit *prædicabile;* ab individuo differt in hoc, quod individuum est prædicabile de uno tantum, genus est *prædicabile de pluribus;* a specie differt in hoc, quod species est prædicabilis de pluribus solo numero differentibus, genus autem est *prædicabile de pluribus differentibus specie;* ex. gr., homo potest prædicari de Socrate, Platone, etc., differentibus solum numero, animal vero potest prædicari de bove, equo atque homine, etc., differentibus specie; a proprio differt in hoc, quod proprium prædicatur de unica specie, cujus est proprium, ac de individuis talis speciei; ex. gr., risibile prædicatur solum de specie hominis ac de singularibus hominibus, genus vero *prædicatur de pluribus speciebus ac de individuis plurium specierum;* a differentia et accidentibus communibus differt, quod differentia et accidentia communia, licet prædicentur de pluribus specie differentibus, non prædicantur *in quid,* ex. gr., si quis interroget: *quale animal est homo?* respondemus per differentiam ac dicimus: *rationale.* Si quis interroget: *quale animal est corvus?* respondemus per accidens ac dicimus, *nigrum.* At vero interroganti: *quid est homo?* non respondemus: *est rationalis,* sed: *est animal;* interroganti: *quid est corvus?* non respondemus: *est niger,* sed: *est animal;* ergo genus prædicatur *in*

quid, differentia et accidens *in quale quid.* Genus igitur per hoc, quod prædicetur de pluribus, differt ab individuis, quæ prædicantur de pluribus solo numero differentibus; per hoc quod prædicetur *in quid,* differt a differentiis et accidentibus communibus, quæ prædicantur non *in quid,* sed in *quale quid;* ergo boña est allata descriptio generis, cum nihil plus aut minus explicet, quam quæ sunt de conceptu generis, prout differt ab aliis prædicabilibus.

CAPUT III

DE SPECIE TUM SUBALTERNA TUM INFIMA AC DE INDIVIDUO.

1. Species vero dicitur etiam de cujusque forma, qua significatione dictum est :

Primum quidem species digna est imperio.

2. Dicitur quoque species, quæ sub explicato genere ponitur. Qua significatione consuevimus dicere, hominem esse speciem animalis, cum animal sit genus; album autem speciem coloris; triangulum vero speciem figuræ.

3. Quod si et genus explicantes speciei mentionem fecimus dicentes, quod pluribus et differentibus specie attribuitur in quæstione quid est; et speciem dicimus esse, quæ sub explicato genere ponitur; nosse opportet, quoniam et genus alicujus est genus, et species alicujus est species, utrumque utriusque; necesse fuisse in utrorumque definitionibus uti utrisque.

4. Explicant igitur speciem et sic : species est, quæ collocatur sub genere, et : cui genus attribuitur in quæstione quid est. Præterea etiam sic : species est, quæ pluribus et differentibus numero attribuitur in quæstione quid est. — Sed hæc explicatio est speciei specialissimæ et quæ est tantum species nunquam genus; aliæ vero sunt etiam earum, quæ non sunt specialissimæ.

Postquam Porphyrius egit de genere, agit de specie, ac *primo* explicatis duabus acceptionibus speciei definit speciem philosophicam tum prædicabilem tum subjicibilem; *secundo* explicat, quo facto in omnibus prædicamentis inveniatur genus generalissimum, species specialissima ac genera speciesque subalternæ; atque hæc describit et comparat inter se, ostendens etiam, quod non datur unum genus generalissimum commune omnibus, sed dantur decem genera, hoc est decem prædicamenta; *tertio* explicat, quo pacto genera et species atque universim superiora et inferiora se habeant secundum prædicationem; *quarto* demum describit individuum et concludit

1. *Quoad primum :* species dicitur a spectando, ideoque primo significat formam spectabilem seu exteriorem apparentiam, juxta quam acceptionem, speciosus idem significat ac formosus, ac species idem significat ac formositatem seu pulchritudinem. De hac specie dicebatur a barbaris, qui dignitatem hominis metiebantur potius a pulchritudine corporis quam a virtute animi : *prima species digna est imperio.*

2. *Secundo* species dicitur a Philosophis, *quæ sub assignato est genere.* In hoc sensu dicimus hominem esse speciem animalis; albedinem esse speciem coloris, triangulum esse speciem figuræ. Ratio, cur natura, quæ est sub genere, vocetur species, est, quia addit supra genus, quod est quiddam indeterminatum, et informe, formam, pulchritudinem et perfectionem differentiæ, ex. gr., homo supra animal, quod concipitur tanquam aliquid indeterminatum et informe, addit formam, pulchritudinem et perfectionem rationalitatis.

3. *Objicit* sibi Porphyrius : genus describitur per speciem, dicendo, quod est *id, quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quid;* species rursus describitur per genus, dicendo : quod est *id, quod sub assignato est genere;* ergo in his descriptionibus committitur circulus atque idem explicatur per idem.

Respondet, quod relativa mutua non possunt definiri, nisi unum ponatur in definitione alterius, eo pacto quo, quia duplum est duplum dimidii, et quia dimidium est dupli dimidium, in definitione dimidii ponitur duplum; sed genus et species sunt mutuo relativa, genus enim est genus speciei et species generis : ergo non est mirum, quod in suis descriptionibus se mutuo includant.

4. Definitur etiam species, *id quod subjicitur generi et de quo genus prædicatur in quid;* ex. gr., homo est species animalis, quia subjicitur animali, ita ut animal prædicetur de homine *in quid.* Ut autem hæc definitio sit bona et conveniat soli speciei, non autem individuo, debet intelligi de subjectione immediata. Nam etiam individua subjiciuntur generi mediante specie, ac etiam de individuis genus prædicatur *in quid;* ex. gr., animali non solum subjicitur homo, qui est species, sed etiam Socrates, qui est

individuum, ita ut aminal prædicetur *in quid* non solum de homine, sed etiam de Socrate; quia tamen Socrates non subjicitur immediate generi, hoc est animali, ideo Socrates non est species. Rursus species definitur, *quod est prædicabile de pluribus solo numero differentibus in quid;* ex. gr., homo est species, quia est prædicabilis de pluribus hominibus solo numero differentibus *in quid*. Addit Porphyrius, quod hæc ultima definitio solum convenit speciei specialissimæ; quæ nimirum est species tantum, non autem genus; aliæ autem definitiones conveniunt etiam speciebus subalternis, quæ simul sunt species et genus.

5. Perspicuum vero fiet, quod dicimus, hoc modo. In unaquaque categoria sunt quædam generalissima et rursus alia specialissima, et inter generalissima et specialissima sunt alia, quæ eadem dicuntur et genera et species. Generalissimum est, quo non potest esse aliud superius genus. Specialissimum est, quo non potest esse alia inferior species. Inter generalissimum autem et specialissimum sunt alia, quæ eadem sunt et genera et species, ad aliud tamen atque aliud relata.

6. Fiat autem in una categoria manifestum quod dicimus. Substantia est et ipsa genus; sub ea est corpus, et sub corpore animatum corpus, sub quo animal; sub animali autem rationale animal, sub quo homo; sub homine autem Socrates, et Plato, et particulares homines. Sed ex his substantia est generalissimum illud et quod solum est genus, homo vero est specialissimum illud et quod solum est species; corpus autem est species substantiæ, genus animati corporis. Sed et animatum corpus est species corporis, genus animalis. Rursus animal est species animati corporis, genus rationalis animalis; rationale autem animal est species animalis, genus hominis; homo vero est quidem species animalis, sed non est etiam genus particularium hominum, verum species tantummodo. Et quidquid ante individua positum, proxime iis attribuitur, species solum est, non etiam genus.

Ut igitur substantia, quæ in summo loco posita est, quia nullum habet ante se genus, est generalissimum illud; ita etiam homo, qui est species, post quam non est alia species, nec aliquid, quod possit dividi in species, sed individua (individuum enim dicitur Socrates, et Alcibiades, et Plato, et hoc album) solum est species, et extrema illa species et (ut diximus) specialissimum illud. Media vero priorum species, posteriorum genera sunt.

Quocirca hæc duos habent habitus : alterum ad priora, quo species eorum esse dicuntur; alterum ad inferiora, quo genera eorum esse dicuntur. Extrema vero unum habent habitum; nam et generalissimum erga inferiora quidem affectum est, cum sit omnium summum genus, erga superiora vero non item habet; cum summum sit et principium primum, et (ut diximus) id quo nullum potest esse superius genus.

Sed et species specialissima unum habet habitum, quo quidem erga anteriora, quorum est species, affecta est. Nec diversum habet eum habitum, quo refertur ad posteriora, sed et individuorum species dicitur. Verum species individuorum dicitur, ut ea continens; species vero priorum, ut ab eis contenta.

5. *Quoad secundum,* quia Porphyrius mentionem fecit speciei specialissimæ, ut hanc explicet, advertit, quod in quocumque prædicamento dantur genus generalissimum, species specialissimæ et species subalternæ, quæ simul sunt genera et species respectu diversorum. Genus generalissimum est, *quod non habet supra se aliud genus;* species specialissima est, *quæ non habet sub se aliam speciem;* species et genera media ac subalterna sunt, *quæ et habent supra se aliud genus et habent sub se alias species,* ideoque habent rationem speciei respectu superioris generis, cui subjiciuntur, et habent rationem generis respectu inferiorum specierum, de quibus prædicantur.

6. *Explicatur hæc doctrina* exemplificando in prædicamento substantiæ. Substantia est quoddam genus; sub substantia est corpus, quod est species substantiæ; sub corpore est vivens seu corpus animatum; sub vivente est animal, sub animali est animal rationale, quod juxta Platonicos (1), quos in hoc errore sequitur Porphyrius, est genus commune animalibus rationalibus, immortalibus et mortalibus; sub animali rationali est homo seu animal rationale, mortale; sub homine est Socrates, Plato et alii singulares homines. Ex his substantia est genus, generalissimum, quia non habet supra se aliud genus, adeoque ita est genus, ut non sit species; homo est species specialissima, quia non habet sub se alias species, cum non dentur homines specie differentes, adeoque ita est species, ut non sit genus; alia intermedia sunt genera simul et species; corpus enim est species substantiæ, genus viventis seu animati; vivens est species corporis, genus animalis; animal est species viventis, genus rationalis; animal rationale est species animalis et juxta errorem Platonicorum est genus hominis; homo juxta eumdem errorem est species animalis ra-

(1) Cf. quæ diximus supra, p. 4, nota 1.

tionalis, non autem est genus, sed solum species prædicabilis hominum singularium, qui non differunt specie, sed solo numero; et universim quod est immediate ante et supra singularia, est species specialissima, ac non est genus. Sicut igitur substantia est supremum ac generalissimum genus, quia non habet sub se aliam speciem; quæ vero sunt in medio, nimirum animal, vivens, etc., sunt species eorum, quibus subjiciuntur, et simul sunt genera eorum, de quibus prædicantur, ideoque duas habent habitudines, alteram ad superiora genera, secundum quam dicuntur species illorum, alteram ad inferiores species, secundum quam dicuntur genera specierum inferiorum, cum extrema, hoc est genus generalissimum ac species specialissima, unicam habeant habitudinem; nam genus generalissimum, cum non habeat supra se aliud genus, non habet habitudinem speciei subjicibilis ad genus superius, sed solum habet habitudinem generis ad species inferiores; species vero specialissima habet habitudinem speciei ad genera superiora, ad inferiora vero, hoc est ad individua, non habet aliam habitudinem, quam speciei, cum sicut est species subjicibilis superioribus generibus, sic sit species prædicabilis de inferioribus individuis, adeoque et est species continens individua inferiora et est species contenta in generibus superioribus.

7. Sic igitur definiunt genus generalissimum, quod cum sit genus, non est species; et rursus: quo non potest esse aliud superius genus. Speciem autem specialissimam sic definiunt : quæ, cum sit species, non est genus et quam, cum sit species, in species dividere non possumus; item: quæ pluribus et differentibus numero attribuitur in quæstione quid est. Media vero extremorum vocant species et genera subalterna, et unumquodque eorum genus ac speciem esse ponunt, ad aliud tamen atque aliud relatum. Nam quæ sunt ante specialissima ascendendo usque ad generalissimum, subalterna genera et species dicuntur. Ut Agamemnon est Atrides, Pelopides, Tantalides et postremum Jovis.

7. Ex dictis inferuntur *definitiones* generis generalissimi, speciei specialissimæ ac generum et specierum subalternarum. Genus generalissimum est, *quod ita est genus, ut non sit species, seu supra quod non est aliud genus;* species specialissima est, *quæ ita est species, ut non sit genus, seu non est divisibilis in alias species inferiores;* species ac genera subalterna sunt, *quæ sunt genera simul et species, sed respectu diversorum.* Respectu enim generum superiorum, quibus subjiciuntur, sunt species; respectu specierum inferiorum, de quibus prædicantur, sunt genera. Sunt autem hæc genera et species subalterna omnia intermedia, per quæ a specialissimis speciebus ascenditur ad genus generalissimum, Explicari potest hic ascensus per analogiam ad ascensum in genealogiis familiarum. Sicut enim in familiis ab aliquo ultimo ascenditur ad primum principium familiæ, ex. gr., ab ultimo, qui sit Agamemnon, ascenditur ad Jovem, qui est principium familiæ, dicendo, quod Agamemnon fuit filius Atrei, Atreus Pelopis, Pelops Tantali, Tantalus fuit filius Jovis; sic ab ultima specie ascenditur ad generalissimum genus, ex. gr., homo est sub animali, animal sub vivente, vivens sub corpore, corpus sub substantia, quæ est genus generalissimum.

8. Sed in genealogiis ad unum (verbi gratia ad Jovem) plerumque principium referunt; in generibus vero et speciebus non sic res habet; quoniam ens non est commune omnium genus, nec omnia ratione unius supremi generis sunt homogenea, ut ait Aristoteles, sed ponantur ut in Categoriis, prima illa decem genera, quasi prima decem principia. Quod si quis omnia appellet entia, homonimos (inquit) appellabit, non synonymos; etenim si ens esset commune omnium genus, omnia synonymos dicerentur entia; sed cum decem sint prima illa, communitas est in nomine tantum, non etiam in definitione ad illud nomen accommodata. Decem igitur sunt generalissima. Sed specialissima sunt quidem aliquo numero, non tamen infinito. Individua vero, quæ sunt post specialissima, sunt infinita. Idcirco cum usque ad specialissima a generalissimis descenderimus, jubebat Plato quiescere; descendere autem per ea, quæ sunt in medio, dividendo specificis differentiis. Infinita vero, inquit, omittenda, quia non potest eorum scientia comparari. Descendendo igitur ad specialissima, necesse est dividendo per multitudinem ire, ascendentes autem ad generalissima necesse est colligere multitudinem in unum. Vim enim multa in unum colligendi habet species, et adhuc magis genus; contra vero quæ sunt in parte et singulæ res unum in multa semper dividunt. Etenim speciei participatione multi homines sunt unus homo; ob eos vero qui sunt in parte et singulos, unus ille et communis est multi; quia quod est singulare, semper habet vim dividendi, quod autem est commune, habet vim colligendi et uniendi.

8. Verum hæc est *differentia inter ge-*

nealogias familiarum ac reductiones generum et specierum, quod plerumque familiæ reducuntur ad unum primum principium omnium familiarum, puta Jovem juxta errorem gentilium, vel Adamum juxta veritatem fidei. At species et genera non reducuntur ad unum generalissimum genus omnibus commune. Neque enim datur unum genus generalissimum commune omnibus entibus ac prædicamentis, ut Aristoteles docet, sed dantur decem prima genera et quasi prima principia, hoc est decem prædicamenta. Prædicamenta vero conveniunt quidem in hoc, quod sint ens, non tamen univoce, sed æquivoce vel analogice, adeoque ens non est genus. Si enim esset genus, deberet dici de prædicamentis univoce et secundum eamdem omnino rationem, cum non dicatur secundum eamdem omnino rationem, sed secundum rationem partim diversam, hoc est analogice. Genera igitur generalissima sunt decem, species specialissimæ non sunt infinitæ, sed innumeræ, individua sunt infinita, ex. gr., sunt possibiles infiniti homines. Ita dicebat Plato, quod incipiendo a generalissimis generibus, dividendo talia genera per differentias immediatas, descendendum est usque ad species specialissimas, ibique sistendum, non descendendo ad individua, quia, cum hæc sint infinita, non sunt scibilia; infinitum enim non est scibile ab intellectu finito. In hoc descensu fit progressus ab uno genere generalissimo ad multitudinem majorem et majorem, e converso in ascensu, in quo ab individuis ac speciebus ascenditur ad genera, a multitudine fit progressus ad paucitatem, donec perveniamus ad ipsum unum. Nam species colligit in unum infinita individua, genus colligit in unum innumeras species, etc. E converso plures species dividunt unum genus, plura individua dividunt unam speciem, adeoque inferius et propinquius singularibus semper est magis ac magis divisivum; superius et propinquius generi generalissimo, semper est magis ac magis adunativum.

9. Jam vero cum, quid sit genus et quid species, explicatum sit, cumque genus sit unum, species plures (quandoquidem divisio generis semper fit in plures species) genus quidem semper speciei attribuitur, et omnia superiora inferioribus; species autem nec generi proximo nec superioribus attribuitur, quia non reciprocatur. Oportet enim aut æqualia æqualibus attribui, ut equo aptum ad hinniendum, aut majora minoribus, ut animal homini, sed minora majoribus non item. Nam dicere non possis, animal esse hominem, ut dicere potes hominem esse animal. Quibus autem species attribuitur, iis etiam speciei genus necessario attribuetur et generis genus usque ad generalissimum. Nam si vere dicitur, Socratem esse hominem, hominem esse animal, animal esse substantiam : vere etiam dicetur, Socratem esse substantiam; cum enim semper superiora inferioribus attribuantur, species quidem individuo attribuetur; genus autem tam speciei quam individuo; generalissimum vero et generi, vel generibus, si plura sint media et subalterna et speciei et individuo. Nam generalissimum quidem dicitur de omnibus generibus et speciebus et individuis sub se constitutis; genus autem, quod est ante speciem specialissimam, de omnibus specialissimis et individuis; quæ vero species est dumtaxat de omnibus individuis; sed individuum de uno tantum particulari. Individuum autem dicitur Socrates, et hoc album, et hic qui accedit, et Sophronisci filius, si modo solus ei Socrates filius sit.

9. *Quoad tertium*, explicata divisione generum in subjectas species, tradit Porphyrius *regulas prædicationum*. Docet ergo, quod genera prædicantur de speciebus et superiora de inferioribus; at species non prædicantur de generibus proximis neque de superioribus. Ratio est, quia æqualia prædicantur de æqualibus, ex. gr., hinnibile prædicatur de equo, et majora seu latius patentia prædicantur de minoribus, ex. gr., animal de homine. At minora seu minus late patentia non prædicantur, saltem prædicatione naturali, de majoribus, ex. gr., homo non prædicatur de animali; sed species minus late patent quam genera : ergo species non prædicantur de generibus, licet genera prædicentur de speciebus ac de omnibus, de quibus prædicatur species. Ex. gr., quia homo prædicatur de Socrate, animal de homine, substantia de animali, ideo substantia prædicatur etiam de homine et de Socrate, ita ut verum sit, quod non solum animal, sed etiam homo et Socrates sunt substantia. Species igitur prædicatur solum de individuis; genus prædicatur de speciebus et de individuis, genus generalissimum prædicatur de omnibus generibus subalternis, de specie specialissima ac de individuis. Species specialissima prædicatur de solis individuis; individuum prædicatur de uno tantum; est autem individuum *Socrates et hic veniens et Sophronisci filius*, si solus Socrates sit filius Sophronisci.

10. Quæ autem hujuscemodi sunt, ideo dicuntur individua, quia unumquodque constat ex proprietatibus, quarum collectio nunquam in aliquo alio eadem esse potest. Nam Socratis proprietates non possunt in aliquo alio particulari eædem esse; hominis vero (communis inquam) proprietates possunt esse eædem in pluribus, immo in omnibus particularibus hominibus qua homines sunt.

11. Continetur igitur individuum a specie, species a genere; propterea quod genus est totum quoddam, individuum pars, species et totum et pars; sed pars alius, totum non alius, sed in aliis, quia totum est in partibus. De genere igitur et specie, et quid sit generalissimum, et quid specialissimum, quæque eadem sint genera et species, nec non quæ sint individua, et quot modis accipiantur genus et species, dictum est.

10. *Quoad quartum,* quia sæpius Porphyrius mentionem fecit individui, describit ipsum individuum. *Est* igitur *individuum,* quod ex proprietatibus consistit, quarum aggregatum nunquam in alio idem fiet; ex. gr., Socrates habet proprietates, quarum aggregatum nunquam in alio idem fiet. Solent autem hæ proprietates exprimi hoc versu :

Forma, figura, locus, stirps, nomen, patria, tempus.

Aggregatum talium proprietatum nunquam erit in alio individuo. Nunquam enim invenientur duo homines, qui vocentur eodem nomine, sint ex eadem stirpe, habeant similem omnino figuram, staturam, etc. Porro istæ proprietates, per quas individua ejusdem speciei differunt, ac sunt discernibilia inter se, vocantur individuales; proprietates vero, in quibus conveniunt omnia individua ejusdem speciei, vocantur specificæ, ex. gr., proprietates, in quibus conveniunt omnes homines, vocantur specificæ.

11. Ex hactenus dictis patet, quod individuum continetur sub specie, species sub genere, adeoque individuum est pars speciei, quia continetur in specie, genus est totum respectu speciei, quia continet speciem, species est totum simul et pars, respectu generis est pars, quia continetur in genere, respectu individui est totum, quia continet individuum. Sufficienter igitur dictum est de genere et specie, explicando etiam, quid sit generalissimum, quid specialissimum, quid genera et species subalternæ, quæ sunt simul genera et species, quid individuum et quot modis dicantur tum genus tum species.

CAPUT IV

DE DIFFERENTIA

1. Differentia vero communiter et proprie et maxime proprie dicatur. Communiter enim differre alterum ab altero dicitur, quod varietate distat qnomodocumque vel a semetipso vel ab alio ; differt enim Socrates a Platone varietate, et ipse a se ipso, cum est puer et cum vir effectus, et cum agit aliquid, aut agere desiit; semperque in varietatibus, quibus est aliquo modo affectus, cernitur.

2. Proprie vero differre alterum ab altero dicitur, quando inseparabili accidente alterum ab altero differt. Inseparabile autem accidens est, ut oculorum cæsius color, aut nasi aduncitas, aut cicatrix cum ex vulnere quasi callum obduxit.

3. Maxime autem proprie differre alterum ab altero dicitur, cum specifica differentia distat; ut homo ab equo differt specifica differentia, id est rationali qualitate.

4. Universaliter igitur omnis differentia alicui adjuncta, varium facit; sed quæ communiter, et quæ proprie accipiuntur, diversum efficiunt; quæ vero maxime proprie, aliud. Sane quæ faciunt aliud, specificæ vocantur; quæ autem diversum, simpliciter differentiæ Nam animali accedens « rationalis » differentia, aliud fecit et speciem animalis fecit, differentia autem a motu sumpta diversum tantum a quiescente fecit; quare altera aliud, altera diversum tantum fecit. Atque ex iis differentiis, quæ aliud faciunt, tam divisiones fiunt generum in species, quam definitiones afferuntur, quæ constant ex generibus et hujusmodi differentiis. Ex his vero quæ diversum modo efficiunt, diversitates solum consistunt, et ejus, quod aliquo modo affectum est, mutationes.

1. *Differentia dicitur tripliciter* : communiter, proprie et propriissime. *Differentia* communis est alteritas, per quam res quomodocunque differt a se ipsa vel ab alia re, eo quod alio modo se habeat, ex. gr., quia Socrates jam vir differt a se ipso puero et a Platone, aliisque adhuc pueris, et quia Socrates sedens differt a se ipso ambulante et a Platone, aliisque ambulantibus, ideo ætas, sessio, etc., alia omnia accidentia separabilia sunt differentiæ communes Socratis.

2. *Differentia propria* est accidens inseparabile a re, per quod una res differt ab alia re, ex. gr., cæsitas est differentia propria, quia est accidens inseparabile ab eo, qui habet oculos cæsios, per quod differt ab iis, qui non habent oculos cæsios, curvitas nasi ac cicatrix vulneri obducta, cum occalluerit, sunt differentiæ propriæ ex eadem ratione.

3. *Differentia propriissima* est, per quam unum specie differt ab alio, ex. gr. rationale est differentia propriissima hominis, quia homo per rationalitatem specie differt ab equo.

4. *Differentiæ* communes, propriæ et propriissimæ *conveniunt* in hoc, quod faciunt rem quodammodo alteram et alio modo se habentem; et *disconveniunt* in hoc, quod differentiæ communes et propriæ non faciunt aliud, sed solum alio modo se habens; at differentia propriissima facit aliud. Ideo possumus differentiam divisione bimembri dividere, dicendo, quod aliæ differentiæ faciunt solum alteratum, aliæ faciunt aliud; illæ, quæ faciunt aliud, sunt specificæ, ex. gr., differentia rationalis adveniens animali facit, ut homo sit aliud animal specie differens ab equo; at differentia ambulantis adveniens homini, qui ante quiescebat, non facit alium hominem, sed solum alio modo se habentem. Homo enim ambulans ac sedens est idem, sed alio modo se habet, quando ambulat, ac quando sedet. Porro divisiones generum in species non fiunt per differentias, quæ faciunt solum alteratum, sed per differentias, quæ faciunt aliud; ex. gr., si debeat animal dividi in suas species, non dividitur in animal actu ambulans et actu quiescens, sed in animal rationale et hinnibile. Similiter, cum species definiuntur per genus et differentiam, non definiuntur per differentias facientes solum alteratum, sed per differentias facientes aliud; ex. gr., homo non definitur : *animal ambulans actu*, sed *animal rationale;* per differentias vero facientes solum alteratum, explicatur tantum, quo pacto res se habeat; ex. gr., an homo ambulet vel quiescat.

5. Rursus ab initio rem repetendo dicendum est, differentiarum alias esse separabiles. Nam moveri, et quiescere, et ægrotare, et valere, et id genus cætera, separabilia sunt; naribus autem esse aduncis vel simis, aut ratione præditum vel rationis expers, sunt inseparabilia.

6. Inseparabilium autem aliæ attribuuntur per se, aliæ ex accidente. Nam rationale per se inest homini, et mortale, et disciplinæ capax esse; naribus autem esse aduncis, aut simis, ex accidente, non per se. Quæ igitur per se adsunt, in definitione adhibentur et faciunt aliud; quæ vero sunt ex accidente, nec in definitione adhibentur, nec faciunt aliud, sed diversum. Et quæ sunt per se, contentionem et remissionem non admittunt; quæ vero sunt ex accidente, quamvis sint inseparabiles, contentionem et remissionem accipiunt. Etenim neque genus magis et minus attribuitur ei, cujus est genus, neque generis differentiæ, quibus dividitur. Hæ namque sunt, quæ cujusque definitionem complent; essentia vero cujusque rei est una et eadem, ac neque contentionem admittit neque remissionem. Aduncum vero aut simum nasum habere, aut aliquo modo coloratum esse, et contenditur et remittitur.

7. Cum igitur tres species differentiæ conspiciantur, cumque aliæ sint separabiles, aliæ inseparabiles; et inseparabilium aliæ sint per se, aliæ ex accidente; rursus differentiarum per se, aliæ sunt, quibus dividimus genera in species, aliæ, quibus divisa efficiuntur species. Veluti cum hæ omnes sint per se differentiæ animalis : animatum et sensitivum, necnon rationale et irrationale, item mortale et immortale; animatum et sensitivum est differentia constituens essentiam animalis; animal namque est substantia animata sensitiva; mortale autem et immortale, necnon rationale et irrationale sunt differentiæ divisivæ animalis, quia per eas dividimus genera in species. Sed hæ differentiæ divisivæ generum completivæ sunt et constitutivæ specierum. Animal enim dividitur his differentiis, rationali et irrationali, item mortali et immortali ; sed hæ differentiæ, rationale et mortale, constituunt hominem ; rationale et immortale, Deum ; mortale et irrationale, bruta animantia. Sic etiam cum supremam substantiam dividant hæ differentiæ : animatum et inanimatum necnon sensitivum et sensu carens; animatum et sensitivum adjuncta substantiæ perficiunt animal; animatum autem et sensu carens perficiunt plantam. Quoniam igitur eædem aliquo modo acceptæ sunt constitutivæ, aliquo modo divisivæ, omnes appellantur specificæ. Atque harum maxime usus est in divisionibus generum et in definitionibus; non etiam differentiarum ex accidente inseparabilium et multo minus separabilium.

5. Verum, ut *exactius differentia dividatur* ac *melius explicetur natura differentiæ specificæ*, de qua agere intendimus, dicendum, quod *differentiæ primo dividuntur* in separabiles atque inseparabiles; ex. gr., differentiæ ambulantis ac quiescentis, ægroti ac sani, sunt differentiæ separabiles ab eo, cujus sunt differentiæ; idem enim homo aliquando ambulat, aliquando quiescit; aliquando est sanus, aliquando ægrotus. At differentiæ habentis nasum aquilinum vel simum, sunt inseparabiles ab eo, cujus sunt differentiæ; neque enim potest, qui habet nasum aquilinum, mutare illum in nasum simum; similiter etiam sunt inseparabiles differentiæ rationalis et irrationalis; neque enim animal, quod nunc est rationale, potest evadere irrationale.

6. *Secundo, differentiæ* inseparabiles

subdividuntur in differentias per se et per accidens; ex. gr., differentiæ rationalis, mortalis ac disciplinabilis, per se insunt homini; at differentiæ habentis nasum aquilinum vel simum, licet sint inseparabiles, adhuc non per se, sed solum per accidens insunt homini. Illæ igitur solæ differentiæ, quæ per se insunt, sumuntur in ratione substantiæ, hoc est, in definitione explicante essentiam rei et faciunt aliud. Differentiæ vero, quæ per accidens insunt, nec sumuntur in definitione essentiali, nec faciunt aliud, sed alteratum; ex. gr., in definitione hominis sumitur rationale, homo enim definitur animal rationale; at vero in definitione hominis non sumitur differentia habentis nasum simum, neque enim homo definitur animal habens nasum simum. Rursus differentiæ, quæ per se insunt, non suscipiunt magis et minus neque sunt capaces intentionis ac remissionis. At differentiæ etiam inseparabiles, quæ per accidens insunt, suscipiunt magis et minus, ac sunt capaces intentionis et remissionis. Ex. gr., potest quidem unus homo habere nasum magis simum aut magis aquilinum quam alius, at non potest unus homo esse magis rationalis quam alius. Ratio est, quia ipsa essentia rei non est capax intensionis ac remissionis, sed genera ac differentiæ constituunt ipsam essentiam rei: ergo genera et differentiæ non sunt capacia intensionis ac remissionis.

7. *Tertio, differentiæ per se subdividuntur* in constitutivas ac divisivas. Differentiæ constitutivæ sunt, quæ ita per se dicuntur de eo, quod dividitur, ut illud constituant ac specificent. Differentiæ divisivæ sunt, quæ ita per se dicuntur de eo, quod dividitur, ut illud non constituant; ex. gr., differentiæ per se animalis sunt non solum animatum et sensibile, sed etiam rationale et irrationale; omnes enim hæ per se dicuntur de animali; at animatum et sensibile sunt differentiæ constitutivæ animalis, quia animal constituitur per hoc, quod sit corpus animatum sensibile; at vero rationale et irrationale non sunt differentiæ constitutivæ, sed solum divisivæ animalis, quia animal non constituitur per differentias rationalis et irrationalis, sed solum per illas dividitur. Differentiæ tamen divisivæ generum sunt constitutivæ specierum; ex. gr., differentiæ rationalis et irrationalis, mortalis et immortalis, ita dividunt genus animalis, ut rationale et irrationale constituant species hominis ac Dei juxta errorem Platonicorum, qui putabant Deos, hoc est Angelos, esse animalia rationalia immortalia; irrationale vero mortale constituit speciem bestiæ. Similiter differentiæ per se divisivæ substantiæ sunt animatum et inanimatum, sensibile et insensibile. Ex his animatum et sensibile addita substantiæ constituunt animal; animatum et insensibile addita substantiæ, constituunt plantam. Quia ergo omnes differentiæ aliquo pacto sunt divisivæ, aliquo pacto constitutivæ et specificativæ, ut explicatum est, ideo omnes hæ differentiæ vocantur specificæ; his vero maxime indigemus ad divisiones generum in suas species et ad definitiones specierum, ut dictum est num. 4, cum differentiis per accidens tum separabilibus tum inseparabilibus nullo pacto indigeamus; siquidem nec genus dividitur in suas species per differentias per accidens, nec species definiuntur per differentias per accidens.

8. Quas etiam definientes inquiunt : *differentia est*, qua species superat genus. Nam homo superat animal, quia habet rationale et mortale, quandoquidem animal neque nihil horum est; (alioquin unde species haberent differentias)? neque omnes oppositas habet (quoniam idem simul haberet oppositas); sed (ut censent) *potestate* quidem omnes specierum sub se constitutarum differentias habet, *actu* vero nullam. Itaque nec ex iis quæ non sunt, aliquid fit; nec opposita simul erunt in eodem.

9. Sic quoque eam definiunt : *differentia est*, quæ pluribus et differentibus species attribuitur in quæstione quale quid est. Rationale enim et mortale cum homini attribuatur, de eo dicitur in quæstione quale quid est homo, non in quæstione quid est. Nam interroganti, quid est homo, apte respondebimus animal; interroganti autem, quale animal, apte respondebimus : esse rationale et mortale. Cum enim res constent ex materia et forma, vel iis quæ proportione respondent materiæ et formæ; quemadmodum statua ex æris materia et figura tanquam forma, sic etiam homo communis et specialis constat ex genere, quod proportione respondet materiæ, et differentia, quæ respondet formæ; totum autem hoc, animal rationale mortale, est homo, ut ibi statua.

10. Describunt etiam ita : *differentia est* id quod naturalem vim habet separandi ea quæ sub eodem genere collocantur. Nam rationale et irrationale separant hominem et equum, quæ sunt sub eodem genere, nempe sub animali.

11. Explicant etiam ita : *differentia est* id, quo quidque differt. Nam homo et equus ratione generis non differunt, cum et nos et equi simus animalia; sed rationale adjectum nos ab illis sejunxit. Item ratione præditi sumus, et nos et

angeli; sed mortale adjectum nos ab illis distinxit:

12. Qui vero diligentius et exquisitius de differentia pertractant, non aiunt, differentiam esse quodcumque separat ea, quæ sunt sub eodem genere, sed quod ad essentiam et quidditatem confert, quodque est rei pars. Nam aptum natura esse ad navigandum, non est differentia hominis, quamvis sit proprium hominis. Dicere enim possumus, animalium alia esse natura apta ad navigandum, alia minime, separantes hominem ab aliis; sed natura aptum esse ad navigandum, non habet vim complendi essentiam, nec est pars ejus, sed habilitas tantum seu aptitudo ejus; propterea quod non est talis differentia, quales sunt eæ, quæ vocantur differentiæ specificæ. Ergo specificæ differentiæ sunt, quæcunque aliam speciem efficiunt et quæcunque in rei quidditate explicanda adhibentur. Ac de differentia quidem tot dicta sufficiunt.

8. Explicatis variis divisionibus et subdivisionibus differentiæ, affert Porphyrius *quinque descriptiones differentiæ specificæ* acceptas ab antiquis. *Prima* descriptio est : differentia specifica est, per quam species abundat a genere, seu per quam species excedit genus; ex. gr., rationale est differentia hominis, quia homo non solum est animal, sed rationalis, adeoque supra animal, quod est genus, addit differentiam rationalis, cum genus animalis per se præcise neque sit rationale, neque irrationale. Sed contra hoc Porphyrius opponit : si genus non continet differentias, undenam species accipiunt differentias? Ex. gr., si animal non continet differentiam rationalis, undenam homo accipit differentiam rationalis? Respondet, quod genus non continet differentias actu, sed potentia, eo pacto, quo materia continet formas; per hoc autem salvatur, et quod genus non habeat actu simul oppositas differentias rationalis et irrationalis ex. gr.; et quod differentiæ non fiant ex nihilo, sed quodammodo educantur ex potentia generis.

9. *Secundo* describitur differentia, ut prædicabilis; quæ prædicatur de pluribus specie differentibus in eo quod tale quid est; ex. gr., differentiæ rationalis et mortalis dicuntur de homine, sed non in quid. Interroganti enim : *quid est homo?* convenienter respondetur assignando genus, ac dicendo, quod est animal; at non convenienter respondetur assignando differentiam, ac dicendo, quod est rationalis; interroganti vero : *quale animal est homo?* convenienter respondetur, quod homo est animal rationale mortale. Ratio est, quia, sicut res physice constituuntur ex materia et forma, sic metaphysice constituuntur ex genere et differentia habentibus proportionem cum materia et forma; idcirco genus se habet ut materia et ut pars determinabilis, differentia se habet ut forma et ut pars determinativa et qualificativa generis, ideoque prædicatur *in quale.* Sicut igitur statua constituitur ex ære ut materia et ex figura ut forma, sic homo constituitur ex genere animalis ut materia et ex differentiis animalis et mortalis ut forma. Sequitur vero in hac definitione differentiæ Porphyrius sententiam Platonicorum, quod non dentur differentiæ simplices et convertibiles cum speciebus, sed solum differentiæ communiores speciebus.

10. *Tertio* describitur differentia, id quod ex suapte natura dividit ea, quæ sunt sub eodem genere; ex. gr., rationale et hinnibile sunt differentiæ specificæ animalis, quia dividunt inter se hominem et equum, qui sunt sub eodem genere animalis.

11. *Quarto* describitur differentia, per quam singula differunt; ex. gr., rationalitas et hinnibilitas sunt differentiæ hominis et equi, quia homo et equus, qui conveniunt in genere animalis, differunt per hoc, quod homo est animal rationale, equus est animal hinnibile. Rursus homines et angeli juxta errorem Platonicorum non differunt, sed conveniunt in hoc, quod sint animalia rationalia, differunt vero per mortalitatem et immortalitatem. Nam angeli juxta illum errorem sunt animalia rationalia immortalia, homines sunt animalia rationalia mortalia.

12. *Quinto* demum qui magis intime penetrarunt naturam differentiæ specificæ, afferunt aliam descriptionem magis exactam, ac dicunt, quod differentia specifica non est quodlibet eorum, quæ dividunt ea, quæ sunt in eodem genere; sed est illud, quod ita dividit singula, ut spectet ad essentiam et quidditatem rei, et est pars quidditativa ipsius; ex. gr., licet homo dividatur ab aliis animalibus per hoc quod, cum cætera animalia non sint apta ad navigandum, homo est animal capax artis nauticæ et ad navigandum aptum; adhuc aptitudo ad navigandum non est differentia specifica hominis, quia non spectat ad essentiam hominis, sed est quædam proprietas consequens ad rationalitatem, quæ est hominis essentia. Sunt igitur differentiæ specificæ,

quæ ita dividunt species et faciunt alias, ut sint partes quidditativæ specierum. Hoc autem, quod differentia sit pars quidditativa speciei, debet subintelligi in omnibus aliis allatis descriptionibus. Illud enim, quo species abundat supra genus; et quod est prædicabile de pluribus differentibus specie in quid; et quod suapte natura dividit ea, quæ sub eodem genere sunt; et per quod differunt singula; adhuc non est differentia specifica, si non sit pars quidditativa speciei.

CAPUT V

DE PROPRIO

1. Proprium autem dividunt quadrifariam. Nam proprium est, et quod soli alicui speciei accidit, etsi non omni; ut homini mederi aut geometræ officio fungi.

2. Et quod accidit omni speciei, etsi non soli; ut homini bipedem.

3. Et quod soli et omni et aliquando; ut omni homini accidit in senectute canescere.

4. Et quarto id, in quo hæc concurrunt: soli, et omni, et semper; ut homini aptum esse ad ridendum. Nam, etsi non semper ridet, tamen dicitur aptum ad ridendum, non quod semper rideat, sed quod natura aptus sit ad ridendum; hoc autem ei semper natura insitum est; ut equo aptum esse ad hinniendum. Atque hæc propria esse inquiunt, quia reciprocantur; si quid enim est equus, est aptum ad hinniendum; et si quid est aptum ad hinniendum, est equus.

1. *Proprium dicitur quadrupliciter. Primo* proprium est, quod convenit solum alicui speciei, sed non convenit omnibus individuis talis speciei; ex. gr., *esse medicum ac geometram*, est proprium hominis, quia solus homo potest esse medicus ac geometra, licet non omnis homo sit medicus aut geometra.

2. *Secundo* proprium est, quod convenit omni, sed non soli; ex. gr., *esse bipedem*, est proprium hominis, quia omnis homo est bipes, sed non solus homo est bipes, cum etiam gallina sit bipes.

3. *Tertio* proprium dicitur, quod convenit omni et soli, sed non semper; ex. gr., in senectute canescere, est proprium hominis, quia omnis et solus homo canescit, sed non semper, sed aliquando, hoc est in senectute.

4. *Quarto* proprium dicitur, quod convenit omni, soli et semper; ex. gr., *esse risibile*, est proprium hominis, quia omnis et solus homo et semper est risibilis. Licet enim homo non semper rideat, adhuc ex sua natura semper est aptus ad ridendum, sicut, licet equus non semper hinniat, adhuc ex sua natura semper est aptus ad hinniendum. — Propria quarto modo constituunt quartum prædicabile, et vocantur proprie propria et dicuntur de specie convertibiliter; sicut enim omnis equus est hinnibilis, sic omne hinnibile est equus.

CAPUT VI

DE ACCIDENTE

1. Accidens vero est, quod adest et abest sine subjecti interitu. Dividitur autem in duo genera, nam aliud est separabile, aliud inseparabile. Utputa dormire est accidens separabile; nigrum autem esse, ita accidit corvo et Æthiopi, ut separari nequeat; sed potest *intelligi* corvus albus, et Æthiops abjecto colore sine interitu subjecti.

2. Sic etiam definiunt: accidens est, quod contingit eidem inesse et non inesse. Et: quod neque est genus, neque differentia, nec species, nec proprium, semper autem in subjecto inhæret.

1. *Accidens est*, quod adest et abest præter subjecti corruptionem. Dividitur in accidens separabile et accidens inseparabile; ex. gr., actus dormiendi est accidens separabile ab homine, quia homo ita dormit, ut possit non dormire; e converso, nigredo est accidens inseparabile a corvo et ab Æthiope. Hinc oritur difficultas, quo pacto accidenti inseparabili conveniat definitio accidentis, per quam dicitur esse id, quod potest adesse et abesse præter subjecti corruptionem, cum accidens inseparabile, ex. gr., nigredo non possit separari a corvo vel Æthiope, quin corrumpatur. Respondet Porphyrius, quod potest intelligi corvus ac Æthiops albus, quin corrumpatur; ergo accidens inseparabile potest per intellectum abesse, præter subjecti corruptionem, quod sufficit ad definitionem.

2. *Definitur etiam accidens*, quod contingit eidem inesse vel non inesse. Definitur rursus, quod neque est genus, neque species, neque differentia, neque proprium; semper autem est in subjecto subsistens. Concludit Porphyrius, quod, cum actum sit de quinque prædicabilibus, agendum est de iis, in quibus conveniunt, ac de iis, in quibus differunt, seu de communitatibus ac differentiis quinque prædicabilium.

CAPUT VII

DE COMMUNITATIBUS AC DIFFERENTIIS, SEU DE CONVENIENTIIS AC DISCONVENIENTIIS QUINQUE PRÆDICABILIUM.

1. Expositis separatim omnibus, quæ proposita fuerunt, nimirum genere, specie, differentia, proprio, accidente; dicendum est, *quænam sint eis communia et quæ propria*. Commune igitur omnium est, pluribus attribui, ut dictum fuit. Sed genus attribuitur speciebus et individuis, quæ sub se sunt, itidemque differentia. Species autem individuis sub se constitutis. Proprium vero attribuitur speciei, cujus est proprium, et individuis, quæ sub ea specie sunt. Accidens autem et speciebus et individuis. — Nam animal attribuitur equo et bovi, quæ sunt species; necnon huic equo et huic bovi, quæ sunt individua. Rationis autem expers attribuitur equo et bovi, particularibusque equis ac bobus. At species, ut homo, solis particularibus attribuitur. Proprium vero attribuitur et speciei, cujus est proprium, et individuis sub ea specie constitutis; ut aptum ad ridendum et homini et particularibus hominibus. Nigrum vero attribuitur speciei corvorum et particularibus corvis, cum sit accidens inseparabile. Item moveri homini et equo, cum sit accidens separabile; sed primum attribuitur individuis, secundo autem loco etiam iis, quæ continent individua.

Postquam Porphyrius egit de quinque prædicabilibus secundum se consideratis, comparat illa inter se, ut explicet, in quibus invicem conveniant et in quibus differant. Ac primo universim explicat, quo pacto omnia quinque prædicabilia conveniant ac differant in hoc, quod de pluribus prædicentur; *secundo* explicat ea, in quibus genus convenit ac differt cum differentia, specie, proprio et accidente; *tertio* explicat ea, in quibus differentia convenit ac differt a specie, proprio et accidente; *quarto* explicat ea, in quibus species convenit ac differt a proprio et accidente; *quinto* demum explicat ea, in quibus conveniunt ac differunt proprium et accidens; et per hæc concludit suam introductionem.

1. *Quoad primum*, omnia quinque prædicabilia conveniunt in hoc, quod prædicantur de pluribus; at genus et differentia prædicantur de omnibus speciebus inferioribus et de omnibus individuis, quæ sunt sub talibus speciebus; species prædicatur de omnibus individuis; proprium prædicatur de specie, cujus est proprium, ac de individuis talis speciei; accidens demum prædicatur primo et per se de individuis, secundario de speciebus. Explicatur exemplis: animal, quod est genus, prædicatur de homine, leone, equo, etc., et præterea de omnibus singularibus hominibus, leonibus, equis, etc. Irrationale, quod est differentia, prædicatur de bove, leone, equo et omnibus bestiis, et præterea de omnibus individuis talium specierum. Homo, qui est species, prædicatur solum de singularibus hominibus, Socrate, Callia, etc. Risibile, quod est proprium hominis, prædicatur de homine, cujus est proprium, et de omnibus singularibus hominibus. Nigrum, quod est accidens inseparabile a corvo, prædicatur de specie corvi ac de omnibus singularibus corvis. Moveri, quod est accidens separabile, prædicatur de homine et equo, et aliis speciebus animalium, et præterea de singularibus hominibus, equis, etc., sed primo et per se de individuis, secundario de speciebus. Homo enim et equus in tantum dicuntur moveri et ambulare, in quantum homines et equi singulares moventur et ambulant.

2. Commune est generis ac differentiæ habere vim continendi species. Nam et differentia continet species, etsi non omnes quas genus. Rationale enim, etsi non continet ea, quæ sunt rationis expertia, ut animal, at certe continet angelum et hominem, qui sunt species.

3. Et quæcumque attribuuntur generi, ut genus est, etiam speciebus ei subjectis attribuuntur. Et quæcumque attribuuntur differentiæ, ut differentia est, etiam speciei ex ea ortæ attribuentur. Cum enim animal sit genus, ei tanquam generi attribuitur substantia, et animatum, et sensu præditum, sed et omnibus speciebus animali subjectis hæc attribuuntur usque ad individua. Cumque rationale sit differentia, ei tanquam differentiæ attribuitur ratione uti, nec solum rationali, sed etiam speciebus rationali subjectis attribuetur ratione uti.

4. Sed et hoc commune est, sublato genere aut differentia, tolli etiam quæ sub eis sunt. Ut enim, nisi sit animal, non est equus nec homo; sic, nisi sit rationale, nullum erit animal ratione utens.

2. *Quoad secundum, genus convenit cum differentiis in tribus, differt in sex*, et etiam in aliis. *Primo* ergo genus et differentia conveniunt in hoc, quod sicut genus, sic etiam differentia continet sub se species, licet non omnes, quas continet genus; ex gr., sicut genus animalis continet sub se hominem, leonem et alias species animalium, sic differentia irrationalis continet sub se leonem, equum et plures

species animalium, licet non omnes; non enim continet hominem, qui tamen continetur in genere animalis. Differentia etiam rationalis, licet non contineat sub se species irrationalium, adhuc continet sub se species hominis et angeli, juxta errorem Platonicorum, quod angeli sint animalia rationalia immortalia.

3. *Secundo* convenit in hoc, quod sicut, quæ prædicantur de genere ut genere, prædicantur etiam de speciebus, quæ continentur sub tali genere; sic quæ prædicantur de differentia ut differentia, prædicantur etiam de speciebus contentis sub tali differentia; ex gr., de animali ut genere prædicatur substantia animata sensibilis; ideoque hæc omnia sunt prædicabilia de homine, leone atque omnibus speciebus et individuis animalium; homo enim et omnes homines singulares sunt substantia animata sensibilis; equus et omnes equi singulares sunt substantia animata sensibilis, etc., proportionaliter, sicut de differentia rationalis prædicatur hoc, quod est *ratione uti*, sic hoc ipsum, quod est *ratione uti* prædicatur de omnibus speciebus et individuis rationalium.

4. *Tertio* genus et differentia conveniunt in hoc, ut ablatis generibus et differentiis auferantur omnia, quæ sunt sub ipsis, ideoque valet : *non est animal; ergo non est homo nec equus*, etc. Proportionaliter valet; *non est rationale; ergo nec est homo, nec angelus*, posito, quod etiam angelus sit rationalis, ut supponit Porphyrius.

5. Proprium autem generis est, pluribus attribui quam differentiam, et speciem, et proprium, et accidens. Nam animal de homine, et equo, et ave, et angue dicitur; quadrupes autem de iis solis, quæ quatuor pedes habent; homo vero de solis individuis: et aptum ad hinniendum de solo equo et particularibus equis; itidemque accidens de paucioribus. Oportet autem differentias accipere, quibus dividitur genus, non completivas essentiæ generis, sed divisivas.

6. Præterea genus differentiam continet potestate; nam animal partim est rationis particeps, partim expers; differentiæ vero non continent genera.

7. Præterea genera sunt priora differentiis sub se positis. Idcirco si tollantur, eas una tollunt, sed ab illis una non tolluntur. Sublato enim animali, simul tollitur rationale et irrationale; differentiæ autem non simul tollunt genus. Nam licet omnes tollantur, tamen substantia animata, sentiendi facultate prædita, intelligitur, quæ quidem est animal.

8. Præterea genus attribuitur in quæstione, quid est; differentia in quæstione, quale quid est, ut jam dictum fuit.

9. Præterea in quaque specie unum est genus, ut hominis genus est animal; differentiæ autem multæ, ut rationale, mortale, intelligentiæ ac scientiæ capax, quibus ab aliis animalibus homo differt.

10. Ac genus quidem assimilatur materiæ, differentia vero formæ. Cum autem alia quoque sint communia et propria generis et differentiæ, tot exposuisse sufficiat.

5. *Primo genus differt a differentia* in hoc, quod genus prædicatur de pluribus quam differentia divisiva generis, et quam reliqua prædicabilia; ex gr., animal, quod est genus, prædicatur de omnibus speciebus animalium, puta de homine, equo, serpente, ave, etc.; at quadrupes, quod est differentia divisiva animalis, non prædicatur de omnibus his; non enim de homine, nec de serpente, nec de multis avibus, sed de solis speciebus animalium quadrupedum. Homo, qui est species animalis, prædicatur de solis hominibus singularibus; hinnibile, quod est proprium equi, prædicatur de sola specie equi ac de ejus individuis; accidens etiam prædicatur de paucioribus, quam genus; ex. gr., accidens nigri non prædicatur de omnibus animalibus, sed solum de aliquibus, puta de corvo. Dum vero dictum est, quod genus prædicatur de pluribus quam differentia, debet intelligi de differentia divisiva, non vero de constitutiva; neque enim animal prædicatur de pluribus quam sensitivum, quod est differentia constitutiva animalis.

6. *Secundo* genus differt a differentia in hoc, quod genus continet differentias divisivas potestate, differentiæ non continent genus; ex. gr., animal continet potestate rationale et irrationale, cum possit esse rationale et irrationale; at differentiæ rationalis et irrationalis non continent animal, sed continentur in animali.

7. *Tertio* genus est prius differentiis divisivis prioritate a subsistendi consequentia, quæ consistit in hoc, ut ablato genere auferantur differentiæ, ablatis differentiis non eo ipso auferantur genera; ex. gr., si non est animal, neque est rationale, neque irrationale; at si non est rationale, non sequitur, quod non sit animal. Et licet ablatis omnibus differentiis auferatur genus a parte rei, non tamen aufertur per intellectum; ex. gr., licet auferantur omnes differentiæ animalis,

adhuc potest intelligi animal, hoc est substantia animata sensibilis.

8. *Quarto* genus prædicatur in quid, differentia in quale quid, ut explicatum est cap. II, num. 5, et cap. IV, num. 9.

9. *Quinto* genus in unaquaque specie est unum, differentiæ plures; ex gr., genus hominis est unum, hoc est animal; differentiæ sunt plures, hoc est rationale, mortale, disciplinæ susceptivum, etc.

10. *Sexto* demum genus est simile materiæ, differentia est similis formæ. — Possunt etiam assignari alia, in quibus genus ac differentia conveniunt et disconveniunt; sed hæc sufficiunt.

11. Genus et species commune hoc habent, pluribus (ut dictum est) attribui. Accipiatur autem species ut species tantum, non etiam ut genus, si forte idem sit tam species quam genus. Commune etiam his est, priora esse iis, quibus attribuuntur; et utrumque esse totum quiddam.

12. Differunt autem, quia genus continet species, at species continentur, non continent genera. Genus enim pluribus attribuitur quam species.

13. Præterea opus est, ut prius subjiciantur genera et efformata specificis differentiis perficiant species; unde etiam natura priora sunt genera. Et una tollunt, non una tolluntur. Nam, si species sit, omnino est etiam genus; quod si genus sit, non omnino est species.

14. Ac genera quidem synonymos attribuuntur speciebus sibi subjectis, non item species generibus.

15 Præterea genera superant specierum sibi subjectarum comprehensione; species autem superant genera propriis differentiis.

16. Præterea nec species potest fieri generalissimum, nec genus specialissimum.

11. Explicata prima comparatione generis cum differentia, procedit Porphyrius ad *secundam comparationem* : *generis cum specie.* Quia vero species subalternæ sunt simul species et genus, quando comparantur cum genere, debent considerari præcise in quantum sunt species. Genus et species *conveniunt in tribus, differunt in quinque. Primo* genus et species *conveniunt* in hoc, quod prædicantur de pluribus; *secundo* conveniunt in hoc, quod sunt priora a subsistendi consequentia inferioribus, de quibus prædicantur ; *tertio* conveniunt in hoc, quod sunt quoddam totum.

12. *Differunt primo* in hoc, quod genus continet species sub se, cum de pluribus prædicetur quam species; at species, cum de paucioribus prædicentur quam genera, continentur sub genere et non continent genera.

13. *Secundo* differunt, quod genera præjacent ad modum materiæ, ita ut ex generibus ut informatis per differentias specificas fiant species; ex. gr., animal substat differentiis rationalis, hinnibilis, etc. Ex animali vero ut informato differentia rationalis, fit species hominis; ex eodem ut informato differentia hinnibilis, fit species equi, etc. Hinc oritur, ut genera sint priora a subsistendi consequentia speciebus, ita ut ablatis generibus auferantur species, non e contra; positis speciebus ponantur genera, non e contra. Valet enim : *non est animal; ergo non est homo*; at non valet : *non est homo; ergo non est animal.* Similiter valet: *est homo ; ergo est animal ;* non valet : *est animal ; ergo est homo.*

14. *Tertio* differunt in hoc, quod genera prædicantur de speciebus univoce, species vero non prædicantur de generibus saltem prædicatione naturali. Dicitur enim : *homo est animal:* at non dicitur nisi prædicatione innaturali, quod *animal est homo.*

15. *Quarto* genus supra singulas species addit alias species, quas continet potentia; species supra genus addit differentias, quas continet actu; ex. gr., animal ultra hominem dicit in potentia equum, avem, etc.; homo ultra animal includit actu differentiam rationalis.

16. *Quinto* neque species fient unquam quid generalissimum, neque genus quid specialissimum.

17. Generi cum proprio commune est, sequi species; nam si quid est homo, est animal; et si quid est homo, est aptum ad ridendum.

18. Item æque attribui genus speciebus et proprium individuis, quæ ipsum participant. Homo enim et bos æque est animal, et Anytus atque Melitus æque est res apta ad ridendum.

19. Commune etiam est synonymos attribui genus propriis speciebus, et proprium iis, quorum fuerit proprium.

20. Differunt autem, quia genus est prius, proprium est posterius. Primum enim oportet esse animal, postea dividi differentiis et propriis.

21. Ac genus quidem pluribus speciebus attribuitur; proprium vero uni alicui speciei, cujus est proprium.

22. Præterea proprium reciprocatur cum eo, cujus est proprium; genus autem cum nullo reciprocatur; neque enim, si quid est animal, continuo est homo; nec, si quid est animal, continuo

est aptum ad ridendum. At si quid est homo, est aptum ad ridendum; vicissimque si est aptum ad ridendum, est homo.

23. Præterea proprium inest in tota specie, cujus est proprium, et sola et semper; genus vero inest quidem in tota specie, cujus est genus et semper, non tamen sola.

24. Præterea propria sublata non simul tollunt genera; sed genera sublata secum una tollunt species, quarum sunt propria; quare iis, quorum sunt propria, sublatis, ipsa quoque propria simul tolluntur.

17. Procedit jam Porphyrius ad *tertiam comparationem : generis cum proprio*. Genus et proprium *conveniunt in tribus, disconveniunt in quinque. Primo conveniunt* in hoc, quod est sequi species per legitimam consequentiam. Sicut enim ex specie infertur genus, sic infertur proprium. Valet enim : *est homo; ergo est animal;* valet similiter : *est homo; ergo est risibilis.*

18. *Secundo* conveniunt in hoc, quod sicut genus æqualiter prædicatur de speciebus inferioribus, sic proprium æqualiter prædicatur de individuis inferioribus; ex. gr., sicut equus et bos æque sunt animal et æqualiter participant rationem animalis, sic Socrates et Plato æque sunt risibiles et æqualiter participant rationem risibilis.

19. *Tertio* conveniunt in hoc, quod sicut genus univoce prædicatur de subjectis speciebus, sic proprium univoce prædicatur de iis, quorum est proprium; ex. gr., sicut animal univoce dicitur de homine et leone, sic risibile univoce dicitur de Socrate et Platone.

10. *Differunt primo,* quod genus est prius, proprium posterius. Primo enim est animal, deinde dividitur per differentias specificas in rationale et irrationale, et per proprietates in risibile, hinnibile, etc.

11. *Secundo* genus prædicatur de pluribus speciebus, proprium de unica specie, cujus est proprium; ex. gr., animal, quod est genus hominis, non solum prædicatur de specie hominis, sed etiam de speciebus aliorum animalium; at risibile, quod est proprium hominis, prædicatur solum de specie hominis.

22. *Tertio* proprium prædicatur convertibiliter de specie, cujus est proprium; at genus non prædicatur convertibiliter; ex. gr., valet : *est homo; ergo est animal;* at non valet e converso : *est animal; ergo est homo.* Neque enim sicut omnis homo est animal, sic omne animal est homo. At sicut valet : *est homo; ergo est risibilis,* sic valet etiam : *est risibile; ergo est homo;* sicut enim omnis homo est risibilis, sic omne risibile est homo.

23. *Quarto* proprium inest omni speciei, cujus est proprium, et soli et semper; at genus convenit omni speciei, cujus est genus, et semper, sed non soli; ex. gr., omnis et solus homo ac semper est risibilis; at, licet omnis homo sit animal ac semper sit animal, non tamen solus est animal.

24. *Quinto,* licet ablatis ac interemptis generibus auferantur et interimantur species, non tamen ablatis et interemptis speciebus, auferuntur genera; valet enim : *non est animal; ergo non est homo;* at non valet : *non est homo; ergo non est animal;* at et ablatis speciebus auferuntur propria, et ablatis propriis auferuntur species; ex. gr., si non est homo, non est risibilis; et rursus, si non est risibilis, non est homo.

25. Generis et accidentis commune est pluribus (ut dictum est) attribui, sive sit ex accidentibus separabilibus sive ex inseparabilibus. Etenim et moveri pluribus attribuuntur, et nigrum corvis Æthiopibusque ac nonnullis anima carentibus.

26. Differt autem genus ab accidente, quia genus est prius propriis speciebus, accidentia vero sunt speciebus posteriora; nam etiamsi accipiatur accidens inseparabile, tamen prius est id, cui accidit, quam accidens.

27. Ac genus quidem quæ participant, æque participant; accidens autem non æque, quoniam contentionem ac remissionem recipit accidentium participatio, generum non item.

28. Et accidentia primum sunt in individuis, genera vero et species natura priora sunt individuis substantiis.

29. Et genera iis, quæ sub se sunt, attribuuntur in quæstione, quid est; accidentia vero in quæstione, quale quid est, aut quomodo se habet unumquodque. Interrogatus enim : qualis est Æthiops, dices, esse nigrum; aut : quomodo se habet Socrates, dices, eum ægrotare aut valere.

25. Sequitur *quarta comparatio : generis cum accidente.* Genus et accidens *conveniunt in uno, differunt in quatuor. Conveniunt in hoc,* quod tum genus tum accidens, seu separabile seu inseparabile prædicantur de pluribus; ex. gr., moveri, quod est accidens separabile, dicitur de pluribus; esse nigrum, quod est accidens inseparabile, dicitur pariter de pluribus, nimirum de corvis, de Æthiopibus, etc.

26. *Differunt primo,* quod genus est

prius speciebus; accidentia, etiam inseparabilia, sunt posteriora; ex. gr., prius est esse corvum quam esse nigrum, cum nigrum accidat corvo ut subjecto.

27. *Secundo* differunt, quod quæ participant genus, æqualiter de ipso participant; at quæ participant de accidentibus, possunt de ipsis participare inæqualiter, cum accidentia suscipiant magis et minus, ac sint capacia intentionis ac remissionis; ex. gr., omnia animalia sunt æque animalia, at non omnia alba sunt æque alba, sed quædam sunt magis alba, quædam minus.

28. *Tertio* accidentia principaliter sunt, subsistunt ac fundantur in individuis; ex. gr., albedo est in hoc subjecto; at genera et species naturaliter sunt priora individuis, etiam substantialibus; videtur vero hoc Porphyrius dicere in sententia Platonis, ponentis ideas priores singularibus.

29. *Quarto* genera de inferioribus prædicantur *in quid*, accidentia *in quale* vel in hoc, quod quomodocumque res se habeat secundum alia prædicamenta; ex.gr., *esse album* prædicatur de homine ut qualitas; *esse bipalmarem* prædicatur ut quantitas. Si enim quis interroget, quomodo Socrates se habeat, respondemus, quod sedet, et sic prædicamus situm, vel respondemus, quod ambulat, adeoque prædicamus actionem vel motum.

30. Quid igitur genus ab aliis quatuor differat, dictum est. Accidit autem, ut et unumquodque aliorum a reliquis quatuor differat; quare cum quinque sint, et unumquodque ab aliis quatuor differat, quater quinque accepta, fiunt viginti differentiæ omnes. Verum non ita se res habet, sed, cum semper quæ deinceps sunt connumerentur; et in secundo una differentia deficiat, quia jam sumpta est; in tertio duæ; in quarto tres; in quinto quatuor; profecto decem fiunt cunctæ differentiæ: quatuor, tres, duæ, una. Nam qua genus differat a differentia et specie et proprio et accidente, dictum est. Quatuor igitur sunt hæ differentiæ. Differentia vero, qua distet a genere, dictum est, cum dicebatur, qua genus ab ea differret. Quod autem reliquum est, quomodo differat a specie, a proprio, ab accidente, dicetur; fiuntque tres differentiæ. Rursus, quomodo species differat a differentia, dictum erit, cum dictum fuerit, quomodo differentia differat a specie. Quomodo autem differat species a genere, dictum fuit, cum dicebatur, quomodo differat genus a specie. Quod igitur restat, quomodo species differat a proprio et ab accidente, dicetur. Ergo duæ sunt hæ differentiæ. Proprium vero quomodo ab accidente differat, tandem explicandum relinquetur; nam, quomodo a specie, differentia et genere differat, dictum antea fuit in eorum ab his jam exposita differentia. Cum igitur quatuor differentiæ sumantur generis a cæteris, tres autem differentiæ, duæ speciei, una proprii ab accidente; decem erunt omnes differentiæ, ex quibus quatuor, quæ sunt generis a cæteris, jam ostendimus.

30. *Quoad tertium*, explicatis quatuor comparationibus generis cum quatuor aliis prædicabilibus, procedit Porphyrius ad explicandas alias comparationes. Præmittit quod, quia prædicabilia sunt quinque, adeoque unumquodque eorum potest comparari cum quatuor reliquis, quinque vero quatuor sumpta faciunt viginti, possibiles videntur *viginti* comparationes prædicabilium. Quia rursus comparatio generis cum differentia coincidit cum comparatione differentiæ cum genere, idemque dic de reliquis, ideo decem comparationes coincidunt cum aliis decem, adeoque *viginti comparationes reducuntur ad decem*. *Prima* est generis cum differentia; *secunda* generis cum specie; *tertia* generis cum proprio; *quarta* generis cum accidente. Et quia comparatio differentiæ cum genere coincidit cum comparatione generis cum differentia, illa omissa dantur tres aliæ comparationes differentiæ, ac *quinta* comparatio est differentiæ cum specie; *sexta* differentiæ cum proprio; *septima* differentiæ cum accidente. Et quia comparationes speciei cum genere ac differentia coincidunt cum secunda ac quinta comparatione generis cum specie ac differentiæ cum specie, ideo illis omissis dantur duæ comparationes speciei, ac *octava* comparatio est speciei cum proprio; *nona* est speciei cum accidente. Demum quia comparationes proprii cum genere, differentia et specie coincidunt cum comparationibus jam enumeratis generis, differentiæ ac speciei cum proprio, superest solum unica comparatio proprii cum accidente, quæ est *decima* et ultima; nam comparationes accidentis cum genere, differentia, specie et proprio coincidunt cum jam enumeratis comparationibus generis, differentiæ, speciei ac proprii cum accidente.

31. Commune igitur differentiæ cum specie est, æque communicari; hominis enim æque participes sunt particulares homines, necnon rationalis differentiæ. Commune etiam est, semper adesse iis, quæ participant; semper enim Socrates est rationalis et semper Socrates est homo.

32. Proprium autem est differentiæ quidem, attribui in quæstione, quale quid est, speciei vero in quæstione, quid est; nam etsi homo, ut quale quid, accipiatur, non simpliciter est quale, sed qua generi accidentes differentiæ eum constituerunt.

33. Præterea differentia in multis speciebus sæpe cernitur, ut quadrupes in pluribus animalibus specie differentibus; species autem est in solis individuis sibi subjectis.

34. Præterea differentia est prior specie, quam constituit. Rationale enim sublatum secum una hominem tollit; homo autem sublatus non tollit rationale, cum angelus sit.

35. Præterea differentia conjungitur cum alia differentia (nam rationale et mortale simul juncta sunt ad hominem constituendum) species vero cum specie non conjungitur, ut inde gignatur alia quædam species; quædam enim equa cum quodam asino coit ad mulum gignendum, sed equus simpliciter asino conjunctus nequaquam mulum efficiet.

31. Hoc præmisso descendit Porphyrius ad explicandas tres comparationes differentiæ cum specie proprio et accidente. *Differentia et species conveniunt in duobus, differunt in quatuor. Primo conveniunt* in hoc, quod, sicut inferiora æqualiter participant de specie, sic æqualiter participant de differentia. Sicut enim Socrates et Plato sunt æque homines, sic sunt æque rationales. *Secundo* conveniunt in hoc, quod semper competunt iis, de quibus dicuntur. Sicut enim Socrates et Plato semper sunt homines, sic semper sunt rationales.

32. *Primo differunt,* quod species prædicatur *in quid,* differentia in *quale quid.* Licet enim homo, qui est species, videatur dici in *quale quid,* tamen eatenus solum dicitur in *quale quid,* quatenus includit differentiam, quæ dicitur in *quale quid.*

33, *Secundo* differunt, quod differentia sæpe invenitur in pluribus speciebus, eo pacto, quo differentia quadrupedis invenitur in pluribus speciebus quadrupedum; at species ut species invenitur solum in pluribus individuis, eo pacto, quo homo invenitur solum in pluribus hominibus. Species vero subalterna, in quantum habet sub se plures species, habet rationem generis, non speciei.

34. *Tertio* differentia habet prioritatem a subsistendi consequentia respectu speciei, quam constituit; ex. gr., rationale est prius a subsistendi consequentia, quam homo; si enim non est rationale, non est homo; at, etiamsi non sit homo, potest esse rationalis, juxta sententiam Platonicorum, quod angeli sint proprie rationales.

35. *Quarto* plures differentiæ possunt simul componi et conjungi ad faciendam unam speciem; at plures species non possunt simul componi et conjungi; ex. gr., differentiæ rationalis et mortalis simul componuntur ad faciendam speciem hominis; at homo et equus non possunt simul conjungi ad faciendam aliam tertiam speciem. Licet enim aliqua equa singularis possit conjungi asino ad generandum mulum, tamen simpliciter species equæ et asini conjungi nequeunt.

36. Differentia et proprium commune hoc habent, æque communicari iis, quibus communicantur; æque enim rationalia sunt rationalia, et apta ad ridendum sunt æque apta ad ridendum. Commune etiam utrisque est, semper et omni adesse; quamvis enim bipes mutilatum sit, tamen ad id, quod natura comparatum est, illud « semper » refertur; nam et aptum ad ridendum, eo quod natura comparatum est, habet illud « semper », non quod semper rideat.

37. Proprium autem est differentiæ, quod ipsa quidem de pluribus speciebus sæpe dicitur; ut rationale de angelo et de homine; at proprium de una specie, cujus est proprium. Ac differentia quidem iis consequens est, quorum est differentia, non tamen reciprocatur; propria vero vicissim attribuuntur iis, quorum sunt propria, quia reciprocantur.

36. Sequitur *sexta comparatio:* differentiæ cum proprio. *Differentia et proprium conveniunt in duobus, differunt in duobus. Primo conveniunt* in hoc, quod æqualiter participantur ab iis, quibus conveniunt. Sicut enim omnes homines sunt æqualiter rationales, sic sunt æqualiter risibiles. *Secundo* conveniunt in hoc, quod competunt omni, soli et semper. Sicut enim omnis homo et semper est rationalis; sic omnis homo et semper est risibilis. Ad vitandas æquivocationes advertit Porphyrius, quod proprietates ac differentiæ debent sumi secundum naturalem aptitudinem, non secundum actum; ex. gr., differentia hominis non est *habere actu duos pedes;* potest enim dari homo habens actu unicum pedem, eo quod alter sit illi amputatus; sed differentia hominis est, *ex sua natura esse aptum ad habendum duos pedes.* Proportionaliter proprium quarto modo hominis non est *actu ridere,* sed *ex sua natura esse aptum ad ridendum.*

37. *Disconveniunt* differentia et pro-

prium *primo* in hoc, quod sæpe differentia dicitur de pluribus speciebus; at proprium dicitur tantum de unica specie, cujus est proprium; ex. gr., *esse rationale* dicitur de homine et angelo juxta Platonicos; at *esse risibile* de solo dicitur homine. *Secundo* differentia sequitur per legitimam consequentiam ex iis, quorum est differentia, sed non dicitur de illis ad convertentiam ; at proprium dicitur ad convertentiam de specie, cujus est proprium ; ex. gr., rationale dicitur quidem de omni homine, sed non e converso, omne rationale est homo, cum angeli juxta Platonicos sint rationales, et non sint homines; at risibile dicitur de homine ad convertentiam.

38. Differentiæ et accidenti commune est, in pluribus dici. Item commune est cum accidentibus inseparabilibus semper et omni adesse, nam et bipes semper adest homini, itidemque nigror omnibus corvis.

39. Differunt autem, quia differentia continet species, neque ab eis continetur; rationale enim continet hominem et angelum. Accidentia vero aliquo modo continent, quia sunt in pluribus; aliquo modo continentur, quia subjecta non unius accidentis, sed plurium sunt susceptiva.

40. Ac differentia quidem non potest contendi et remitti, accidentia vero contentionem et remissionem recipiunt.

41. Et differentiæ contrariæ misceri nequeunt; accidentia autem contraria misceri interdum possunt. — Tot sunt communitates et proprietates differentiæ et aliorum *categorematum*. Qua vero species differat a genere et a differentia, dictum est, cum exposuimus, qua genus differt ab aliis et qua differentia differt ab aliis. Quod reliquum est, qua species differat a proprio et ab accidente, nunc dicetur.

38. *Septima comparatio* est differentiæ cum accidente. *Differentia et accidens conveniunt in duobus et differunt in tribus. Primo conveniunt* in hoc, quod dicuntur de pluribus. *Secundo* differentia et accidentia inseparabilia conveniunt in hoc, quod competunt omni et semper. Sicut enim omnis homo et semper est bipes, sic omnis corvus et semper est niger.

39. *Differunt primo*, quia differentiæ continent species et non continentur a speciebus, cum differentiæ latius pateant quam species ; eo pacto, quo rationale, quia juxta Platonicos convenit angelis, latius patet quam homo. At accidentia ita continent species, ut etiam contineantur a speciebus; continent, in quantum conveniunt pluribus speciebus ; continentur, in quantum species continent plura accidentia ; ex gr., album continet hominem, in quantum convenit etiam aliis, quæ non sunt homo ; continetur vero ab homine, in quantum homo non solum est albus, sed habet alia multa accidentia. Ideo accidens et species se habent per modum excedentis et excessi.

40. *Secundo* differunt, quia differentia non suscipit magis et minus, neque est capax intensionis ac remissionis ; at accidentia suscipiunt magis et minus, et sunt capacia intensionis ac remissionis.

41. *Tertio* differunt, quod contrariæ differentiæ non possunt invicem misceri ; at accidentia contraria possunt invicem misceri ; ex. gr., non potest idem esse rationale ac irrationale, at potest idem esse tepidum, et sic participare calorem et frigus.

42. Speciei cum proprio communis est mutua attributio; si quid enim est homo, est aptum ad ridendum, et si quid est aptum ad ridendum, est homo. Aptum vero ad ridendum accipi debere secundum naturalem ridendi potestatem, sæpe dictum est. Hoc etiam commune est, quod æqualiter adsunt ; æqualiter enim species adsunt iis, quæ eas participant, et propria iis, quorum sunt propria.

43. Differt autem species a proprio, quia species potest etiam aliorum genus esse, proprium vero aliorum esse proprium nequit.

44. Ac species quidem ante proprium subsistit, proprium vero speciei adnascitur, quippe oportet hominem esse, ut sit aptum ad ridendum.

45. Præterea species semper actu adest subjecto, proprium vero interdum potestate. Socrates enim semper est actu homo, at non semper ridet, quamvis semper natura sit aptus ad ridendum.

46. Præterea quorum definitiones sunt diversæ, ipsa quoque sunt diversa; est autem definitio speciei, sub genere esse et pluribus ac differentibus numero attribui in quæstione, quid est, et quæ sunt ejusmodi ; proprii vero, soli, et omni, et semper adesse.

42. *Quoad quartum, explicanda est octava et nona comparatio :* speciei cum proprio et accidente. *Species et proprium conveniunt in duobus, differunt in quatuor. Primo conveniunt* in hoc, quod mutuo dicuntur ad convertentiam Sicut enim omnis homo est risibilis, sic omne risibile est homo. Risibile autem dicitur, non quod actu ridet, sed quod ex sua natura est aptum ad ridendum. *Secundo* conveniunt in hoc, quod æqualiter

dicuntur de inferioribus ; ex. gr., sicut Socrates et Plato æque sunt homines, sic æque sunt risibiles.

43. *Differunt primo,* quod species potest esse genus aliarum specierum ; at proprium unius speciei non potest esse proprium alterius speciei; ex. gr., animal, quod est species viventis, est genus hominis ; at risibile, quod est proprium hominis, non est proprium alterius speciei.

44. *Secundo* differunt, quod species prius subsistit quam proprium, proprium vero est in specie ; ex gr., cum risibile adveniat homini, ut jam constituto in specie hominis, est quid posterius homine.

45. *Tertio* species semper actu convenit subjecto, hoc est individuo ; proprium non convenit semper actu, sed aliquando potentia; ex. gr., Socrates semper est actu homo ; at non semper actu ridet, sed aliquando est solum in potentia ad ridendum.

46. *Quarto* differunt in ipsis definitionibus. Definitio enim speciei est, ut sit sub genere et ut prædicetur de pluribus solo numero differentibus in quid ; at definitio proprii est, convenire omni, soli et semper.

47. Speciei et accidentis commune est pluribus attribui. Raræ autem sunt aliæ communitates ; quia plurimum inter se distant accidens et id, cui accidit.

48. Propria vero utriusque hæc sunt : speciei quidem in quæstione, quid est, attribui iis, quorum est species ; accidentis autem in quæstione, quale quid est, aut quomodo se habet.

49. Et quamque substantiam unius speciei participem esse, accidentium vero plurium, tam separabilium, quam inseparabilium.

50. Ac species quidem prius intelliguntur quam accidentia. licet separabilia sint (oportet enim esse subjectum, ut ei aliquid accidat), accidentia vero natura sunt posteriora et naturam habent in eo constitutam, ut substantiæ inhæreant.

51. Item speciei participatio est æqualis; accidentis vero, quamvis separabile sit, non æqualis ; etenim Æthiops Æthiope potest habere colorem magis remissum vel intensum secundum nigrorem.

47. *Nona comparatio est speciei cum accidente. Conveniunt* in hoc, quod de pluribus prædicantur ; in paucis vero aliis conveniunt, propterea quod accidens et subjectum accidentis, quod subjectum est species, plurimum distant.

48. *Differunt in quatuor ; primo,* quod species prædicatur de iis, quorum est species, in quid, accidens prædicatur de iis, quorum est accidens, in quale vel in quocumque modo se habendi.

49. *Secundo* unumquodque participat unicam speciem, at habet plura accidentia, tum separabilia, tum inseparabilia; ex. gr., Socrates est solum in specie hominis, at habet plura accidentia plurium prædicamentorum.

50. *Tertio* species est prior accidentibus, quia accidentia adveniunt subjectis ut constitutis in sua specie ; accidentia vero etiam inseparabilia sunt posteriora, quia ex sua natura adveniunt speciebus jam constitutis.

51. *Quarto* species participantur æqualiter, accidentia etiam inseparabilia participantur inæqualiter, cum possit unus Æthiops esse magis niger quam alius.

52. Restat, ut de proprio et accidente dicatur. Nam qua proprium a specie et a differentia et a genere differat, jam dictum est. Commune igitur est proprio et accidenti inseparabili, sine his ea non consistere, in quibus spectantur. Ut enim sine aptitudine ad ridendum non consistit homo, sic sine nigrore non consisteret Æthiops. Ac quemadmodum et omni et semper accidit proprium, ita etiam inseparabile accidens.

53. Differunt autem, quia proprium uni tantum speciei adest, ut homini aptum ad ridendum, inseparabile vero accidens, ut nigrum non solum Æthiopi, sed etiam corvo adest, et carboni, et ebeno, et aliis nonnullis.

54. Præterea proprium reciprocatur cum eo, cujus est proprium et æque late patet ; inseparabile autem accidens non reciprocatur.

55. Et propriorum quidem æqualis est participatio, accidentium vero alia major, alia minor. Sunt et aliæ communitates ac proprietates dictorum *categorematum,* sed hæc abunde sufficiunt ad ea discernenda et communitatem inter ea constituendam.

52. *Quoad quintum,* superest *decima et ultima comparatio proprii cum accidente.* Proprium et accidens inseparabile *conveniunt in duobus, differunt in tribus. Primo conveniunt* in hoc, quod eorum subjectum nunquam existit sine ipsis ; ex. gr., sicut homo nunquam existit sine risibilitate ; sic corvus vel Æthiops nunquam existit sine nigredine. *Secundo* conveniunt in hoc, quod sicut proprium convenit omni et semper, sic accidens inseparabile ; ex. gr., sicut omnis homo et semper est risibilis, sic omnis corvus et semper est niger.

53. *Differunt primo,* quod proprium

convenit uni soli speciei, at accidens inseparabile non convenit uni soli speciei, sed etiam aliis; ex. gr., *esse risibile* convenit soli homini, at *esse nigrum* non convenit soli corvo, sed etiam carboni, ebeno et quibusdam aliis.

54. *Secundo* differunt, quod proprium prædicatur de specie convertibiliter, accidens inseparabile prædicatur non convertibiliter; ex. gr., risibile convertitur cum homine. Sicut enim omnis homo est risibilis, sic omne risibile est homo; at nigrum non convertitur cum corvo; licet enim omnis corvus sit niger, non omne nigrum est corvus.

55. *Tertio* differunt, quod proprium non suscipit magis et minus, sed æqualiter participatur; ex. gr., omnia risibilia sunt æque risibilia; at accidens suscipit magis et minus; non enim omnia nigra sunt æque nigra. Addit Porphyrius, quod possunt assignari aliæ convenientiæ ac disconvenientiæ prædicabilium; sed hæc sufficiunt, et librum concludit.



IN LIBRUM

PRÆDICAMENTORUM ARISTOTELIS

PROŒMIUM

Supponentes ex communi sententia, quod auctor libri Prædicamentorum non sit Architas Tarentinus, ut quidam docuerunt, sed Aristoteles (1), ut patet ex stilo et ex consonantia doctrinæ, antequam libri explicationem aggrediamur, *primo* debemus examinare, quid sit categoria seu prædicamentum; *secundo,* an prædicamentum sit subjectum hujus libri ; *tertio,* an hic liber sit necessarius ad Logicam, et an sit liber logicus ; *quarto* demum per brevem synopsim ponenda est ob oculos doctrina libri.

2. *Quoad primum, categoria seu prædicamentum est ordinatio prædicatorum essentialium secundum subjectionem et prædicationem;* ex. gr., prædicamentum substantiæ est illa ordinatio prædicatorum essentialium, secundum quam ut primum subjectum ponitur prima substantia, puta Socrates ; supra Socratem ponitur species specialissima, hoc est homo ; supra hominem animal ; supra animal vivens ; supra vivens corpus ; supra corpus substantia, ut ex doctrina Porphyrii in sua Introductione explicatum est, cap. III, num. 6, prædicamentum quantitatis est similis ordinatio ac series, etc.

3. *Hinc infertur primo,* prædicamentum non esse genus generalissimum, sed esse totam seriem prædicatorum comprehendentem genus generalissimum, species subalternas ac specialissimas et individua, ut colligitur ex eodem cap. III Porphyrii, num. 6.

4. Infertur *secundo,* prædicamentum esse ens rationis logicum seu secundam intentionem. — *Probatur,* quia secundæ intentiones sunt res, prout denominatæ ab actibus intellectus seu rationis ; sed res habent denominationem prædicamenti ab actibus rationis ; ergo, etc. — *Probatur minor,* quia res per actus rationis ordinantur in prædicata superiora et inferiora ; sed per hanc ordinationem habent esse ac denominationem prædicamenti : ergo res habent esse ac denominationem prædicamenti ab actibus rationis. Prædicamenta igitur non sunt nomina et conceptus, ut docuerunt Nominales, sed res, ut denominatæ a nominibus et conceptibus, ut docuerunt Reales.

5. *Quoad secundum,* subjectum attributionis hujus libri est categoria seu prædicamentum, ut patet ex titulo libri ; et quia, ut jam diximus, prædicamentum constituitur ex rebus denominatis et ex nominibus seu conceptibus denominantibus, ideo in hoc libro agitur tanquam de objectis attributis, tum de rebus ipsis, hoc est de substantia, quantitate, etc., tum de conceptibus ac nominibus, per quæ res denominantur æquivocæ, univocæ, etc.

6. *Quoad tertium,* aliqui dixerunt hunc librum non esse necessarium neque utilem ad Logicam, nec esse librum logicum, sed metaphysicum. Contra hos dicendum, quod liber Prædicamentorum est utilis ac necessarius ad Logicam, et est liber logicus.

7. *Probatur,* quia ad Logicam spectat dirigere tres operationes intellectus, adeoque tradere artem non solum recte discurrendi ac recte componendi et dividendi, sed etiam recte et ordinate apprehendendi ; sed ad hoc, ut sciamus recte et ordinate apprehendere, debemus scire, quo pacto sint ordinanda prædicata rerum : ergo liber Prædicamentorum, in

(1) Antiqui quidem omnes librum, cui titulus Prædicamenta, genuinum habuerunt; at nunc viri in hac re versatissimi eum ad spurios rejecerunt; atque id de ultima ejus parte (cap. x-xv), quæ de Postprædicamentis inscribitur, merito statuere videntur.


quo, ut dictum est num. 1 et 2, agitur de ordinatione prædicatorum, non solum est utilis ac necessarius ad Logicam, sed etiam est liber logicus, cum agat de objecto Logicæ, hoc est de rebus ut recte intelligibilibus et ordinabilibus secundum prædicata superiora et inferiora. Aristoteles proinde sicut in libris Priorum, Posteriorum, Topicorum, et Elenchorum tradidit artem recte discurrendi; in libris Perihermenias tradidit artem componendi ac dividendi; sic in libro Prædicamentorum tradidit artem recte et ordinate intelligendi. Ne igitur intellectus vagetur per infinitum pæne numerum entium, primo dividit omnia entia in decem classes, deinde per varias definitiones ac divisiones ordinat genera, species ac differentias entium uniuscujusque classis; considerat etiam quasdam proprietates et accidentia talium entium, ac sic instruit intellectum ad recte et ordinate res intelligendas, tum secundum prædicata quidditativa, hoc est generica, specifica ac differentialia, tum secundum prædicata non quidditativa, hoc est secundum accidentia propria et communia. Liber ergo Prædicamentorum simul cum Introductione Porphyrii continet primam partem Logicæ, ut etiam dictum est in proœmio ad Porphyrii Introductionem, num. 2.

8. *Quoad quartum*, acturus Aristoteles de prædicamentis *primo* præmittit quædam necessaria, quæ vocantur *anteprædicamenta*; *secundo* agit de ipsis *prædicamentis*; *tertio* agit de quibusdam consequentibus ad prædicamenta, quæ idcirco vocantur *postprædicamenta*: ideo liber apud Latinos dividitur in *tres tractatus*, quorum *primus* est de antepraedicamentis, secundus de prædicamentis, tertius de postprædicamentis.

9. In Antepraedicamentis, cap. I et II, proponit Aristoteles definitiones æquivocorum, univocorum, et denominativorum, quæ definitiones sunt necessariæ ad doctrinam prædicamentorum, ac præmittit duas divisiones eorum, quæ dicuntur, et eorum, quæ sunt, necessarias ad statuendum, quænam debeant poni in prædicamento, et quæ debeant poni ut subjecta vel ut prædicata. Cap. III et IV, ponit duas regulas de prædicatis superioribus et de divisionibus generum non subalternatorum; cap. V, tradit divisionem prædicamentorum.

10. *Tractatu secundo*, agit de prædicamentis in particulari per sex capita: cap. I de substantia; cap. II, de quantitate; cap. III, de ad aliquid seu de relativìs; cap. IV de qualitate et quali; cap. V de actione et passione; cap. VI de reliquis prædicamentis.

11. *Tractatu tertio*, de postprædicamentis, cap. I, agit de oppositis; cap. II de priori; cap. III de simul; cap. IV de motu; cap. V et ultimo de habere, et librum concludit.



ARISTOTELIS PRÆDICAMENTA

TRACTATUS I

DE ANTEPRÆDICAMENTIS

CAPUT I

DE UNIVOCIS, ÆQUIVOCIS AC DENOMINATIVIS, COMPLEXIS ET INCOMPLEXIS

1. [1] Homonyma dicuntur, quorum nomen solum est commune, ad illud vero nomen accommodata definitio est diversa, quemadmodum et homo, et quod pictum est, animal dicitur. Horum namque nomen solum est commune; ad illud vero nomen accommodata definitio est diversa. Si quis enim explicet, quid sit utrumque eorum, qua animal est, propriam utriusque definitionem tradet.

2. Synonyma autem dicuntur, quorum et nomen est commune, et ad illud nomen accommodata definitio est eadem, quemadmodum et homo et bos dicitur animal. Horum enim utrumque communi nomine appellatur animal, ac definitio quoque est eadem. Si quis enim tradat utriusque definitionem, quid est utrumque, qua est animal, eamdem tradet definitionem.

3. Denominata vero dicuntur, quæcumque ab aliquo, ita ut differant casu, nominis appellationem habent, ut a Grammatica dicitur Grammaticus et a fortitudine fortis.

4. [2] Eorum, quæ dicuntur, alia conjuncta efferuntur, alia sine conjunctione. Conjuncta, ut homo currit, homo vincit; sine conjunctione, ut homo, bos, currit, vincit.

Quia ens dicitur de decem prædicamentis non univoce, sed æquivoce vel analogice; in ipsis autem prædicamentis superiora dicuntur univoce de inferioribus, unum vero prædicamentum dicitur denominative de alio, ideo Aristoteles, cap. I, ponit definitiones æquivocorum, sub quibus comprehendit analoga, univocorum et denominativorum.

1. *Æquivoca* sunt, *quorum solum nomen commune est, secundum nomen vero substantiæ ratio diversa*; ex. gr. animal dicitur æquivoce de homine et de animali picto, quia licet et homo dicatur animal, et quod est pictum dicatur animal, adeoque conveniant in nomine animalis, ratio tamen substantiæ sive essentiæ, hoc est definitio explicans significationem nominis, est diversa, ut patet ex eo, quia, si quæratur, quid sit, hominem vel aliquid pictum esse animal, afferetur diversa definitio seu ratio nominis, et dicetur, *hominem esse animal, est esse vivens sensitivum; aliquod pictum esse animal, non est esse vivens sensitivum, sed esse imaginem viventis sensitivi.*

2. *Univoca* sunt, *quorum nomen commune est, et secundum nomen eadem substantiæ ratio*; ex. gr. animal dicitur univoce de homine et de bove, quia homo et bos non solum conveniunt in nomine animalis, sed etiam in ratione seu definitione nominis; si enim quæratur, quid sit hominem et bovem esse animal, afferetur eadem definitio seu ratio nominis ac dicetur, *hominem et bovem esse animal, est esse vivens sensitivum.*

3. *Denominativa* sunt, *quæ ab aliquo differentia casu secundum nomen habent appellationem*, ut a Grammatica Grammaticus et a fortitudine fortis. Aliqui ita explicant illam particulam *differentia casu*, ut dicant, nomen denominativum

debere differre desinentia verbali ac grammaticali ab eo nomine, a quo derivatur et sortitur appellationem, eo pacto, quo Grammaticus differt a Grammatica, eo quod Grammaticus desinat in *us*, Grammatica desinat in *a*. Sed præterquam quod hæc explicatio est nimis grammaticalis, sequitur, quod nomen *musica* in quantum significat cantatricem, non sit denominativum a Musica, in quantum significat artem canendi, cum habeat eamdem desinentiam. Sensus ergo est, denominativa differre casu, quia significant in obliquo id, quod nomen denominans significat in recto, eo pacto, quo *justus* significat justitiam in obliquo, quam nomen *justitia* significat in recto.

4. Traditis tribus definitionibus, ponit Aristoteles duas divisiones eorum, quæ dicuntur, et eorum, quæ sunt. *Prima divisio* eorum, quæ dicuntur, est in complexa et incomplexa. Incomplexa sunt, *quæ dicuntur sine ulla complexione*, ut *homo, bos, currit, vincit*, etc.; complexa sunt, *quæ dicuntur secundum complexionem*, ut *homo currit, homo vincit*. Hæc divisio est necessaria ad distinguenda ea, quæ ponuntur in prædicamento ab iis, quæ non ponuntur in prædicamento; ideoque est divisio anteprædicamentalis. In prædicamento enim ponuntur sola incomplexa, non autem complexa.

CAPUT II

PROPONITUR DIVISIO EORUM, QUÆ SUNT.

1. Eorum, quæ sunt, alia de subjecto aliquo dicuntur, sed in subjecto nullo sunt, ut homo de subjecto dicitur, nempe de aliquo homine, sed in subjecto nullo est. Alia in subjecto aliquo sunt, de subjecto autem nullo dicuntur ; (in subjecto esse dico, quod cum in aliquo non quasi pars sit, non potest esse sine eo, in quo est) ut quædam grammatica est in subjecto, id est in anima, sed de nullo subjecto dicitur ; et hoc album est in subjecto, id est in corpore, (omnis enim color est in corpore) verum de nullo subjecto dicitur. Quædam et de subjecto dicuntur et in subjecto sunt ; ut scientia est in subjecto, nimirum in anima, ac dicitur de subjecto, nempe de grammatica. Nonnulla nec in subjecto sunt, nec de subjecto aliquo dicuntur ; ut quidam homo et quidam equus. Nam quæcumque sunt ejusmodi, ea neque in subjecto sunt, neque de subjecto aliquo dicuntur. Omnino autem individua et quæ sunt unum numero, de nullo quidem subjecto dicuntur, in subjecto autem quædam eorum esse, nihil prohibet. Nam quædam grammatica ex eorum est numero, quæ sunt in subjecto, verum de nullo subjecto dicitur.

1. Ut proponatur *secunda divisio* eorum, quæ sunt, debet prius explicari, quid sit *dici de subjecto*, quid sit *esse in subjecto*. *Dici de subjecto*, prout sumitur hoc loco est *prædicari de aliquo inferiore*; *esse in subjecto*, ut explicat Aristoteles est *esse in aliquo non tanquam pars, et ita, ut non possit esse sine eo, in quo est*. Ita albedo est in homine tanquam in subjecto, quia est in illo non tanquam pars; e converso anima est in homine non tanquam in subjecto, quia est in ipso tanquam pars. Hoc posito, eorum, quæ sunt, *alia* dicuntur de subjecto et in subjecto non sunt, et hujusmodi sunt omnes substantiæ completæ universales; dicuntur enim de individuis tanquam de subjecto et inferiori, dicendo : *Petrus est homo, Paulus est homo*, et non sunt in subjecto modo explicato, cum *esse hominem* sit essentia Petri. *Alia* sunt in subjecto et non dicuntur de subjecto, cujusmodi sunt accidentia singularia; ex. gr. hæc grammatica est in anima tanquam in subjecto et non dicitur de ullo subjecto inferiori. *Alia* de subjecto dicuntur et in subjecto sunt, ut accidentia universalia; ex. gr. scientia dicitur de grammatica tanquam de subjecto inferiori, est in anima tanquam in subjecto. *Alia* demum neque dicuntur de subjecto, neque sunt in subjecto, cujusmodi sunt substantiæ completæ singulares, ex. gr. Petrus; nam neque possunt prædicari de aliquo inferiori, neque sunt in aliquo tanquam in subjecto. Substantiæ igitur singulares neque sunt in subjecto, neque dicuntur de subjecto; substantiæ universales dicuntur de subjecto, sed non sunt in subjecto; accidentia singularia sunt in subjecto, sed non dicuntur de subjecto; accidentia universalia sunt in subjecto ac dicuntur de subjecto.

Hæc divisio est necessaria ad explicandum, quænam in singulis prædicamentis ponantur pure ut subjecta, quæ ut prædicata. In prædicamento substantiæ pure ut subjecta ponuntur substantiæ singulares, quæ neque sunt in subjecto, neque dicuntur de subjecto; substantiæ vero universales ponuntur ut prædicata, quæ licet non sint in subjecto, dicuntur de subjecto. In prædicamentis accidentium pure ut subjecta ponuntur accidentia singularia, quæ, licet sint in subjecto, non di-

cuntur de subjecto; accidentia vero universalia ponuntur ut prædicata, quia et sunt in subjecto, et dicuntur de subjecto.

CAPUT III

DE PRIMA REGULA ANTEPRÆDICAMENTALI

1. [3] Cum alterum alteri attribuitur tanquam subjecto, quotcumque de attributo dicuntur, totidem et de subjecto dicentur. Ut homo cuidam homini attribuitur, animal autem homini : ergo etiam alicui homini animal attribuetur. Nam quidam homo et homo est et animal.

1. Positis tribus definitionibus ac duabus divisionibus ponit Aristoteles *duas regulas, quæ vocantur antepraedicamentales*, quia sunt necessariæ ad doctrinam prædicamentorum. *Prima* regula est : quando alterum de altero prædicatur ut de subjecto, (hoc est de inferiori) quæcunque de eo, quod prædicatur, dicuntur, omnia de subjecto dicuntur. Exemplum ponit : homo prædicatur de Petro ut de inferiori; animal prædicatur de homine essentialiter; ideo animal prædicatur etiam de Petro; atque adeo, cum Petrus sit homo, et homo sit animal, Petrus etiam erit animal. Excipiuntur tamen prædicata, quæ conveniunt superiori ratione abstractionis, ideoque, licet *homo* prædicetur de Petro, et de homine prædicetur species, adhuc de Petro non prædicatur species. Ratio est, quia *esse speciem* convenit homini non secundum se, sed propter abstractionem ab inferioribus.

CAPUT IV

DE SECUNDA REGULA ANTEPRÆDICAMENTALI

1. Heterogeneorum, quorum alterum sub altero non collocatur, diversæ specie sunt etiam differentiæ, ut animalis et scientiæ. Animalis enim differentiæ sunt terrestre et bipes et volucre et aquatile, quarum nulla est differentia scientiæ; non enim scientia a scientia differt eo, quod bipes sit.

2. Subalternorum autem generum nihil prohibet easdem differentias esse. Nam superiora inferioribus generibus attribuuntur. Quare quotcumque attributi differentiæ sunt, totidem etiam subjecti erunt.

1. Antequam proponatur *secunda regula*, explicandum est, quæ sint genera subalternatim vel non subalternatim posita. Genera non subalternatim posita sunt, quæ mutuo contradistinguuntur ut *animal* et *planta*, nam nullum animal est planta; nulla planta est animal. Genera subalternatim posita sunt, quæ non mutuo contradistinguuntur, sed se habent vel ut superius et inferius, vel ut excedentia et excessa; ex. gr. animal et vivens se habent tanquam superius et inferius, animal et intellectuale se habent ut excedentia et excessa; nam intellectuale includit quædam non animalia, animal includit quædam non intellectualia.

Regula igitur est : diversorum generum et non subalternatim positorum diversæ sunt specie differentiæ, ut animalis et scientiæ; animalis enim differentiæ sunt gressibile, bipes, volatile et aquatile; scientiæ vero nulla earum est; neque enim scientia a scientia differt in eo, quod bipes est.

Potest objici : substantia et qualitas sunt genera mutuo contradistincta et non subalternatim posita, et tamen dividuntur iisdem differentiis, nam substantia alia est materialis, alia spiritualis; et similiter qualitas alia est materialis, alia spiritualis.

Respondetur, materiale, in quantum est quid commune substantiæ et qualitati, non esse differentiam substantiæ, sed esse aliud genus subalternatim positum, et respectu substantiæ se habens per modum excedentis et excessi. Nam differentia comparari debet ad genus, sicut pars determinativa ad determinabilem; at æque substantia, cum possit esse materialis vel spiritualis, determinatur per hoc, quod sit materialis; ac materiale, cum possit esse substantia vel qualitas, determinatur per hoc, quod sit substantia. Ut igitur materiale sit differentia substantiæ, debet esse ipsa determinatio substantiæ ad hoc, ut sit materialis; hæc autem differentia, quæ est *determinare substantiam ad hoc, ut sit materialis*, non potest convenire qualitati, sed solum qualitati convenit proportionalis differentia, quæ est *esse determinativum qualitatis ad hoc, ut sit materialis.*

2. Subdit Aristoteles, quod subalternorum generum nihil prohibet easdem esse differentias. Patet, nam quæ sunt differentiæ generis inferioris, sunt etiam differentiæ generis superioris; ex. gr. sicut rationale est differentia animalis, sic est differentia viventis. Sicut enim animal

dividitur in rationale et irrationale, sic vivens dividitur in rationale et irrationale. Nec solum genera, quæ comparantur ut superiora et inferiora, sed etiam quæ comparantur per modum excedentis et excessi, possunt dividi ac determinari iisdem differentiis; ex. gr. animal et intellectuale determinantur eadem differentia rationalis.

Hæ duæ regulæ sunt necessariæ ad doctrinam prædicamentorum, ideoque sunt antepædicamentales. Prima enim regula, per quam dicitur, quod id, quod prædicatur de superiori, prædicatur etiam de inferiori, est utilis ad recte ordinanda in quolibet prædicamento prædicata superiora et inferiora. Secunda regula de divisione generum est utilis ad dividenda genera cujuscumque prædicamenti in suas differentias.

CAPUT V

DE DIVISIONE ENTIS IN DECEM PRÆDICAMENTA

1. [4] Eorum quæ, sine omni conjunctione dicuntur, unumquodque aut substantiam significat aut quantum aut quale aut ad aliquid aut ubi aut quando aut situm esse aut habere aut agere aut pati. Est autem substantia, ut typo dicam, velut homo, equus. Quantum, ut quod est duorum vel trium cubitorum. Quale, ut album, Grammaticum. Ad aliquid, ut duplum, dimidium, majus. Ubi, ut in foro, in Lyceo. Quando, ut heri, superiore anno. Situm esse, ut jacet, sedet. Habere, ut calceatum esse, armatum esse. Facere, ut secare, urere. Pati, ut secari, uri.

2. Singula autem, quæ dicta sunt, ipsa per se accepta nec affirmant nec negant, sed eorum mutua conjunctione affirmatio vel negatio fit. Omnis enim affirmatio vel negatio videtur aut vera aut falsa esse. Eorum autem, quæ sine omni conjunctione dicuntur, nihil est aut verum aut falsum, ut homo, album, currit, vincit.

1. Præmissis definitionibus, divisionibus ac regulis ante prædicamentalibus, tradit Aristoteles *divisionem entis in decem prædicamenta*, quam dicitur sumpsisse ex Archita Tarentino. Docet igitur, quod eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, quædam significant *substantiam*, ut *homo*, *equus*; quædam *quantitatem*, ut *bicubitum*, *tricubitum*; quædam *qualitatem*, ut *album*, *Grammaticum*; quædam *relationem* seu ad aliquid, ut *duplum*, *dimidium*, *majus*, *minus*; quædam *ubi* seu locum, in quo res est, ut cum dicitur : *Socrates est in foro vel in lyceo*; quædam significant *quando* seu tempus, in quo res est, ut cum dicitur : *heri* vel *anno superiori*; quædam *situm*, ut cum quis dicitur *sedere* vel *jacere*; quædam *habitum*, ut cum quis dicitur *vestitus* vel *armatus*; quædam *actionem*, ut cum quis dicitur *secare* vel *urere*; quædam *passionem*, ut cum quis dicitur *secari* vel *uri*.

2. Addit, quod licet prædicamenta secundum se præcise non significent affirmationem vel negationem, adhuc ex prædicamentorum ad invicem complexione fit affirmatio vel negatio; ex. gr. Socrates, qui est in prædicamento substantiæ, et album, quod est in prædicamento qualitatis, non significant affirmationem neque negationem; at si dicatur : *Socrates est albus, vel non est albus*, significatur affirmatio vel negatio. Incomplexa non significant verum neque falsum; complexa significant verum et falsum; ex. gr. hæc incomplexa : *homo, album, currit, vincit*, non significant verum neque falsum; at hæ complexiones : *homo est albus, homo currit*, significant verum et falsum.

TRACTATUS II

DE PRÆDICAMENTIS

CAPUT I vel VI

DE SUBSTANTIA.

1. [5] Substantia autem, quæ maxime proprie et primum et maxime dicitur, ea est, quæ neque de subjecto aliquo dicitur neque in subjecto aliquo est, ut quidam homo et quidam equus.

2. Secundæ autem substantiæ dicuntur species, in quibus speciebus insunt, quæ primum substantiæ dicuntur, hæ, inquam, species, et harum specierum genera, ut quidam homo est, tanquam in specie, in homine; genus vero speciei est animal. Hæ igitur secundæ substantiæ dicuntur, ut homo et animal.

3. Jam vero perspicuum ex dictis est, eorum, quæ de subjecto dicuntur, necesse esse et nomen et definitionem attribui subjecto. Ut homo de subjecto dicitur aliquo homine, attribuiturque alicui homini etiam nomen hominis ; nam hominem alicui homini attribues. Sed et definitio hominis alicui homini attribuetur; nam quidam homo et homo est et animal. Quare et nomen et definitio attribuetur subjecto. Eorum vero, quæ sunt in subjecto, pleraque sunt, quorum neque nomen neque definitio attribuitur subjecto. Quorumdam autem nomen nihil prohibet aliquando attribui subjecto, definitionem vero impossibile est. Ut album, cum sit in subjecto, nempe in corpore, attribuitur subjecto, quia corpus album dicitur; definitio vero albi nunquam corpori attribuetur.

Præmissa divisione prædicamentorum, descendit Aristoteles ad agendum de prædicamentis in particulari; ac *primo agit de substantia*, quæ est primum prædicamentum et fundamentum ac basis cæterorum. *Primo* ergo explicat, quid sit prima et secunda substantia; *secundo* comparat primas et secundas substantias inter se; *tertio* enumerat sex proprietates substantiæ.

1. *Quoad primum :-prima substantia*, quæ proprie et principaliter et maxime dicitur, est *quæ neque de subjecto aliquo dicitur neque in subjecto aliquo est*, ut *quidam homo* et *quidam equus*; ex. gr., *Petrus, Paulus, Bucephalus, etc.*, sunt primæ substantiæ, quia sunt entia per se et prima subjecta, quæ neque sunt in subjecto neque dicuntur de subjecto, sed substant et subjiciuntur omnibus entibus, quæ sunt in subjecto vel dicuntur de subjecto.

2. *Secunda substantia sunt species et genera, in quibus insunt et continentur primæ substantiæ*; ex. gr., quia Petrus, qui est prima substantia, continetur in specie hominis et in genere animalis ac viventis, etc., ideo homo, animal et vivens sunt secundæ substantiæ. Definiri etiam potest secunda substantia definitione allata cap. III, Antepræedicamentorum, *quæ non est in subjecto, sed dicitur de subjecto;* homo enim non est in Petro tanquam in subjecto, sed dicitur de Petro tanquam de subjecto, hoc est de inferiori.

3. Addit Aristoteles, quod licet tum secundæ substantiæ, tum quædam accidentia prædicentur de primis substantiis (Petrus enim dicitur homo et dicitur albus), tamen non prædicantur eodem modo. Secundæ enim substantiæ prædicantur de primis, non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem; nam non solum Petrus est homo et est animal, sed etiam *esse Petrum* est *esse hominem et esse animal*, adeoque etiam ratio hominis et animalis, quæ ratio est *esse hominem* et *esse animal*, prædicatur de ratione primæ substantiæ, quæ ratio est *esse Petrum*. At accidentia quædam nec dicuntur de prima substantia secundum nomen, nec secundum rationem; ex. gr., albedo nullo pacto prædicatur de Petro, cum Petrus non sit albedo; alia vero accidentia, licet prædicentur secundum nomen, non prædicantur secundum rationem; ex. gr., albus prædicatur de Petro secundum nomen, cum dicatur, quod *Petrus est albus;* sed ratio albi non prædicatur de Petro, cum aliud sit *esse Petrum* ac *esse album*, adeoque dici non possit : *esse Petrum est esse album*, sicut dici potest : *esse Petrum est esse hominem*.

4. Cætera vero omnia vel de subjectis dicuntur primis substantiis, vel in subjectis eis sunt. Quod quidem ex singulis præpositis perspicuum fiet. Utputa animal homini attribuitur : ergo etiam alicui homini attribuetur. Nam si nemini singulorum hominum, omnino nec homini attribuetur. Rursus color est in corpore : est igitur etiam in aliquo corpore. Nam si in nullo singulorum corporum est, omnino in corpore non est. Itaque reliqua omnia vel de subjectis primis substantiis dicuntur, vel in eis subjectis insunt.

5. Ergo nisi primæ substantiæ sint, cæterarum rerum nulla esse potest.

6. Secundarum vero substantiarum species est magis substantia quam genus, quoniam est propius primam substantiam ; si quis enim explicet, quid sit prima substantia, apertius et magis proprie explicabit tradens speciem quam genus. Veluti quemdam hominem explicans, planius explicabit tradens hominem quam animal : illud enim magis proprium est cujusdam hominis, hoc vero communius. Et quamdam arborem explicans apertius et magis proprie explicabit tradens arborem quam plantam. Præterea primæ substantiæ quia cæteris omnibus rebus subjiciuntur, et cætera omnia his attribuuntur aut in eis insunt, propterea maxime substantiæ dicuntur. Sed quam rationem habent primæ substantiæ ad cætera omnia, eamdem habet species ad genus ; subjicitur namque species generi, nam genera speciebus attribuuntur, species autem generibus vicissim non attribuuntur. Quare ex his quoque fit, ut species sit magis substantia quam genus.

7. Ipsarum autem specierum quæcumque non sunt genera, nulla est magis substantia quam altera. Non magis enim proprie explicabit, in aliquo homine explicando, hominem tradens, quam in aliquo equo equum. Pariterque in primis substantiis, nihil est magis substantia quam altera ; nam aliquis homo non est magis substantia quam aliquis bos. Merito igitur post primas substantias solæ inter alias res species et genera secundæ substantiæ dicuntur, quandoquidem ex his, quæ attribuuntur, hæc sola declarant primam substantiam. Nam si quis explicet, quid sit aliquis homo, speciem quidem aut genus tradens proprie explicabit, et notiorem efficiet tradens hominem quam animal ; cæterarum autem rerum quamcumque quis tradat, aliena erit expositio, veluti album esse, aut currere, aut ejusmodi aliud quodvis tradens. Quamobrem merito hæc sola inter cætera entia substantiæ dicuntur. Præterea primæ substantiæ, quia aliis omnibus rebus subjiciuntur et reliqua omnia eis attribuuntur vel in eis insunt, propterea maxime proprie substantiæ dicuntur. Quam autem rationem habent primæ substantiæ ad cætera omnia, eamdem species et genera primarum substantiarum habent ad reliqua omnia; his enim reliqua omnia attribuuntur. Nam quempiam hominem dices esse grammaticum : ergo et hominem et animal dices esse grammaticum. Itidemque in aliis se res habet.

4. *Quoad secundum*, traditis definitionibus primæ et secundæ substantiæ, progreditur Aristoteles ad illas invicem comparandas. *Primo* igitur comparans primas substantias cum secundis rationem affert, cur primæ substantiæ propriissime et maxime dicantur substantiæ. Propriissime enim et maxime substantia est, quod est subjectum substans omnibus, quæ dicuntur de subjecto vel sunt in subjecto; sed primæ substantiæ sunt hujusmodi; nam omnia prædicata, quæ dicuntur de secundis substantiis, dicuntur etiam de primis; ex. gr., *animal,* quod dicitur de homine, qui est secunda substantia, dicitur etiam de Petro, qui est prima substantia; rursus omnia accidentia, quæ sunt in secundis substantiis, sunt etiam in primis substantiis; ex. gr., si color est in homine, qui est secunda substantia, est in aliquo homine singulari, qui est prima substantia, et, si in nullo homine singulari daretur color, nec daretur in homine universali; ergo primæ substantiæ sunt maxime et principaliter substantiæ, quia maxime substant.

5. Hinc infert, quod non existentibus primis substantiis, impossibile est aliquid aliorum esse. — *Probatur,* quia quod non est prima substantia, vel est secunda substantia, vel accidens; sed non existentibus primis substantiis, neque possunt existere secundæ substantiæ, neque accidentia; ergo, etc. — *Probatur minor*, nam secundæ substantiæ, hoc est universalia, non possunt esse separatæ a primis substantiis, hoc est a singularibus, ut docuit Plato; accidentia vero non possunt esse extra subjectum, quod subjectum est substantia; ex. gr., motus non potest esse extra mobile.

6. *Secundo*, comparans secundas substantias inferiores cum aliis secundis substantiis inferioribus, hoc est species cum generibus, docet, *species esse magis substantias quam genera. Probat primo,* quia species sunt magis propinquæ primis substantiis et magis explicant essentiam earumdem; magis enim declaratur essentia Petri dicendo, quod *Petrus est homo,* quam dicendo, quod *Petrus est animal;* et similiter magis explicatur essentia alicujus arboris singularis dicendo, quod est arbor, quam dicendo, quod est planta. *Secundo* probat, quia ideo singularia sunt maxime substantiæ, quia de illis dicuntur omnia, quæ dicuntur de subjecto, et in iis sunt omnia, quæ sunt

in subjecto; sed omnia genera dicuntur de speciebus tanquam de subjecto; species vero non dicuntur ad convertentiam de generibus tanquam de subjecto : ergo post singularia species sunt magis substantiæ, quam genera, quia pluribus subjiciuntur et substant.

7. *Tertio,* comparans species infimas seu specialissimas inter se docet, quod æqualiter participant rationem substantiæ; ex gr., homo ac equus æque sunt substantia, quia *esse hominem* æque explicat essentiam Petri et aliorum hominum singularium, ac *esse equum* explicat essentiam Bucephali et aliorum equorum singularium. Similiter primæ substantiæ æqualiter sunt substantiæ; ex. gr., Petrus et Bucephalus æqualiter sunt substantiæ. Quæ adduntur in textu usque ad numerum octavum repetunt aliqua ex superius dictis.

8. Commune autem est omni substantiæ non esse in subjecto. Nam prima substantia nec in subjecto est nec de subjecto aliquo dicitur. Secundarum autem substantiarum sic etiam perspicuum est, nullam esse in subjecto, quia homo de subjecto quidem dicitur quodam homine, sed in subjecto non est; homo namque non est in quodam homine. Itidemque animal de subjecto quidem dicitur quodam homine, sed animal non est in quodam homine.

9. Præterea eorum, quæ in subjecto sunt, nomen quidem interdum subjecto attribui nihil prohibet, definitionem vero impossibile est. Atqui secundarum substantiarum et definitio et nomen attribuitur subjecto : nam hominis definitionem cuidam homini attribues, itemque animalis definitionem. Quare substantia non est in eorum numero, quæ sunt in subjecto. Hoc autem non est proprium substantiæ. Sed et differentia est in eorum numero quæ non sunt in subjecto. Nam terrestre et bipes de subjecto quidem dicitur, nempe de homine; verum in subjecto non est; non enim in homine est bipes nec terrestre. Et definitio quoque differentiæ attribuitur ei, de quo dicitur differentia. Utputa si terrestre de homine dicitur, etiam definitio ipsius terrestris homini attribuetur; homo enim est terrestre.

8. *Quoad tertium,* affert Aristoteles *sex proprietates substantiæ. Prima* proprietas, in qua conveniunt primæ et secundæ substantiæ, est *non esse in subjecto;* ex. gr., prima substantia, ut Socrates, Bucephalus; etc., neque sunt in subjecto, neque dicuntur de subjecto, ut dictum est num. 1. Secundæ vero substantiæ, ut *homo, animal,* dicuntur quidem de primis substantiis tanquam de subjecto inferiore, at neque ipsæ sunt in subjecto. Licet enim homo et animal dicantur de Socrate, adhuc non sunt in Socrate tanquam in subjecto.

9. *Secunda* proprietas, quæ non convenit primæ substantiæ, sed tantum secundæ, est univoce prædicari de primis substantiis, non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem, in quo sensu nullum accidens prædicatur univoce de primis substantiis. Cum enim dico : *Petrus est musicus;* de Petro, qui est prima substantia, prædico nomen musici, quod est accidens, sed non prædico rationem, cum *esse Petrum* non sit *esse musicum*; at cum dico *Petrus est homo,* non solum prædico de Petro nomen, sed etiam rationem hominis, ut explicatum est num. 3. Addit Aristoteles, quod hoc, quod est *non esse in subjecto, et prædicari de inferioribus univoce, non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem,* non convenit solis generibus et speciebus, quæ simpliciter sunt secundæ substantiæ, quæ non tam sunt secundæ substantiæ, quam constitutiva secundarum substantiarnm. Patet, nam, sicut homo et animal, quæ sunt genus et species, dicuntur quidem de subjecto, sed non sunt in subjecto; sic differentiæ bipedis, gressibilis, mortalis, etc., dicuntur quidem de subjecto, sed non sunt in subjecto; ex. gr., dicitur de Socrate, quod est bipes et gressibilis; at gressibile et bipes non sunt in Socrate tanquam in subjecto. Rursus, sicut homo et animal prædicantur de Socrate, non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem; sic gressibile et bipes prædicantur de Socrate, non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem; homo enim et Socrates non solum sunt gressibile bipes, sed etiam *esse hominem,* et *esse Socratem* est *esse gressibile bipes.* Conveniunt igitur secundæ substantiæ, hoc est genera et species, cum differentiis in hoc, quod prædicantur univoce, non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem; cum e converso primæ substantiæ de nullo dicantur, sed sint subjectum, de quo dicuntur cætera.

10. Porro ne nos conturbent partes substantiarum, quasi sint in totis ut in subjectis, ne quando cogamur fateri, eas non esse substantias, quia non ita dicebantur ea, quæ sunt in subjecto ut partes, inesse in aliquo.

11. Inest autem substantiis et differentiis, omnia synonymos ab eis dici. Omnes enim attributiones ab eis sumptæ aut individuis attribuun-

tur aut speciebus. A prima namque substantia nulla attributio est, quia de nullo subjecto dicitur. Secundarum vero substantiarum species individuo attribuitur, genus et speciebus et individuis. Itidemque differentiæ et speciebus et individuis attribuuntur. Ac definitionem quoque specierum et generum recipiunt primæ substantiæ, nec non generis definitionem species. Nam quotcumque de attributo dicuntur, totidem etiam de subjecto dicentur. Itidemque differentiarum definitionem recipiunt tam species quam individua. Atqui synonyma erant, quorum est et nomen commune et definitio eadem. Quare omnia, quæ a substantiis et differentiis dicuntur, synonymos dicuntur.

12. Omnis vero substantia videtur hoc aliquid significare. In primis igitur substantiis indubitatum et verum est, eas significare hoc aliquid, quia individuum et unum numero est, quod significatur. Sed in secundis substantiis, etsi ob figuram appellationis similiter videtur significare hoc aliquid, cum quis dixerit hominem aut animal, non tamen id verum est; quin potius quale quidpiam significat, quia subjectum non est unum ut prima substantia, sed de multis homo et animal dicitur. Nec vero simpliciter, ut album, significat quale quidpiam. Nam album nihil aliud significat quam quale; genus autem et species qualitatem circa substantiam determinant, utpote quæ significant, qualis sit aliqua substantia. Sed latius genere quam specie determinatio fit, quoniam dicens animal plura complectitur quam dicens hominem.

13. Hoc quoque substantiis inest, nihil eis contrarium esse. Quid enim possit esse contrarium primæ substantiæ, ut cuidam homini et cuidam animali? siquidem nihil est his contrarium. Item nihil est contrarium homini vel animali. Hoc vero substantiæ proprium non est, sed et in aliis multis reperitur, ut in quanto. Nihil enim est contrarium bicubito vel tricubito, nihil decem, nihil aliis ejusmodi rebus. Nisi quis multum pauco contrarium esse dicat, vel magnum parvo. Sed definitorum quantorum nulli est quidquam contrarium.

14. Videtur autem substantia non recipere contentionem et remissionem. Non dico substantiam substantia non esse magis et minus substantiam; jam enim dictum fuit hoc esse. Sed dico, substantiam quamque non dici magis vel minus id ipsum, quod est. Veluti si hæc substantia est homo, non erit se ipse aut alius alio magis et minus homo. Non est enim alius alio magis homo, ut album est aliud alio magis et minus album, et honestum est aliud alio magis et minus honestum. Quinimo idem se ipso dicitur magis et minus tale, ut corpus, cum sit album, magis album dicitur nunc quam prius, et cum sit calidum, magis et minus calidum dicitur. Substantia vero nec magis substantia dicitur nec minus; nam nec homo magis in præsentia dicitur homo quam prius, nec aliud quidquam eorum, quæ sunt substantiæ. Quare substantia non potest recipere intentionem et remissionem.

10. Antequam proponat Aristoteles tertiam proprietatem substantiæ, solvit quamdam objectionem contra primam proprietatem, et quædam advertit circa secundam proprietatem. *Objicit* ergo : partes substantiarum videntur esse in toto tamquam in subjecto; ex. gr., anima videtur esse in homine tanquam in subjecto; ergo non esse in subjecto non est proprietas conveniens omni substantiæ. *Respondet* falsum esse, quod partes sint in toto tanquam in subjecto; ut enim dictum est Tract. I, cap, II, n. 1, *esse in subjecto* est esse in altero, et non tanquam pars; sed partes substantiarum sunt in toto tanquam partes : ergo proprie non sunt in subjecto.

11. Circa secundam proprietatem advertit, quod ex secundis substantiis species dicuntur de individuis; ex. gr., homo dicitur de Socrate et Platone, genera dicuntur de speciebus et individuis; ex. gr., animal dicitur de homine et leone, et præterea de singularibus hominibus et leonibus; differentiæ prædicantur de speciebus et individuis; ex. gr., rationale prædicatur de homine et de singularibus hominibus. Neque solum de primis substantiis prædicantur species, genera et differentiæ, sed etiam rationes seu definitiones specierum, generum ac differentiarum; ex. gr., Socrates non solum est homo, animal et rationalis, sed *esse Socratem* est *esse hominem, esse animal et esse rationale.* Rationes ergo generum et differentiarum prædicantur de speciebus et individuis, juxta regulam traditam cap. III, num. 1, quod quæcumque prædicantur de superiori, prædicantur de inferiori. Rationes vero specierum prædicantur de individuis; et quia univoca sunt, quæ prædicantur non solum secundum nomen, sed etiam secundum rationem, ideo genera, species et differentiæ sunt univoca.

12. *Tertia proprietas* substantiæ est, significare *hoc aliquid.* Hæc proprietas convenit primis et singularibus substantiis. *Hoc aliquid* enim significat ens per se subsistens, individuum et unum, adeoque designabile, cum dicimus *hoc aliquid;* sed primæ substantiæ sunt entia per se subsistentia et individua ac una numero : ergo, etc. At licet etiam secundæ substantiæ ut *homo, animal,* cum significantur per nomen substantivum, videantur significare *hoc aliquid,* tamen vere

non significant *hoc aliquid*, sed *quale aliquid*. Homo enim non est unum designabile, cum dicimus *hoc aliquid*, sed de pluribus dicitur; ideo non tam est *hoc aliquid*, quam dicitur de his, quæ sunt *hoc aliquid designabile*. Non tamen *homo* significat *quale* sicut *album*. Ratio est, quia genera et species dicuntur de primis substantiis tanquam ipsarum constitutiva, adeoque significant id, quod dicitur de primis substantiis tanquam constitutivum ipsarum et tanquam qualitas essentialis; at album dicitur, non tanquam constitutivum, sed ut adveniens primis substantiis jam constitutis. Porro genera ad plura extenduntur quam species; ex. gr., animal plura complectitur quam homo.

13. *Quarta proprietas* substantiæ est, quod non habeat contrarium. Primæ enim substantiæ, ex. gr., Socrates, Plato, *hic homo, hoc animal*, procul dubio non habent contrarium. Quid enim est contrarium Platoni vel Socrati? Similiter nec secundæ substantiæ, ex. gr., *homo, animal* habent contrarium. Porro hoc, quod est *non habere contrarium*, non ita est proprium substantiæ, ut non conveniat etiam pluribus aliis, ex. gr., quantitati. Bicubito enim et tricubito, quæ significant quantitatem, nihil est contrarium. Si vero quis opponat, quod multum est contrarium pauco et magnum parvo, adhuc quantitates determinatæ, ut *palmare, bipalmare, etc.*, non habent contrarium.

14. *Quinta proprietas* substantiæ est, ut non suscipiat magis et minus. Non est autem sensus, quod una substantia non sit magis substantia quam alia; jam enim dictum est num. 4, quod primæ substantiæ sunt magis substantiæ quam secundæ, et dictum est num. 6, quod species sunt magis substantiæ quam genera; sed sensus est, quod ea, quæ significant substantiam, non magis conveniunt uni quam alteri; ex. gr., quod unus homo non est magis aut minus homo quam alter; cum e converso unum album sit magis aut minus album quam aliud, et unum bonum sit magis aut minus bonum quam aliud; immo et idem uno tempore sit magis aut minus tale quam alio tempore; eo pacto, quo idem corpus aliquando est magis album, aliquando minus album, aliquando est magis calidum, aliquando est minus calidum. Hoc autem non evenit in prædicatis, quæ significant substantiam; neque enim idem aliquando est magis homo, aliquando minus.

15. Sed maxime proprium substantiæ videtur esse, cum unum et idem numero sit, contraria suscipere posse. Cujusmodi in aliis, quæ non sunt substantiæ, nihil possit quis proferre, quod cum unum numero sit, contraria suscipere queat. Ut color, qui est unus et idem numero, non est albus et niger. Neque eadem actio et una numero est vitiosa et recta. Itidemque in aliis dicendum est, quæcumque non sunt substantiæ. Substantia vero, cum unum et idem numero sit, contraria suscipere potest, ut quidam homo, cum unus et idem sit, interdum albus interdum niger fit, necnon calidus ac frigidus et improbus ac probus. In nulla autem alia re tale quidpiam videtur.

16. Nisi forte quis objiciat, orationem et opinionem inquiens posse contraria recipere, quoniam eadem oratio et vera et falsa videtur esse. Veluti si vera est oratio, aliquem sedere, cum is surrexerit, hæc eadem oratio falsa erit. Eadem est ratio opinionis: si quis enim vere putet aliquem sedere, cum is surrexerit, falso putabit, eamdem habens de eodem opinionem. Sed et si quis hoc admittat, tamen modo differunt. Nam quæ in substantiis sunt, ipsa mutata possunt suscipere contraria. Quod enim fit ex calido frigidum, mutatur, siquidem variatur; item quod fit ex albo nigrum et quod ex vitioso honestum. Itidemque aliorum unumquodque mutationem suscipiens recipere contraria potest. Oratio vero et opinio omnino immota permanent, sed re mota contrarium in his fit. Nam oratio permanet eadem, sedere quempiam; sed re mota interdum vera interdum falsa fit. Itidem se res habet et in opinione. Quare hoc modo proprium erit substantiæ, sui mutatione posse suscipere contraria. Sed et si quis hæc admittat, orationem inquam et opinionem suscipere posse contraria, id verum non est. Nam oratio et opinio, non quia ipsa recipiant aliquid, contraria suscipere posse dicuntur, sed quia facta est affectio in alia re. Eo enim quod res est vel non est, oratio vera vel falsa esse dicitur, non quod ipsa possit contraria suscipere. Omnino namque oratio vel opinio a nullo movetur. Quare suscipere contraria non possunt, cum nulla contraria affectio in ipsis fiat. Substantia vero, eo quod in se contraria recipit, contraria recipere posse dicitur, quandoquidem recipit morbum et sanitatem, necnon alborem et nigrorem. Cumque unumquodque eorum, quæ sunt ejusmodi, ipsa suscipiat, contraria suscipere posse dicitur. Quare proprium substantiæ est, cum unum et idem numero sit, sui mutatione posse contraria suscipere. Hæc de substantia dicta sint.

15. *Sexta proprietas*, quæ soli convenit substantiæ, est, cum unum et idem numero sit, esse contrariorum susceptivum; Petrus enim, cum sit idem numero, modo est albus, modo niger, modo calidus, modo frigidus. At non potest afferri ali-

quid, quod cum non sit substantia, idem numero sit contrariorum susceptivum; ex. gr., color idem numero non potest modo esse albus, modo niger; eadem numero actio non potest modo esse prava, modo honesta.

6. *Opponitur,* quia eadem numero oratio et opinio, qua aliquis dicat : *Petrus sedet,* potest modo esse vera, modo falsa; si enim Petro surgente perseveret aliquis in eadem opinione et oratione, opinio et oratio eadem manens mutabitur de vera in falsam.

Respondet primo Aristoteles, quod proprium solius substantiæ est, cum idem numero sit, secundum sui mutationem susceptibile esse contrariorum; ex. gr., corpus cum ex frigido fit calidum, vel ex nigro album, suscipit mutationem alterationis, et sic ex frigido mutatur in calidum; cum quis ex pravo fit bonus, mutatur intrinsece ex pravo in bonum; at cum Petrus surgit, et oratio dicens : *Petrus sedet,* de vera fit falsa, mutatio non fit in ipsa oratione, sed in Petro. —Hinc deducit *secundam* responsionem, quod oratio non suscipit in se passionem, per quam ex vera fiat falsa, eo pacto, quo substantia suscipit passionem, per quam ex calida fit frigida. Neque enim oratio ex vera fit falsa, quia facta fuerit aliqua mutatio in ipsa oratione, sed quia facta fuit mutatio in altero. At substantia suscipit contraria, ita ut in ipsamet fiat mutatio; ex. gr., cum aliquis ex ægroto fit sanus, vel ex albo niger, ipsemet ex uno contrario mutatur in aliud. Est igitur proprium substantiæ, cum idem numero sit, secundum sui mutationem esse contrariorum susceptivum. Atque hæc de substantia dicta sufficiant.

CAPUT II vel VII

DE QUANTO.

1. [6] Quanti autem aliud est discretum, aliud continuum. Atque aliud ex partibus positionem invicem inter se habentibus constat, aliud ex non habentibus positionem. Discretum est, ut numerus et sermo, continuum est, ut linea, superficies, corpus, ac præterea locus et tempus.

2. Nam partium numeri nullus est communis terminus, quo eæ partes conjungantur. Ut si τὰ quinque sunt partes τῶν decem, nullo communi termino conjunguntur quinque et quinque, sed secreta sunt. Tria quoque et septem nullo communi termino conjunguntur. Et omnino haud possis in numero communem terminum partium accipere, sed semper secretæ sunt. Quare numerus est in iis, quæ sunt discreta.

3. Itidemque sermo. Nam sermonem esse quantum, perspicuum est, quoniam eum metimur syllaba brevi et longa, sermonem inquam voce prolatum. Nullo enim communi termino partes ejus conjunguntur, quia nullus est communis terminus, quo syllabæ conjunguntur, sed per se quæque secreta est.

4. At vero linea est continua, quia communem terminum sumere licet, quo partes ejus conjunguntur, nempe punctum. Et superficiei quoque communem terminum licet accipere lineam, quoniam plani partes communi quopiam termino conjunguntur, itidemque in corpore potes accipere communem terminum, lineam vel superficiem, qua corporis partes conjunguntur.

5. Ejusmodi est etiam tempus et locus; nam præsens tempus conjungitur cum præterito et cum futuro.

6. Rursus locus in continuis est, quia locum aliquem continent partes corporis, quæ communi aliquo termino copulantur; igitur etiam loci partes, quas continent singulæ corporis partes, eodem termino conjunguntur, quo partes corporis. Quare continuum est etiam locus, quia uno communi termino partes ejus copulantur. Præterea alia ex partibus invicem positionem inter se habentibus constant, alia ex non habentibus positionem, ut lineæ partes positionem inter se habent, quoniam unaquæque sita est alicubi, ac potest explicare et ostendere, ubi quæque sita sit in plano, et cum qua reliquarum partium conjungatur.

Explicato prædicamento substantiæ, explicat Aristoteles *prædicamentum quantitatis;* ac *primo* affert duas divisiones, atque explicat species quantitatis, *secundo* proponit tres proprietates quantitatis.

1. *Quoad primum, prima divisio* quantitatis est in quantitatem continuam et discretam, *secunda* in quantitatem, quæ constat ex partibus habentibus positionem ad invicem, et in quantitatem, quæ constat ex partibus non habentibus positionem ad invicem. Species et exempla quantitatis discretæ sunt numerus et oratio; species et exempla quantitatis continuæ sunt linea, superficies, corpus seu solidum, locus et tempus.

2. Quantitas discreta est, *cujus partes non copulantur ad aliquem terminum communem. Quantitas continua est, cujus partes copulantur ad aliquem terminum communem. Hinc primo colligitur* numerum, ex gr., denarium (idem valet de cæteris numeris) esse quantitatem discretam; partes enim numeri denarii, hoc est

decem unitates, nullum habent communem terminum, ad quem copulentur, sed unaquæque unitas est discreta ab aliis unitatibus.

3. Colligitur *secundo* orationem vocalem esse quantitatem discretam. Quod sit quantitas, probatur, quia oratio mensuratur syllaba longa et brevi; sed longum et breve mensurant solam quantitatem et sola quanta : ergo oratio est quanta. Quod vero sit discreta, ostenditur, quia partes orationis sunt syllabæ; sed syllabæ non copulatur ad ullum terminum communem; cum enim dico : *Petrus currit,* ad quem communem terminum copulantur syllabæ *Pe* et *trus?* Ergo oratio est quantitas, cujus partes non copulantur ad ullum terminum communem, sed manent discretæ.

4. Colligitur *tertio,* lineam, superficiem et solidum seu corpus, esse quantitates continuas. Nam potest in linea sumi punctum aliquod intermedium, ad quem copulentur partes lineæ, tanquam ad communem terminum, eo quod tale punctum sit finis unius partis et principium alterius. Potest similiter in superficie sumi aliqua linea intermedia, ad quam copulentur partes superficiei, tanquam ad terminum communem, qui sit finis unius partis et principium alterius. Potest in corpore seu solido sumi aliqua superficies intermedia, ad quam copulentur partes corporis, tanquam ad principium unius partis et finem alterius.

5. Colligitur *quarto,* tempus esse continuum, quia in hac hora, ex. gr., pars præterita et pars futura copulantur ad præsens instans, tanquam ad terminum communem. Præsens enim instans est finis temporis præteriti et principium futuri.

6. Colligitur *quinto,* etiam locum esse continuum. Sicut enim corpus, quod est in loco, habet partes correspondentes loco, et copulatas ad terminum communem, ita etiam locus habet partes copulatas ad terminum communem.

7. Itidem etiam plani partes habent positionem aliquam ; similiter enim explicari potest, ubi quæque sita sit et quænam connectantur inter se. Eadem est ratio partium corporis et loci. Sed in numero non potest aliquis ostendere, partes ejus habere positionem aliquam inter se, vel sitas esse alicubi, vel quæ partes inter se conjungantur. Nec partes temporis, quia nulla pars temporis permanet ; quod autem non permanet, quomodo positionem aliquam habere potest? sed potius ordinem aliquem habere dixeris, eo quod temporis alia pars est prior, alia posterior. Et in numero similiter res se habet, quia unum prius numeratur quam duo, et duo quam tria. Atque ita ordinem quemdam habere potest, positionem vero non utique accipies. Eadem est sermonis ratio, quia nulla ejus pars manet, sed quod dictum est, accipi amplius non potest. Quare non potest esse positio partium ejus, siquidem nulla permanet. Alia igitur ex partibus positionem habentibus constant, alia ex non habentibus positionem.

8 Atque hæc sola, quæ dicta sunt, appellantur proprie quanta, reliqua vero omnia ex accidente; nam ad hæc respicientes etiam alia vocamus quanta, veluti multum album dicitur, quia superficies magna est, et actio longa et motus multus, quia temporis multum est. Non enim per se unumquodque horum quantum dicitur. Veluti si quis explicet, quanta sit actio, tempore definiet, annuam dicens, aut alio simili modo explicans. Et quantum sit album, explicans, superficie definiet. quia quanta est superficies, tantum etiam album esse dicet. Quare sola proprie quanta per se appellantur, quæ dicta sunt ; ceterarum rerum nulla per se, sed ex accidente.

7. Progreditur Aristoteles ad *secundam divisionem quantitatis.* Alia enim quanta constant ex partibus habentibus positionem ad se invicem (est autem positio, per quam partes ita jacent, ut una sit ante, alia retro; una sit supra, alia infra; una sit ad dexteram, alia ad sinistram); alia quanta constant ex partibus, quæ non habent positionem ad invicem, sed merum ordinem, per quem una sit prius, alia posterius. Linea, superficies, corpus et locus constant ex partibus habentibus positionem, quia possumus in iis assignare partem, quæ sit ante, et partem, quæ sit retro, etc. Numerus, oratio et tempus constant ex partibus non habentibus positionem, sed merum ordinem, per quem una pars est prior, alia posterior. Una enim pars orationis profertur prius, alia posterius; una pars temporis præcedit aliam; una pars numeri prius numeratur, quam alia. Prius enim numeratur unum quam duo, et duo quam tria, etc. Cæterum in his non invenitur sursum et deorsum, dexterum et sinistrum; ante et retro, et universim in quantitate successiva, cujus partes simul non manent, non datur positio partium, sed solus ordo.

8. Addit Aristoteles, sola enumerata proprie et per se dici quanta, alia vero dici quanta solum per accidens et ratione istorum; ex. gr., albedo dicitur magna a magnitudine superficiei, in qua est albedo; actio, ut studium, dicitur longum

aut breve, quia tempus, quo quis studet est longum aut breve; et si quæratur : *quantum est studium?* respondebitur per tempus, quod est horarium; si quæratur : *quanta est albedo?* respondebitur per quantitatem superficiei, quæ est palmaris.

9. Præterea quanto nihil est contrarium, etenim in quantis definitis perspicuum est, nihil esse contrarium, ut bicubito, vel tricubito, vel superficiei, vel ejusmodi alii. Nihil enim est eis contrarium.

10. Nisi forte multum pauco dicat aliquis esse contrarium, vel magnum parvo. At horum nullum est quantum, sed potius ad aliquid. Nihil enim per se magnum dicitur vel parvum, sed eo quod ad alterum refertur, ut mons parvus dicitur, milium magnum, quoniam iis, quæ sunt ejusdem generis, hoc est majus, ille minor. Ergo ad alterum fit relatio, quia si per se parvum aut magnum diceretur, nunquam mons parvus diceretur et millium magnum. Rursus in vico multos hommes esse dicimus, Athenis paucos, cum multo plures illis sint ; et in ædibus multos, in theatro paucos, cum multo plures illis sint. Præterea bicubitum et tricubitum et id genus alia significant quantum ; magnum autem vel parvum non significat quantum, sed potius ad aliquid, quia in relatione ad alterum spectatur magnum et parvum. Quocirca perspicuum est, hæc esse in eorum numero, quæ sunt ad aliquid.

11. Præterea sive quis ponat ejusmodi res esse quanta, sive non ponat, nihil est eis contrarium. Quod enim per se accipi nequit, sed ad alterum refertur, quomodo erit ei quidpiam contrarium? Præterea si magnum et parvum sunt contraria, accidet, ut idem simul contraria suscipiat, et eadem sibi ipsis sint contraria. Accidit, enim ut idem simul magnum et parvum sit, utpote cum aliquid relatum ad hoc sit parvum, idemque relatione ad aliud habita sit magnum. Quare idem et magnum et parvum eodem tempore esse contingit, adeo ut simul contraria suscipiat. Sed nihil videtur contraria simul suscipere, ut in substantia perspici potest, quæ quidem videtur posse suscipere contraria. Sed nemo simul ægrotat et bene valet ; neque album et nigrum simul est, nec aliud quidquam simul contraria suscipit. Eadem quoque sibi contraria esse accidit. Nam si magnum est contrarium parvo, idemque simul est magnum et parvum, certe idem sibi ipsi contrarium fuerit. Sed fieri nequit, ut idem sibi ipsi contrarium sit. Non est igitur magnum parvo contrarium, nec multum pauco. Quare etiamsi non ad aliquid hæc dicat aliquis esse, sed quanta, tamen nihil contrarium habebunt. Maxime vero quanti contrarietas videtur in loco esse. Nam superiorem infero contrarium esse ponunt, locum, qui ad medium est, infra esse dicentes, propterea quod maxima est medii distantia a mundi extremitatibus. Quinimo aliorum quoque contrariorum definitionem videntur ab his ducere, quandoquidem contraria definiunt, quæ, cum in eodem genere sint, plurimum a se invicem distant.

9. *Quoad secundum*, proponit Aristoteles *tres proprietates quantitatis. Prima* est, quod non habet contrarium. Probat inductione in determinatis speciebus quantitatis; bicubitum enim ac tricubitum non habent contrarium.

10. *Opponit,* quia parvum est contrarium magno, et multum pauco. — *Respondet primo,* hæc non spectare ad quantitatem, sed ad relationem, ac dici cum respectu ad aliud. Magnum enim est, *quod est majus iis, quæ sunt sui generis;* parvum est, *quod est minus iis, quæ sunt sui generis.* Et probat, quia granum milii, si excedat alia grana milii, dicitur magnum; mons, si excedatur ab aliis montibus, dicitur parvus; et tamen secundum quantitatem absolutam talis mons, qui dicitur parvus, est incomparabiliter major maximo grano milii. Idem contingit in numeris. Si enim in vico sint homines trecenti, dicemus esse multos; si Athenis sint decem hominum millia, dicemus esse paucos. Si in domo sint centum homines, dicemus esse multos; si sint in theatro, dicemus esse paucos; ergo bicubitum quidem et tricubitum significant quantum; magnum et parvum significant relationem.

11. *Respondet secundo,* quod licet admittamus, magnum et parvum spectare ad quantitatem, adhuc non sunt contraria, quia, quæ dicuntur respective, non sunt contraria, alioquin posset idem simul suscipere contraria, cum possit idem esse magnum et parvum respectu diversorum. Ex quo etiam sequeretur, quod idem esset contrarium sibi, cum idem possit esse magnum et parvum respectu diversorum; sed est impossibile, ut idem simul recipiat contraria; quamvis enim substantia possit successive recipere contraria, tamen non potest illa recipere simul; ex. gr., non potest idem simul esse sanus et ægrotus, albus et niger; ergo, etc. Addit Aristoteles contrarietatem non dari in quantitate neque in relatione, sed præcipue ac principaliter in loco, et sursum ac deorsum esse loca contraria. Contraria enim sunt, quæ maxime distant in eodem genere; sed medium mundi seu centrum, quod vocatur *deorsum*, maxime distat a terminis et circumferentia mundi, quæ vocatur *sursum;* in figura enim rotunda ac circulari, qualis

est figura mundi, nihil magis distat a circumferentia quam medium seu centrum; ergo sursum et deorsum sunt contraria loca, quia maxime distant in genere loci.

12. Non videtur autem quantum recipere contentionem et remissionem, ut bicubitum ; non est enim aliud alio magis bicubitum. Nec in numero est aliqua contentio vel remissio, ut tria non magis quam quinque dicuntur quinque vel tria, nec quinque magis quam tria. Neque tempus dicitur aliud alio magis tempus. Et omnino in nulla dictarum specierum quanti dicitur magis et minus. Quapropter quantum non recipit contentionem et remissionem.

13. Sed maxime proprium est quanti dici æquale et inæquale. Dictorum enim quantorum unumquodque dicitur æquale et inæquale, ut corpus dicitur æquale et inæquale. Numerus quoque et tempus æquale et inæquale dicitur. Itidem aliorum, quæ dicta sunt, unumquodque æquale et inæquale dicitur. Cetera vero, quæ non sunt quanta, non utique videntur æqualia et inæqualia dici, ut dispositio æqualis et inæqualis non admodum dicitur, sed potius similis et dissimilis ; item album æquale et inæquale non admodum dicitur, sed potius simile vel dissimile. Quare maxime proprium fuerit quanti dici æquale et inæquale.

12. *Secunda proprietas* quantitatis est, non suscipere magis et minus. Nam licet unum album sit magis album quam aliud, tamen unum palmare non est magis palmare quam aliud ; nec unum bicubitum, est magis bicubitum quam aliud; nec tres homines sunt magis tres, quam tres equi sint tres; nec tria sunt magis tria, quam quinque sint quinque ; nec unum tempus est magis tempus quam aliud.

13. *Tertia proprietas* est, ut omnia quanta sint inter se proprie vel æqualia vel inæqualia, cum res aliorum prædicamentorum proprie non dicantur æqualia nec inæqualia, sed similia ac dissimilia; ex. gr., duo corpora dicuntur æqualia vel inæqualia; duo numeri dicuntur æquales vel inæquales; duo tempora dicuntur æqualia vel inæqualia; duæ etiam orationes dicuntur æquales vel inæquales. E converso duæ dispositiones, quæ sunt de prædicamento qualitatis, non solent dici æquales vel inæquales, sed potius similes vel dissimiles; ac similiter duo alba proprie non dicuntur æqualia, sed similia, ut patet ex opposito; nam album et nigrum non dicuntur inæqualia, sed dissimilia. Hæc tertia proprietas propriissime convenit quantitati.

CAPUT III vel VIII

DE RELATIVIS, SEU DE HIS, QUÆ AD ALIQUID.

1. [7] Ad aliquid ea dicuntur, quæcumque id, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quocumque alio modo ad aliud referuntur. Ut μεῖζον id, quod est, alterius dicitur, alicujus enim μεῖζον dicitur ; et duplum id, quod est, alterius dicitur, cujusdam enim duplum dicitur. Itidemque se habent quæcumque sunt ejusmodi. Sed et hæc sunt in iis, quæ ad aliquid referuntur, ut habitus, dispositio, sensus, scentia, positio. Hæc enim omnia, quæ dicta sunt, id, quod sunt, aliorum esse dicuntnr, vel quocumque alio modo ad alterum referuntur, nec aliud quidquam sunt. Nam habitus dicitur alicujus esse habitus, et scientia alicujus scientia, et positio alicujus positio, itidemque cætera. Sunt igitur ad aliquid, quæcumque id ipsum, quod sunt, aliorum esse dicuntur, vel quocumque alio modo ad aliud referuntur. Ut mons magnus dicitur per relationem ad alterum, quia mons relatione ad aliquid facta dicitur magnus. Et simile alicui simile dicitur. Itidemque ejusmodi alia dicuntur ad aliquid. Sed et recubatio, et status, et sessio sunt positiones quædam; positio vero est in iis, quæ sunt ad aliquid; recubare autem, vel stare, vel sedere non sunt ipsa quidem positiones, verum denominate a dictis positionibus dicuntur.

Postquam Aristoteles egit de substantia et quantitate, agit de *relativis*, seu de his, quæ dicuntur ad aliquid. *Primo* ergo proponit communem et antiquam definitionem relativorum, et quatuor eorum proprietates enumerat; *secundo* ostendit illam definitionem convenire aliquibus, quæ proprie non videntur relativa, ideoque ad illa excludenda, affert aliam definitionem strictiorem, ex eaque colligit unam proprietatem relativorum proprie dictorum.

1. *Quoad primum*, antiqua definitio relativorum est : *ad aliquid talia dicuntur, quæcumque hæc ipsa, quæ sunt, aliorum esse dicuntur vel quomodolibet ad alterum.* Sensus est, quod relativa sunt, quæ hæc ipsa, quæ sunt, dicuntur alterius cum habitudine casus genitivi, vel quomodolibet aliter ad alterum, cum habitudine alterius casus obliqui. Ex. gr., duplum, dimidium; pater, filius ; habitus, dispositio, scientia, sensus, positio, etc. sunt relativa, quia dicuntur alterius, cum habitudine casus genitivi. Duplum enim est dimidii duplum; dimidium est dupli dimidium; pater est filii pater; filius est patris filius; habitus est habentis habitus; dispositio est dispositi dispositio ; scientia est scibilis scientia ; sensus est sensibilis

sensus; positio est positi positio. Accubitus etiam, statio et sessio sunt positiones quædam, ideoque dicuntur ad aliquid. Accubitus enim in aliquo est accubitus; statio et sessio in aliquo sunt statio et sessio. At jacere sive accumbere, stare et sedere non sunt positiones, sed dicuntur denominative ab accubitu, statione et sessione, quæ sunt positiones. Rursus simile ac dissimile sunt alteri simile ac dissimile, ideoque important ad alterum habitudinem casus dativi; magnum et parvum ad alterum dicuntur magnum et parvum; ideoque important habitudinem accusativi; majus dicitur minore majus, minus majore minus, scibile est scientia scibile, sensibile est sensu sensibile; ideoque important habitudinem casus ablativi. E converso homo, equus, etc., sunt entia absoluta, quia homo non dicitur alterius homo, vel alteri homo.

2. Inest autem contrarietas in his, quæ sunt ad aliquid, ut virtus vitio contrarium est, cum utrumque eorum sit ad aliquid, et scientia ignorantiæ. Non tamen in omnibus, quæ sunt ad aliquid, contrarietas inest; nihil enim est contrarium duplo nec triplo, nec alii ejusmodi.

3. Videntur autem quæ sunt ad aliquid, recipere etiam contentionem ac remissionem. Nam simile et dissimile dicitur magis et minus. Æquale quoque et inæquale dicitur magis et minus, cum utrumque eorum sit ad aliquid: nam simile alicui simile dicitur, et inæquale alicui inæquale. Sed non omnia, quæ sunt ad aliquid, recipiunt contentionem et remissionem, quia nec duplum dicitur magis et minus duplum, nec tale quidpiam.

2. *Prima proprietas relativorum* est, quod quædam habent contrarium, alia non. Virtus enim et vitium, ignorantia et scientia dicuntur ad aliquid, et tamen sunt invicem contraria. E converso duplex et triplex et alia hujusmodi non habent contrarium.

3. *Secunda* proprietas est, ut quædam suscipiant magis et minus, alia non; ex. gr., simile et dissimile, æquale et inæquale suscipiant magis et minus; quædam enim sunt magis similia vel æqualia, quam alia. At duplum, triplex, dimidium et alia hujusmodi, non suscipiunt magis et minus; unum enim duplum non est magis duplum quam aliud.

4. Omnia vero, quæ sunt ad aliquid, referuntur ad ea, quæ reciprocantur, ut servus dicitur domini servus, et dominus servi dominus; necnon duplum dimidii duplum, et dimidium dupli dimidium; item majus minore majus, et minus majore minus. Itidem se res habet et in aliis, præterquam quod interdum casu differunt in locutione, ut scientia, dicitur scibilis scientia et scibile scientia scibile, item sensus sensibilis sensus ac sensibile sensu sensibile. Verum aliquando non videbuntur reciprocari, si non apte id traditum sit, ad quod refertur, sed tradens peccaverit, ut ala si ad avem referatur, non reciprocatur, nec dicitur avis alæ, quia non apte primum adhibitum fuit, id est ala ad avem. Non enim qua est avis, ala ipsius dicitur, sed qua est alatum, quandoquidem alæ dicuntur multarum aliarum rerum, quæ non sunt aves. Quare si apte adhibitum fuerit, etiam reciprocatur, ut ala dicitur alati ala et alatum ala alatum.

5. Ac fortasse interdum nomina fingere necesse est, nempe si nomen positum non sit ei, ad quod apte adhiberi posset, ut clavus si ad navem referatur, non est conveniens traditio, quia non qua navis est, ejus clavus dicitur, cum sint naves quædam, quarum non sunt clavi. Idcirco non reciprocatur, navis enim non dicitur clavi navis. Sed fortasse aptior erit traditio, si ita tradatur, clavus clavati clavus, aut quovis alio modo, quia nomen positum non est. Ac reciprocatur, si apte traditum sit; nam clavatum est clavo clavatum. Itidemque se res habet et in aliis, ut caput aptius utique capitati dicetur quam animalis, quia non qua est animal, habet caput, cum multa animalia capite careant. Ac fortasse potest aliquis ita facillime accipere ea, quibus nomina imposita non sunt, si a primis imponat nomina etiam iis, cum quibus reciprocantur, ut in his, quæ antea dicta sunt, ab ala alatum et a clavo clavatum. Quæcumque igitur sunt ad aliquid, si convenienter adhibeantur, ad ea referuntur, quæ secum reciprocantur. Nam si ad id quodvis adhibeatur, non ad id, ad quod dicitur, certe non reciprocatur. Dico autem, ne eorum quidem quæ constat referri ad ea, quæ reciprocantur, etiamsi nomina eis imposita sint, ullum reciprocari, si ad aliquod accidens adhibeatur, non ad id, ad quod dicitur, ut servus nisi domini dicatur servus, sed hominis vel bipedis vel cujusvis talis rei, non reciprocatur, quia non est conveniens traditio.

6. Quod si apte traditum sit ad quod refertur, cæteris omnibus quæ sunt accidentia demptis ac solo hoc relicto, ad quod apte adhibitum est, semper ad id referetur. Ut servus si refertur ad dominum demptis omnibus aliis, quæ accidunt domino, veluti bipedem et aptum ad discendum et hominem esse, hoc tantum relicto, eum esse dominum, semper servus ad ipsum referetur; servus enim domini servus dicitur. Quod si minus apte traditum sit id, ad quod refertur, demptis aliis ac relicto hoc solo, ad quod adhibebatur, non referetur amplius ad ipsum. Referatur enim servus ad hominem et ala ad avem, ac separetur ab homine eum esse dominum; non enim amplius servus ad hominem referetur, quia nisi sit dominus, non est servus.

Itidem etiam ab ave sejungatur alatum esse; nam ala in relatorum numero amplius non erit, quia nisi sit alatum, ne ala quidem erit alicujus. Quare oportet id tradere, ad quod apte refertur. Et si verbum positum sit, facilis est traditio; sin minus, necesse est fortasse nomen fingere. Quod si ita adhibeantur, perspicuum est omnia, quæ sunt ad aliquid, referri ad ea, quæ reciprocantur.

4. *Tertia proprietas* communis omnium relativorum est, ut si convenienter assignetur terminus correlativus, dicantur ad convertentiam, licet non semper cum habitudine ejusdem casus. Convertuntur cum habitudine ejusdem casus pater et filius, dominus et servus, duplum et dimidium, majus et minus. Pater enim est filii pater, filius est patris filius, servus est domini servus, dominus est servi dominus, duplum est dimidii duplum, dimidium est dupli dimidium, majus est minore majus, minus est majore minus, idemque dic de pluribus aliis. Convertuntur cum habitudine casus diversi scientia et scibile, sensus et sensibile, etc. Nam scientia est scibilis scientia, ideoque importat habitudinem casus genitivi; scibile vero dicitur scientia scibile in ablativo. Sensus dicitur sensibilis sensus, et sensibile dicitur sensu sensibile. Cum vero terminus non assignatur convenienter, tunc non convertitur; ex. gr., si quis assignet terminum alæ dicendo, quod *ala est avis ala,* non convenienter assignat terminum, ideoque non valet e converso, quod avis sit alæ avis. Debuit igitur terminus alæ assignari *alatum,* siquidem ala convenit avi, non in quantum est avis, sed in quantum est aliquid alatum, ideoque convenit etiam quibusdam alatis, quæ non sunt aves, ex. gr., draconi. Si vero terminus alæ assignetur *alatum,* dicitur ad convertentiam; quandoquidem sicut ala est alati ala, sic alatum est ala alatum.

5. Porro cum termino convenienti non est impositum nomen, debemus illud fingere; ex. gr., temo et remus sunt alicujus temo et remus; non tamen convenienter assignatur terminus temonis ac remi dicendo, quod remus est navigii remus, temo est navigii temo; siquidem temo et remus conveniunt navigiis, non in quantum sunt navigia; cum dentur etiam navigia sine temone et remis, ideoque navigium non dicitur ad convertentiam, temonis aut remi navigium. Quia igitur terminus temonis ac remi non habet nomen, debemus nomen fingere, dicendo, quod temo rei temonatæ est temo, remus rei remitæ est remus, et tum terminus dicitur ad convertentiam; temonatum enim temone est temonatum; remitum remo est remitum. Similiter non bene assignatur terminus capitis, dicendo quod caput est animalis caput, sed debet dici, quod caput capitali est caput. Neque enim caput convenit animali, in quantum est animal, siquidem non omne animal habet caput, sed convenit animali, in quantum est capitatum. Debent autem relativis innominatis imponi nomina per analogiam et proportionem ad ea, quibus nomina sunt imposita; ex. gr., quia ab ala impositum est nomen alati, a temone debet imponi nomen temonati. Patet igitur, quod omnia, quæ dicuntur ad aliquid, dicuntur ad convertentiam, si convenienter sumantur; si vero non convenienter sumantur, non dicuntur ad convertentiam. Servus enim licet manifestissime dicatur cum convertentia ad dominum, tamen si terminus servi assignetur homo vel bipes, vel aliquid, ad quod per accidens et materialiter dicitur servus, eo ipso non dicitur ad convertentiam; homo enim et bipes non est servi homo vel bipes.

6. Ut vero convenienter fiat assignatio termini in relativis, tradit Aristoteles hanc regulam. Assignandum est pro termino id, quo remanente, et circumscriptis seu sublatis omnibus aliis, adhuc relativum dicitur ad ipsum; ex. gr., terminus servi non debet assignari homo vel bipes, sed dominus. Ratio est, quia remanente domino seu dominus sit homo seu angelus, seu sit bipes seu carens pedibus, adhuc servus erit domini servus. Similiter terminus alæ non est avis, sed alatum: si enim detur avis non alata, ala non erit talis avis; si vero detur alatum, quod non sit avis, sed draco, adhuc ala erit talis alati.

7. Videntur autem, quæ sunt ad aliquid, simul natura esse. Quod sane in plerisque verum est; simul enim est duplum et dimidium, et cum est dimidium, est etiam duplum; et cum est dominus, est servus, et cum est servus, est dominus. Similis est aliorum ratio. Mutuo quoque hæc se tollunt; nisi enim duplum sit, non est dimidium; et nisi dimidium sit, non est duplum. Eadem est cæterorum ratio, quæ sunt ejusmodi. Sed non in omnibus iis, quæ sunt ad aliquid, videtur hoc verum esse, ea simul esse natura. Nam scibile videri possit prius esse quam scientia, quia plerumque, cum res antea

exstiterint, earum scientias nanciscimur; in paucis enim aut nullis rebus videre aliquis possit, una cum scibili scientiam ortam esse. Præterea scibile sublatum simul tollit scientiam, scientia vero sublata rem scibilem simul non tollit, quia nisi sit scibile, non est scientia. Si tamen scientia non sit, nihil prohibet scibile esse, ut circuli quadratura si est scibile, scientia quidem ejus nondum est, ipsum autem est scibile. Præterea sublato animali non erit scientia, scibilia vero multa esse contingit.

8. Similis est ratio eorum, quæ ad sensum pertinent. Nam sensile prius sensu videtur esse; sensile enim sublatum simul tollit sensum, sensus vero sublatus sensile simul non tollit. Nam sensus circa corpus et in corpore sunt; sensili vero sublato tollitur etiam corpus, siquidem in rerum sensibilium numero est etiam corpus; et si corpus non sit; tollitur etiam sensus. Quare sensile sublatum simul tollit sensum. Sensus autem sublatus non simul tollit sensile, quia sublato animali sensus tollitur, sensile autem nihilominus erit, ut corpus, calidum, dulce, amarum, et cætera omnia, quæ sub sensum cadunt. Præterea sensus fit una cum eo, quod sentiendi vi præditum est; simul enim fit animal et sensus. Sensile autem est antequam animal aut sensus sit; ignis etenim et aqua et cætera ejusmodi, ex quibus animal constat, sunt etiam antequam omnino animal aut sensus sit, quamobrem prius sensu sensile videri potest.

7. *Quarta proprietas* relativorum est, ut quædam relativa sint simul natura, ita ut neutrum ipsorum possit formaliter poni, quin simul ponatur aliud; neutrum possit tolli, quin simul tollatur aliud; quædam e converso non sint simul. Ex. gr., pater et filius sunt simul natura, quia non potest aliquis esse pater actu, filio non existente, nec potest desinere esse pater, filio remanente; duplum etiam et dimidium, dominus et servus sunt simul natura ex eadem ratione. E converso scientia et scibile non sunt simul natura, sed scibile videtur esse prius quam scientia. — *Probatur primo*, quia quæ sunt simul natura, non ita se habent, ut unum sit ante aliud; sed pleraque scibilia sunt, antequam a nobis sciantur, pauca vero vel nulla scibilia sunt, quæ, eo ipso quod sunt, sciantur a nobis; ergo, etc. — *Secundo probatur*, quia quæ ita se habent, ut, uno ablato, auferatur aliud, non autem e converso, non sunt simul natura; sed illud, quo ablato aliud aufertur, est prius; sed scibile et scientia ita se habent, ut, ablato scibili, eo ipso auferatur scientia, ablata scientia non eo ipso auferatur scibile; potest enim non dari scientia de aliquo, et tamen illud esse scibile, eo pacto, quo non datur scientia ac demonstratio de quadratura circuli, et tamen quadratura circuli est scibilis : ergo scientia et scibile non sunt simul natura, sed scibile est prius, scientia est posterior. — *Confirmatur*, quia, animali sublato, aufertur scientia : sed adhuc, animali sublato, possunt remanere multa scibilia : ergo potest auferri scientia, et adhuc remanere scibile.

8. Proportionalibus rationibus *probatur, sensibile esse prius sensu. Primo* enim, ablato sensibili aufertur sensus, ablato sensu non aufertur sensibile ; ergo sensibile est prius sensu. — *Probatur prima pars antecedentis*, quod, ablato sensibili, auferatur sensus. Omnis enim sensus est in aliquo corpore ; sed ablato sensibili aufertur omne corpus, cum omne corpus sit sensibile: ergo ablato sensibili aufertur sensus. — *Probatur secunda pars antecedentis*, quod, ablato sensu, non auferatur sensibile. Ablato enim animali, aufertur sensus, cum sensus non possit esse nisi in animali ; sed, ablato animali, adhuc possunt remanere corpora sensibilia, calida, frigida, dulcia, amara, etc. : ergo ablato sensu non eo ipso aufertur sensibile. — *Confirmatur*, quia sensus fit simul cum animali, nec est ante animal ; sed sensibilia sunt ante animal : ergo, etc. — *Probatur minor*, quia elementa ut ignis, aqua, etc., sunt ante animal, cum ex ipsis animal fiat ; sed elementa sunt sensibilia : ergo sensibilia sunt ante animal, adeoque sensibilia sunt ante sensum, et sunt priora sensu.

9. Sed dubitari potest, utrum nulla substantia in eorum, quæ ad aliquid referuntur numero esse dicatur, quemadmodum videtur, an hoc contingat in quibusdam secundis substantiis. Sane in primis substantiis verum est, quia nec totæ primæ substantiæ nec partes earum ad aliquid referuntur. Nam quidam homo non dicitur alicujus quidam homo, nec quidam bos alicujus quidam bos. Eadem est ratio partium ; nam quædam manus non dicitur alicujus quædam manus, sed alicujus manus ; et quoddam caput non dicitur alicujus quoddam caput, sed alicujus caput. Itidemque se res habet etiam in plerisque secundis substantiis, ut homo non dicitur alicujus homo, nec bos alicujus bos, nec lignum alicujus lignum ; sed dicitur alicujus possessio. Quæ igitur ejusmodi sunt, perspicuum est, non esse in eorum numero, quæ ad aliquid referuntur. Verum de quibusdam secundis substantiis est dubitatio, ut caput dicitur alicujus caput, et manus dicitur alicujus

manus, et cætera ejusmodi. Quare hæc videri possunt esse ad aliquid.

10. Ergo si satis commode relatorum definitio tradita est, aut valde difficile aut impossibile est ostendere, nullam substantiam in eorum numero esse dici, quæ ad aliquid referuntur. Si vero non satis commode. sed ad aliquid sunt, quorum essentia nihil aliud est quam ad aliquid modo quopiam esse affectum, fortassis aliquid ad hæc responderi poterit. Prior autem definitio convenit quidem omnibus iis, quæ sunt ad aliquid : sed non idem est. eorum essentiam esse ad aliquid, et ipsa id, quod sunt, ad alia referri.

9. *Quoad secundum, proponit Aristóteles dubium* contra allatam definitionem relativorum. Videtur enim sequi, quod quædam secundæ substantiæ sint relativæ. Licet enim primæ substantiæ tum totales tum partiales, non dicantur ad aliquid ; Petrus enim non est alicujus Petrus, Paulns non est alicujus Paulus, hæc manus non dicitur alicujus hæc manus, et hoc caput non dicitur alicujus hoc caput ; et, licet etiam quædam secundæ substantiæ totales non dicantur ad aliquid, ex. gr., homo et equus non dicuntur alicujus homo vel equus, licet equus dicatur alicujus possessio, ideoque possessio sit relativa ; tamen quædam secundæ substantiæ partiales dicuntur alicujus vel ad aliquid ; nam manus dicitur alicujus manus,caput alicujus caput ; sed absurdum est, quod substantia, quæ est ens omnino absolutum, sit relativa : ergo definitio allata non est bona.

10. *Respondet*, quod, admissa allata definitione, difficile, immo impossibile est salvare, quod nulla substantia sit relativa, ideoque ponit aliam definitionem relativorum dicens : *ad aliquid sunt, quibus hoc ipsum est esse, ad aliquid quodammodo se habere.* Non sufficit igitur ad hoc, ut aliqua sint relativa, quod dicantur ad aliquid, ut ponit prima definitio ;sed requiritur, ut ipsum esse relativorum et eorum essentia sit *esse ad aliquid, et certo modo se habere ad illud, ad quod dicuntur.* Ita *esse Patrem* est relativum ; quia non solum pater dicitur filii pater, sed ipsum *esse patrem* et essentia patris formaliter sumpti est *taliter se habere ad filium.* Ex eadem ratione *esse duplum, dimidium*, etc., sunt relativa. At *esse caput vel manum* non est relativum, quia, licet caput sit capitati caput, tamen ipsum *esse capitis* non consistit in hoc, quod est *habere ordinem ad capitatum,* sed in aliis prædicatis absolutis, ex quibus sequitur talis ordo. Similiter manus, pes et aliæ substantiæ partiales non sunt relativa ex eadem ratione.

11. Atque ex his manifestum est, si quis definite quidpiam noverit, quod sit ad aliquid, etiam id, ad quod refertur eum definite cogniturum esse. Ac perspicuum quidem ex his est, quod si quis novit hoc aliquid esse relatum, relatorum autem essentia nihil aliud est quam ad aliquid modo quopiam esse affectum, etiam illud novit ad quod hoc est aliquo modo affectum. Etenim si omnino id ignoret, ad quod hoc est aliquo modo affectum, ne an sit quidem aliquo modo ad aliquid affectum cognoscet. sed et in singulis hoc est perspicuum, ut si quis definite novit, hoc aliquid esse duplum. etiam cujus duplum sit, statim definite novit, quia si nullius definite scivit hoc esse duplum, neque an duplum sit omnino novit. Itidemque si novit, hoc aliquid esse honestius, etiam quo honestius est, statim definite necesse est eum cognoscere ob eamdem rationem. Neque indefinite cognoscet, hoc esse deteriori honestius : nam quod est ejusmodi, suspicio est, non scientia, quippe eum non exquisite sciat, esse honestius deteriori ; quoniam, si ita contingit, nihil est eo deterius. Quocirca perspicuum est, necesse esse, ut qui aliquid eorum, quæ cum aliquo conferuntur, definite cognoscit, illud quoque, ad quod refertur definite cognoscat. Sed caput et manum et cætera ejusmodi, quæ sunt substantiæ, ipsa quidem id ipsum, quod sunt, definite cognoscere licet, id vero, ad quod referuntur, non necesse est cognoscere. Cujus enim sit hoc caput aut cujus sit hæc manus, non est necesse scire definite. Quare hæc non possunt esse in iis, quæ ad aliquid referuntur. Si vero hæc non sunt in iis, quæ referuntur ad aliquid, utique vere dicitur nullam substantiam esse in iis, quæ referuntur ad aliquid. Fortassis autem difficile est, eum de hujusmodi rebus certum aliquid affirmare, qui non sæpius in eis versatus sit. Verum de his singulis dubitasse non est inutile.

II. Ex tradita definitione *infert Aristoteles,* proprietatem relativorum esse, ut sint simul cognitione et definitione, ita ut non possit quis unum relativum definite cgonoscere, quin definite cognoscat terminum. Ratio est manifesta, quia essentia relativi est *ad aliquid se habere* ; ergo impossihile est per definitionem scire ejus essentiam, quin sciatur, quod ad aliquid sic se habet, adeoque quin cognoscatur terminus. Si vero quis non cognoscat terminum, ad quem certo modo se habet relativum, neque cognoscit definite essentiam relativi, quæ consistit in hoc, ut ad talem terminum sic se habeat. — *Confirmatur* inductione relativo-

rum, in quibus patet, quod non possit unum sciri definite, quin cognoscatur aliud. Si quis novit definite duplum, cognoscit, quod duplum est bis tantum, quantum est aliud, respectu cujus est duplum ; ergo cognoscit subduplum, cujus essentia est, ut alterum sit bis tantum, quantum est ipsum ; et si non cognoscat subduplum, neque definite cognoscet duplum. Similiter, si quis cognoscat, aliquid esse melius, cognoscet, quod est deteriore melius ; si vero non cognoscat ac sciat definite, quod est deteriore melius, sed dubitet, an sit aliquid deterius ipso, nec cognoscet aut sciet definite, quod sit melius, sed solum suspicabitur, esse melius, sicut suspicatur, aliquid esse deterius ipso ; ergo universim qui definite scit unum relativum, scit etiam definite id, ad quod dicitur, adeoque est proprietas relativorum, ut non possit unum definite sciri, quin cognoscatur aliud. Hæc autem proprietas non convenit substantiis partialibus. Possumus enim scire definite caput, manum et alias partes substantiales, quin sciamus definite, cujus hæc sint manus aut caput ; cum aliud sit *esse caput*, aliud sit respectus ad rem capitatam ; ergo caput et aliæ substantiæ partiales non sunt relativæ ; ergo universim nulla substantia est relativa. Concludit Aristoteles, quod difficile est, aliquid certum circa hæc statuere, nisi sæpius fuerint pertractata, sed est utile, dubitando hanc quæstionem movisse.

CAPUT IV vel IX

DE QUALITATE ET QUALI.

1. [8] Qualitatem appello, ex qua aliqui dicuntur esse quales.

2. Qualitas autem in eorum numero est, quæ multifariam dicuntur. Una igitur species qualitatis habitus et affectio nuncupatur. Habitus ab affectione differt, quia est res diuturnior et permanentior, cujusmodi sunt scientiæ et virtutes. Nam et scientia videtur in iis esse, quæ sunt diuturna et difficulter amoventur, si quis vel mediocriter scientiam acceperit, nisi magna mutatio fiat a morbo vel aliquo alio ejusmodi casu. Itidemque virtus, ut justitia et temperantia et id genus cætera, non videtur facile amoveri aut mutari posse. Affectiones vero dicuntur, quæ facile moveri possunt et cito mutantur, ut calor et frigus, nec non morbus et sanitas et cætera ejusmodi. His enim homo est aliquo modo affectus; sed cito mutatur, dum ex calido frigidus fit et ex sanitate in ægritudinem incidit. Eadem est aliarum affectionum ratio. Nisi et harum quæpiam longinquitate temporis quasi naturalis evaserit et immedicabilis sit aut difficillime amoveri possit; quam aliquis, utpote jam habitum effectum, merito habitum appellaverit. Perspicuum autem est, hæc debere habitus vocari, quæ sunt diuturniora et difficilius amoventur ; nam qui scientiarum dogmata non admodum tenent, sed facile dimoveri possunt, eos non aiunt habere habitum, quanquam affecti sunt aliquo modo secundum scientiam vel detérius vel melius. Quamobrem differt habitus ab affectione, quia hæc facile amoveri potest, ille est diuturnior nec facile mutatur. At vero habitus sunt etiam affectiones; contra vero affectiones non necessario sunt habitus. Nam qui habent habitus, sunt etiam iis aliquo modo affecti ; qui vero affecti sunt, non omnino etiam habitum habent.

Postquam Aristoteles egit de relativis, agit *de qualitate et quali ;* ac *primo* definit qualitatem tum in concreto tum in abstracto, et enumerat quatuor species qualitatis; *secundo* proponit proprietates qualitatis et solvit quamdam objectionem.

1. *Quoad primum*, qualitatem definit Aristoteles : *secundum quam quales quidam esse dicuntur*. Supponit igitur per se notum esse, quid sit *esse qualem*. Cum enim omnes quærant : *qualis est res?* intelligunt id, quod quærunt, adeoque intelligunt, quid sit *esse qualem*.

2. Qualitas dicitur multipliciter. *Prima species qualitatis est habitus et dispositio.* Habitus differt a dispositione per hoc, quod dispositiones sunt facile mobiles ac cito mutabiles; habitus autem sunt permanentiores, diuturniores ac difficile mobiles ac permutabiles, ut scientiæ et virtutes: ex. gr., quando aliquis habet habitum scientiæ, non facile illum amittet, nisi magna facta sit mutatio, vel propter ingentem ægritudinem, propter quam inciderit in oblivionem aut amentiam, vel propter aliam causam. Similiter, si quis habeat habitum virtutis ut justitiæ, temperantiæ, etc., non facile illum amittet. E converso calor et frigus non sunt habitus, sed meræ dispositiones, quia facile mutantur. Rursus sanitas et ægritudo, cum sunt facile mutabiles, adhuc non sunt habitus, sed meræ dispositiones bonæ vel malæ. Cum vero sunt difficile permutabiles, sunt habitus, secundum quos aliquis dicitur sanus vel ægrotus habitualiter. Proportionaliter qui in disciplinis ac virtutibus non sunt firmiter et immobiliter radicati, non dicuntur habere habitum, sed solum esse bene dispositi. Addit Aristoteles dispositionem comparari ad

habitum sicut genus ad speciem; quia omnis habitus est quædam dispositio, non omnis dispositio est habitus, quandoquidem, si dispositio sit facile mobilis, non pervenit ad perfectionem habitus.

3. Alterum genus qualitatis est, ex quo ad pugilatum cursumve aptos aut ad sanitatem morbumve proclives esse dicimus, et omnino quæcumque secundum naturalem vim aut imbecillitatem dicuntur. Non enim singula hæc dicuntur, quia sint aliquo modo affecta, sed quia naturalem vim aut imbecillitatem habent ad aliquid facile faciendum aut nihil patiendum. Ut pugilares seu apti ad pugilatum et cursorii seu apti ad cursum dicuntur, non quia sint affecti aliquo modo, sed quia naturalem facultatem habent ad aliquid facile efficiendum. Valentes autem seu salubri corpore dicuntur, quia naturalem vim habent, ne quid facile a quibuslibet patiantur. Valetudinarii vero, quia naturalem imbecillitatem habent, ne quid facile a quibuslibet patiantur. His similia sunt durum et molle. Durum enim dicitur, quia naturalem vim habet ne facile secetur, molle autem, quia ad hoc ipsum imbecillitatem habet.

3. *Secunda* species qualitatis est *naturalis potentia et impotentia;* ex. gr., potentia naturalis, per quam aliquis etiam ante exercitium actuum est agilis et aptus ad currendum, vel est robustus ac firmus et aptus ad luctandum vel pugnandum; et similiter impotentia naturalis, per quam aliquis est tardus et ineptus ad cursum, vel debilis et ineptus ad luctam, spectat ad secundam speciem qualitatis. Ad eamdem spectat qualitas, per quam aliquis est aptus ad hoc, ut non patiatur a frigore, calore et aliis hujusmodi, vel est naturaliter obnoxius ad patiendum ab his, quæ qualitas ab Aristotele vocatur salubritas et insalubritas. Rursus durities est qualitas, per quam aliquid, ex gr., lignum, habet potentiam, ut non facile secetur; mollities est qualitas, per quam lignum habet oppositam impotentiam. Porro omnes istæ qualitates non sunt habitus et dispositiones, quia non sunt acquisitæ per actus, sed sunt naturales potentiæ et impotentiæ datæ a natura.

4. Tertium genus qualitatis sunt patibiles qualitates et passiones, ut dulcedo, amaror, acerbitas, et quæcumque sunt in eodem genere; item calor, frigus, albor, nigror. Has igitur esse qualitates perspicuum est. Nam quæ eas recipiunt, ab eis dicuntur qualia, ut mel, quia suscipit dulcedinem, dicitur dulce, et corpus dicitur album, quia recipit alborem. Itidemque in aliis res se habet. Patibiles autem qualitates dicuntur, non quod ipsa subjecta qualitates recipientia quidquam patiantur; nec enim mel eo quod aliquid patiatur, dicitur dulce, nec aliud quippiam tale. Similiter calor et frigus patibiles qualitates dicuntur, non quod ipsa subjecta, a quibus recipiuntur, aliquid patiantur; verum quia in sensibus omnes dictæ qualitates sunt passionis effectrices, idcirco patibiles qualitates dicuntur. Nam dulcedo passione quadam afficit gustum, et calor tactum, et similiter aliæ. Albor vero et nigror et cæteri colores non eodem modo, quo ea, quæ dicta sunt, patibiles qualitates dicuntur, sed quia a passionibus producti sunt. Multas igitur propter passionem mutationes colorum fieri manifestum est; nam pudore affectus ruber factus est, et pavefactus pallidus, et cetera ejusmodi. Quare si quis natura sit hujusmodi passione affectus, consentaneum est eum simili colore præditum esse. Nam quæ nunc, dum pudefieret, affectio circa corpus fiebat, eadem affectio in naturali constitutione fieri potest, adeo ut natura etiam similis color fiat.

4. *Tertia* species qualitatis dicitur *passibilis qualitas,* ut dulcedo, amaritudo, austeritas et his similia; rursus calor, frigus, albedo, nigredo, etc. Quod hæ omnes sint qualitates, probat Aristoteles, quia interroganti : *qualis est cibus?* respondemus quod est dulcis vel amarus; interroganti : *quale est corpus?* respondemus, quod est album aut nigrum : ergo dulcedo, amarities, albedo, nigredo, etc., sunt qualitates. Ex qualitatibus passibilibus, quædam dicuntur passibiles, non quia nascantur in subjecto ex aliqua passione, sed quia efficiunt aliquam passionem in sensu; aliæ vero dicuntur passibiles, quia nascuntur in subjecto ex aliqua passione; ex. gr., dulcedo dicitur qualitas passibilis mellis, non quia nascatur in melle ex aliqua passione, siquidem mel non dicitur dulce ex eo, quod sit aliquid passum, sed quia efficit aliquam passionem in sensu gustus; similiter calor et frigus dicuntur passibiles qualitates, non quia nascantur in subjecto ex aliqua passione, sed quia efficiunt aliquam passionem in sensu tactus. E converso albedo, nigredo et cæteri colores dicuntur qualitates passibiles, eo quod nascantur in subjecto ex aliqua passione. Quod autem colores nascantur in subjecto ex aliqua passione, probat Aristoteles, quia sicut in vultu humano ex passionibus fiunt mutationes colorum; nam, cum aliquis pudore afficitur, fit rubeus; cum timet, fit pallidus; ita verisimile est, quod ex proportionalibus naturalibus passionibus in rebus colores innascantur.

5. Quæcumque igitur talia symptomata principium sumpserunt ab aliquibus passionibus, quæ non facile amoveri possunt, sed permanent, patibiles qualitates dicuntur. Sive enim in naturali rei constitutione pallor aut nigror fiat, qualitates dicuntur; quales enim ex eis appellamur. Sive ob longum morbum aut æstum eidem accidit pallor vel nigror, nec facile emendantur, aut per totum vitam permanent, qualitates etiam hæc dicuntur, quia similiter quales ab eis dicimur. Quæcumque vero ab iis fiunt, quæ facile dissolvuntur et cito corriguntur, passiones nominantur, non qualitates, quia quales quidam ab eis non dicuntur. Neque enim erubescens, quia pudefit, ruber dicitur; nec pallescens, quia timet, pallidus, sed potius dicitur aliquid passus esse. Quocirca quæ ejusmodi sunt, passiones quidem dicuntur, non tamen qualitates. Similiter etiam in anima patibiles qualitates et passiones dicuntur. Nam quæcumque in ipso ortu statim a quibusdam passionibus, quæ non facile amoveri queunt, effecta sunt, qualitates dicuntur, ut amentia et ira et cetera ejusmodi. Quales enim ab his dicuntur, nempe iracundi et amentes. Similiter quæcumque aliæ sunt amentiæ non naturales, sed quibusdam aliis casibus effectæ, ita ut non facile mutari aut nullo modo amoveri possint, hæc quoque vocantur qualitates, quia quales ab eis dicuntur. Quæ vero ab iis fiunt, quæ facile et cito corriguntur, passsiones appellantur, veluti si quis molestia affectus fiat iracundior. Non enim dicitur iracundus, qui in hujusmodi perturbatione iracundior est, sed potius dicitur quidpiam passus esse. Quare quæ sunt ejusmodi, passiones quidem dicuntur, qualitates autem non item.

5. Ex accidentibus, quæ oriuntur ex passionibus, quædam dicuntur passibiles qualitates, quædam non dicuntur passibiles qualitates, sed meræ passiones. Passibiles qualitates dicuntur, quæ oriuntur ex passionibus difficile mobilibus et permanentibus; ex. gr., pallor et nigredo, per quas aliquis est permanenter niger vel pallidus, propter naturalem corporis constitutionem, dicuntur qualitates passibiles, quia per illas dicitur quis fieri qualis. Rursus pallor et nigredo, quæ alicui accidunt propter longam ægritudinem vel propter æstum, si non facile permutentur, vel sint permanentes per totam vitam, dicuntur qualitates ex eadem ratione, quia per illas dicimur quales. Interroganti enim : *qualis est Petrus?* bene respondetur : *est pallidus aut niger*, si permanenter sit pallidus aut niger. E converso, quæ accidunt alicui propter aliquam passionem cito transeuntem, adeoque non multum permanent, sed cito transeunt, non dicuntur qualitates, sed passiones. Ratio est, quia per illas non dicitur quis fieri qualis. Neque enim interroganti : *qualis est Petrus?* bene respondetur, quod est pallidus vel rubeus, licet de facto propter timorem factus sit transeunter pallidus, vel propter verecundiam factus sit transeunter rubens. Quod dictum est de accidentibus corporis, proportionaliter dicendum est de accidentibus animæ. Quæ enim accidunt animæ naturaliter, hoc est ab ipsa hominis nativitate, propter aliquam passionem difficile mobilem, ut amentia, mentis alienatio, iracundia et alia hujusmodi, dicuntur passibiles qualitates, quia per illas qualis quis dicitur. Interroganti enim : *qualis est Petrus?* bene respondetur, quod est amens vel iracundus, si permanenter est talis. Amentia etiam ac mentis alienatio accidens alicui permanenter propter ægritudinem, dicitur qualitas ex eadem ratione. E converso, quæ accidunt animæ transeunter propter aliquam passionem facile mobilem, non dicuntur qualitates, sed passiones; ex. gr., si quis propter tristitiam sit pronus ad iram, non idcirco dicitur iracundus, sed solum dicitur pati passionem iræ.

6. Quartum vero genus qualitatis est figura et circa quamque rem consistens forma, ut triangulus et quadratum, præterea rectitudo et obliquitas, et si quid his simile est, quia secundum singula hæc quale quidpiam dicitur. Nam triangulum aut quadratum esse quale quiddam dicitur, necnon rectum aut obliquum. Sed et secundum formam unumquodque dicitur quale. Rarum autem et densum et asperum et læve videri possunt quale quiddam significare. Sed apparet, hæc aliena esse a qualis divisione. Situm enim quemdam partium videtur potius utrumque declarare; densum enim dicitur, quia partes sibi invicem propinquæ sunt, rarum autem, quia distant a se invicem, et læve quidem, quia partes in rectum quodammodo positæ sunt, asperum autem, quia alia eminet alia superatur. Fortassis autem et quidam alius qualitatis modus esse videbitur; sed hi sunt, qui maxime fere in usu versantur. Qualitates itaque sunt hæ, quas diximus.

6. *Quartum* genus qualitatis est *forma et figura;* ex. gr., qualitas superficiei est *esse triangularem* vel *quadrangularem;* qualitas lineæ est *esse rectam aut curvam;* qualitas corporis est *esse rotundum aut quadratum*. Addit Aristoteles rarum ac densum seu spissum, asperum ac læve non tam esse qualitates quam positiones ac situs partium. Densum enim seu spissum est, *cujus partes sunt valde pro-*

pinquæ; rarum est, *cujus partes distant;* læve est, *cujus partes in rectitudinem quodammodo jacent;* asperum est, *cujus partes ita jacent, ut una emineat, altera fit depressa.* Concludit Aristoteles, fortasse dari etiam alios modos qualitatis, sed hos esse præcipuos ac magis principales.

7. Qualia vero sunt, quæ ab eis denominantur vel quovis alio modo ab eis dicuntur. Pleraque igitur ac fere omnia denominantur, ut ab albore albus et a grammatica grammaticus et ab justitia justus. Eadem est cæterorum ratio. Quædam vero, quia non sunt posita qualitatibus nomina, non possunt ab eis denominari, ut cursorius et pugilaris, qui secundum naturalem potestatem dicitur, a nulla qualitate denominatur, quia non sunt imposita nomina qualitatibus, secundum quas hi dicuntur quales, sicut imposita sunt scientiis, secundum quas pugiles aut palæstrici ob affectionem dicuntur. Pugilaris enim scientia dicitur et palæstrice, a quibus denominantur, qui affecti sunt. Interdum vero etiam nomine qualitati posito non denominatur quod secundum eum dicitur quale. Ut a virtute dicitur σπουδαῖος, id est virtute præditus; nam eo quod virtutem habet, σπουδαῖος seu virtute præditus dicitur, sed non denominatur a virtute. Verum hoc non in multis contingit. Qualia igitur dicuntur, quæ a dictis qualitatibus denominantur vel quovis alio modo ab eis dicuntur.

7. Post definitionem qualitatis in abstracto, tradit Aristoteles *definitionem qualis in concreto* dicens : *qualia sunt, quæ dicuntur denominative a qualitatibus vel quomodolibet aliter ab illis.* Plurima ergo ac pæne omnia dicuntur denominative a qualitatibus; ex gr., a candore, qui spectat ad tertiam speciem qualitatis, dicitur denominative candidus; a grammatica et justitia dicitur denominative grammaticus et justus. Aliqua tamen sunt, quæ non dicuntur denominative a qualitatibus, eo quod talibus qualitatibus non sint imposita nomina; ex gr., cursor et pugillator, qui non dicuntur secundum habitum acquisitum, sed secundum naturalem potentiam currendi ac pugnis certandi, non dicuntur denominative, quia non est impositum nomen naturali potentiæ currendi ac pugnis certandi, sicut est impositum nomen disciplinis acquisitis currendi ac pugnis certandi, a quibus disciplinis denominative dicuntur : *cursor et pugillator.* Sunt etiam quædam qualitates habentes nomen, a quibus tamen non dicitur denominative subjectum, quod afficitur talibus qualitatibus; ex gr., virtus habet nomen, et tamen qui virtutem habet, non dicitur virtuosus, sed studiosus. Qualia igitur sunt, quæ dicuntur denominative a qualitatibus, ut accidit in plerisque, vel quomodolibet aliter dicuntur a qualitatibus, ut accidit in aliquibus.

8. Inest autem contrarietas in qualitate, ut justitia injustitiæ contraria est, et albor nigrori, et itidem cætera. Quin etiam quæ ab eis qualia dicuntur, ut injustum justo, et album nigro. Sed non in omnibus hoc contingit; nam flavo aut pallido aut ejusmodi coloribus nihil est contrarium, cum sint qualia. Præterea si contrariorum alterum sit quale, etiam reliquum erit quale. Hoc autem ex singulis perspicuum est percurrenti alias categorias. Verbi gratia, si justitia est injustitiæ contraria, et justitia est qualitas, certe etiam injustitia est qualitas, quia nulla alia categoria conveniet injustitiæ; id est nec quantitas nec ad aliquid nec ubi nec omnino ejusmodi quippiam præter qualitatem. Itidem se res habet etiam in aliis, quæ sunt contraria in qualitate.

8. *Quoad secundum, prima proprietas qualitatis* est, ut quædam habeant contrarium, aliæ non; ex. gr., justitia est contraria injustitiæ, virtus vitio, albedo nigredini; justus etiam est contrarius injusto, album nigro. E converso rubedo, pallor et colores medii, licet sint qualitates, adhuc non habent proprie contrarium. Rursus cum unum contrariorum est qualitas, etiam aliud est qualitas; ex gr., si justitia est qualitas et injustitia est contraria justitiæ, etiam injustitia est qualitas, nec spectat ad prædicamentum quantitatis, neque ad prædicamentum relationis, neque ad prædicamentum loci, neque ad ullum aliud prædicamentum a qualitate distinctum.

9. Recipiunt autem qualia intentionem et remissionem album; enim magis et minus alterum altero dicitur, et justum alterum altero magis et minus. Quin etiam unum et idem recipit incrementum quod; enim candidum est, candidius fieri potest. Non omnia tamen, sed pleraque ita se habent. Nam dubitare quispiam possit, an justitia magis et minus quam alia justitia dicatur, similiterque dubitari potest de aliis affectionibus. Quidam enim de hujusmodi rebus dubitant, et justitiam justitia non admodum aiunt magis et minus dici, nec sanitatem sanitate; sed minus alterum altero habere sanitatis inquiunt, et justitiæ minus alterum altero habere, itidemque minus grammaticæ et aliarum affectionum. Quæ vero ab his dicuntur qualia, sine dubitatione recipiunt contentionem et remissionem; nam magis grammaticus alter al-

tero dicitur et justior et sanior, et in aliis itidem se res habet. Triangulus vero et quadratum non videntur recipere intentionem et remissionem, nec ulla alia figura ; nam quæ recipiunt trianguli et circuli definitionem, omnia æque trianguli aut circuli sunt. Ex iis autem, quæ non recipiunt eamdem definitionem, non dicetur alterum altero magis tale ; nihilo enim magis quadratum quam altera parte longius est circulus, cum neutrum recipiat circuli definitionem. Simpliciter autem, nisi ambo recipiant rei propositæ definitionem, non dicetur alterum altero magis tale. Itaque non omnia qualia recipiunt intentionem et remissionem. Nihil igitur ex iis, quæ dicta sunt, est proprium qualitatis.

9. *Secunda proprietas* qualitatis est, ut quædam qualia in concreto suscipiant magis et minus ; ex. gr., unus est altero justior ; unus est magis albus, quam alter ; imo potest idem, qui est justus, fieri magis justus ; et potest idem, qui est albus, evadere magis albus. Videtur tamen, quod qualitates in abstracto non suscipiant magis et minus ; nam una justitia non est magis justitia quam alia ; nec una sanitas est magis sanitas quam alia. Imo figuræ neque in concreto suscipiunt magis et minus. Neque enim unum triangulum est magis triangulum quam aliud, neque unus circulus est magis circulus quam alius. Vel enim comparantur ea, quibus proprie convenit definitio circuli et trianguli, ut duo circuli et duo trianguli ; et ex his neuter est magis circulus quam alius, neuter est magis triangulus quam alius ; vel comparantur ea, quibus non convenit definitio circuli ac trianguli, ut quadratum et altera parte longius ; et ex his etiam neuter est magis circulus ac triangulus, quam alius ; neque enim quadratum magis est circulus, quam altera parte longius sit circulus, etc. Addit Aristoteles, quod ex his duabus proprietatibus neutra est proprietas qualitatis quarto modo.

10. Similia vero aut dissimilia secundum solas qualitates dicuntur ; simile enim alterum alteri non est alia ratione, quam qua est quale. Quare proprium qualitatis fuerit simile vel dissimile secundum eam dici.

11. Non oportet autem commoveri et vereri, ne quis dicat nos, cum de qualitate dicere instituerimus, multa, quæ ad aliquid referuntur connumerasse, quoniam habitus et affectiones dicebamus esse ad aliquid.

12. Fere enim in ejusmodi omnibus genera dicuntur ad aliquid, singulorum autem nihil est aliquid. Nam scientia cum sit genus, id quod est, alterius dicitur ; alicujus enim scientia dicitur. Singularum autem scientiarum nulla id quod est alicujus dicitur, ut grammatica non dicitur alicujus grammatica, nec musica alicujus musica. Nisi forte ratione generis hæ quoque dicuntur ad aliquid, ut grammatica dicitur alicujus scientia, non alicujus grammatica, et musica alicujus scientia, non alicujus musica. Quare singulæ scientiæ non sunt ad aliquid. Dicimur autem quales ex scientiis singulis, quoniam has habemus ; et scientes dicimur, eo quod singularum scientiarum aliquas habemus. Quocirca qualitates sunt hæ singulæ, a quibus dicimur quales ; sed hæ non sunt in iis, quæ referuntur ad aliquid. Præterea si idem sit quale et ad aliquid, nihil absurditatis est in utrisque generibus id connumerari.

10. *Tertia proprietas* quarto modo qualitatis est, ut secundum qualitates res dicantur similes et dissimiles. Neque enim res proprie dicuntur similes ac dissimiles nisi in qualitate.

11. *Opponit* Aristoteles contra doctrinam traditam : quædam, quæ enumerata sunt inter qualitates, dicuntur *ad aliquid*, adeoque spectant ad prædicamentum relationis ; ergo confunduntur prædicamenta. Probatur antecedens ; nam habitus et dispositiones, alicujus sunt habitus ac dispositiones ; ergo, etc.

12. *Respondet* Aristoteles dupliciter : *primo*, quod habitus et dispositiones dicuntur ad aliquid secundum genus commune, non vero secundum proprias species ; ex. gr., disciplina, quæ est genus ad grammaticam, musicam, etc., dicitur alterius disciplina ; at grammatica, musica, etc., non dicuntur alterius grammatica neque alterius musica, sed solum dicuntur alterius disciplinæ ; ergo species particulares non dicuntur ad aliquid ; sed nos dicimur quales a speciebus particularibus, quas habemus in nobis ; ex. gr., dicimur grammatici, eo quod habeamus grammaticam ; dicimur etiam scientes, eo quod habeamus aliquam ex scientiis particularibus ; ergo dicimur quales a qualitatibus, quæ secundum rationem specificam non sunt ad aliquid, licet secundum genus sint ad aliquid. *Secundo* respondet, quod si idem sit quale et ad aliquid, non est inconveniens, quod ponatur in utroque genere et prædicamento, qualitatis nimirum et relationis.

CAPUT V vel X

DE ACTIONE ET PASSIONE.

1. [9] Agere et pati recipiunt contrarietatem et contentionem ac remissionem. Nam calefacere

et refrigerare sunt contraria, necnon calefieri et refrigerari, item lætari ac dolere. Itaque recipiunt contrarietatem et intentionem ac rei missionem. Calefacere enim licet magis et minus, et calefieri magis et minus, et dolere magis et minus. Agere igitur et pati recipiunt intentionem et remissionem. Hæc de his dicta sint.

1. Postquam Aristoteles fusius egit de primis quatuor prædicamentis, brevissime expedit, quæ spectant ad actionem et passionem et reliqua prædicamenta. Assignat duas proprietates actionis et passionis. Prima est, quod agere et pati habent contrarium; secunda est, quod suscipiunt magis et minus. Quod habeant contrarium, patet : nam frigefacere et calefacere sunt contraria, et significant actionem; frigefieri et calefieri, delectari et contristari sunt contraria, et significant passionem. Quod suscipiant magis et minus, patet ; potest enim aliquid magis aut minus calefacere, potest magis aut minus calefieri, potest magis aut minus tristari. Cum vero utraque proprietas conveniat etiam aliquibus aliis prædicamentis, patet, neutram esse proprietatem actionis aut passionis quarto modo.

CAPUT VI vel XI

DE RELIQUIS PRÆDICAMENTIS.

1. Dictum est autem et de eo, quod est situm esse, in iis, quæ sunt ad aliquid, nempe id a positionibus denominari. Quod vero ad reliquas categorias, id est quando, ubi, habere, quoniam manifestæ sunt, nihil aliud de eis dicitur quam quæ initio dicta fuerunt, quod habere quidem significat calceatum esse, armatum esse, ubi, ut in Lyceo, in foro; et cætera, quæ de his dicta sunt.

1. Quoad situm, dictum est cap. III, vel VIII, de relativis, num. 1, quod situs dicitur per denominationem a positionibus, quæ dicuntur ad aliquid. De reliquis tribus prædicamentis, quæ sunt : *quando*, *ubi* et *habere*, quia sunt manifesta, nihil est addendum præter ea, quæ de ipsis dicta sunt tractatu I, cap. V. *Habere* enim significat *calceatum esse*, *armatum esse*, etc.; *ubi* significat *esse in lyceo vel in foro*, etc. Hæc igitur de decem prædicamentis dicta sufficiant.

TRACTATUS III

DE POSTPRÆDICAMENTIS

CAPUT I vel XII

DE OPPOSITIS.

1. [10] De propositis itaque generibus sufficiunt quæ dicta sunt. Jam de oppositis, quot modis opponi soleant, dicendum est. Dicitur autem alterum alteri opponi quadrifariam, vel ut ad aliquid, vel ut contraria, vel ut privatio et habitus, vel ut affirmatio et negatio. Sic autem opponitur horum unumquodque, ut typo dicam, ut ad aliquid, veluti duplum dimidio; ut contraria, veluti malum bono; ut privatio et habitus, veluti cæcitas et visus; ut affirmatio et negatio, veluti sedet, non sedet.

2. Quæcumque igitur ut ad aliquid opponuntur, id ipsum, quod sunt, oppositorum dicuntur, aut quomodocumque aliter ad ea referuntur. Ut duplum dimidii id ipsum, quod est, alterius dicitur : alicujus enim duplum dicitur. Scientia quoque scibili opponitur ut ad aliquid; diciturque scientia id ipsum, quod est, ipsius scibilis. Et scibile quoque id ipsum, quod est, ad oppositum refertur, nempe ad scientiam; nam scibile dicitur aliquo scibile, nempe scientia. Quæcumque igitur opponuntur ut ad aliquid, id ipsum, quod sunt, oppositorum esse dicuntur, aut quomodocumque inter se referuntur.

Postquam Aristoteles egit de singulis prædicamentis in particulari, agit de quibusdam, quæ, quia consequuntur omnia vel pleraque prædicamenta, tanquam quædam illorum proprietates et accidentia, vocantur postprædicamenta. Sunt autem hæc numero quinque : *oppositio, prius, simul, motus* et *habere*. Oppositio, prioritas et simultas conveniunt aliqualiter omnibus prædicamentis; nam et omnia prædicamenta habent invicem oppositionem, cum sint primo diversa; et dividuntur in suas species per oppositas differentias; et in singulis genus est aliquo modo prius quam species; et genus et species sunt simul tempore. Motus late sumptus pro mutatione sequitur ad quatuor prædicamenta : substantiam nimirum, quantitatem, qualitatem et locum. *Habere* præsertim consequitur ad substantiam, cum substantia dicatur habere accidentia, etc.

1. *Primo* igitur Aristoteles agens de oppositis, docet, quod opposita dicuntur quadrupliciter : relative nimirum, contrarie, privative, hoc est ut habitus et privatio, ac contradictorie, hoc est ut affirmatio et negatio. Ex. gr., duplum opponitur relative dimidio, malum opponitur contrarie bono, cæcitas opponitur privative visioni, *sedet* et *non sedet* opponuntur contradictorie, seu tanquam affirmatio ac negatio.

2. Relative opponuntur, *quæ hæc ipsa, quæ sunt, oppositorum esse dicuntur, aut quomodolibet aliter ad ipsa opposita;* ex. gr., duplum opponitur relative dimidio, quia duplum, hoc ipso, quod est duplum, dimidii est duplum; similiter disciplina et disciplinatum opponuntur relative, quia disciplina est disciplinati disciplina, disciplinatum disciplina est disciplinatum; ergo universim relative opposita sunt, *quæ hoc ipsum, quod sunt, oppositorum esse dicuntur, vel quomodolibet aliter ad opposita.*

3. Quæ vero opponuntur ut contraria, id ipsum, quod sunt, nequaquam sui invicem dicuntur, sed contraria inter se dicuntur. Neque enim bonum dicitur mali bonum, sed contrarium, nec album nigri album, sed contrarium. Quare hæ oppositiones inter se differunt.

4. Quæcumque vero contraria ejusmodi sunt, ut necesse sit, eorum alterum in eis inesse, in quibus natura comparatum est, ut insint aut quibus attribuuntur, inter hæc contraria nihil est interjectum. Quorum autem non est necesse alterum inesse, in horum medio est omnino aliquid collocatum. Utputa natura comparatum est, ut morbus et sanitas sint in corpore animalis, ac necesse est, alterum inesse in animalis corpore, vel morbum vel sanitatem. Item impar et par numero attribuitur, ac necesse est, alterum numero inesse, aut impar aut par. Atque nihil est his interjectum, nec morbo et sanitati, nec impari et pari. Quorum vero non est necesse, alterum inesse, in horum medio est aliquid. Utputa natura comparatum est, ut nigrum et

album sint in corpore, neque necesse est alterum eorum in corpore inesse, quia non omne corpus est vel album vel nigrum. Item improbum et probum attribuitur et animali et aliis multis, neque necesse, est horum alterum in iis inesse, quibus attribuitur, quia non omnia improba aut proba sunt. Et est aliquid in horum medio, ut albi et nigri fuscum et pallidum et quicumque alii colores sunt; improbi autem et probi, quod neque est improbum neque probum. In nonnullis igitur sic se res habet, ut nomina mediis sint imposita, ut albi et nigri media sunt fuscum et pallidum et quicumque alii colores sunt. In quibusdam vero haud facile est, id quod est in medio, nomine demonstrare, sed utriusque extremi negatione definitur quod est in medio, veluti quod neque bonum est neque malum, et neque justum neque injustum.

3. Contrarie opponuntur, *quæ hæc ipsa, quæ sunt, nullo modo ad se invicem dicuntur, sed contraria sibi invicem dicuntur*. Ex. gr., bonum et malum non opponuntur relative, quia bonum non dicitur mali bonum, sed solum dicitur contrarium malo, ideoque opponuntur contrarie; similiter album et nigrum non opponuntur relative, sed contrarie, quia album non dicitur nigri album, sed dicitur contrarium nigro. Differunt igitur opposita relative ab oppositis contrarie, quod opposita relative dicuntur esse alterius oppositi, vel quomodolibet ad alterum oppositum; at opposita contrarie non dicuntur alterius, sed solum dicuntur contraria alteri.

4. Ex contrariis quædam non habent medium positivum, quædam habent medium positivum. Ea non habent medium positivum, quorum alterum necessario inest subjecto proprio, in quo nata sunt fieri, et de quo nata sunt prædicari; ex. gr., quia in corpore vivo animalis necessario inest ægritudo vel sanitas, ideo sanitas et ægritudo ita sunt contraria, ut non habeant medium positivum; quia numerus necessario est vel par vel impar, ideo par et impar ita sunt contraria, ut non habeant medium positivum. Ea contraria habent medium positivum, quorum non est necessarium, alterum inesse subjecto proprio; ex. gr., non est necessarium, ut corpus animalis sit album aut nigrum, cum possit esse pallidum aut fuscum aut rubrum; ideo album et nigrum sunt colores ita contrarii, ut inter eos dentur colores medii; similiter potest homo nec esse bonus neque malus, ideoque inter bonum et malum datur medium, hoc est homo, qui neque sit bonus neque malus. Addit Aristoteles medium contrariorum aliquando habere nomen proprium, ut in coloribus; aliquando non habere nomen proprium, ut in bonitate et malitia. Medium, quod non habet nomen proprium, definitur per negationem utriusque extremi; ex. gr., medium inter bonum et malum est: quod neque est bonum neque malum; medium inter justum et injustum est, quod neque est justum neque injustum.

5. Privatio autem et habitus dicitur circa idem aliquid, ut visus et cæcitas circa oculum. Et ut in universum dicam, in quo natura comparatum est, ut habitus sit, circa hoc dicitur horum utrumque esse. Tunc vero dicimus, singula quæ habitum recipere possunt, privata, esse, cum in quo natura inesse debet, aut quando natura haberi debet, nullo modo inest. Edentulum enim dicimus, non quod non habet dentes, et cæcum, non quod non habet visum, sed quod non habet, quando natura habere debet. Nam quædam ab ortu nec visum nec dentes habent, non tamen dicuntur edentula neque cæca.

6. Jam vero privatum esse et habere habitum non est privatio et habitus. Nam aspectus est habitus, cæcitas est privatio; habere autem aspectum non est aspectus, nec cæcum esse est cæcitas. Etenim cæcitas est privatio quædam; at cæcum esse est privatum esse, non privatio. Nam si cæcitas et cæcum esse idem essent, utraque eidem attribuerentur. Atqui homo dicitur cæcus, nequaquam autem homo dicitur cæcitas. Sed et hæc, privatum esse et habere habitum, videntur opponi ut privatio et habitus. Nam modus oppositionis est idem ; ut enim cæcitas opponitur aspectui, ita etiam cæcum esse opponitur ei, quod est habere aspectum. Id quoque, quod sub affirmationem et negationem cadit, non est affirmatio et negatio; nam affirmatio est oratio affirmans et negatio est oratio negans: ex iis vero, quæ sub affirmationem et negationem cadunt, nihil est oratio, sed res. Sed et hæc dicuntur sibi invicem opponi ut affirmatio et negatio, quoniam in his quoque idem est modus oppositionis. Ut enim affirmatio et negatio opponuntur, veluti sedet non sedet, ita etiam opponuntur res utrique orationi subjectæ, veluti sedere aliquem et non sedere.

5. *Privative opponuntur* forma et carentia formæ circa idem subjectum aptum habere utrumque; ex. gr., respectu oculi privative opponuntur cæcum et habens visum. Subjectum capax tum solum dicitur privari, quando ex sua natura est aptum habere formam et non habet; ex. gr., canis recens natus, licet non habeat visum, adhuc non dicitur cæcus, quia adhuc non debet visum habere; sed cum

debet habere visum et non habet, tum dicitur cæcus; similiter infans carens dentibus non dicitur edentulus, quia non debet habere dentes; si vero tum homo careat dentibus, cum debet habere dentes, dicitur edentulus.

6. Addit Aristoteles, quod non est idem *privari* et *privatio*, *habere habitum* et *habitus*. *Probat primo :* si enim idem esset habere habitum et habitus, cum visus sit habitus, idem esset habere visum, et visus; similiter si idem esset *privari* et *privatio*, cum cæcitas sit privatio, idem esset privari visu seu esse cæcum et cæcitas, quod est falsum; nam *esse cæcum* est privari visu, non autem privatio visus. *Secundo* probat, quia si idem esset cæcitas et *esse cæcum*, de omni, de quo dicitur *esse cæcum*, posset dici cæcitas, quod est falsum; de homine enim potest dici, quod sit cæcus, non autem, quod sit cæcitas. Adhuc tamen *privari* et *habere habitum* eodem pacto opponuntur, sicut privatio et habitus; ex. gr., eodem genere oppositionis, quo opponuntur visus et cæcitas, opponuntur *habere visum* et *esse cæcum*. Sicut non est idem privari et privatio, habere habitum et habitus, sic quod affirmatur aut negatur, non est idem cum affirmatione aut negatione. Affirmatio enim et negatio sunt oratio; quod autem affirmatur aut negatur non est oratio, sed res. Dicuntur tamen res affirmatæ et negatæ opponi sicut affirmatio et negatio. Sicut enim orationi dicenti : *Petrus sedet*, opponitur oratio dicens : *Petrus non sedet ;* sic *sedere* opponitur *non sedere*.

7. Privationem autem et habitum non opponi ut ea, quæ sunt ad aliquid, perspicuum est, quia id ipsum, quod est, non dicitur oppositi. Nam aspectus non est cæcitatis aspectus, nec ullo alio modo ad id refertur. Item cæcitas non dicitur cæcitas aspectus; sed privatio quidem aspectus ipsa cæcitas dicitur, cæcitas autem aspectus non dicitur. Præterea quæcumque sunt ad aliquid, referuntur ad ea, quæ reciprocantur. Quare etiam cæcitas, si esset ad aliquid, reciprocaretur cum eo, ad quod refertur. Sed non reciprocatur, quoniam aspectus non dicitur cæcitatis aspectus.

7. Explicatis relativis, contrariis et privativis, quia poterat dubitari, an oppositio privativa distinguatur a relativa et a contraria, probat Aristoteles, quod distinguatur, afferendo quædam discrimina inter oppositionem privativam, relativam et contrariam. Primum discrimen oppositionis privativæ a relativa est : unum relativorum dicitur alterius, vel quomodolibet ad aliud; at habitus et privatio non dicuntur alterius, vel quomodolibet ad alterum; nam visus non dicitur cæcitatis visus, nec alio modo dicitur ad cæcitatem; similiter cæcitas non dicitur visionis cæcitas, sed solum dicitur privatio visionis. Secundum discrimen est : relativa dicuntur ad convertentiam, privativa non dicuntur ad convertentiam; licet enim cæcitas dicatur privatio visus, visus non dicitur visus cæcitatis.

8. Ne ut contraria quidem opponi ea, quæ secundum privationem et habitum dicuntur, ex his manifestum est. Nam contrariorum, inter quæ nihil est interjectum, semper necesse est, alterum inesse in quibus natura comparatum est, ut insint aut quibus attribuuntur, siquidem inter ea nihil erat medium, quorum alterum necesse erat, in eo inesse, quod suscipiendi vim habet, ut in sanitate et morbo, necnon impari et pari perspici potest.

9. Inter quæ autem est medium, nunquam necesse est, eorum alterum in omni eo inesse, quod suscipiendi vim habet ; neque enim album aut nigrum necesse est esse, quodcumque suscipiendi vim habet, nec calidum vel frigidum, quia medium aliquod inter hæc esse, nihil prohibet.

10. Præterea eorum erat aliquod medium, quorum alterum in subjecto vim recipiendi habente, inesse necesse non erat, exceptis eis, quibus natura unum inest, ut igni calidum esse et nivi albam esse. In his autem definite necesse est, alterum inesse, non utrumlibet. Neque contingit, ignem esse frigidum aut nivem nigram. Quare non est necesse, omni subjecto suscipiendi vim habenti inesse horum alterum, sed eis solum, quibus natura unum inest, hisque definite unum, non utrumlibet. In privatione autem et habitu neutrum eorum, quæ dicta sunt, verum est. Non enim semper in eo quod suscipiendi vim habet, necesse est, alterum horum inesse, quia quod natura nondum videre potest, id neque cæcum esse neque aspectum habere dicitur. Quapropter hæc non erunt ex eis contrariis, quorum nihil est medium. Sed neque ex eis, quorum est medium, quoniam necesse est, quandoque omni subjecto suscipiendi vim habenti inesse eorum alterum. Cum enim ei a natura tributum est, ut visum habeat, tunc aut cæcum aut videns dicetur. Nec horum definite alterum, sed utrumlibet. Non est enim necesse, aut cæcum esse aut visum habere, sed alterutrum. Contrariorum vero, quorum est aliquod medium, nunquam alterum necesse est inesse in omni subjecto, quod recipiendi vim habet, sed in quibusdam tantum ; atque in his definite unum, non utrumlibet. Quare manifestum est, neutro modo ut contraria opponi ea, quæ secundum privationem et habitum opponuntur.

11. Præterea in contrariis, dummodo subjectum extet, quod habeat vim recipiendi, potest vicissim inter se commutatio fieri, nisi si cui natura unum insit, ut ignem calidum esse. Nam et quod est sanum, potest ægrotare, et quod est album, nigrum fieri, et quod est frigidum, calefieri, et quod est calidum, refrigerari. Ex probo quoque improbus fieri potest, et ex improbo probus. Nam improbus ad meliores exercitationes ac sermones deductus progredietur, quamvis parum, ad hoc ut melior sit. Quod si semel vel parvum incrementum acceperit, perspicuum est, tandem eum aut perfecte mutatum iri aut permultum incrementi accepturum. Semper enim ad virtutem proclivior fit, si vel modicam progressionem initio fecerit. Quare verisimile est, eum in dies majus incrementum accipere. Quod si semper fiat, perfecte in contrarium habitum tandem eum restituet, nisi tempore excludatur. In privatione vero et habitu mutatio inter se vicissim fieri nequit. Nam etsi ab habitu ad privationem mutatio fit, tamen a privatione ad habitum fieri non potest. Neque enim qui cæcus factus est, rursus aspexit, neque calvus comam recepit, nec edentulus dentes emisit.

8. *Primum discrimen, per quod privativa differunt a contrariis, est,* quod contraria, quorum non est medium, talia sunt, ut necesse sit, eorum alterum semper inesse subjecto capaci et apto; eo pacto, quo animal semper est aut sanum aut ægrotum, numerus semper est par aut impar; at subjectum capax formæ et privationis, potest neutram habere; ex. gr., subjectum capax cæcitatis ac visus, potest aliquo tempore nec habere visum nec cæcitatem, ut patet in canibus recenter natis, qui nec habent visum neque sunt cæci.

9. *Secundum* discrimen est : ex contrariis habentibus medium, nunquam est necesse, omne subjectum capax habere alterum; ex. gr., nunquam est necesse, parietem vel esse album vel nigrum; at necesse est, ut subjectum capax formæ et privationis pro tempore, pro quo est aptum habere formam, vel habeat formam vel privationem; ex. gr., necesse est, ut animal pro tempore, pro quo est aptum habere visum, aut habeat visum aut sit cæcum.

10. *Tertium* discrimen est : si necesse est alicui subjecto particulari inesse unum contrariorum, necessario inest unum determinate cum incapacitate alterius contrarii; ex. gr., quia necesse est, nivem vel esse nigram vel albam, necesse est, ut nix determinate sit alba, cum incapacitate nigredinis; at nullum subjectum est determinatum ad habitum cum incapacitate privationis, neque est determinatum ad privationem cum incapacitate habitus; quod enim est cæcum, est capax visus; et quod est visivum, est capax cæcitatis. Explicat hanc doctrinam Aristoteles pluribus verbis, sed hic est sensus.

11. *Quartum* discrimen est : cum unum subjectum est susceptibile et capax utriusque contrarii, et non se habet sicut ignis, qui est capax solum alterius ex contrariis, hoc est caloris, non frigoris; tum subjectum potest ad invicem ex uno contrario mutari in aliud. Ex. gr., potest quis ex ægroto fieri sanus, et ex sano ægrotus; ex albo niger, et ex nigro albus; ex calido frigidus, et ex frigido calidus; ex bono pravus, et ex pravo bonus. Quod vero quis ex pravo possit fieri bonus, probat Aristoteles : si enim aliquis, cum sit pravus, instituatur ad virtutem, et in illa exerceatur, incipiet proficere et fieri melior, et paulatim ita proficiet, ut vel omnino evadat bonus, vel saltem magnum incrementum bonitatis accipiat; ergo quia semper fiet magis dispositus et magis mobilis ad virtutem, verisimile est, quod paulatim perveniet etiam ad virtutem perfectam, nisi prohibeatur tempore, eo quod moriatur, antequam acquisiverit perfectam virtutem. E converso inter privationem et habitum non datur mutua permutatio. Licet enim possit aliquis ex vidente fieri cæcus, et ex dentato edentulus, et ex comato calvus; tamen non potest ex cæco fieri videns, ex edentulo dentatus, et ex calvo comatus, adeoque non datur naturaliter regressus a privatione ad habitum.

12. Quæ vero opponuntur ut affirmatio et negatio, perspicuum est ea nullo ex dictis modis opponi, quoniam in his solis necesse est, semper alterum eorum esse verum alterum falsum. Nec enim in contrariis necesse est, semper alterum esse verum alterum falsum, nec in eis, quæ sunt ad aliquid, nec in habitu et privatione. Utputa sanitas et morbus sunt contraria, atque eorum neutrum est verum vel falsum. Itidem duplum et dimidium opponuntur ut ea, quæ sunt ad aliquid; eorumque neutrum est verum aut falsum. Sed neque ea, quæ dicuntur secundum privationem et habitum, ut aspectus et cæcitas. Et omnino eorum, quæ sine omni conjunctione dicuntur, nullum est verum aut falsum. Prædicta vero omnia sine conjunctione dicuntur. Verum enimvero maxime videri possit tale quidpiam contingere in eis contrariis, quæ conjuncta dicuntur. Nam Socratem valere et Socratem ægrotare sunt contraria. Sed neque in his ne-

cesse est semper alterum verum alterum falsum esse. Cum enim Socrates est, alterum est verum alterum falsum; cum autem non est, utraque sunt falsa, quia nec verum est Socratem ægrotare nec valere, cum omnino ipse Socrates non sit. In privatione autem et habitu, cum omnino subjectum non est, neutrum est verum. Cum vero subjectum est, non semper alterum est verum alterum falsum. Nam Socratem visu præditum esse et Socratem cæcum esse opponuntur ut privatio et habitus. Cumque Socrates est, non est necesse alterum esse verum aut falsum. Quando enim nondum secundum naturam habere debet, utraque falsa sunt. Cum vero Socrates omnino non est, sic quoque utraque sunt falsa, eum visu præditum esse et eum cæcum esse. Verum in affirmatione et negatione semper, sive Socrates sit sive non sit, alterum erit verum alterum falsum. Nam Socratem ægrotare et non ægrotare, cum ipse Socrates est, perspicuum est, alterum horum esse verum alterum falsum. Similiterque, cum non est Socrates, eum enim ægrotare, quando non est, falsum est, non ægrotare autem est verum. Quare his solis, quæ opponuntur ut affirmatio et negatio, proprium est, semper alterum eorum verum vel falsum esse.

12. *Contradictorie opponuntur, quæ se habent sicut affirmatio, et negatio, sicut esse et non esse.* Proprietas contradictoriorum est, quod est necessarium, ut de quocumque subjecto alterum ex contradictoriis sit verum, alterum falsum. Probat Aristoteles hanc proprietatem non convenire aliis oppositis, adeoque oppositionem contradictoriam esse diversam ab aliis tribus generibus oppositionum. *Ac primo* probat, quod non conveniat incomplexis. Sanitas enim et ægritudo opponuntur contrarie, duplum et dimidium opponuntur relative, cæcitas et visus opponuntur privative; et tamen nullum ipsorum est verum vel falsum, cum incomplexa neque sint vera neque falsa. Addit neque de oppositis sumptis complexe necesse esse, ut semper alterum sit verum, alterum falsum, ex. gr., de homine non existente neque est verum, quod sit sanus, neque quod sit ægrotus, si enim Socrates non existat, neque est sanus neque ægrotus; ergo de Socrate non existente neutrum contrariorum verificatur; similiter si Socrates non existat, neque est pater neque filius, neque est cæcus neque videns; ergo de Socrate non existente neutrum oppositorum relative vel privative verificatur. At etiamsi Socrates non existat, verificatur de eo, quod vel est ægrotus vel non est ægrotus; si enim non existat, non est ægrotus; ergo est proprietas contradictoriorum, ut de quocumque subjecto alterum sit verum, alterum falsum.

13. [11] Bono contrarium necessario est malum. Atque hoc manifestum est singularum rerum inductione. Ut sanitati contrarius est morbus et justitiæ injustitia et fortitudini ignavia et cætera similiter. Malo autem interdum bonum est contrarium, interdum malum. Nam defectui, qui est malum, exsuperantia est contraria, quæ est malum. Mediocritas vero, quæ similiter utrique est contraria, bonum est. In paucis autem hoc videre licet, sed in plurimis semper malo bonum est contrarium.

14. Præterea non necesse est, si contrariorum alterum sit, etiam reliquum esse; nam omnibus bene valentibus sanitas erit, non morbus. Itemque si omnes albi sint, albor erit, non nigror. Præterea si Socratem valere et Socratem ægrotare contraria sunt, nec simul contingit utraque contraria eidem inesse, fieri non potest, ut, cum alterum contrarium sit, etiam reliquum sit. Cum enim verum est, Socratem valere, non potest esse verum, Socratem ægrotare.

15. Manifestum vero est, natura ita comparatum esse, ut contraria sint circa idem vel specie vel genere. Natura enim comparatum est, ut morbus et sanitas sit in corpore animalis, albor autem et nigror simpliciter in corpore, justitia vero et injustitia in anima hominis.

16. Necesse est autem, omnia contraria vel in eodem genere esse, vel in contrariis generibus, vel ipsa genera esse. Album enim et nigrum sunt in eodem genere, quia color est eorum genus; justitia vero et injustitia sunt in contrariis generibus; nam illius genus est virtus, hujus vitium; bonum autem et malum non sunt in genere, sed ipsa sunt genera aliquorum.

13. Enumerat demum Aristoteles aliqua prædicata et quasi *proprietates contrariorum. Prima* est: id, quod est contrarium bono, semper est malum. Patet inductione, nam bono sanitatis contraria est ægritudo, bono justitiæ contraria est injustitia, bono fortitudinis contraria est timiditas, quæ sunt mala. Non tamen e converso id, quod est contrarium malo, semper est bonum; nam aliquando id, quod est contrarium malo, est etiam malum. Ei enim, quod est malum propter defectum, non solum contraria est mediocritas, quæ est bona, sed etiam excessus, qui est malus; ex. gr., avaritiæ contraria est non solum liberalitas, quæ consistit in mediocritate, et est bona, sed etiam prodigalitas, quæ consistit in excessu, et est mala. Raro tamen accidit, ut contrarium malo sit malum; plerumque contrarium malo, est bonum.

14. *Secundo* contraria non possunt si-

mul inesse eidem subjecto; ex. gr., quia *esse sanum* et *esse ægrotum* sunt contraria non contingit, Socratem esse simul sanum et ægrotum. Hinc infertur non esse necessarium, ut si datur unum contrariorum, detur alterum. Nam *Petrum esse sanum* est contrarium huic, quod est : *Petrum esse ægrotum*; *esse album*, est contrarium huic, quod est : *esse nigrum*, et tamen si omnes sint sani et omnes albi, dabitur sanitas sine ægritudine et albedo sine nigredine; alioquin idem esset simul album et nigrum, sanum et ægrotum; ergo potest dari unum contrarium sine alio.

15. Tertio contraria nata sunt fieri circa subjectum unum specie vel genere; nam sanitas et ægritudo nata sunt fieri in corpore animalis; albedo et nigredo in corpore ut sic; virtus et vitium, justitia et injustitia in animo hominis; quæ omnia sunt unum specie vel genere.

16. *Quarto* et ultimo necesse est, omnia contraria vel esse in eodem genere, ut albedo et nigredo sunt in eodem genere coloris; vel esse in contrariis generibus, ut justitia et injustitia sunt in contrariis generibus virtutis ac vitii; vel ipsa contraria esse genera, ut bonum ac malum sunt duo genera contraria.

CAPUT II vel XIII

DE PRIORI.

1. [12] Prius aliud alio dicitur quadrifariam. Primum ac maxime proprie ratione temporis, ex quo aliud alio vetustius et antiquius dicitur, nam antiquius et vetustius dicitur, quia tempus longius est.

2. Secundo quod non reciprocatur secundum existendi consecutionem, ut unum duobus est prius ; nam si duo sunt, statim sequitur unum esse ; quodsi unum est, non est necesse duo esse. Quare non reciprocatur, ut, si unum sit, sequatur reliquum esse. Prius autem videtur id esse, a quo non reciprocatur existendi consecutio.

3. Tertio ratione ordinis prius dicitur, ut in scientiis et orationibus. Nam ordine prius et posterius inest in scientiis demonstrativis. Elementa namque sunt ordine priora descriptionibus. Et in Grammatica elementa sunt priora syllabis. Similiterque in orationibus, quoniam procemium ordine prius est narratione.

4. Præter ea, quæ dicta sunt, quod est melius et præstantius, id videtur esse natura prius. Multi etiam dicere soliti sunt priores apud se esse, quos magis honorant magisque diligunt. Sed hic modus est omnium fere maxime alienus. Qui igitur modi prioris usurpantur, fere tot sunt.

5. Sed præter modos commemoratos videri potest etiam alius esse prioris modus. Eorum enim, quæ secundum existendi consecutionem reciprocantur, quod quomodocumque est causa, cur alterum sit, merito prius natura dici potest. Esse autem quædam talia manifestum est. Nam esse hominem cum vera de eo oratione reciprocatur secundum existendi consecutionem, quandoquidem si homo est, vera est oratio qua dicimus hominem esse. Et reciprocatur, quia si vera est oratio qua dicimus hominem esse, homo est. Vera autem oratio nequaquam est causa cur res sit ; sed constat rem quodammodo causam esse cur vera sit oratio : nam quia res est vel non est, oratio dicitur vera vel falsa. Quare quinque modis aliud alio prius dici potest.

1. *Prius dicitur quinque modis : primo*, et maxime proprie prius dicitur, quod est prius tempore quam aliud; id enim, in quo vel a quo est plus temporis, dicitur antiquius et vetustius.

2. *Secundo* dicitur unum prius altero a subsistendi consequentia; id enim, a cujus esse non valet consequentia ad esse alterius, cum ad esse alterius valeat consequentia ad esse illius, est prius illo; ex. gr., unum est prius quam duo, quia non valet consequentia *datur unum ; ergo dantur duo ;* cum valeat : *dantur duo; ergo datur unum ;* animal est prius quam homo, et genera quam species ex eadem ratione.

3. *Tertia* est prioritas ordinis , per quam in scientiis unum debet prius tractari quam aliud; ita in Geometria elementa sunt priora descriptionibus ; in Grammatica elementa sunt ordine priora quam syllabæ; in oratione procemium est prius ordine quam narratio.

4. *Quarta* et valde impropria est prioritas dignitatis, per quam honorabiliores aut magis dilectos priores apud nos dicimus.

5. *Quinta* est prioritas naturæ et causalitatis, per quam etiamsi quædam convertantur secundum essendi consequentiam, id quod alteri est causa quomodolibet, ut sit, dicitur prius natura quam illud; ex. gr., valet mutua consequentia : *homo est ; ergo vera est oratio dicens, hominem esse ; vera est hæc oratio dicens, hominem esse : ergo homo est ;* sed quia oratio vera non est causa, ut homo sit, sed *hominem esse* est causa, ut vera sit oratio; eo enim, quod res est aut non est, oratio vera vel falsa dicitur; ideo *hominem esse*, prius est natura, quam orationem esse veram. Prius ergo dicitur quinque modis enumeratis.

CAPUT III vel XIV

DE SIMUL

1. [13] Simul autem dicuntur simpliciter et maxime proprie, quorum ortus est in eodem tempore; neutrum enim horum est prius aut posterius. Hæc autem dicuntur simul tempore.

2. Natura vero simul dicuntur, quæcumque reciprocantur quidem secundum existendi consecutionem, sed nullo modo alterum est causa, cur alterum sit, ut in duplo et dimidio perspici potest. Hæc enim reciprocantur, quia cum duplum est, dimidium quoque est, et cum dimidium est, duplum est: neutrum vero est causa, cur alterum sit.

3. Ea quoque, quæ ex eodem genere sibi invicem in divisione opponuntur, simul natura dicuntur. Sibi invicem in divisione opponi dicuntur, quæ ut volucre opponitur terrestri et aquatili. Hæc enim sibi invicem in divisione opponuntur, cum sint ex eodem genere, quippe cum animal in hæc dividatur, in volucre et terrestre et aquatile. Atque horum nullum est prius vel posterius, sed videntur hæc simul esse natura. Rursus horum unumquodque in species dividi potest, veluti volucre, terrestre, aquatile. Erunt igitur illa quoque simul natura, quæ sunt ex eodem genere in eadem divisione. Genera vero speciebus semper priora sunt, quia non reciprocantur secundum existendi consecutionem, veluti cum est aquatile, est animal; cum autem est animal, non est necesse aquatile esse. Simul igitur natura dicuntur quæcumque reciprocantur secundum existendi consecutionem, sed neutiquam alterum est causa, cur alterum sit; et quæ ex eodem genere in divisione sibi invicem opponuntur. Simpliciter autem simul sunt quorum ortus est eodem tempore.

1. *Simul dicitur tribus modis. Primo* simpliciter et propriissime dicuntur simul, quorum generatio in eodem est tempore. Cum enim neutrum eorum sit prius, aut posterius tempore quam aliud, sunt simul tempore.

Secundo dicuntur simul natura, quæcumque convertuntur secundum essendi consequentiam, sed neutrum causa est alteri, ut sit; ex. gr., duplum et dimidium; valet enim consequentia: *est duplum; ergo est dimidium: est dimidium; ergo est duplum;* et tamen neque duplum est causa, ut sit dimidium, neque dimidium, ut sit duplum. Idem dic de aliis correlativis formaliter sumptis.

3. *Tertio* dicuntur etiam simul natura, quæ ex eodem genere e diverso ad invicem dividuntur, hoc est sunt membra ejusdem divisionis; ex. gr., quia genus animalis dividitur in volatile, gressibile et aquatile, hæc sunt simul natura; genera vero sunt priora speciebus a subsistendi consequentia.

CAPUT IV, vel XV.

DE MOTU.

1. [14] Motus species sunt sex, ortus, interitus, auctio, diminutio, variatio et secundum locum mutatio.


2. Alios igitur motus inter se differre perspicuum est, quoniam ortus non est interitus, neque auctio est diminutio, neque secundum locum mutatio. Eadem est aliorum ratio. In variatione autem dubitatio quædam est, ne quando necesse sit, id quod variatur, secundum aliquem reliquorum motuum variari. Hoc autem verum non est. Fere enim secundum omnes aut plurimas passiones contingit nos variari nulla alia motione in societatem adjuncta. Etenim neque augeri necesse est, quod secundum passionem movetur, neque diminui. Eadem est aliorum ratio. Quare diversa est ab aliis motionibus variatio. Nam si esset eadem, oporteret id, quod variatur, confestim etiam augeri vel minui vel aliam aliquam motionem sequi; quod tamen non est necessarium. Itidem etiam quod augetur aut alio modo movetur, variari deberet. Atqui nonnulla augentur, quæ tamen non variantur, utputa quadratum gnomone circumposito auctum quidem est, non tamen variatum. Idem fit etiam in ceteris ejusmodi. Quare hæ motiones diversæ sunt inter se.

1. *Species motus sunt sex,* nimirum generatio et corruptio, qui sunt motus ad substantiam completam; ex. gr., simplex generatio est, per quam arbor producitur; simplex corruptio, per quam arbor corrumpitur, et exsiccatur; augmentatio et diminutio, qui sunt motus secundum quantitatem; per augmentum enim res crescit acquirendo majorem quantitatem, per diminutionem decrescit transeundo a quantitate majori ad minorem; alteratio, quæ est motus secundum qualitatem; ut cum aliquid dealbatur aut denigratur, calefit aut frigefit; et latio seu mutatio secundum locum, hoc est motus localis.

2. Addit Aristoteles, manifestum esse, quod alii motus sunt invicem diversi; generatio enim manifeste non est corruptio, augmentum non est diminutio, nec motus localis est aliqua alia ex dictis mutationibus. De sola alteratione potest dubitari, an sit motus distinctus a reliquis, et an possit aliquid ita alterari, ut non moveatur aliquo alio motu. Probat igitur Aristoteles, etiam alterationem esse motum distinctum a reliquis. Potest

enim aliquid alterari, ex. gr., calefieri, quin moveatur secundum locum, quin augeatur aut diminuatur secundum qualitatem, quin generetur aut corrumpatur secundum substantiam; ergo cum motus alterationis possit dari sine cæteris motibus, distinguitur a reliquis motibus. Similiter possunt aliqua augmentari et augeri secundum quantitatem sine ulla alteratione, ut cum quadratum fit majus addendo aliquam partem, hoc est gnomonem, ut patet in descripta figura.

Quadrati accretio gnomone circumposito.



3. Jam vero simpliciter motioni contrarium est quies. Singulis autem singulæ, ortui quidem interitus, auctioni diminutio, loci mutationi quies in loco, maxime autem videtur opponi mutatio in locum contrarium, ut descensui ascensus et ascensui descensus. Reliquæ vero ex motionibus explicatis non facile est exponere, quid contrarium sit; sed nihil ei videtur esse contrarium. Nisi quis etiam huic opponat quietem in qualitate; vel mutationem in contrariam qualitatem, quemadmodum etiam loci mutationi opposuimus quietem in loco vel mutationem in contrarium locum. Variatio namque est mutatio in qualitate. Quamobrem opponetur motui secundum qualitatem quies secundum qualitatem aut mutatio in contrariam qualitatem, sicut opponuntur album fieri et nigrum fieri, quia res variatur facta qualitatis mutatione in contraria.

3. Motui ut sic est contraria quies; in singulis vero speciebus motus, præter quietem est contrarius alius morus; ex. gr., generationi est contraria corruptio, augmentationi diminutio, motui locali, quies in loco et motus ad locum contrarium. Alterationi tamen non statim apparet, quid sit contrarium. Potest tamen dici, quod sicut motui secundum locum opponitur et quies in loco et motus ad locum contrarium, sic alterationi, quæ est motus secundum qualitatem, opponitur et quies in tali qualitate et mutatio ad contrariam qualitatem, ex. gr., calefactioni opponitur frigefactio, dealbationi denigratio.

CAPUT V vel XVI.

DE HABERE.

1. [15] Habere multis modis dicitur. Vel enim ut habitum et affectionem aut aliquam aliam qualitatem; nam dicimur et scientiam habere et virtutem. Vel ut quantum, ut quam quis magnitudinem habet; dicitur enim habere magnitudinem trium quatuorve cubitorum. Vel ut ea, quæ sunt circa corpus, ut vestimentum aut tunicam, vel ut in parte, ut in manu annulum, vel tanquam partem, ut manum vel pedem. Vel ut in vase, ut modius triticum aut amphora vinum; dicitur enim amphora habere vinum et modius tricticum; hæc igitur omnia dicuntur habere tanquam in vase. Vel ut possessionem; dicimur enim habere domum vel agrum. Dicitur etiam vir mulierem habere et mulier virum. Sed hic habendi modus, quem nunc dixi, videtur esse maxime alienus, quia hoc sermone, habere mulierem, nihil aliud significamus quam simul habitare. Fortasse autem habendi videri possunt esse etiam aliqui alii modi; sed qui dici consueverunt, fere omnes enumerati sunt.

1. *Octo modis dicitur unum habere aliud. Primo* dicitur subjectum habere habitum et dispositionem vel aliam qualitatem, eo pacto, quo dicitur aliquis habere scientiam aut virtutem. *Secundo* dicitur subjectum habere aliud, ut quantitatem; ut cum quis dicitur habere magnitudinem tricubitam aut quadricubitam. *Tertio* dicitur aliquid habere aliud, ut vestimentum adjacens corpori; quo pacto dicitur aliquis habere vestimentum aut tunicam. *Quarto* dicitur habere tanquam adjacens uni parti corporis; eo pacto, quo dicitur quis habere annulum in digito. *Quinto* dicitur habere aliquid ut partem; eo pacto, quo dicitur aliquis habere pedem aut manum. *Sexto* dicitur unum habere aliud, ut in vase; eo pacto, quo amphora dicitur habere vinum et modius triticum. *Septimo* dicitur habere aliquid ut possessionem; eo pacto, quo dicitur quis habere domum aut agrum. *Octavo* demum et valde improprie dicitur uxor habere virum, et vir uxorem, eo quod cohabitant. Addit Aristoteles, fortasse posse etiam afferri alios modos habendi, sed allatos esse usitatiores. Et per hæc concludit prædicamenta.

IN LIBROS PERIHERMENIAS

SEU

DE INTERPRETATIONE (1)

PROŒMIUM

QUID SIT INTERPRETATIO, AN ET QUOMODO SIT SUBJECTUM HORUM LIBRORUM, ET QUEM LOCUM HI LIBRI TENEANT IN LOGICA.

1. Quia hic liber, qui apud Græcos est unus, apud Latinos dividitur in duos, inscribitur de interpretatione, *præmittendum est primo*, quid sit interpretatio; *secundo* an et quomodo interpretatio sit subjectum hujus libri; *tertio* quem locum hic liber teneat in Logica; *quarto* per brevem synopsim proponenda est ob oculos doctrina hujus libri.

2. *Quoad primum*, interpretatio definitur a Boethio : *Vox significativa ex instituto, quæ per se aliquid significat, complexa vel incomplexa*. Dicitur : *vox significativa ex instituto* ad excludendas voces brutorum animalium, quæ, quia significant non ex instituto, sed naturaliter, non sunt interpretationes. Dicitur : *per se aliquid significans* ad excludendas præpositiones, conjunctiones et alias partes orationis, quæ, quia non per se aliquid significant, sed consignificant aliis partibus, non sunt interpretationes. Dicitur demum : *complexa vel incomplexa*, quia non solum orationes compositæ ex pluribus vocibus, sed etiam nomina et verba sunt interpretationes. Licet tamen nomina et verba et quælibet orationes aliquo pacto sint interpretationes, propriissime sola oratio significans verum et falsum, quæ dicitur enuntiatio, est interpreratio. Ratio est, quia propriissime interpretatio dicitur, per quam exponere intendimus quid sentiamus; sed per solam orationem enuntiativam exponere intendimus, quid sentiamus : ergo proprissime sola oratio enuntiativa est interpretatio.

3. *Quoad secundum*, subjectum adæquatum horum librorum, quod dicitur, subjectum communitatis, est interpretatio latius sumpta, in quantum comprehendit nomina, verba, orationes et enuntiationes ; *subjectum principale*, quod vocatur subjectum attributionis, est interpretatio *propriissime sumpta*, hoc est enuntiatio.—*Probatur prima pars*, subjectum enim adæquatum est, quod comprehendit omnia, de quibus agitur; sed in his libris agitur de interpretatione in genere, tum vero de nomine, verbo oratione et enuntiatione ac de speciebus et proprietatibus enuntiationis : ergo subjectum adæquatum horum librorum est interpretatio latius sumpta, in quantum comprehendit hæc omnia.

4. *Probatur secunda pars*, quia illud est subjectum attributionis, quod consideratur per se, et cætera considerantur in ordine ad illud, vel tanquam principia vel tanquam partes vel tanquam proprietates; sed in his libris enuntiatio per se consideratur; nomen vero et verbum considerantur ut principia intrinseca seu partes enuntiationis; oratio consideratur tu genus enuntiationis ; oppositio, veritas

---

(1) Hos libros ex antiquis Andronicus et ex recentioribus plerique statuunt, non ab Aristotele, sed fortasse ab aliquo discipulorum conscriptos esse.

et falsitas, etc., considerantur ut proprietates enuntiationis, ut patebit in decursu explicationis horum librorum; ergo enuntiatio est subjectum attributionis horum librorum. Debet autem hoc intelligi de enuntiatione mentali atque interna. Cum enim in Logica voces externæ non considerentur per se, sed in ordine ad conceptus, enuntiatio vocalis non consideratur per se, sed in ordine ad enuntiationem mentalem.

5. *Quoad tertium*, in his libris continetur secunda pars Logicæ. Cum enim Logica agat de tribus operationibus intellectus seu de secundis intentionibus ut constitutis per tres operationes intellectus, *prima pars logicæ* est liber Prædicamentorum, in quo agitur de rebus, ut simpliciter apprehensis ac denominatis per primam operationem. *Secunda pars* est liber Perihermenias, in quo agitur de enuntiatione seu de secunda operatione intellectus ac de rebus prout enuntiabilibus. *Tertia* continet libros Priorum, Posteriorum, Topicorum et Elenchorum, in quibus agitur de tertia operatione intellectus, hoc est de syllogismo et ejus speciebus, de syllogismo nimirum demonstrativo, topico et sophistico.

6. Infertur, cur Aristoteles, postquam de simplicibus egit ex professo in libro Prædicamentorum, rursus hic agat de nomine et verbo, quæ sunt simplicia, et iterum in libris Priorum agat de terminis. Ratio est, quia simplicia possunt considerari tripliciter. *Primo* secundum se absolute ut simpliciter apprehendibilia, et sub hac ratione de simplicibus egit Aristoteles in libro Prædicamentorum, ac illa vocavit prædicamenta. *Secundo* possunt considerari in ordine ad enuntiationem, in quantum sunt ejus partes; et sub hac ratione vocantur nomina et verba, et de iis agit Aristoteles in hoc libro Perihermenias. *Tertio* possunt considerari in ordine ad syllogismum, in quantum ponuntur ut prædicatum aut subjectum propositionum, ex quibus conficitur syllogismus, et sub hac ratione vocantur termini, ac de iis agit in libris Priorum. Orationes etiam affirmativæ vel negativæ possunt considerari dupliciter; vel secundum se absolute, et vocantur enuntiationes, ac de iis agit Aristoteles in libris Perihermenias; vel in quantum ponuntur in syllogismo, et vocantur propositiones, ac de iis Aristoteles agit in libris Priorum.

7. *Quoad quartum*, acturus Aristoteles de enuntiatione, quia enuntiatio est oratio quædam composita ex nominibus et verbis tanquam ex partibus, nomina autem et verba sunt voces significativæ, ideo cap. I, secundum divisionem Latinorum agit de vocibus significativis in genere; cap. II, de nomine; cap. III, de verbo; in prima parte cap. IV, de oratione et ejus divisione in enuntiativam et non enuntiativam, in secunda parte cap. IV, de oratione enuntiativa et ejus divisione in simplicem et compositam, affirmativam et negativam, veram et falsam; in tertia parte cap. IV, et toto cap. V, agit de oppositionibus enuntiationum simplicium ac de regulis talium oppositionum; cap. VI, et ultimo examinat an regula contradictoriarum enuntiationum, quod altera sit vera et altera falsa, ita conveniat enuntiationibus contradictoriis de futuris contingentibus, ut altera debeat esse determinate vera, altera falsa.

Libro II, capite primo agit de differentiis enuntiationum simplicium finitarum et infinitarum ac de earum regulis; in prima parte cap. II, agit de enuntiationibus non simplicibus et earum differentiis; secunda parte ejusdem capitis examinat, an omnia prædicata, quæ possunt prædicari separatim, possint prædicari conjunctim, et quæ in hoc sit regula; cap. III, agit de enuntiationibus modalibus, earum oppositionibus et consequentiis; cap. IV, et ultimo examinat quæstionem, utrum affirmationi vere sit contraria negatio ejusdem vel affirmatio contrarii, et concludit hos libros.



ARISTOTELIS
PERIHERMENIAS

HOC EST

DE INTERPRETATIONE

LIBER I

JULIO PACIO INTERPRETE

CAPUT I

DE INTERPRETATIONIBUS, HOC EST DE VOCIBUS SIGNIFICATIVIS IN GENERALI.

1. [1] Primum oportet ponere quid sit nomen et quid verbum, deinde quid sit negatio et affirmatio, et nuntiatio, et oratio.

2. Quæ igitur sunt in voce, sunt notæ passionum, quæ sunt in anima; et quæ scribuntur, sunt notæ eorum quæ sunt in voce. Atque ut literæ non sunt apud omnes eædem, ita nec voces sunt eædem. Sed passiones animi, quarum hæc primum sunt signa, eædem sunt apud omnes. Eædem sunt etiam res, quarum hæ passiones sunt simulacra. Ac de his quidem dictum est in libris de Anima, quia pertinent ad alium tractatum. Quemadmodum autem in anima interdum est intelligentia veri et falsi expers, interdum vero cui jam necesse est, alterum horum inesse, ita etiam in voce ; nam in compositione et divisione est veritas aut falsitas. Ipsa igitur nomina et verba assimilantur intelligentiæ, quæ est sine compositione et divisione, ut homo aut album, quando non est aliquid adjectum, quia nondum est verum aut falsum. Cujus rei signum est, quia hircocervus significat quidem aliquid, nondum tamen verum quidpiam aut falsum, nisi *esse* aut *non esse* adjiciatur vel simpliciter vel secundum tempus.

1. Initio cujusque scientiæ poni debent ut principia definitiones subjecti et eorum, quæ spectant ad subjectum, eo pacto, quo initio Geometriæ ponuntur definitiones, puncti, lineæ et aliorum, quæ spectant ad subjectum Geometriæ, sed, ut dictum est, in his libris agitur de enuntiatione tanquam de subjecto; ergo præmitti debent definitiones enuntiationis et eorum, quæ spectant ad enuntiationem. Quia igitur enuntiatio componitur ex nomine, et verbo, tanquam ex partibus integralibus, dividitur in affirmationem et negationem tanquam in species seu partes subjectivas et continetur sub oratione tanquam sub proximo genere, ideo Aristoteles incipit librum dicendo, quod debent primo poni definitiones explicantes, quid sit nomen et verbum, quid negatio et affirmatio, quid enuntiatio et quid oratio. Et quia hæc omnia conveniunt in hoc, quod sint voces significativæ complexæ vel incomplexæ, ideo Aristoteles præmittit brevem tractatum *de vocibus significativis*.

2. Nomina, verba, affirmationes, negationes, enuntiationes, orationes et alia hujusmodi, quæ exprimuntur voce, exprimuntur ut quædam signa ac notæ ad significandas passiones seu conceptus, quos habemus in anima; et proportionaliter, quæ exprimuntur scripto, exprimuntur ut signa et notæ vocum. Voces et scripturæ conveniunt inter se et disconveniunt a conceptibus significatis in hoc,

quod voces et scripturæ significantes non sunt eædem apud omnes nationes, cum conceptus et res significatæ per conceptus, tanquam per similitudines rerum sint eædem, ex. gr., licet equus et conceptus equi sit idem apud omnes nationes, tamen non apud omnes significatur eadem voce nec eadem scriptura, sed apud Latinos significatur hac voce et scriptura *equus* apud Græcos hac voce et scriptura ἵππος etc., idemque dic de cæteris. Licet tamen in hoc voces et scripturæ disconveniant a conceptibus, in aliquo alio proportionaliter conveniunt cum conceptibus, nimirum in hoc, quod sicut in anima dantur aliqui conceptus per modum simplicis apprehensionis, in quibus neque datur veritas neque falsitas; et præterea dantur conceptus per modum compositionis ac divisionis, in quibus datur veritas aut falsitas; sic dantur quædam voces per quas neque dicimus verum neque falsum, et dantur quædam, per quas dicimus verum aut falsum. Nomina igitur et verba seorsim prolata neque significant verum neque falsum, et in hoc imitantur simplices apprehensiones; at vero enuntiationes significant verum aut falsum, et in hoc imitantur conceptus compositivos ac divisivos; ex. gr., ista nomina simplicia *homo, albus* et etiam hoc nomen compositum *hircocervus, hippocentaurus* non significant verum neque falsum, idemque dic proportionaliter de istis verbis *currit, ambulat;* at istæ enuntiationes : *homo est albus ; hippocentaurus est,* significant verum aut falsum.

CAPUT II

DE NOMINE.

1. [2] Nomen igitur est vox significans ex instituto, sine tempore, cujus nulla pars significat separatim. Nam in nomine Κάλλιππος nihil ἵππος per se significat, ut in hac oratione καλὸς ἵππος. Sed non ut in nominibus simplicibus, sic res se habet in conjunctis. In illis enim pars nullo modo significat, in his vero vult quidem aliquid significare, sed nihil significat separatim, ut in vocabulo ἐπακτροκέλης nihil illud κέλης significat per se acceptum.

2. Ex instituto autem dixi, quia nullum nomen est natura, sed cum fit nota. Significant enim aliquid etiam soni illiterati, veluti belluarum, quarum nullum est nomen.

3. Non homo vero non est nomen. Atqui non est constitutum nomen, quo oporteat id appellare, quia nec est oratio nec negatio. Sed esto nomen infinitum, quia similiter in quovis inest, tam ente quam non ente. Philonis autem aut Philoni et cetera ejusmodi non sunt nomina, sed casus nominis. Definitio autem hujus, quod ad cetera, est eadem cum definitione nominis. Sed quia conjunctum cum verbo *est* vel *erat* vel *erit* non significat verum aut falsum, nomen vero id semper significat, idcirco a nomine differt. Utputa Philonis est aut non est; needum enim significat verum nec falsum.

Postquam Aristoteles egit de voce significativa, quæ est genus commune nomini, verbo, etc., descendit ad agendum de his in particulari, ac *primo* agit *de nomine.*

1. Nomen definitur *vox significativa* ex *instituto, sine tempore, cujus nulla pars significat separata.* Differentia igitur nominis ab oratione est, quod partes nominis non significant separatæ, partes vero orationis significant separatæ; ex. gr., hoc nomen Κάλλιππος differt ab hac oratione καλὸς ἵππος in eo, quod ἵππος in quantum est pars hujus orationis καλός ἵππος, ex se significat equum; in quantum vero est pars hujus nominis Κάλλιππος ex se nihil significat, sed totum nomen Κάλλιππος per modum unius significat hominem vocatum hoc nomine. Si vero velimus afferre exemplum latinum, hoc nomen *equiferus* differt ab hac oratione *equus ferus,* quod ferus in quantum est pars hujus orationis *equus ferus* per se significat ferum ; in quantum vero est pars hujus nominis *equiferus* per se nihil significat. Hinc patet differentia inter nomina simplicia et composita. Partes nominum simplicium separatæ non solum non significant, sed neque habent vim significandi; ex. gr., partes hujus nominis *Petrus,* quæ sunt *Pe, trus* non habent ullam vim significandi, quia non sunt impositæ ad aliquid significandum. At vero partes nominum compositorum separatæ habent vim significandi, sed in quantum sunt partes talis nominis non exercent talem vim significativam ; ex. gr., *ferus,* quod est pars hujus nominis *equiferus* separatim habet vim significandi, sed in quantum est pars hujus nominis, non exercet talem vim neque significat ferum.

2. Explicata hac ultima particula definitionis, explicat Aristoteles priorem, quæ est, ut nomen sit *vox significativa ex instituto.* Licet enim dentur voces significativæ naturaliter, quales sunt voces ferarum, gemitus et suspiria et aliæ voces,

quæ, quia non exprimuntur scripto, vocantur ab Aristotele illitteratæ, adhuc istæ voces non sunt nomina, sed illæ solum voces sunt nomina, quæ ex placito hominum sunt impositæ ad aliquid significandum.

3. Tradita definitione docet Aristoteles, aliquas partes orationis, quæ videri possunt nomina, proprie non esse nomina; ex. gr., hæc pars orationis *non homo* videri potest nomen, et tamen proprie non est nomen. Et quia potest quæri, quomodo debeat vocari, respondet Arirtoteles, quod isti parti orationis adhuc non est impositum nomen; potest tamen vocari nomen infinitum, ita ut ly *infinitum* sit additum distrahens. Dicuntur autem nomina infinita, quia non determinant ullum ens, sed æque possunt dici de ente et non ente. Nam non solum multa entia, sed etiam non entia possunt vocari *non leo*. Rursus casus obliqui, ex. gr., *Philonis*, *Philoni* proprie non sunt nomina, sed casus nominum. Rationem affert Aristoteles, quia nomen proprie est illa pars orationis, quæ addito verbo efficit orationem veram vel falsam; ergo solum rectum addito verbo efficit orationem veram vel falsam; ergo solum rectum est proprie nomen. *Minor probatur*, nam hæc oratio *Philo est*, vel est vera : vel falsa; at hæc : *Philoni est, Philonis est*, etc., adhuc non est vera neque falsa. Ex hac doctrina Aristotelis addunt communiter Summulistæ definitioni nominis tres alias particulas, ita ut integra definitio nominis sit : *nomen est vox significativa ex instituto, sine tempore, cujus nulla pars significat separata, finita et recta, quæ cum verbo veram et falsam efficit orationem.*

CAPUT III

DE VERBO.

1. [3] Verbum autem est quod adsignificat tempus, cujus nulla pars significat separatim, et est semper nota eorum, quæ de altero dicuntur. Dico autem adsignificare tempus, utputa valetudo est nomen, valet verbum, adsignificat enim nunc inesse.

2. Et est semper nota eorum quæ de altero dicuntur, ut eorum quæ de subjecto vel in subjecto sunt.

3. *Non valet* autem et *non laborat* non voco verbum, etsi adsignificat tempus, et semper de aliquo est. Huic vero differentiæ non est nomen impositum; sed esto infinitum verbum, quia similiter in quovis inest, tam ente quam non ente. Similiter *valuit* et *valebit* non voco verbum, sed casus verbi. A verbo autem hæc differunt, quoniam illud adsignificat tempus præsens, hæc vero adsignificant tempus, quod est circa præsens.

4. Ipsa igitur verba per se dicta sunt nomina, et significant aliquid : nam qui dicit, audientis dianoeam sistit, et qui audivit, acquievit. Sed utrum sit, an non sit, nondum significant; neque enim *esse* aut *non-esse* est signum rei; ne si ipsum quidem ens dixeris nudum, id enim nihil est, sed compositionem quandam adsignificat, quam sine compositis non licet intelligere.

4. Verbum definitur, *quod insuper adsignificat tempus, et cujus nulla pars significat separata, et est semper eorum quæ de altero prædicantur, nota.* Explicat Aristoteles primam particulam : *quod ad significat tempus.* Nam hoc nomen *valetudo* non adsignificat tempus; at hoc verbum *valeo* significat, quod valeo nunc, ideoque adsignificat tempus præsens.

2. Explicat ultimam particulam, quod *verbum sit nota eorum. quæ de altero prædicantur.* Semper enim significat, quod aliquid sit in subjecto, vel de subjecto dicatur; ex. gr., cum dicitur : *Socrates ambulat,* significatur, quod ambulatio sit in Socrate, tanquam accidens in subjecto; dum vero dicitur : *Socrates est homo,* significatur, quod homo dicitur de Socrate.

3. Addit, quod sicut proprie nomen debet esse finitum et rectum, sic verbum. Ideo : *non valet,* proprie non est verbum, sed vocari potest verbum infinitum, et proportionaliter *valebit, valuit*, etc., non est verbum, sed casus verbi. At vero rectum, quod significat tempus præsens, proprie est verbum. Cum enim tempus præsens intelligatur sine ordine ad futurum et præteritum; præteritum e converso et futurum non possint intelligi, nisi in ordine ad præsens, tempus præsens est rectum, præteritum ac futurum sunt obliqua et casus præsentis, cum significentur per ordinem ad præsens, et ut tempora circumstantia tempus præsens.

4. Concludit convenientiam verbi cum nomine. Verbum convenit cum nomine in hoc, quod per se significat aliquid, et non significat verum neque falsum. Quod per se significet aliquid, patet; nam sicut, cum quis dicit *homo,* audiens intelligit et quiescit in intelligentia ejus, quod significatur per tale nomen, sic cum quis dicit *ambulat* audiens intelligit. et quiescit in intelligentia ejus, quod significatur

per tale verbum; ergo et nomen et verbum per se significant aliquid, in cujus intelligentia quiescimus. Et quia quod significat per se aliquid, potest late dici nomen, ideo verbum potest late dici nomen, in quantum nomen sumitur pro voce significativa alicujus, in quo quiescat intelligentia. Quod vero verbum non significet verum et falsum patet; qui enim dicit *ambulat,* adhuc non significat verum neque falsum, neque significat ambulationem esse, vel non esse; imo neque qui dicit *ens*, adhuc significat aliquid esse vel non esse. At quando verbo additur nomen et dicitur: *homo ambulat* et *homo est*, tunc significatur compositio, quæ non potest intelligi, nisi per nomen significetur aliquid, ut subjectum compositionis, adeoque tum significatur verum aut falsum.

Ex hac doctrina Aristotelis Summulistæ addentes definitioni verbi aliquas particulas definiunt verbum: *vox significativa ex instituto cum tempore, cujus nulla pars significat separata, finita et recta, et semper est eorum, quæ de altero prædicantur nota.* Particulæ definitionis jam sunt explicatæ.

CAPUT IV. — ART. I.

DE ORATIONE PERFECTA ET IMPERFECTA, ENUNTIATIVA AC NON ENUNTIATIVA.

1. [4] Oratio est vox significans ex instituto, cujus aliqua pars significat separatim. Significat inquam, ut dictio, non ut affirmatio vel negatio. Dico autem, ut homo significat quidem aliquid, non tamen significat esse vel non esse; sed erit affirmatio vel negatio, si quid adjunctum fuerit. At vero hominis syllaba una non significat. Neque enim in vocabulo sorex, rex significat aliquid, sed nunc est tantum vox. In duplicibus autem vocabulis pars significat quidem aliquid, sed non per se accepta, ut dictum est. Jam vero omnis oratio significat non ut instrumentum, sed, quemadmodum dictum est, ex instituto.

2. Enuntiativa autem est non omnis, sed ea, cui verum vel falsum dicere convenit. Non omnibus autem convenit, ut precatio est quidem oratio, sed nec vera nec falsa.

3. Cæteræ igitur orationes missæ fiant, quoniam Rhetoricæ vel Poeticæ magis propria est earum consideratio. Enuntiativa autem præsentis est inspectionis.

1. Oratio definitur: *vox significativa ex instituto, cujus partium aliqua separata significat ut dictio, non ut affirmatio vel negatio.* Explicat Aristoteles tres particulas definitionis inverso ordine, incipiendo ab ultima. Partes orationis simplicis significant quidem, sed ut dictiones, non ut affirmationes aut negationes; ex. gr., cum dicitur *homo*, ly *homo* significat, sed ut dictio, non ut affirmatio vel negatio; at addendo verbum et dicendo: *homo currit,* tum significant ut affirmatio vel negatio. Rursus partes orationis separatæ significant, et per hoc oratio differt a nomine et verbo, quorum partes separatæ non significant, ut dictum est cap. II. Demum oratio significat non ut instrumentum naturale, sed ex instituto, ut dictum est loco citato. Dicit autem hoc Aristoteles contra Platonem, qui in Cratilo videtur insinuare, quod, sicut potentia interpretandi nostram mentem est naturalis, sic voces, quæ sunt instrumenta, quibus utimur ad mentem nostram interpretandam, significant naturaliter.

2. Dividitur primo oratio in perfectam et imperfectam. Perfecta est, quæ facit sensum perfectum et non relinquit pendulum animum audientis; ex. gr., *Petrus currit.* Imperfecta est, quæ facit sensum imperfectum et pendulum relinquit animum audientis; ex. gr., *si Petrus curreret,* et omnes orationes sine verbo. Verumtamen Aristoteles hanc divisionem orationis brevitatis causa omittens, dividit orationem perfectam in eam, in qua neque est verum neque falsum, et in eam, in qua est verum aut falsum. Exemplum orationum, in quibus neque est verum neque falsum, sunt optativæ et imperativæ; ex gr., *fac studeas, utinam studeas.* etc. Signum autem est, quod dicenti: *fac studeas,* vel *utinam studeas,* nemo respondebit: *tu dicis verum,* neque: *tu dicis falsum.* Exemplum orationum, in quibus est verum vel falsum sunt indicativæ, ideoque dicenti: *Petrus studet,* etc., bene respondetur: *tu dicis verum,* vel: *tu dicis falsum.*

3. Addit Aristoteles orationes optativas et alias, in quibus non est verum neque falsum, non spectare principaliter ad Logicam, quæ solum curat de scientia et veritate, sed spectare ad Rhetores vel Poetas, ideoque hic esse omittendas, agendum vero ex professo de solis orationibus enuntiativis, in quibus est verum vel falsum. Hinc colligitur definitio enuntiationis, quæ est subjectum attributionis horum librorum, ut dictum est in Procemio. Enuntiatio enim est *oratio, in qua vel est verum vel falsum.*

ARTICULUS II

PROPONITUR DIVISIO ENUNTIATIONIS IN SIMPLICEM ET COMPOSITAM, AFFIRMATIVAM ET NEGATIVAM, ET OSTENDITUR, QUOD CUILIBET ENUNTIATIONI OPPONITUR CONTRADICTORIE ALTERA ENUNTIATIO.

4. [5] Prima autem una oratio enuntiativa est affirmatio, deinde negatio; reliquæ vero omnes sunt unæ conjunctione. Sed omnem orationem enuntiantem necesse est ex verbo esse vel ex casu verbi. Etenim hominis definitio, nisi est, aut erat, aut erit, aut ejusmodi quidpiam addatur, nondum est oratio enuntiativa. Cur igitur animal terrestre bipes est unum quid, non multa? Neque enim ideo erit una oratio, quia continenter pronuntietur. Sed hujus rei explicatio pertinet ad aliam tractationem. Est autem una oratio enuntiativa vel quæ unum significat, vel quæ conjunctione est una. Multæ autem, quæ vel multa et non unum significant, vel conjunctione carent. Ergo nomen et verbum esto dictio tantum, quoniam dici nequit eum, qui sic aliquid voce exprimit, enuntiare, sive ab aliquo sit interrogatus sive non sit interrogatus, sed sponte sua loquatur. Harum autem alia est simplex, ut aliquid de aliquo aut aliquid ab aliquo, alia ex his constans, ut oratio quædam jam composita. Ac simplex enuntiatio est vox significans, inesse aliquid aut non inesse, pro temporum divisione.

4. Definita enuntiatione, quæ est subjectum horum librorum, dividit illam Aristoteles in suas primas species, ac deinde probat, cuilibet enuntiationi opponi contradictorie aliam enuntiationem. *Dividitur* ergo *primo* enuntiatio in enuntiationem simpliciter unam, et in enuntiationem, quæ est una per conjunctionem. Sicut enim res extra animam vel sunt unum simpliciter, ut tabula continua, vel sunt unum per quamdam colligationem partium, ut fascis virgarum invicem colligatarum; sic enuntiatio, quæ habet esse in anima, vel est una simpliciter vel copulatione. *Secundo* enuntiatio una subdividitur in affirmativam et negativam. Quia vero, dum dicitur, quod aliqua enuntiatio est una simpliciter, posset aliquis suspicari, quod careat omni compositione partium; addit Aristoteles, necesse esse, ut omnis enuntiatio includat verbum aut casum verbi, quod verbum componat prædicatum cum subjecto. Nam si sumatur nomen vel definitio hominis sine verbo, ac dicatur: *animal rationale*, adhuc non est enuntiatio; si vero addatur verbum vel casus verbi, et dicatur: *animal rationale est vel fuit*, tum erit enuntiatio. Sicut vero definitio hominis, quæ sit, ex. gr., *animal gressibile bipes*, una est simpliciter, et non per hoc solum, quod unum nomen immediate proferatur post aliud, sed quia, cum differentiæ addantur generi ut forma materiæ, faciunt unum, ut dictum est 7. et 8. Metaph., sic licet enuntiatio importet cum verbo plura nomina, adhuc est simpliciter una, quia prædicatum comparatur cum subjecto, sicut forma cum materia. Enuntiatio igitur simpliciter una est, in qua unum prædicatum dicitur de uno subjecto, etiamsi prædicatum aut subjectum significentur pluribus nominibus; ex. gr., hæc enuntiatio, qua dicitur: *homo est animal rationale*, est una simpliciter, quia, licet *animal, rationale* sint duo nomina, tamen significant unum; ac similiter hæc: *animal rationale est risibile*, est una simpliciter ex eadem ratione. Plures enuntiationes sunt, quæ vel non significant unum, sed plura, vel carent conjunctione; ex. gr., hæc: *homo est animal rationale risibile*, non est una simpliciter, sed secundum quid, quia *rationale* et *risibile* non sunt unum prædicatum. Multo magis sunt plures enuntiationes non copulatæ; ex. gr., *Petrus currit, Paulus currit*. Tres igitur sunt enuntiationes: una simpliciter, in qua unum de uno affirmatur aut negatur; multiplex simpliciter et una secundum quid, in qua plura copulate affirmantur aut negantur; multiplex omnino, quæ neque etiam conjunctione est una. Licet igitur et nomen et verbum et enuntiatio possint significare unum aut plura, tamen diverso modo nomen ac verbum significant, diverso enuntiatio. Nomen enim et verbum significant solum ut dictio nihil affirmando vel negando; ex gr., hoc nomen *homo* sive proferatur sponte, sive respondendo ad interrogationem, qua quæritur, *quomodo vocetur talis res*, significat hominem solum ut dictio, idemque dic de verbo secundum se; at enuntiatio significat ut affirmatio vel negatio. Ex enuntiationibus alia est simplex aliquid dicens de aliquo, vel aliquid ab altero removens; alia est composita, quæ est oratio quædam composita. Simplex enuntiatio est *vox significans aliquid esse vel non esse pro tempore præsenti vel præterito vel futuro, prout verbum declinatur per varia tempora*. Dividitur in affirmationem et negationem. Affirmatio est *enuntiatio alicujus de aliquo;* negatio est *enuntiatio, qua aliquid removetur ab alio*.

5. [6] Affirmatio est enuntiatio alicujus de aliquo. Negatio est enuntiatio alicujus ab aliquo. Quia vero quod inest enuntiare licet quasi non insit, et quod non inest quasi insit, et quod inest quasi insit, et quod non inest quasi non insit, itidemque in temporibus, quæ sunt extra præsens, idcirco quodcumque aliquis affirmaverit, negari, et quodcumque quis negaverit, affirmari potest.

6. Quare manifestum est, omni affirmationi esse negationem oppositam et omni negationi affirmationem. Atque hoc esto contradictio, affirmatio et negatio oppositæ. Dico autem opponi eam, quæ est ejusdem de eodem, non homonymos, et cætera ejusmodi, quæ determinavimus adversus sophisticas molestias.

5. Proposita divisione enuntiationis procedit Aristoteles ad probandam primam proprietatem enuntiationis, quæ est, ut cuilibet enuntiationi opponatur contradictorie altera enuntiatio. Præmittit, quod, cum ex dictis enuntiatio sit oratio affirmativa vel negativa, vera vel falsa, combinando hæc invicem, potest quatuor modis diversificari enuntiatio. Prima est negativa falsa, secunda affirmativa falsa, tertia negativa vera, quarta affirmativa vera. Negativa falsa est, *per quam negatur quod est*, ut cum de Petro, qui est albus, dicitur, quod non est albus. Affirmativa falsa est, per quam *affirmatur quod non est;* ut cum de Petro, qui non est justus, affirmatur, quod est justus. Negativa vera est, *per quam negatur quod non est;* ut cum de Petro, qui non est justus, dicitur, quod non est justus. Affirmativa vera est, *per quam affirmatur quod est;* ut cum de Petro, qui est albus dicitur, quod est albus. Et quia potest aliquid affirmari vel negari pro tempore præsenti, præterito vel futuro, ideo dictæ affirmationes ac negationes veræ vel falsæ, possunt etiam diversificari per hoc, quod affirment aut negent de præsenti vel de præterito vel de futuro.

6. Hoc præmisso sic Aristoteles probat, quod cuilibet enuntiationi opponitur contradictorie altera enuntiatio : omnis enuntiatio vel affirmat aliquid vel negat : sed quod affirmatur potest etiam negari, quod negatur potest etiam affirmari ; ergo cuilibet enuntiationi affirmativæ opponitur enuntiatio negativa negans id ipsum, quod per affirmationem affirmatur : et cuilibet enuntiationi negativæ opponitur enuntiatio affirmativa affirmans id ipsum, quod per negationem negatur; sed hoc ipsum est contradictio : *affirmatio nimirum et negatio invicem oppositæ per hoc, quod sint ejusdem prædicati de eodem subjecto, non æquivoce et cum aliis adjunctis, quæ explicantur* lib. I. Elench. cap. v; ergo cuilibet enuntiationi opponitur contradictorie altera enuntiatio.

CAPUT V

DE CÆTERIS OPPOSITIONIBUS ENUNTIATIONUM AC DE REGULIS EARUM.

1. [7] Quoniam autem rerum aliæ sunt universales aliæ singulares (universale appello, quod suapte natura multis attribuitur, singulare quod non attribuitur, ut homo est res universalis, Callias singularis), necesse est utique enuntiare, aliquid inesse aut non inesse interdum rei universali, interdum rei singulari.

2. Si quis igitur universaliter de re universali enuntiet, aliquid inesse aut non inesse, erunt hæ enuntiationes contrariæ. Dico autem de re universali universaliter enuntiare, veluti omnis homo est albus, nullus homo est albus. At cum de rebus universalibus non universaliter enuntiat, hæ non sunt contrariæ ; quæ vero significantur, possunt aliquando esse contraria. Dico autem non universaliter enuntiare de rebus universalibus, veluti : est albus homo, non est albus homo. Cum enim homo sit res universalis, non quasi universali utitur in enuntiatione. Etenim *omnis,* non rem universalem significat, sed universaliter subjectum accipi ostendit. Attributum autem universale si universaliter attribuantur, non est verum pronuntiatum. Nulla enim affirmatio vera erit, in qua, quum attributum sit universale, universaliter attribuitur, ut omnis homo est omne animal. Dico igitur affirmationem negationi opponi contradictorie, id est eam, quæ rem universalem significat universaliter, ei, quæ eamdem significat, non esse universaliter accipiendam ; ut : omnis homo est albus, non omnis homo est albus, nullus homo est albus — est quidam homo albus. Contrarie autem rei universæ affirmationem et rei universæ negationem, ut : omnis homo est albus — nullus homo est albus, omnis homo est justus — nullus homo est justus.

Postquam Aristoteles ostendit, quod cuilibet enuntiationi opponitur contradictorie altera enuntiatio, per aliquas conclusiones explicat cæteras oppositiones enuntiationum ac tradit regulas earum.

1. Ut ponat primam conclusionem, per quam explicet, quandonam affirmatio et negatio opponantur contradictorie, et quando non opponantur contradictorie, sed vel nullo modo opponantur vel opponantur alio genere oppositionis, duo præmittit ac supponit. Primum est, quod res affirmabiles ac negabiles vel sunt univer-

sales vel singulares. Universale est, *quod est prædicabile de pluribus,* ut *homo ;* potest enim prædicari de pluribus hominibus. Singulare est, *quod non est prædicabile de pluribus,* ut *Callias.* Secundum est : subjectum universale vel potest sumi universaliter cum signo *omnis* aut *nullus:* vel particulariter cum signo *aliquis;* vel indefinite sine ullo signo; ex. gr., cum dico : *omnis homo est albus,* vel nullus homo est albus, subjectum *homo* non solum est universale, sed sumitur universaliter ; cum dico : *aliquis homo est albus,* subjectum *homo* sumitur particulariter; cum dico : *homo est albus,* sumitur indefinite.

2. His positis *prima conclusio* est : affirmatio ac negatio, per quam prædicatum affirmatur vel negatur de eodem subjecto universali et universaliter, sunt contrariæ; affirmatio ac negatio, per quam prædicatum affirmatur ac negatur de eodem subjecto particulariter vel indefinite, non sunt contrariæ ratione formæ, licet aliquando sint contrariæ ratione materiæ, hoc est ratione rei significatæ ; affirmatio ac negatio ejusdem de eodem, quarum altera sit universalis, altera particularis, sunt contradictoriæ ; affirmatio demum, in qua prædicatum sumitur universaliter, est falsa.

Probatur et *explicatur conclusio* per singulas partes. Istæ duæ enuntiationes : *omnis homo est albus, nullus homo est albus,* non solum sunt de subjecto universali, quod subjectum est *homo,* sed etiam sumunt hominem universaliter dicendo : *omnis homo, nullus homo;* ideo opponuntur contrarie, nec possunt esse simul veræ. E converso istæ : *aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus,* sumunt hominem particulariter; ideoque non sunt contrariæ, sed possunt esse simul veræ; idemque dic de istis indefinitis : *homo est albus, homo non est albus.* Addit tamen Aristoteles, quod aliquando res significatæ sunt contrariæ, ideoque, licet propositiones particulares vel indefinitæ ratione formæ possint esse simul veræ, non possunt esse simul veræ ratione materiæ, ut cum materia est necessaria, ac dicitur, ex. gr., *homo est animal, homo non est animal.* At affirmationes et negationes, quarum altera sit universalis, altera particularis, opponuntur contradictorie, ut cum dicitur : *omnis homo est albus, aliquis homo non est albus; nullus homo est albus, aliquis homo est albus.* Demum si prædicatum sumatur universaliter, enuntiatio affirmativa est falsa, ut cum dicitur : *omnis homo est omne animal.*

3. Idcirco hæ non possunt esse simul veræ. His autem oppositas contingit aliquando in eodem simul veras esse, veluti : non omnis homo est albus, et est aliquis homo albus. Quæcumque igitur rerum universalium contradictiones sunt universaliter, earum necesse est, alteram esse veram vel falsam. Et quæcunque sunt de rebus singularibus, ut : est Socrates albus — non est Socrates albus. At earum, quæ sunt de rebus universalibus, non tamen universaliter, non semper altera est vera, altera falsa. Nam simul vere dicitur : est homo albus et non est homo albus, item homo est pulcher et non est homo pulcher.

4. Etenim si turpis est, non est pulcher, et si quid fit, nondum est. Statim autem videri potest absurdum esse, propterea quod videtur idem significare hoc effatum : non est homo albus, simulque hoc : nullus homo est albus. Sed nec idem significat nec simul necessario est.

3. *Secunda conclusio* est : enuntiationes contrariæ, hoc est quarum utraque est universalis, non possunt esse simul veræ, possunt esse simul falsæ ; at enuntiationes, quarum utraque est particularis, quæ vocantur subcontrariæ, possunt esse simul veræ ; contradictoriæ non possunt esse simul veræ neque simul falsæ, sed altera est vera, altera falsa, idemque dic de affirmatione ac negatione de subjecto singulari, ut cum dicitur : *Socrates est albus, Socrates non est albus ;* indefinitæ demum possunt esse simul veræ.

4: Conclusio quoad alias partes patet ex dictis. Quoad ultimam partem de indefinitis probatur ab Aristotele ad hominem contra aliquos, qui dicebant, indefinitam negativam semper esse universalem, adeoque impossibile esse, ut, si affirmativa sit vera, etiam negativa sit vera. Ut enim illi concedebant, indefinita affirmativa non æquivalet universali; ergo possunt esse veræ istæ duæ indefinitæ affirmativæ : *homo est pulcher, homo est deformis,* quandoquidem utraque est particularis; sed ex eo, quod homo est deformis, sequitur, quod non sit pulcher, cum non possit esse simul deformis ac pulcher; ergo, si cum veritate hujus : *homo est pulcher,* stat veritas hujus : *homo est deformis,* stabit etiam veritas negativæ, quæ infertur ex affirmativa : *homo non est pulcher ;* cum omni enim eo, cum quo stat veritas antecedentis, stat veritas consequentis; ergo falsum est, quod indefi-

nita negativa semper æquivaleat universali; nam non æquivalet, et ideo potest contingere, ut vera sit indefinita negativa, ac simul falsa sit universalis negativa.

5. Perspicuum autem est, unam negationem unius affirmationis esse. Idem enim oportet negationem negare quod affirmatio affirmavit : et ab eodem, id est vel ab aliquo particulari, vel ab aliquo universali, sive universaliter sive non universaliter accepto; verbi gratia : est Socrates albus — non est Socrates albus. Quod si aliud quid ab eodem, vel ab alio idem, non erit opposita illa, sed ab ea diversa. Huic vero enuntiationi : omnis homo est albus, opponitur hæc : non omnis homo est albus. Sed huic : quidam homo est albus, hæc, nullus homo est albus. Huic autem : est homo albus, hæc : non est homo albus.

6. Unam igitur affirmationem uni negationi contradictorie opponi, et quænam sint hæ, dictum est; item contrarias esse alias, et quænam sint hæ, dictum est, ac non omnem contradictionem esse veram vel falsam, et cur, et quando sit vera vel falsa.

5. *Tertia conclusio* est : uni affirmationi opponitur contradictorie unica negatio, et uni negationi unica affirmatio. *Probatur,* quia contradictio ex dictis est affirmatio et negatio ejusdem de eodem; ergo ad contradictionem requiritur, ut illud præcise, quod affirmatur, negetur, et illud præcise; quod negatur, affirmetur; et de eodem, de quo affirmatur, negetur, de eodem, de quo negatur, affirmetur, seu subjectum sit singulare, seu sit universale, seu sumatur universaliter, seu sumatur non universaliter; ergo huic affirmationi, qua dicitur : *Socrates est albus,* opponitur contradictorie solum hæc negatio : *Socrates non est albus;* si vero negetur aliquod aliud prædicatum dicendo, ex. gr., *Socrates non est musicus,* vel negetur idem prædicatum de alio subjecto dicendo : *Plato non est albus,* non erit contradictio. Similiter huic : *omnis homo est albus,* contradicit hæc : *non omnis homo est albus,* seu : *aliquis homo non est albus;* si vero non præcise negetur, quod omnis homo est albus, sed dicatur, quod non solum non omnis homo est albus, sed nullus est albus, non erit contradictio, sed contrarietas. Huic etiam : *aliquis homo est albus,* contradicit hæc : *nullus homo est albus;* ly enim *nullus* significat idem ac *non ullus* seu *non aliquis.* Demum huic indefinitæ : *est homo albus,* contradicit hæc : *non est homo albus.*

6. Concludit Aristoteles epilogando dicta in tribus positis conclusionibus. Dictum est enim, quod uni affirmationi opponitur contradictorie unica negatio, et explicatum est, quænam affirmationes et negationes opponantur contradictorie. Dictum est, aliquas affirmationes et negationes opponi contrarie, et explicatum est, quænam sint. Dictum est, quod non semper contradictio sumpta pro affirmatione et negatione continet alteram propositionem veram, alteram falsam, cum affirmationes et negationes universales possint esse simul falsæ, particulares possint esse simul veræ. Demum explicatum est, quænam affirmationes et negationes ita se habeant, ut altera sit necessario vera, altera necessario falsa, adeoque sint proprie contradictoriæ.

7. [8] Una autem affirmatio et negatio est, quæ unum de uno significat, æque subjecto universali universaliter accepto ac non universaliter.


8. Ut : omnis homo albus est — non omnis homo albus est, est homo albus — non est homo albus, nullus homo albus est — est aliquis homo albus, si modo album unam rem significat. Sin autem duabus rebus unum nomen positum sit, ex quibus non sit unum, non est una affirmatio nec una negatio. Ut si quis equo et homini nomen imponat vestimentum; hæc non erit una affirmatio : vestimentum est album, nec una erit ejus negatio. Perinde est enim ac si dicatur : est homo et equus albus; quod idem valet ac si dicatur : est homo albus et est equus albus. Ergo si hæ enuntiationes multa significant et sunt multæ, perspicuum est, etiam primam vel multa vel nihil significare, quia non est aliquis homo equus. Quare nec in his necesse est, alteram contradictionem esse veram, alteram falsam.

7. Jam quia dixit Aristoteles, quod uni affirmationi opponitur unica negatio, ponit *quartam conclusionem* ad explicandum, quandonam affirmatio vel negatio sit una. Est ergo quarta conclusio : affirmatio ac negatio una est, quæ affirmat unum prædicatum de uno subjecto, seu prædicatum et subjectum sit unum ut singulare, seu sit unum ut universale, seu sumatur universaliter, seu sumatur particulariter.

8. Probatur et explicatur : nam non solum est una hæc enuntiatio, qua dicitur : *Petrus est albus,* cujus subjectum est singulare, sed etiam hæ : *homo est albus, omnis homo est albus, aliquis homo est albus,* quarum subjectum est universale, idemque dic de negativis oppositis : *homo non est albus, nullus homo est albus, ali-*

quis homo non est albus. Ratio est, quia, licet *homo* significet multos homines, significat tamen illos sub una ratione et conceptu hominis. At si idem nomen significet plura æquivoce sub diversa ratione et conceptu ; ex. gr., si nomen *vestis* significet et hominem et equum sub diversis conceptibus hominis et equi, tum enuntiatio, qua diceretur : *vestis est alba*, vel *vestis non est alba*, non esset una affirmatio nec una negatio. Ratio est, quia hæc : *homo et equus est albus* non est una affirmatio, sed plures; sed tum illa, qua diceretur: *vestis est alba*, idem significaret ac ista : *homo equus est albus;* ergo non est una, sed plures, cum affirmaret album de pluribus; vel si dicatur, quod vestis significat unum, cum homo et equus non sint unum, sequitur, quod vestis nihil significet. Cum igitur, quando nomen sumitur æquivoce, nec affirmatio nec negatio sit una, non opponuntur contradictorie, adeoque non est necesse, ut altera sit vera, altera sit falsa.

Ex doctrina hujus capitis desumpserunt Summulistæ doctrinam de oppositionibus enuntiationum et earum regulis, licet tribus oppositionibus, quarum mentionem facit Aristoteles, addiderint quartam impropriam, quam vocarunt subalternam, per quam enuntiationes convenientes in qualitate, differunt in quantitate, ita ut altera sit universalis, altera particularis. Has autem quatuor oppositiones communiter exhibent per appositam figuram.



CAPUT VI

UTRUM EX ENUNTIATIONIBUS DE FUTURIS CONTINGENTIBUS ALTERA SIT DETERMINATE VERA, ALTERA DETERMINATE FALSA.

1.]9] In iis igitur, quæ sunt et quæ facta sunt, necesse est, afirmationem vel negationem veram aut falsam esse.

2. Et in universalibus quidem universaliter acceptis semper alteram esse veram alteram falsam ; nec non in singularibus, ut dictum fuit.

3. In universalibus autem non universaliter pronuntiatis non est necesse ; ac de his quoque dictum fuit.

Quia Aristoteles docuit ex contradictoriis alteram esse veram, alteram falsam, examinat an et quomodo id verificetur *de omnibus contradictoriis.*

1. Docet ergo *primo,* quod ex contradictoriis de præterito ac de præsenti semper altera est determinate vera, altera determinate falsa.

2. Docet *secundo*, quod, cum aliquid affirmatur aut negatur de aliquo universali universaliter dicendo : *omne est, non omne est, nullum est, non nullum est,* semper altera est vera, altera falsa, et hoc etiam contingit, cum aliquid affirmatur ac negatur de singularibus pro tempore præsenti vel præterito.

3. Docet *tertio*, quod cum aliquid affirmatur ac negatur de subjecto universali non universaliter, sed particulariter aut indefinite dicendo : *aliquod animal est album, aliquod animal non est album, vel animal est album, animal non est album,* non est necesse, ut altera sit vera, altera falsa, cum tales propositiones non opponantur contradictorie, ut explicatum est.

4. In singularibus autem futurisque non similiter. Nam si omnis affirmatio vel negatio est vera aut falsa, omnia necesse est esse aut non esse. Si quis enim aliquid fore dicat, alter id ipsum non fore dicat, profecto necesse est, alterum eorum vere dicere, si modo omnis affirmatio vel negatio est vera vel falsa. Utraque enim simul non erunt in hujusmodi rebus, quoniam si vere dicitur esse album aut non esse album, necesse est, esse album aut non album, et si est album aut non album, vere affirmatur vel negatur. Et si non est, falso dicitur. Et si falso dicitur, non est; quare necesse est; vel affirmationem vel negationem esse veram aut falsam. Nihil igitur est nec fit fortuito, nec utrolibet modo; neque erit aut non erit; sed omnia fiunt ex necessitate. Non utrovis modo. Nam aut qui affirmat, vere dicit aut qui negat. Alioquin æque

fieret aut non fieret. Quod enim utrovis modo accidit, non magis hoc quam illo modo se habet aut se habebit.

5. Præterea si nunc est album, vere dici antea poterat fore album. Quare semper dici vere potuit, quidquid fit, esse aut fore. Quod si semper dici vere potuit, esse aut fore, non potest hoc non esse aut non fore. Quod autem non potest non fieri, impossibile est non fieri. Et quod impossibile est non fieri, necesse est fieri. Futura igitur omnia necesse est fieri. Ergo nihil utrovis modo, nihil fortuitum erit, quia si esset fortuitum, non esset necessario.

4. Dubium ergo remanet, utrum ex enuntiationibus singularibus de futuris contingentibus, quales sunt hæ : *Socrates cras veniet, Socrates cras non veniet,* altera determinate sit vera, altera falsa. Pro solutione quæstionis ponit *tres conclusiones. Prima conclusio* est : ex enuntiationibus singularibus de futuris contingentibus non est necesse, ut altera sit determinate vera, altera determinate falsa.

Probat primo : si ex propositionibus, quibus dicitur, ex. gr., *Socrates cras veniet, Socrates cras non veniet,* necesse est, ut altera determinate sit vera, altera falsa, sequitur, quod altera pars contradictionis erit ex necessitate, altera ex necessitate non erit; consequens est absurdum; ergo, etc. —*Prob. sequ. majoris :* sit enim vera, ex. gr., hæc : *Socrates cras veniet,* et per consequens sit falsa hæc : *Socrates cras non veniet* (neque enim possunt esse simul veræ vel simul falsæ, cum sint contradictoriæ) hoc posito sic argumentor : necesse est, ut si est vera affirmatio, qua dicitur : *Socrates cras veniet,* Socrates veniat ; et similiter necesse est, ut si est falsa negatio, qua dicitur : *Socrates cras non veniet,* Socrates veniat ; sed ex suppositione vera est posita affirmatio, et falsa est posita negatio; ergo necesse est, ut Socrates cras veniat. — *Probatur major :* nam necesse est, ut si vera est affirmatio, qua dicitur, quod aliquid sit, illud sit ; ex. gr., necesse est, ut si vere affirmatur Petrum esse album, Petrus sit albus, et similiter necesse est, ut si est falsa negatio, qua dicitur rem non esse, res sit ; ex. gr., necesse est, ut si falso negatur, Petrum esse album, Petrus sit albus; idemque proportionaliter dic de negatione. Si enim vere dicitur, quod Petrus non sit albus, Petrus non est albus; et si falso dicitur Petrum esse album, Petrus non est albus; et e converso si Petrus est albus, vere affirmatur, Petrum esse album, et falso id ipsum negatur ; et si Petrus non est albus, vere negatur, Petrum esse album, et falso affirmatur ; ergo si vere affirmatur, quod Socrates veniet, et falso id negatur, necesse est, ut Socrates cras veniat, impossibile est, ut non veniat, idemque dic de aliis ; ergo omnia evenient ex necessitate; sed quod evenit ex necessitate, non evenit fortuito neque casualiter, quia quod evenit fortuito et casualiter potest non evenire, imo raro evenit ; et similiter quod evenit ex necessitate, non evenit contingenter, quia illud solum evenit contingenter, quod est indifferens ad eveniendum vel non eveniendum; ergo aufertur fortuna, casus, contingentia, libertas atque indifferentia.

5. Probat *secundo* et simul magis confirmat priorem rationem : illud enim, quod semper fuit necessarium, ut eveniret, et semper fuit impossibile, ut non eveniret, necessario evenit ; sed semper fuisset necessarium, ut evenirent omnia, quæ eveniunt; et semper fuisset impossibile, ut non evenirent ; ergo, etc. — *Probatur minor :* nam si Petrus nunc est albus, semper fuit verum, quod pro hoc tempore erat futurus albus; sed posito quod hoc semper fuerit verum, semper necesse fuit, ut hoc tempore esset albus ; semper fuit impossibile, ut hoc tempore non esset albus ; ergo, etc.

6. Neque vere dici potest, neutrum verum esse, veluti neque fore neque non fore.

7. Primum enim cum sit affirmatio falsa, erit affirmatio non vera ; et cum hæc sit falsa, contingit, affirmationem non esse veram.

8. Præterea si vere dicitur album simul et magnum esse, oportet utraque esse. Sin autem vere dicitur, fore cras, oportet fore cras. At si vere dicitur, neque fore neque non fore cras, non erit quod utrolibet modo accidit, ut bellum navale ; oportebit enim neque fieri navale bellum neque non fieri. Accidunt igitur hæc incommoda, atque ejusmodi alia, si ex omni affirmatione ac negatione, quæ sibi mutuo opponuntur, sive sint de rebus universalibus universaliter acceptis, sive de rebus singularibus, necesse sit alteram esse veram alteram falsam ; nempe nihil esse in iis, quæ fiunt, quod utrolibet modo eveniat, sed omnia esse ac fieri ex necessitate.

6. *Secunda conclusio* est : neque etiam potest dici, quod ex contradictoriis de futuris contingentibus neutra sit vera ; ex. gr., quod ex duabus enuntiationibus, per quarum unam dicatur : *Socrates cras veniet,* per alteram dicatur : *Socrates cras non veniet,* neutra sit vera.

7. *Probat primo :* quia affirmatio, quæ

affirmat aliquid, quod non est verum, eo ipso est falsa; sed affirmatio dicens : *Socrates cras veniet,* affirmat aliquid non verum, alioquin esset vera; ergo est falsa; sod impossibile est, ut si affirmatio est falsa, negatio sit non vera, et hoc sequitur, si neutra est vera; ergo falsum est, quod neutra sit vera. Rursus si negatio non est vera, est falsa, et tamen affirmatio non est vera, quod pariter est impossibile.

8. *Secundo* probat : si verum est dicere, quod aliquid est magnum et album, necesse est, ut sit album et magnum; ergo ex opposito si neque verum est dicere. quod sit magnum, neque quod sit album, necesse est, ut neque sit magnum, neque album; ergo si neque est verum dicere, quod pugna navalis fiet, neque quod non fiet, necesse est, ut pugna neque fiat, neque non fiat; sed est impossibile, ut potentia ad hoc ut aliquid fiat, vel non fiat, conjungatur cum necessitate, ut neque fiat, neque non fiat ; ergo non datur potentia. ut pugna navalis fiat vel non fiat; ergo adhuc aufertur omnis potentia ad utramlibet partem contradictionis, omnis indifferentia et contingentia, omnis libertas, atque omnia eveniunt ex necessitate.

9. Quamobrem neque consultare oportebit neque studiose agere, quasi si hoc faciamus,hoc futurum sit, sin minus, non sit futurum. Nihil enim prohibet, vel ad decem millia annorum alium affirmare hoc futurum, alium negare, adeo ut ex necessitate futurum sit, utrumvis tunc vere dicebatur. Neque vero interest, utrum aliqui contradictionem dixerint, an non dixerint. Constat enim res ita se habere, etiamsi non alter affirmaverit quidpiam, alter negaverit. Non enim quia affirmatum aut negatum sit, ideo res erit aut non erit, nec magis erit ad decem millia annorum quam in quovis tempore. Quare si omni tempore sic res se habebat, ut alterum vere diceretur,necesse erat hoc fieri ; et quodcumque fit,semper ita se habuit, ut ex necessitate fieret. Nam quando vere dixit aliquis fore, non potest non fieri. Et quod factum est, semper vere dici potuit futurum esse. Ergo si hæc sunt impossibilia — videmus enim esse rerum futurarum principium, et ex eo quod consultamus et ex eo quod agimus aliquid ; et omnino in iis quæ non semper sunt actu, videmus æque esse potestatem, ut sint et ut non sint; in quibus utrumque evenire potest, nimirum tam esse quam non esse, proinde et fieri et non fieri. Multaque nobis manifesta sunt ita se habentia. Utputa hæc vestis potest discindi, nec discindetur, sed prius datteretur. Itidemque potest non iscindi ; neque enim prius attrita fuisset, nisi potuisset non discindi. Quare etiam in aliis generationibus idem dicendum est, quæcumque dicuntur secundum ejusmodi potestatem. Perspicuum igitur est, nec esse nec fieri omnia ex necessitate,sed alia quidem utrovis modo contingere, nec magis affirmationem esse veram quam negationem ; alia vero esse, in quibus alterum magis et plerumque sit, sed tamen accidit etiam; ut alterum fiat, alterum minime.

9. Quod vero sit absurdum, ut omnia eveniant ex necessitate, probat Aristoteles, quia per hoc tolluntur consultationes. Ut quid enim consultamus de iis, ad quæ datur necessitas antecedens omnem nostram consultationem? Si ergo ad omnes actiones datur necessitas antecedens nostram consultationem, frustra consultamus. Rursus, ut quid aggredimur res agendas, si ante omnem nostram operationem datur necessitas eventus ? Ex. gr., si ante omnem curationem morbi datur necessitas, ut ægrotus moriatur, cur aggredimur curationem morbi? Quod vero detur hæc necessitas probat, quia nihil prohibet, ut ante mille annos unus dixerit : *morietur ex morbo,* alius dixerit : *non morietur ex morbo;* sed una ex istis propositionibus erat vera; ergo ante mille annos dabatur necessitas ad unam partem contradictionis. Quod si nulla data esset propositio, adhuc data fuisset hæc veritas objectiva : *sanabitur,* vel hæc veritas : *non sanabitur.* Nam propositio eatenus esset vera, quatenus esset verum quod sanabitur ; ergo adhuc data fuisset necessitas. Quod vero non omnia necessario eveniant, probat Aristoteles *primo,* quia consultamus de futuris et de agendis; sed non consultaremus, nisi esset in nostra potestate facere vel non facere; quod vero necessario fiet, non est in nostra potestate; ergo quædam futura nor necessario fient. *Secundo* manifestum est, quod quædam possunt esse et non esse, ex. gr., vestis potest scindi et etiam non scindi; ergo possunt fieri et non fieri; ergo cum vestis scinditur, posset non scindi, sed vetustate consumi sine arbitraria scissione; ergo non datur necessitas ad hoc, ut vestem scindam, alioquin non posset consumi vetustate; ergo non omnia fiunt ex necessitate, sed quædam sunt contingentia, ac possunt fieri vel non fieri; quædam vero, licet plerumque debeant fieri, tamen possunt aliquando, licet raro, non fieri.

10. Ergo quod est, necesse est esse, quando

est ; et quod non est, necesse est, non esse, quando non est. Verum nec necesse est, esse quicquid est, nec necesse est non esse quicquid non est, quoniam, quicquid est, esse ex necessitate quando est, non idem valet, quod simpliciter esse ex necessitate. Idem dicendum est de eo, quod non est. Eadem est ratio contradictionis. Quidvis enim esse aut non esse et fore aut non fore, necesse est, non tamen separatim dicendum est alterum necessarium. Verbi gratia necesse est, cras fore vel non fore bellum navale ; non est autem necesse, cras fieri bellum navale ; nec necesse est, cras non fieri ; sed necesse est, fieri aut non fieri.

11. Quare cum orationes similiter veræ sint atque res, manifestum est, in iis, quæ ita se habent, ut utrolibet modo contingant et contraria evenire possint, necesse est, ut similiter sese habeat contradictio; quod quidem in iis accidit, quæ non semper sunt vel non semper non sunt. Ex his enim necesse est, alteram partem contradictionis esse veram vel falsam, non tamen hoc vel illud, sed utrumvis. Et magis quidem esse veram alteram partem, non tamen esse jam veram aut falsam. Itaque manifestum est, non necesse esse, ut omnis affirmationis et negationis, quæ sibi invicem opponuntur, altera sit vera altera falsa ; non enim ut in iis, quæ sunt, sic res se habet etiam in iis, quæ non sunt possuntque esse, vel non esse; sed quemadmodum dictum est.


10. *Tertia conclusio* est : necesse est, ut ex propositionibus de futuris contingentibus, altera indeterminate sit vera, altera falsa; sed non est necesse, ut altera determinate sit vera, altera falsa.

Ut probet et explicet conclusionem distinguit Aristoteles *duplicem necessitatem*. *Prima* est necessitas consequens et ex suppositione, per quam necesse est rem esse, cum est, et ex suppositione, quod sit; et necesse est, rem non esse, cum non est, et ex suppositione, quod non sit; ex. gr., necesse est, ut cum Socrates currit, currat; impossibile enim est, ut currendo non currat, et ex suppositione cursus, non currat. Similiter necesse est, ut cum Socrates non currit, non currat, ex eadem ratione. Hac necessitate consequenti et ex suppositione, quæ est solum necessitas secundum quid, et non opponitur contingentiæ, cuncta sunt necessaria, ut patet. *Secunda* est necessitas simpliciter, per quam antecedenter et nulla facta suppositione, necesse est, ut altera pars contradictionis determinate sit, eo pacto, quo necesse est, ut sol cras oriatur, et ut cras non eclypsetur. Hæc necessitas opponitur contingentiæ ac libertati, ideoque contingentia ac libera non sunt necessaria determinate necessitate antecedente ac nulla facta suppositione. Sunt igitur solum necessaria indeterminate secundum alteram partem contradictionis; ex. gr., non est necesse, ut cras fiat pugna navalis, neque est necesse, ut cras non fiat, sed est necesse, ut cras fiat vel non fiat. Similiter non est necesse, ut Socrates cras peccet; neque est necesse, ut cras non peccet; potest enim libere peccare vel non peccare; sed est necesse, ut vel peccet, vel non peccet.

11. Hoc posito, sic probat Aristoteles conclusionem. Veritas enuntiationum se habet sicut veritas rerum; sed non datur necessitas ac determinatio, ut altera determinata pars contradictionis circa futura contingentia sit, altera non sit, sed datur indifferentia ad utramlibet et necessitas, ut sit hæc vel illa indeterminate; ex. gr., non datur necessitas ac determinatio, ut Socrates cras peccet, neque ut non peccet, sed datur indifferentia ad hoc, ut peccet vel non peccet, prout voluerit, et datur necessitas, ut vel peccet vel non peccet, alioquin auferretur contingentia et libertas; ergo similiter non datur necessitas ac determinatio, ut circa futura contingentia sit vera potius affirmatio quam negatio, sed datur indifferentia ad hoc, ut utralibet sit vera, ac solum datur necessitas, ut altera indeterminate sit vera; ex. gr., cum alter d cit : *Petrus peccabit*, alter dicit : *non peccabit*, sicut Petrus non est adhuc determinatus ad peccandum potius, quam non peccandum, sic adhuc non est determinate verum, quod peccabit, neque quod non peccabit. Si vero Petrus sit magis inclinatus ad peccandum, quam ad non peccandum, propositio affirmativa erit probabilior. Concludit Aristoteles, hoc esse discrimen inter enuntiationes de futuro et enuntiationes de præsenti ac præterito; ac per hæc absolvit hunc primum librum.

Quæritur an hæc Aristotelis doctrina sit vera, vel erronea et contra fidem?

Respondeo, quod si ita intelligatur, ut neget solum propositiones de futuro contingenti habere de præsenti veritatem determinatam naturaliter in rebus creatis, est vera; si autem ita intelligatur, ut neget tales propositiones habere veritatem determinatam etiam in scientia divina, atque in supernaturalibus revelationibus, est falsa, contra fidem et impia.



ARISTOTELIS PERIHERMENIAS

SEU

DE INTERPRETATIONE

LIBER II

CAPUT 1. — ART. 1.

DE DIFFERENTIIS ENUNTIATIONUM SIMPLICIUM, FINITARUM VEL INFINITARUM, DE SECUNDO VEL DE TERTIO ADJACENTE.

1. [10] Quoniam autem affirmatio significat aliquid de aliquo atque hoc est vel nomen vel innominatum, unum autem esse oportet et de uno, quod est in affirmatione (quid autem sit nomen et quid innominatum, dictum est antea; etenim *non homo* non voco nomen, sed infinitum nomen : nam unam rem quodammodo significat nomen ; infinitum, quemadmodum *non valet* non appello verbum, sed infinitum verbum); erit igitur omnis affirmatio et negatio vel ex nomine et verbo, vel ex infinito nomine et verbo. At sine verbo nulla est affirmatio nec negatio. Nam est vel erit vel erat vel fit et cætera ejusmodi sunt verba, ut ex iis constat, quæ supra posita fuerunt, quoniam adsignificant tempus.

Postquam Aristoteles lib. I, egit de enuntiatione, ejusque divisione in simplicem et compositam, affirmativam et negativam, nec non de oppositione simplicium enuntiationum, initio libri secundi descendit ad enumerandas varias differentias enuntiationum simplicium.

1. *Docet* ergo *primo*, quod enuntiatio simplex ad minimum constat ex nomine finito vel infinito et verbo. *Probat*, quia enuntiatio simplex est affirmatio ac negatio, in qua aliquid unum affirmatur vel negatur de aliquo uno, quod dicitur subjectum ; sed illud subjectum, de quo aliquid affirmatur, significatur per nomen finitum vel infinitum, affirmatio vero significatur per verbum vel casum verbi ; ergo omnis enuntiatio simplex constat ex nomine finito vel infinito et verbo. *Probatur* et explicatur minor : nam ut aliquid affirmem vel negem, debeo dicere : *homo currit,* vel *non homo currit,* etc., si dicam : *homo currit,* jam ly *homo* est nomen finitum; si dicam : *non homo currit,* jam ly *non homo* est nomen infinitum, et est unum nomen infinitum, eo pacto, quo, ut dictum est lib. I. cap. III, *non valet* est unum verbum infinitum; ly vero *currit* est verbum significans de homine affirmationem cursus pro aliquo tempore, nec possum affirmationem vel negationem significare, nisi per verbum *est,* vel aliud verbum, vel casum verbi dicendo : *homo currit, homo currebat,* etc., ergo omnis affirmatio simplex debet saltem constare ex verbo ac nomine finito vel infinito. Enuntiatio porro, quæ constat solum ex nomine finito vel infinito et verbo, dicitur enuntiatio de secundo adjacente, quia talis enuntiatio completur per verbum positum post nomen, adeoque adjacens secundo loco. E converso enuntiatio, quæ præter nomen et verbum *est* dicit aliud prædicatum, qualis est hæc : *homo est justus,* dicitur de tertio adjacente, quia in ea verbum *est* adjacet tertio loco, tanquam tertia dictio, per quam completur enuntiatio.

2. Quocirca erit prima affirmatio et negatio :

est homo — non est homo; deinde : est non homo — non est non homo. Rursus : est omnis homo — non est omnis homo, est omnis non homo — non est omnis non homo. Et in extrinsecis temporibus eadem est ratio.

2. Docet *secundo* enuntiationes de secundo adjacente posse quadrupliciter variari. Prima est affirmatio de nomine finito, secunda est negatio de nomine finito, tertia affirmatio de nomine infinito, quarta negatio de nomine infinito : ex gr., *homo est, homo non est,* sunt affirmationes vel negationes de nomine finito universali indefinite sumpto : *non homo est, non homo non est,* sunt affirmationes et negationes de nomine infinito. Similiter *omnis homo est, non omnis homo est,* sunt affirmationes et negationes contradictoriæ de nomine finito universaliter sumpto : *omnis non homo est, non omnis non homo est,* sunt affirmationes et negationes de nomine infinito universaliter sumpto. Eodem pacto diversificari possunt enuntiationes constantes ex verbo præterito vel futuro.

3. Cum autem verbum *est* tertium insuper attribuitur, jam dupliciter dicuntur oppositiones. Verbi gratia : est justus homo, illud *est* dico tertium componi, seu nomen seu verbum appelletur, in hac affirmatione. Idcirco quatuor hæc erunt, quorum duo ad affirmationem et negationem se habent secundum consecutionis ordinem ut privationes, duo vero minime. Hoc dico, quia verbum *est* aut justo adjicietur aut non justo, quare etiam negatio. Quatuor igitur erunt, Intelligimus autem quod dictum est ex infrascriptis. Est justus homo, hujus negatio : non est justus homo. Est non justus homo, hujus negatio : non est non justus homo. Nam hic verbum *est* et *non est* justo et non justo adjiciuntur. Hæc igitur, ut in Analyticis dictum est, ita disposita sunt.

3. Docet *tertio* enuntiationes de tertio adjacente, quarum subjectum sit nomen finitum variari posse secundum duplicem oppositionem et quatuor enuntiationes. Prima oppositio est affirmatio et negatio prædicati finiti; ex. gr., *homo est justus, homo non est justus.* Secunda oppositio est affirmatio ac negatio prædicati infiniti; ex. gr., *homo est non justus, homo non est non justus.* Et hæ sunt duæ oppositiones et quatuor enuntiationes de eodem subjecto finito, quod est *homo.* Hæc est igitur differentia inter enuntiationes de secundo ac de tertio adjacente, quod enuntiationes de secundo adjacente variari possunt secundum unicam oppositionem et secundum duas tantum enuntiationes circa idem subjectum, dicendo, ex. gr., *homo est, homo non est.* Ratio est, quia, cum prædicatum includatur in verbo, non potest infinitari, sed solum affirmari vel negari dicendo : *est, non est.* At enuntiationes de tertio adjacente possunt variari secundum duplicem oppositionem, in quarum altera prædicatum finitum affirmetur et negetur, in altera prædicatum infinitum affirmetur et negetur, ut patet in exemplis allatis.

Addit Aristoteles, quod ex quatuor dictis enuntiationibus duæ se habent ad affirmationem et negationem secundum consequentiam, sicut privationes, duæ vero minime. Quod quia est obscurissime dictum, varii varie interpretantur. Ex doctrina Porphyrii, Boethii ac S. Thomæ sensus est, quod ex quatuor dictis enuntiationibus duæ affirmativæ ita se habent ad duas negativas, ut ex unaquaque affirmativarum per necessariam consequentiam inferatur altera negativarum; at duæ negativæ non ita se habent, ut ex unaquaque illarum inferatur altera affirmativarum, et in toto hoc enuntiationes de prædicato infinito proportionantur enuntiationibus de prædicato privativo. Explicatur : ex quatuor allatis enuntiationibus duæ sunt affirmativæ, altera finita : *homo est justus,* altera infinita : *homo est non justus,* duæ aliæ sunt negativæ, altera finita : *homo non est justus,* altera infinita : *homo non est non justus.* Ex unaquaque affirmativarum infertur altera negativarum. Nam ex affirmativa finita : *homo est justus,* infertur negativa infinita : *homo non est non justus.* Necesse enim est, ut qui est justus, non sit non justus, cum non possit simul esse justus et non justus. Ex affirmativa infinita : *homo est non justus,* infertur negativa finita; *homo non est justus;* necesse enim est, ut homo, qui est non justus, non sit justus, cum non possit simul esse non justus et justus. E converso ex negativis non inferuntur affirmativæ. Neque enim valet : *equus non est homo justus; ergo equus est homo non justus,* cum neque sit homo justus, neque sit homo non justus. Similiter non valet : *equus non est homo non justus : ergo equus est homo justus,* cum neque sit homo non justus, neque sit homo justus. In hoc vero enuntiationes de prædicato infinito proportionantur enuntiationibus de prædicato privativo, quale in materia præsenti esset prædicatum *injusti.* Licet enim ex hac

affirmativa de prædicato positivo : *homo est justus*, inferatur negativa de prædicato privativo : *ergo homo non est injustus*, cum non possit simul esse justus et injustus, adhuc ex negativa. : *homo non est injustus*, non infertur : *ergo non est justus*, cum possit nec esse justus, nec injustus, ut patet in puero, qui licet non sit injustus, adhuc non est justus. Proportionaliter licet ex hac affirmativa de prædicato privativo : *homo est injustus*, inferatur hæc negativa : *homo non est justus*, cum non possit simul esse injustus et justus, adhuc ex negativa : *homo non est justus*, non infertur affirmativa : *ergo homo est injustus*, cum possit simul nec esse justus nec injustus, ut jam probatum est exemplo pueri. Hoc totum explicatur per subjectam figuram :

Homo est justus	Homo est non justus
Homo non est non justus	Homo non est justus

Ex affirmativis enim sequuntur subjectæ negativæ; at ex subjectis negativis non sequuntur superiores affirmativæ, idemque valebit, si loco prædicati infiniti *non justus* ponatur prædicatum privativum *injustus*, ut patebit in subjecta figura :

Homo est justus	Homo est injustus
Homo non est injustus	Homo non est justus.

4. Similis erit ratio, si nominis universaliter accepti sit affirmatio. Ut omnis est homo justus : hujus negatio : non omnis est homo justus, Omnis est homo non justus, non omnis est homo non justus.

5. Præterquam quod non similiter contingit, veras simul esse, quæ ex diametro opponuntur; sed contingit aliquando.


4. Docet *quarto*, quod sicut si nomen *homo* sumatur indefinite, enuntiationes variantur secundum duplicem oppositionem et quatuor enuntiationes, sic si sumatur universaliter, variantur secundum duplicem oppositionem et quatuor enuntiationes. Affirmatio ac negatio contradictoriæ de prædicato finito sunt : *omnis homo est justus; non omnis homo est justus*. Affirmatio ac negatio contradictoriæ de prædicato infinito sunt : *omnis homo est non justus, non omnis homo est non justus*.

5. Addit Aristoteles, quod ex quatuor indefinitis angulares possunt simul verificari; at ex quatuor, in quibus additur signum universale *omnis* angulares non possunt simul verificari. Quæritur : quid Aristoteles intelligat nomine enuntiationum angularium? Probabilior est expositio Boethii, quam sequitur Cajetanus, quod nomine angularium intelligantur duæ affirmativæ : altera de prædicato finito, altera de infinito, et duæ negativæ : altera de prædicato finito, altera de infinito eo, quod in figura, quam Aristoteles ponit 1. Prior. cap. ult., hæ sint diametraliter oppositæ. Est autem hæc figura (p. 77).

Affirmationes igitur angulares, in quibus de subjecto finito indefinite sumpto affirmatur prædicatum finitum et infinitum, ex. gr., hæ : *homo est justus, homo est non justus*, sunt simul veræ; et negationes angulares, ex. gr., *homo non es- justus, homo non est non justus*, sunt si/ mul veræ, quia æquivalent particularibus. E converso affirmationes angulares, in quibus de subjecto universali affirmatur prædicatum finitum et infinitum, non possunt in ulla materia esse simul veræ; ex. gr., hæ : *omnis homo est justus, omnis homo est non justus*, non possunt esse simul veræ. At negationes angulares : *non omnis homo est justus, non omnis homo est non justus*, possunt esse simul veræ, saltem in materia contingenti, cum sint particulares et æquipolleant istis : *aliquis homo non est justus, aliquis homo non est non justus*.

Idem dic, si loco prædicati infiniti *non justus* ponatur prædicatum privativum injustus.

6. Hæ igitur binæ inter se opponuntur. Aliæ autem similiter binæ inter se opponuntur, quæ pertinent ad non homo, tanquam ad subjectum quoddam additum. Ut : est justus nonh omo — non est justus non homo; est non justus non homo — non est non justus non homo. His autem non sunt plures oppositiones. Sed hæ seorsum ab illis erunt ipsæ per se, utpote quæ utuntur nomine non homo.



6. *Quinto* docet, quod sicut enuntiationes de tertio adjacente, quarum subjectum est nomen finitum variari possunt secundum duplicem oppositionem et secundum quatuor enuntiationes, sic proportionaliter enuntiationes; de tertio adjacente, quarum subjectum est nomen infinitum variari possunt secundum duas oppositiones et quatuor enuntiationes. Prima oppositio est affirmatio et negatio prædicati finiti de subjecto infinito, ut cum dicitur : *non homo est justus, non homo non est justus*, Secunda oppositio est affirmatio et negatio prædicati infiniti de subjecto infinito, ut cum dicitur : *non homo est non justus : non homo non est non justus*. Porro quia subjectum infinitum adæquate distinguitur a finito, eo pacto, quo *non homo* distinguitur adæquate ab homine, ideo enuntiationes de subjecto infinito adæquate distinguuntur ab enuntiationibus de subjecto finito, ita ut neque illas partialiter contineant, neque in illis partialiter contineantur.

7. In quibus autem verbum *est* non accommodatur, ut in verbis valere et ambulare, in his idem efficit ita positum, ac si verbum *est* adjunctum esset, veluti : valet omnis homo — non valet omnis homo, valet omnis non homo — non valet omnis non homo.

8. Non est enim dicendum : non omnis homo: sed illa negatio *non* homini adjungi debet. Etenim *omnis* non significat rem universalem, sed ostendit, rem accipi universaliter. Quod hinc perspicuum fit : valet homo — non valet homo, valet non homo — non valet non homo. Hæc enim ab illis differunt, quia non sunt universaliter acceptæ. Quare *omnis* vel *nullus* nihil aliud adsignificat quam affirmationem vel negationem esse de nomine universaliter accepto. Cetera igitur eadem apponere oportet.

7. *Sexto* docet enuntiationes, in quibus non ponitur verbum substantivum *est*, sed verbum adjectivum, ut cum dicitur : *homo currit, homo valet*, variari secundum oppositionem et numerum, sicut enuntiationes de secundo adjacente. Ratio est, quia ideo enuntiationes de secundo adjacente variantur solum infinitando subjectum, quia prædicatum significatum per verbum substantivum *est* non potest infinitari; sed ex eadem ratione non potest infinitari prædicatum significatum per verbum adjectivum; si enim verbo adjectivo præponatur in enuntiatione particula negativa *non*, et dicatur ex. gr., *Socrates non currit*, prædicatum non infinitatur, sed negatur; ergo possunt solum infinitando vel non infinitando subjectum dari quatuor enuntiationes, in quibus verbum adjectivum prædicatur de nomine finito vel infinito.

8. Advertit, quod ut, infinitetur nomen, cum adjectum est signum *omnis, nullus, aliquis*, etc. ; particula negativa *non* non debet præponi ly *omnis* aut *nullus*, sed nomini; ex. gr., non debet dici : *non omnis homo valet*, sed *omnis non homo valet*. Ratio est, quia syncategoremata : *omnis, nullus, aliquis*, etc., non significant ali-

quid universale vel singulare, sed solum significant, quod nomen, cui adjunguntur, sumitur universaliter vel particulariter; ergo præponendo particulam *non* talibus signis non infinitantur, sed solum mutatur quantitas ipsorum, ac proinde enuntiatio mutatur ex universali in particularem, ideoque *non omnis* significat *aliquis*, etc.; ergo, ut non mutetur quantitas enuntiationis, sed nomen et enuntiatio infinitetur, particula negativa debet præponi nomini categorematico dicendo : *omnis non homo est*, etc. Quod vero *omnis* et *nullus*, etc., solum consignificent, quod nomen sumitur universaliter vel particulariter, probatur; quia istæ enuntiationes : *homo currit, omnis homo currit*, differunt solum in hoc, quod in prima *homo* non sumitur universaliter, in secunda sumitur universaliter; ergo ly *omnis* nihil addit supra ly *homo*, nisi quod sumatur universaliter; ergo ly *omnis* et alia syncategoremata non tam significant quam consignificant nomina, quibus adjunguntur, sumi universaliter vel particulariter, ideoque dicuntur voces non categorematicæ, sed syncategorematicæ, hoc est non significativæ, sed consignificativæ.

ARTICULUS II

DE REGULIS EXPLICATARUM ENUNTIATIONUM.

9. Quia vero huic affirmationi : omne est animal justum, contraria est negatio significans, nullum animal esse justum, has perspicuum est nunquam fore simul veras nec in eodem.

10. His vero oppositæ erunt aliquando simul veræ, ut : non omne est animal justum, et est aliquod animal justum. Sequuntur autem hæ : illam quidem : omnis homo non justus est, hæc : nullus est homo justus ; hanc vero : est non omnis homo non justus, sequitur opposita, nempe : est aliquis homo justus; necesse est enim esse aliquem.

Explicatis differentiis enuntiationum simplicium finitarum et infinitarum tradit Aristoteles aliquas *regulas circa earum proprietates*, hoc est circa oppositiones, æquipollentias et consequentias, per quas regulas respondet etiam aliquibus dubiis circa dicta.

9. *Prima regula* est : duæ universales affirmativæ, quarum altera affirmet prædicatum finitum, altera infinitum, non possunt esse simul veræ; ex. gr., istæ duæ : *omnis homo est justus, omnis homo est non justus*, non possunt esse simul veræ. Probatur : quia ex duabus propositionibus, quæ possunt esse simul veræ, nihil necessario sequitur, quod non possit stare cum veritate utriusque; sed ex universali affirmativa infinita : *omnis homo est non justus*, sequitur necessario negativa simplex : *nullus homo est justus*, quæ, cum opponatur contrarie affirmativæ finitæ : *omnis homo est justus*, non potest verificari cum illa; ergo universalis affirmativa infinita non potest simul verificari cum universali affirmativa finita.

10. *Secunda* regula est : particulares negativæ contradictorie oppositæ dictis universalibus possunt simul verificari; ex. gr., hæ : *non omnis homo est justus, non omnis homo est non justus*, possunt simul verificari. *Probatur* : quia quidquid sequitur necessario ex propositionibus, quæ possunt esse simul veræ, potest stare cum veritate utriusque; sed istæ duæ propositiones : *aliquis homo est justus, non omnis homo est justus*, cum sint subcontrariæ, possunt esse simul veræ; ergo omnis propositio, quæ necessario sequitur ex affirmativa : *aliquis homo est justus*, potest esse simul vera cum hac negativa : *non omnis homo est justus;* sed ex affirmativa prædicati finiti sequitur negativa prædicati infiniti, adeoque ex hac : *aliquis homo est justus*, sequitur : *ergo aliquis homo non est non justus*, seu *non omnis homo est non-justus;* ergo istæ duæ negativæ particulares : *non omnis homo est justus, non omnis homo est non justus*, possunt simul verificari, adeoque possunt simul etiam verificari hæ : *aliquis homo non est non justus, aliquis homo non est justus*, cum æquipolleant duabus primis. Per has duas regulas probat Aristoteles, quod supra dixerat, angulares nimirum universales affirmativas finitam et infinitam non posse esse simul veras, angulares negativas contradictorias dictis affirmativis, finitam et infinitam posse esse simul veras.

11. Perspicuum autem est, in singularibus si interrogatus vere negat, vere etiam a firmari. Veluti : estne Socrates sapiens ? non. Socrates igitur est non sapiens. In universalibus autem non est vera affirmatio, quæ similiter dicitur ; vera autem est negatio, ut : estne omnis homo sapiens ? Non. Ergo omnis homo est non sapiens. Hoc enim falsum est. Sed hoc : non omnis igitur homo est sapiens, est verum. Haec autem est opposita, illa vero contraria.

12. Quæ autem sunt oppositæ secundum in-

finita nomina et verba, qualia sunt : non homo et non justus, quasi negationes absque nomine et verbo videri possunt. Non sunt tamen, quia semper necesse est, veram vel falsam esse negationem ; at qui dixit non homo, non magis quam qui dixit homo, imo minus vere vel falso dixit, nisi quid addatur.

11. *Tertia* regula est : si ad interrogationem de singulari possumus vere respondere *non*, vera est propositio affirmativa prædicati infiniti; si vero ad interrogationem de universali possumus vere respondere *non*, adhuc non sequitur esse veram universalem negativam prædicati infiniti. *Probatur* et explicatur exemplis. Si ad interrogationem : *Socrates est sapiens?* vere respondemus *non*, bene infertur : *ergo Socrates est non sapiens ;* at etiamsi interroganti : *omnis homo estne sapiens?* vere respondeamus *non*, adhuc non sequitur : *ergo omnis homo est non sapiens*. Ratio est, quia ly *non* solum significat, non esse veram propositionem, adeoque esse veram ejus contradictoriam, non autem significat, esse veram contrariam talis propositionis; sed istæ duæ : *omnis homo est sapiens, omnis homo est non sapiens* non sunt æquivalenter contradictoriæ, sed contrariæ, cum utraque sit universalis ; ergo ex falsitate primæ non sequitur veritas secundæ; solum sequitur veritas hujus : *non omnis homo est sapiens*, quæ est contradictoria illi, quæ negatur : *omnis homo est sapiens*. At istæ singulares : *Socrates est sapiens, Socrates est non sapiens*, sunt contradictoriæ saltem data constantia subjecti; ergo ex falsitate primæ sequitur veritas secundæ.

12. *Quarta* regula est : nomina et verba infinita seorsim sumpta, licet videantur negationes, vere non sunt negationes. *Probatur :* quia necesse est, ut negatio vel sit vera vel falsa; sed qui dicit : *non homo* vel *non valet*, non magis dicit verum vel falsum, quam qui dicit *homo* vel *valet;* ergo sicut nomina et verba finita seorsim sumpta non sunt affirmationes, sic nomina et verba infinita seorsim sumpta non sunt negationes.

13. Hoc vero effatum : est omnis non homo justus, non idem significat, quod aliqua ex superioribus illis enuntiationibus. Sed neque huic opposita : non est omnis non homo justus.

14. Hoc autem pronuntiatum : omnis est non justus non homo, et nullus est justus non homo, idem significant.

13. *Quinta* regula est : enuntiationes de subjecto infinito non æquivalent ulli enuntiationibus de subjecto finito; ex. gr., hæc : *omnis non homo est justus*, non æquivalet ulli enuntiationi, qua quidquam affirmetur aut negetur de homine. *Probatur :* quia *homo* et *non homo* et universim significatum nominis finiti et infiniti distinguuntur totaliter, ut dictum est num. 6; sed enuntiationes de subjectis totaliter distinctis æquivalere nequeunt; ergo, etc.

14. *Sexta* regula est : universalis affirmativa de subjecto et prædicato infinito æquipollet universali negativæ de eodem subjecto infinito et prædicato finito; ex. gr., hæc : *omnis non homo est non justus*, æquivalet huic : *nullus non homo est justus*.

15. Transposita autem nomina et verba idem significant, velut est : albus homo, est homo albus. Nisi enim hoc ita sit, ejusdem erunt plures negationes. Sed ostensum est, unam esse unius. Hujus enim enuntiationis : est albus homo, negatio est : non est albus homo. Hujus vero : est homo albus, nisi sit eadem illi enuntiationi : est albus homo, negatio erit aut : non est non homo albus, aut : non est homo albus. Sed altera est negatio hujus : est non homo albus, altera hujus : est albus homo, quare duæ erunt unius. Transposito igitur nomine et verbo eamdem fieri affirmationem et negationem manifestum est.

15. *Septima* regula est : licet negatio transposita variet significationem propositionis, ideoque non idem significetur dicendo : *non omnis homo est justus*, ac dicendo : *omnis homo est non justus*, adhuc transpositio nominum et verbi non variat significationem, ideoque idem significatur dicendo : *est homo albus*, ac dicendo : *est albus homo*, licet transponantur nomina *hominis* et *albi ;* et similiter idem significatur dicendo : *est homo albus*, ac dicendo : *homo albus est*, licet transponatur verbum *est*. *Probatur :* si hæc propositio : *est justus homo*, non idem significaret ac ista : *est homo justus*, sequeretur, quod eidem affirmationi opponerentur contradictorie plures negationes ; sed ostensum est lib. I, cap. v, num. 5, quod uni affirmationi contradictorie opponitur unica negatio ; ergo, etc. *Probatur* sequela : huic affirmationi : *est albus homo*, contradictorie opponitur hæc negatio : *non est albus homo;* vel ergo hæc negatio opponitur contradictorie etiam huic affirmationi : *est homo albus*, vel non; si op-

ponitur. ergo. si diversæ sunt affirmationes : *est homo albus,* ac : *est albus homo,* eadem negatio opponitur contradictorie duabus diversis affirmationibus, quod ex dictis est impossibile; si non opponitur contradictorie, ergo huic affirmationi : *est homo albus,* opponitur contradictorie aliqua alia negatio ab hac : *non est albus homo,* ex. gr., vel hæc : *non est homo albus,* vel hæc : *non est non homo albus;* sed utraque est negatio etiam alterius; ergo una negatio non opponitur contradictorie unicæ affirmationi, quod est absurdum. *Probatur* ultima minor : nam hæc : *non est non homo albus* opponitur huic : *est non homo albus;* ergo jam opponitur contradictorie alteri affirmationi. Rursus hæc : *non est homo albus,* opponitur contradictorie huic : *est albus homo,* cum neque possit simul de eodem verificari, quod sit albus homo, et quod non sit homo albus, neque possit simul falsificari, quæ est proprietas contradictoriorum; ergo si opponitur contradictorie etiam huic : *est homo albus,* et hæc est diversa affirmatio ab illa : *est albus homo,* jam una negatio opponitur contradictorie pluribus affirmationibus, quod est impossibile : ergo istæ duæ : *est homo albus, est albus homo,* non sunt diversæ affirmationes adeoque affirmationes non variantur per transpositionem nominum.

CAPUT II. ART. 1

DE ENUNTIATIONIBUS NON SIMPLICIBUS ET EARUM DIFFERENTIIS.

1. [11] Unum autem de multis aut multa de uno affirmare et negare, nisi unum quidpiam sit, quod ex multis illis declaratur, non est affirmatio una nec negatio una. Unum dico non si nomen unum sit impositum multis rebus, nec fiat unum quidpiam ex illis, ut homo fortasse est et animal et bipes et cicur; sed unum quiddam ex his fit. Ex albo autem et homine et ambulare non fit unum, quare nec si unum quidpiam de his aliquis affirmet, est una affirmatio, sed vox quidem una, affirmationes autem multæ; nec si hæc de uno affirmet; sed similiter sunt multæ affirmationes.

2. Ergo si interrogatio dialectica est petitio responsionis, nempe vel propositionis vel alterius partis contradictionis, propositio autem est unius contradictionis pars, ad hæc non potest esse una responsio, quia non est una interrogatio, ne si vera quidem sit. Sed de his dictum est in Topicis. Simul etiam constat, interrogationem : quid est, non esse dialecticam, quoniam oportet ex interrogatione concedi electionem, utram velit contradictionis partem enuntiandi sed opus est; ut interrogans prius definiat, mox interroget, utrum homo sit hoc an non hoc.

1. Postquam Aristoteles egit de differentiis enuntiationum simplicium, agit *de differentiis enuntiationum non simplicium;* ac *primo* ex ipsa definitione enuntiationis simplicis explicat, quid sit enuntiatio non simplex. Enuntiatio simplex est affirmatio ac negatio unius de uno; ergo enuntiatio, in qua non affirmatur unum de uno, non est simplex. Et quia dupliciter potest contingere, ut non affirmetur aut negetur unum de uno : primo quia unum affirmatur aut negatur de pluribus, ex quibus non fit unum; secundo quia plura, ex quibus non fit unum, affirmantur aut negantur de uno; ideo duplex est differentia enuntiationis non simplicis. Prima est enuntiatio non simplex ex parte prædicati, in qua plura, ex quibus non fit unum, affirmantur aut negantur de uno; secunda est non simplex ex parte subjecti, in qua unum affirmatur aut negatur de pluribus, ex quibus non fit unum. Porro ad hoc, ut ex pluribus fiat unum, non sufficit, ut significentur uno nomine, sed requiritur, ut significentur, in quantum conveniunt in una ratione. Ideo supponendo, quod ratio hominis sit *animal bipes mansuetum,* licet *homo* significet *animal mansuetum bipes,* adhuc est unum; at *homo, albus, ambulans* non sunt unum, quia ex his non fit una ratio, ideoque, etiamsi hæc tria significarentur uno nomine, adhuc enuntiatio, qua unum prædicaretur de homine, ambulante, albo, in quantum significarentur uno nomine non esset una; nec esset enuntiatio una, qua homo, albus, ambulans prædicaretur de aliquo uno.

2. Hinc infert Aristoteles, quod sicut enuntiatio non est una, nisi sit unius de uno, sic interrogatio dialectica non est una, nisi interroget unum de uno, an sit, vel non sit, neque responsio est una. Ratio est, quia interrogatio dialectica est, per quam quæritur, ut admittatur altera pars contradictionis, relinquendo optionem respondenti, ut annuat vel contradicat; sed una contradictio est affirmatio ac negatio unius de uno; ergo una interrogatio dialectica est unius de uno; ex. gr., una interrogatio dialectica est : *homo estne albus, annon?* propositio vero dialectica est una pars contradictionis, ex. gr., *homo*

est albus, et hæc eadem, cum affertur interroganti, est una responsio; ergo sicut interrogatio, in qua non quæritur unum de uno, non est una, etiamsi nomen sit unum, sic nec responsio potest esse una, etiamsi afferatur per unum nomen, et sit vera; ex. gr., si quis quærat: *canis estne substantia?* nomine canis significans cœlestem, terrestrem et marinum, non est una interrogatio, sed tres; ideoque si quis respondeat: *canis est substantia*, intelligendo quod terrestris, cœlestis et marinus est substantia, non est una responsio, etiamsi vera sit et afferatur per unum nomen, sed sunt tres responsiones. Addit Aristoteles de his actum esse in Topicis lib. I, cap. VIII et IX, ubi actum est de interrogatione, propositione et responsione dialectica. Ex eo autem, quod interrogatio dialectica debeat esse petitio, in qua quæritur ut acceptetur altera pars unius contradictionis, sequitur quod interrogatio, qua quæritur: *quid est res?* non est dialectica, quia quærit determinate unam partem contradictionis. Ut ergo sit dialectica, debet ita formari: *homo estne hoc vel non?* ex. gr., *homo estne animal rationale vel non?* tum enim relinquitur optio acceptandi alteram partem contradictionis.

ARTICULUS II

UTRUM OMNIA PRÆDICATA, QUÆ POSSUNT PRÆDICARI SEPARATIM, POSSINT PRÆDICARI CONJUNCTIM ET E CONVERSO; ET QUÆ IN HOC SIT REGULA.

3. Quia vero eorum quæ separatim attribuuntur alia etiam attribuuntur composita, adeo ut unum fiat totum illud attributum, alia vero minime; quænam est differentia? Nam de homine vere dicitur et separatim animal et separatim bipes; et hæc ut unum. Necnon hominem et album, et hæc ut unum; at si sutor est et bonus, non propterea est etiam sutor bonus.

4. Si enim quia utrumque separatim est verum, oportet etiam utraque simul vera esse, multa eaque absurda erunt. Nam de homine aliquo et homo vere dicitur et album, quare etiam totum. Rursus si idem est album, etiam totum, quare erit homo albus albus, atque hoc in infinitum. Rursusque musicus albus ambulans; et hæc sæpius conjuncta in infinitum. Præterea si Socrates est Socrates et homo, etiam Socrates est Socrates homo. Et si est homo ac bipes, etiam est homo bipes. Si quis igitur simpliciter dicat conjunctiones fieri, manifestum est evenire, ut multa absurda dicantur.

3. Postquam Aristoteles docuit enuntiationem, in qua plura prædicantur de uno, non esse simplicem, proponit et solvit *duo dubia circa consequentias plurium prædicatorum*. *Primum* est, an semper valeat consequentia a prædicatione, qua plura prædicantur de uno seorsim, ad prædicationem, qua prædicantur conjunctim, vel aliquando valeat, aliquando non valeat, et quæ sit regula id discernendi; *secundum* est, an semper valeat consequentia a prædicatione, qua quædam prædicata prædicantur conjunctim, ad eadem prædicanda seorsim.

Ut respondeat primo dubio, ponit hanc conclusionem: non semper quæ prædicantur seorsim, prædicari possunt conjunctim, adeoque non semper valet consequentia a prædicatis seorsim ad eadem conjunctim. *Probatur*, quia de homine potest prædicari seorsim, quod sit animal, et quod sit bipes, et potest etiam conjunctim prædicari, quod sit animal bipes. At de aliquo potest seorsim prædicari, quod sit coriarius seu sutor, et quod sit bonus, et tamen non potest conjunctim dici, quod sit bonus sutor, sed potius debet dici, quod sit sutor malus et ineptus.

4. *Confirmatur*, quia, si semper quæ possunt prædicari seorsim, possunt prædicari conjunctim, sequetur nugatio et infinita repetitio in propositione; ergo, etc. *Probatur* antecedens: de Socrate, ex. gr., potest dici, quod sit homo, et quod sit albus; ergo si quæ prædicantur seorsim, possunt conjungi, poterit etiam dici quod *Socrates est homo albus*. Rursus potest de Socrate seorsim dici: *est homo albus*, et *est albus;* ergo poterunt etiam hæc conjungi dicendo: *Socrates est homo albus, albus*, et sic in infinitum, adeoque sequitur infinita nugatio. Rursus potest de Socrate dici conjunctim quod est *musicus ambulans albus*, et seorsim, quod est *musicus*, et quod est *ambulans*, et quod est *albus;* ergo conjungendo hæc potest dici, quod est *musicus ambulans albus musicus*, idem repetendo et multis modis variando. Similiter de hoc individuo potest dici seorsim: *hic est Socrates, hic est homo;* ergo et conjunctim; *hic est Socrates homo;* ergo conjungendo hoc conjunctum cum iis, quæ dicuntur seorsim, poterit dici: *hic est Socrates, Socrates, homo, homo*. Demum de Socrate potest dici seorsim, quod est *homo*, et quod est *bipes;* ergo et conjunctim, quod est *homo bipes;* sed loco hominis potest poni definitio ho

minis, quæ est *animal bipes;* ergo poterit dici quod *Socrates est animal bipes, bipes;* ergo cum hæc sint inconvenientia, non omnia quæ possunt prædicari seorsim, possunt etiam prædicari conjunctim.

5. Quomodo autem ponere oporteat, nunc dicamus. Ergo attributorum et eorum quibus attribui contingit, quæcumque ex accidente dicuntur vel de eodem vel alterum de altero, hæc non erunt unum. Ut homo albus est et musicus, sed album et musicum non est unum; utraque enim sunt eidem accidentia, et quamvis album vere dicatur musicum, tamen musicum album non erit unum quiddam, quoniam ex accidente album est musicum; quare album musicum non erit unum quiddam.

6. Idcirco nec, si sutor sit et bonus, simpliciter sutor bonus dicetur. Sed si est animal et bipes, recte dicitur animal bipes, quia non ex accidente hæc attribuuntur.

7. Præterea adjungi non debent quæcumque insunt in altero. Proinde nec album sæpius dicendum, nec homo quispiam est homo animal vel homo bipes; insunt enim in homine animal et bipes.

5. *Quæritur regula* ad dicernendum quando prædicata, quæ prædicantur seorsim, possint vel non possint prædicari conjunctim. Ut ponat hanc regulam, distinguit Aristoteles duo genera prædicatorum. Ex prædicatis quædam invicem uniuntur non per se et ratione sui, sed solum per accidens, in quantum adveniunt eidem tertio, ut *album* et *musicum.* Non enim albedo et musica uniuntur per se ratione sui, sed solum per accidens, in quantum accidunt eidem subjecto, ex, gr., homini; ideoque et album et musicum per accidens prædicantur de homine dicendo : *homo est albus et musicus;* et album per accidens prædicatur de musico et e converso dicendo : *album est musicum, musicum est album.* Quædam vero prædicata invicem conjunguntur per se ut *animal bipes*; bipes enim per se et ratione sui dicitur de animali tanquam illud actuans et determinans.

Posita hac distinctione, prædicata, quæ uniuntur per se et ratione sui, si possunt prædicari seorsim, possunt etiam prædicari ut unum conjunctum; at prædicata, quæ uniuntur et adunantur solum ratione alterius, possunt solum prædicari seorsim. Et quia *animal bipes* sunt unum per se et ratione sui, ideo non solum potest dici, quod homo est *animal et bipes*, sed etiam quod *est animal bipes,* ita ut *esse animal bipes* sit unum. E converso quia *album et musicum* non sunt unum per se et ratione sui, ideo non potest dici, quod *Socrates est album musicum,* ita ut *esse album musicum* sit unum.

6. Hinc *patet primo* cur non valeat : *est sutor et est bonus; ergo, est sutor bonus ;* bonus enim et sutor non adunantur per se, ita ut bonitas actuet sutorem, sed solum per accidens, in quantum idem et est bonus et est sutor.

7. Patet *secundo,* cur non sequatur nugatio. Ratio est, quia prædicata, quæ dicuntur seorsim, non possunt conjungi cum eo, in quo includuntur, cum conjunctio significet *non inclusionem;* sed in homine albo jam includitur *album ;* ergo non potest dici , *est homo albus, albus ;* et ex eadem ratione, quia *bipes* includitur in homine, non potest dici ; *est homo bipes;* eo enim ipso est nugatio saltem implicita, ut patet, si loco hominis ponatur definitio hominis, quæ est *animal bipes,* et dicatur ; *est animal bipes bipes.*

8. Vere autem de aliquo dicitur etiam simpliciter, ut quemdam hominem esse hominem, aut quemdam album hominem esse hominem album. At non semper.

9. Sed cum in adjuncto est aliquid repugnans, ex quo sequitur contradictio, tunc non verum, sed falsum est, ut si mortuus homo dicatur esse homo. Cum autem non inest aliquid repugnans, tunc verum est.

10. An quando repugnans inest, nunquam est verum? Cum autem non inest, non semper est verum? Velut : Homerus est aliquid, ut poeta. Ergo estne? an non est? quoniam ex accidente illud *est* attribuitur Homero. Nam quia est poeta, non per se attribuitur Homero illud *est.*

11. Quocirca in quibus attributionibus neque repugnantia inest, si definitiones pro nominibus dicantur, et per se attribuitur, non ex accidente, in his, quod est tale aliquid, vere dicetur etiam, simpliciter tale. Sed non ens, quia est opinabile, non propterea vere dicitur esse ens quiddam, si quidem haud opinamur, ipsum esse, sed non esse.

8. *Ut respondeat secundo dubio,* ponit hanc conclusionem : non semper quæ possunt prædicari conjunctim, possunt prædicari seorsim. — *Probatur* et explicatur : licet enim eo ipso, quod de Socrate possit conjunctim dici, quod *est homo albus,* possit etiam dici seorsim, quod *est homo,* et quod *est albus*; non tamen eo ipso, quod aliquis est *sutor bonus*, potest dici seorsim, quod *est bonus.* Sed quæritur regula ad id discernendum.

9. Duas regulas Aristoteles assignat, alteram negativam, alteram affirmativam. *Prima regula* negativa est : quando prædicatum conjunctum est tale, ut nomen conjunctum alteri nomini trahat illud ad significandum oppositum contradictorie ei, quod tale nomen significat separatum, tum licet sit verum conjunctum, non est verum separatum. — Explicatur. Cum dicitur : *cadaver est homo mortuus*, ly *mortuus* additum homini, trahit hominem ad significandum oppositum contradictorie ei quod significat *homo* secundum se. Cum enim *homo* secundum se significet : *corpus animatum anima rationali, mortuus* significat : *corpus jam carens anima rationali*; idcirco licet de cadavere verificetur conjunctim, quod *est homo mortuus,* non verificatur seorsim, *quod est homo,* alioquin simul verificarentur contradictoria, nimirum : *cadaver est corpus animatum anima rationali*; *cadaver est corpus privatum anima rationali.*

10. Verum hæc regula est negativa; verificatur enim universaliter, quod cum prædicatum conjunctum constat ex oppositis, non possunt singula prædicari seorsim; at non est affirmativa, quia non verificatur universaliter, quod quando prædicatum conjunctum non constat ex oppositis, possint singula prædicari etiam seorsim. Patet ; nam verificatur : *Homerus est poeta*, ideoque de Homero verificatur *quod est* sumendo ly *est* conjunctim cum poeta, et tamen non eo ipso verificatur seorsim : *Homerus est.* Ratio est, quia cum dicitur : *Homerus est poeta,* ly *est* non prædicatur per se ratione sui, sed solum est nota, quod de Homero prædicatur poesis ; at cum dicitur : *Homerus est,* ly *est* prædicatur ratione sui, et affirmatur quod est simpliciter. Et quia potest aliquis esse secundum quid, quod solum affirmatur, dum dicitur, *quod est poeta,* et non esse simpliciter quod affirmatur, dum dicitur, *quod est,* ideo potest esse verum, quod *est poeta,* et esse falsum, *quod est* simpliciter.

11. *Secunda* igitur regula affirmativa est : cum prædicata, quæ conjunguntur non sunt opposita et prædicantur de subjecto per se et ratione sui, ac non solum ratione alterius prædicati, tum possunt etiam de subjecto prædicari seorsim. Ad hoc ergo ut prædicata, quæ dicuntur conjunctim, possint etiam dici seorsim, duæ requiruntur conditiones. Prima est, ut non sint opposita. Ex defectu hujus conditionis, licet *homo mortuus* conjunctim prædicetur de cadavere, adhuc *homo* seorsim prædicari non potest, ut explicatum est num. 9. Secunda est, ut utrumque prædicatum conveniat subjecto ratione sui et non ratione alterius prædicati, cum quo conjungitur; et quia cum dicitur : *Homerus est poeta,* ly *est* dicitur de Homero non ratione sui, sed ratione prædicati, cui adjungitur, ideo non valet : *ergo Homerus est;* et similiter quia cum dicitur : *Petrus est sutor bonus,* ly *bonus* dicitur de Petro ratione *sutoris,* cui adjungitur, ideo non potest inferri : ergo *Petrus est bonus.* Hinc infertur non valere : *non ens est opinabile ; ergo non ens est.* Nam *non ens* in tantum est opinabile, in quantum vere de illo opinamur ac dicimus, *quod non est ;* ergo ex eo, quod possimus de illo vere opinari *quod non est,* non sequitur quod sit; sed sequitur quod non sit; sicut ex eo, quod de impossibile possimus vere opinari, quod non est nec potest essse, non sequitur quod sit, sed sequitur quod non sit, et quod hoc unicum de ipso sit verum, quod nec est nec potest esse.

CAPUT III. ART. I

DE ENUNTIATIONIBUS MODALIBUS ET EARUM OPPOSITIONIBUS.

1. [12] His determinatis, considerandum quonam modo inter se affectæ sint affirmationes et negationes ejus quod possibile est esse et non possibile, item contingens et non contingens ; necnon de impossibili et de necessario. Habet enim hæc consideratio dubitationes quasdam.

2. Nam si ex connexis hæ contradictiones sibi invicem opponuntur, quæ secundum verbum esse et non esse disponuntur, ut hujus, esse hominem, negatio est hæc, non esse hominem, non illa, esse non hominem, et hujus, esse album hominem, hæc, non esse album hominem, non illa, esse non album hominem, quia si de omni re affirmatio vel negatio vera est, vere dicetur lignum esse non album hominem, — quod si hoc ita se habet, et in quibus verbum esse non adjicitur, idem efficiet aliud verbum, quod loco verbi esse dicitur, ut hujus affirmationis : homo ambulat, non erit negatio hæc : ambulat non homo, sed hæc : non ambulat homo; nihil enim interest utrum dicatur hominem ambulare, an hominem ambulantem esse. Quare si ita se habet in omnibus, etiam hujus, possibile esse, negatio erit hæc, possibile non esse, non hæc, non possibile esse

Postquam Aristoteles egit de enuntiationibus tum simplicibus tum non simplicibus, quæ vocantur de *inesse*, agit de modalibus. Sunt autem enuntiationes modales, *per quas explicatur modus, quo prædicatum subjecto inest vel non inest;* enuntiationes vero *de inesse* sunt, *per quas talis modus non explicatur;* ex. gr., hæc propositio : *homo est animal*, est *de inesse*, hæc autem : *necessarium est hominem esse animal*, est modalis.

1. Supponens igitur Aristoteles quatuor esse præcipuos modos *possibile, contingens, impossibile et necessarium*, præmittit esse examinandum, quo pacto assignandæ sint affirmationes ac negationes in enuntiationibus modalibus, quibus dicitur, ex. gr., *possibile est esse, non possibile est esse; possibile est non esse*, etc. Quæstio vero præcipua est, utrum ad assignandam propositionem contradictoriam, negatio debeat præponi modo vel verbo, de quo dicitur modus. Sit ex. gr., hæc propositio affirmativa : *possibile est alium mundum esse.* In hac propositione datur modus et verbum, de quo dicitur modus. Modus est : *possibile est;* verbum, de quo dicitur modus, est ly *esse*. Quæritur ergo utrum ad assignandam ejus contradictoriam, negatio debeat præponi modo, dicendo : *non est possibile alium mundum esse*, an vero debeat præponi dicto seu verbo modificato, dicendo : *possibile est alium mundum non esse.*

2. Ut quæstionem resolvat, arguit Aristoteles primo ad ostendendum, quod negatio debeat præponi verbo modificato. In cæteris complexionibus sive enuntiationibus tum de secundo, tum de tertio adjacente, tum per verbum substantivum, tum per adjectivum, enuntiationes contradictoriæ assignantur præponendo negationem verbo, et non nomini; sed modi explicantur per nomina *possibilis, impossibilis*, etc.; ergo negatio debet præponi non modis, sed verbo. *Probatur major* et explicatur argumentum : contradictoria hujus propositionis de secundo adjacente : *homo est*, assignatur hæc : *homo non est;* hæc autem : *non homo est*, non est ejus contradictoria, sed est propositio affirmativa de subjecto infinito. Similiter contradictoria hujus propositionis de tertio adjacente : *Socrates est homo albus*, est hæc : *Socrates non est homo albus;* hæc autem : *Socrates est homo non albus*, non est ejus contradictoria, ut patet ex eo, quia affirmatio ac negatio ejusdem non possunt simul falsificari de ullo subjecto; sed *esse hominem album*, et *esse hominem non album*, possunt simul falsificari de eodem subjecto; ex. gr., de leone verificatur, quod neque est homo albus, neque est homo non albus; ergo *esse hominem album*, et *esse hominem non album*, non sunt ejusdem affirmatio ac negatio; ac proinde negatio contradictoria affirmationi, qua de subjecto dicitur quod *sit homo albus*, non est quod sit *homo non albus*. Demum negatio contradictorie opposita huic affirmationi per verbum adjectivum : *homo ambulat*, quæ æquivalet huic : *homo est ambulans*, est hæc : *homo non ambulat*, sive : *homo non est ambulans*, non autem hæc : *non homo ambulat;* ergo proportionaliter negatio hujus modalis : *possibile est esse*, est hæc : *possibile est non esse*, non autem hæc : *non possibile est esse.*

3. Sed idem videtur posse esse et non esse; quodcumque enim potest secari aut ambulare, potest etiam non secari et non ambulare. Ratio est, quia quodcumque est ita possibile, non semper est actu. Quapropter ei negatio quoque conveniet. Nam potest etiam non ambulare, quod est aptum ad ambulandum, et non videri, quod est visibile. Sed impossibile est de eodem veras esse oppositas affirmationes et negationes. Non igitur hujus, possibile esse, negatio est hæc, possibile non esse. Ex his enim quæ dicta sunt, sequitur aut idem de eodem nos simul affirmare et negare, aut non secundum additamenta illa *esse* et *non esse* affirmationes ac negationes fieri. Ergo si illud est impossibile, hoc sane est eligendum.

4. Est igitur negatio hujus, possibile esse, hæc, non possibile esse, non illa, possibile non esse. Eadem est hujus ratio, contingens esse; etenim ejus negatio est, non contingens esse. Et in cæteris simili modo se res habet, velut in necessario et impossibili. Ut enim in illis verba esse et non esse sunt additamenta, album autem et homo sunt res subjectæ, sic in his verbum esse et non esse pro subjecto habetur, posse autem et contingere sunt additamenta, quæ quidem in his enuntiationibus, esse possibile et esse non possibile, ita determinant verum et falsum, ut in illis verbum esse et non esse. Hujus autem, possibile non esse, negatio est non hæc, non possibile esse, sed hæc, non possibile non esse; et hujus, possibile esse, non hæc, possibile non esse, sed hæc, non possibile esse.

5. Quocirca hæ mutuo se consequi videntur, possibile esse et possibile non esse, idem enim est possibile esse et non esse, quoniam hæ non sunt sibi invicem contradicentes, possibile esse et possibile non esse. Sed hæ, possibile esse et non possibile esse, nunquam de eodem simul veræ sunt, quoniam opponuntur. Hæ quoque,

possibile non esse et non possibile non esse, nunquam simul de eodem veræ sunt. Similiter hujus, necesse esse, negatio est non hæc, necesse non esse, sed hæc, non necesse esse; hujus autem, necesse non esse, negatio est hæc, non necesse non esse. Et hujus, impossibile esse, non hæc, impossibile non esse, sed hæc, non impossibile esse. Hujus autem, impossibile non esse, hæc, non impossibile non esse.

6. Ac generaliter, ut dictum est, verba illa esse et non esse poni debent tanquam subjecta, hæc vero affirmationem et negationem efficientia ad verba illa esse et non esse adjungenda sunt. Atque hæ habendæ sunt pro oppositis affirmationibus : et negationibus possibile-non possibile, contingens-non contingens, impossibile-non impossibile, necesse-non necesse, verum-non verum.

3. Sed in contrarium arguitur ad ostendendum quod huic propositioni : *possibile est esse,* non opponitur contradictorie hæc : *possibile est non esse.* Propositiones enim contradictorie oppositæ non possunt simul verificari; sed potest simul verificari de eodem : *possibile est esse, possibile est non esse;* ergo non opponuntur contradictorie. *Probatur minor :* quod enim potest ambulare, potest etiam non ambulare, non enim semper ambulat; ergo potest ambulare et potest non ambulare; et ex eadem ratione, quod potest dividi, potest etiam non dividi, cum non semper actu dividatur; ergo cum aut dicendum sit posse contradictoria simul verificari, aut dicendum sit illas duas propositiones : *possibile est esse, possibile est non esse,* non opponi contradictorie, impossibile autem sit contradictoria simul verificari, fatendum est illas : *possibile est esse, possibile est non esse,* non opponi contradictorie, adeoque contradictoriam modali affirmativæ formari, præponendo negationem non verbo modificato, sed modo.

4. Hinc sequitur, quod contradictoria hujus : *possibile est esse,* est hæc : *non possibile est esse,* non autem illa : *possibile est non esse.* Similiter contradictoria hujus : *contingens est esse,* est hæc : *non contingens est esse,* non autem illa : *contingens est non esse.* Contradictoria hujus : *impossibile est esse,* est hæc : *non impossibile est esse,* non autem hæc : *impossibile est non esse.* Demum contradictoria hujus : *necessarium est esse,* est hæc; *non necessarium est esse;* non autem hæc : *necessarium est non esse.* Sicut ergo cum dicitur : *est album, est homo,* vel : *non est album, non est homo,* ly *est* vel *non est* significat appositionem, per quam prædicatum, quod est *esse,* apponitur subjecto vel a subjecto removetur; ly autem *album* vel *homo* significant subjectum, cui apponitur vel a quo removetur prædicatum; sic cum dicitur : *potest esse,* seu *possibile est esse; contingit esse,* seu *contingens est esse;* ly *potest* seu *contingit,* significat appositionem, per quam prædicatum, quod est *posse* vel *contingere,* apponitur subjecto vel removetur a subjecto; ly autem *esse* significat subjectum, cui prædicatum apponitur, vel a quo removetur. Rursus sicut cum dicitur : *est homo, non est homo,* fiunt duæ propositiones contradictoriæ, ex quibus altera est vera, altera falsa; sic cum dicitur : *possibile est esse, non possibile est esse,* fiunt duæ propositiones contradictoriæ, ex quibus altera est vera, altera falsa. Idem proportionaliter dic, cum dictum modificatum est negativum; ex. gr., contradictoria hujus : *possibile est non esse,* est hæc : *non possibile est non esse.*

5. Confirmatur, quia istas : *possibile est esse, possibile est non esse,* contingit simul esse veras; at istas : *possibile est esse, non possibile est esse,* non contingit esse simul veras; ergo hæ opponuntur contradictorie, non illæ. Similiter has : *possibile est non esse, non possibile est non esse,* non contingit esse simul veras; ergo opponuntur contradictorie. Rursus hujus : *necesse est non esse,* contradictoria est hæc : *non necesse est non esse;* hujus : *impossibile est non esse,* contradictoria est : *non impossibile est non esse;* idemque dic de reliquis.

6. Hæc ergo est regula universalis in propositionibus modalibus. Dictum debet poni ut subjectum, modus ut prædicatum propositionis. Contradictio vero est, per quam modus ut prædicatum affirmatur ac negatur de dicto ut subjecto, dicendo, ex. gr. : *Petrum currere. est possibile; Petrum currere, non est possibile.* Opponuntur igitur contradictorie : *possibile, non possibile; contingens, non contingens; impossibile, non impossibile; necessarium, non necessarium; verum, non verum.*

ARTICULUS II

DE CONSEQUENTIIS ENUNTIATIONUM MODALIUM.

7. [13] Consecutiones quoque pro ratione fiunt, si ita ponamus. Nam illam enuntiationem,

possibile esse, consequitur hæc, contingere esse, atque hæc cum illa reciprocatur, et hæc, non impossibile esse, et hæc, non necesse esse, eam vero, possibile non esse et contingens non esse, consequitur hæc, non necesse non esse, et non impossibile non esse. At illam, non possibile esse et non contingens esse, hæc, necesse non esse et impossibile esse. Hanc autem, non possibile non esse et non contingens non esse, hæc, necesse esse, et hæc, impossibile non esse. Quod autem dicimus, ex subjecta descriptione perspicitur :

possibile esse.	non possibile esse.
contingens esse.	non contingens esse.
non impossibile esse.	impossibile esse.
non necesse esse.	necesse non esse.
possibile non esse.	non possibile non esse.
contingens non esse.	non contingens non esse.
non impossibile non esse.	impossibile non esse.
non necesse non esse.	necesse esse.

Explicatis enuntiationibus modalibus et earum oppositionibus, agit Aristoteles de earum consequentiis atque examinat, quænam enuntiationes se mutuo consequantur. Ac *primo* quidem refert opinionem antiquorum; *secundo* explicat, in quo bene dixerint, in quo erraverint, et proponit ac probat veram sententiam; *tertio* solvit quoddam dubium circa jam determinata; *quarto* demum et ultimo ordinat enuntiationes modales se mutuo consequentes secundum ordinem naturalem.

7. *Quoad primum* : quidam ex antiquis dixerunt, quod ad hanc propositionem : *possibile est esse*, sequuntur istæ : *contingens est esse; non impossibile est esse; non necessarium est esse*; ad hanc : *possibile est non esse*, sequuntur istæ : *contingens est non esse; non impossibile est non esse; non necessarium est non esse*; ad hanc : *non possibile est esse*, sequuntur istæ : *non contingens est esse; impossibile est esse; necessarium est non esse*; ad hanc demum : *non possibile et non esse*, sequuntur istæ : *non contingens est non esse; impossibile est non esse; necesse est esse.* Sexdecim igitur enuntiationes modales in quatuor ordines distribuerunt, quos sequens tabula exhibebit, ac docuerunt quatuor propositiones cujuslibet ordinis esse mutuo convertibiles, ita ut ex qualibet sequatur altera.

PRIMUS ORDO.
Possibile est esse.
Contingens est esse.
Non impossibile est esse.
Non necessarium est esse.

SECUNDUS ORDO.
Possibile est non esse.
Contingens est non esse.
Non impossibile est non esse.
Non necessarium est non esse.

TERTIUS ORDO.
Non possibile est esse.
Non contingens est esse.
Impossibile est esse.
Necessarium est non esse.

QUARTUS ORDO.
Non possibile est non esse.
Non contingens est non esse.
Impossibile est non esse.
Necesse est esse.

8. Ergo impossibile et non impossibile contingenti et possibili et non contingenti et non possibili consequentur contradictorie, sed vice versa. Nam illi possibile esse, negatio ejus, quod impossibile est, consequitur, nempe non impossibile esse. Negationi vero affirmatio ; ei namque, non possibile esse, consequitur hæc, impossibile esse : etenim impossibile esse est affirmatio ; at non impossibile esse negatio.

9. Sed necessarium quomodo se habeat videndum est. Perspicuum igitur est, id non ita se habere, sed contrarias consequi, contradictiones autem seorsum esse collocatas.

10. Hujus enim, necesse non esse, non est negatio hæc, non necesse esse, quia contingit utrasque in eodem veras esse ; quod enim necesse est non esse, non necesse est esse.

11. Cur autem necessarium non ita consequatur ut cæteræ enuntiationes modificatæ, causa est, quod necessario impossibile contrario modo enuntiatum idem valet. Quod enim impossibile est esse, id necesse est, non quidem esse, sed non esse. Quod autem impossibile est non esse, id necesse est esse. Quare si ea similiter sunt consequentia possibili et non possibili, hæc e contrario consequi oportet, quia necessarium et impossibile non idem significant, nisi accipiantur, ut dictum est, vice versa.

12. An fieri non potest ut ita collocentur necessarii contradictiones? Quod enim necesse est esse, possibile est esse. Sin minus, negatio consequetur, quia necesse est vel affirmare vel negare ; quare si non possibile est esse, impossibile est esse ; ergo impossibile est esse quod necesse est esse ; quod est absurdum. Atqui isti, possibile esse, consequitur hæc, non impossibile esse, et huic illa, non necesse esse. Itaque fit, ut quod necesse est esse, non necesse sit esse ; quod est absurdum.

8. *Quoad secundum :* examinans sententiam antiquorum Aristoteles, docet

primo propositiones de possibili, contingenti et impossibili esse bene dispositas in omnibus quatuor ordinibus, adeoque esse convertibiles, et unam mutuo inferri ex alia. Valet enim in primo ordine : *possibile est esse; ergo contingens est esse, et non impossibile est esse.* Valet e converso : *non impossibile est esse; ergo possibile et contingens est esse*; idemque dic de tribus primis propositionibus aliorum ordinum. Propositiones igitur de impossibili sunt convertibiles cum propositionibus de possibili et contingenti inverso ordine, ita ut affirmativæ de impossibili sint convertibiles cum negativis de possibili et contingenti ; negativæ de possibili sint convertibiles cum affirmativis de possibili et contingenti. Valet enim : *possibile et contingens est Petrum currere* ; *ergo non est impossibile Petrum currere :* valet e converso : *non est impossibile Petrum currere; ergo est possibile et contingens Petrum currere.* Rursus valet : *non est possibile et contingens hominem esse equum*; *ergo impossibile est hominem esse equum.* Examinandum igitur est, utrum etiam propositiones de necessario sint recte dispositæ in quatuor ordinibus assignatis. Circa has igitur

9. Docet *secundo*, quod in tertio et quarto ordine bene sunt dispositæ duæ propositiones contrariæ de necessario, quæ sunt : *necesse est esse, necesse est non esse.* Patet ; in tertio enim ordine valet : *non possibile neque contingens, sed impossibile est hircocervum esse; ergo necesse est hircocervum non esse*; valet e converso : *necesse est hircocervum non esse; ergo non est possibile, neque contingens, sed est impossibile hircocervum esse* ; ergo omnes quatuor propositiones tertii ordinis sunt convertibiles, adeoque sunt bene dispositæ. Rursus in quarto ordine valet : *non est possibile neque contingens, sed est impossibile Deum non esse*; *ergo necesse est Deum esse.* Valet rursus : *necesse est Deum esse*; *ergo non est possibile neque contingens Deum non esse*; ergo etiam omnes quatuor propositiones quarti ordinis sunt convertibiles adeoque quartus ordo est bene dispositus. Porro istas duas propositiones : *necesse est esse, necesse est non esse*, vocat Aristoteles contrarias, quia habent hanc proprietatem contrariorum, ut non possint simul verificari; neque enim potest de eodem simul verificari, quod necessario sit et necessario non sit; at possunt simul falsificari ac de facto falsificantur de quolibet contingenti; siquidem contingens neque necessario est, neque necessario non est, sed est indifferens ad essendum vel non essendum.

10. Docet *tertio*, quod propositiones contradictoriæ duabus assignatis, quæ propositiones sunt : *non necesse est esse, non necesse est non esse*, male sunt dispositæ in primo et secundo ordine. *Probat primo :* nam primæ tres propositiones primi ordinis, quæ sunt : *possibile est esse, contingens est esse, non impossibile est esse,* sunt contradictoriæ primis tribus tertii ordinis, quæ sunt : *non possibile est esse, non contingens est esse, impossibile est esse;* ergo etiam quarta primi, quæ est : *non necesse est esse*, deberet esse contradictoria quartæ tertii, quæ est : *necesse est non esse;* sed istæ duæ : *non necesse est esse, necesse est non esse,* non sunt contradictoriæ, cum possint simul verificari, ac de facto de hircocervo et de quolibet impossibili simul verificetur, quod necesse est non esse, et quod non necesse est esse ; ergo, etc. Rursus primæ tres propositiones secundi ordinis, quæ sunt : *possibile est non esse; contingens est non esse; non impossibile est non esse*, sunt contradictoriæ primis tribus quarti ordinis, quæ sunt : *non possibile est non esse, non contingens est non esse, impossibile est non esse*; ergo etiam deberent opponi contradictorie quarta secundi et quarti ordinis, quæ sunt : *non necesse est non esse, necesse est esse*; sed istæ non sunt contradictoriæ, cum possint simul verificari, ac de facto de Deo verificetur simul : *necesse est Deum esse, non est necesse Deum non esse*; ergo, etc.

11. *Probat secundo*, quia propositiones de necessario ac de impossibili ut sint convertibiles et æquipollentes, non debent esse de eodem dicto, sed de dictis oppositis, ideoque huic tertii ordinis : *impossibile est esse,* æquipollet non hæc de eodem dicto : *necesse est esse,* sed hæc : *necesse est non esse*; huic quarti ordinis : *impossibile est non esse,* æquipollet hæc de dicto opposito : *necesse est esse* ; sed in primo ordine posita est ut æquipollens isti : *non impossibile est esse,* hæc : *non necesse est esse,* quæ est de eodem dicto; et in secundo ordine posita est ut æquipollens huic : *non impossibile est non esse,* hæc : *non necesse est non esse*, quæ etiam est de eodem dicto ; ergo, etc.

12. *Tertio probat :* ad has primi ordinis : *possibile est esse, et non impossibile*

est esse, non sequitur hæc : *non necessarium est esse*; ergo, etc. — Probatur antecedens; si hæc : *non necessarium est esse*, sequeretur ad has : *possibile est esse, non impossibile est esse*, sequeretur etiam ad hanc : *necessarium est esse*; consequens est absurdum, nam ex necessario sequeretur non necessarium, et ex affirmatione sequeretur negatio ejusdem; ergo, etc. — Probatur sequela majoris : omnis propositio, quæ sequitur ex alia propositione, sequitur etiam ex omni propositione, ex qua sequitur illa; sed istæ propositiones : *possibile est esse, non impossibile est esse*, sequuntur ex hac : *necessarium est esse*, ergo si hæc propositio : *non necessarium est esse*, sequitur ex illis, sequitur etiam ex hac : *necessarium est esse*, adeoque ex eo, quod aliquid sit necessarium, sequitur quod non sit necessarium. — Probatur minor : ex omni propositione, cum qua non potest conjungi una pars contradictionis, sequitur altera pars contradictionis; sed est impossibile quod conjungantur ista duo : *necessarium est esse*, ac *non possibile est esse, vel impossibile est esse*; alioquin idem esset simul necessarium ac non possibile sive impossibile; ergo ex eo quod aliquid necessarium sit esse, sequitur, quod possibile et non impossibile sit esse; ideoque valet : *necessarium est Deum esse*; *ergo possibile ac non impossibile est Deum esse*; ergo si ex *non impossibile esse*, infertur : *non necessarium esse*, ut docent adversarii, a primo ad ultimum : ex necessario sequetur non necessarium, et valebit, ex. gr., *necesse est Deum esse*; *ergo possibile ac non impossibile est Deum esse*; *ergo non necessarium est Deum esse*; hoc est absurdum; ergo *non necessarium esse* non sequitur ex *possibili* ac *non impossibili*. Eodem pacto probari potest quod in secundo ordine : *non necessarium non esse*, non sequitur ex : *possibile non esse, et non impossibile non esse*. Cum enim *ex necessario non esse* sequatur : *possibile non esse et non impossibile non esse*, ex *necessario non esse*, sequeretur : *non necessario non esse*, quod est absurdum.

13. At vero illi; possibile esse neque hæc consequitur, necesse esse, neque hæc, necesse non esse, quoniam illi accidere ambo possunt; horum autem utrumvis verum sit, non erunt amplius illa vera. Simul enim hæc vera sunt, possibile esse et non esse. Sed si necesse est esse vel non esse, non erit possibile utrumque.

14. Ergo relinquitur, ut hæc, non necesse non esse, si consequens illi, possibile esse. Hoc enim vere dicitur etiam de eo, quod est necesse esse. Etenim hæc est contradictoria ejus, quæ sequitur illam, non possibile esse. Nam illi consequens est hæc, impossibile esse et necesse non esse; cujus negatio est hæc, non necesse non esse. Sequuntur igitur etiam hæ contradictiones eo, quem diximus modo, iisque ita positis nihil absurdi accidit.

13. Rejecta sententia antiquorum, proponit Aristoteles suam sententiam et docet, quod ad propositiones primi ordinis sequitur hæc : *non necesse est non esse*. *Probat primo* : ex his primi ordinis : *possibile est esse, non impossibile est esse*, sequitur convertibiliter aliqua propositio de necessario; non sequitur ulla alia; ergo sequitur assignata. — Probatur minor: propositiones enim de necessario sunt quatuor : *necesse est esse*; *necesse est non esse*; *non necesse est esse*; *non necesse est non esse*; non sequuntur tres primæ *ad possibile esse*; ergo sequitur quarta. — Probatur minor : et quidem, quod non sequatur tertia, ut docuerunt antiqui in sua tabula, probatum est jam. Ostenditur igitur, quod ad *possibile esse* non sequatur : *necesse esse*, vel *necesse non esse*; ad id, quod potest verificari de subjecto seu sit seu non sit, non necessario sequitur aliud, quod non potest verificari de subjecto seu sit seu non sit; sed *possibile esse* potest verificari de subjecto seu sit seu non sit; ex. gr., verificatur : *Petrum currere est possibile*, seu Petrus currat, seu non currat; ergo ad possibile non sequitur : *necesse est esse*, quod non potest verificari re non existente, eo pacto, quo Petro non currente non potest verificari : *Petrum currere est necesse*; neque sequitur : *necesse est non esse*, quod non potest verificari re existente, eo pacto, quo Petro currente non potest verificari : *necesse est Petrum non currere*.

14. Probat *secundo*, quia omnes rationes, ex quibus ostensum est, ad illas, primi ordinis : *possibile est esse, non impossibile est esse*, non sequi hanc : *non necesse est esse*, probant sequi hanc : *non necesse est non esse*; ergo, etc. — Probatur antecedens : tres enim fuerunt adductæ rationes. Tertia fuit, quia hæc : *non necesse est esse*, sequeretur ex hac : *necesse est esse*, quod est absurdum; sed non est absurdum, quod ex hac : *necesse est esse*, sequatur hæc : *non necesse est non esse*; procul dubio enim quod necesse est esse, non necesse est non esse; ergo, etc. Prima

ratio fuit, quia cum aliæ propositiones primi et tertii ordinis, quæ sunt : *possibile esse, non possibile esse,* sint contradictoriæ, etiam hæ de necessario debent esse contradictoriæ; sed in tertio ordine ex *non possibili esse* sequitur *necessario non esse,* cujus contradictoria est : *non necessario non esse;* ergo in primo ordine ex *possibili esse* sequetur *non necessario non esse.* Secunda ratio fuit, quia propositiones de necessario et impossibili, ut æquipolleant, debent esse de dictis contrariis; sed huic primi ordinis de impossibili : *non impossibile est esse,* est de contrario dicto hæc de necessario : *non necesse est non esse*; ergo hæc sequitur ad illam in primo ordine, idemque proportionaliter dic de secundo ordine. —Confirmatur, quia si hoc pacto disponantur propositiones modales, omnia congruunt et bene procedunt, ut patet ex tabula subscripta :

PRIMUS ORDO.	SECUNDUS ORDO.
Possibile esse.	Possibile est non esse.
Contingens est esse.	Contingens est non esse.
Non impossibile est esse.	Non impossibile est non esse.
Non necesse est non esse.	Non necesse est esse.
TERTIUS ORDO.	**QUARTUS ORDO.**
Non possibile est esse.	Non possibile est non esse.
Non contingens est esse.	Non contingens est non esse.
Impossibile est esse.	Impossibile est non esse.
Necesse est non esse.	Necesse est esse.

15. Dubitabit autem aliquis, an illi, necesse esse, consequatur hæc, possibile esse. Nisi enim hæc sequatur, contradictoria sequetur, id est, non possibile esse. Quod si quis neget hanc esse contradictoriam, necesse est dicere contradictoriam esse hanc, possibile non esse. Quarum utraque falsa est de eo quod est necesse esse. At contra, idem videtur posse secari et non secari, et esse et non esse. Itaque quod necesse est esse, continget non esse; hoc autem falsum est.

16. Sed perspicuum est, non quodcumque potest aut esse aut ambulare, etiam posse opposita; verum sunt nonnulla, in quibus hoc non est verum. Primum quidem in iis, quæ sine ratione possunt, ut ignis est calefactivus habetque potestatem irrationalem. Potestates igitur, quæ sunt cum ratione, eædem sunt plurium et contrariorum. Irrationales autem non omnes. Sed, ut dictum est, ignis non potest calefacere et non calefacere, nec quæcumque alia semper actu sunt. Aliqua tamen etiam ex iis, quæ potestatibus irrationalibus prædita sunt, simul opposita suscipere possunt. Sed hoc ideo dictum est, quia non omnis potestas est susceptiva contrariorum, ne eæ quidem, quæ dicuntur secundum eamdem speciem. Quædam autem potestates sunt homonymæ. Nam possibile non simpliciter dicitur, sed aliud quidem, quia verum est, utpote quod est actu, ut possibile ambulare, quia ambulat, et omnino possibile esse, quia jam est actu id, quod dicitur esse possibile; aliud vero, quia actu esse poterit, ut possibile ambulare, quia fieri poterit, ut ambulet. Et hæc quidem potestas est in solis rebus mobilibus, illa vero etiam in immobilibus. Utrumque autem vere dicitur posse ambulare vel esse, et quod ambulat jam atque actu est, et quod est aptum ad ambulandum.

17. Quod igitur ita possibile est, non vere de simpliciter necessario dicitur, alterum autem vere dicitur. Itaque cum ei quod est in parte, universale consequens sit, ei quod necessario est, consequens erit posse esse, non tamen omne.

15. *Quoad tertium* proponit Aristoteles et *solvit* quoddam dubium circa jam determinata. Dictum est, quod ad hanc: *necesse est esse,* sequitur hæc : *possibile est esse;* at vero hoc videtur esse dubium, quia sunt rationes pro utraque parte. Ratio pro parte affirmativa est, quia vel necessarium est possibile esse, vel necessarium est non possibile esse — ex contradictoriis enim alterum debet convenire ; sed repugnat, ut necessarium sit non possibile esse, quia esset simul necessarium et non possibile seu impossibile : ergo necessarium semper est possibile esse. Si vero dicatur, quod *possibile esse* non opponitur contradictorie *non possibile esse,* sed *possibile non esse,* adhuc idem sequitur. Repugnat enim, ut necessarium sit possibile non esse; sed excluso uno contradictorio alterum est tribuendum : ergo necessarium est possibile esse. Ratio pro parte negativa est, quia *possibile esse* est etiam *possibile non esse,* ex. gr., possibile secari, est etiam possibile non secari ; ergo si necessarium est possibile esse, etiam est possibile non esse, quod repugnat, cum nullum necessarium possit non esse.

16. Ut solvat dubium, præmittit Aris-

toteles, non omnem possibilitatem seu potentiam dici ad opposita, ita ut sit simul potentia ad esse et ad non esse. Patet; nam licet ex potentiis physicis potentiæ rationales activæ sint ad opposita, eo pacto, quo qui habet potentiam rationalem ædificandi, habet etiam potentiam non ædificandi; adhuc potentiæ irrationales activæ non sunt ad opposita; ex. gr., ignis habet potentiam irrationalem calefaciendi, ita ut non possit abstinere a calefaciendo, idemque dic de aliis, quæ, cum possunt agere, semper actu agunt et non possunt non agere. Dantur tamen potentiæ physicæ irrationales passivæ, quæ sunt ad opposita; ex. gr., multa ita habent potentiam ut calefiant, ut possint etiam non calefieri, sed frigefieri. Rursus non solum ex potentiis physicis, quæ sunt activæ et passivæ, sed etiam ex potentiis æquivoce dictis quædam sunt ad opposita, quædam non; ex. gr., dicitur aliquid posse agere ex eo, quod actu agit, et posse esse ex eo, quod actu est, et præterea dicitur, posse agere ex eo, quod licet non agat, ex. gr., non ambulet, forsitan aget et ambulabit. Potentiæ, quæ possunt esse sine actu, dantur solum in rebus mobilibus et mutabilibus; eo enim ipso, quod aliquid potest habere actum, quem non habet, est mobile et mutabile. Potentiæ, quæ non possunt esse sine actu, dantur etiam in immobilibus. Deus enim, licet non possit mutari a non esse ad esse, adhuc potest esse, quia est. Jam *possibile esse vel ambulare* dicitur, tum de eo, quod jam est in actu essendi vel ambulandi, tum de eo, quod licet non sit in actu essendi vel ambulandi, potest tamen esse vel ambulare.

17. Hoc posito respondet Aristoteles ad dubium propositum cum distinctione. Ad necessarium simpliciter non sequitur illud possibile, quod non est actu, sed potest esse, ac datur solum in entibus mobilibus; sequitur tamen illud possibile, quod dicitur posse, quia actu est, ac datur etiam in entibus immobilibus. Et quia ad partem subjectivam sequitur universale, hoc est ad speciem sequitur genus eo pacto, quo ex homine sequitur animal, possibile vero abstrahens ab utroque modo possibilis est genus respectu possibilis utroque modo dicti, ideo ad necessarium, quod est species, sequitur possibile *ut sic,* quod est genus, sed non sequitur quælibet species possibilis, sicut ad hominem sequitur animal, sed non sequitur quælibet species animalis. Valet igitur : *necessario est; ergo possibile est,* sumendo possibile generice in quantum abstrahit a possibili, quod datur solum in entibus mobilibus, et a possibili, quod datur in immobilibus, ut explicatum est.

18. Ac fortasse necessarium et non necessarium est principium, unde omnia sunt aut non sunt; reliqua vero tanquam his consequentia spectari debent duntaxat.

19. Ex dictis igitur perspicuum est, id quod necessario est, actu esse. Quare si æterna sunt priora, etiam actus potestate prior est. Et alia quidem sunt actus sine potestate, ut primæ substantiæ, alia autem cum potestate; quæ natura sunt priora quam potestates, tempore posteriora, alia vero nunquam actus sunt, sed potestates.

18. *Quoad quartum,* docet Aristoteles, necessarium et non necessarium esse principium et causam essendi omnibus, quæ sunt et non sunt. Patet : nam necessitas essendi est prima ratio semper essendi enti necessario, quod est Deus; necessitas non essendi est ratio non essendi enti impossibili; ratio, cur aliqua contingentia possint esse vel non esse, est, quia neque habent necessitatem ad essendum, neque ad non essendum; ergo a primo ad ultimum; *necessarium et non necessarium* sunt principium essendi et non essendi omnibus, quæ sunt aut non sunt; ergo si velimus ordinare quatuor modos secundum ordinem naturalem, primo loco debemus ponere necessarium; secundo possibile, quod, cum dicatur etiam de necessario, propius ipsum attingit; tertio contingens; quarto impossibile, quod contrarie opponitur necessario. Debemus igitur ordinare propositiones modales secundum consequentias et oppositiones juxta subjectam figuram :

PRIMUS ORDO.

Necesse est esse.
Non possibile est non esse.
Non contingens est non esse.
Impossibile est non esse,

SECUNDUS ORDO.

Necesse est non esse.
Non possibile est esse.
Non contingens est esse.
Impossibile est esse.

TERTIUS ORDO.	QUARTUS ORDO.
Non necesse est esse.	Non necesse est non esse.
Possibile est non esse.	Possibile est esse.
Contingens est non esse.	Contingens est esse.
Non impossibile est non esse.	Non impossibile est esse.

19. Ex eo quod necessarium sit primum, infert Aristoteles, quod actus est prior potentia; necessarium enim est actus et non potentia, adeoque actus, quia necessarius est, sempiternus est; sed sempiternum est prius non sempiterno : ergo actus est prior potentia. Actus tamen est duplex, nam alius est actus purus sine potentia, et hic omni modo est prior potentia; alius est actus cum potentia, et hic est prior natura et perfectione quam potentia, sed est posterior tempore; ex. gr., homo actu est prior natura quam homo potentia, sed tempore prior est homo potentia existens in semine, ac deinde per generationem fit homo actu. Dantur præterea aliqua, quæ nunquam omnino reducuntur in actum, sed semper remanent in aliquali potentia, ut motus, tempus, etc., quæ idcirco sunt entia imperfectissima.

CAPUT IV

UTRUM AFFIRMATIONI VERÆ ALICUJUS SIT CONTRARIA NEGATIO EJUSDEM VEL AFFIRMATIO CONTRARII.

1. [14] Utrum autem contraria est affirmatio negationi, an affirmatio affirmationi? Et hæc oratio : omnis homo est justus, illi orationi : nullus homo est justus; an hæc : omnis homo est justus, illi : omnis homo est injustus? Veluti, est Callias justus, non est Callias justus, Callias injustus est : utra igitur harum est contraria? Nam si ea, quæ sunt in voce, consequuntur iis, quæ sunt in dianoea, illic autem ea est contraria opinio, quæ contrarii est, ut hæc, omnem hominem esse justum, illi, omnem hominem esse injustum, certe etiam in enuntiationibus voce expressis necesse est, similiter rem se habere. Si vero non est illic ea opinio contraria, quæ est contrarii, neque affirmatio affirmationi erit contraria, sed dicta negatio. Quare considerandum est, quænam opinio falsa sit contraria veræ opinioni, negationisne, an quæ contrarium esse opinatur. Sic autem dico. Est quædam de bono vera opinio, esse bonum, alia vero falsa, non esse bonum; item alia, esse malum. Utra igitur harum est contraria veræ? Et si est una, secundum quam est contraria?

Affirmationi, qua de subjecto affirmatur aliquod prædicatum, opponitur tum negatio, qua de eodem subjecto negatur idem prædicatum, tum affirmatio, qua de subjecto affirmatur prædicatum oppositum; ex. gr., huic affirmationi : *omnis homo est justus*, opponitur tum negatio, qua dicitur : *nullus homo est justus*, tum affirmatio, qua dicitur : *omnis homo est injustus;* et similiter huic affirmationi : *Callias est justus*, opponitur tum negatio : *Callias non est justus*, tum affirmatio : *Callias est injustus*. Hinc igitur oritur quæstio, quam Aristoteles examinat pro complemento doctrinæ in his libris traditæ de enuntiationum oppositione, utrum affirmationi sit contraria negatio ejusdem, an potius affirmatio oppositi prædicati; ex. gr., utrum huic affirmationi : *Callias est justus*, contraria sit hæc negatio : *Callias non est justus*, an potius hæc affirmatio : *Callias est injustus*. Et quia proprietates enuntiationum vocalium proportionaliter sequuntur proprietates enutiationum mentalium, ideo si opinioni affirmativæ, qua dicitur : *omnis homo est justus*, contraria est alia opinio interna affirmativa : *omnis homo est injustus*, etiam affirmationi vocali contraria est alia affirmatio vocalis ; si autem opinioni affirmativæ contraria est, non quidem alia opinio affirmativa prædicati contrarii, sed negatio ejusdem prædicati, idem proportionaliter dicendum est de enuntiationibus vocalibus. Ut igitur solvatur quæstio, examinandum est, quænam opinio falsa contraria sit opinioni affirmativæ veræ, num opinio falsa affirmativa contrarii, an potius opinio falsa negativa prædicati affirmati ? — Explicatur sensus quæstionis exemplo proposito. Circa justitiam dari possunt tres opiniones, una vera, duæ falsæ. Opinio vera est, qua quis opinetur justitiam esse bonam. Opiniones falsæ sunt altera negativa, qua quis opinetur justitiam non esse bonam; altera affirmativa, qua opinetur justitiam esse malam. Quæritur igitur, utra ex his duabus opinionibus falsis sit contraria illi opinioni affirmativæ veræ, etiam supponendo, quod illæ duæ opiniones falsæ se mutuo sequantur, adeoque sint quodammodo una opinio.

2. Si quis igitur putet hoc definiri contrarias opiniones, quod contrariorum sint, falso id putat. Nam de bono opinio, id esse bonum, et de malo, id esse malum, eadem fortassis et, sive multæ sive una sit, vera est. Atqui hæc sunt contraria. Sed non eo, quod sunt contrariorum, contraria vocantur, sed potius, quod contrario modo se habent.

3. Ergo si de bono opinio quædam est, id esse bonum, alia vero, id non esse bonum, est autem aliud quidpiam, quod bono neque inest neque inesse potest, profecto nullam aliarum contrariam esse ponendum est, nec quæ opinantur, inesse quod non inest, nec quæ non inesse quod inest; infinitæ enim sunt utræque, et quæ inesse opinantur quod non inest, et quæ non inesse quod inest.

4. Sed in quibus est deceptio? Hæ vero sunt, ex quibus sunt generationes; atqui ex oppositis sunt generationes, ergo etiam deceptiones. Si igitur bonum est et bonum et non malum, et illud quidem per se, hoc autem ex accidente, quoniam ei accidit, ut non malum sit, magis autem de quaque re vera est ea opinio, quæ est per se, et magis falsa itidem, quæ est per se, siquidem magis vera ita accipitur. Hæc igitur opinio, non bonum esse bonum, falsa est de eo, quod per se inest, hæc autem, esse malum, falsa est de eo, quod est ex accidente.

Ut solvat quæstionem Aristoteles docet primo per *tres conclusiones*, undenam desumenda sit contrarietas opinionum; deinde infert quartam conclusionem, per quam respondet quæstioni principali.

2 *Prima* igitur conclusio est : contrarietas opinionum non desumitur ex eo, quod versentur circa contraria. *Probat :* nam opiniones versantes circa bonum et malum versantur circa contraria, cum bonum et malum sint contraria; sed opiniones circa bonum et malum possunt non esse contrariæ : ergo, etc. *Probatur minor :* nam opiniones, quibus quis existimat bonum esse bonum atque appetendum, malum esse malum et fugiendum, versantur circa bonum et malum, et tamen non sunt contrariæ; imo potius sunt una opinio, vel saltem sunt mutuo connexæ inter se et sunt simul veræ; ergo opiniones circa contraria possunt non esse contrariæ; ergo contrarietas opinionum non consistit in eo præcise, quod sint contrariorum, sed in eo, quod contrario modo versentur circa objectum.

3. *Secunda* conclusio est : neque etiam contrarietas opinionum desumitur præcise ex eo, quod circa idem subjectum una opinetur verum, altera falsum. *Probatur,* quia circa aliquod bonum, puta justitiam possumus habere quatuor genera opinionum. Prima, quod justitia sit bonum; secunda, quod non sit bonum; tertia, qua affirmemus de justitia aliquod prædicatum ipsi non conveniens, ex. gr., quod justitia sit lapis; quarta, qua de justitia negemus aliquod prædicatum ipsi conveniens, dicendo, ex. gr., justitiam non esse appetibilem, non esse virtutem, etc. Ex istis quatuor opinionum generibus sola prima est vera, aliæ omnes sunt falsæ. Hoc posito, si ad hoc, ut aliqua opinio esset contraria opinioni veræ circa aliquod subjectum, sufficeret, ut esset opinio falsa circa idem subjectum; huic opinioni veræ : *justitia est bonum,* essent contrariæ omnes opiniones falsæ, tum affirmantes de justitia aliquod prædicatum ipsi non conveniens, ex. gr., quod sit lapis, lignum, etc., tum negantes de justitia aliquod prædicatum ipsi conveniens; sed tales opiniones sunt infinitæ vel innumerabiles; ergo uni opinioni veræ essent contrariæ infinitæ vel innumerabiles opiniones falsæ, quod est absurdum; nam *uni unum contrarium.*

4. *Tertia* conclusio est : opinio falsa contraria opinioni veræ est, per quam quis fallitur et decipitur circa id ipsum, circa quod verum diceret per opinionem veram. *Probatur :* ita in processu intellectuali opponuntur opinio falsa et vera, sicut in processu naturali opponuntur generatio et corruptio; sicut enim res per generationem acquirit suam naturalem perfectionem, per corruptionem movetur motu contrario suæ naturali perfectioni; sic intellectus per opinionem veram movetur ad suam perfectionem, per opinionem falsam movetur motu contrario suæ perfectioni; sed corruptio contraria generationi est, per quam res amittit illud esse, quod per generationem acquirit; ergo opinio falsa contraria opinioni veræ est, per quam intellectus decipitur circa illud ipsum, circa quod verum diceret per opinionem veram. Hinc infert Aristoteles, quod, sicut termini generationis et corruptionis sunt oppositi, ita ut id, quod per generationem ponitur, auferatur per corruptionem, sic termini opinionis veræ et opinionis falsæ sunt oppositi, ita ut illud ipsum, quod ponitur per opinionem veram, auferatur per falsam.

5. Quare magis falsa est de bono opinio negationis quam contrarii.

6. Maxime autem in quaque re fallitur qui

contrariam habet opinionem; contraria namque sunt, quæ in eodem genere plurimum differunt. Si igitur harum altera est contraria, sed quæ est negationis, est magis contraria, constat hanc esse vere contrariam. Hæc vero opinio, bonum esse malum, est connexa; fortasse enim necesse est, eumdem etiam existimare bonum non esse bonum.

7. Præterea si in aliis similiter rem se habere oportet, hic quoque recte dictum videri poterit. Aut enim ubique contraria est opinio negationis aut nusquam. At quibus non sunt contraria, de his falsa est opinio quæ veræ opponitur; ut qui hominem putat non esse hominem, fallitur. Si igitur hæ negationes sunt contrariæ, etiam aliæ negationis opiniones contrariæ sunt.

8. Præterea similiter se habent hæ opiniones, bonum esse bonum, et non bonum non esse bonum, ac præterea, bonum non esse bonum, et non bonum esse bonum. Ergo huic veræ opinioni, non bonum non esse bonum, quænam erit contraria? Non enim ea quæ ait esse malum, quia quandoque simul vera esse potest, nunquam autem vera est veræ contraria; aliquod enim non bonum est malum. Quare contingit has opiniones simul veras esse. Rursus non erit contraria hæc opinio, non bonum non esse malum, quoniam hæc quoque vera esse potest; nam et hæc simul esse queunt. Relinquitur ergo ut ei, non bonum non esse bonum, contraria sit hæc, non bonum esse bonum; hæc enim est falsa. Quapropter etiam hæc, bonum non esse bonum, erit contraria illi, bonum esse bonum.

5. Ex his infert Aristoteles *quartam conclusionem,* per quam respondet quæstioni principali : opinioni veræ affirmativæ contraria est opinio falsa negativa, non autem altera affirmativa. *Probatur primo* ex dictis : sicut enim generationi unius contraria est, non generatio alterius, sed corruptio ejusdem; sic affirmationi unius contraria est, non affirmatio alterius, sed negatio ejusdem.

6. *Probatur secundo :* ex duabus opinionibus falsis oppositis alicui opinioni veræ illa est contraria, quæ est magis falsa; cum enim contraria sint, quæ circa idem maxime distant, opinio vero magis falsa magis distet a vera, quam minus falsa, profecto contraria opinioni veræ erit illa opinio, quæ magis est falsa; sed si hæc affirmativa est vera: *justitia est bonum,* magis est falsa hæc negativa : *justitia non est bonum,* quam hæc : *justitia est malum*; ergo illa negativa est contraria, non autem hæc affirmativa. *Probatur minor* : circa justitiam possunt fieri duæ propositiones veræ. Prima est : *justitia est bonum,* secunda est : *justitia non est malum.* Prima est vera per se et ratione sui; secunda est vera ratione primæ. Ideo enim justitia non est mala, quia est bona; et quia quod est per se, magis est tale, quam quod non est per se, ideo magis est vera hæc : *justitia est bonum,* quam hæc : *justitia non est malum.* Proportionaliter ex his duabus : *justitia non est bonum, justitia est malum,* prima est falsa ratione sui, secunda ratione primæ. Sicut enim ideo verum est, quod justitia non est mala, quia est bona, ita ideo falsum est, quod justitia sit mala, quia falsum est, quod non sit bona. sed quod est falsum per se, magis est falsum, quam quod est falsum per accidens seu ratione alterius; ergo hæc : *justitia non est bona,* magis est falsa, quam hæc : *justitia est mala;* sed propositioni veræ illa falsa est contraria, quæ magis est falsa; ergo contraria huic : *justitia est bonum,* est hæc : *justitia non est bonum,* illa vero altera : *injustitia est malum,* non tam est contraria, quam includit contrariam, siquidem necesse est, ut qui opinatur justitiam esse malam, opinetur etiam injustitiam non esse bonam.

7. *Probat tertio* eamdem conclusionem : si in aliis materiis affirmationi veræ contraria est negatio falsa, etiam in hac materia de bono affirmationi veræ, qua dicitur : *justitia est bonum,* contraria est negatio *falsa,* qua dicitur : *justitia non est bonum*; negatio enim contradicens affirmationi vel in omni materia est contraria affirmationi, vel in nulla; sed in materiis, quæ non habent contrarium, affirmationi veræ contraria est negatio contradicens falsa, ex. gr., huic affirmationi : *Socrates est homo,* contraria est negatio contradicens : *Socrates non est homo,* non autem affirmatio contrarii, siquidem homo, cum sit substantia, non habet contrarium; ergo etiam in materia de bono et in omni alia, contraria affirmationi veræ est negatio contradicens falsa.

8. *Quarto probat :* ita se habet hæc opinio vera : *bonum est bonum,* ad hanc negationem falsam : *bonum non est bonum,* sicut se habet hæc vera : *non bonum non est bonum,* ad hanc falsam : *non bonum est bonum*; utræque enim opponuntur contradictorie; sed contraria huic veræ : *non bonum non est bonum,* non est alia quam hæc : *non bonum est bonum;* ergo contraria illi : *bonum est bonum,* est hæc : *bonum non est bonum.* — *Probatur,*

minor; nam huic : *non bonum non est bonum*, non est contraria hæc : *non bonum est malum*; nam aliquando sunt simul veræ; peccatum enim est simul non bonum et malum: neque est contraria hæc : *non bonum non est malum*; potest enim de aliquo non bono verificari simul, quod neque sit bonum neque sit malum; ergo nulla alia contraria est huic veræ : *non bonum non est bonum*, nisi hæc falsa : *non bonum est bonum*, quæ non potest simul cum illa verificari; ergo proportionaliter huic : *bonum est bonum*, contraria est hæc : *bonum non est bonum*, non autem illa : *bonum est malum*.

9. Perspicuum autem est nullum fore discrimen, etiamsi universalem ponamus affirmationem; universalis enim negatio erit contraria. Utputa opinioni, qua existimatur quidquid est bonum, esse bonum, contraria erit hæc, nihil eorum, quæ bona sunt, esse bonum. Nam illa opinio, bonum esse bonum, si universaliter bonum accipiatur, idem valet quod hæc, qua putatur, quod est bonum, esse bonum. Hæc autem nihil differt ab illa, quidquid est bonum, esse bonum. Similiter et in non bono se res habet. Quare si in opinione ita res se habet, et affirmationes negationesque voce prolatæ eorum, quæ mente concipiuntur sunt notæ, constat, affirmationi contrariam esse negationem de eodem universalem, ut illi, omne bonum esse bonum, aut omnem hominem esse bonum, hæc, nullum esse bonum, vel neminem esse bonum; contradictorie vero, opponi hanc, non omne aut non omnem.

10. Perspicuum etiam est, fieri non posse ut opinio vel negatio vera veræ contraria sit. Contrariæ namque sunt, quæ circa opposita sunt, circa quæ eumdem vere opinari ac dicere contingit. Simul autem contraria eidem inesse non contingit.

9. Addit Aristoteles, quod, sicut huic : *bonum est bonum*, contraria est hæc : *bonum non est bonum*, ita huic : *omne bonum est bonum*, contraria est hæc : *nullum bonum est bonum*, non autem hæc : *omne bonum est malum*; et similiter huic: *nullum non bonum est bonum*, contraria est hæc : *omne non bonum est bonum*. Idem enim valet universalis : *omne bonum est bonum*, ac : *quidquid est bonum, est bonum*, quæ idem valet, ac hæc : *bonum est bonum*. Et quia, ut dictum est initio quæstionis, affirmatio ac negatio vocales signa sunt opinionum quæ sunt in anima, manifestum est, quoniam contrariæ veris universalibus, ex. gr., *omne bonum est bonum*, sunt hæ : *nullum bonum est bonum*, contradictorie vero opponuntur : *non omne bonum est bonum*, etc.

10. Infert Aristoteles, quod opinio vel enuntiatio vera nunquam est contraria alteri veræ. Contrariæ enim opiniones ex dictis sunt circa opposita, quæ non potest quis simul opinari; sed vera possumus simul opinari; ergo opiniones veræ non possunt esse contrariæ, alioquin opiniones contrariæ possent esse simul, quod repugnat; siquidem hæc est natura contrariorum, ut non possint esse simul in eodem subjecto; et per hæc Aristoteles concludit libros Perihermenias.



IN DUOS LIBROS
PRIORUM ANALYTICORUM

HOC EST

RESOLUTORIORUM

PROŒMIUM

QUID SIT RESOLUTIO, QUOD SIT SUBJECTUM HORUM LIBRORUM, QUEM LOCUM TENEANT IN LOGICA, ET IPSORUM SYNOPSIS.

1. Quia isti quatuor libri inscribuntur Analyticorum, hoc est Resolutoriorum, Priorum et Posteriorum, explicandum est *primo*, quid sit resolutio; *secundo*, quod sit subjectum horum librorum; *tertio*, quem locum hi libri teneant in Logica; *quarto* demum per brevem synopsim ponenda est ob oculos doctrina horum librorum.

2. *Quoad primum* : *analysis* seu resolutio intellectualis (de hac enim sola agimus) est, per quam tractamus de aliqua re resolvendo illam usque ad prima principia, ex quibus constat vel pendet. Ex. gr., tum agimus resolutorie de corpore humano, cum de illo agimus resolvendo usque ad primas partes, ex quibus constat, et usque ad prima principia, ex quibus pendet. Et quia scientia perfecta consistit in hoc, ut cognoscamus rem per omnia sua principia, ideo scientia perfecta non potest acquiri nisi per resolutionem. Hinc patet, cur isti quatuor libri, in quibus agitur de demonstratione seu de syllogismo demonstrativo, inscribantur ab Aristotele Resolutorii. Dicuntur Resolutorii tum propter objectum, tum propter modum agendi. *Propter objectum* quidem, quia in ipsis agitur de syllogismo ac demonstratione resolutoria, per quam solam acquiri potest scientia perfecta. Dicuntur Resolutorii *propter modum agendi;* modus enim agendi resolutorius est, per quem agitur de aliqua re resolvendo illam usque ad prima principia; sed in his libris Aristoteles agit de syllogismo et demonstratione resolvendo illa usque ad prima principia, ex quibus pendet omnis syllogismus et omnis demonstratio; ergo, etc. In his igitur libris Aristoteles, agens de resolutione, signate et exercite docet modum resolutive syllogizandi ac demonstrandi. Signate quidem, dum tradit præcepta resolutive syllogizandi ac demonstrandi; exercite vero dum resolutorie syllogizans ac demonstrans de ipsa resolutione, proponit exemplum resolutorie syllogizandi ac demonstrandi.

3. *Quoad secundum : subjectum* horum quatuor librorum, ut patet ex titulo et ex initio ipsorum, est demonstratio seu syllogismus resolutorius, qui causat perfectam scientiam rei; et quia principia, propter quæ demonstratio causat scientiam rei, sunt materia et forma demonstrationis, ideo Aristoteles in his libris agit de materia et forma demonstrationis, ac demonstrationem resolvit tum in principia formalia, tum in materialia. Resolutio, per quam demonstratio resolvitur in principia formalia, ex quibus pendet necessitas et evidentia consequentiæ, vocatur resolutio prior, de qua agitur in libris Priorum. Resolutio, per quam demonstratio resolvitur in princi-

pia materialia, ex quibus pendet evidentia consequentis, vocatur resolutio posterior, de qua agitur in libris Posteriorum.

4. Ex his infertur, quodnam sit *subjectum particulare* librorum de Priori Resolutione. Dico quod eorum subjectum est syllogismus resolutivus conclusionis in principia formalia, ex quibus pendet necessitas et evidentia consequentiæ, quæ resolutio dicitur prior. Et quia syllogismus resolutorius in principia formalia, est applicabilis omni materiæ tum certæ, tum probabili, tum falsæ; ideo subjectum horum librorum est syllosgismus resolutorius abstrahendo a materia. Subjectum librorum Posteriorum est syllogismus resolutorius ut applicatus materiæ necessariæ ac certæ. Subjectum librorum Topicorum est syllogismus ut applicatus materiæ probabili. Subjectum Elenchorum est syllogismus ut applicatus materiæ apparenti, ac falsæ.

5. Ut autem magis appareat *intentio Aristotelis* in his libris, notandum est, quod non omnis syllogismus est resolutorius, nec omnis demonstratio est resolutoria. Ex. gr., syllogismus in Cesare non est resolutorius, quia licet probet conclusionem ex principiis, ex quibus necessario sequitur conclusio, adhuc non probat conclusionem per prima principia, ex quibus pendet evidentia de necessitate illationis. Ut igitur sit resolutorius syllogismus in Cesare, debet ostendi, quod major universalis negativa potest simpliciter converti; et quod, facta tali conversione, eadem conclusio sequitur in Celarent; et quod Celarent necessario concludit, quia fundatur in *dicto de nullo.* Syllogismus igitur hæc omnia probans est resolutorius conclusionis in sua prima principia formalia. Proportionaliter demonstratio probans conclusionem ex aliquibus præmissis, adhuc non est resolutoria, nisi resolvat ipsas præmissas in prima principia per se nota et immediata et habentia cæteras conditiones ab Aristotele enumeratas in libris Posteriorum, ex quibus principiis pendet evidentia conclusionis. In his igitur libris Aristoteles agit de syllogismo non qualicumque, sed resolutorio, hoc est causante perfectam evidentiam de necessitate consequentiæ per prima principia, ex quibus pendet talis evidentia. Et quia doctrina de tali perfectissimo syllogismo ac perfectissima demonstratione, continet etiam doctrinam de aliis syllogismis ac demonstrationibus minus perfectis, ideo tradit simul doctrinam de aliis syllogismis ac demonstrationibus, tum perfectis, tum imperfectis.

6. *Quoad tertium :* ut diximus in proœmio aliorum librorum, Logica dividitur juxta tres operationes intellectus, adeoque in his libris et in sequentibus continetur tertia pars Logicæ, in qua agitur de iis, quæ spectant ad tertiam operationem intellectus, hoc est de syllogismo et de variis syllogismorum speciebus. In libris igitur Priorum agitur de syllogismo in communi et secundum formam; in libris Posteriorum agitur de syllogismo demonstrativo; in libris Topicorum de syllogismo probabili; in libris Elenchorum de syllogismo apparente.

7. *Quoad quartum :* ut habeamus perfectam scientiam de syllogismo, primo debemus scire, ex quibus terminis et propositionibus, et qualiter dispositis fiat vel non fiat syllosgimus, et propter quæ principia necessario et evidenter concludat; secundo, proposita quacumque conclusione, debemus habere artem inveniendi medium et propositiones, seu præmissas ad illam probandam; tertio, propositis rationibus inordinatis, debemus habere artem illas ordinandi ac disponendi in formam syllogisticam; quarto debemus scire potestates seu virtutes syllogismorum jam constitutorum; quinto debemus scire impotentias ac defectus, qui possunt syllogismis accidere; sexto demum debemus scire, quo pacto aliæ argumentationes, hoc est inductio, enthymema, etc., reducantur ad syllogismum. Aristoteles igitur, ut perfecte tradat scientiam de syllogismo, hæc omnia exequitur per duos libros, tria quidem priora in primo libro, qui est de constructione syllogismi, seu de syllogismo in fieri; tria vero posteriora libro secundo, qui est de syllogismo in facto esse. *Prima igitur parte libri primi,* quæ complectitur capita 26, explicat ex quibus propositionibus ac terminis et quo pacto dispositis fiant vel non fiant omnes syllogismi, tum perfecti, tum imperfecti; et quo pacto et per quæ principia syllogismi imperfecti resolvantur ad perfectos; et quæ sint principia, ex quibus syllogismi perfecti accipiunt evidentiam ac necessitatem concludendi. *Secunda parte* agit de inventione medii, et explicat, quo pacto, proposita qualibet conclusione, possimus invenire medium et præmissas ad illam proban-

dam. *Tertia parte* usque ad finem libri primi agit de reductione rationum inordinatarum in formam syllogisticam. *Libro secundo,* qui est de syllogismo in facto esse, *prima parte,* quæ complectitur capita viginti, agit de sex potentiis seu virtutibus syllogismi jam constituti. *Secunda parte,* quæ protenditur a capite vigesimo primo usque ad vigesimum sextum inclusive, agit de impotentiis seu defectibus syllogismorum. *Tertia demum parte* a capite vigesimo septimo usque ad trigesimum quintum et ultimum, agit de aliis argumentationibus et earum reductione ad syllogismum. De quibus agat in singulis harum partium capitibus, videri potest in indice librorum et capitum initio hujus tomi proposito.



ARISTOTELIS

PRIORUM ANALYTICORUM

HOC EST

RESOLUTORIORUM

LIBER I

SECTUM I

DE CONSTRUCTIONE SYLLOGISMI

CAPUT I.

QUID SIT PROPOSITIO, TERMINUS, SYLLOGISMUS TUM PERFECTUS TUM IMPERFECTUS, DICI DE OMNI, DICI DE NULLO.

1. [1] Primum dicere oportet, circa quid et cujus causa sit hæc consideratio, hoc est esse circa demonstrationem et scientiæ demonstrativæ causa. Postea definire oportet, quid sit propositio et quid terminus et quid syllogismus, et quis sit perfectus et quis imperfectus. Post hæc quid sit in aliquo toto quidpiam esse aut non esse, et quid dicamus omni vel nulli attribui.

2. Propositio igitur est oratio affirmans vel negans aliquid de aliquo. Hæc autem aut est universalis, aut in parte, aut indefinita. Universale appello, omni aut nulli inesse. In parte vero, alicui aut non alicui aut non omni inesse. Indefinitum autem, inesse aut non inesse absque universali aut particulari nota, veluti contrariorum eamdem esse scientiam, aut voluptatem non esse bonum.

3. Jam vero propositio demonstrativa differt a dialectica, quia demonstrativa est sumptio alterius partis contradictionis (non enim interrogat, sed sumit qui demonstrat), dialectica autem est interrogatio contradictionis. Sed quod ad utriusque syllogismum conficiendum attinet, nihil hæc ab illa differt. Nam et qui demonstrat et qui interrogat, syllogismum extruit, cum aliquid alicui inesse aut non inesse sumpserit. Quare syllogistica propositio simpliciter est affirmatio vel negatio alicujus de aliquo, eo quo diximus modo. Demonstrativa autem ita demum est, si vera sit et per initio positas hypotheses sumpta. Dialectica vero, quod ad eum spectat, qui percunctatur, est interrogatio contradictionis; quod autem ad eum, qui ratiocinatur, est sumptio ejus, quod videtur et probabile est, ut in Topicis dictum est. Quid igitur sit propositio, et quo syllogistica, demonstrativa ac dialectica differant, exquisite in sequentibus libris dicetur ; sed quod ad præsentem usum attinet, sufficiant, quæ nunc a nobis definita sunt.

1. Aristoteles aggrediens quatuor libros de Priori et Posteriori Resolutione, præmittit initio tria esse explicanda. *Primo* explicandum est, circa quam materiam versentur hi libri, et cujus rei scientiam ac disciplinam tradant. *Secundo* explicandum est, quid sit propositio, quid terminus, quid syllogismus, et ex syllogismis quis sit perfectus, quis imperfectus. *Tertio* explicandum est, quid sit aliquid esse in toto, vel non esse in toto, seu quid sit : *dici de omni* ac *dici de nullo.*

Ut hæc tria ordinatim explicet, docet primo in istis libris agi de demonstratione, ac tradi scientiam demonstrandi. Quia vero demonstratio est syllogismus causans scientiam, ideo in duobus libris de-

Priori Resolutione agitur de syllogismo *ut sic*, quod est genus demonstrationis, et explicantur communia omni syllogismo. In duobus libris de Posteriori Resolutione agitur specialiter de syllogismo demonstrativo ac de propriis demonstrationis. Ex eo quod in libris Priorum tradatur scientia syllogismi *ut sic*, sequitur quod debeat præmitti definitio syllogismi et partium syllogismi ; sed partes subjectivæ seu species syllogismi sunt syllogismus perfectus et imperfectus ; partes essentiales, ex quibus componitur syllogismus, sunt propositiones et termini : ergo præmitti debent horum definitiones. Rursus tota scientia syllogismorum fundatur in duobus principiis, quæ sunt *dictum de omni*, et *dictum de nullo*, seu *in toto esse, in toto non esse ;* ergo præmittenda sunt etiam et explicanda hæc duo principia.

2. Descendit deinde Aristoteles ad tradendas singillatim horum definitiones. Propositio est *alicujus de aliquo affirmativa vel negativa oratio*. Dividitur in universalem, particularem et indefinitam. Universalis est, *per quam dicitur prædicatum inesse omni vel nulli ;* ex. gr., *omnis homo est animal, nullus homo est equus*. Particularis est, *per quam prædicatum dicitur inesse vel non inesse alicui vel non omni;* ex. gr., *aliquis homo est albus, aliquis homo non est albus*. Indefinita est, *per quam prædicatum dicitur inesse subjecto non determinando, utrum omni vel alicui*; ex. gr., *contrariorum eadem est disciplina, voluptas non est bonum*. Propositionem singularem Aristoteles omittit, vel quia comprehenditur in particulari, vel quia in his libris agitur solum de syllogismo constante ex terminis communibus, non autem de syllogismo constante ex terminis et propositionibus singularibus.

3. Dividitur etiam propositio in dialecticam et demonstrativam. Differunt hæ duæ propositiones ex modo proponendi. Demonstrans enim non interrogat, utra pars contradictionis sit vera, sed determinate sumit unam partem contradictionis, quæ est vera et certa ; at dialecticus interrogat respondentem, utra pars sit vera, relinquens ipsi optionem eligendi, quam voluerit; et illam, quam respondens eligit, assumit ut præmissam syllogismi. Ratio discriminis est, quia demonstrator procedit ex veris et certis ; ergo sumit illam partem contradictionis, quæ est vera et certa, neque interrogat paratus accipere, quam respondens elegerit ; at dialecticus procedit ex probabilibus vel apparentibus ; ergo interrogat paratus assumere ut præmissam syllogismi utramlibet partem contradictionis, dummodo sit probabilis vel appareat probabilis. Cæterum tum demonstrator tum dialecticus assumit ut præmissam syllogismi unam determinatam partem contradictionis, qua aliquid de altero affirmetur vel negetur ; ergo propositio syllogistica universim est alicujus de aliquo affirmativa vel negativa oratio. Differt tamen propositio syllogismi demonstrativi a propositione seu præmissa syllogismi dialectici in hoc, quod propositio syllogismi demonstrativi est vera, certa et immediata, vel ex immediatis probata, ideoque proponitur sine interrogatione ; propositio vero syllogismi dialectici proponitur interrogando de utraque parte contradictionis, et assumitur ut probabilis vel apparens, ut dicetur in Topicis, in quibus de his agetur magis ex professo.

4. Terminum vero appello, in quem dissolvitur propositio, ut attributum et id cui attribuitur, sive adjiciatur sive separetur verbum esse vel non esse.

5. Syllogismus autem est oratio, in qua quibusdam positis aliud quiddam diversum ab his, quæ posita sunt, necessario accidit eo quod hæc sunt. Dico autem eo, quod hæc sunt, propter hæc evenire. Ac propter hæc evenire intelligo, nullo externo termino opus esse, ut sit necessaria consecutio.

6. Perfectum igitur syllogismum appello eum, qui præter ea quæ accepta sunt, nulla alia re indiget, ut necessitas consecutionis appareat. Imperfectum voco eum, qui una re pluribusve indiget, quæ quidem per suppositos terminos sunt necessaria, non tamen sumpta sunt per propositiones.

7. In toto autem altero alterum esse, et alterum alteri omni attribui, idem est. Dicimus autem omni attribui, quando nihil subjecti accipere licet, de quo alterum non dicatur; ac nulli attribui accipitur eodem modo.

4. Terminum definit Aristoteles per hæc verba : *terminum appello, in quem dissolvitur propositio ut attributum et id cui attribuitur, sive adjiciatur sive separetur verbum esse vel non esse*; seu : terminus est, in quem resolvitur propositio, tanquam in prædicatum et subjectum, affirmatum et negatum. Ly enim *sive adjiciatur sive separetur verbum esse vel non esse*, significat, apposita affirmatione per verbum *est*, vel negatione per

non est. Unaquæque enim res ultimo resolvitur in ea, ex quibus primo componitur, eo pacto, quo quia mista primo componuntur ex elementis, ultimo resolvuntur in elementa; sed propositio primo componitur ex terminis; ergo ultimo resolvitur in terminos, qui sunt prædicatum et subjectum.

5. Syllogismus est *oratio, in qua quibusdam positis aliud quiddam diversum ab his quæ posita sunt, necessario accidit, eo quod hæc sunt.* Tres igitur conditiones requiruntur ad syllogismum. Prima est, ut conclusio necessario sequatur ex dispositione præmissarum. ita ut posita tali dispositione in quacumque materia semper sequatur; hoc autem est conclusionem sequi ratione formæ, et non ratione solius materiæ. Secunda conditio est, ut conclusio sit enuntiatio distincta a præmissis, et hoc significat ly *aliud quid.* Tertia est, ut sequatur, *quia hæc sunt,* ita ut ad hoc, ut conclusio sequatur necessario, non debeat addi alius terminus neque alia propositio.

6. Syllogismus perfectus est, *cui nihil addi debet præter propositiones assumptas, non solum ad hoc, ut conclusio sequatur necessario, sed neque ad hoc, ut evidenter appareat conclusionem sequi necessario;* præcise enim ex dispositione terminorum et præmissarum evidenter apparet necessitas conclusionis. Syllogismus imperfectus est, *cui licet nihil addi debeat ad hoc, ut conclusio sequatur necessario, tamen ad hoc, ut evidenter appareat talis necessitas, debet addi aliquid, quod licet sequatur necessario ex dispositione terminorum et propositionum, adhuc non est assumptum.* Hoc autem, quod debet addi, est vel conversio propositionum, vel transpositio vel sumptio contradictoriæ, ex quibus manifestum fit, conclusionem necessario sequi ex positis præmissis. Omnes syllogismi, præter primos quatuor primæ figuræ, sunt imperfecti, ut patebit inferius.

7. In toto esse vel non esse est *prædicatum affirmari vel negari de omni subjecto.* Dici vero de omni est, *cum nihil sub subjecto potest sumi, de quo non dicatur prædicatum.* Dici de nullo est, *cum nihil sub subjecto potest sumi, de quo non negetur prædicatum.* Ex. gr., in hac propositione : *omnis homo est animal, animal* dicitur de omni homine, quia nihil potest sumi, quod sit homo et non sit animal; in hac propositione : *nullus homo est equus, equus* dicitur de nullo homine, quia nullus homo potest sumi, de quo equus non negetur.

CAPUT II.

DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM DE INESSE.

1. [2] Cum autem omnis propositio significet aut inesse aut necessario inesse aut contingere inesse, harumque aliæ sint affirmativæ aliæ negativæ in quavis attribuendi ratione, ac rursus affirmativarum et negativarum aliæ sint universales, aliæ in parte, aliæ indefinitæ,

2. Propositionem de eo quod inest universalem privativam necesse est terminis reciprocatis converti, ut: si nulla voluptas est bonum, etiam nullum bonum erit voluptas. Attributivam autem converti quidem necesse est, non tamen universaliter, sed in parte, ut : si omnis voluptas est bonum, necesse est etiam quoddam bonum esse voluptatem. Ex particularibus vero affirmativam necesse est in parte converti; nam si quædam voluptas est bonum, etiam quoddam bonum erit voluptas. Privativam autem converti non est necesse. Non enim, si homo non inest cuidam animali, propterea etiam animal non inest cuidam homini.

Positis definitionibus et principiis, in quibus fundatur scientia syllogizandi, descendit Aristoteles ad tradendam talem scientiam, et quia per conversionem propositionum fit manifestum, syllogismos imperfectos necessario concludere, tradit et probat regulas conversionum.

1. Præmittit propositiones alias esse de inesse, alias modales, in quibus nimirum explicatur, an prædicatum insit vel non insit subjecto necessario vel contingenter. Rursus præmittit, propositiones alias esse affirmativas, alias negativas, alias universales, alias particulares, alias indefinitas, ut explicatum est cap. I, num. 2. et lib. I. Periherm. cap. IV.

2. His præmissis tradit quatuor regulas de conversionibus propositionum de inesse. *Prima regula* est : universalis negativa convertitur simpliciter, hoc est in aliam universalem negativam. Si enim *nulla voluptas est bonum,* sequitur necessario : *ergo nullum bonum est voluptas.*

Secunda regula est: universalis affirmativa convertitur per accidens, hoc est in particularem affirmativam; ex. gr., *si omnis voluptas est bonum,* sequitur necessario : ergo *aliquod bonum est voluptas.*

Tertia regula est : particularis affirmativa convertitur simpliciter, hoc est in aliam particularem affirmativam ; si enim *aliqua voluptas est bonum*, sequitur necessario : ergo *aliquod bonum est voluptas.*

Quarta regula est : particularis negativa non convertitur; nam ex eo, quod *aliquod animal non sit homo*, non sequitur : ergo *aliquis homo non est animal*, cum de facto *omnis homo sit animal*. Conversionem per contrapositionem, quam addiderunt Summulistæ, Aristoteles omittit, quia non conducit ad reductionem syllogismorum.

3. Primum igitur propositio α β sit privativa universalis. Si igitur nulli β τὸ α inest, etiam nulli α τὸ β inerit. Nam si alicui insit, exempli causa τῷ γ, non erit verum quod dictum est, nulli β τὸ α inesse, quia τὸ γ est aliquid τῶν β.

4. At si τὸ α inest omni β, etiam τὸ β inerit cuidam α. Nam si nulli insit, etiam τὸ α nulli β inerit; sed supponebatur omni inesse.

5. Similiter fit conversio, si propositio sit particularis. Nam si τὸ α inest alicui β, necesse est etiam τὸ β inesse alicui α, quia, si nulli insit, etiam τὸ α nulli β inerit.

6. Si vero τὸ α alicui β non inest, non est necesse ut etiam τὸ β alicui α non insit, ut si τὸ β est animal ac τὸ α est homo, quoniam homo quidem non omni animali, animal vero omni homini inest.

3. *Demonstratur prima regula*, quod universalis negativa convertitur simpliciter. Et quidem Aristoteles exemplificat in litteris, nos autem majoris claritatis gratia exemplificabimus in terminis realibus. Sit igitur hæc negativa, *nullus homo est equus*, sequitur ex necessitate, *ergo nullus equus est homo*. — Probatur, quia tunc consequens sequitur necessario ex antecedente, cum ex falsitate consequentis sequitur necessario falsitas antecedentis; sed ex falsitate hujus consequentis, *nullus equus est homo*, sequitur falsitas illius antecedentis, *nullus homo est equus*; ergo etc. — Probatur minor : si enim falsa est hæc, *nullus equus est homo*, vera est contradictoria, *aliquis equus*, qui vocetur, *est homo*; ergo jam potest sumi aliquid, quod sit homo et equus; nam equus, qui est homo, est etiam equus; ergo falsum est, quod *nullus homo sit equus*, seu quod nihil, quod est homo, sit equus; nam equus, qui est homo, est equus; ergo ex falsitate hujus consequentis, *nullus equus est homo*, sequitur falsitas illius antecedentis, *nullus homo est equus*; ergo si est verum antecedens, *nullus homo est equus*, est etiam verum consequens, *nullus equus est homo*, adeoque universalis negativa convertitur simpliciter.

4. *Demonstratur secunda regula*, quod universalis affirmativa convertatur per accidens in particularem affirmativam. Sit enim hæc : *omnis homo est animal*, sequitur ex necessitate, quod *aliquod animal est homo*. — Probatur. Si falsum est, quod *aliquod animal est homo*, falsum est etiam quod *omnis homo est animal*; ergo, etc. — Probatur antecedens. Si falsum est, *aliquod animal est homo*, vera est contradictoria, *nullum animal est homo*; sed si vera est hæc, *nullum animal est homo*, est vera etiam conversa, *nullus homo est animal*, ut num. 3 est demonstratum, et per consequens falsum est, quod *omnis homo sit animal*, cum contrariæ non possint esse simul veræ; ergo si falsum est, *quod aliquod animal est homo*, falsum est etiam, quod *omnis homo est animal*; ergo si verum est, quod *omnis homo est animal*, sequitur ex necessitate, quod *aliquod animal sit homo*, adeoque universalis affirmativa convertitur per accidens in particularem affirmativam.

5. *Demonstratur tertia regula*, quod particularis affirmativa convertatur simpliciter in aliam particularem affirmativam. Sit enim hæc : *aliquis homo est albus*, sequitur ex necessitate, *aliquod album est homo*. Si enim hæc est falsa, vera est contradictoria, *nullum album est homo*, et per consequens conversa, *nullus homo est albus*; sed hæc est contradictoria illius, *aliquis homo est albus*, contradictoriæ vero non possunt simul verificari; ergo si falsum est, quod *aliquod album est homo*, falsum est etiam, quod *aliquis homo est albus*; ergo si verum est, quod *aliquis homo est albus*, ex necessitate est verum, quod *aliquod album est homo*; ac proinde particularis affirmativa convertitur simpliciter.

6. *Demonstratur* denique *quarta regula*, quod particularis negativa non convertitur. Sit enim hæc : *aliquod animal non est homo*, non sequitur ex necessitate : ergo *aliquis homo non est animal*. Falsum enim non potest sequi necessario ex vero; sed quod *aliquis homo non sit animal* est falsum; ergo non potest sequi necessario ex eo, quod *aliquod animal non sit homo*, quod est verum.

CAPUT III

DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM MODALIUM DE NECESSARIO.

1. [3] Eodem autem modo res se habebit etiam in necessariis propositionibus. Universalis enim privativa universaliter convertitur. Affirmativarum autem utraque convertitur in parte.

2. Nam si necesse est τὸ α inesse nulli β, necesse est etiam τὸ β inesse nulli α, quia, si alicui accidit, etiam τὸ α accidet alicui β.

3. Quod si necessario τὸ α insit omni aut alicui β, necesse est etiam τὸ β inesse alicui α, quia, nisi necesse sit inesse, neque τὸ α necessario inerit alicui β.

4. Quod vero est in parte privativum, ob eam ipsam, quam prius diximus causam, non convertitur.

1 Traditis ac demonstratis regulis conversionum propositionum de inesse, tradit Aristoteles ac demonstrat regulas circa conversiones propositionum modalium, ac primo circa conversiones modalium de necessario.

Prima regula est : in propositionibus, in quibus affirmatur *necesse esse* de dicto universali negativo, dictum convertitur simpliciter; ex. gr., si *necesse est nullum hominem esse equum, necesse est nullum equum esse hominem.*

Secunda regula est : in propositionibus, in quibus affirmatur *necesse esse* de dicto affirmativo universali vel particulari, dictum convertitur particulariter; ex gr., *si necesse est omnem vel aliquem hominem esse animal, necesse est aliquod animal esse hominem.*

Tertia regula est : in propositionibus de necessario, quarum dictum est particulare negativum, dictum nullo modo convertitur; ex. gr., ex eo quod *necesse sit aliquod animal non esse hominem,* non sequitur, *necesse esse ut aliquis homo sit animal.*

2. Demonstratur prima regula. Sit enim hæc propositio, *necesse est nullum hominem esse equum,* sequitur : *ergo necesse est nullum equum esse hominem.* Tum enim consequens necessario sequitur ex antecedente, quando ex falsitate consequentis sequitur necessario falsitas antecedentis; sed ex falsitate hujus, *necesse est nullum equum esse hominem,* sequitur falsitas illius, *necesse est nullum hominem esse equum*; ergo, etc.—Probatur minor. Si enim est falsa hæc, *necesse est nullum equum esse hominem,* est vera contradictoria, quæ est, *non necesse est nullum equum esse hominem,* seu *contingens est aliquum equum esse hominem,* quæ æquipollet illi. Hic equus, quem contingens est esse hominem, vocetur C; si contingens est equum C esse hominem, contingens est aliquid esse hominem simul et equum; ergo contingens est aliquem hominem esse equum; ergo falsa est contradictoria, quæ est, *necesse est nullum hominem esse equum*; ergo ex falsitate hujus, *necesse est nullum equum esse hominem,* sequitur falsitas illius, *necesse est nullum hominem esse equum;* ergo si vera est hæc, *necesse est nullum hominem esse equum,* est etiam vera hæc, *necesse est nullum equum esse hominem,* adeoque prima regula est vera.

3. Demonstratur secunda regula. Sit enim hæc propositio, *necesse est omnem hominem vel aliquem hominem esse animal,* sequitur hæc, *ergo necesse est aliquod animal esse hominem*; si enim hæc est falsa, est vera contradictoria, *contingit nullum animal esse hominem;* ergo contingit etiam nullum hominem esse animal; cum enim contingit aliquid, contingit id, quod necessario sequitur ex illo; sed si contingit nullum hominem esse animal, falsum est, quod sit necesse omnem vel aliquem hominem esse animal; cum enim contingit aliquam propositionem esse veram, non est necesse veram esse contrariam vel contradictoriam illius; contrariæ siquidem et contradictoriæ non possunt simul verificari; ergo ex falsitate hujus, *necesse est aliquod animal esse hominem,* sequitur falsitas illarum, *necesse est omnem vel aliquem hominem esse animal*; ergo ex veritate istarum, *necesse est omnem vel aliquem hominem esse animal,* sequitur hæc, *necesse est aliquod animal esse hominem,* ac proinde secunda regula est vera.

4. Demonstratur jam tertia regula, quia ex hac vera, *necesse est aliquod animal non esse hominem,* non sequitur hæc falsa, *necesse est aliquem hominem non esse animal;* verum enim non sequitur necessario ex falso.

Possunt brevius probari istæ regulæ, quia cum necesse est aliquod dictum esse verum, necesse est esse verum omne id, quod necessario sequitur ex tali dicto; sed dictum universale negativum necessario convertitur in aliud dictum universale negativum; dictum affimativum universale vel particulare

necessario convertitur in aliud dictum particulare; dictum particulare negativum non convertitur ullo pacto, ut demonstratum est capite secundo; ergo, si necesse est esse verum dictum universale negativum, necesse est etiam esse verum dictum universale, in quod convertitur; si necesse est esse verum dictum universale vel particulare affirmativum, necesse est esse verum dictum particulare affirmativum, in quod convertuntur; si vero necesse est esse verum dictum particulare negativum, non necesse est verum aliud dictum, in quod convertatur, cum dictum particulare negativum converti non possit.

CAPUT IV

DE CONVERSIONE PROPOSITIONUM MODALIUM DE CONTINGENTI.

1. Quod attinet ad contingentia, quoniam contingere dicitur multifariam (contingere enim dicimus et quod est necessarium, et quod non est necessarium, et quod est possibile),

2*. In affirmativis omnibus similis erit convertendi ratio. Nam si τὸ α accidit omni aut alicui β, etiam τὸ β accidet alicui α, quia, si nulli accideret, etiam τὸ α accideret nulli β, quandoquidem hoc antea demonstratum est.

3. In negantibus res non itidem se habet. Sed quæ dicuntur contingere vel quia necessario non insunt, vel quia non necessario insunt, similiter reciprocantur ut superiora. Ut, si quis contingere dicat, hominem non esse equum, aut nulli vestimento album inesse; horum enim alterum necessario non inest, alterum non necessario inest. Et similiter convertitur propositio. Si enim nulli homini accidit equum esse, etiam hominem esse accidit nulli equo ; et si album accidit nulli vestimento, etiam vestimentum accidit nulli albo, quia si cuidam albo vestimentum necessario insit, etiam album cuidam vestimento necessario inerit, quoniam hoc antea demonstratum fuit. Similiter se res habet in propositione particulari negativa.

1. Traditis regulis circa conversiones modalium de necessario, tradit Aristoteles regulas circa conversiones modalium de contingenti. Præmittit tripliciter dici contingens. *Primo* dicitur contingere ut aliquid sit, quia necessario est; ex. gr., dicitur, contingit Deum esse, quia necessario est. *Secundo* dicitur contingere, ut aliquid sit, quia est non necessario; ex. gr., dicitur, contingit hominem esse, quia homo, licet sit, non necessario est, sed potest non esse. *Tertio* dicitur contingens ipsum possibile esse abstrahendo ab hoc, quod sit necessario vel non necessario; ex. gr., contingit ens esse abstrahendo ab hoc, quod ens sit necessario, ut Deus, vel non necessario, ut creaturæ.

2. His positis *prima regula est*: in propositionibus, in quibus affirmatur contingens esse de dicto affirmativo universali vel particulari, dictum convertitur particulariter sicut in propositionibus de inesse vel de necessario ; ex. gr., *si contingens est omnem vel aliquem hominem esse album, contingens est etiam aliquod album esse hominem*.

Demonstratur. Sit enim hæc propositio : *contingens est omnem vel aliquem hominem esse album*, sequitur : *ergo contingens est aliquod album esse hominem*. Cum enim ex falsitate consequentis sequitur necessario falsitas antecedentis, tum ex antecedenti sequitur necessario consequens; sed ex falsitate hujus consequentis, *contingit aliquod album esse hominem*, sequitur falsitas antecedentis, *contingit omnem vel aliquem hominem esse album* : ergo, etc. — Probatur minor. Si enim falsa est hæc, *contingit aliquod album esse hominem*, est vera ejus contradictoria, *non contingit aliquod album esse hominem*, quæ æquivalet huic, *necesse est nullum album esse hominem;* sed si necesse est nullum album esse hominem, necesse est nullum hominem esse album, ut dictum est cap. III, num. 1. in prima regula de necessario; ergo ex falsitate hujus, *contingit aliquod album esse hominem*, sequitur veritas hujus, *necesse est nullum hominem esse album;* sed hæc propositio, *necesse est nullum hominem esse album*, opponitur contradictorie vel contrarie illis, *contingens est omnem vel aliquem hominem esse album*, adeoque non potest esse vera, quin illæ sint falsæ; ergo ex falsitate hujus consequentis, *contingit aliquod album esse hominem*, sequitur falsitas illius antecedentis, *contingit omnem vel aliquem hominem esse album ;* ergo ex hoc antecedente sequitur necessario illud consequens, adeoque regula est vera.

3. *Secunda regula* est : in propositionibus de dicto universali negativo, in quibus contingens sumitur primo vel secundo modo pro necessario vel non necessario, dictum convertitur simpliciter sicut in propositionibus de inesse

et de necessario. Ex. gr., hæc propositio, *contingens est nullum hominem esse equum, quia homo ex necessitate non est equus*, convertitur in hanc, *contingens est nullum equum esse hominem*; et similiter hæc propositio, *contingens est nullam tunicam esse albam, quia non est necessarium ut tunica sit alba*, convertitur in hanc, *contingens est nullum album esse tunicam*.

Demonstratur. Si enim falsa est hæc, *contingit nullum equum esse hominem*, vel *contingit nullum album esse tunicam*, vera est contradictoria, *necesse est aliquem equum esse hominem*, *necesse est aliquod album esse tunicam*; sed hæ convertuntur in has, *necesse est aliquem hominem esse equum, necesse est aliquam tunicam esse albam*, ut dictum est cap. III, num. 1, in secunda regula de necessario; ergo si illæ sunt falsæ, istæ sunt veræ, *necesse est aliquem hominem esse equum*; *necesse est aliquam tunicam esse albam*; sed istæ opponuntur contradictorie illis antecedentibus, *contingit nullum hominem esse equum, contingit nullam tunicam esse albam*; ergo illa antecedentia sunt falsa; ergo ex falsitate consequentis sequitur falsitas antecedentis; ergo ex antecedenti necessario sequitur consequens, adeoque regula est vera.

4. Quæ vero eo quod plerumque eveniunt et ita natura sunt comparata, contingere dicuntur (quomodo definimus contingens), non similiter se habebunt in privativis conversionibus, sed propositio universalis privativa non convertitur. Quæ vero est in parte, convertitur. Hoc autem perspicuum erit, cum de contingente dicemus;
5. in præsentia hoc tantum præter ea, quæ dicta sunt, manifestum esto, quod contingere nulli inesse aut alicui non inesse affirmativam figuram habet. Nam verbum *contingit* similiter ponitur in oratione ut verbum *est*; verbum autem est, quibuscumque attributis adjiciatur, semper et omnino affirmationem facit, ut : est non bonum, vel : est non album, vel, ut simpliciter et uno verbo dicam : est non hoc. Sed ex sequentibus etiam hoc confirmabitur. Quod vero attinet ad conversiones, hæ similiter se habebunt ut aliæ.

4. *Tertia regula est :* si contingens sumatur pro eo, quod, licet plerumque debeat evenire, adhuc tamen potest non evenire, vel pro eo, quod est omnino indifferens ad hoc ut eveniat vel non eveniat, ut dicetur inferius cap. XIII, propositiones de dicto negativo universali non convertuntur simpliciter ; at propositiones de dicto negativo particulari, convertuntur simpliciter, ut eo loco probabitur.

5. Advertit Aristoteles quod, licet propositiones de dicto negativo videantur negativæ, adhuc vere propositiones, in quibus modus affirmatur, sunt affirmativæ, licet dictum sit negativum; ex gr., hæc, *contingens est nullum vel aliquem hominem esse album*, est affirmativa. Ratio est, quia sicut propositiones de inesse. in quibus verbo *est* non præponitur negatio, sunt affirmativæ, licet negatio præponatur prædicato, ideoque hæc propositio, *est non bonum*, est affirmativa ; sic propositiones modales, in quibus verbo *est* non præponitur negatio, sunt affirmativæ; sed in istis propositionibus, *necesse est, contingens est, nullum hominem esse equum*, verbo *est* non præponitur negatio ; ergo istæ propositiones sunt affirmativæ, licet de dictis negativis.

CAPUT V

DE PRIMA FIGURA ET EJUS MODIS DIRECTIS UTILIBUS ET INUTILIBUS

1. [4] His definitis, jam dicamus ex quibus, et quando, et quomodo fiat omnis syllogismus. Posterius autem dicendum de demonstratione. Prius enim de syllogismo dicendum est quam de demonstratione, quia syllogismus est magis universalis ; etenim demonstratio est syllogismus quidam, sed non omnis syllogismus est demonstratio.
2. Cum igitur tres termini ita inter se affecti sunt, ut extremus sit in toto medio et medius in toto primo sit vel non sit, necesse est extremorum esse syllogismum perfectum.
3. Voco autem medium, quod et ipsum est in alio, cum aliud in ipso sit, et positione quoque sit medium. Extrema autem appello et id quod est in alio, et id in quo est aliud.
4. Nam si τὸ α attribuitur omni β et τὸ β omni γ, necesse est τὸ α attribui omni γ, ante enim expositum est, quomodo de omni dicamus.
5. Similiter etiam si τὸ α attribuatur nulli β ac τὸ β omni γ, τὸ α nulli γ inerit.

1. Positis principiis, ex quibus dependet tota doctrina de syllogismis perfectis et imperfectis, descendit Aristoteles ad tradendam talem doctrinam. Præmittens igitur, quod prius in libris Priorum agendum est de syllogismo, qui est genus demonstrationis, deinde in libris Posteriorum de demonstratione, quæ est species syllogismi, incipit agere de figuris et modis syllogismorum.

2. *Prima* ergo *conclusio* est : quando tres termini disponuntur ita, ut ultimus sit et contineatur in toto medio, ita ut medius affirmetur universaliter de ultimo, medius vero sit vel non sit in toto primo, ita ut primus universaliter affirmetur aut negetur de medio; tum necesse est perfectum esse syllogismum, in quo concludatur ex necessitate primum de ultimo, affirmando vel negando primum universaliter de ultimo.

3. Ut demonstret conclusionem, declarat Aristoteles, quid in hac figura intelligatur nomine termini primi, medii et ultimi. Terminus primus est, qui in propositionibus seu præmissis solum prædicatur; terminus ultimus est, qui solum subjicitur; terminus medius etiam positione est, qui medium tenet situm, ita ut in una præmissa prædicetur de termino ultimo, in altera subjiciatur termino primo, ideoque cum sit posterior primo et prior ultimo, medium tenet locum. Terminum primum, qui vocatur majus extremum, designat Aristoteles per litteram A, terminum medium per litteram B, terminum ultimum, qui vocatur minus extremum per litteram C,

4. *Demonstratur conclusio.* Tres termini : vivens, animal, homo, disponantur ita, ut dicatur : *omne animal est vivens; omnis homo est animal,* sequitur ex necessitate : *ergo omnis homo est vivens.* Dicendo enim, *omne animal est vivens, vivens* dicitur de omni animali; sed dici de omni animali est, quod nihil possit sumi, quod sit animal et non sit vivens, ut dictum est cap. I, num. 8, explicando principium *dictum de omni;* ergo cum sumatur, quod *omnis homo est animal,* necesse est, ut omnis homo sit vivens.

5. Similiter tres termini : planta, animal, homo, disponantur ita, ut dicatur : *nullum animal est planta; omnis homo est animal,* sequitur ex necessitate : *ergo nullus homo est planta.* Dicendo enim, *nullum animal est planta,* significatur, nihil posse sumi, quod sit animal, de quo non negetur planta; sed sumitur, quod *omnis homo est animal*; ergo sequitur, quod de omni homine negetur planta, dicendo, *nullus homo est planta ;* ergo ex principiis, *dictum de omni, et dictum de nullo,* et ex definitione syllogismi demonstratur, quod disponendo terminos modo explicato, fit syllogismus, hoc est oratio, in qua positis præmissis necessario sequitur conclusio propter ipsam dispositionem præmissarum et terminorum.

6. Si vero primum omni medio sit consequens, medium autem nulli extremo insit, non erit syllogismus extremorum, quia nihil necessario evenit, eo quod hæc sint. Accidit enim, ut primum et omni et nulli extremo insit ; unde nec particularis nec universalis conclusio necessario colligitur. Cum autem nihil necessario colligatur, ex his non erit syllogismus. Termini conclusionis omni inesse sint hi, animal-homo-equus, conclusionis nulli inesse, animal-homo-lapis.

6. *Secunda conclusio* est : si termini ita disponantur, ut primum affirmetur universaliter de medio, medium vero negetur universaliter de ultimo, non fit syllogismus, quia non sequitur ex necessitate, majus extremum posse affirmari aut negari de minori extremo.

Demonstratur. Tum ex tali dispositione terminorum et præmissarum non sequeretur ulla conclusio affirmativa vel negativa majoris extremi de minori extremo, quando posita tali dispositione possent præmissæ esse veræ, et tamen esse falsa omnis conclusio tum affirmativa tum negativa majoris extremi de minori extremo; sed posita tali dispositione præmissarum potest esse falsa omnis conclusio tum affirmativa tum negativa; ergo, etc. — *Probatur minor.* Tum posset esse falsa omnis conclusio negativa, cum, posita veritate præmissarum, majus extremum esset universaliter affirmabile de minori extremo; sed possunt præmissæ esse veræ, et adhuc majus extremum esse universaliter affirmabile de minori extremo ; ergo, etc. — *Probatur minor.* Termini enim, *animal, homo, equus,* disponantur ita, ut animal universaliter affirmetur de homine, et homo universaliter negetur de equo, dicendo, *omnis homo est animal; nullus equus est homo,* non sequitur : *ergo nullus equus est animal, vel aliquis equus non est animal,* quia de facto omnis equus est animal ; ergo posita tali dispositione præmissarum possunt præmissæ esse veræ, et omnis conclusio negativa majoris extremi de minori extremo esse falsa, adeoque non sequitur ulla conclusio negativa. Similiter non sequitur ulla conclusio affirmativa, quia possunt præmissæ esse veræ, et majus extremum esse universaliter negabile de minori extremo, adeoque esse falsa omnis propositio affirmativa majoris extremi de

minori extremo, ut patet in his terminis, *animal, homo, lapis.* Si enim dicatur : *omnis homo est animal; nullus lapis est homo,* præmissæ sunt veræ, et tamen non sequitur : *ergo omnis vel aliquis lapis est animal,* quia de facto nullus lapis est animal.

7. Neque tunc erit syllogismus, cum et primum nulli medio et medium nulli extremo inest. Termini conclusionis affirmantis sint hi, scientia-linea-medicina, negantis, scientia-linea-unitas.

8. Cum igitur termini sunt universales, manifestum est, in hac figura quando erit et quando non erit syllogismus; et si sit syllogismus, necesse esse, ut termini eo quo diximus modo se habeant. Constat etiam, si ita se habeant, fore syllogismum.

7. *Tertia conclusio* est : si primum seu majus extremum negetur universaliter de medio, et medium negetur universaliter de ultimo seu minori extremo, non fit syllogismus. — *Demonstratur.* Sint enim termini, *scientia, linea, medicina,* ac disponantur dicendo, *nulla linea est scientia; nulla medicina est linea,* præmissæ sunt veræ, et tamen non sequitur conclusio negativa : *ergo nulla medicina est scientia,* vel *aliqua medicina non est scientia,* cum de facto *omnis medicina sit scientia.* Rursus sint termini, *scientia, linea, unitas,* et disponantur : *nulla linea est scientia; nulla unitas est linea,* præmissæ sunt veræ, et tamen non sequitur conclusio affirmativa universalis vel particularis : *ergo omnis vel aliqua unitas est linea,* cum de facto nulla unitas sit linea; ergo cum posita tali dispositione extremorum cum medio, possit contingere, ut majus extremum possit universaliter affirmari de minori extremo, et possit universaliter negari de minori extremo; ex tali dispositione non sequitur necessario ulla conclusio affirmativa vel negativa majoris extremi de minori extremo.

8. Colligitur ex dictis, per quos modos universales in hac prima figura fiat syllogismus, per quos non fiat. Propositiones seu præmissæ universales in hac prima figura variari possunt quatuor modis secundum affirmationem et negationem. *Primus modus* est, ut utraque præmissa sit universalis affirmativa; *secundus,* ut utraque sit universalis negativa; *tertius,* ut minor, hoc est præmissa, in qua medium prædicatur, sit affirmativa; major vero hoc est, in qua medium subjicitur, sit negativa; *quartus* ut e converso minor, hoc est præmissa, in qua medium prædicatur, sit negativa, major vero, hoc est præmissa, in qua subjicitur, sit affirmativa. Ex his quatuor modis duo concludunt ex necessitate adeoque constituunt syllogismum; primus nimirum, qui est *Barbara,* et tertius, qui est *Celarent;* duo non concludunt directe nec constituunt syllogismum directum, secundus nimirum, in quo utraque præmissa est universalis negativa, qui posset vocari *Celerent,* et quartus, in quo major est universalis affirmativa, et minor universalis negativa, qui posset vocari *Calerent.* Hic tamen quartus modus concludit indirecte et est *Fapesmo,* uti dicetur suo loco.

9. At si terminorum alius sit universaliter, alius in parte erga alterum affectus, cum universale adjungitur majori extremo, sive attributivum sive privativum, particulare autem minori extremo attributivum, necesse est syllogismum esse perfectum. Cum autem universale adjungitur minori extremo, aut quovis alio modo termini se habent, impossibile est esse syllogismum. Majus extremum appello in quo medium est, minus autem quod est sub medio.

10. Insit enim τὸ α omni β ac τὸ β alicui γ, igitur si omni potest attribui, est id quod initio dictum fuit, necesse est τὸ α alicui γ inesse. Et si τὸ α nulli β inest ac τὸ β alicui γ, necesse est τὸ α alicui γ non inesse. Nam et quomodo nulli attribui dicamus, definitum est. Quare erit syllogismus perfectus. Similiter etiam concludetur, si propositio β γ sit indefinita, cum sit attributiva. Nam idem erit syllogismus, sive indefinita sive in parte sumatur.

9. Postquam Aristoteles explicavit, quinam modi universales in prima figura concludant vel non concludant, descendit ad explicandum, quinam modi misti ex altera præmissa universali et altera particulari concludant vel non concludant. *Quarta* ergo *conclusio* est : cum major, in qua nimirum medium subjicitur majori extremo, est universalis affirmativa vel negativa, minor vero, in qua nimirum medium prædicatur de minori extremo, est particularis affirmativa, fit syllogimus, ex quo infertur aliqua conclusio directa; per omnes alias combinationes universalis cum particulari non infertur ex necessitate ulla conclusio directa, adeoque non fit syllogismus directus. Explicat autem Aristoteles I, quid sit majus extremum, et quid sit minus extremum. Majus extremum, quod supra vocavit primum terminum, est cui medium subjicitur ut

prædicato, in quo est; minus extremum est quod subjicitur medio.

10. *Demonstratur prima pars* conclusionis, quod nimirum cum major est universalis affirmativa vel negativa, minor vero est particularis affirmativa, fit syllogismus. Sint enim tres termini, *animal, homo, album,* qui disponantur ita, ut animal dicatur de omni homine per hanc propositionem, *omnis homo est animal; homo* vero dicatur de aliquo *albo* per hanc propositionem, *aliquod album est homo,* sequitur ex necessitate, quod animal dicatur de aliquo albo, adeoque infertur *: ergo aliquod album est animal.* Rursus sint tres termini, *equus, homo, albus,* qui disponantur ita, ut equus negetur de omni homine, homo vero affirmetur de aliquo albo, dicendo : *nullus homo est equus; aliquod album est homo,* sequitur ex necessitate : *ergo aliquod album non est equus.* Patet, nam si animal dicitur de omni homine, nihil potest sumi, quod sit homo et non sit animal, hoc enim significat *dictum de omni*; sed sumitur in minori, quod *aliquod album est homo*; ergo sequitur ex necessitate, quod *aliquod album est animal.* Rursus si equus de nullo dicitur homine, nihil potest sumi, quod sit homo, de quo equus non negetur; sed in minori sumitur, quod *aliquod album est homo*; ergo sequitur ex necessitate, quod *aliquod album non sit equus.* Addit Aristoteles, quod, sicut sequitur conclusio, si minor sit particularis, sic sequitur, si minor sit indefinita, et si loco dicendi, ex. gr., *aliquod album est homo,* dicatur, *album est homo,* sequetur conclusio indefinita, *ergo album est animal,* vel *ergo album non est equus.*

11. Quod si minori extremo universale adjiciatur vel attributivum vel privativum, non erit syllogismus, sive indefinita particularisve propositio affirmet sive neget, ut si τὸ α alicui β inest vel non inest, ac τὸ β omni γ inest. Termini conclusionis affirmantis hi sunto, bonum-habitus-prudentia, negantis, bonum-habitus-inscitia.

12. Rursus si τὸ β nulli γ inest, ac τὸ α alicui β inest, aut non inest, aut non omni inest, ne ita quidem erit syllogismus. Termini conclusionis omni inesse, album-equus-cygnus, nulli inesse, album-equus-corvus. Iidem termini sumantur, si pronuntiatum α β sit indefinitum.

13. Sed neque tunc erit syllogismus, cum majori extremo universale adjicitur vel attributivum vel privativum, minori autem extremo privativum secundum partem, sive indefinitum sive in parte sumatur, ut si τὸ α omni β inest, ac τὸ β alicui γ non inest, aut non omni inest. Nam cui non inest medium, huic et omni et nulli consequens erit primum. Supponantur enim termini, animal-homo-album, deinde ex iis albis, quibus homo non attribuitur, sumatur cygnus et nix. Igitur animal illi quidem omni, huic vero nulli attribuitur. Quare non erit syllogismus.

14. Rursus τὸ α nulli β insit, ac τὸ β alicui γ non insit, sintque hi termini, inanimatum-homo-album, deinde accipiantur alba, quibus homo non attribuitur, cygnus et nix. Inanimatum enim huic quidem omni attribuitur, illi vero nulli.

15. Præterea cum hoc sit indefinitum, τὸ β non inesse alicui γ (sive enim nulli sive non omni insit, vere dicitur alicui non inesse). Sumptis autem hujusmodi terminis ita ut nulli insit, non fiat syllogismus; hoc enim antea dictum fuit. Apparet igitur, ita positis terminis ut alicui non insit, non fore syllogismum; alioqui syllogismus esset etiam in illis terminis, qui ita accipiebantur, ut nulli inesset. Similiter autem ostendetur, et si universale ponatur privativum.

11. *Demonstratur secunda pars* conclusionis, quod per omnes alias combinationes universalis cum particulari vel indefinita non fiat syllogismus, ex quo sequatur ulla conclusio directa, discurrendo per singulas combinationes. *Primo* si major sit particularis affirmativa vel negativa, minor sit universalis affirmativa, non fit syllogismus, in quo concludatur majus extremum esse affirmabile vel negabile de minori extremo, cum posita veritate præmissarum, et possit majus extremum esse universaliter negabile de minori extremo, et possit esse de illo universaliter affirmabile. Termini, in quibus patet non sequi ullam conclusionem negativam, sunt *bonum, habitus, prudentia.* Si enim dicatur : *aliquis habitus non est bonus, omnis prudentia est habitus,* non sequitur : *ergo nulla prudentia est bona, vel aliqua prudentia non est bona;* præmissæ enim sunt veræ, et utraque conclusio est falsa, siquidem *omnis prudentia est bona.* Termini, in quibus patet non sequi ullam conclusionem affirmativam, sunt *bonum, habitus, ignorantia.* Si enim dicatur : *aliquis habitus est bonus, omnis ignorantia est habitus,* non sequitur : *omnis vel aliqua ignorantia est bona;* siquidem præmissæ sunt veræ, utraque conclusio est falsa, cum nulla ignorantia sit bona. Idem dic. si loco majoris particularis sumatur indefinita.

12 *Secundo* si major sit particularis affirmativa vel negativa, minor universalis negativa, nihil sequitur directe, cum possint præmissæ esse veræ, et omnis

conclusio tum affirmativa tum negativa esse falsa. Termini, ex quibus patet omnem conclusionem negativam esse falsam sunt *album, equus, cygnus*. Si enim dicatur: *aliquis equus est albus, nullus cygnus est equus,* non sequitur : *ergo nullus cygnus est albus,* neque : *ergo aliquis cygnus non est albus,* cum omnis cygnus sit albus. Termini, ex quibus patet non sequi ullam conclusionem affirmativam, sunt *album, equus, corvus*. Si enim dicatur : *aliquis equus est albus, nullus corvus est equus,* non sequitur : *ergo omnis vel aliquis corvus est albus,* siquidem nullus corvus est albus. Idem dic, si loco majoris particularis sumatur major indefinita.

13. *Tertio* si major sit universalis affirmativa, minor particularis vel indefinita negativa, nihil sequitur directe. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *animal, homo, cygnus*. Si enim dicatur : *omnis homo est animal, aliquod album, puta cygnus, non est homo,* non sequitur : *ergo nullus cygnus est animal,* vel *aliquis cygnus non est animal,* cum omnis cygnus sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *animal, homo, nix*. Si enim dicatur : *omnis homo est animal, aliquod album, puta nix, non est homo,* non sequitur : ergo *omnis vel aliqua nix est animal,* cum nulla nix sit animal.

14. *Quarto* si major sit universalis negativa, minor particularis negativa, nihil sequitur. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *inanimatum, homo, animal*. Si enim dicatur : *nullus homo est inanimatus, aliquod animal* (*ut cygnus*) *non est homo,* non sequitur : *ergo omne vel aliquod animal (ut cygnus) est inanimatum,* cum nullum animal et nullus cygnus sit inanimatus. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *inanimatum, homo, nix*. Si enim dicatur : *nullus homo est inanimatus, aliqua nix non est homo,* non sequitur : *ergo nulla nix est inanimata,* neque : *ergo aliqua nix non est inanimata,* cum omnis nix sit inanimata.

15. Confirmat Aristoteles, quod ex minori particulari negativa, adjuncta majori universali affirmativæ nihil sequatur. Ex majori universali affirmativa et minori universali negativa nihil sequitur, ut dictum est conclusione secunda num. 6 ; sed est impossibile, ut aliqua conclusio sequatur ex particulari, quin sequatur ex universali, in qua continetur particularis; ergo etiam ex particulari negativa nulla seqnitur conclusio. — *Probatur minor,* quia est impossibile, ut conclusio sequatur ex aliqua propositione, et non sequatur ex alia propositione, quæ sufficit ad verificandam propositionem, ex qua sequitur ; sed particularis est indifferens ad hoc, ut verificetur etiam per universalem ; ex. gr., hæc : *aliquis homo non est albus*, verificatur etiam, si *nullus homo sit albus* ; ergo est impossibile, ut, si conclusio non sequitur necessario ex negativa universali, sequatur ex negativa particulari, quæ continetur in universali ; sed ex majori universali negativa et minori universali negativa nihil sequitur, ut dictum est conclusione secunda num. 6 ; ergo etiam ex majori universali negativa et ex minori particulari negativa nihil sequitur.

Patet ex dictis octo possibiles esse combinationes propositionum, quarum altera sit universalis, altera particularis, ex quibus duæ solæ sunt utiles, aliæ sex inutiles. Vel enim major est universalis et minor particularis ; vel e converso major est particularis, minor universalis. Si major est universalis, minor particularis, sunt possibiles quatuor combinationes, duæ utiles et duæ inutiles ; vel enim utraque est affirmativa, et est *Darii,* vel utraque est negativa, vel major est affirmativa, minor negativa, et nihil sequitur, ut dictum est num. 11 et 12, atque adeo isti duo modi sunt inutiles ; vel major est negativa, minor affirmativa, et est *Ferio*. Si major est particularis, minor universalis, possibiles sunt quatuor aliæ combinationes, omnes inutiles, cum ex majori particulari in prima figura non sequatur ulla conclusio directa ; ergo in prima figura si altera præmissa sit universalis, altera particularis, possibiles sunt octo modi, duo utiles, *Darii* et *Ferio,* alii sex inutiles.

16. Neque tum ullo modo erit syllogismus, cum ambo intervalla in parte affirmant aut negant, aut alterum affirmat alterum negat, aut alterum est indefinitum alterum definitum, aut ambo indefinita. Termini omnium communes sunto, animal-album-homo, animal-album-lapis. Ex his igitur, quæ dicta sunt, perspicuum est, si sit syllogismus particularis in hac figura, necesse esse, ut termini ita se habeant, ut diximus ; et si termini ita se habeant, necessario fieri syllogismum, aliter autem positis terminis nequaquam syllogismum fore.

16. *Quinta conclusio* pro omnibus modis constantibus ex utraque præmissa

particulari est, quod omnes sunt inutiles. Sunt autem possibiles quatuor modi ex utraque præmissa particulari. Vel enim utraque est affirmativa, vel utraque negativa; vel major affirmativa, minor negativa; vel major est negativa, minor affirmativa, De omnibus istis modis potest probari, quod non inferant ullam conclusionem negativam in his terminis *animal, album, equus*. Si enim utraque sit affirmativa, ex. gr., *aliquod album est animal, aliquis equus est albus*; et si utraque negativa, ex. gr., *aliquod album non est animal, aliquis equus non est albus*; et si major affirmativa, minor negativa, ex. gr., *aliquod album est animal, aliquis equus non est albus*; et si major negativa, minor affirmativa, ex. gr., *aliquod album non est animal, aliquis equus est albus*, licet omnes istæ præmissæ sint veræ, non infertur ulla conclusio negativa universalis vel particularis, *aliquis homo non est animal, vel nullus homo est animal*, cum utraque sit falsa, si quidem omnis homo est animal. De iisdem quatuor modis probari potest, quod nullam inferant conclusionem affirmativam, in his terminis *animal, album, lapis*. Nam si utraque sit affirmativa, ex. gr., *aliquod album est animal, aliquis lapis est albus;* et si utraque negativa, ex. gr., *aliquod album non est animal*; *aliquis lapis non est albus;* et si major affirmativa, minor negativa, ex. gr., *aliquod album est animal, aliquis lapis* non *est albus*; et si major sit negativa, minor affirmativa, ex. gr , *aliquod album non est animal, aliquis lapis est albus*, non sequitur ulla conclusio affirmativa universalis vel particularis, *omnis vel aliquis lapis est animal*; cum præmissæ sint veræ, omnis vero conclusio affirmativa sit falsa, siquidem *nullus lapis est animal*; ergo cum in prima figura sint possibiles sexdecim combinationes, quatuor nimirum si utraque præmissa sit universalis, quatuor si utraque sit particularis, quatuor si major universalis, minor particularis, quatuor si major sit particularis, minor universalis; quatuor solum sunt utiles ad faciendum syllogismum directum, hoc est in quo majus extremum concludatur ut prædicatum de minori extremo ut subjecto; hoc est *Barbara, Celarent, Darii, Ferio*; aliæ duodecim sunt inutiles, ut demonstratum est.

17. Constat etiam omnes syllogismos, qui in hac figura fiunt, esse perfectos, quoniam omnes perficiuntur per ea, quæ ab initio sumpta sunt. Item omnia problemata probari per hanc figuram, quia et omni et nulli et cuidam et non cuidam inesse probatur. Hujuscemodi vero figuram appello primam.

17. *Sexta et ultima conclusio* est : omnes quatuor modi utiles primæ figuræ sunt syllogismi perfecti, et per illos probari possunt omnia problemata. — Probatur prima pars conclusionis, quia syllogismus perfectus ex dictis cap. I, num. 6, est, qui nullo alio indiget præter præmissas assumptas, ut appareat necessitas conclusionis; sed omnes isti quatuor modi sunt hujusmodi; in majori enim dicitur prædicatum de omni vel nullo, in minori sumitur aliquid universaliter vel particulariter sub omni vel nullo; ergo, etc.

Secunda pars conclusionis probatur, quia omne problema est propositio vel universalis affirmativa, vel universalis negativa, vel particularis affirmativa, vel particularis negativa; sed singuli ex quatuor modis probant singulas ex quatuor dictis propositionibus; ergo, etc. Porro Aristoteles non facit mentionem specialem problematis indefiniti, quia continetur in particulari; neque problematis de subjecto singulari, quia non spectat ad scientias. Concludit Aristoteles, quod hanc figuram vocat primam, quæ consistit in hoc, ut medium de altero extremo prædicetur, alteri extremo subjiciatur.

CAPUT VI

DE SECUNDA FIGURA ET EJUS MODIS UTILIBUS ATQUE INUTILIBUS

1. [5] Cum autem idem partim omni partim nulli inest, aut utrique omni aut utrique nulli, hujuscemodi figuram voco secundam. In qua medium appello, quod ambobus extremis attribuitur; extrema vero ea, de quibus hoc dicitur, majus extremum, quod est situm prope medium, minus extremum, quod longius abest a medio. Ponitur autem medium extra extrema, ac primum situ. Perfectus igitur syllogismus neutiquam erit in hac figura. Esse autem syllogismus poterit, sive termini sit nuniversales sive non universales.

1. Postquam Aristoteles egit de prima figura, descendit ad agendum de secunda figura et de ejus modis. Docet ergo *primo*, quod secundam figuram vocat, per quam tres termini disponuntur ita, ut eorum

unus de utroque prædicetur, sive de utroque universaliter affirmative, sive de utroque universaliter negative, seu de altero universaliter, de altero particulariter, seu de utroque particulariter. Medium in hac secunda figura est, quod prædicatur de utroque extremo. Extremitates sunt, de quibus medium prædicatur. Major extremitas in hac figura est, quæ propinquior est medio, eo quod, sicut medium prædicatur in præmissis, sic ipsa prædicatur in conclusione; minor extremitas est, quæ magis distat a medio, eo quod nec in præmissis nec in conclusione prædicetur, sed utrobique subjiciatur. Cum igitur in prima figura medium habeat rationem medii, non solum in quantum est ratio conjungendi intelligibiliter extrema in conclusione, sed etiam in quantum in præmissis ponitur et situatur inter extrema, ita ut uni extremo subjiciatur, de altero extremo prædicetur; in secunda figura medium habet rationem medii solum, in quantum est ratio uniendi intelligibiliter extrema in conclusione; positione vero et situ non est medium, sed primum, cum non sit inter extrema, sed extra extrema, utpote semper prædicatum atque adeo tenens primum locum. Rursus in hac figura syllogismus non potest esse perfectus, et potest fieri tum ex utraque præmissa universali, tum ex altera universali, altera particulari, ut jam per varias conclusiones explicabitur. Terminos hujus figuræ designat Aristoteles per litteras M, N, X. Per litteram M designat medium, per litteram N majus extremum seu prædicatum conclusionis, per litteram X minus extremum seu subjectum conclusionis, per M N designat majorem, per M X designat minorem.

2. Si universales sint termini, tunc erit syllogismus, cum medium partim omni partim nulli insit, utrivis extremo adjiciatur negatio. Nullo autem alio modo syllogismus erit. Attribuatur enim τὸ μ nulli ν et omni ξ. Quoniam igitur propositio privativa convertitur, τὸ ν inerit nulli μ; atqui τὸ μ supponebatur inesse omni ξ. Quare τὸ ν inerit nulli ξ; hoc enim demonstratum est antea.

3. Rursus si τὸ μ insit omni ν et nulli ξ, etiam τὸ ξ inerit nulli ν. Nam si τὸ μ inest nulli ξ, etiam τὸ ξ inerit nulli μ; atqui τὸ μ inerat omni ν, ergo τὸ ξ nulli ν inerit. Facta est enim iterum prima figura. Quia vero propositio privativa convertitur, etiam τὸ ν inerit nulli ξ. Quare erit idem syllogismus. Hæc probare licet etiam deductione ad impossibile.

4. Perspicuum igitur est terminis ita constitutis syllogismum fieri, non tamen perfectum, quia non ex iis tantum, quæ ab initio sumpta sunt, sed ex aliis quoque perficitur colligendi vis et necessitas.

2. *Prima ergo conclusio est :* in secunda figura ex utraque præmissa universali, altera affirmativa, altera negativa, seu sit affirmativa major seu minor, semper fit syllogismus.

Demonstratur. Sint enim termini *animal, planta, homo;* animal, quod est medium, in majori negetur universaliter de planta, et in minori affirmetur universaliter de homine dicendo : *nulla planta est animal, omnis homo est animal,* concludetur in Cesare : *ergo nullus homo est planta.* Quod vero argumentum concludat, probatur, quia major, utpote universalis negativa, convertitur in hanc aliam universalem negativam, *nullum animal est planta*; sed facta hac conversione argumentum erit in *Celarent,* de quo dictum est cap. 5, concl. I, num. 5, quod necessario concludat; ergo etiam argumentum in Cesare necessario concludit.

3. Rursus sint termini *insensitivum, planta, animal*; *insensitivum,* quod est medium, in majori universaliter affirmetur de planta, et in minori universaliter negetur de animali dicendo in Camestres : *omnis planta est insensitiva, nullum animal est insensitivum,* sequitur : *ergo nullum animal est planta.* Quod autem hic syllogismus concludat, probatur, quia conversa simpliciter minori universali negativa et transpositis præmissis, fit hic syllogismus in Celarent : *nullum insensitivum est animal, omnis planta est insensitiva; ergo nulla planta est animal;* sed hæc conclusio, cum sit universalis negativa convertitur simpliciter in hanc : *ergo nullum animal est planta*; ergo in Camestres conclusio sequitur ex necessitate. Addit Aristoteles, quod etiam posset probari, Cesare et Camestres necessario concludere, per reductionem ad impossibile, ut explicabitur inferius.

4. Quia Cesare et Camestres necessario concludere non est ex se, manifestum, sed manifestatur et ostenditur convertendo aliquas propositiones, patet syllogismos in Cesare et Camestres non esse perfectos, sed imperfectos. Syllogismus enim imperfectus est, in quo, ut appareat conclusionem sequi necessario, non sufficiunt propositiones assumptæ, sed de-

bent sumi aliæ propositiones, quæ necessario sequuntur ex assumptis; sed ad hoc, ut appareat, conclusionem sequi in Camestres et in Cesare, debent assumi propositiones conversæ, quæ necessario sequuntur ex propositionibus assumptis; ergo syllogismi in Camestres et Cesare sunt imperfecti.

5. At si τὸ μ attribuitur omni ν, ut omni ξ, non erit syllogismus. Termini conclusionis affirmantis substantia-animal-homo, negantis, substantia-animal-lapis. Medium est substantia.
6. Neque tunc erit syllogismus; cum τὸ μ nulli ν et nulli ξ attribuitur. Termini conclusionis affirmantis linea-animal-homo, negantis linea-animal-lapis.
7. Perspicuum igitur est, si sit syllogismus terminis universaliter positis, necesse esse ut termini ita se habeant, ut initio diximus; his enim aliter constitutis nulla est concludendi necessitas.

5. *Secunda conclusio* est: in secunda figura ex utraque præmissa universali affirmativa, et ex utraque universali negativa non fit syllogismus. — Probatur prima pars, quia ex utraque universali affirmativa non sequitur ulla conclusio affirmativa neque ulla negativa; ergo absolute nulla sequitur conclusio. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *substantia, animal, homo*. Si enim dicatur, *omne animal est substantia, omnis homo est substantia*, non sequitur: *ergo nullus homo est animal*, neque: *ergo aliquis homo non est animal*, cum de facto *omnis homo sit animal*. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *substantia, animal, lapis*; si enim dicatur: *omne animal est substantia, omnis lapis est substantia*, non sequitur: *ergo omnis vel aliquis lapis est animal*, cum nullus lapis sit animal.

6. Eodem pacto probatur secunda pars conclusionis; nam ex utraque præmissa universali negativa non sequitur ulla conclusio neque affirmativa neque negativa; ergo, etc. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *linea, animal, homo*. Si enim dicatur: *nullum animal est linea, nullus homo est linea*, non sequitur: *ergo nullus homo est animal*, neque: *ergo aliquis homo non est animal*, cum omnis homo sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *linea, animal, lapis*. Si enim dicatur: *nullum animal est linea, nullus lapis est linea*, non sequitur: *ergo omnis vel aliquis lapis est animal*, cum nullus lapis sit animal.

7. Ex his concluditur quod, cum quatuor sint combinationes propositionum universalium, hoc est prima, si utraque sit affirmativa; secunda si utraque negativa; tertia, si major affirmativa, minor negativa; quarta si major negativa, minor affirmativa; duæ primæ sunt inutiles, duæ postremæ sunt utiles, et sunt Cesare et Camestres.

8. Quod si medium ad alterum duntaxat extremum universaliter affectum sit, cum majori extremo adjicitur universale, sive attributive sive privative, minori autem extremo particulare oppositum universali (oppositum appello, si universale sit privativum, particulare affirmativum; si vero universale sit attributivum, particulare privativum), necesse est fieri syllogismum privativum in parte. Nam si τὸ μ inest nulli ν et cuidam ξ, necesse est τὸ ν alicui ξ non inesse. Cum enim propositio privativa convertatur, τὸ ν inerit nulli μ; atqui τὸ μ supponebatur cuidam ξ inesse. Quare τὸ ν cuidam ξ non inerit. Fit enim syllogismus in prima figura.
9. Rursus si τὸ μ omni ν insit et cuidam ξ non insit, necesse est τὸ ν cuidam ξ non inesse. Nam si omni insit, cum τὸ μ attribuatur omni ν, necesse est τὸ μ inesse omni ξ. Verum supponebatur cuidam non inesse. Et si τὸ μ insit omni ν et non omni ξ, erit syllogismus, quo colligetur non omni ξ inesse τὸ ν. Demonstratio vero est eadem.

8 *Tertia conclusio* est: in secunda figura ex majori universali negativa et minori particulari affirmativa, et ex majori universali affirmativa, minori particulari negativa fit syllogismus, in quo sequitur conclusio particularis negativa. — Probatur prima pars. Sint enim termini *animal, planta, vivens;* animal in majori negetur universaliter de planta, et in minori affirmetur particulariter de vivente, dicendo: *nulla planta est animal, aliquod vivens est animal*, sequitur: *ergo aliquod vivens non est planta*. Si enim major, quæ est universalis negativa, convertatur simpliciter in hanc: *nullum animal est planta*, eo ipso erit syllogismus in Ferio, de quo ostensum est, quod necessario concludat; ergo etiam syllogismus in *Festino* necessario concludit.

9. Probatur secunda pars, quod ex majori universali affirmativa et minori particulari negativa fiat syllogismus. Sint

enim termini *animal, homo, vivens*, animal, quod est medium, in majori affirmetur universaliter de homine, et in minori negetur particulariter de vivente dicendo : *omnis homo est animal, aliquod vivens non est animal,* sequitur ex necessitate : *ergo aliquod vivens non est homo.* Probatur, quia tunc conclusio necessario sequitur ex præmissis, cum non potest esse falsa, quin sit falsa aliqua præmissarum, eo enim ipso, si utraque præmissa est vera, etiam conclusio est vera; sed non potest esse falsa talis conclusio in *Barocco*, quin altera præmissarum sit falsa; ergo etc. — Probatur minor. Si enim sit falsa hæc conclusio, *aliquod vivens non est homo*, est vera contradictoria, *omne vivens est homo*; sed adjungendo majorem et dicendo, *omnis homo est animal; omne vivens est homo*; fit syllogismus in Barbara, in quo sequitur : *ergo omne vivens est animal*, quæ propositio contradicit minori syllogismi in Barocco, quæ minor erat, *aliquod vivens non est animal*; ergo si falsa est cocluusio in Barocco, adeoque vera est contradictoria, vera est etiam contradictoria minoris, adeoque falsa est minor; ergo si vera est utraque præmissa in Barocco, conclusio non potest esse falsa; ergo syllogismus in Barocco concludit ex necessitate. Hæc autem probatio est per reductionem ad impossibile, quæ procedit in omnibus terminis.

10. At si τὸ μ attribuatur omni ξ et non omni ν, non erit syllogismus. Termini conclusionis affirmantis animal-substantia-corvus, negantis animal-album-corvus.

11. Neque item erit syllogismus, cum attribuitur nulli ξ et alicui ν. Termini conclusionis affirmantis animal-substantia-lapis, negantis animal-substantia-scientia. Cum igitur particulare est oppositum universali, dictum est, quando erit et quando non erit syllogismus.

10. *Quarta conclusio est* : in secunda figura ex majori particulari negativa et ex minori universali affirmativa nihil sequitur; et similiter ex majori particulari affirmativa et minori universali negativa nihil sequitur.

Probatur prima pars : ex majori particulari negativa et minori universali affirmativa, non sequitur ulla conclusio affirmativa neque negativa ; ergo etc. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *animal, substantia, corvus*. Si enim dicatur, *aliqua substantia est animal*; *omnis corvus est animal*, non sequitur : *ergo nullus corvus est substantia*, neque : *ergo aliquis corvus non est substantia*, cum omnis corvus sit substantia. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *animal, album, corvus*. Si enim dicatur, *aliquod album non est animal; omnis corvus est animal*, non sequitur : *ergo omnis vel aliquis corvus est albus*, cum nullus corvus sit albus.

11. Probatur secunda pars : ex majori particulari affirmativa, minori universali negativa non sequitur ulla conclusio affirmativa vel negativa ; ergo etc. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *animal, substantia, lapis*. Si enim dicatur, *aliqua substantia est animal*; *nullus lapis est animal*, non sequitur : *ergo nullus lapis est substantia*, neque : *ergo aliquis lapis non est substantia*; cum omnis lapis sit substantia. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *animal, substantia, scientia*. Si enim dicatur, *aliqua substantia est animal*; *nulla scientia est animal*, non sequitur : *ergo nulla vel aliqua scientia est substantia*, cum nulla scientia sit substantia.

12. Cum autem figura similes sunt propositiones, ut ambæ privativæ aut affirmativæ, neutiquam erit syllogismus. Primum namque sint privativæ et universale adjungatur majori extremo, ut τὸ μ nulli ν insit et cuidam ξ non insit ; accidit ergo, ut τὸ ν et omni et nulli ξ insit. Termini conclusionis nulli inesse, nigrum-nix-animal. Termini autem conclusionis omni inesse accipi nequeunt, si τὸ μ cuidam ξ inest, cuidam non inest. Nam si τὸ ν inest omni ξ ac τὸ μ nulli ν, certe τὸ μ nulli ξ inerit. Verum supponebatur cuidam inesse. Sic igitur termini accipi non possunt. Sed ex indefinito ostendendum est. Nam quia vere dicitur τὸ μ cuidam ξ non inesse, etiam si nulli insit, cum autem nulli inest, non erat syllogismus, perspicuum est, etiam in præsentia non fore syllogismum.

13. Rursus sint attributivæ ambæ propositiones, et universale similiter ponatur, ut τὸ μ insit omni ν et alicui ξ. Accidit ergo ut τὸ ν insit et omni et nulli ξ. Termini conclusionis nulli inesse album-cygnus-lapis. Conclusionis omni inesse accipi non possunt ob eam ipsam causam, quam antea diximus. Sed ex indefinito ostendendum est.

14. Quodsi universale minori extremo junctum sit, et τὸ μ nulli ξ insit et cuidam ν non insit, accidit ut τὸ ν insit et omni et nulli ξ. Termini conclusionis omni inesse album-animal-corvus, conclusionis non inesse album-lapis-corvus.

15. Si vero attributivæ sint propositiones, termini conclusionis non inesse sint hi, album-animal-nix, conclusionis inesse, album-animal-cygnus. Perspicuum igitur est, quando propositiones sunt figura similes, et altera est universalis altera particularis, nullo modo fieri syllogismum.

12. *Quinta conclusio* est : in secunda figura ex altera præmissa universali, altera particulari, sed convenientibus in qualitate, ita ut vel utraque sit affirmativa vel utraque negativa, nihil sequitur. *Probatur*, quia sunt possibiles quatuor combinationes universalis cum particulari convenientium in qualitate. Vel enim utraque est negativa, et major universalis, minor particularis; vel utraque affirmativa, et major universalis, minor particularis ; vel utraque negativa, et major particularis, minor universalis; vel utraque affirmativa, et major particularis, minor universalis; sed nullo ex his modis fit syllogismus; ergo, etc. — *Probatur minor, et primo,* quod ex majori universali, minori particulari, utraque negativa non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis, *animal, nigrum, nix;* si enim dicatur, *nulla nix est animal; aliquod nigrum non est animal*; non sequitur : *ergo omne vel aliquod nigrum est nix,* cum nullum nigrum sit nix. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis, *equus, homo, risibilis.* Si enim dicatur, *nullus homo est equus; aliquod risibile non est equus* ; non sequitur : *ergo nullum risibile est homo,* neque : *ergo aliquod risibile non est homo,* cum de facto omne risibile sit homo. Verum hæc instantia procedit, cum ita est vera minor negativa particularis : *aliquod risibile non est equus,* ut sit vera etiam universalis : *nullum risibile est equus.* At non potest adduci instantia, in qua sit vera solum minor negativa particularis et falsa universalis, eo quod medium de aliquo minori extremo sit affirmabile, de aliquo negabile, et tamen omnis conclusio negativa sit falsa, ut patet in his terminis, *equus, homo, animal.* Si enim dicatur : *nullus homo est equus ; aliquod animal non est equus, et aliquod animal est equus*; sequitur ex necessitate : *ergo aliquod animal non est homo*; si quidem cum minor particularis affirmativa sit vera, jam argumentum est in Festino. Quia tamen, ut sit vera minor particularis negativa, non requiritur, ut sit vera etiam particularis affirmativa, sed potest verificari minor particularis negativa, ita ut sit vera etiam universalis negativa, ut patet in primo exemplo; ideo per illud primum exemplum sufficienter probatur, quod ex majori universali negativa et minori particulari negativa non sequitur ex necessitate ulla conclusio negativa.

13. *Probatur secunda pars* minoris, quod ex majori universali, minori particulari, utraque affirmativa nihil sequatur. Quod non sequatur conclusio affirmativa, patet in his terminis *album, cygnus, lapis.* Si enim dicatur : *omnis cygnus est albus; aliquis lapis est albus ;* non sequitur : *ergo omnis vel aliquis lapis est cygnus,* cum nullus lapis sit cygnus. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *vivens, animal, homo.* Si enim dicatur : *omne animal est vivens; aliquis homo est vivens*; non sequitur : *ergo nullus homo est animal;* neque *ergo aliquis homo non est animal,* cum omnis homo sit animal. At hæc etiam instantia procedit, cum ita est vera minor affirmativa particularis, ut sit vera etiam universalis : *omnis homo est vivens.* At si ita sit vera minor particularis affirmativa, ut non sit vera universalis, adeoque sit etiam vera particularis negativa, semper sequetur ex necessitate conclusio particularis negativa, ut patet in his terminis, *vivens, animal, corpus.* Si enim dicatur : *omne animal est vivens; aliquod corpus est vivens, et aliquod corpus non est vivens;* sequitur : *ergo aliquod corpus non est animal,* cum argumentum sit in Barocco. Adhuc tamen, quia minor particularis affirmativa est vera, etiam si vera non sit universalis affirmativa, ideo ex minori particulari affirmativa nihil sequitur, et procedit instantia allata.

14. *Probatur tertia pars* minoris, quod ex utraque negativa, minori universali, majori particulari nihil sequatur ; et primo, quod non sequatur conclusio affirmativa, patet in his terminis *album, lapis, corvus.* Si enim dicatur : *aliquis lapis non est albus; nullus corvus est albus*; non sequitur : *ergo omnis vel aliquis corvus est lapis,* cum nullus corvus sit lapis. Quod non sequatur ulla negativa, patet in his terminis *album, animal, corvus.* Si enim dicatur : *aliquod animal non est album; nullus corvus est albus* ; non sequitur : *ergo nullus corvus est animal,* neque, *ergo aliquis corvus non est animal,* cum omnis corvus sit animal.

15. *Probatur demum quarta* et ultima *pars* minoris, quod ex majori particulari, minori universali, utraque affirmativa, nihil sequitur. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *album, animal, nix.* Si enim dicatur : *aliquod animal est album; omnis nix est alba;* non sequitur : *ergo omnis vel aliqua nix est animal,* cum nulla nix sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *album, animal, cygnus.* Si enim dicatur : *aliquod animal est album; omnis cygnus est albus;* non sequitur : *ergo nullus cygnus est animal,* neque : *ergo aliquis cygnus non est animal;* cum omnis cygnus sit animal.

16. Neque item erit syllogismus, si utrique alicui insit vel non insit, vel partim cuidam insit partim non, vel neutri omni, vel indefinite. Termini communes omnium, album-animal-homo, album-animal-inanimatum.

17. Ex dictis igitur perspicuum est, si termini ita inter se affecti sint, ut diximus, necessario fieri syllogismum; et si sit syllogismus, necesse esse, ut termini ita affecti sint.

18. Manifestum est etiam, omnes syllogismos, qui fiunt in hac figura, esse imperfectos; omnes enim perficiuntur assumptis quibusdam, quæ vel in terminis necessario insunt vel ponuntur tanquam hypotheses, ut cum demonstramus per impossibile.

19. Item non fieri syllogismum affirmativum in hac figura, sed omnes fieri privativos, tam universales quam particulares.

16. *Sexta conclusio est :* in secunda figura ex utraque particulari, quomodocumque combinentur, non fit syllogismus. Sunt autem possibiles quatuor combinationes ex utraque præmissa particulari. Vel enim utraque est affirmativa : vel utraque negativa; vel major affirmativa; minor negativa; vel major negativa, minor affirmativa. Quod in nullo ex his modis inferatur conclusio negativa, patet in his terminis *album, animal, homo.* Si enim dicatur : *aliquod animal est album; aliquis homo est albus;* vel *aliquod animal non est album; aliquis homo non est albus;* vel *aliquod animal est album; aliquis homo non est albus;* vel *aliquod animal non est album; aliquis homo est albus*; non sequitur : *ergo nullus homo est animal,* neque : *ergo aliquis homo non est animal,* cum omnis homo sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *album, animal inanimatum.* Si enim dicatur : *aliquod animal est album*; *aliquod inanimatum est album*; vel *aliquod animal non est album*; *aliquod inanimatum non est album*; vel *aliquod animal est album*; *aliquod inanimatum non est album*; vel *aliquod animal non est album*; *aliquod inanimatum est album*; non infertur : *ergo omne vel aliquod inanimatum est animal,* cum nullum inanimatum sit animal.

17. Infertur, quod ex sexdecim combinationibus possibilibus in secunda figura, quatuor universalibus, quatuor particularibus, octo mistis ex universalibus et particularibus, quatuor sunt utiles et duodecim inutiles. Ex universalibus utiles sunt, in quibus altera est affirmativa, altera negativa, hoc est Cesare et Camestres; aliæ duæ ex puris affirmativis et puris negativis sunt inutiles, ut dictum est in prima et secunda conclusione. Ex octo mistis duo sunt utiles, in quibus nimirum major est universalis negativa, minor particularis affirmativa, vel e converso major universalis affirmativa, minor particularis negativa, hoc est Festino et Barocco; alii sex, duo nimirum, in quibus major est particularis affirmativa, minor universalis negativa, vel major particularis negativa, minor universalis affirmativa, et quatuor, in quibus ita altera præmissarum est universalis, altera particularis, ut utraque sit affirmativa vel utraque negativa, sunt inutiles, ut demonstratum est 4 et 5. concl. num. 10. et sequentibus; quatuor particulares omnes sunt inutiles, ut demonstratum est 6. concl. n. 15. ergo; etc.

18. Ex dictis infert Aristoteles *duo corollaria.* Primum est : omnes syllogismi secundæ figuræ sunt imperfecti. *Probatur* quia ut appareat necessitas conclusionis, debet assumi aliquid præter præmissas, hoc est vel conversa alicujus præmissæ, quæ licet sequatur necessario ex præmissis positis, non fuit assumpta, vel aliqua suppositio, ut magis explicabitur, cum ostendetur necessitas conclusionis per reductionem ad impossibile.

19. Secundum est : in secunda figura non concluditur affirmative, sed solum negative universaliter vel particulariter. *Probatur*, nam concludunt solum Cesare, Camestres, Festino et Barocco; sed isti concludunt solum negative, duo universaliter et duo particulariter ; ergo etc.

CAPUT VII

DE TERTIA FIGURA ET EJUS MODIS UTILIBUS ATQUE INUTILIBUS.

1. [6] Cum autem eidem inest aliud quidem omni, aliud vero nulli, vel ambo omni vel ambo nulli, hujuscemodi figuram appello tertiam.

2. In qua medium voco id, cui ambo attribuimus, extrema vero, quæ attribuuntur. Magis autem extremum, quod longius abest a medio, minus, quod proprius accedit.

3. Ac medium ponitur quidem extra extrema, ultimum autem positione seu situ.

4. Perfectus igitur syllogismus ne in hac quidem figura fit. Esse autem syllogismus poterit terminis tam universaliter quam non universaliter medio junctis.

1. Postquam Aristoteles egit de prima et secunda figura, agit de tertia et ejus modis. Docet igitur *primo,* quod tertia figura est, cum de eodem medio, alterum extremum affirmatur, alterum negatur universaliter vel non universaliter, vel utrumque affirmatur, vel utrumque negatur.

2. Docet *secundo,* medium in hac figura esse, de quo prædicantur ambo extrema; extremitates esse, quæ prædicantur de eodem medio; majorem extremitatem esse, quæ longius distat a medio, eo quod cum medium semper sit subjectum, hæc semper est prædicatum tum in præmissis tum in conclusione; minorem extremitatem esse, quæ in conclusione propinquior est medio, eo quod, sicut medium subjicitur in præmissis, sic hæc subjicitur in conclusione. Terminos hujus figuræ designat Aristoteles per litteras P R S. Per litteram P designat majus extremum; per litteram R minus extremum; per litteram S medium terminum.

3. Docet *tertio,* etiam in hac figura medium non poni inter extrema, sed extra extrema; cum utrumque extremum sit prædicatum, medium sit subjectum. Est ergo medium positione ultimum, cum teneat locum subjecti, qui est ultimus, licet sit medium intelligibile, in quantum est ratio uniendi extrema intelligibiliter in conclusione.

4. Docet *quarto,* neque in hac figura fieri posse syllogismos perfectos, sed solum imperfectos, eosque tum ex utraque præmissa universali, tum ex altera universali, altera particulari, ut jam patebit.

5. Terminis igitur universaliter positis, cum et τὸ π et τὸ ρ inest omni σ, syllogismus erit, quo necessario colligetur, τὸ π inesse alicui ρ. Cum enim pronuntiatum attributivum convertatur, inerit τὸ σ alicui ρ. Quare cum τὸ π insit omni σ, et τὸ σ alicui ρ, necesse est τὸ π inesse alicui ρ. Fit enim syllogismus in prima figura. Potest etiam demonstratio fieri per impossibile et per expositionem. Nam cum utraque insint omni σ, si sumatur aliquid τῶν σ, veluti τὸ ν, huic et τὸ π et τὸ ρ inerit. Quare alicui ρ τὸ π inerit.

6. Et si τὸ ρ omni σ, τὸ π nulli σ insit, erit syllogismus, quo necessario colligetur, τὸ π cuidam ρ non inesse. Idem enim erit demonstrationis modus conversa propositione ρ σ. Probari etiam potest per impossibile, ut in prioribus syllogismis factum est.

5. His positis *prima conclusio* est : in tertia figura ex utraque præmissa universali affirmativa sequitur necessario conclusio particularis affirmativa, et hic modus est Darapti.

Demonstratur. Sint termini *intellectuale, animal, homo,* si dicatur : *omnis homo est intellectualis; omnis homo est animal;* non sequitur : *ergo omne animal est intellectuale,* cum id sit falsum, adeoque non possit necessario sequi ex præmissis veris, sed sequitur, *ergo aliquod animal est intellectuale.* Probatur primo, quia minor universalis affirmativa potest converti in particularem affirmativam : *aliquod animal est homo*; sed per talem conversionem erit syllogismus in Darii, ex quo sequitur necessario particularis affirmativa ; ergo etiam ex syllogismo in Darapti sequitur necessario particularis affirmativa. Secundo probari potest per reductionem ad impossibilem. Tertio probatur per expositionem. Si enim omnis homo est intellectualis simul et animal, ergo omnis homo est hoc animal, quod est intellectuale, et est hoc intellectuale, quod est animal; hoc vero animal, quod est intellectuale, vocetur N: ergo jam hoc animal, quod est homo, est intellectuale, adeoque aliquod animal est intellectuale.

6. *Secunda conclusio* est : in tertia figura ex majori universali negativa, minori universali affirmativa sequitur necessario conclusio particularis negativa, et hic modus est Felapton.

Demonstratur. Sint enim termini *equus, animal, homo.* Si dicatur : *nullus homo est equus* ; *omnis homo est animal;* non sequitur : *ergo nullum animal est equus,* cum id sit falsum, adeoque sequi non possit ex præmissis veris; sed sequitur : *ergo aliquod animal non est equus. Probatur* primo, quia convertendo mino-

rem universalem affirmativam in particularem affirmativam : *aliquod animal est homo,* fit syllogismus in Ferio, in quo sequitur necessario dicta conclusio ; ergo sequitur etiam in Felapton. Secundo probari potest per reductionem ad impossibile.

7. Si vero τὸ ρ nulli, τὸ π omni σ insit, non erit syllogismus. Termini conclusionis affirmantis animal-equus-homo, negantis animal-inanimum-homo.

8. Neque tum erit syllogismus, cum ambo dicentur de nullo σ. Termini conclusionis affirmantis animal-equus-inanimum, negantis homo-equus-inanimum. Medium est inanimum. Perspicuum igitur est etiam, in hac figura quando erit et quando non erit syllogismus, si termini universaliter positi sint. Nam cum utrique termini sunt attributivi, erit syllogismus, quo colligetur alicui extremo extremum inesse. Cum autem sunt privativi, non erit syllogismus. Sed cum alter est privativus alter affirmativus, si quidem major terminus sit privativus et alter affirmativus, erit syllogismus, quo colligetur cuidam extremo extremum non inesse. Sin contra fiat, non erit syllogismus.

7. *Tertia conclusio* est : in tertia figura ex majori universali affirmativa, minori universali negativa non sequitur ulla conclusio, adeoque non fit syllogismus. Quod non sequatur conclusio negativa, patet in his terminis *animal, equus, homo.* Si enim dicatur : *omnis homo est animal*; *nullus homo est equus;* non sequitur : *ergo nullus equus est animal,* neque : *ergo aliquis equus non est animal,* cum omnis equus sit animal. Quod non sequatur conclusio affirmativa, patet in his terminis *animal, inanimatum, homo.* Si enim dicatur : *omnis homo est animal* ; *nullus homo est inanimatus;* non sequitur : *ergo omne vel aliquod inanimatum est animal,* cum nullum inanimatum sit animal.

8. *Quarta conclusio* est : in tertia figura ex utraque præmissa universali negativa nihil sequitur. Quod non sequatur conclusio negativa, patet in his terminis *animal, equus, inanimatum.* Si enim dicatur : *nullum inanimatuam est nimal*; *nullum inanimatum est equus;* non sequitur : *ergo nullus equus est animal,* neque : *ergo aliquis equus non est animal,* cum omnis equus sit animal. Quod non sequatur affirmativa, patet in his terminis *homo, equus, inanimatum* Si enim dicatur : *nullum inanimatum est homo* ; *nullum inanimatum est equus;* non sequitur : *ergo omnis vel aliquis equus est homo,* cum nullus equus sit homo.

Ex his quatuor conclusionibus patet, quod, cum in tertia figura sint possibiles quatuor combinationes propositionum universalium : prima, ut utraque sit affirmativa ; secunda, ut utraque sit negativa ; tertia, ut major sit affirmativa, minor negativa ; quarta, ut major sit negativa, minor affirmativa, — per primam et quartam fiunt syllogismi in Darapti et Felapton, per secundam et tertiam nullus fit syllogismus.

9. Quodsi alter terminus universaliter, alter particulariter medio adjungatur, cum ambo sunt attributivi, necesse est fieri syllogismum, utervis terminorum universaliter acceptus sit. Nam si τὸ ρ insit omni σ, et τὸ π alicui, necesse est τὸ π alicui ρ inesse. Cum enim pronuntiatum affirmans convertatur, τὸ σ inerit alicui π. Itaque cum τὸ ρ omni σ, ac τὸ σ alicui π insit, etiam τὸ ρ alicui π inerit : unde etiam τὸ π inerit alicui ρ.

10. Rursus si τὸ ρ alicui σ, ac τό π omni σ insit, necesse est τὸ π alicui ρ inesse ; idem enim est demonstrandi modus. Licet autem hæc demonstrare etiam per impossibile et expositione, ut in prioribus syllogismis factum fuit.

9. *Quinta conclusio* est : in tertia figura ex duabus præmissis altera universali, altera particulari, sed utraque affirmativa, semper fit syllogismus, seu major sit universalis, minor particularis, seu major sit particularis, minor universalis ; et isti duo modi sunt Disamis et Datisi.

Demonstratur primo, quod concludat Disamis. Sint enim termini, *intellectuale, sensitivum, animal,* si dicatur : *aliquod animal est intellectuale*; *omne animal est sensitivum ;* sequitur : *ergo aliquod sensitivum est intellectuale;* major enim particularis affirmativa potest simpliciter converti in hanc : *aliquod intellectuale est animal* ; si ergo transponantur præmissæ, et dicatur : *omne animal est sensitivum* ; *aliquod intellectuale est animal;* sequitur in Darii : *ergo aliquod intellectuale est sensitivum* ; sed hæc conclusio utpote particularis affirmativa convertitur in hanc : *ergo aliquod sensitivum est intellectuale*; ergo Disamis necessario concludit.

10. Demonstratur jam, quod etiam Datisi necessario concludat. Sint enim termini *sensitivum, intellectuale, animal* ; si dicatur : *omne animal est sensitivum* ; *aliquod animal est intellectuale,* sequitur ex necessitate : *ergo aliquod intellectuale est sensitivum.* Minor enim particularis

affirmativa est convertibilis in hanc: *aliquod intellectuale est animal*; sed facta hac conversione sequitur eadem conclusio in Darii; ergo Datisi concludit ex necessitate. Potest hoc idem demonstrari et per reductionem ad impossibile et per expositionem, sicut de universalibus dictum est num. 5.

11. Si vero alter terminus sit attributivus alter privativus, et universaliter accipiatur attributivus, quando minor est attributivus, erit syllogismus. Nam si τὸ ρ omni σ inest, ac τὸ π cuidam non inest, necesse est τὸ π alicui ρ non inesse. Si enim omni insit, et τὸ ρ insit omni σ, etiam τὸ π omni σ inerit; attamen non inerat. Confirmatur etiam absque deductione ad impossibile, si accipiatur aliquid τῶν σ, cui τὸ π non insit.

12. Cum autem major terminus est attributivus, non erit syllogismus, ut si τὸ π omni σ insit, ac τὸ ρ alicui σ non insit. Termini conclusionis omni inesse, animatum-homo-animal. Terminos conclusionis nulli inesse accipere non licet, si τὸ ρ cuidam σ insit, cuidam non insit. Nam si τὸ π omni σ inest, et τὸ ρ alicui σ, etiam τὸ π alicui ρ inerit. Verum supponebatur nulli inesse. Sed quemadmodum in prioribus, hic quoque accipiendum; cum enim hoc pronuntiatum sit indefinitum, cuidam non inesse, etiam quod nulli inest, vere dicitur cuidam non inesse. Atqui cum nulli inest, non erat syllogismus. Perspicuum igitur est, etiam cum sumitur cuidam non inesse, non fore syllogismum.

11. *Sexta conclusio est:* in tertia figura si major sit particularis negativa, minor universalis affirmativa, sequitur necessario conclusio, et fit syllogismus in Boccardo; si vero major sit universalis affirmativa, minor particularis negativa, nihil sequitur, adeoque non fit syllogismus.

Demonstratur prima pars; sint enim termini *intellectuale, sensitivum, animal*; si dicatur: *aliquod animal non est intellectuale; omne animal est sensitivum*, sequitur: *ergo aliquod sensitivum non est intellectuale.* Probatur primo, quia ex contradictoria conclusionis, quæ est: *omne sensitivum est intellectuale*, et ex minori: *omne animal est sensitivum*, sequitur in Barbara: *ergo omne animal est intellectuale,* quæ est contradictoria majoris. *aliquod animal non est intellectuale*; sed cum ex contradictoria conclusionis cum altera præmissarum, sequitur contradictoria alterius præmissæ, syllogismus concludit ex necessitate; ergo Boccardo concludit ex necessitate. Secundo probatur expositione: nam si omne animal est sensitivum, et aliquod animal non est intellectuale, datur animal, quod est sensitivum et non est intellectuale; hoc animal vocetur N; ergo animal N est sensitivum et non intellectuale; ergo aliquod sensitivum non est intellectuale.

12. Demonstratur secunda pars, quod si major est universalis affirmativa, minor particularis negativa nihil sequitur. Quod non sequatur conclusio negativa, probatur in his terminis, *animatum homo animal.* Si enim dicatur; *omne animal est animatum; aliquod animal non est homo*; non sequitur: *ergo nullus homo est animatus*, vel *aliquis homo non est animatus,* cum omnis homo sit animatus. Quod non sequatur conclusio affirmativa, probatur in his terminis *animal, inanimatum, homo.* Si enim dicatur: *omnis homo est animal; aliquis homo non est inanimatus*, non sequitur: *ergo omne vel aliquod inanimatum est animal,* cum nullum inanimatum sit animal. Verum quidem est, quod in exemplo posito, ita est vera minor particularis: *aliquis homo non est inanimatus,* ut sit vera etiam universalis: *nullus homo est inanimatus.* Si vero sumatur minor particularis ita vera, ut non sit vera universalis, sequitur ex necessitate conclusio particularis affirmativa; ex. gr. si dicatur: *omnis homo est animal; aliquis homo non est albus*, et *aliquis homo est albus*, sequitur: *ergo aliquod album est animal*; cum argumentum sit in Datisi. Et confirmatur per reductionem ad impossibile. Si enim falsa est conclusio: *aliquod album est animal*, est vera contradictoria: *nullum album est animal*, et per consequens est vera etiam conversa: *nullum animal est album*; sed subsumendo majorem argumenti facti: *omnis homo est animal;* sequitur in Celarent: *ergo nullus homo est albus*; sed assumebatur in minori: *aliquis homo non est albus, et aliquis homo est albus*, cui contradicitur, per illam: *nullus homo est albus*; ergo ex opposito conclusionis sequitur oppositum minoris in sensu explicato; ergo si minor particularis ita est vera, ut sit falsa universalis, sequitur ex necessitate conclusio particularis affirmativa. Quia tamen, ut minor particularis negativa sit vera, non requiritur, ut sit falsa universalis negativa, ideo ex majori universali affirmativa, minori particulari negativa, nihil sequitur.

13. At si terminus privativus sit universalis,

terminus autem particularis sit attributivus, cum major est privatus et minor attributivus, erit syllogismus, nam si τὸ π nulli σ ac τὸ ρ cuidam σ insit, certe τὸ π cuidam ρ non inerit: iterum enim erit prima figura, conversa propositione ρ σ.

14. Cum autem minor terminus est privativus, non erit syllogismus. Termini conclusionis affirmantis animal-homo-ferum, negantis animal-scientia-ferum. Utrobique ferum est medium.

13. *Septima conclusio* est: in tertia figura ex majori universali negativa, minori particulari affirmativa sequitur ex necessitate conclusio particularis affirmativa, et fit syllogismus in Ferison. *Demonstratur.* Sint enim termini *planta, album, animal.* Si dicatur: *nullum animal est planta; aliquod animal est album,* sequitur: *ergo aliquod album non est planta;* convertendo enim simpliciter minorem particularem affirmativam in hanc: *aliquod album est animal,* eadem conclusio sequitur in Ferio.

14. *Octava conclusio est:* in tertia figura ex majori particulari affirmativa, minori universali negativa nihil sequitur. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *animal, homo, silvestre.* Si enim dicatur: *aliquod silvestre est animal; nullum silvestre est homo;* non sequitur: *ergo nullus homo est animal;* neque *aliquis homo non est animal,* cum omnis homo sit animal. Quod non sequatur ulla affirmativa, patet in his terminis *animal, scientia silvestre.* Si enim dicatur: *aliquod silvestre est animal; nullum silvestre est scientia,* non sequitur: *ergo omnis vel aliqua scientia est animal,* cum nulla scientia sit animal.

15. Neque tum syllogismus erit, cum utrique termini ponuntur privativi, et alter est universalis alter in parte. Termini conclusionis negantis, quando minor est universaliter adjunctus medio, animal-scientia-ferum, affirmantis animal-homo-ferum.

16. Cum autem major est universalis et minor in parte, termini conclusionis negantis hi sunto, corvus-nix-album. Termini conclusionis affirmantis accipi non possunt, si τὸ ρ cuidam σ inest, cuidam non inest. Nam si τὸ π inest omni ρ, et τὸ ρ alicui σ, etiam τὸ π inerit alicui σ. Verum supponebatur nulli inesse. Sed ex indefinito ostendendum est.

15. *Nona conclusio est:* in tertia figura ex altera præmissa universali, altera particulari, utraque negativa nihil sequitur. Demonstratur: si enim major sit particularis, minor universalis, non sequitur ulla conclusio negativa, ut patet in his terminis *animal, homo, silvestre.* Si enim dicatur: *aliquod silvestre non est animal; nullum silvestre est homo;* non sequitur: *ergo omnis vel aliquis homo non est animal,* cum omnis homo sit animal. Quod non sequatur affirmativa, patet in his terminis, *animal, scientia, silvestre.* Si enim dicatur: *aliquod silvestre non est animal; nullum silvestre est scientia;* non sequitur: *ergo omnis vel aliqua scientia est animal,* cum nulla scientia sit animal.

16. Si vero e converso major sit universalis, minor particularis, sed utraque negativa, quod non sequatur conclusio affirmativa, patet in his terminis *corvus, nix, album.* Si enim dicatur: *nullum album est corvus; aliquod album non est nix;* non sequitur: *ergo omnis vel aliqua nix est corvus,* cum nulla nix sit corvus. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *animal, homo, planta.* Si enim dicatur: *nulla planta est animal; aliqua planta non est homo,* non sequitur: *ergo omnis vel aliquis homo non est animal,* cum omnis homo sit animal. Verum quidem est, quod si ita minor particularis negativa sit vera, ut non sit vera etiam universalis, sequetur conclusio. Si enim dicatur: *nullus equus est homo; aliquis equus non est albus, et aliquis est albus,* sequitur: *ergo aliquod album non est homo,* cum argumentum sit in Ferison. Et confirmatur per reductionem ad impossibile. Si enim falsum est, quod *aliquod album non sit homo,* est vera contradictoria: *omne album est homo,* cui si addatur ut minor major argumenti positi: *nullus equus est homo,* sequitur in Camestres: *ergo nullus equus est albus;* ergo falso fuit suppositum in minori, quod aliquis equus non est albus, aliquis est albus; ergo si hoc suppositum est verum, sequitur necessario conclusio particularis negativa. Adhuc tamen, quia ut sit vera particularis negativa, non requiritur, ut sit falsa universalis negativa, ideo per allatam instantiam bene probatur, quod ex majori universali, minori particulari, utraque negativa nihil sequitur.

Ex his quinque conclusionibus patet, quod ex octo modis mistis ex universali et particulari, quatuor concludunt, hoc est Disamis, Datisi, Boccardo et Ferison; alii quatuor non concludunt.

17. Item nullo modo erit syllogismus, si uterque terminus extremus cuidam medio insit vel non insit, vel alter insit alter non insit, vel alter

alicui alter non omni insit, vel indefinite. Termini omnium communes sunto animal-homo-album, animal-inanimatum-album.

18. Perspicuum igitur est etiam, in hac figura quando erit et quando non erit syllogismus; et si termini ita habeant, ut dictum fuit, necessario fieri syllogismum, et si fiat syllogismus, necesse esse, ut termini ita se habeant.

19. Perspicuum quoque est, omnes syllogismos, qui fiunt in hac figura, esse imperfectos, quoniam omnes perficiuntur assumptis quibusdam. Item non licere in hac figura colligere conclusionem universalem, nec privantem nec affirmantem.

17. *Decima conclusio est:* in tertia figura ex puris particularibus quomodocumque combinatis nihil sequitur. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis, *animal, homo, album.* Si enim dicatur: *aliquod album est animal*; *aliquod album est homo*; vel *aliquod album non est animal; aliquod album non est homo;* vel *aliquod album est animal; aliquod album non est homo;* vel *aliquod album non est animal; aliquod album est homo,* nunquam sequitur: *ergo omnis vel aliquis homo non est animal,* cum omnis homo sit animal.—Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *animal, inanimatum, album;* si enim dicatur: *aliquod album est animal; aliquod album est inanimatum etc.* non sequitur: *ergo omne vel aliquod inanimatum est animal,* cum nullum inanimatum sit animal.

18. Ex his patet, quod ex sexdecim combinationibus possibilibus in tertia figura, sex sunt utiles ad faciendum syllogismum, hoc est Darapti, etc.; aliæ decem, quatuor nimirum ex puris particularibus, de quibus dictum est concl. 10, quatuor ex mixtis, de quibus actum est conclusione 6, 8, 9, et duæ ex universalibus, de quibus actum est concl. 3 et 4, sunt inutiles ad faciendum syllogismum.

19. Infert Aristoteles *duo corollaria.* Primum est: omnes syllogismi tertiæ figuræ sunt imperfecti, cum ad hoc, ut appareat necessitas conclusionis, debeat assumi aliquid, quod non est sumptum in præmissis, ut ostensum est. Secundum est: tertia figura concludit solum particulariter, ut patet in omnibus modis allatis.

CAPUT VIII.

EXPLICANTUR DUO MODI INDIRECTI, ET OSTENDITUR, QUOD OMNES MODI IMPERFECTI REDUCUNTUR AD PERFECTOS, ET QUOD PERFECTI PARTICULARES REDUCUNTUR AD UNIVERSALES.

1. [7] Illud quoque manifestum est, in omnibus figuris, quando non fit syllogismus, si attributivi vel privativi sint utrique termini, item si utrique sint in parte, nihil omnino colligi necessario.

2. At si alter sit attributivus alter privativus, et universaliter accipiatur privativus, semper fieri syllogismum minoris extremi de majore. Ut si τὸ α omni aut alicui β, ac τὸ β nulli γ insit; conversis enim propositionibus, necesse est τὸ γ alicui α non inesse. Similiter fit etiam in aliis figuris; semper enim fit syllogismus per conversionem. Præterea manifestum est, pronuntiatum indefinitum pro attributivo particulari acceptum efficere eumdem syllogismum in omnibus figuris.

1. Explicatis modis trium figurarum advertit Aristoteles, quod ex puris negativis et ex puris particularibus in nulla figura fit syllogismus, et quod ex puris affirmativis, licet in prima et tertia figura fiat syllogismus, non fit in secunda.

2. Progreditur deinde ad explicandos duos modos indirectos primæ figuræ, hoc est Fapesmo et Frisesomorum. Sunt autem modi indirecti, in quibus minus extremum concluditur de majori extremo. *Ponit* igitur *conclusionem*: si major sit universalis affirmativa, minor universalis negativa, sequitur conclusio particularis negativa minoris extremi de majori, et fit syllogismus in Fapesmo; similiter si major sit particularis affirmativa, et minor universalis negativa, sequitur conclusio particularis negativa indirecta, et fit syllogismus in Frisesomorum. Demonstratur: sint enim termini *animal, homo, equus.* Si dicatur, *omnis homo est animal*: *nullus equus est homo,* non sequitur conclusio directa: *ergo omnis vel aliquis equus non est animal,* sed sequitur indirecta: *ergo aliquod animal non est equus.* — Probatur. Conversa enim majori et minori, et transpositis præmissis, fit sequens syllogismus in Ferio: *nullus homo est equus*; *aliquod animal est homo,* ex quo sequitur conclusio posita; ergo ea conclusio sequitur etiam in Fapesmo. Eodem pacto probatur, quod positis his duabus præmissis: *aliquod intellectuale est animal; nullus equus est intellectualis,* sequatur conclusio indirecta: *ergo aliquod animal non est*

equus. Convertendo enim et transponendo præmissas fiet syllogismus in Ferio: *nullum intellectuale est equus*; *aliquod animal est intellectuale*; *ergo aliquod animal non est equus*: ergo cum eadem conclusio conversis legitime præmissis sequatur in Ferio, sequitur etiam in Frisesomorum. Fapesmo ergo et Frisesomorum sunt syllogismi imperfecti, et perficiuntur per conversionem modo explicato. Advertit Aristoteles, quod si loco particularis ponatur indefinita, eodem pacto fit syllogismus in omnibus figuris, cum quoad hoc indefinita æquivaleat particulari.

Quæritur, cur Aristoteles hic mentionem faciat solum duorum modorum indirectorum, qui sunt Fapesmo et Frisesomorum, non vero aliorum trium.

Respondeo rationem esse, quia ex præmissis Fapesmo et Frisesomorum non potest sequi alia conclusio quam indirecta; ergo sunt modi essentialiter indirecti; at ex Baralipton, Celantes et Dabitis, sequitur immediate conclusio directa convertibilis in indirectam; ergo sunt modi primo et per se concludentes directe, secundario vero concludentes indirecte: ideoque Aristoteles de iis agit lib. II, cum tractat de potestatibus syllogismorum, hoc est de virtute, quam habent aliqui syllogismi ad inferendas plures conclusiones.

3. Item perspicuum est, omnes imperfectos syllogismos perfici per primam figuram. Aut enim demonstratione aut per impossibile perficiuntur omnes: utroque autem modo fit prima figura. Ac demonstratione quidem si perficiantur, fit prima figura, quia sic omnes perficiebantur per conversionem; conversio autem efficiebat primam figuram.

4. Si vero per impossibile confirmentur, adhuc fit prima figura, quia posito quod falsum est, syllogismus conficitur in prima figura. Ut in postrema figura si τὸ α ac τὸ β insunt omni γ, probatur τὸ α inesse alicui β. Nam si τὸ α insit nulli β ac τὸ β omni γ, τὸ α inerit nulli γ. Sed antea positum erat omni inesse. Similiter fit etiam in aliis.

3. Explicatis modis perfectis et imperfectis omnium figurarum, ostendit Aristoteles, quod omnes modi imperfecti perficiuntur per reductionem ad quatuor modos perfectos primæ figuræ, et quod duo modi particulares primæ figuræ, qui sunt Darii et Ferio, licet ex se sint perfecti, adhuc possunt perfici per reductionem ad duos universales, qui sunt Barbara et Celarent, atque adeo universim omnes alii modi sunt perfectibiles per reductionem ad Barbara et Celarent.

Quod igitur syllogismi imperfecti secundæ et tertiæ figuræ perficiantur per primam, probatur; quia syllogismi tertiæ et secundæ figuræ, vel perficiuntur ostensive per conversionem et transpositionem aliquarum propositionum, vel per reductionem ad impossibile; sed utroque modo perficiuntur per primam figuram: ergo etc. — *Probatur* prima pars minoris; nam ostensive perficiuntur ostendendo, quod per conversionem legitimam aliquarum propositionum conclusio illata sequitur in aliquo modo directo primæ figuræ; sed hoc est illos perficere per primam figuram; ergo syllogismi imperfecti dum perficiuntur ostensive, perficiuntur per primam figuram.

4. *Probatur* secunda pars minoris; quia tum perficiuntur per impossibile, cum ostenditur, quod ex falsitate conclusionis et altera præmissarum, sequitur falsitas alterius præmissæ, quæ supponitur vera, adeoque sequitur impossibile et contra suppositum; sed hoc ostenditur faciendo syllogismum primæ figuræ; ergo etiam dum perficiuntur per reductionem ad impossibile, perficiuntur per primam figuram. — *Probatur* minor exemplificando in primo modo tertiæ figuræ, hoc est Darapti. Sit enim syllogismus: *omnis homo est animal*; *omnis homo est intellectualis*; *ergo aliquod intellectuale est animal*. Ostendo per reductionem ad impossibile, conclusionem sequi necessario. Si conclusio est falsa, adeoque est vera contradictoria: *nullum intellectuale est animal*, adjuncta minori: *omnis homo est intellectualis*, sequitur in Celarent: *ergo nullus homo est animal*, quæ est contraria majori, quæ erat: *omnis homo est animal*; sed supponitur eam majorem esse veram; ergo sequitur, esse veras duas contrarias, quod est impossibile; ergo est impossibile, ut præmissæ in Darapti sint veræ, et conclusio sit falsa. Cum ergo hoc impossibile inferatur in Celarent, qui est modus primæ figuræ, Darapti perficitur per primam figuram, idemque dic de aliis modis.

5. Licet etiam reducere omnes syllogismos ad syllogismos universales primæ figuræ. Nam qui fiunt in secunda figura, sine dubio per illos perficiuntur, non tamen omnes eodem modo, sed universales converso pronuntiato privativo. Particularium autem uterque per deductionem ad impossibile.

6. Particulares autem primæ figuræ perfi-

ciuntur quidem per se ipsos, sed licet etiam secunda figura eos confirmare ducendo ad impossibile. Ut si τὸ α inest omni β, ac τὸ β alicui γ, τὸ α inerit alicui γ; nam si nulli insit, omni autem β insit, certe nulli γ τὸ β inerit; hoc enim scimus per secundam figuram.

7. Similiter in privativo syllogismo erit demonstratio. Nam si τὸ α nulli β, ac τὸ β alicui γ inest, τὸ α alicui γ non inerit. Etenim si omni insit ac nulli β insit, τὸ β nulli γ inerit; hoc enim erat media figura. Itaque cum omnes syllogismi mediæ figuræ reducantur ad syllogismos universales primæ figuræ, particulares autem primæ ad syllogismos secundæ, perspicuum est etiam syllogismos particulares primæ figuræ reduci ad syllogismos universales primæ figuræ.

8. Qui vero fiunt in tertia figura, terminis quidem universaliter acceptis statim per eos syllogismos perficiuntur, terminis autem in parte sumptis perficiuntur per syllogismos particulares primæ figuræ. Hi vero ad illos reducti sunt; quapropter ad eosdem reducentur etiam syllogismi particulares tertiæ figuræ. Perspicuum igitur est, omnes reduci ad syllogismos universales primæ figuræ. Dictum igitur est, quomodo syllogismi inesse aut non inesse ostendentes se habeant, cum per se, qui sunt ex eadem figura, tum invicem, qui sunt ex diversis figuris.

5. Quod etiam Darii et Ferio et universim omnes modi secundæ et tertiæ figuræ perfici possint per Barbara et Celarent, probat Aristoteles discurrendo per dictos modos. *Primo,* omnes quatuor modi secundæ figuræ perficiuntur per Barbara et Celarent, licet diverso modo. Nam duo modi universales, hoc est Cesare et Camestres, per conversionem reducuntur ostensive ad Celarent, ut explicatum est capite VI, concl. I, num. 2. Duo particulares, hoc est Festino et Barocco, reducuntur per reductionem ad impossibile; Barocco quidem ad Barbara, ut explicatum est cap. VI, concl. 3, num. 9; Festino vero ad Celarent. Sit enim syllogismus in Festino: *nullus homo est equus; aliquod animal est equus: ergo aliquod animal non est homo.* Si conclusio est falsa, est vera contradictoria: *omne animal est homo*; sed præponendo majorem, quæ est: *nullus homo est equus*; *omne animal est homo,* sequitur in Celarent: *ergo nullum animal est equus,* quæ est contradictoria minoris in Festino, quæ minor supponitur vera; ergo sequitur duas contradictorias esse veras, quod est impossibile; ergo Festino perficitur per Celarent; ergo universim omnes quatuor modi secundæ figuræ perficiuntur per Barbara et Celarent.

6. *Secundo,* duo modi particulares primæ figuræ, hoc est Darii et Ferio, licet ex se sint perfecti, adhuc possunt perfici reductione ad impossibile per Cesare et Camestres; sed Cesare et Camestres perficiuntur per Barbara et Celarent, ut dictum est; ergo a primo ad ultimum, etiam Darii et Ferio possunt perfici reductione ad Barbara et Celarent. — *Probatur* major; sit enim syllogismus in Darii: *omnis homo est intellectualis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal est intellectuale.* Si conclusio est falsa, vera est contradictoria conclusionis, quæ est: *nullum animal est intellectuale*; adjungatur ut major, quæ erat major in Darii, et dicatur: *omnis homo est intellectualis; nullum animal est intellectuale,* sequitur in Camestres: *ergo nullum animal est homo,* quæ erat contradictoria minoris; sed minor supponitur vera; ergo si conclusio est falsa, et præmissæ sunt veræ, sequitur, duas contradictorias esse veras. Cum ergo Camestres reducatur ostensive ad Celarent, Darii reducatur per impossibile ad Camestres, Darii reducitur ad Celarent.

7. Rursus sit syllogismus in Ferio: *nullus homo est equus; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal non est equus.* Si conclusio est falsa, est vera contradictoria, quæ est: *omne animal est equus;* præmittatur illi ut major, quæ erat major in Ferio, et dicatur: *nullus homo est equus; omne animal est equus,* sequitur in Cesare: *ergo nullum animal est homo;* quæ est contradictoria minoris in Ferio, quæ erat: *aliquod animal est homo;* sed talis minor supponitur esse vera; ergo si præmissæ in Ferio sunt veræ, conclusio falsa, sequitur duas contradictorias esse veras, quod est impossibile; ergo conclusio in Ferio sequitur ex necessitate. Cum igitur Ferio reduci possit ad Cesare, Cesare ad Celarent, Ferio reduci potest ad Celarent; ergo Darii et Ferio, et quatuor modi secundæ figuræ perfectibiles sunt per reductionem ad Barbara et Celarent.

8. *Tertio,* modi universales tertiæ figuræ, hoc est Darapti et Felapton, reduci possunt ad Barbara et Celarent. D. Darapti ostensum est num. 3; de Felapton potest sic ostendi. Sit syllogismus in Felapton: *nullus homo est equus; omnis homo est animal; ergo aliquod animal non est equus;* si posita veritate præmissarum falsa est conclusio, est vera contradictoria: *omne animal est equus;* adjungatur quæ erat minor in Felapton, et dicatur: *omne animal est equus; omnis homo*

est animal, sequitur in Barbara : *ergo omnis homo est equus,* quæ est contraria majori Felapton, quæ erat : *nullus homo est equus;* ergo cum hæc supponatur esse vera, sequitur, quod duæ contrariæ sint veræ, quod est impossibile; ergo Felapton perfici potest per reductionem ad Barbara. Modi particulares tertiæ figuræ, qui sunt Disamis, Datisi, Boccardo et Ferison reducuntur ostensive ad Darii et Ferio, ut ostensum est supra cap. VII, excepto Boccardo, qui, ut ibidem dictum est, per impossibile reducitur ad Barbara; sed Darii et Ferio reduci possunt ad Barbara vel Celarent; ergo universim omnes modi tertiæ figuræ reduci possunt ad Barbara vel Celarent; ergo Darii, Ferio et omnes modi secundæ et tertiæ figuræ perfici possunt reductione ad Barbara et Celarent, quod erat demonstrandum.

Concludit Aristoteles epilogando hactenus dicta. Ostensum est enim, quo pacto se habeant syllogismi de inesse in omnibus figuris, et quo pacto syllogismi unius figuræ reduci possint ad syllogismos alterius figuræ.

CAPUT IX

DE SYLLOGISMIS MODALIBUS EX UTRAQUE PRÆMISSA DE NECESSARIO.

1. [8] Quia vero diversa hæc sunt, inesse et necessario inesse et contingere inesse (multa enim insunt quidem, non tamen necessario; alia vero nec necessario nec omnino insunt, sed possunt inesse), manifestum est etiam, horum cujusque syllogismum diversum fore ac terminis constare haud simili modo se habentibus, sed alium ex necessariis, alium ex his quæ insunt, alium ex contingentibus.

2. In necessariis igitur simili fere modo res se habet atque in iis quæ insunt. Eodem enim modo positis terminis in eo quod inest, et in eo quod necessario inest vel non inest, erit et non erit syllogismus. Hoc tantum differunt, quod terminis illud adjicitur, necessario inesse vel non inesse. Nam privativum pronuntiatum eodem modo convertitur ; et in toto esse omnique attribui, similiter trademus. In aliis igitur eodem modo, id est per conversionem, ostendetur, conclusionem esse necessariam, quemadmodum in eo quod inest. In media autem figura cum propositio universalis est affirmativa et particularis privativa, rursusque in tertia, cum universalis est attributiva et particularis privativa, non fiet similiter demonstratio, sed necesse est, ut exponentes aliquid cui utrumque non inest, de hoc syllogismum faciamus; de hoc enim erit conclusio necessaria. Quod si de termino exposito conclusio necessaria efficitur, etiam de illo aliquo necessaria efficietur ; nam quod propositum est, illius pars est. Fit autem uterque syllogismus in propria figura.

1. Sicut *duo* sunt *genera propositionum*, aliæ de inesse, aliæ modales, ut dictum est lib. II. Periher. initio cap. III, sic *duo* sunt genera *syllogismorum*; quidam enim constant ex propositionibus de inesse, quidam ex modalibus. Et quia propositiones modales aliæ sunt de necessario, aliæ de contingenti, ideo proportionaliter syllogismi alii constant ex modalibus de necessario, alii ex modalibus de contingenti. Aristoteles igitur, postquam egit de syllogismis de inesse, agit de syllogismis modalibus tum de necessario, tum de contingenti, tum de mistis ex altera præmissa de necessario altera de inesse, vel ex altera de contingenti altera de inesse, vel ex altera præmissa de necessario altera de contingenti.—*Primo* ergo agit de syllogismis constantibus ex utraque præmissa de necessario; *secundo* de syllogismis constantibus ex altera præmissa de necessario, altera de inesse; *tertio* de constantibus ex utraque præmissa de contingenti; *quarto* de constantibus ex altera de contingenti, altera de inesse; *quinto* de constantibus ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti, licet non de omnibus his tractet ordine posito, sed in quibusdam ordinem aliquantum invertat.

2. Circa syllogismos igitur constantes ex utraque præmissa de necessario docet Aristoteles, quod eodem modo se habent, sicut syllogismi de inesse. Ex combinationibus ergo, ex quibus fiunt syllogismi de inesse, addendo modum necessarii, fiunt syllogismi de necessario; ex combinationibus, ex quibus non fiunt syllogismi de inesse, neque fiunt syllogismi de necessario. Ex. gr., sicut in prima figura valet : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis,* sic valet : *omne rationale necessario est risibile; omnis homo necessario est rationalis; ergo omnis homo necessario est risibilis.* Sicut in eadem prima figura non valet : *omnis homo est animal; nullus equus est homo; ergo nullus equus est animal,* sic non valet : *omnis homo necessario est animal ; nullus equus necessario est homo; ergo nullus equus necessario est animal.* Idem dic de aliis figuris. Sicut ex syllogismis de inesse

quidam sunt perfecti, qui regulantur immediate *per dictum de omni et dictum de nullo*, alii sunt imperfecti; sic ex syllogismis de necessario quidam, hoc est primi quatuor primæ figuræ sunt perfecti, eo quod regulentur immediate per *necessario dictum de omni, necessario dictum de nullo*, alii sunt imperfecti. Sicut syllogismi de inesse secundæ et tertiæ figuræ sunt imperfecti, ac perficiuntur reductione ostensiva ad primam figuram per conversionem aliquarum propositionum; sic syllogismi de necessario secundæ et tertiæ figuræ sunt imperfecti, ac perficiuntur reductione ostensiva per conversionem aliquarum propositionum. Eodem enim pacto, quo convertuntur propositiones de inesse, convertuntur propositiones de necessario, ut dictum est cap. III. Sicut ex modis secundæ figuræ Barocco, et ex modis tertiæ Boccardo perfici non possunt reductione ostensiva ad primam figuram, sed solum reductione ad impossibile vel expositione, sic idem accidit in syllogismis de necessario. — Explicatur. Sit syllogismus in Barocco : *omnis homo necessario est rationalis*; *aliquod animal necessario non est rationale*; *ergo aliquod animal necessario non est homo*. *Probatur* necessitas conclusionis expositione. Hoc animal, quod necessario non est rationale, sit Bucephalus. Bucephalus igitur est animal, et necessario non est rationale; ergo necessario non includitur in homine, cum omnis homo necessario sit rationalis, adeoque necessario non est homo; ergo jam aliquod animal, hoc est Bucephalus, necessario non est homo. Eodem pacto potest expositione probari, quod concludat Boccardo in tertia figura.

CAPUT X

DE SYLLOGISMIS MISTIS EX ALTERA PRÆMISSA DE NECESSARIO, ALTERA DE INESSE IN PRIMA FIGURA.

1. [9] Accidit etiam aliquando, ut cum altera tantum propositio sit necessaria, syllogismus fiat necessarius, non tamen utravis, sed ea, quæ continet majus extremum. Ut si τὸ α sumptum sit necessario inesse vel non inesse τῷ β, ac τὸ β τῷ γ inesse tantum. Sic enim acceptis propositionibus necessario τὸ α inerit vel non inerit τῷ γ. Cum enim omni β necessario insit aut non insit τὸ α, τὸ γ autem sit aliquid τῶν β, perspicuum est etiam, τὸ γ necessario fore horum alterum.

1. Explicatis syllogismis constantibus ex utraque præmissa de necessario, agit Aristoteles de syllogismis mistis ex altera præmissa de necessario, altera de inesse. Ponit ergo aliquas regulas pro singulis figuris.

Prima regula pro modis universalibus primæ figuræ, Barbara nimirum, et Celarent est : si major affirmativa vel negativa sit de necessario, minor negativa de inesse, sequitur conclusio de necessario. — Probatur; sit enim syllogismus in Barbara : *omne animal necessario est sensitivum*; *omnis homo est animal*, sequitur : *ergo omnis homo necessario est sensitivus*. Probatur per *dictum de omni*. Quod enim dicitur de omni, dicitur de quolibet, quod est sub illo; sed de omni animali dicitur esse sensitivum necessario, et quilibet homo est sub animali; ergo de quolibet homine dicitur esse sensitivum necessario. Rursus sit syllogismus in Celarent : *ex necessitate nullum animal est lapis; omnis homo est animal*, sequitur : *ergo ex necessitate nullus homo est lapis*. Probatur per *dictum de nullo;* lapis enim necessario negatur de omni animali; ergo etiam necessario negatur de omni homine, cum omnis homo contineatur in animali.

2. Si vero propositio α β non est necessaria, sed β γ est necessaria, non erit conclusio necessaria. Nam si conclusio necessaria erit, accidet ut τὸ α alicui β insit necessario, ut probari potest tam in prima quam in tertia figura. Hoc autem falsum est, quia contingit τὸ β esse ejusmodi, ut τὸ α possit ei nulli inesse. Præterea etiam ex terminis apparet, conclusionem non fore necessariam. Ut si τὸ α sit motus, τὸ β animal, et ubi γ homo, quoniam homo necessario est animal, sed nec animal nec homo necessario movetur. Similiter etiam se res habet, si α β sit privativum, quoniam eadem est demonstratio.

2. *Secunda regula* pro iisdem modis universalibus primæ figuræ est : si major sit de inesse, minor de necessario, sequitur conclusio solum de inesse, non autem de necessario. — Probatur. Si enim syllogismus in Barbara : *omne animal movetur*; *omnis homo necessario est animal*, non sequitur : *ergo omnis homo necessario movetur*, cum non moveatur necessario, sed contingenter, quia omne animal movetur non necessario, sed contingenter. Probari potest per dictum de omni. Nam quod dicitur de omni non necessario, sed contingenter, de eo etiam, quod continetur necessario sub illo, dicitur non neces-

sario sed contingenter; sed de omni animali dicitur moveri non necessario, sed contingenter; ergo etiam de omni homine dicitur moveri non necessario, sed contingenter.—Confirmatur, quia hæc major: *omne animal movetur,* potest esse vera, etiamsi nulli animali conveniret hoc, quod est *moveri ex necessitate*; ergo non sequitur ex illa et minori necessario ulla conclusio, quæ non possit esse vera, nisi aliquod animal moveatur ex necessitate; sed hæc conclusio: *omnis homo necessario movetur,* non potest esse vera, quin aliquod animal, hoc est homo, moveatur ex necessitate; ergo hæc conclusio non sequitur ex illa majori. — Probatur subsumptum; sequitur enim in prima figura: *omnis homo necessario movetur*; *aliquod animal necessario est homo*; *ergo aliquod animal necessario movetur.* Sequitur etiam in tertia figura et in Darapti: *omnis homo necessario movetur; omnis homo necessario est animal; ergo aliquod animal necessario movetur;* ergo non est possibile, ut sit verum, quod omnis homo necessario movetur, et simul sit verum, quod nullum animal necessario movetur; sed potest esse verum, omne animal movetur, et simul esse verum, quod nullum animal necessario movetur; ergo hæc : *omnis homo necessario movetur,* non sequitur ex illa : *omne animal movetur,* adjuncta minori : *omnis homo necessario est animal.* Iisdem argumentis proportionaliter ostenditur, quod etiam in Celarent ex majori negativa de inesse, minori de necessario, non sequitur conclusio de necessario.

3. In syllogismis autem particularibus, si quidem pronuntiatum universale est necessarium, etiam conclusio erit necessaria. At si particulare est necessarium, conclusio non erit necessaria, sive privativa sive attributiva sit propositio universalis. Primum ergo universale sit necessarium, ac τὸ α omni β insit necessario, τὸ β autem alicui γ insit tantum. Necesse igitur est, τὸ α alicui γ inesse necessario, quoniam τὸ γ est sub β, atque omni β τὸ α inerat necessario. Similiter se res habet, si privativus sit syllogismus, quoniam eadem erit demonstratio. Si vero particulare est necessarium, non erit conclusio necessaria ; nihil enim absurdi accidit, quemadmodum nec in syllogismis universalibus. Similiter res se habet in syllogismis particularibus privativis. Termini sunto motus-animal-album.

3. *Tertia regula* pro modis particularibus primæ figuræ, qui sunt Darii et Ferio est : ex majori de necessario, minori de inesse sequitur conclusio de necessario; ex majori de inesse, minori de necessario non sequitur conclusio de necessario. Probatur eodem pacto ac prima et secunda regula; *si enim omne animal necessario est sensitivum, et aliquod corpus est animal, aliquod corpus necessario est sensitivum.* Nam esse sensitivum dicitur necessario de omni animali; ergo dicitur etiam necessario de eo corpore, quod continetur sub animali. Eodem pacto probatur de syllogismo in Ferio. Simili argumento ostenditur, quod si major est de inesse, minor de necessario, non sequitur conclusio de necessario. Confirmatur per instantiam in his terminis *motus, animal, album;* non enim valet: *omne animal movetur; aliquod album, puta cygnus necessario est animal; ergo aliquod album, puta cygnus necessario movetur.* Cum enim animal moveatur quidem, sed non ex necessitate, illud album, quod est animal, movetur quidem, sed non ex necessitate.

CAPUT XI

DE SYLLOGISMIS MISTIS EX ALTERA PRÆMISSA DE NECESSARIO, ALTERA DE INESSE IN SECUNDA FIGURA.

1. [10] In secunda autem figura, si privativa propositio sit necessaria, etiam conclusio erit necessaria. Si affirmativa sit necessaria, conclusio non erit necessaria. Primum enim privativa sit necessaria, ac τὸ α nulli β contingat, sed τῷ γ insit solum. Quoniam igitur propositio privans convertitur, τὸ β nulli α contingit. Atqui τὸ α inest omni γ. Itaque τὸ β nulli γ contingit, quia τὸ γ est sub α. Itidem conclusio erit necessaria, si negatio adjiciatur τῷ γ. Nam si τὸ α nulli γ contingit, etiam τὸ γ nulli α inesse potest. Verum τὸ α inest omni β. Quare nulli β τὸ γ contingit. Fit enim iterum prima figura. Ergo nec τὸ β inesse poterit τῷ γ, quia similiter convertetur.

2. Si vero attributiva propositio sit necessaria, non erit conclusio necessaria. Insit enim τὸ α omni β necessario, ac nulli γ insit solum. Conversa igitur propositione privante fit prima figura. Ostensum autem est in prima figura, cum non est necessaria propositio major privativa, neque conclusionem fore necessariam. Quare nec in his erit conclusio necessaria. Præterea si conclusio sit necessaria, accidit ut τὸ γ alicui α necessario non insit. Nam si τὸ β necessario nulli γ inest, etiam τὸ γ necessario nulli β inerit. Atqui necesse est τὸ β inesse alicui α, si quidem τὸ α omni β necessario inerat. Quare necesse est τὸ γ alicui α non inesse. Sed nihil prohibet τὸ α ejusmodi accipi, ut omni γ inesse possit. Præterea etiam terminorum expositione

licet ostendere, conclusionem non esse simpliciter necessariam, sed esse his positis necessariam. Esto exempli causa τὸ α animal, τὸ β homo, τὸ γ album, ac propositiones similiter sumantur; accidit enim, ut animal nulli albo insit. Ergo etiam homo inerit nulli albo, sed non necessario. Contingit enim hominem fieri album, non tamen quamdiu animal nulli albo inest. Quare his positis necessaria erit conclusio, simpliciter autem non erit necessaria.

1. Traditis regulis pro prima figura, tradit Aristoteles regulas pro secunda figura. *Prima regula* pro modis universalibus, Cesare nimirum et Camestres est : si universalis negativa sit de necessario, universalis affirmativa de inesse, sequitur conclusio de necessario; ut si universalis affirmativa sit de necessario, universalis negativa de inesse, non sequitur conclusio de necessario, sed de inesse. — Probatur prima pars. Sit enim syllogismus in Cesare : *necesse est nullam plantam esse animal*; *omnis homo est animal*, sequitur : *ergo necesse est, nullum hominem esse plantam.* Probatur; ut enim dictum est cap. III, universalis negativa de necessario convertitur simpliciter; ergo major convertitur in hanc, *necesse est nullum animal esse plantam ;* sed facta hac conversione argumentum erit in Celarent; et in Celarent si major sit de necessario, minor de inesse, conclusio sequitur de necessario, ut dictum est cap. X. num. 1.; ergo in Cesare si universalis negativa sit de necessario, universalis affirmativa sit de inesse, conclusio sequitur de necessario. Rursus sit syllogismus in Camestres : *omne animal est sensitivum; necesse est, nullam plantam esse sensitivam,* sequitur : *ergo necesse est, nullam plantam esse animal.* Conversa enim simpliciter minori universali negativa juxta regulas conversionum propositionum modalium explicatas cap. III. fiet argumentum in Celarent : *necesse est, nullum sensitivum esse plantam; omne animal est sensitivum*; *ergo necesse est, nullum animal esse plantam*; *ergo necesse est, nullam plantam esse animal* ; ergo cum conclusio de necessario sequatur in Celarent, sequitur etiam in Camestres, quando universalis negativa est de necessario, etiamsi universalis affirmativa sit de inesse.

2. Probatur jam secunda pars, quod si in Cesare et Camestres universalis affirmativa sit de necessario, universalis negativa de inesse, non sequitur conclusio de necessario. Sit enim syllogismus in Cesare : *nullum album est animal; necesse est omnem hominem esse animal,* non sequitur: *ergo necesse est nullum hominem esse album.* — Probatur primo, quia eatenus aliqua conclusio sequitur in Cesare, quatenus si major negativa convertatur simpliciter, eadem conclusio sequitur in Celarent; sed convertendo simpliciter illam majorem : *nullum album est animal,* in hanc : *nullum animal est album,* non sequitur in Celarent conclusio de necessario, ut dictum est cap. X. num. 2. ergo neque sequitur in Cesare, et eodem pacto probatur, quod non sequitur in Camestres. — Secundo probatur; si sequitur hæc conclusio : *ergo necesse est, nullum hominem esse album,* eo ipso sequitur, quod *necesse est, aliquod animal non esse album*; homo enim cum sit aliquod animal, ex necessitate non est albus; ergo si est vera hæc conclusio : *necesse est nullum hominem esse album,* non potest esse vera hæc propositio : *non est necesse, ut aliquod animal non sit album* ; sed etiam si sit vera illa major : *nullum album est animal,* adhuc potest esse verum, quod non necesse est, ut nullum album sit animal, neque ut aliquod album non sit animal, et quod similiter non necesse est, ut aliquod animal non sit album; ergo aliquid, quod non potest stare cum veritate consequentis, potest stare cum veritate antecedentis, quod est contra regulam : *quiquid non potest stare cum veritate consequentis, nec potest stare cum veritate antecedentis.* — Tertio demum probatur per instantiam; si enim dicatur in Camestres : *omnis homo necessario est animal; nullum album est animal,* non sequitur : *ergo nullum album est homo, et hoc ex necessitate.* Licet enim utraque præmissa supponatur vera, eo quod de facto nullum album esset animal, adhuc conclusio esset falsa, cum posset aliquod album fieri et esse homo.

3. Similiter res se habebit et in syllogismis particularibus. Cum enim privativa propositio est universalis et necessaria, etiam conclusio erit necessaria. Cum autem attributiva est universalis et necessaria, privativa autem est particularis et non necessaria, non erit conclusio necessaria.

4. Primum igitur privativa sit universalis et necessaria, ac τὸ α nulli β inesse possit, cuidam vero γ insit. Cum igitur privativum convertatur, etiam τὸ β nulli α inesse poterit. Atqui τὸ α cuidam γ inest. Quare necessario cuidam γ non inerit τὸ β.

5. Rursus attributiva propositio sit universa-

lis et necessaria, et affirmatio adjiciatur τῷ β. Si igitur τὸ α omni β necessario inest, cuidam autem γ non inest, perspicuum est, τὸ β cuidam γ non inesse, sed non necessario. Iidem enim termini usui erunt ad hoc demonstrandum, qui in syllogismis universalibus accepti fuerunt. Ac ne tum quidem erit conclusio necessaria, cum pronuntiatum privativum est necessarium in parte acceptum; per eosdem enim terminos demonstratio fieri potest.

3 *Secunda regula* pro modis particularibus secundæ figuræ, qui sunt Festino et Barocco est: si universalis negativa sit de necessario, particularis vero affirmativa de inesse, sequitur conclusio de necessario; si vero sit de necessario universalis affirmativa, vel particularis sive affirmativa sive negativa, non sequitur conclusio de necessario.

4 Probatur prima pars ponendo exemplum in Festino: *necesse est, nullum hominem esse equum; aliquod animal est equus,* sequitur: *ergo necesse est, aliquod animal non esse hominem.* Major enim, utpote universalis negativa, convertitur simpliciter in hanc: *necesse est, nullum equum esse hominem*; sed facta hac conversione argumentum erit in Ferio, in quo cum major est de necessario, conclusio sequitur de necessario, ut dictum est cap. x, num. 3; ergo etiam in Festino si universalis negativa sit de necessario, particularis affirmativa de inesse, conclusio sequitur de necessario.

5 Probatur secunda pars, quod si universalis affirmativa sit de necessario, particularis negativa de inesse, non sequitur conclusio de necessario, ponendo exemplum in Barocco; si enim dicatur: *omne animal necessario est sensitivum; aliquod album non est sensitivum,* non sequitur: *ergo aliquod album necessario non est animal.* Sicut enim cum veritate minoris stat, quod licet aliquod album non sit sensitivum, omne album potest esse sensitivum, sic cum veritate conclusionis stat, quod omne album possit esse animal, adeoque non sequitur, quod necesse sit, aliquod album non esse animal. Demum si in Barocco major universalis affirmativa sit de inesse, minor particularis negativa de necessario, non sequitur conclusio de necessario, ut patet in hoc syllogismo: *omne album est homo; necesse est, aliquod animal non esse hominem;* non sequitur *ergo necesse est, aliquod animal non esse album.*

CAPUT XII

DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PROPOSITIONE DE NECESSARIO, ALTERA DE INESSE IN TERTIA FIGURA.

1. [11] In tertia vero figura cum termini sunt universaliter medio juncti et utræque propositiones attributivæ, utravis sit necessaria, etiam conclusio erit necessaria. Quodsi altera propositio sit privativa altera attributiva, cum privativa est necessaria, etiam conclusio erit necessaria; cum autem attributiva est necessaria, conclusio non erit necessaria.

2. Primum enim utræque propositiones sint attributivæ, ita ut et τὸ α et τὸ β omni γ insit, et necessaria sit propositio α γ. Quoniam igitur τὸ β inest omni γ, etiam τὸ γ inerit alicui β; convertitur enim propositio universalis in particularem. Quare si omni γ τὸ α necessario inest, ac τὸ γ alicui β, etiam τὸ α alicui β necesse est inesse, quia τὸ β est sub γ. Fit ergo iterum prima figura.

3. Similiter ostendetur, si propositio β γ sit necessaria. Nam τὸ γ reciprocatur cum aliquo α. Quare si omni γ τὸ β necessario inest, ac τὸ γ alicui α inest, etiam τὸ β alicui α necessario inerit.

4. Rursus propositio α γ sit privativa, et propositio β γ affirmativa, privativa autem sit necessaria. Quoniam igitur affirmativa convertitur, τὸ γ inerit cuidam β, ac τὸ α necessario nulli γ; item cuidam β necessario non inerit τὸ α, quia τὸ β est sub γ.

5. At si propositio attributiva sit necessaria, non erit conclusio necessaria. Sit namque propositio β γ attributiva et necessaria, et propositio α γ privativa non necessaria. Cum igitur affirmativa convertatur, etiam τὸ γ necessario inerit cuidam β. Quare si τὸ α nulli γ ac τὸ γ cuidam β inest, etiam τὸ α cuidam β non inerit; sed non necessario. Ostensum enim fuit in prima figura, posita propositione privativa non necessaria, conclusionem non fore necessariam. Præterea etiam ex terminis hoc perspicuum esse potest. Sit enim τὸ α bonum, τὸ β animal, τὸ γ equus. Contingere igitur potest, ut bonum nulli equo insit, necesse autem est animal omni equo inesse. Sed non necesse est, aliquod animal non esse bonum, siquidem contingere potest, ut omne animal sit bonum. Aut si hoc fieri nequit, alius terminus poni debet, ut vigilare vel dormire, quoniam omne animal hæc recipere potest. Si igitur termini universaliter medio juncti sunt, dictum est, quando conclusio erit necessaria.

1 Positis regulis pro syllogismis ex una præmissa de necessario, altera de inesse primæ et secundæ figuræ, ponit Aristoteles regulas pro tertia figura. *Prima regula* pro duobus modis universalibus tertiæ figuræ, qui sunt Darapti et Felapton est: in Darapti, si alterutra præmissa

sive major sive minor sit de necessario, et altera de inesse, sequitur conclusio de necessario; in Felapton vero, si universalis negativa sit de necessario, universalis affirmativa de inesse, sequitur conclusio de necessario; si vero universalis negativa sit de inesse, universalis affirmativa de necessario, non sequitur conclusio de necessario.

2. Probatur : sit enim syllogismus in Darapti ex majori de necessario, minori de inesse : *omnis homo necessario est intellectualis; omnis homo est animal*, sequitur : *ergo aliquod animal necessario est intellectuale*. Convertendo enim minorem in particularem affirmativam et dicendo : *aliquod animal est homo*, syllogismus erit in Darii, et major de necessario; sed in Darii cum major est de necessario, conclusio sequitur de necessario, ut dictum est cap. x. num. 3.; ergo etiam in Darapti eadem conclusio sequitur de necessario.

3. Rursus sit syllogismus in Darapti, in quo major sit de inesse, ac minor de necessario, ac dicatur : *omnis homo est intellectualis; omnis homo necessario est animal*, sequitur : *ergo aliquod animal necessario est intellectuale*. Convertendo enim majorem per accidens et transponendo præmissas, fiet hic syllogismus in Darii : *omnis homo necessario est animal; aliquod intellectuale est homo; ergo aliquod intellectuale necessario est animal*; sed particularis affirmativa de necessario convertitur simpliciter, ut dictum est cap. III., ac proinde sequitur : *ergo aliquod animal necessario est intellectuale*; ergo cum hæc conclusio sequatur in Darii, sequitur etiam in Darapti.

4. Rursus sit syllogismus in Felapton, in quo major universalis negativa sit de necessario, minor affirmativa de inesse, et dicatur : *necesse est, nullum animal esse plantam; omne animal est vivens*, sequitur : *ergo necesse est, aliquod vivens non esse plantam*; convertendo enim minorem per accidens in hanc : *aliquod vivens est animal*, eadem conclusio sequitur in Ferio, ut dictum est cap. x num. 3; ergo sequitur etiam in Felapton.

5. Probatur demum, quod si in Felapton universalis negativa sit de inesse, universalis affirmativa de necessario, non sequatur conclusio de necessario. Sit enim syllogismus : *nullus equus de facto dormit; omnis equus necessario est animal*, non sequitur : *ergo aliquod animal necessario de facto dormit*.—Probatur primo, quia convertendo minorem per accidens ac dicendo : *aliquod animal necessario est equus*, argumentum est in Ferio, in quo major est de inesse, minor de necessario; sed in Ferio cum major est de inesse, minor de necessario, non sequitur conclusio de necessario, ut dictum est cap. x. num. 3; ergo etiam in Felapton cum major universalis negativa est de inesse, minor de necessario, non sequitur conclusio de necessario.—Secundo probatur instantia; dicatur enim : *nullus equus de facto est bonus; aliquod animal necessario est equus*, non sequitur : *ergo aliquod animal de facto necessario non est bonum*; cum posset contingere, quod et omnis equus, et omne animal esset bonum. Si vero hæc instantia alicui videatur dubia, eo quo major sit falsa, cum omnis equus sit bonus saltem bonitate entis, utatur instantia de dormiente ac vigilante, et dicat : *nullus equus de facto vigilat; omnis equus necessario est animal*, non sequitur : *ergo aliquod animal necessario de facto non vigilat*.

6. Si vero alter universaliter alter in parte de medio dicatur, ita ut ambo sint attributivi, cum propositio universalis sit necessaria, etiam conclusio erit necessaria. Demonstratio autem eadem est quæ antea, quia convertitur etiam propositio attributiva particularis. Itaque si necesse est, τὸ β inesse omni γ, ac τὸ α est sub γ, necesse est, τὸ β inesse alicui α. Quodsi τὸ β inest alicui α, etiam τὸ α alicui β inesse, necesse est, quoniam hæc propositio convertitur.

7. Idem est, si propositio α γ sit necessaria et universalis, quia τὸ β est sub γ.

8. Si vero propositio particularis sit necessaria, non erit conclusio necessaria. Sit enim propositio β γ particularis et necessaria, ac τὸ α insit omni γ, non tamen necessario. Conversa igitur propositione β γ fit prima figura, et universalis propositio non est necessaria, sed particularis est necessaria. Cum autem ita habent propositiones, non erat conclusio necessaria. Quocirca nec in his terminis, quos nunc posuimus, erit conclusio necessaria. Præterea ex terminis hoc perspicuum est. Sit enim α vigilia, β bipes, ubi γ animal. Necesse igitur est τὸ β alicui γ inesse, contingitque ut τὸ α omni γ insit, ac τὸ α τῷ β non necessario inest, quia non necesse est, ut aliquod bipes dormiat aut vigilet.

9. Similiter autem et per eosdem terminos ostendetur, et si propositio α γ sit particularis et necessaria.

6. *Secunda regula* pro duobus modis particularibus affirmativis, qui sunt Disamis et Datisi est : si universalis affirma-

tiva sit de necessario, particularis de inesse, sequitur conclusio de necessario; si vero e converso universalis affirmativa sit de inesse, particularis de necessario, non sequitur conclusio de necessario.

Probatur; sit enim syllogismus in Disamis: *aliquod animal est intellectuale*; *omne animal necessario est vivens*, sequitur: *ergo aliquod vivens neccessario est intellectuale*. Convertendo enim majorem simpliciter, et transponendo præmissas fit syllogismus in Darii: *omne animal nceessario est vivens*; *aliquod intellectuale est animal: ergo aliquod intellectuale necessario est vivens*; et convertendo conclusionem simpliciter, ut dictum est cap. III, sequitur: *ergo aliquod vivens necessario est intellectuale*; ergo sicut hæc conclusio sequitur in Darii, sic sequitur in Disamis.

7. Rursus sit syllogismus in Datisi: *omne animal necessario est vivens*; *aliquod animal est intellectuale*, sequitur: *ergo aliquod intellectuale necessario est vivens*. Convertendo enim minorem simpliciter, eadem conclusio sequitur in Darii, ut dictum est cap. X. num. 3.

8. Quod vero si universalis sit de inesse, particularis de necessario, non sequatur conclusio de necessario, probatur. Sit enim syllogismus in Datisi: *omne animal de facto vigilat*; *aliquod animal necessario est homo*; non sequitur: *ergo aliquis homo necessario de facto vigilat*. Conversa enim minori simpliciter, syllogismus erit in Darii, et major de inesse, minor de necessario; sed in Darii ex majori de inesse, minori de necessario, non sequitur conclusio de necessario, ut dictum est cap. X. num. 3.; ergo neque in Datisi ex universali de inesse, particulari de necessario, sequitur conclusio de necessario. Confirmatur instantia; nam licet omne animal vigilet, et aliquod animal necessario sit bipes, non sequitur, quod aliquod bipes necessario vigilet, cum vigilet contingenter, et possit etiam dormire.

9 Rursus sit syllogismus in Disamis: *aliquod animal necessario est bipes*; *omne animal vigilat*, non sequitur: *ergo aliquod vigilans necessario est bipes*, cum sicut bipes potest non esse vigilans, sic vigilans possit non esse bipes.

10. Quodsi terminorum alter sit attributivus alter privativus, cum propositio universalis est privativa et necessaria, etiam conclusio erit necessaria. Nam si τὸ α nulli γ contingit, ac τὸ β cuidam γ inest, necesse est τὸ α cuidam β non inesse. Cum autem propositio affirmativa necessaria fuerit, sive universalis sive in parte, aut privativa particularis, non erit conclusio necessaria. Cetera namque eadem dicemus, quæ in prioribus diximus. Termini autem, cum propositio universalis affirmans est necessaria, sint vigilia-animal-homo, medium sit homo. Cum autem propositio in parte affirmans est necessaria, termini sint vigilia-animal-album. Necesse est enim animal cuidam albo inesse. Accidit autem, ut vigilia nulli albo insit, nec necesse est, cuidam animali non inesse vigiliam. Cum autem propositio privans in parte est necessaria, termini sint bipes-motus-animal, medium animal.

11. [12] Perspicuum igitur est, non esse syllogismum ejus quod inest, nisi utræque propositiones significent inesse, colligi tamen necessariam conclusionem, etiamsi altera tantum propositio necessaria sit. In utrisque autem, sive affirmativi sive privativi sint syllogismi, necesse est alteram propositionem esse similem conclusioni. Sic autem similem dico: si concludatur inesse, etiam altera propositio significat inesse, si necessarium, etiam altera propositio est necessaria. Quare constat, non concludi necessarium, vel quod inest, nisi altera propositio accipiatur necessaria vel significans inesse. De necessario igitur, id est, quomodo colligatur et qua differat ab eo quod inest, satis fere dictum est.

10. *Tertia regula* pro duobus modis particularibus negativis, qui sunt Boccardo et Ferison est: si universalis negativa sit de necessario, particularis affirmativa de inesse, sequitur conclusio de necessario; si vero necessaria sit solum præmissa affirmativa universalis vel particularis, vel sit necessaria negativa particularis, non sequitur conclusio de necessario.

Probatur prima pars; sit enim syllogismus in Ferison: *necesse est, nullum animal esse plantam*; *aliquod animal est vivens*, sequitur: *ergo necesse est, aliquod vivens non esse plantam*. Conversa enim minori simpliciter, fit syllogismus in Ferio ex majori de necessario, minori de inesse; sed in Ferio ex majori de necessario, minori de inesse sequitur conclusio de necessario; ergo etiam in Ferison.

Probatur secunda pars, quod cum est de necessario affirmativa universalis vel particularis, non sequitur conclusio de necessario, tum per rationes proportionales jam adductis, tum per instantias. Primo enim sit syllogismus in Boccardo, in quo minor universalis affirmativa sit de necessario, ac dicatur: *aliquis homo non est vigilans*; *omnis homo necessario est animal*, non sequitur: *ergo aliquod animal necessario non est vigilans*, cum omne

animal possit vigilare, atque non necessario non vigilet. Secundo sit syllogismus in Ferison, in quo minor particularis affirmativa sit de necessario, ac dicatur : *nullum animal est vigilans; aliquod animal necessario est album, puta cygnus,* non sequitur : *ergo aliquod album, puta cygnus necessario non est vigilans,* cum omnis cygnus possit vigilare. Tertio sit syllogismus in Boccardo, in quo major particularis negativa sit de necessario, ac dicatur : *aliquod animal necessario non est bipes; omne animal movetur,* non sequitur : *ergo aliquid, quod movetur, necessario non est bipes,* cum possit contingere, quod solus bipes moveatur, adeoque quod omne, quod movetur, sit bipes.

11. Concludit Aristoteles inferendo quædam *corollaria.* Primum est : conclusio affirmativa de inesse non sequitur, nisi utraque præmissa sit de inesse; at conclusio de necessario sæpe sequitur, etiamsi altera tantum præmissa sit de necessario. Secunda pars patet ex dictis. Prima pars probatur, quia licet si altera præmissa sit de necessario, altera de inesse, sæpe sequatur conclusio de inesse, tamen præmissa de necessario, eo ipso, quod affirmat prædicatum necessario inesse, affirmat etiam quod inest; ergo præmissa de necessario est etiam de inesse, licet non sit de inesse tantum. Secundum corollarium est : in syllogismis affirmativis ac negativis, ut conclusio sit de necessario vel de inesse, altera saltem præmissa debet esse de necessario vel de inesse, et illi debet assimilari conclusio. Patet ex dictis; vel enim utraque præmissa debet esse de inesse, ut cum conclusio debet esse de inesse, vel saltem altera debet esse de necessario, ut cum conclusio debet esse de necessario. Sufficienter igitur dictum est de syllogismis de inesse ac de necessario, ac de eorum ab invicem differentia.

CAPUT XIII

QUID ET QUOTUPLEX SIT CONTINGENS, ET DE CONVERSIONIBUS PROPOSITIONUM DE CONTINGENTI

1. [13] Post hæc de contingenti dicamus, quando et quomodo et ex quibus erit syllogismus.

2. Contingere autem et contingens id appello, quod cum non sit necessarium, si ponatur esse, nihil inde sequitur impossibile.

3. Quod enim necessarium est, homonymos contingere dicitur. Hoc autem esse contingens quod diximus, perspicuum est ex negationibus et affirmationibus oppositis. Hæc enim, non contingit inesse, et impossibile est inesse, et necesse est non inesse, aut eadem sunt aut sese mutuo consequuntur. Quare etiam his opposita, id est, contingit inesse, et non impossibile est inesse, et non necesse est non inesse, aut erunt eadem aut sese mutuo consequentur. Nam de omni re vel affirmatio vel negatio vera est. Ergo contingens est non necessarium, et non necessarium contingens.

1. Postquam Aristoteles egit de syllogismis constantibus ex utraque præmissa de necessario, vel ex altera de necessario, altera de inesse, acturus de syllogismis constantibus ex utraque, vel ex altera præmissa de contingenti, præmittit primo, quid et quotuplex sit contingens; secundo tradit regulas conversionum propositionum de contingenti, quæ regulæ sunt principia reducendi syllogismos imperfectos.

2. Contingens est, quod cum non sit necessarium, si ponatur esse vel non esse, nihil sequitur impossibile; ex. gr., hominem ambulare est contingens, quia ex una parte non est necessarium hominem ambulare, ex alia parte, si ponatur hominem ambulare, vel hominem non ambulare, nihil sequitur impossibile.

3. Ex hac definitione patet, quod cum dicitur necessarium esse contingens, contingens non sumitur secundum allatam descriptionem, sed sumitur æquivoce et in diverso sensu; ex. gr., cum dicitur : *contingit Deum esse,* non est sensus, quod Deum esse non est necessarium, sed solum, quod non est impossibile. Quod vero de eo, quod necessario est, possit dici, quod contingit esse, ex. gr., quod possit dici : *ens necessarium contingit esse,* patet; quia de quolibet vera est affirmatio aut negatio; sed non est vera negatio, qua dicatur : *ens necessarium non contingit esse;* ergo vera est affirmatio, qua dicatur : *ens necessarium contingit esse.* Probatur minor; hæc tria : *non contingit esse; impossibile est esse; necesse est non esse.* idem sunt, vel se mutuo sequuntur, ut dictum est lib. II. Periherm. cap. II, n. 14, sed falsum est, quod necessarium sit impossibile esse, vel necesse non esse; ergo falsum est etiam, quod necessarium non contingit esse; ergo verum est, quod necessarium contingit esse. Et quia etiam hæc tria : *contingit esse; non impossibile*

est esse; non necesse est non esse, vel sunt idem vel se mutuo sequuntur, ideo de necessario verum est, quod contingit esse, quod non impossibile est esse, et quod non necesse est non esse. Aliter tamen sumitur contingens in definitione allata pro non necessario, et non necessarium sumitur pro contingente, ut explicatum est.

4. Omnes autem de contingenti propositiones in se invicem converti possunt. Converti inquam, non affirmativas in negativas, sed quæcumque affirmativam figuram habent secundum oppositionem, ut hæc, contingit inesse, mutatur in hanc, contingit non inesse, et hæc, contingit omni, in hanc, contingit nulli vel non omni, et hæc, alicui contingit, in hanc, non omni contingit. Eodem modo et in aliis fit conversio. Cum enim contingens non sit necessarium, ac non necessarium possit non inesse, perspicuum est, si contingit τὸ α τῷ β inesse, contingere etiam non inesse, et si omni contingit inesse, etiam omni contingere non inesse. Similis est ratio affirmationum in parte, quoniam eadem est demonstratio. Ejusmodi vero propositiones sunt attributivæ, non privativæ. Nam verbum contingit similiter ponitur in oratione ut verbum est, sicut prius dictum fuit.

4. Proposita et explicata definitione contingentis, in quantum sumitur pro non necessario, tradit Aristoteles regulas conversionum. *Prima regula* est : propositiones de contingenti affirmativæ de modo et dicto convertuntur in negativas, non quidem modi, sed dicti; ex. gr., valet : *contingit esse; ergo contingit non esse; contingit omnem hominem esse album; ergo contingit nullum hominem esse album, vel contingit aliquem hominem non esse album; contingit animal vigilare; ergo contingit, animal non vigilare, sed dormire.*

Probatur ex allata definitione contingentis. Contingens enim est non necessarium; ergo si contingit esse, non necessarium est esse; sed si non necessarium est esse, possibile est non esse, adeoque contingens est non esse; ergo si contingit esse, contingit non esse; ergo si contingit omnem hominem vigilare, contingit omnem hominem non vigilare, seu nullum hominem vigilare, idemque dic de particularibus. Porro utraque ex istis propositionibus : *contingit esse, contingit non esse*, est affirmativa, quia per utramque affirmatur, quod sit contingens, ut dictum est cap. IV, num. 5.

5. His definitis rursus dicamus, contingere dici duobus modis, uno, quod plerumque fit ac deficit a necessario, ut hominem canescere vel augeri vel tabescere, et omnino quod natura esse solet (hoc enim non habet continuam necessitatem, quia non semper homo est; sed si homo sit, aut necessario aut plerumque est). Alio modo, quod est indefinitum, quodque et ita et secus esse potest, ut animal ambulare, aut eo ambulante fieri terræ motum, et omnino quod fit a fortuna. Horum enim nihil magis ita natura comparatum est quam contrario modo.

6. Convertitur ergo secundum oppositas propositiones utrumque contingens, non tamen eodem modo. Sed quod natura comparatum est, ut sit, in id convertitur, quod non necessario inest (sic enim contingit non canescere hominem). Quod autem est indefinitum, in id convertitur, quod non magis hoc quam illo modo esse potest.

7. Scientia vero et syllogismus demonstrativus non est eorum, quæ sunt indefinita, quia medium est inordinatum, sed eorum quæ natura comparatum est ut sint. Ac fere disceptationes considerationesque de his fiunt, quæ hoc modo contingunt, de his autem, quæ illo modo contingunt, fieri quidem potest syllogismus, sed quæri non consuevit. Hæc igitur magis definientur in sequentibus. Nunc vero dicamus, quando et quomodo et quis erit syllogismus ex contingentibus propositionibus.

5. Ut tradat *secundam regulam*, dividit Aristoteles contingens in quantum sumitur pro non necessario. Primo dicitur contingens, quod licet natum sit fieri et plerumque fiat, tamen aliquando deficit, et hoc vocatur contingens natum; ex. gr., hominem in senectute canescere est contingens, quia secundum naturam est, ut homo in senectute canescat, et ideo plerumque canescit, sed potest aliquando non canescere, ideoque non est necessarium, ut canescat. Rursus secundum naturam hominis est, ut usque ad certam ætatem crescat, deinde decrescat, sed aliquando accidit oppositum, et ideo contingens est hominem crescere ac decrescere. Secundo dicitur contingens, quod æqualiter se habet ad esse ac non esse, et hoc vocatur contingens indefinitum seu indeterminatum; ex. gr., contingens est hominem ambulare, quia homo fere æqualiter se habet ad ambulandum et non ambulandum, et ideo aliquando ambulat, aliquando non ambulat. Rursus contingens est, quod ambulante homine fiat vel non fiat terræmotus, et accidant alia fortuita et casualia.

6. *Secunda* ergo *regula* est : propositiones de contingenti tum nato tum indefinito convertuntur in propositiones de

dicto opposito, sed cum hoc discrimine, quod propositiones de contingenti nato affirmativæ de modo et dicto convertuntur in negativas dicti, sumendo contingens non pro nato, sed pro pure non necessario; at propositiones affirmativæ quoad modum et dictum de contingenti indefinito convertuntur in negativas de dicto, sumendo contingens in eodem sensu.

Probatur et explicatur. Hæc propositio: *contingens est hominem in senectute canescere*, convertitur in hanc: *contingens est hominem in senectute non canescere*; at non eodem modo est contingens hominem canescere ac non canescere. Nam hominem canescere est contingens natum, cum homo ex natura sua debeat canescere et plerumque canescat; at hominem non canescere ita est contingens, ut non sit contingens natum, ideoque raro non canescit et præter ordinem rerum. At hæc propositio: *contingit hominem ambulare*, convertitur in hanc: *ergo contingit non ambulare*, sumendo contingens eodem modo pro contingenti indefinito.

7. Addit Aristoteles, quod de contingenti indefinito non datur scientia neque demonstratio, quia sicut non habet causam determinatam, ita non habet medium determinatum, per quod demonstretur. At de contingenti nato potest fieri demonstratio, præsertim Physica, quæ est de effectibus naturalibus, qui accidunt plerumque et per se, licet per accidens et raro possint impediri; imo pleræque orationes et considerationes sunt de contingenti nato. De contingenti indefinito potest fieri syllogismus, sed non solet fieri. Ratio est, quia syllogismus non fit nisi de iis, quæ quæruntur; sed non solet institui quæstio de contingenti indefinito; ergo neque solet fieri syllogismus de contingenti indefinito. Sed de hoc, quomodo scilicet possit dari demonstratio de contingenti, agendum est in libris Posteriorum. Hic solum est explicandum, quando, et quomodo, et qualis syllogismus fiat ex propositionibus de contingenti.

CAPUT XIV

DE PRINCIPIIS, PER QUÆ REGULANTUR SYLLOGISMI PERFECTI DE CONTINGENTI, AC DE SYLLOGISMIS EX UTRAQUE PRÆMISSA DE CONTINGENTI IN PRIMA FIGURA.

1. Quia vero hæc locutio, contingit hoc huic inesse, bifariam accipi potest — aut namque significat cui hoc inest, aut cui hoc contingit inesse. Nam hæc oratio, de quo τὸ β, ei contingere τὸ α, horum alterum significat, vel de quo dicitur τὸ β vel de quo dici contingit. Hæc autem nihil differunt, de quo τὸ β ei τὸ α contingere, et omni β τὸ α inesse posse. Perspicuum igitur est, duobus modis dici posse τὸ α omni β contingere inesse. Primum ergo dicamus, si de quo τὸ γ, ei τὸ β contingit, et de quo τὸ β, ei τὸ α contingit, quis erit et qualis syllogismus; ita namque ambæ propositiones contingentes sumuntur. Cum vero cui τὸ β inest, ei τὸ α contingit, altera propositio est de eo quod inest, altera contingens. Quare a similibus figura incipiendum est, sicut in aliis quoque fecimus.

1. Traditis regulis conversionum, per quas reducuntur syllogismi imperfecti, explicat Aristoteles, quomodo debeant intelligi duo principia: *contingit omni inesse*; *contingit nulli inesse*, per quæ regulantur syllogismi perfecti. Ut id explicet, advertit, dupliciter posse intelligi hanc propositionem, ex. gr., *contingit album esse musicum*; primus sensus est: *contingit, ut id, quod de facto est album, sit musicum*; secundus sensus est: *contingit, ut id, quod potest esse album, sit musicum*. Proportionaliter igitur *contingit omni inesse*, ex. gr., *contingit omnem musicum esse logicum*, dupliciter potest intelligi. Primus sensus est: *contingit ut omnis, qui actu est musicus, sit logicus*; secundus sensus est: *contingit ut omnis, qui potest esse musicus, sit logicus*. Idem proportionaliter dic de propositionibus, in quibus dicitur: *contingit nulli inesse*. Quia ergo, cum dicitur, *contingit, ut omnis, qui est musicus sit logicus*, est quædam mistio contingentis cum inesse, cum vero dicitur: *contingit ut omnis, qui potest esse musicus sit logicus*, non est mistio, ideo prius agendum est de syllogismis, in quibus contingens sumitur secundo modo et sine mistione, deinde de syllogismis, in quibus contingens sumitur primo modo et cum mistione, sicut prius egimus de syllogismis de necessario tantum, deinde de syllogismis mistis ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti.

2. [14] Cum igitur τὸ α contingit omni β ac τὸ β omni γ, syllogismus erit perfectus, quo colligetur τὸ α contingere omni γ. Hoc autem perspicuum est ex definitione; nam omni contingere ita accipiebamus.

3. Similiterque si τὸ α contingit nulli β ac τὸ β omni γ, syllogismus erit, quo colligetur τὸ α accidere nulli γ; nam cui τὸ β contingit, ei τὸ α non contingere, hoc erat nihil relinquere ex iis contingentibus, quæ sunt sub β.

2. Positis principiis, ex quibus regulantur syllogismi de contingenti, descendit Aristoteles ad explicandos modos tum utiles tum inutiles talium syllogismorum; ac primo per aliquas regulas explicat modos primæ figuræ, in quibus utraque præmissa est de contingenti.

Prima ergo *regula* est : in prima figura sunt duo modi universales perfecti, Barbara nimirum et Celarent. Probatur; sit enim syllogismusin Barbara : *contingit omnem musicum esse logicum; contingit omnem hominem esse musicum,* sequitur : *ergo contingit omnem hominem esse logicum.* Patet; ex dictis enim num. 1, sensus majoris est, *omne quod potest esse musicum, contingit ut sit logicum;* cum igitur in minori assumatur : *contingit omnem hominem esse musicum,* seu *omnis homo potest esse musicus,* sequitur, quod contingit omnem hominem esse logicum; alioquin non esset verum de omni, quod potest esse musicum, quod contingit ut sit logicum, siquidem posset sumi aliquid, quod posset esse musicum, et non posset esse logicum.

3. Rursus sit syllogismus in Celarent : *contingit nullum musicum esse logicum; contingit omnem hominem esse musicum,* sequitur : *ergo contingit nullum hominem esse logicum.* Cum enim sensus majoris sit, *contingit nullum, qui potest esse musicus, esse logicum,* et in minori assumatur, omnem hominem posse esse musicum; sequitur, quod contingit nullum hominem esse logicum; alioquin non contingeret nullum, qui possit esse musicus, esse logicum, siquidem posset sumi aliquis homo, qui posset esse musicus, cui non contingeret negatio logici.

4. Cum autem τὸ α contingit omni β ac τὸ β contingit nulli γ, ex propositionibus quidem acceptis nullus syllogismus fit, sed conversa propositione β γ sicut contingens convertitur, fit idem syllogismus, qui et antea factus est. Cum enim contingat τὸ β nulli γ inesse, contingit etiam omni inesse; hoc enim antea dictum est. Quare cum τὸ β accidat omni γ ac τὸ α omni β, rursus fit idem syllogismus.

5. Similis ratio est, si ambabus propositionibus adjiciatur negatio una cum verbo contingere, ut si τὸ α contingit nulli β ac τὸ β nulli γ. Nam ex propositionibus quidem acceptis nullus syllogismus fit, sed propositionibus conversis rursus erit idem syllogismus, qui et prius factus est. Perspicuum igitur est, negatione adjuncta minori extremo vel ambabus propositionibus, aut non fieri syllogismum, aut fieri quidem, sed non perfectum, quia necessitas consecutionis perficitur per conversionem.

4. *Secunda regula* est : in prima figura sunt duo modi universales imperfecti. Primus si major sit universalis affirmativa de dicto, minor universalis negativa de dicto ; secundus si utraque sit universalis negativa de dicto. *Probatur :* dicatur enim : *contingit omnem musicum esse logicum ; contingit nullum hominem esse musicum,* sequitur : *ergo contingit omnem hominem esse logicum.* Licet enim cum minor sit negativa, homo non sumatur sub musico, adeoque non sit syllogismus perfectus et regulatus immediate per dictum de omni, tamen (ut dictum est cap. 13, num. 4) propositiones de contingenti possunt converti in propositiones de dicto opposito; ergo hæc minor negativa : *contingit nullum hominem esse musicum,* convertitur in hanc : *contingit omnem hominem esse musicum* ; sed facta tali conversione argumentum erit in Barbara ; ergo si major sit affirmativa, minor negativa, sequitur conclusio affirmativa, et fit syllogismus imperfectus reducibilis ad Barbara.

5. Rursus fiat syllogismus ex utraque, negativa et dicatur : *contingit nullum musicum esse logicum; contingit nullum hominem esse musicum,* sequitur : *ergo contingit nullum hominem esse logicum ;* convertendo enim minorem in affirmativam de dicto, argumentum erit in Celarent; convertendo utramque propositionem, argumentum erit in Barbara, et infertur hæc conclusio : *ergo contingit omnem hominem esse logicum,* quæ convertitur in hanc : *ergo contingit nullum hominem esse logicum,* siquidem propositiones de contingenti affirmativæ de modo et de dicto convertuntur in negativas de dicto, juxta primam regulam traditam cap. 13, num. 4.

6. Quodsi propositionum altera universalis, altera in parte sumpta sit, sane ad majus extremum posita universali syllogismus erit perfectus. Nam si τὸ α contingit omni β, ac τὸ β alicui γ, certe τὸ α contingit alicui γ. Hoc autem perspicuum estex definitione, qua expositum est, quid sit omni accidere. Rursus si τὸ α contingit nulli β, ac τὸ β cuidam γ inesse contingit, necesse est contingere τὸ α cuidam γ non inesse. Demonstratio autem est eadem.

7. Sin autem propositio, quæ est in parte, sumpta sit privativa, ea vero quæ universalis, accepta sit affirmativa, et eumdem situm retineant, verbi gratia τὸ α contingat omni β, ac τὸ β

cuidam γ contingat non inesse, ex propositionibus quidem acceptis non fit evidens syllogismus; conversa autem propositione particulari, ita ut ponatur τὸ β cuidam γ inesse contingere, erit eadem conclusio quæ prius, quemadmodum in prioribus syllogismis fecimus.

6. *Tertia regula* est : in prima figura sunt duo modi particulares perfecti ex utraque præmissa de contingenti, Darij nimirum et Ferio. *Probatur.* Sit enim argumentum in Darii : *contingit omnem musicum esse logicum ; contingit aliquem hominem esse musicum,* sequitur : *ergo contingit aliquem hominem esse logicum.* Cum enim in majori de omni, quod potest esse musicum, dicatur, contingere ut sit logicum, et in minori assumatur, quod aliquis homo potest esse musicus, sequitur, quod aliquis homo potest esse logicus, alioquin non contingeret omne, quod potest esse musicum esse logicum ; siquidem aliquis homo posset esse musicus, et non posset esse logicus.

Rursus sit syllogismus in Ferio : *contingit nullum musicum esse logicum ; contingit aliquem hominem esse musicum,* sequitur : *ergo contingit aliquem hominem non esse logicum.* Probatur eodum pacto, quia syllogismus regulatur per dictum *nulli contingit.*

7. *Quarta regula* est : in prima figura si major sit universalis affirmativa, minor particularis negativa, fit syllogismus imperfectus.

Probatur. Sit enim syllogismus : *contingit omnem musicum esse logicum ; contingit aliquem hominem non esse mus'cum,* sequitur : *ergo contingit aliquem hominem esse logicum.* Convertendo enim minorem in propositionem de dicto opposito, ac dicendo : *contingit aliquem hominem esse musicum,* argumentum erit in Darii.

8. Si vero major propositio sumpta sit particularis, minor autem universalis, sive ambæ affirmativæ positæ sint sive privativæ, sive figura absimiles sint, et sive ambæ sint indefinitæ sive particulares, nullo modo erit syllogismus. Nihil enim vetat τὸ β excedere τὸ α nec attribui æqualiter. Id autem quo τὸ β excedit τὸ α, sumptum esto τὸ γ; huic enim nec omni nec nulli neque cuidam neque non cuidam inesse τὸ α contingit, siquidem contingentes propositiones convertuntur, ac τὸ β pluribus inesse contingit quam τὸ α. Hoc ex terminis quoque perspicuum est. Cum enim propositiones ita se habent, primum ultimo et nulli contingit et omni necessario inest. Termini communes omnium sint hi : conclusionis necessario inesse, animal-album-homo, conclusionis non posse inesse, animal-album-vestimentum.

8. *Quinta regula* est : in prima figura si major sit particularis, minor universalis, sive utraque sit affirmativa sive utraque negativa, nulla sequitur conclusio, ac proinde neque sequitur conclusio, si utraque præmissa sit particularis aut indefinita.

Probatur; dicatur : *contingit aliquod album esse animal; contingit omnem hominem esse album,* non sequitur : *ergo contingit aliquem hominem esse animal vel non esse animal;* cum omnis homo non ex contingentia, sed ex necessitate sit animal. Rursus dicatur: *contingit aliquod album esse animal*; *contingit omnem vestem esse albam,* non sequitur : *ergo contingit aliquam vestem esse animal, vel non esse animal,* cum omnis vestis non ex contingentia, sed ex necessitate non sit animal. Idem probari potest in terminis allatis variando propositiones omnibus dictis modis, dummodo major sit particularis. Cum enim propositiones de contingenti sint convertibiles in propositiones de opposito dicto, variari possunt ut libet. Ratio vero a priori est, quia si major sit affirmativa, medium, quod est subjectum, non distribuitur neque sumitur universaliter; ergo nihil prohibet, ut in minori sumatur aliquid extra medium. Ex. gr., cum dicitur : *contingit ut aliquod album sit animal,* non sumitur omne album; ergo cum sumitur in minori : *contingit ut omnis homo sit albus,* non sumitur, quod contingit omnem hominem esse aliquod ex illis albis, quæ possunt esse animal, et non esse animal; ergo non sequitur, quod omnis vel aliquis homo possit esse vel non esse animal.

9. Perspicuum igitur est, cum termini hoc modo se habent, nullum fieri syllogismum. Nam omnis syllogismus colligit aut inesse aut necessario inesse aut contingere inesse. Quod autem hic syllogismus nec inesse nec necessario inesse colligat, ex eo apparet, quod affirmativam conclusionem tollit privativa et privativam affirmativa.

10. Restat igitur, ut colligat contingere inesse. Sed hoc est impossibile. Quippe ostensum est, cum termini ita se habent, et omni postremo primum necessario inesse et nulli contingere inesse. Quare non potest esse syllogismus, quo colligatur contingere, quia quod est necessarium, non est contingens. Perspicuum igitur est, cum termini universaliter accipiuntur in propositionibus contingentibus, semper fieri syllogis-

mum in prima figura, sive sint attributivi sive privativi, verum si attributivi sint, syllogismum esse perfectum, si privativi, imperfectum. Sed opus est, ut contingere accipiatur non in propositionibus necessariis, sed secundum dictam definitionem. Hoc autem interdum latet.

9. *Sexta* et ultima *conclusio* est : si major in prima figura sit particularis, sive affirmativa sive negativa, quomodocumque se habeat minor, nulla sequitur conclusio.

Probatur, quia omnis conclusio vel est de inesse, vel de necessario, vel de contingenti ; sed si major est particularis, nulla sequitur ex his ; ergo, etc. Probatur minor, ac primo, quod non sequatur ulla conclusio de inesse vel de necessario; non sequitur ulla conclusio affirmativa, vel negativa de inesse, neque de necessario; ergo, etc. Probatur antecedens, quia tum non sequitur ulla conclusio affirmativa de inesse vel de necessario, quando cum veritate præmissarum potest stare veritas conclusionis universalis negativæ de necessario; sed cum veritate præmissarum potest stare veritas universalis negativæ de necessario; ergo, etc. Probatur minor per instantiam in terminis positis *animal, album, vestis*. Si enim dicatur: *contingit aliquod album esse animal; contingit omnem vestem esse albam*, non sequitur : *ergo omnis vel aliqua vestis est animal quomodocumque, vel ex necessitate*, cum necesse sit, nullam vestem esse animal. Eodem pacto probatur non sequi conclusionem negativam de inesse vel de necessario, quia cum veritate præmissarum stare potest veritas universalis affirmativæ de necessario, ut patet in terminis *animal, album, homo*. Si enim dicatur : *contingit aliquod album esse animal ; contingit nullum hominem esse album*, non sequitur : *ergo aliquis homo non est animal quomodocumque*, vel ex necessitate, cum omnis homo necessario sit animal.

10. Hinc etiam probatur, quod non sequitur conclusio ulla affirmativa vel negativa de contingenti, quia posita veritate præmissarum potest contingere, ut et vera sit universalis affirmativa de necessario, et ut vera sit universalis negativa de necessario; sed utralibet sit vera, falsa est omnis affirmativa vel negativa de contingenti, cum necessarium non sit contingens; ergo si major sit particularis in prima figura, non sequitur ex necessitate ulla conclusio de contingenti. Advertit tamen Aristoteles, quod contingens debet sumi prout neque est necessarium, neque impossibile juxta dicta cap. 13, num. 2, et concludit, quod in prima figura cum utraque præmissa est universalis, sive sit utraque affirmativa, sive utraque negativa, sive altera affirmativa, altera negativa, semper fit syllogismus.

CAPUT XV

DE SYLLOGISMIS MISTIS EX ALTERA PRÆMISSA DE CONTINGENTI, ALTERA DE INESSE IN PRIMA FIGURA.

1. [15] Si vero altera propositio, pura altera contingens accipiatur, cum ea quæ continet majus extremum, contingere significat, omnes syllogismi erunt perfecti, et de contingenti secundum dictam definitionem accepto.

2. Cum autem propositio in qua est minus extremum, contingere significat, omnes erunt imperfecti, et privativi syllogismi non erunt de contingenti secundum definitionem illam accepto, sed de eo quod nulli aut non omni necessario inest. Nam si nulli aut non omni necessario inest, contingere dicimus, ut nulli aut non omni insit.

3. Contingat enim τὸ α omni β, ac τὸ β ponatur inesse omni γ. Quoniam igitur τὸ γ est sub β, omni autem β contingit τὸ α, perspicuum est etiam omni γ contingere τὸ α. Fit igitur perfectus syllogismus. Similiter etiam si propositio α β sit privativa, propositio autem β γ affirmativa, sumaturque propositio α β significans contingere, propositio vero β γ significans inesse, perfectus erit syllogismus, quo colligetur contingere ut τὸ α nulli γ insit. Cum igitur minor propositio inesse, major contingere significat, syllogismos fieri perfectos perspicuum est.

Postquam Aristoteles egit de syllogismis primæ figuræ constantibus ex utraque præmissa de contingenti, agit de syllogismis ejusdem primæ figuræ constantibus ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse; ac primo de universalibus, secundo de particularibus. Circa universales ponit duas regulas, alteram pro modis perfectis, alteram pro imperfectis.

1. *Prima regula* pro modis perfectis, Barbara nimirum et Celarent, est : si major fuerit de contingenti, minor affirmativa de inesse, sequitur conclusio de contingenti stricte sumpto, in quantum contingens est non necessarium, et fit syllogismus perfectus.

2. *Secunda regula* pro modis imperfectis est : si major fuerit de inesse,

minor de contingenti, sequitur conclusio de contingenti late sumpto, in quantum etiam necessarium dicitur contingens, et fit syllogisnus imperfectus.

3. Probatur prima regula. Sit enim syllogismus in Barbara: *contingit omne animal moveri ; omnis homo est animal,* sequitur : *ergo contingit omnem hominem moveri,* et est syllogismus perfectus, cum reguletur per *dictum de omni.* Si enim *contingit omne animal moveri,* nihil potest sumi, quod sit animal, et non contingat moveri ; sed in minori sumitur, quod omnis homo est animal; ergo contingit omnem hominem moveri; et sicut contingens est omne animal moveri, sumendo contingens stricte pro non necessario, sic contingens est omnem hominem moveri, sumendo contingens stricte pro non necessario. Rursus sit syllogismus in Celarent : *contingit nullum animal moveri; omnis homo est animal* sequitur : *ergo contingit nullum hominem moveri,* et est syllogismus perfectus ac regulatus per *dictum de nullo.* Si enim contingit nullum animal moveri, nihil potest sumi, quod sit animal, quin illi contingat non moveri; sed sumitur in minori, quod omnis homo est animal ; ergo omni homini contingit non moveri, adeoque contingit nullum hominem moveri.

4. Cum autem contrario modo res habet, syllogismos fore ostendendum est per deductionem ad impossibile, simulque constabit esse syllogismos imperfectos, quia demonstratio non fit ex propositionibus initio acceptis. Primum autem explicandum est, si cum est τὸ α, necesse est esse τὸ β, pariter etiam cum τὸ α est possibile, τὸ β fore possibile, idque necessario. Sit enim rebus ita se habentibus, ubi τὸ α, possibile, ubi τὸ β, impossibile.

5. Si igitur possibile, quando possibile est, factum fuerit; at certe impossibile, quia est impossibile, factum non erit. Quodsi simul τὸ α est possibile et τὸ β impossibile, continget τὸ α factum esse sine β. Et si factum esse, etiam esse; quod enim est factum, quando est factum, est.

4. Ut probet secundam regulam, quod nimirum si major sit universalis de inesse, minor de contingenti, sequitur conclusio de contingenti, sed fit syllogismus imperfectus, ponit Aristoteles quoddam principium necessarium ad id demonstrandum. Est autem principium hoc : *quando A F B ita se habent, ut si sit A, ex necessitate sit etiam* B, *neque possit A esse sine B, etiam ita se habent, ut si possibile sit A, ex necessitate sit possibile etiam B, nec possit A esse possibile, quin etiam B sit possibile;* ex. gr., quia homo et animal ita se habent, ut si sit homo, ex necessitate sit etiam animal, ita etiam se habent, ut si possibilis sit homo, ex necessitate possibile sit etiam animal, neque possit esse possibilis homo, quin sit possibile animal. Illud, ex cujus existentia, sequitur existentia alterius, vocatur antecedens ; illud, cujns existentia sequitur ex existentia alterius, vocatur consequens; et principium brevius effertur per hos terminos : *si antecedens est possibile, etiam consequens est possibile.*

5. Probatur. Si enim antecedens A ponatur possibile, consequens B non potest esse impossibile; ergo necessario debet esse possibile. Probatur antecedens; quandoquidem enim antecedens A est possibile, potest fieri et esse ; fiat igitur et sit ; adhuc consequens B cum supponatur impossibile, neque fiet neque erit; ergo fiet et erit A, et non fiet neque erit B ; ergo non est verum, quod A et B ita se habent, ut si sit A, sit B; adeoque A non est antecedens respectu B ; ergo si A est antecedens respectu B, adeoque ita se habent, ut si sit A, ex necessitate sit B, ita etiam se habent, ut si possibile sit A, possibile sit etiam B, adeoque si possibile est antecedens, possibile sit etiam consequens, quod erat demonstrandum.

6. Possibile aut.m et impossibile accipere oportet, non solum quod fieri potest, sed etiam quod vere dicitur, et quod actu est, et quotcumque aliis modis dicitur possibile; omnium enim similis ratio est.

7. Præterea quod dicimus, cum est, τὸ α esse τὸ β, non ita accipere oportet, quasi cum unum quiddam sit, nempe τὸ α, τὸ β futurum sit, quia nihil necessario colligitur ex eo, quod unum quiddam sit, sed quod duo minimum sint, ut cum propositiones eo, quo diximus modo, se habent in syllogismo. Nam si τὸ γ dicitur de δ, ac τὸ δ de ζ, etiam τὸ γ de ζ dicetur necessario. Et si utraque propositio est possibilis, etiam conclusio erit possibilis. Tanquam igitur si quis posuerit τὸ α propositiones, τὸ β conclusionem, non solum fit, ut cum τὸ α sit necessarium, simul etiam τὸ β sit necessarium, sed etiam cum illud sit possibile, hoc quoque sit possibile.

8. Hoc autem ostenso, constat, si falsa nec impossibilis sit hypothesis, etiam id falsum nec impossibile fore, quod propter hypothesin accidit. Ut si τὸ α est falsum, non tamen impossibile, cum autem τὸ α est, etiam τὸ β est, certe etiam τὸ β erit falsum, non tamen impossibile. Nam quia ostensum est, si cum est τὸ α, est τὸ β,

etiam cum possibile est τὸ α, possibile fore τὸ β; supponitur autem τὸ α esse possibile; ergo etiam τὸ β erit possibile, quia si sit impossibile, idem simul erit possibile et impossibile.

9. His definitis, τὸ α insit omni β, ac τὸ β contingat omni γ. Necesse igitur est ut omni γ τὸ α inesse contingat. Fac enim non contingere, ac τὸ β omni γ ponatur inesse; hoc autem falsum quidem est, non tamen impossibile. Si igitur τὸ α non contingit τῷ γ ac τὸ β inest omni γ, τὸ α non omni β contingit; fit enim syllogismus in tertia figura. Atqui supponebatur omni inesse contingere. Necesse igitur est ut τὸ α omni γ contingat. Supposito enim eo, quod falsum, non impossibile est, quod inde accidit, est impossibile.

10. Licet etiam in prima figura deducere ad impossibile, si ponamus τὸ β inessse τῷ γ. Nam si τὸ β inest omni γ ac τὸ α contingit omni β, etiam omni γ continget τὸ α. Verum supponebatur non omni inesse posse.

11. Omni autem inesse accipiendum est non tempore definitum, ut nunc aut hoc tempore, sed simpliciter, quoniam ex hujuscemodi propositionibus syllogismos conficimus. Cæteroqui propositione secundum tempus præsens accepta non erit syllogismus. Nihil enim fortasse prohibet, aliquando omni moto hominem inesse, nempe si nihil aliud moveatur; motum autem contingit omni equo, sed homo nulli equo contingit. Præterea primus terminus sit animal, medius motum, postremus homo. Propositiones igitur similiter habebunt, conclusio autem erit necessaria, non contingens; necessario namque homo est animal. Apparet igitur pronuntiatum universale accipiendum esse simpliciter, non tempore definitum.

Demonstrato posito principio, Aristoteles primo explicat, quo pacto in eo principio sumatur possibile et impossibile; secundo quid intelligatur nomine antecedentis; tertio infert quoddam corollarium; quarto demum per illud principium probat regulam positam num. 2.

6. *Quoad primum* : possibile in principio posito debet sumi latissime, in quantum possibile dicitur non solum id, quod potest generari, sed id, de quo quomodocumque potest verificari, quod sit, etiam si necessario sit, in quo sensu etiam Deus dicitur possibilis; impossibile vero sumitur pro eo, de quo verificari non potest, quod sit.

7. *Quoad secundum* : nomine antecedentis, quod vocatur A, ex quo sequitur ex necessitate consequens, quod vocatur B, non intelligitur solum una propositio, sed etiam duæ propositiones et duæ præmissæ syllogismi. Cum enim consequens non sequatur syllogistice nisi ex duabus præmissis, antecedens, ex quo necessario et syllogistice sequitur consequens, comprehendit duas ad minimum præmissas. Si igitur utraque præmissa est necessaria, etiam conclusio est necessaria; et si utraque præmissa est possibilis, etiam conclusio est possibilis. Ex. gr., si necesse est, ut animal sit corpus, et homo sit animal, sequitur ex necessitate, quod necesse est, ut homo sit corpus; si vero possibile est, ut animal sit corpus, et ut homo sit animal, sequitur ex necessitate, ut possibile sit, quod homo sit corpus. Duæ enim præmissæ sunt antecedens, quod ponitur possibile et vocatur A; ergo etiam conclusio est possibilis, cum sit consequens, quod vocatur B.

8. *Quoad tertium* : ex his infert Aristoteles corollarium : si antecedens sit falsum, sed non impossibile, consequens poterit quidem esse falsum, sed non poterit esse impossibile. Demonstratur. Si antecedens est falsum et non impossibile, est possibile; sed si antecedens est possibile, etiam consequens est possibile; ergo si antecedens est falsum et possibile, etiam consequens est possibile, adeoque non est impossibile, alioquin esset simul possibile et impossibile.

9. *Quoad quartum*, probat Aristoteles, quod si major sit universalis de inesse, minor universalis de contingenti, sequatur conclusio de contingenti. Primo enim sit utraque præmissa affirmativa, et dicatur in Barbara : *omnis homo est albus; contingit omne vigilans esse hominem*, sequitur : *ergo contingit omne vigilans esse album*. Probatur primo, quia si præmissæ sint veræ et conclusio falsa, ex falso et non impossibili sequitur impossibile, quod est contra corollarium jam demonstratum num. 8.; ergo etc. Probatur antecedens. Si enim falsa est hæc conclusio : *contingit omne vigilans esse album;* vera est contradictoria : *non contingit omne vigilans esse album*, et illi æquipollens : *impossibile est omne vigilans esse album*; et si minor posita : *contingit omne vigilans esse hominem*, est vera, hæc propositio de inesse : *omne vigilans est homo*, potest quidem esse falsa, sed non potest esse impossibilis; ergo si major et minor positi argumenti in Barbara sunt veræ, et conclusio falsa, sequitur, quod posita majori vera et minori falsa quidem sed possibili, sequitur conclusio impossibilis. Ex. gr. ex his præmissis : *omnis*

homo est albus; omne vigilans est homo, sequitur hæc conclusio : *ergo omne vigilans est album,* quæ conclusio est impossibilis, si falsa est hæc propositio : *contingit omne vigilans esse album*; ergo si in Barbara major sit de inesse, minor de contingenti, sequitur conclusio de contingenti.

10. Probatur secundo, quod ex illis præmissis : *omnis homo est albus; contingit omne vigilans esse hominem,* sequitur : *ergo contingit omne vigilans esse album.* Si enim est vera illa minor : *contingit omne vigilans esse hominem*, hæc minor de inesse : *omne vigilans est homo*, potest quidem esse falsa, sed non impossibilis ; sed ex hac cum majori posita, quæ supponitur vera, fit syllogismus in Barbara : *omnis homo est albus; omne vigilans est homo*; ergo conclusio, quæ sequitur : *omne vigilans est album,* potest esse falsa, sed non impossibilis; ergo est possibilis; ergo possibile et contingens est, omne vigilans esse album ; ergo ex his præmissis : *omnis homo est albus; contingit omne vigilans esse hominem* sequitur : *ergo contingit omne vigilans esse album* ; ergo in prima figura et in Barbara ex majori de inesse, minori de contingenti, sequitur conclusio de contingenti, adeoque fit syllogismus, sed imperfectus, cum necessitas conclusionis non pateat ex præmissis assumptis, sed debeat probari per aliud principium jam positum, quod ex possibili non potest necessario sequi impossibile.

11. Advertit tamen Aristoteles, quod ad hoc, ut in Barbara ex majori de inesse, minori de contingenti, sequatur conclusio de contingenti, major de inesse debet esse vera non solum pro tempore determinato, sed præscindendo a tempore. Probatur. Quia si major sit vera solum pro tempore determinato, potest utraque præmissa esse vera et conclusio falsa; ergo conclusio non sequitur ex necessitate. Probatur antecedens. Dicatur enim : *omne quod de facto movetur est homo; contingit omnem equum moveri;* etiam si utraque præmissa sit vera, non sequitur : *ergo contingit omnem equum esse hominem*, cum impossibile sit ullum equum esse hominem. Rursus si dicatur : *omne quod movetur est animal; contingit omnem hominem moveri,* non sequitur : *ergo contingit omnem hominem esse animal*, sumendo contingens stricte pro non necessario, cum necesse sit omnem hominem esse animal; ergo ut sequatur conclusio de contingenti, major de inesse debet esse vera præscindendo a tempore, ut patet ex prima instantia, et non semper sequitur conclusio de contingenti stricte, ut patet ex secunda instantia.

12. Rursus propositio α β sit privativa universalis, ac sumatur τὸ α nulli β inesse, τὸ β autem contingat omni γ inesse. His igitur positis, necesse est ut contingat τὸ α nulli γ inesse. Fac enim non contingere, ac τὸ β ponatur inesse τῷ γ, quemadmodum antea factum fuit. Necesse igitur est τὸ α alicui β inesse; fit enim syllogismus in tertia figura. Hoc autem est impossibile. Quapropter continget utique τὸ α nulli γ, quia falso principio nec impossibili supposito impossibile accidit.

13. Hic igitur syllogismus non est contingentis secundum definitionem illam, quam supra tradidimus accepti, sed ejus quod nulli necessario inest. Hæc enim est contradictio positæ hypotheseos, quia suppositum fuerat necessario τὸ α alicui γ inesse ; syllogismus autem deducens ad impossibile colligit contradictionem oppositam.

14. Præterea ex terminis quoque perspicuum est, non esse conclusionem contingentem. Sit enim, ubi α, corvus, ubi β, intelligens, ubi γ, homo. Nulli igitur β τὸ α inest; nulla enim res intelligens est corvus. τὸ β autem contingit omni γ; omni enim homini contingit ut intelligat. Sed τὸ α necessario inest nulli γ. Ergo conclusio non est contingens. Non tamen semper est necessaria. Sit enim τὸ α motum, τὸ β scientia, ubi γ homo. Igitur τὸ α nulli β inerit, ac τὸ β contingit omni γ, nec erit conclusio necessaria, quia non est necesse nullum hominem moveri, sed non est necesse aliquem moveri. Constat igitur conclusionem esse de eo, quod non necessario inest. Termini autem melius sunt accipiendi.

15. Quodsi privatio jungatur minori extremo et significet contingere, ex ipsis propositionibus acceptis nullus erit syllogismus, sed conversa propositione contingente erit syllogismus, quemadmodum in prioribus. Insit enim τὸ α omni β, et τὸ β contingat nulli γ. Sic igitur terminis constitutis nihil necessario colligetur. Si vero convertatur propositio β γ, et accipiatur τὸ β omni γ contingere, fit syllogismus ut antea ; similem enim situm termini habent.

16. Eodem modo fiet cum ambo intervalla sunt privativa, si intervallum α β non inesse, intervallum β γ nulli contingere significet. Nam ex propositionibus acceptis nihil necessario colligitur, conversa autem propositione contingente erit syllogismus. Accipiatur enim τὸ α nulli β inesse, ac τὸ β contingat nulli γ. Ex his ergo nihil necessario colligitur. Si vero sumatur τὸ β omni γ contingere, quod quidem verum est, propositio autem α β similiter habeat, rursus erit idem syllogismus.

12. Eodem pacto probatur, quod si major sit universalis negativa de inesse, minor universalis affirmativa de contin-

genti, adeoque fiat syllogismus in Celarent, sequitur conclusio de contingenti. Dicatur enim: *nullus homo est albus; contingit omnem vigilantem esse hominem,* sequitur : *ergo contingit nullum vigilantem esse album.* Si enim conclusio est falsa, non contingit, adeoque impossibile est omnem vigilantem esse album; addatur minor de inesse falsa, sed possibilis : *omne vigilans est homo* sequitur in tertia figura : *ergo non contingit, seu impossibile est aliquem hominem esse album;* sed si vera est major de inesse : *omnis homo est albus,* non solum est falsum, sed etiam impossibile, quod impossibile sit aliquem hominem esse album; ergo si præmissæ sunt veræ, conclusio falsa, ex falso sed possibili, sequitur impossibile, quod est absurdum; ergo si præmissæ sunt veræ, conclusio est vera; ergo in Celarent ex majori de inesse, minori de contingenti, sequitur necessario conclusio de contingenti, adeoque fit syllogismus, sed imperfectus, cum necessitas conclusionis pateat aliunde.

13. Addit Aristoteles, quod licet ex majori de inesse, minori de contingenti, sequatur conclusio de contingenti, non sequitur conclusio de contingenti stricte sumpto, in quantum contingens est, quod potest esse et non esse, sed de contingenti late sumpto, in quantum contingens dicitur, quod quomodocumque est possibile seu non impossibile. Probatur dupliciter : *primo* illud contingens concluditur, ex cujus opposito sequitur impossibile; sed impossibile sequitur ex opposito contingentis late sumpti, non autem stricte sumpti : ergo etc. Probatur minor. Sequitur enim, quod si falsa est hæc conclusio : *contingit omnem vigilantem esse album,* vera est contradictoria : *non contingit seu impossibile est omnem vigilantem esse album;* sed hæc contradicit solum affirmativæ de contingenti late sumpto, non autem affirmativæ de contingenti stricte sumpto; nam inter contingens stricte sumptum et impossibile datur medium, quod neque est contingens ad utrumlibet, neque est impossibile, sed necessarium; ergo contingens, quod infertur, et ex cujus contradictorio sequitur impossibile, est contingens late sumptum.

14. *Secundo* probatur, quia potest esse vera major universalis negativa de inesse, minor universalis affirmativa de contingenti, et tamen conclusio de contingenti stricte sumpto esse falsa; ergo non sequitur ex necessitate conclusio de contingenti stricte sumpto. Probatur antecedens formando argumentum in his terminis *corvus, intelligens, homo.* Dicatur : *nullum intelligens actu est corvus; contingit omnem hominem esse actu intelligentem; ergo contingit nullum hominem esse corvum;* præmissæ sunt veræ, et tamen conclusio de contingenti stricte sumpto pro non necessario est falsa, cum necessarium sit, nullum hominem esse corvum; ergo non sequitur conclusio de contingenti stricte sumpto. Neque etiam sequitur conclusio de necessario, ut patet in his terminis *motus, scientia, homo.* Si enim dicatur : *nullum actu sciens movetur; contingit omnem hominem esse actu scientem,* non sequitur : *ergo necesse est omnem hominem moveri,* cum conclusio sit falsa, præmissæ sint veræ; ergo ex majori universali negativa de inesse, minori universali affirmativa de contingenti, sequitur conclusio de contingenti abstrahendo ab hoc, quod sit contingens late vel stricte, quod contingens coincidit cum possibili. Verum quia in hoc exemplo major est de inesse pro tempore determinato, dicit Aristoteles, quod possunt etiam sumi termini, in quibus major sit de inesse pro semper, ut si dicatur : *nullum sedens est ambulans; contingit omnem hominem sedere; ergo contingit nullum hominem ambulare;* nam major est semper vera, et tamen conclusio non est de necessario, cum non sit necessarium, nullum hominem ambulare.

15. *Tertio* si major sit universalis affirmativa de inesse, minor universalis negativa de contingenti, fit syllogismus imperfectus, in quo sequitur conclusio de contingenti. Dicatur enim : *omne sedens quiescit; contingit nullum hominem sedere* sequitur : *ergo contingit omnem hominem quiescere.* Ex dictis enim cap. 13, num. 6, propositio de contingenti potest converti in propositionem de dicto opposito; ergo hæc minor : *contingit nullum hominem sedere,* converti potest in hanc : *contingit omnem hominem sedere*; sed facta hac conversione, major erit universalis affirmativa de inesse, minor universalis affirmativa de contingenti, juxta quem modum sequitur conclusio de contingenti, ut dictum est num. 9.; ergo ex majori universali affirmativa de inesse, minori universali negativa de contingenti, fit syllogismus imperfectus, in quo sequitur necessario conclusio de contingenti.

16. *Quarto* eodem pacto probatur, quod

si utraque sit universalis negativa, major de inesse, minor de contingenti, fit syllogismus imperfectus, in quo sequitur conclusio de contingenti. Dicatur enim : *nullum sedens movetur; contingit nullum hominem sedere* sequitur : *ergo contingit nullum hominem moveri*. Minor enim negativa de dicto potest converti in hanc affirmativam de dicto : *contingit omnem hominem sedere;* sed facta hac conversione erit syllogismus constans ex majori universali negativa de inesse, minori universali affirmativa de contingenti, in quo sequitur conclusio de contingenti, ut jam explicatum est num. 12.; ergo etc.

17. Quodsi sumptum sit τὸ β non inesse τὸ γ, non autem contingere non inesse, nullo modo erit syllogismus, sive propositio α β sit negativa sive affirmativa. Termini communes conclusionis necessario inesse, album-animal-nix, conclusionis non contingere, album-animal-pix. Perspicuum igitur est, cum termini sunt universales, et altera propositio accipitur pura altera contingens, si propositio, in qua est minus extremum, accipiatur contingens, semper fieri syllogismum, sed interdum ex ipsis propositionibus, interdum conversa propositione. Quando autem horum utrumque fiat et quam ob causam, supra diximus.

17. Traditis et probatis duabus regulis circa modos utiles universales, tradit Aristoteles etiam *regulam* circa universales inutiles, quæ regula est : in prima figura ex majori universali affirmativa, vel negativa de contingenti, minori vero universali negativa de inesse, non sequitur conclusio de contingenti. Probatur, quia neque sequitur conclusio de dicto negativo neque de affirmativo; ergo etc. Probatur, quod non sequatur conclusio de dicto negativo. Possunt enim esse veræ præmissæ et falsa omnis conclusio de dicto negativo, ut patet in his terminis *album, animal, nix;* si enim dicatur : *contingit omne animal esse album*, vel *contingit nullum animal esse album; nulla nix est animal* non sequitur : *ergo contingit nullam vel aliquam nivem esse albam,* cum omnis nix ex necessitate sit alba. Probatur, quod non sequatur ulla conclusio de dicto affirmativo in his terminis *album, animal, pix*. Si enim dicatur : *contingit omne animal esse album, vel nullum animal esse album; nulla pix est animal* non sequitur : *ergo contingit omnem vel aliquam picem esse albam,* cum nulla pix possit esse alba; ergo cum possint esse veræ præmissæ, et falsa omnis conclusio de contingenti, ex majori universali affirmativa, vel negativa de contingenti, minori universali negativa de inesse, non sequitur ex necessitate ulla conclusio de contingenti. Concludit Aristoteles epilogando dicta; dictum est enim, quod cum in prima figura utraque præmissa est universalis, si major sit de inesse, minor de contingenti, semper fit syllogismus, licet aliquando imperfectus, et explicatum est, quo pacto imperfectus perficiatur, vel per reductionem ad impossibile vel per conversionem.

18. Sin autem alterum intervallum sumatur universale, alterum in parte, cum majori extremo universale contingens jungitur, sive affirmativum sive negativum, particulare autem intervallum est affirmativum et purum, erit syllogismus perfectus, quemadmodum et cum termini sunt universales. Demonstratio autem est eadem, quæ antea.

19. Cum autem intervallum, quo continetur majus extremum, est purum non contingens, alterum autem in parte contingens, sive affirmativæ sive negativæ positæ sint ambæ propositiones, sive altera affirmativa altera negativa, omnino erit syllogismus imperfectus. Sed alii confirmabuntur per impossibile, alii etiam per conversionem propositionis contingentis, sicut in prioribus syllogismis factum est. Erit autem syllogismus per conversionem, cum universalis propositio juncta majori extremo significat inesse aut non inesse, particularis autem, cum sit privativa, contingere accipit. Ut si τὸ α omni β inest aut non inest, ac τὸ β alicui γ contingit non inesse. Nam conversa pro ratione contingentis propositione β γ fit syllogismus.

Positis regulis circa syllogismos universales utiles et inutiles, ponit Aristoteles regulas circa syllogismos utiles et inutiles constantes ex altera præmissa universali, altera particulari, vel ex utraque particulari.

18. *Quarta* ergo *regula* pro syllogismis utilibus perfectis est : in prima figura si major sit universalis affirmativa, vel negativa de contingenti, minor particularis affirmativa de inesse, sequitur conclusio de contingenti et fit syllogismus perfectus.

Probatur. Sit enim syllogismus in Darii vel Ferio et dicatur : *contingens est omnem hominem vel nullum hominem dormire; aliquod animal est homo*, sequitur : *ergo contingens est aliquod animal dormire vel non dormire*. Probatur eodem pacto, quo n. 3. in prima regula probatum est de similibus syllogismis in Barbara et Celarent, ex eo, quod regulentur dicto de

omni et dicto de nullo; et sicut ibi probatum est, quod syllogismi in Barbara et Celarent sunt perfecti, sic probatur, quod syllogismi in Darii et Ferio sunt perfecti.

19. *Quinta regula* pro syllogismis utilibus imperfectis est : in prima figura si major sit universalis de inesse, minor particularis de contingenti, sive utraque sit affirmativa sive utraque negativa, sive major affirmativa minor negativa, sive major negativa minor affirmativa, sequitur conclusio de contingenti, aliquando perfectibilis per reductionem ad impossibile, aliquando per conversionem. Per reductionem ad impossibile perficiuntur duo modi, in quibus minor est particularis affirmativa de contingenti, sive major sit universalis affirmativa, sive negativa; duo alii modi, in quibus minor est particularis negativa, major vero universalis affirmativa vel negativa, perficiuntur per conversionem minoris ex negativa circa dictum in affirmativam, et deinde per reductionem ad impossibile. Ex. gr., sequens syllogismus : *omnis vel nullus homo vigilat; contingit aliquod album non esse hominem; ergo contingit aliquod album non vigilare* — perficitur convertendo minorem in hanc de dicto affirmativo : *contingit aliquod album esse hominem,* et deinde reducendo ad impossibile, sicut explicatum est tradendo secundam regulam de syllogismis, quorum minor est universalis negativa de contingenti.

20. Cum autem propositio particularis accipit non inesse, non erit syllogismus. Termini conclusionis affirmantis album-animal-nix, negantis album-animal-pix. Nam ab indefinito sumenda est demonstratio.

21. Quodsi universale junctum sit minori extremo, particulare majori, sive privativum sive affirmativum sive contingens sive purum utrumvis sit acceptum, nullo modo erit syllogismus.

22. Neque tunc erit syllogismus, cum in parte vel indefinitæ positæ fuerint propositiones, sive contingere ambæ accipiant sive ambæ inesse, sive altera contingere altera inesse. Est autem demonstratio eadem, quæ in superioribus. Termini autem communes, in quibus necessario inest, animal-album-homo, in quibus non contingit, animal-album-vestimentum.

23. Perspicuum igitur est, si major propositio posita sit universalis, semper fieri syllogismum, si minor, nihil unquam inde colligi posse.

20. *Sexta regula* pro modis inutilibus, quorum major est universalis, minor particularis est : in prima figura si major sit universalis affirmativa vel negativa de contingenti, minor particularis negativa de inesse, non sequitur ulla conclusio de contingenti, neque fit syllogismus.

Probatur, quia ex minori particulari de inesse nulla sequitur conclusio affirmativa vel negativa de contingenti; ergo etc. Quod non sequatur negativa, patet in his terminis *album, animal, nix.* Si enim dicatur : *contingit omne vel nullum animal esse album; aliqua nix non est animal,* non sequitur : *ergo contingit nullam nivem esse albam vel aliquam nivem non esse albam,* cum ex necessitate omnis nix sit alba. Quod non sequatur affirmativa, patet in his terminis : *album, animal, pix.* Si enim dicatur : *contingit omne vel nullum animal esse album; aliqua pix non est animal,* non sequitur : *ergo contingit omnem vel aliquam picem esse albam,* cum necesse sit, nullam picem esse albam. Licet vero particularis negativa ita sit vera, ut etiam sit vera universalis negativa, tamen hoc non obstat demonstrationi, ut in simili probatum est cap. VII, num. 12, ex eo, quod adhuc utraque præmissa possit esse vera, et conclusio esse falsa.

21. *Septima regula* est : in prima figura si major sit particularis, minor universalis, quomodocunque combinentur secundum affirmationem vel negationem et secundum hoc, quod sint de contingenti vel de inesse, nihil sequitur, et non fit syllogismus.

22. *Octava regula est :* si in prima figura utraque præmissa sit particularis, quomodocumque combinentur secundum affirmationem et negationem etc., nihil sequitur, et non fit syllogismus. Probatur, quia non sequitur ulla conclusio affirmativa vel negativa; ergo etc. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *animal, album, homo.* Quomodocumque enim combinentur, præmissæ erunt veræ, et conclusio negativa, qua dicatur : *ergo contingit omnem vel aliquem hominem non esse animal,* — erit falsa, cum ex necessitate omnis homo sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *animal, album, tunica.* Quomodocumque enim combinentur dicendo : *aliquod album non est animal; aliqua tunica est alba* etc., nunquam sequetur : *ergo contingit omnem vel aliquam tunicam esse animal,* cum necesse sit nullam tunicam esse animal.

23. Concludit Aristoteles, quod in prima

figura cum altera est universalis, altera particularis, si major sit universalis, semper fit syllogismus; si vero major sit particularis, nunquam fit syllogismus.

CAPUT XVI

DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PRÆMISSA DE NECESSARIO, ALTERA DE CONTINGENTI IN PRIMA FIGURA

1. [16] Cum autem altera propositio necessario inesse aut non inesse, altera contingere significat, syllogismus quidem erit terminis eodem modo habentibus,

2. isque perfectus, cum minori extremo jungetur necessarium.

3. Conclusio vero, si termini sint attributivi, sive universaliter sive non universaliter positi, significabit contingere, non inesse.

4. Sin alterum intervallum sit affirmativum alterum privativum, cum affirmativum est necessarium, conclusio similiter significabit contingere, non autem non inesse. Cum vero privativum est necessarium, concludetur contingere inesse et non inesse, sive termini sint universales sive non universales.

5. Contingere autem in conclusione eodem modo accipi debet, quo in superioribus. Nullus autemsyllogismus erit, quo colligatur, necessario non inesse. Nam aliud est, non necessario inesse, aliud necessario non inesse.

1. Postquam Aristoteles egit de syllogismis primæ figuræ constantibus ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse; agit de syllogismis constantibus ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti. Præmittit, quod sicut si altera præmissa sit de contingenti, altera de inesse, aliquando fit syllogismus perfectus, aliquando imperfectus, aliquando nullus fit syllogismus, ut explicatum est; sic proportionaliter si altera præmissa sit de necessario, altera de contingenti, aliquando termini et propositiones ita disponuntur, ut fiat syllogismus perfectus vel imperfectus, aliquando ita disponuntur, ut nullus fiat syllogismus, nec sequatur ulla conclusio.

2. *Prima* ergo *regula* pro modis perfectis est : in prima figura si major sit universalis affirmativa vel negativa de contingenti, minor universalis vel particularis affirmativa de necessario, fit syllogismus perfectus; ex. gr., si dicatur : *contingit omne animal moveri; necesse est omnem hominem esse animal;* est syllogismus perfectus in Barbara, et sequitur : *ergo contingit omnem hominem moveri.* Idem dic in exemplis, quæ possunt afferri in Celarent, Darii et Ferio. Probatur autem, quia omnes isti syllogismi regulantur per *contingit omni aut nulli inesse.*

3. *Secunda regula* ad explicandum, quæ conclusio sequatur ex modis affirmativis, est : si utraque præmissa sit affirmativa, et major universalis de contingenti, minor universalis vel particularis de necessario, sequitur conclusio de contingenti, non vero de inesse, neque de necessario; ex. gr., si dicatur in Barbara : *contingit omne animal moveri; necesse est omnem hominem esse animal,* sequitur : *ergo contingit omnem hominem moveri,* non vero sequitur : *ergo omnis homo movetur,* neque : *omnis homo necessario movetur.* Similiter in Darii si dicatur : *contingit omne animal moveri; necesse est aliquod vivens esse animal,* sequitur : *ergo contingit aliquod vivens moveri;* non vero sequitur : *ergo aliquod vivens movetur,* neque : *ergo necesse est aliquod vivens moveri.*

4. *Tertia regula* ad explicandum, quæ conclusio sequatur in modis negativis est : si altera præmissarum fuerit negativa altera affirmativa, si affirmativa fuerit de necessario, conclusio erit solum de contingenti, non vero de inesse, neque de necessario; si vero negativa fuerit de necessario, conclusio erit et de contingenti et de inesse; ex. gr., si dicatur in Celarent : *contingit nullum animal dormire; necesse est omnem hominem esse animal,* sequitur : *ergo contingit nullum hominem dormire;* at non sequitur : *ergo nullus homo dormit,* multo minus sequitur : *ergo necesse est nullum hominem dormire.* Idem dic exemplificando in Ferio. At si dicatur : *necesse est nullum animal esse plantam; contingit aliquod album esse animal,* sequitur duplex conclusio, nimirum : *ergo contingit aliquod album non esse plantam; ergo aliquod album non est planta.*

5. *Quarta* demum *regula* ad explicandum, quandonam contingens, quod sequitur, sumendum sit late, vel stricte est : in modis perfectis sequitur conclusio de contingenti stricte sumpto pro eo, quod potest esse et non esse; in modis imperfectis sequitur conclusio de contingenti late sumpto pro possibili, abstrahendo ab hoc, quod possit esse vel non esse, et ab hoc, quod necessario sit, proportionaliter ad dicta quæstione præced nti de modis perfectis et imperfectis, ex altera

propositione de contingenti, altera de inesse. Ex. gr., in hoc syllogismo perfecto in Barbara : *contingit omne animal moveri; necesse est omnem hominem esse animal,* sequitur : *ergo contingit omnem hominem moveri,* sumendo contingens stricte, ita ut sensus sit : *possibile est omnem hominem moveri et non moveri.* At in syllogismis imperfectis contingens sumitur late pro possibili, ut patebit inferius.

6. Cum igitur termini sunt affirmativi, non effici conclusionem necessariam perspicuum est. Insit namque τὸ α omni β necessario, ac τὸ β accidat omni γ. Erit igitur syllogismus imperfectus, quo colligetur τὸ α contingere omni γ. Imperfectum autem esse ex demonstratione manifestum est, demonstrabitur enim eodem modo; quo in superioribus usi sumus.

7. Rursus τὸ α contingat omni β, ac τὸ β necessario insit omni γ. Erit igitur syllogismus, quo colligetur τὸ α contingere omni γ, sed non colligetur inesse. Atque hic syllogismus est perfectus, non imperfectus, quia statim perficitur ex propositionibus initio sumptis.

6. Positis regulis, accedit Aristoteles ad determinandas conjugationes utiles; et *primo* determinat universales affirmativas; *secundo* universales negativas; *tertio* particulares. Si igitur utraque præmissa sit affirmativa, sunt duo modi utiles, alter imperfectus, si major sit de necessario, minor de contingenti; alter perfectus, si major sit de contingenti, minor de necessario. Probatur, quod si major sit de necessario, minor de contingenti, sequatur conclusio de contingenti. Si enim dicatur : *necesse est omnem hominem esse risibilem; contingit omne vigilans esse hominem,* sequitur : *ergo contingit omne vigilans esse risibile.* Quod hæc conclusio sequatur, probatur per reductionem ad impossibile in tertia et prima figura, applicando argumenta allata cap. v, num. 9, in probatione secundæ regulæ; per hanc vero probationem ostenditur etiam, quod est modus imperfectus. Confirmatur, quia non regulatur immediate per *dictum de nullo.* Licet enim in majori sumatur, quod *necesse est omnem hominem esse risibilem,* in minori non sumitur, *quod omne vigilans est homo,* sed solum sumitur, quod *contingit omne vigilans esse hominem.*

7. Probatur jam, quod si major sit universalis affirmativa de contingenti, minor universalis affirmativa de necessario, sequatur conclusio de contingenti, et sit syllogismus perfectus. Dicatur enim : *contingit omne animal moveri; omnis homo necessario est animal,* sequitur : *ergo contingit omnem hominem moveri.* Cum enim in majori de omni animali affirmetur, quod contingit moveri, et in minori assumatur, quod omnis homo necessario est animal, patet, quod contingit omnem hominem moveri, alioquin non contingeret omne animal moveri, siquidem omnis homo esset animal, et aliquis homo moveri non posset. Patet autem in utroque exemplo, quod solum sequitur : *ergo contingit omnem hominem moveri,* non autem sequitur absolute : *ergo omnis homo movetur,* cum possit utraque præmissa esse vera, et tamen omnis homo de facto quiescere.

8. Quodsi propositiones figura differant, primum propositio privativa sit necessaria, ac τὸ α necessario nulli β contingat, sed τὸ β contingat omni γ; necesse igitur est τὸ α nulli γ inesse. Ponatur enim inesse aut omni aut alicui. Supponebatur autem nulli β contingere. Cum igitur propositio privans convertatur, etiam τὸ β nulli α contingit. Atqui τὸ α omni aut alicui γ ponitur inesse. Quare nulli aut non omni γ τὸ β contingit inesse. Verum initio supponebatur omni contingere. Perspicuum autem est colligi etiam contingere non inesse, quandoquidem colligitur non inesse.

9. Rursus affirmativa propositio sit necessaria, et contingat nulli β τὸ α inesse, omni autem γ τὸ β insit necessario. Syllogismus igitur erit perfectus, quo tamen non colligetur non inesse, sed contingere non inesse; sic enim accepta fuit major propositio. Nec licet deducere ad impossibile, quia si supponatur τὸ α alicui γ inesse, et ponatur etiam contingere τὸ α nulli β inesse, nihil inde colligitur impossibile.

10. Si vero minori extremo juncta sit privatio, cum significat contingere, syllogismus erit per conversionem, quemadmodum in prioribus factum fuit.

11. Cum autem significat non contingere, non erit syllogismus. Neque tunc erit syllogismus, cum ambo intervalla posita erunt privativa, nisi contingens jungatur minori extremo. Termini autem iidem sunt, quibus positis colligitur inesse, album-animal-nix, non inesse, album-animal-pix.

8. Si altera præmissa sit affirmativa altera negativa, *primo* si major sit negativa de necessario, minor affirmativa de contingenti, fit syllogismus, sed imperfectus, in quo concluditur duplex conclusio, altera negativa de inesse, altera de contingenti; ex. gr., dicatur : *necesse est nullum animal esse plantam; contingit*

omne album esse animal, sequitur duplex conclusio, prima de contingenti : *ergo contingit nullum album esse plantam;* secunda de inesse : *ergo nullum animal est planta.* Quod sequatur conclusio de inesse : *ergo nullum album est planta,* probatur, quia ex contradictoria conclusionis, quæ est : *aliquod album est planta,* et conversa majoris, infertur contradictoria minoris in Darii. Dicatur enim : *necesse est nullam plantam esse animal; aliquod album est planta* sequitur : *ergo necesse est aliquod album non esse animal,* quæ contradicit positæ minori : *contingit omne album esse animal;* ergo si major et minor est vera, sequitur necessario hæc conclusio negativa de inesse : *nullum album est planta;* ergo etiam sequitur hæc conclusio de contingenti : *contingit nullum album esse plantam.* Si enim nullum album est planta, contingit nullum album esse plantam sumendo contingens pro possibili.

9. *Secundo* si major sit universalis negativa de contingenti, minor universalis affirmativa de necessario, fit syllogismus perfectus, in quo sequitur sola conclusio de contingenti, non autem de inesse. Ex. gr., si dicatur : *contingens est nullum animal moveri; necesse est omnem hominem esse animal* sequitur : *ergo contingens est nullum hominem moveri,* et est syllogismus perfectus. Cum enim in majori sumatur, quod omni animali contingit non moveri, in minori, quod omnis homo est animal, sequitur per dictum de nullo, quod omni homini contingit non moveri, seu quod contingit nullum hominem moveri. Non tamen sequitur conclusio de inesse : *ergo nullus homo movetur,* cum possint esse veræ præmissæ, et adhuc omnes vel aliqui homines moveri.

10. *Tertio* si major sit universalis affirmativa de necessario, minor universalis negativa de contingenti, sequitur conclusio, et fit syllogismus imperfectus. Dicatur enim : *necesse est omne animal esse sensitivum; contingens est nullum album esse animal,* sequitur : *ergo contingens est nullum album esse sentitivum.* Ratio est, quia minor negativa de contingenti potest converti in propositionem de contingenti circa dictum affirmativum, per quam dicatur : *contingens est omne album esse animal;* sed tunc erit primus modus affirmativus, de quo ostensum est, quod concludat; ergo, etc.

11. *Quarto,* si major sit affirmativa de contingenti, minor negativa de necessario, vel si utraque sit negativa, major de contingenti, minor de necessario, non sequitur ulla conclusio, neque fit syllogismus. Probatur; si enim minor sit negativa de necessario, non sequitur ulla conclusio affirmativa vel negativa; ergo, etc. Probatur, quod non sequatur conclusio negativa in his terminis *album, animal, nix.* Si enim dicatur : *contingit omne animal esse album;* vel *contingit nullum animal esse album; necesse, ut nulla nix sit animal,* non sequitur : *ergo contingit omnem vel aliquam nivem non esse albam.* Cum necesse sit, omnem nivem esse albam. Probatur, quod non sequatur ulla conclusio affirmativa in his terminis *album, animal, pix.* Si enim dicatur : *contingit omne animal esse album; necesse est nullam picem esse animal,* non sequitur : *ergo contingit omnem vel aliquam picem esse albam,* cum necesse sit, nullam picem esse albam.

12. Eodem modo res habebit etiam in particularibus syllogismis. Cum enim privativum intervallum est necessarium, colligetur non inesse. Ut si τὸ α nulli β contingit inesse, ac τὸ β alicui γ contingit inesse, necesse est τὸ α alicui γ non inesse. Nam si omni inest ac nulli β contingit, etiam τὸ β nulli α inesse contingit. Quare si τὸ α omni γ inest, τὸ β nulli γ contingit. Sed supponebatur alicui contingere.

13. Cum autem pronuntiatum in parte affirmans est necessarium, quod ponitur in syllogismo privativo, ut pronuntiatum β γ, aut pronuntiatum universale affirmans, quod est in syllogismo attributivo, ut pronuntiatum α β, non erit syllogismus concludens inesse. Demonstratio vero eadem est quæ in prioribus.

12. Determinatis modis universalibus, agit Aristoteles de particularibus, ac *primo* de iis, in quibus major est universalis, minor particularis. Primo si major sit universalis negativa de necessario, minor particularis affirmativa de contingenti, sequitur duplex conclusio negativa, altera de contingenti altera de inesse. Ex gr., si dicatur in Ferio : *necesse est nullum animal esse plantam; contingens est aliquod album esse animal,* sequitur : *ergo contingens est aliquod album non esse plantam;* et sequitur etiam : *ergo aliquod album non est planta.* Quod sequatur posita conclusio de inesse, probatur, quia si conclusio posita est falsa, est vera contradictoria, quæ est : *omne album est planta;* ex hac autem et conversa majoris sequitur contradictoria minoris; dicendo enim :

necesse est nullam plantam esse animal; omne album est planta, sequitur : *ergo necesse est nullum album esse animal;* sed hæc est contradictoria positæ minori : *contingens est aliquod album esse animal;* ergo cum ex contradictoria conclusionis et conversa majoris sequatur falsitas minoris, non potest major et minor esse vera, et conclusio de inesse esse falsa, adeoque sequitur necessario hæc conclusio de inesse : *ergo aliquod album non est planta;* ergo etiam sequitur conclusio de contingenti, per quam dicatur : *ergo contingit aliquod album non esse plantam.* Et quia si minor sit particularis negativa de contingenti, converti potest in affirmativam, ut dictum est cap. XIII, num. 4, ideo hæc etiam conjugatio, in qua major est universalis negativa de necessario, minor particularis negativa de contingenti, est utilis.

13. *Secundo* si major sit universalis affirmativa vel negativa de contingenti, minor particularis affirmativa de necessario, fit syllogismus perfectus in Darii et Ferio, in quibus sequitur conclusio de contingenti, non vero de inesse, proportionaliter ad dicta de Barbara et Celarent. Ex. gr. si dicatur : *contingit omne animal ambulare;* vel *contingit nullum animal ambulare; necesse est aliquod vivens esse animal,* sequitur in Darii; *ergo contingit aliquod vivens ambulare;* et in Ferio : *ergo contingit aliquod vivens non ambulare;* non vero sequitur : *ergo aliquod vivens ambulat vel non ambulat.* Demonstratur vero proportionaliter, ac demonstratum est de Barbara et Celarent num. 7 et 9, valet enim eadem ratio.

14. Si vero universale jungatur minori extremo, vel affirmativum vel privativum, et contingens, particulare autem necessarium minori extremo, non erit syllogismus. Termini conclusionis necessario inesse, animal-album-homo, conclusionis non contingere, animal-album-vestimentum.

15. Quodsi pronuntiatum universale sit necessarium, particulare vero contingens, cum universale est privativum, termini in quibus inest sint hi, animal-album-corvus, in quibus non inest, animal-album-pix. Cum autem pronuntiatum universale affirmat, termini conclusionis inesse sint hi, animal-album-cygnus, conclusionis non inesse, animal-album-nix.

16. Neque tum erit syllogismus, cum propositiones indefinitæ vel ambæ in parte sumptæ fuerint. Termini communes, in quibus inest, animal-album-homo, in quibus non inest, animal-album-inanimatum. Etenim animal cuidam albo et album cuidam inanimato et necessario inest et non contingit inesse, et in contingenti similiter res habet. Quare omnibus modis hi termini conveniunt.

17. Ex dictis igitur perspicuum est, similiter se habentibus terminis in eo quod inest et in necessariis propositionibus fieri et non fieri syllogismum. Præterquam quod si privativa propositio ponatur pura, colligitur contingere non inesse; si vero privativa sit necessaria, colligitur et contingere non inesse et non inesse. Constat etiam omnes syllogismos esse imperfectos et perfici per figuras supra dictas.

14. Determinat deinde Aristoteles de modis, in quibus major est particularis, minor universalis, ac docet, omnes esse inutiles. *Primo* enim si major est particularis de necessario, minor universalis de contingenti, sive utraque sit affirmativa sive utraque negativa, seu major affirmativa minor negativa, seu major negativa minor affirmativa, omnes sunt inutiles, cum nulla sequatur conclusio affirmativa neque negativa. Quod non sequatur conclusio negativa, patet in his terminis *animal, album, homo.* Si enim dicatur : *necesse est aliquod album esse animal; contingens est omnem hominem esse album,* quomodocumque varientur propositiones secundum affirmationem vel negationem, non sequitur : *ergo contingens est nullum hominem esse animal, vel aliquem hominem non esse animal,* cum potius necessarium sit omnem hominem esse animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *animal, album, tunica.* Si enim dicatur : *necesse est aliquod album esse animal; contingens est omnem tunicam esse albam,* non sequitur : *ergo contingens est omnem vel aliquam tunicam esse animal,* cum necesse sit nullam tunicam esse animal.

15. *Secundo* si major sit particularis de contingenti, minor universalis de necessario, adhuc non sequitur ulla conclusio affirmativa vel negativa, quomodocumque varientur præmissæ secundum affirmationem vel negationem, ita ut vel utraque præmissa sit affirmativa, vel utraque negativa, etc. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, si minor sit affirmativa, patet in his terminis *animal, album, cygnus.* Si enim dicatur : *contingens est aliquod album non esse animal; necesse est omnem cygnum esse album,* non sequitur : *ergo contingens est omnem vel aliquem cygnum non esse animal,* cum omnis cygnus, ex necessitate sit animal.

Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, si minor est affirmativa, patet in his terminis, *animal, album, nix*. Si enim dicatur : *contingens est aliquod album esse animal ; necesse est omnem nivem esse album*, non sequitur : *ergo contingens est omnem nivem esse animal*, cum necesse sit, ut nulla nix sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, si minor sit negativa, patet in his terminis *animal, album, corvus*. Si enim dicatur : *contingens est aliquod album esse animal ; necesse est nullum corvum esse album*, non sequitur : *ergo contingens est omnem vel aliquem corvum non esse animal*, cum omnis corvus ex necessitate sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, si minor sit negativa, patet in his terminis *animal, album, pix*. Si enim dicatur : *contingens est aliquod album esse animal; necesse est nullam picem esse albam*, non sequitur : *ergo contingens est omnem vel aliquam picem esse animal*, cum necesse sit, ut nulla pix sit animal.

16. Demum si utraque præmissa est particularis vel indefinita, non fit syllogismus, cum non sequatur ulla conclusio affirmativa vel negativa. Quod non sequatur ulla conclusio negativa, patet in his terminis *animal, album homo*. Si enim dicatur : *necesse est aliquod album non esse animal; contingens est aliquem hominem esse album*, non sequitur : *ergo contingens est omnem vel aliquem hominem non esse animal*, cum necesse sit omnem hominem esse animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *animal, album, inanimatum*. Si enim dicatur : *contingens est aliquod album esse animal; necesse est aliquod inanimatum esse album*, non sequitur : *ergo contingens est omne vel aliquod inanimatum esse animal*, cum necesse sit nullum inanimatum esse animal.

17. Concludit Aristoteles comparando conjugationes mistas ex propositionibus de contingenti et de inesse cum conjugationibus mistis ex propositionibus de necessario et de contingenti, ac dicit, quod in aliquo conveniunt, in aliquo disconveniunt. Conveniunt in hoc, quod tot ac similes sunt conjugationes utiles ac inutiles in illa mistione, ac in ista; differunt, quod si propositio negativa est de contingenti, sequitur solum conclusio de contingenti, non autem de inesse; at si propositio negativa est de necessario, sequitur conclusio negativa non solum de contingenti, sed etiam de inesse, ut dictum est num. 12. Verum omnes syllogismi, in quibus minor est negativa, sunt imperfecti, ac perficiuntur modis explicatis.

CAPUT XVII

DE SYLLOGISMIS EX AMBABUS PRÆMISSIS DE CONTINGENTI IN SECUNDA FIGURA.

1. [17] In secunda autem figura, cum ambæ propositiones contingentes accipiuntur, nullus erit syllogismus, sive attributivæ sive privativæ ponantur, sive universales sive in parte.

2. Cum autem altera inesse altera contingere significat, si affirmativa significet inesse, numquam erit syllogismus, si vero privativa universalis significet inesse, semper erit syllogismus.

3. Eodem modo res se habebit etiam cum altera propositio accipietur necessaria, altera contingens.

4. Oportet autem in his quoque syllogismis ita accipere contingens quod in conclusionibus ponitur, ut in superioribus acceptum fuit.

1. Postquam Aristoteles egit de syllogismis de contingenti et mistis primæ figuræ, agit de syllogismis secundæ figuræ; ac *primo* ponit quatuor regulas universales. *Prima regula* pro syllogismis constantibus ex utraque præmissa de contingenti est : in secunda figura ex utraque præmissa de contingenti, quomodocumque se habeant secundum affirmationem et negationem, ac secundum universalitatem vel particularitatem, non fit syllogismus, neque sequitur necessario ulla conclusio.

2. *Secunda regula* pro syllogismis mistis ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse est : in secunda figura si præmissa affirmativa sit de inesse, negativa de contingenti non fit syllogismus; si vero universalis negativa sit de inesse, affirmativa universalis vel particularis de contingenti, semper fit syllogismus.

3. *Tertia regula* pro syllogismis mistis ex altera de necessario, altera de contingenti est : in secunda figura, si præmissa affirmativa sit de necessario, negativa de contingenti, nunquam fit syllogismus; si vero negativa universalis fuerit de necessario, affirmativa universalis vel particularis de contingenti, semper fit syllogismus.

4. *Quarta* demum et ultima regula explicans, in quo sensu sumatur contingens, quod infertur in secunda figura est : dum in secunda figura infertur conclusio de

contingenti, contingens sumitur late pro possibili, sicut sumitur in pluribus modis imperfectis primæ figuræ, ut dictum est cap. XVI, num. 5, non vero sumitur stricte pro eo, quod potest esse et non esse.

5. Primum igitur ostendendum est, contingens privativum non converti. Ut si τὸ α contingit nulli β, non est necesse etiam τὸ β contingere nulli α.

6. Hoc enim ponatur, et contingat τὸ β nulli α inesse. Cum igitur contingentes affirmationes mutentur in negationes, tam contrariæ quam oppositæ, et contingat τὸ β nulli α inesse, perspicuum est, contingere etiam ut τὸ β omni α insit. Hoc autem falsum est. Non enim si hoc illi omni contingit, necesse est etiam illud huic contingere. Quare contingens privativum non convertitur.

7. Præterea nihil prohibet quominus τὸ α contingat nulli β, verum τὸ β cuidam α necessario non insit. Verbi gratia contingit ut omni homini album non insit, quia contingit etiam ut insit. Sed non vere dicetur contingere ut homo nulli albo insit, quia multis necessario non inest; quod autem est necessarium, non erat contingens.

8. Sed neque ab impossibili probabitur converti, utputa si quis sibi concedi postulet, quia falsum est contingere nulli α τὸ β, verum esse non contingere nulli, quoniam hæc sunt affirmatio et negatio, et si hoc verum sit, necessario alicui α inesse τὸ β, proinde etiam τὸ α necessario inesse alicui β. Quod est impossibile.

9. Non enim si τὸ β non contingit nulli α, necesse est propterea ut alicui insit, quia non contingere nulli duobus modis dicitur, uno, si alicui necessario insit, altero, si alicui necessario non insit. Quod enim necessario cuidam α non inest, dici vere non potest omni contingere non inesse, quemadmodum nec quod alicui necessario inest, vere dicetur omni contingere inesse. Si quis igitur sibi concedi postulet, quia non contingit τὸ γ omni δ inesse, necessario id alicui non inesse, falsum sumit, quia fortasse omni inest; sed quia nonnullis necessario inest, ideo dicimus non omni contingere. Quare illi orationi, contingere omni inesse, hæ duæ opponuntur, necessario alicui inesse et necessario alicui non inesse. Similiterque illi orationi, contingere nulli. Constat igitur, cum ita contingens et non contingens accipitur, ut initio definivimus, non solum necessario alicui inesse, sed etiam necessario alicui non inesse sumi debere. Hoc autem sumpto nihil colligitur impossibile; proinde non fit syllogismus. Ex dictis igitur apparet, contingens privativum non converti. Hoc autem probato ponatur τὸ α contingere nulli β et omni γ. Syllogismus igitur non erit per conversionem, quia dictum est hujusmodi propositionem non converti,

5. Positis regulis, probat Aristoteles illas, ut ita demonstret, quandonam in secunda figura fiat vel non fiat syllogismus de contingenti. *Probat* ergo *primam regulam*, quod in secunda figura ex utraque præmissa de contingenti non fiat syllogismus. Omnis syllogismus in secunda figura eatenus concludit, quatenus potest reduci ad primam figuram, vel ostensive per conversionem alicujus præmissæ, eo pacto, quo reducuntur Cesare, Camestres, et Festino; vel per reductionem ad impossibile, eo pacto, quo reducitur Barocco; sed neutro pacto possunt reduci conjugationes secundæ figuræ constantes ex utraque præmissa de contingenti; ergo, etc. — Probatur minor, et primo quod reduci non possint ostensive per conversionem. Cesare, Camestres et Festino reducuntur ostensive convertendo universalem negativam in alteram universalem negativam; sed universalis negativa de contingenti non potest converti in alteram universalem negativam; ergo, etc. Minorem, quod nimirum universalis negativa de contingenti non possit converti in aliam universalem negativam, probat Aristoteles tripliciter, primo ab absurdo; secundo per instantiam; tertio ex signo, solvendo simul apparentem rationem, qua posset probari hæc conversio.

6. Primo ergo probat ab absurdo: si universalis negativa de contingenti converteretur in aliam universalem negativam, etiam universalis affirmativa de contingenti, converteretur in aliam universalem affirmativam; ex. gr., hæc: *contingit omnem hominem esse album*, converteretur in hanc: *contingit omne album esse hominem;* sed hoc est absurdum; ergo, etc. Probatur sequela majoris: ut dictum est cap. XIII, num. 4, propositiones de contingenti convertuntur in propositiones de dicto opposito; ergo hæc affirmativa: *contingit omnem hominem esse album*, convertitur in hanc negativam: *contingit nullum hominem esse album;* sed hæc ex suppositione convertitur in hanc aliam negativam: *contingit nullum album esse hominem*, et hæc rursus convertitur in hanc universalem affirmativam: *contingit omne album esse hominem;* ergo a primo ad ultimum universalis affirmativa de contingenti convertitur in aliam universalem affirmativam et valet: *contingit omnem hominem esse album; ergo contingit omne album esse hominem;* sed hoc est absurdum. Licet enim sit verum: *contingit omnem hominem esse album*, adhuc est

falsum : *contingit omne album esse hominem*, cum sit impossibile, ut multa alba, ex. gr., cygnus et nix sint homo; ergo etiam est impossibile, ut universalis negativa de contingenti convertatur in aliam universalem negativam de contingenti.

7. Secundo probatur hoc ipsum per instantiam. Licet enim sit verum, quod *contingit nullum hominem esse album*, adhuc est falsum, quod *contingit nullum album esse hominem*, sumendo contingens stricte pro eo, quod potest esse et non esse. Quamvis enim contingat, ut nullus homo sit albus in hoc sensu, ut quilibet homo possit esse et non esse albus, adhuc non est verum, quod contingit nullum album esse hominem in hoc sensu, ut quodlibet album possit esse et non esse homo; multa enim alba, ut cygnus, nix, etc., necessario non sunt homo; ergo licet propositio universalis negativa de contingenti stricte sumpto possit converti in aliam universalem negativam de contingenti late sumpto pro possibili, adhuc non potest converti in aliam universalem negativam de contingenti stricte sumpto, de quo nunc loquimur.

8. Tertio hoc idem probatur ex signo. Propositiones legitime convertibiles ita se habent, ut si convertens sit falsa, sequatur impossibile, hoc est quod conversa, quæ supponitur vera, sit pariter falsa, ut dictum est cap. II, probando regulas conversionum; sed propositiones universales negativæ de contingenti non ita se habent, ut ex falsitate convertentis sequatur falsitas conversæ; ergo, etc. Probatur minor simul solvendo argumentum, quo apparenter probatur ex falsitate convertentis sequi falsitatem conversæ. Dicatur enim : *contingens est nullum hominem esse album*, sequi videtur : *ergo contingens est nullum album esse hominem*. Si enim hæc conclusio est falsa, vera est contradictoria : *non contingit nullum album esse hominem;* ergo est etiam vera hæc illi æquipollens : *necesse esse aliquod album esse hominem;* ergo est vera etiam hæc, in quam legitime convertitur : *necesse est aliquem hominem esse album;* sed hæc contradicit illi primæ : *contingens est nullum hominem esse album;* ergo si falsa est universalis negativa convertens de contingenti, falsa est etiam conversa, adeoque universalis negativa de contingenti legitime convertitur in aliam universalem negativam.

9. Respondet Aristoteles, quod in hac argumentatione peccatur in illa illatione, in qua ex eo, quod sit vera hæc : *non contingit nullum album esse hominem*, assumitur ut æquipollens hæc : *necesse est aliquod album esse hominem*. Duplici enim modo potest verificari hæc : *non contingit nullum album esse hominem ;* primo ex eo, quod necesse sit, ut omne vel aliquod album sit homo; eo enim ipso non continget, sed erit impossibile, ut nullum album sit homo; secundo ex eo, quod necesse sit, ut aliquod album non sit homo; eo enim ipso non continget, ut nullum album sit homo, seu ut omne album non sit homo, sed erit necessarium, ut aliquod album non sit homo; ergo cum hæc negativa : *non contingit nullum album esse hominem*, possit verificari vel per hoc, quod necesse sit aliquod album esse hominem, vel per hoc, quod necesse sit aliquod album non esse hominem, male ex illa infertur hæc determinate : *necesse est aliquod album esse hominem*, cum non sequatur hæc determinate, sed vel hæc vel altera; sicut quia hæc : *non contingit omne album esse hominem*, potest verificari vel per hoc, quod necesse sit aliquod album esse hominem, vel per hoc, quod necesse sit aliquod album non esse hominem, male infertur altera determinate; sed si inferatur hæc : *necesse est aliquod album non esse hominem*, nihil poterit inferri contra primam conversam : *contingens est nullum hominem esse album;* ergo cum ex falsitate hujus convertentis : *contingens est nullum album esse hominem*, non inferatur falsitas conversæ, conversio non est legitima, adeoque universalis negativa de contingenti non convertitur in aliam universalem negativam. Sed secunda figura reducitur ostensive ad primam convertendo universalem negativam in aliam universalem negativam; ergo si utraque præmissa sit de contingenti, modi secundæ figuræ non possunt reduci ad primam; ergo non possunt ostensive probari per conversionem. Ex. gr., si dicatur in Cesare : *contingit nullum hominem esse album; contingit omne rationale esse album*, non sequitur : *ergo contingit nullum rationale esse hominem;* quia major universalis non potest converti, et per conversionem reduci ad Celarent, ut ostensum est.

10. Neque per deductionem ad impossibile, quia si ponatur contingere ut τὸ β insit omni γ, nihil falsi inde colligitur, quia contingere potest

ut τὸ α et omni et nulli γ insit. Omnino autem si est syllogismus, constat esse ejus quod contingit, quia neutra propositio sumpta est de eo quod inest, isque aut affirmativus aut privativus.

10. Secundo probatur, quod modi secundæ figuræ ex utraque præmissa de contingenti non possunt reduci ad primam figuram per reductionem ad impossibile. Ex falsitate conclusionis cum altera præmissarum non sequitur falsitas alterius præmissæ; sed in hoc consistit reductio ad impossibile; ergo modi secundæ figuræ ex utraque præmissa de contingenti non possunt reduci ad impossibile. Probatur major: dicatur enim in Cesare: *contingit nullum hominem esse album; contingit omne rationale esse album; ergo contingit nullum rationale esse hominem.* Sumatur contraria vel contradictoria conclusionis: *contingit omne vel aliquod rationale esse hominem,* adjuncta majori dicatur in Celarent vel Ferio: *contingit nullum hominem esse album; contingit omne vel aliquod rationale esse hominem,* sequitur: *ergo contingit omne vel aliquod rationale non esse album,* quæ non repugnat minori positæ in Cesare: *contingit omne rationale esse album,* cum simul verificetur: *contingit omne rationale esse album; contingit nullum rationale esse album,* imo una inferatur ex alia, ut dictum est cap. XIII, num. 10. Si vero contraria vel contradictoria conclusionis: *contingit omne vel aliquod rationale esse hominem,* conjungatur cum minori: *contingit omne rationale esse album;* ad summum sequitur in Darapti vel Disamis: *ergo contingit aliquod album non esse hominem,* quæ non opponitur majori: *contingit nullum hominem esse album,* cum simul verificentur, imo una inferatur ex alia, ut dictum est cap. XIII num. 10, in regulis conversionum; ergo cum in modis secundæ figuræ ex utraque præmissa de contingenti, ex falsitate conclusionis non sequatur falsitas ullius præmissæ, non possunt probari per reductionem ad impossibile. Id quod exemplicatum est in Cesare, potest exemplificari in aliis modis secundæ figuræ.

11. At neutro modo fieri potest. Nam si ponatur affirmativus, per terminos ostendetur non contingere inesse. Si ponatur negativus, ostendetur, conclusionem non esse contingentem, sed necessariam. Sit enim τὸ α album, τὸ β homo, ubi γ equus. Ergo τὸ α, id est album, alteri omni, alteri nulli inesse contingit. Sed neque contingit τὸ β τῷ γ inesse, neque non inesse. Sane quod non contingat inesse, ex eo apparet, quod nullus equus est homo. Sed ne contingit quidem non inesse, quia necesse est nullum equum esse hominem; quod vero est necessarium, non erat contingens. Non fit igitur syllogismus. Similiter etiam ostendetur, si inverso ordine privatio ponatur,

12. vel ambæ propositiones sumptæ sint affirmativæ vel ambæ privativæ, quoniam per eosdem terminos erit demonstratio. Et quando altera propositio est universalis, altera in parte, vel ambæ particulares vel indefinitæ, vel quovis alio modo mutare propositiones licet. Semper enim erit demonstratio per eosdem terminos. Perspicuum igitur est, si ambæ propositiones ponantur contingentes, nullum fieri syllogismum.

11. Postquam Aristoteles probavit, quod in secunda figura ex utraque præmissa de contingenti non fit syllogismus, ex eo, quod non potest reduci ad primam, neque ostensive neque per impossibile, probat idem per instantiam. Si in secunda figura fieret syllogismus ex utraque præmissa de contingenti, vel sequeretur conclusio de necessario, vel de contingenti, vel de inesse; nulla ex his sequitur neque affirmativa neque negativa; ergo, etc. Probatur minor; et primo, quod non sequatur ulla conclusio affirmativa. Potest esse falsa omnis conclusio affirmativa ergo, etc. Probatur antecedens in his terminis *album, homo, equus.* Si enim dicatur in Cesare: *contingit nullum hominem esse album; contingit omnem equum esse album,* non sequitur ulla conclusio affirmativa neque de inesse, neque de necessario, neque de contingenti, cum neque sit verum, quod omnis vel aliquis equus sit homo, neque quod omnis vel aliquis equus necessario sit homo, neque quod contingat omnem vel aliquem equum esse hominem, cum necesse sit, ut nullus equus sit homo. Ex iisdem terminis patet, non sequi conclusionem negativam de contingenti; ex. gr.: *ergo contingit nullum equum esse hominem.* Cum enim necessarium sit nullum equum esse hominem, non est contingens, cum non possit idem esse necessarium et contingens stricte, licet possit idem esse necessarium et contingens, late sumendo contingens pro possibili. Quod vero non sequatur conclusio negativa de inesse et de necessario, patet in his terminis *album, animal, equus.* Si enim dicatur in Cesare: *contingit nullum animal esse album; contingit omnem equum esse album,* non

sequitur : *ergo omnis vel aliquis equus non est animal;* multo minus sequitur cum modo necessarii: *ergo necesse est, ut omnis vel aliquis equus non sit animal,* cum necesse sit, ut omnis equus sit animal.

12. Eodem pacto demonstrari potest, non sequi conclusionem de contingenti, si utraque præmissa sit affirmativa vel utraque negativa, vel altera particularis altera universalis, vel utraque particularis, vel utraque indefinita ; semper enim per instantiam in terminis demonstrari potest, nullam sequi conclusionem ; ergo universim in secunda figura ex utraque præmissa de contingenti nulla sequitur conclusio, adeoque non fit syllogismus.

CAPUT XVIII

DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PRÆMISSA DE CONTINGENTI, ALTERA DE INESSE IN SECUNDA FIGURA.

1. [18] Quodsi altera propositio inesse, altera contingere significet, cum attributiva significat inesse et privativa contingere, numquam erit syllogismus, sive universaliter sive in parte termini accipiantur.

2. Demonstratio autem est eadem et per eosdem terminos.

3. Cum autem affirmativa significat contingere, privativa inesse, erit syllogismus. Nam sumptum esto τὸ α nulli β inesse et omni γ contingere. Converso igitur intervallo privativo τὸ β inerit nulli α ; atqui τὸ α contingebat omni γ. Fit igitur syllogismus, quo colligitur contingere τὸ β nulli γ in prima figura. Similiter etiam fit syllogismus, si adjiciatur privatio τῷ γ.

4. Si vero ambæ propositiones sint privativæ, et altera significet non inesse, altera contingere non inesse, sane ex his propositionibus acceptis nihil efficitur necessario, sed conversa propositione contingente fit syllogismus, quo colligitur contingere ut τὸ β nulli γ insit, ut in prioribus syllogismis. Erit enim iterum prima figura.

1. Postquam Aristoteles probavit primam regulam, quod nimirum in secunda figura ex utraque præmissa de contingenti non fit syllogismus, *probat secundam regulam,* quod nimirum in eadem secunda figura, si præmissa affirmativa sit de inesse, negativa de contingenti, non fit syllogismus; si vero universalis negativa sit de inesse, affirmativa de contingenti fit syllogismus.

2. Prima pars regulæ probatur per instantiam in terminis. Si enim affirmativa sit de inesse, non sequitur ulla conclusio negativa, ut patet in his terminis *album, animal, homo.* Dicatur enim in Cesare : *contingit nullum animal esse album; omnis homo est albus,* non sequitur : *ergo contingit omnem vel aliquem hominem non esse animal,* cum necesse sit, ut omnis homo sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa patet in his terminis *album, equus, homo.* Si enim dicatur : *contingit nullum equum esse album; omnis homo est albus* non sequitur : *ergo contingit omnem vel aliquem hominem esse equum,* cum necesse sit, ut nullus homo sit equus.

3. Secunda pars regulæ, quod nimirum si universalis negativa sit de inesse, affirmativa de contingenti, fiat syllogismus, probatur. Primo enim dicatur in Cesare : *nullus homo est irrationalis; contingit omne vigilans esse irrationale* sequitur : *ergo contingit nullum vigilans esse hominem.* Major enim utpote universalis negativa de inesse, potest converti simpliciter in hanc : *nullum irrationale est homo;* sed facta hac conversione, argumentum erit in Celarent, in quo ex majori negativa de inesse, minori affirmativa de contingenti sequitur conclusio, ut dictum est cap. XV, num. 12, ergo etiam in Cesare ex majori negativa de inesse, minori affirmativa de contingenti sequitur conclusio. Secundo dicatur in Camestres : *contingit omne vigilans esse irrationale; nullus homo est irrationalis,* sequitur : *ergo contingit nullum hominem esse vigilantem;* convertendo enim minorem et transponendo præmissas, eadem conclusio sequitur in Celarent.

4. Quia vero propositio contingens negativa de dicto, converti potest in affirmativam de dicto, ut probatum est cap. XIII, num. 4, ideo sequitur conclusio, etiamsi utraque præmissa sit universalis negativa, altera de contingenti, altera de inesse. Ex. gr., si dicatur : *nullus homo est irrationalis; contingit nullum album esse irrationale,* sequitur : *ergo contingit nullum album esse hominem,* quia per conversionem majoris in alteram universalem negativam de inesse, et per conversionem minoris in propositionem de dicto affirmativo, argumentum erit in Celarent. Similiter si dicatur : *contingit nullum album esse irrationale; nullus homo est irrationalis,* sequitur : *ergo contingit nullum hominem esse album.* Convertendo enim majorem in affirmati-

vam de dicto, argumentum erit in Camestres, quod per conversionem minoris, et transpositionem præmissarum reducetur ad Celarent.

5. Quodsi ambæ propositiones positæ sint attributivæ, non erit syllogismus. Termini in quibus inest, sanitas-animal-homo, in quibus non inest, sanitas-equus-homo.

6. Eodem modo res habebit etiam in syllogismis particularibus. Cum enim propositum affirmativum est purum, sive universaliter sive in parte acceptum, nullus erit syllogismus (hoc autem similiter et per eosdem terminos probatur, quibus supra usi sumus). Cum autem privativum est purum, erit syllogismus per conversionem, ut in prioribus syllogismis factum est.

7. Rursus si ambo intervalla privativa sumpta sint, et quod significat non inesse sit universale, sane ex his propositionibus nihil colligitur necessario, sed per contingentis conversionem, ut in superioribus, erit syllogismus. Quodsi privativum intervallum sit quidem purum, sed in parte acceptum, non erit syllogismus, sive affirmativa sive privativa sit altera propositio. Neque tunc erit syllogismus, cum ambæ propositiones sumptæ sunt indefinitæ sive negantes sive affirmantes aut in parte. Demonstratio vero eadem est et per eosdem terminos.

5. Sicut si præmissa universalis affirmativa in secunda figura sit de inesse, negativa de contingenti, non fit syllogismus ; sic non fit syllogismus, si utraque sit affirmativa, altera de contingenti, altera de inesse, sive major sit de contingenti, minor de inesse, sive e converso. Probatur, quia non sequitur ulla conclusio affirmativa neque negativa ; ergo, etc. Quod non sequatur negativa, patet in his terminis *sanum, animal, homo.* Si enim dicatur : *contingit omne animal esse sanum; omnis homo est sanus*, non sequitur : *ergo contingit omnem vel aliquem hominem non esse animal,* cum omnis homo necessario sit animal. Quod non sequatur conclusio affirmativa, patet in his terminis *sanum, equus, homo.* Si enim dicatur : *contingit omnem equum esse sanum; omnis homo est sanus*, non sequitur : *ergo contingit omnem vel aliquem hominem esse equum,* cum necesse sit nullum hominem esse equum.

6. Modi, in quibus altera præmissa est universalis, altera particularis, sunt proportionaliter utiles vel inutiles, sicut modi universales. Si enim affirmativa universalis sive particularis sit de inesse, negativa de contingenti, non fit syllogismus. Ex. gr., si dicatur in Festino : *contingit nullum animal esse album ; aliquis homo est albus*, non sequitur : *ergo contingit aliquem hominem non esse animal.* E converso si universalis negativa fuerit de inesse, particularis affirmativa de contingenti, fiet syllogismus; ex. gr., si dicatur in Festino : *nullus equus est homo ; contingit aliquod vigilans esse hominem*, sequitur : *ergo contingit aliquod vigilans non esse equum*, cum per conversionem majoris argumentum reducatur ad Ferio.

7. Si utraque sit negativa, altera universalis de inesse, altera particularis de contingenti, fiet syllogismus; ex. gr., si dicatur : *nullus equus est homo; contingit aliquod vigilans non esse hominem*, sequitur : *ergo contingit aliquod vigilans non esse equum.* Convertendo enim minorem negativam de dicto in affirmativam de dicto, argumentum erit in Festino, quod concludit, ut jam probatum est. Si vero præmissa particularis negativa fuerit de inesse, universalis affirmativa de contingenti, non erit syllogismus ; ex. gr., si dicatur in Barocco : *contingit omne animal vigilare ; aliquis equus non vigilat*, non sequitur : *ergo contingit aliquem equum non esse animal.* Demum non fit syllogismus, si utraque sit indefinita, vel utraque particularis, quomodocumque varientur secundum affirmationem vel negationem, ut patere potest per instantiam in terminis.

CAPUT XIX.

DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PRÆMISSA DE NECESSARIO, ALTERA DE CONTINGENTI IN SECUNDA FIGURA.

1. [19] Si vero altera propositio necessario inesse vel non inesse, altera contingere significet, cum privativa est necessaria, erit syllogismus, quo colligetur non solum contingere non inesse, sed etiam non inesse. Cum autem affirmativa est necessaria, non erit syllogismus.

2. Ponatur enim τὸ α necessario nulli β inesse et omni γ contingere. Conversa igitur propositione privativa, τὸ β necessario nulli α inerit. Atqui τὸ α omni γ contingebat. Fit igitur iterum in prima figura syllogismus, quo colligitur contingere ut τὸ β nulli γ insit. Simulque perspicuum fit, τὸ β nulli γ inesse. Ponatur enim inesse. Ergo si τὸ α nulli β contingit, ac τὸ β inest alicui γ, certe τὸ α cuidam γ non contingit. Verum supponebatur omni contingere.

3. Eodem modo demonstrabitur, si τῷ γ jungatur privatio.

1. Postquam Aristoteles probavit primam et secundam regulam pro syllogismis secundæ figuræ ex utraque præmissa de contingenti, et ex altera de contingenti altera de inesse, explicat et *probat tertiam regulam* pro syllogismis secundæ figuræ ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti. Est autem hæc regula : si negativa universalis sit de necessario, affirmativa universalis vel particularis de contingenti, fit syllogismus; si vero affirmativa sit de necessario, non fit syllogismus. Probat igitur hanc regulam discurrendo primo per conjugationes ex utraque præmissa universali; secundo per conjugationes constantes ex utraque vel altera præmissa particulari.

2. Primo igitur si major universalis negativa sit de necessario, minor universalis affirmativa de contingenti, fit syllogismus, in quo sequitur duplex conclusio, altera negativa de contingenti, altera negativa de inesse. Dicatur enim in Cesare : *necesse est nullum hominem esse equum; contingit omne vigilans esse equum.* sequitur : *ergo contingit, nullum vigilans esse hominem*. Patet; convertendo enim majorem simpliciter juxta regulas conversionum traditas cap. III, num. 1. eadem conclusio sequitur in Celarent. Infertur etiam hæc conclusio negativa de inesse : *ergo nullum vigilans est homo*. Probatur per reductionem ad impossibile. Si enim falsa sit hæc conclusio, vera erit contradictoria, quæ est: *aliquod vigilans est homo;* sed ex hac cum majori sequitur contradictoria minoris in Ferio, et fit syllogismus: *necesse est nullum hominem esse equum; aliquod vigilans est homo; ergo necesse est aliquod vigilans non esse equum*, quæ est contradictoria illi minori, *contingit omne vigilans esse equum ;* ergo cum non possit esse falsa conclusio negativa de inesse, nisi sit falsa aliqua præmissarum, si utraque præmissa est vera, etiam conclusio est vera, adeoque ex præmissis necessario sequitur talis conclusio.

3. Secundo si major sit affirmativa de contingenti, minor negativa de necessario, sequitur conclusio negativa de contingenti et de inesse. Dicatur enim in Camestres: *contingit omne album esse equum; necesse est nullum hominem esse equum*, sequitur : *ergo contingit nullum hominem esse album*. Convertendo enim minorem et transponendo præmissas, eadem conclusio sequitur in Celarent. Ex iisdem præmissis in Camestres sequitur hæc conclusio negativa de inesse : *ergo nullus homo est albus*. Probatur per impossibilé. Ex majori enim, quæ est: *necesse est nullum hominem esse equum*, et ex contradictoria conclusionis, quæ est: *aliquis homo est albus*, sequitur in tertia figura et in Ferison : *ergo necesse est aliquod album non esse equum*, quæ est contradictoria majoris: *contingit omne album esse equum*; ergo cum ex falsitate conclusionis negativæ de inesse et ex altera præmissarum sequatur falsitas alterius præmissæ, non potest utraque præmissa esse vera et conclusio falsa, adeoque talis conclusio necessario sequitur ex positis præmissis.

4. Rursus attributivum intervallum sit necessarium, alterum vero privativum contingens, ac τὸ α contingat nulli β et omni γ necessario insit. Sic igitur habentibus terminis nullus erit syllogismus, quia fieri potest ut τὸ β τῷ γ necessario non insit. Sit enim α album, ubi β homo, ubi γ cygnus. Album igitur cygno ex necessitate inest, et contingit nulli homini, homoque ex necessitate nulli cygno inest. Ergo contingentis non fore syllogismum patet, quia quod est ex necessitate, non est contingens. Neque vero est syllogismus conclusionis necessariæ, quia conclusio necessaria colligebatur vel ex ambabus propositionibus necessariis vel ex privativa. Præterea his positis fieri potest, ut τὸ β insit τῷ γ. Nihil enim vetat τὸ γ esse sub β, ac τὸ α accidere omni β et τῷ γ necessario inesse. Ut si τὸ γ sit vigilans, τὸ β animal, ubi α motus. Nam omni vigilanti necessario motus inest, omnique animali contingit, et omne vigilans est animal. Perspicuum igitur est, neque colligi non inesse, quandoquidem terminis ita habentibus necesse est inesse, neque oppositas affirmationes ; itaque nullum fore syllogismum. Similis erit probatio, si vice versa propositio affirmativa posita sit.

4. Tertio si e converso major sit negativa de contingenti, minor affirmativa de necessario, non fit syllogismus, nec sequitur ulla conclusio. Probatur, quia neque sequitur conclusio affirmativa, neque negativa de contingenti, neque de necessario, neque de inesse; ergo etc. Probatur antecedens, et primo, quod non sequatur ulla conclusio affirmativa vel negativa de contingenti, patet in his terminis *album, homo, cygnus*. Si enim dicatur in Cesare: *contingit nullum hominem esse album ; necesse est omnem cygnum esse album*, non sequitur: *ergo contingit omnem vel aliquem cygnum esse hominem ;* neque sequitur : *ergo contingit omnem vel aliquem cygnum non esse hominem*. Cum enim necessarium sit nullum cygnum esse homi-

nem, non est contingens, sed impossibile, ut aliquis cygnus sit homo, neque est contingens stricte, sed necessarium, ut nullus cygnus sit homo. Secundo quod non sequatur ulla conclusio affirmativa vel negativa de necessario, probatur dupliciter; primo quia ex dictis cap. XVII, num. 3. conclusio de necessario non sequitur, nisi utraque præmissa, vel saltem negativa sit de necessario; sed secundum dispositionem positam sola præmissa affirmativa est de necessario; ergo etc. Secundo probatur simul, quod non sequatur ulla conclusio affirmativa vel negativa de necessario, neque de inesse; et primo, quod non sequatur ulla affirmativa de necessario, neque de inesse patet in terminis positis *album, homo, cygnus*. Licet enim sit vera utraque præmissa: *contingit nullum hominem esse album; necesse est omnem cygnum esse album*, non sequitur: *ergo necesse est omnem vel aliquem cygnum esse hominem*, neque sequitur: *ergo omnis vel aliquis cygnus est homo;* cum ex necessitate nullus cygnus sit homo. Quod neque sequatur ulla conclusio negativa de necessario, neque de inesse, probatur, quia potest esse vera utraque præmissa, et tamen esse falsa omnis conclusio negativa de inesse, ut patet in his terminis *moveri, animal, vigilans vel currens*. Dicatur enim: *contingens est nullum animal moveri; necesse est omne vigilans vel currens moveri;* utraque præmissa est vera, et tamen est falsa omnis negativa de necessario, vel de inesse, qua dicatur: *ergo necesse est nullum, aut aliquod vigilans vel currens esse animal;* vel: *ergo nullum, vel aliquod vigilans aut currens, non est animal*, cum omne vigilans et currens ex necessitate sit animal; ergo cum neque sequatur conclusio de contingenti, neque de necessario, neque de inesse, patet, quod si in secunda figura major sit negativa de contingenti, minor affirmativa de necessario, non sequitur ulla conclusio, neque fit syllogismus. Eodem pacto probari potest, quod si major sit universalis affirmativa de necessario, minor universalis negativa de contingenti, adeoque fiat argumentum in Camestres, nulla sequitur conclusio.

5. Quodsi propositiones sint figura similes, cum sunt privativæ, semper fit sollygismus conversa propositione contingente, ut in superioribus factum fuit. Nam sumptum esto τὸ α τῷ β necessario non inesse, ac τῷ γ contingere non inesse. Conversis igitur propositionibus τὸ β inest nulli α, ac τὸ α contingit omni γ. Quare fit prima figura. Idem fiet, si privatio juncta sit τῷ γ.

6. Si vero attributivæ positæ sint ambæ propositiones, non erit syllogismus. Constat enim, neque colligi non inesse, quia non est accepta ulla propositio privativa, id est neque de eo quod inest, neque de eo quod necesse est inesse, Quin ne colligetur quidem contingere non inesse. Ex necessitate enim ita terminis positis τὸ β τῷ γ non inerit. Verbi causa si τὸ α ponatur album, ubi β cygnus, τὸ γ homo. Nec item colligentur oppositæ affirmationes, quia ostensum est τὸ β τῷ γ necessario noninesse. Omnino igitur non fit syllogismus.

5. Quarto si utraque præmissa sit universalis negativa, altera de necessario, altera de contingenti in secunda figura, semper fit syllogismus. Probatur discurrendo per singulas combinationes. Primo major sit universalis negativa de necessario, minor universalis negativa de contingenti ac dicatur: *necesse est nullum hominem esse equum; contingens est nullum album esse equum*, sequitur: *ergo contingens est nullum album esse hominem;* convertendo enim minorem negativam de dicto in affirmativam de dicto ac dicendo: *contingens est omne album esse equum*, erit argumentum in Cesare, in quo major erit negativa de necessario, minor affirmativa de contingenti, quod argumentum concludit, ut dictum est num. 2. Idem dic, si major sit universalis negativa de contingenti, minor universalis negativa de necessario; convertendo enim majorem negativam de dicto in affirmativam de dicto, argumentum erit in Camestres, ita ut minor negativa sit de necessario, quod argumentum concludit, ut dictum est num. 3.

6. Quinto si utraque præmissa sit universalis affirmativa, altera de necessario altera de contingenti, non sequitur ex necessitate ulla conclusio, adeoque non fit syllogismus. Probatur, quia non sequitur ulla conclusio affirmativa, neque negativa, neque de inesse, neque de necessario, neque de contingenti: ergo etc. Probatur antecedens, et primo, quod nulla sequatur conclusio negativa. Nam cum nulla præmissa est negativa, nulla sequitur conclusio negativa, neque de necessario neque de inesse; sed juxta dictam dispositionem nulla præmissa est negativa; ergo etc. Secundo probatur, quod nulla sequatur conclusio affirmativa, neque de inesse, neque de necessario, neque de contingenti ad utrumlibet, seu potente inesse vel non inesse; possunt esse veræ

præmissæ, et esse falsæ omnes dictæ conclusiones affirmativæ; ergo etc. Probatur antecedens in his terminis *album, cygnus, homo.* Si enim dicatur: *necesse est, ut omnis cygnus sit albus; contingens est, ut omnis homo sit albus,* non sequitur : *ergo omnis vel aliquis homo est cygnus,* neque sequitur: *ergo necesse est, ut omnis vel aliquis homo sit cygnus,* neque : *contingens est, ut omnis vel aliquis homo sit cygnus,* cum ex necessitate nullus homo sit cygnus. Hoc eodem exemplo probatur, non sequi ullam conclusionem negativam de contingenti stricte sumpto; nam cum ex necessitate nullus homo sit cygnus, falsa est hæc propositio de contingenti : *contingens est nullum hominem esse cygnum,* vel: *contingens est aliquem hominem non esse cygnum.*

7. Similiter res habebit in particularibus syllogismis. Cum enim propositum privativum erit universale necessarium, semper erit syllogismus, quo colligetur contingere et non inesse (demonstratio autem fiet per conversionem).

8. Cum autem affirmativum erit necessarium, nunquam erit syllogismus. Eodem namque modo hoc ostendetur, quo in modis universalibus usi sumus, et per eosdem terminos.

9. Neque tunc erit syllogismus, cum ambæ propositiones accipiuntur affirmativæ. Cujus rei eadem est demonstratio, quæ prius.

10. Cum autem ambæ propositiones accipiuntur privativæ, et ea quæ significat non inesse, est universalis et necessaria, sane ex his propositionibus, quæ acceptæ sunt, non erit concludendi necessitas, sed conversa propositione contingente erit syllogismus, ut in superioribus.

11. Sin ambæ propositiones positæ sint indefinitæ vel in parte, non erit syllogismus. Demonstratio autem erit eadem et per eosdem terminos. Ex dictis igitur perspicuum est, cum privativa propositio ponitur universalis et necessaria, semper fieri syllogismum, quo colligitur non solum contingere non inesse, sed etiam non inesse. Cum autem affirmativa ponitur necessaria, nunquam fieri syllogismum. Constat etiam terminis eodem modo se habentibus, in necessariis et in puris propositionibus fieri et non fieri syllogismum. Denique manifestum est, omnes hos syllogismos esse imperfectos, et perfici per dictas figuras.

7. Postquam Aristoteles probavit positam regulam, quod nimirum si universalis negativa sit de necessario, affirmativa de contingenti, fit syllogismus; si vero affirmativa sit de necessario, negativa de contingenti, non fit syllogismus, discurrendo per conjugationes ex utraque præmissa universali; — probat eamdem regulam discurrendo per conjugationes ex altera universali et altera particulari, vel ex utraque particulari aut indefinita. Primo ergo si universalis negativa fuerit de necessario, affirmativa particularis de contingenti, sequitur conclusio negativa de contingenti, et de inesse. Probatur. Dicatur enim in Festino : *necesse est, ut nullus homo sit equus; contingit ut aliquod album sit equus,* sequitur : *ergo contingit ut aliquod album non sit homo,* et etiam sequitur : *ergo aliquod album non est homo.* Probatur. Convertendo enim majorem in hanc : *necesse est, ut nullus equus sit homo,* eædem duæ conclusiones sequuntur in Ferio, ut dictum est cap. 16, num. 12.

8. Secundo si negativa fuerit de contingenti, affirmativa particularis vel universalis de necessario, non fit syllogismus. Probatur eodem modo, quo num. 4 probatum est de conjugationibus universalibus.

9. Tertio si utraque sit affirmativa, altera de contingenti altera de necessario, non fit syllogismus. Demonstratur eodem pacto, quo demonstratum est num. 6, de conjugationibus universalibus.

10. Quarto si utraque præmissa sit negativa, sed universalis de necessario, particularis de contingenti, fiet syllogismus. Ex gr. si dicatur: *necesse est nullum hominem esse equum; contingit aliquod album non esse equum,* sequitur : *ergo contingit aliquod album non esse hominem.* Convertendo enim minorem in affirmativam ac dicendo: *contingit aliquod album esse hominem,* argumentum est in Festino, in quo ex majori negativa de necessario, minori affirmativa de contingenti, sequitur conclusio, ut dictum est num. 7.

11. Quinto si utraque præmissa sit particularis vel indefinita, altera de necessario altera de contingenti, quomodocumque disponantur termini, non sequitur ulla conclusio, neque fit syllogismus. Demonstrari potest per instantiam in terminis, sicut in simili demonstratum est cap. XVI n. 16, ergo vera est regula, quod si universalis negativa sit de necessario, semper fit syllogismus, in quo infertur duplex conclusio, altera negativa de contingenti, altera negativa de inesse; si vero affirmativa sit de necessario, negativa de contingenti, nunquam fit syllogismus. Rursus est verum, quod mistio necessarii cum contingenti proportionatur mistioni

contingentis et inesse, ita ut tot sint conjugationes utiles et inutiles in una mistione, quot in altera. Patet etiam, quod per omnes istas mistiones fiunt syllogismi imperfecti, qui perficiuntur per reductionem ad primam figuram.

CAPUT XX.

DE SYLLOGISMIS EX UTRAQUE PRÆMISSA DE CONTINGENTI IN TERTIA FIGURA.

1. [20] In postrema vero figura et cum ambæ propositiones sunt contingentes et cum altera tantum, erit syllogismus.

2. Cum igitur propositiones contingere significant, etiam conclusio erit contingens;

3. et cum altera significat contingere, altera inesse.

4. Cum autem altera posita sit necessaria, si quidem sit affirmativa, non erit ulla conclusio nec necessaria nec pura. Sin autem sit privativa, colligetur non inesse, quemadmodum etiam in superioribus. Sed et in his similiter accipiendum est contingens in conclusionibus positum.

1. Descendit demum Aristoteles ad agendum de syllogismis constantibus ex utraque vel altera tantum præmissa de contingenti in tertia figura. Primo ergo ponit tres regulas.

2. *Prima regula* pro syllogismis constantibus ex utraque præmissa de contingenti est: in tertia figura si utraque sit de contingenti, fit syllogismus, ex quo sequitur conclusio de contingenti.

3. *Secunda regula* pro syllogismis constantibus ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse est: ex tali mistione fit syllogismus, ex quo sequitur conclusio de contingenti.

4. *Tertia regula* pro syllogismis ex altera præmissa de contingenti, altera de necessario est: si præmissa de necessario sit affirmativa, non sequitur conclusio de inesse neque de necessario, sed solum de contingenti; si vero præmissa de necessario sit negativa, sequitur duplex conclusio negativa, altera de inesse, altera de contingenti late sumpto pro possibili. Addit contingens in his conclusionibus sumi debere sicut in præcedentibus.

5. Primum igitur sint ambæ propositiones contingentes, et τὸ α et τὸ β contingat omni γ inesse. Quoniam igitur propositum affirmativum convertitur in parte, et τὸ β contingit omni γ, etiam τὸ γ continget omni β, quare si τὸ α contingit omni γ ac τὸ γ alicui β, necesse est etiam τὸ α contingere alicui β; fit enim prima figura.

6. Et si contingit τὸ α nulli γ inesse, τὸ β autem omni γ, necesse est etiam contingere ut τὸ α alicui β non insit; rursus enim erit prima figura per conversionem.

7. Quodsi ambæ propositiones positæ sint privativæ, sane ex ipsis propositionibus, quæ acceptæ sunt, non erit concludendi necessitas, sed conversis propositionibus erit syllogismus, ut in superioribus factum fuit. Nam si contingit τὸ α et τὸ β nulli γ inesse, si commutetur contingere non inesse, iterum erit prima figura per conversionem.

Positis his regulis, probat earum veritatem discurrendo per conjugationes utiles, tum universales tum particulares.

5. Primo ergo si in tertia figura fiat syllogismus in Darapti ex utraque præmissa affirmativa de contingenti, sequitur conclusio de contingenti; ex. gr., si dicatur: *contingit omnem hominem esse logicum; contingit omnem hominem esse musicum*, sequitur: *ergo contingit aliquem musicum esse logicum*. Ratio est, quia minor potest converti in hanc particularem: *contingit aliquem musicum esse hominem*; sed facta tali conversione, argumentum erit in Darii, et sequetur dicta conclusio, ut probatum est cap. XIV, num. 6; ergo etiam in Darapti sequitur eadem cenclusio.

6. Secundo si in tertia figura major sit universalis negativa de contingenti, minor universalis affirmativa similiter de contingenti, sequitur in Felapton conclusio de contingenti. Ex. gr., si dicatur: *contingit nullum hominem esse musicum; contingit omnem hominem esse logicum*, sequitur: *ergo contingit aliquem hominem esse musicum*. Ratio est, quia convertendo minorem per accidens in hanc particularem affirmativam: *contingit aliquod logicum esse hominem*; sequitur eadem conclusio in Ferio, ut dictum est cap XIV, num. 6; ergo etc.

7. Tertio si in tertia figura utraque præmissa sit universalis negativa, fiet syllogismus reducibilis per conversionem minoris negativæ de dicto in affirmativam de dicto, juxta regulam traditam cap. XIII, num. 6. Ex. gr., si dicatur: *contingit nullum hominem esse logicum; contingit nullum hominem esse musicum*, sequitur: *ergo contingit aliquod musicum non esse logicum*. Ratio est, quia convertendo minorem in hanc affirmativam de dicto: *contingit omnem hominem esse musicum*,

jam syllogismus erit in Felapton; convertendo eodem pacto etiam majorem, fiet syllogismus in Darapti, qui modi concludunt, ut demonstratum est est num. 5 et 6.

8. Si vero terminorum alter sit universalis alter in parte, cum eodem modo habent, quo in eo quod inest, erit et non erit syllogismus. Contingat enim τὸ α omni γ, ac τὸ β alicui γ inesse. Erit igitur iterum prima figura conversa propositione particulari. Nam si τὸ α omni γ, ac τὸ γ alicui β, etiam τὸ α alicui β contingit.

9. Idem fit, si nota universalis juncta sit propositioni β γ.

10. Similiterque si propositio αγ sit privativa et β γ affirmativa. Iterum enim erit prima figura per conversionem.

11. Si vero ambæ privativæ positæ sint, altera universalis altera in parte, ex his quidem quæ sumptæ sunt, non erit syllogismus, sed iis conversis erit syllogismus, quemadmodum in superioribus.

12. Cum autem ambæ sumptæ sunt indefinitæ vel in parte, non erit syllogismus. Etenim necesse est τὸ α et omni et nulli β inesse. Termini, in quibus inest, hi sint, animal-homo-album, in quibus non inest, equus-homo-album. Medium sit album.

8. Explicatis conjugationibus universalibus discurrit Aristoteles per mistas ex altera præmissa universali, altera particulari. Præmittit, quod syllogismus de contingenti fit sicut de inesse. — Quarto igitur si utraque sit affirmativa de contingenti, sed major universalis, minor particularis, fit syllogismus in Datisi, in quo sequitur conclusio de contingenti. Ex. gr., si dicatur : *contingit omnem hominem esse musicum* ; *contingit aliquem hominem dormire*, sequitur : *ergo contingit aliquod dormiens esse musicum*; convertendo enim minorem simpliciter in hanc : *contingit aliquod dormiens esse hominem*, eadem conclusio sequitur in Darii, ut dictum est cap. XIV, num 6 ; ergo etc.

9. Quinto si utraque præmissa sit de contingenti et affirmativa, sed major particularis, minor universalis, fit syllogismus in Disamis, et sequitur conclusio de contingenti. Ex. gr., si dicatur : *contingit aliquem hominem dormire ; contingit omnem hominem esse musicum*, sequitur : *ergo contingit aliquem musicum dormire*. Probatur, quia per conversionem majoris et transpositionem præmissarum sequitur in Darii eadem conclusio, vel saltem conclusio in illam convertibilis.

10. Sexto si major sit universalis negativa de contingenti, minor particularis affirmativa de contingenti, sequitur conclusio de contingenti in Ferison. Ex. gr., si dicatur : *contingit nullum hominem esse musicum; contingit aliquem hominem esse logicum*, sequitur : *ergo contingit aliquem logicum non esse musicum*. Convertendo enim minorem in hanc : *contingit aliquem logicum esse hominem*, sequitur eadem conclusio in Ferio, ut dictum est cap. XIV, num. 6.

11. Septimo si utraque præmissa sit negativa, altera universalis de contingenti, altera particularis, convertendo propositiones vel ex negativis in affirmativas vel in mistas fit syllogismus, in quo conclusio sequitur ex necessitate. Ex. gr., si dicatur : *contingit nullum hominem esse musicum ; contingit aliquem hominem non esse logicum*, sequitur : *ergo contingit aliquem logicum non esse musicum*. Convertendo enim minorem in affirmativam de dicto, eadem conclusio sequitur in Ferison, ut jam dictum est n. 10.

12. Octavo demum si utraque præmissa sit particularis vel indefinita, non sequitur ulla conclusio, neque affirmativa neque negativa, neque de necessario neque de contingenti, neque de inesse, adeoque non fit syllogismus. Quod non sequatur conclusio negativa, patet in his terminis *animal, homo, album*. Si enim dicatur : *contingit aliquod album non esse animal ; contingit aliquod album esse hominem*, non sequitur : *ergo contingit aliquem hominem non esse animal ;* neque sequitur : *ergo aliquis homo non est animal;* multo minus sequitur : *ergo aliquis homo necessario non est animal* ; cum omnis homo necessario sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *equus, homo, album*. Si enim dicatur : *contingit aliquod album esse equum ; contingit aliquod album esse hominem*, non sequitur : *ergo contingit aliquem hominem esse equum ;* neque sequitur : *ergo aliquis homo est equus :* neque : *ergo aliquis homo necessario est equus*, cum ex necessitate nullus homo sit equus.

CAPUT XXI

DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PRÆMISSA DE CONTINGENTI, ALTERA DE INESSE IN TERTIA FIGURA.

1. [21] Si vero altera propositio significet inesse, altera contingere, concludetur contin-

gere, non inesse. Syllogismus autem erit terminis eodem, quo in prioribus modo habentibus.

2. Primum enim sint attributivi, ac τὸ α omni γ insit, verum τὸ β omni γ inesse contingat. Conversa igitur propositione β γ erit prima figura, et concludetur contingere ut τὸ α insit alicui β. Nam cum propositionum altera in prima figura significat contingere, etiam conclusio erat contingens. Similiter si propositio β γ significet inesse, propositio vero αγ contingere.

3. Item si α γ sit privativa, β γ attributiva, et utravis sit pura, utroque modo erit conclusio contingens. Iterum enim fit prima figura. Ostensum autem est, cum altera propositio in ea figura contingere significat, etiam conclusionem fore contingentem.

4. Quodsi contingens privativum junctum sit minori extremo, aut ambo intervalla sumpta sint privativa, sane ex iis quæ posita sunt, non erit syllogismus, iis vero conversis erit syllogismus, ut in superioribus.

1. Probata veritate primæ regulæ, *probat Aristoteles secundam regulam* de syllogismis tertiæ figuræ ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse, discurrendo per conjugationes primo universales, secundo particulares. Est autem hæc regula, quod si altera præmissarum sit de inesse, altera de contingenti, sequitur conclusio de contingenti, non vero de inesse, si termini et propositiones disponantur prout dictum est cap. xx, cum utraque præmissa est de contingenti; si vero disponantur aliter, non sequitur conclusio.

2. Primo itaque, si utraque præmissa sit universalis affirmativa, sed major de inesse, minor de contingenti, sequitur in Darapti conclusio de contingenti. Ex, gr., si dicatur : *omnis homo est animal ; contingit omnem hominem esse musicum*, sequitur : *ergo contingit aliquem musicum esse animal* ; convertendo enim minorem per accidens in hanc : *contingit aliquod musicum esse hominem*, sequitur eadem conclusio in Darii, ut dictum est cap. xv, num. 19. Similiter si utraque sit universalis affirmativa, sed major de contingenti, minor de inesse fit syllogismus; ut si dicatur in Darapti : *contingit omnem hominem esse musicum ; omnis homo est animal*, sequitur : *ergo contingit aliquod animal esse musicum ;* convertendo enim minorem per accidens in hanc: *aliquod animal est homo*, sequitur eadem conclusio in Darii, ut jam dictum est.

3. Secundo si major sit universalis negativa, minor universalis affirmativa, utralibet sit de contingenti, sequitur conclusio de contingenti in Felapton. Ex. gr., si dicatur : *nullus homo est equus ; contingit omnem hominem esse musicum*, sequitur : *ergo contingit aliquem musicum non esse equum*. Convertendo enim minorem in hanc : *contingit aliquem musicum esse hominem*, eadem conclusio sequitur in Ferio, ut dictum est cap. xv, num. 18.

4. Tertio si major sit universalis affirmativa vel etiam negativa de inesse, minor universalis negativa de contingenti, sequitur conclusio de contingenti. Ex. gr., si dicatur : *nullus homo est equus; contingit nullum hominem esse musicum* sequitur : *ergo contingit aliquem musicum non esse equum*. Nam convertendo minorem negativam de dicto in hanc affirmativam de dicto: *contingit omnem hominem esse musicum*, eadem conclusio sequitur in Felapton, ut dictum est num. 3.

5. Si vero altera propositio sit universalis, altera particularis, cum ambæ sunt attributivæ, aut universalis est privativa, particularis affirmativa, idem erit modus syllogismorum ; omnes enim perficiuntur per primam figuram. Unde constat fore syllogismum, quo colligatur contingere, non inesse.

6. Si vero affirmativa propositio sit universalis, privativa in parte, demonstratio fiet per impossibile. Insit enim τὸ β omni γ, et contingat τὸ α cuidam γ non inesse. Necesse igitur est contingere ut τὸ α aliqui β non insit, Nam si omni β τὸ α necessario insit, ac τὸ β omni γ ponatur inesse, τὸ α omni γ necessario inerit ; hoc enim antea demonstratum est. Verum supponebatur contingere ut cuidam non inesset.

7. Cum autem indefinitæ vel in parte acceptæ sunt ambæ propositiones, non erit syllogismus. Demonstratio autem est eadem, quæ fuit etiam in universalibus, et per eosdem terminos.

5. Explicatis conjugationibus universalibus, explicat Aristoteles particulares. Quarto igitur si altera præmissa sit universalis, altera particularis, si utraque sit affirmativa, vel universalis sit negativa, particularis affirmativa, sequitur conclusio ; et probatur reducendo dictos modos in primam figuram per conversionem. In omnibus autem his infertur conclusio de contingenti, non vero de inesse. Ex. gr., si dicatur in Datisi : *contingit omnem hominem esse musicum; aliquis homo est logicus*, sequitur : *ergo contingit aliquod logicum esse musicum* ; quia convertendo minorem in hanc : *aliquod logicum est homo*, argumentum erit in Darii.

6. Probat demum Aristoteles utilitatem modi, in quo major sit particularis negativa de contingenti, minor universalis affirmativa de inesse, per reductionem ad impossibile. Dicatur enim in Boccardo: *contingit aliquem hominem non dormire; omnis homo est animal,* sequitur : *ergo contingit aliquod animal non dormire.* Si enim falsa est conclusio, vera est contradictoria : *necesse est omne animal dormire* ; subjungatur minor : *omnis homo est animal,* sequitur in Barbara : *ergo necesse est omnem hominem dormire,* quæ est contradictoria majoris positæ in Boccardo : *contingit aliquem hominem non dormire;* ergo cum ex falsitate conclusionis sequatur falsitas alterius præmissæ, ex veritate utriusque præmissæ sequitur necessario, conclusionem esse veram.

7. Demum omnes conjugationes, in quibus utraque præmissa est particularis, vel utraque indefinita, sunt prorsus inutiles. Demonstratur per instantiam in terminis eodem pacto, quo in simili demonstratum est cap. XVI, num. 16.

CAPUT XXII

DE SYLLOGISMIS TERTIÆ FIGURÆ EX ALTERA PRÆMISSA DE NECESSARIO, ALTERA DE CONTINGENTI.

1. [22] Si vero altera propositio sit necessaria, altera contingens, et termini sint attributivi, semper erit syllogismus, quo colligetur contingere, cum autem alterum intervallum est attributivum, alterum privativum, si affirmativum sit necessarium, colligetur contingere non inesse. Sin privativum id fuerit, concludetur et contingere non inesse, et non inesse. Non colligetur autem necessario non inesse, quemadmodum nec in aliis figuris.

2. Primum igitur termini sint attributivi, ac τὸ α necessario insit omni γ, sed τὸ β omni γ inesse contingat. Quoniam igitur τὸ α omni γ inest necessario, et τὸ γ alicui β contingit, etiam τὸ α alicui β continget, non inerit : sic enim eveniebat in prima figura. Similiter etiam demonstrabitur, si propositio β γ posita sit necessaria et propositio α γ contingens.

1. Postquam Aristoteles explicavit et probavit primam et secundam regulam spectantes ad syllogismos tertiæ figuræ constantes ex utraque præmissa de contingenti, vel ex altera de contingenti, altera de inesse, explicat et probat *tertiam regulam* spectantem ad syllogismos tertiæ figuræ constantes ex altera præmissa de necessario, altera de contingenti. Est autem hæc regula : in tertia figura si utraque præmissa est affirmativa, sed altera de contingenti, altera de necessario, sequitur conclusio affirmativa solum de contingenti, non autem de inesse ; si præmissa affirmativa sit de necessario, negativa de contingenti, sequitur conclusio negativa solum de contingenti, non autem de inesse; si præmissa universalis negativa sit de necessario, affirmativa de contingenti, sequitur duplex conclusio negativa, altera de contingenti, altera de inesse ; conclusio vero negativa de necessario ex altera præmissa de contingenti, altera de necessario, non sequitur in tertia figura, sicut non sequitur in aliis figuris. — Explicat et probat hanc regulam Aristoteles discurrendo per omnes modos utiles et inutiles, et primo per universales, secundo per particulares.

2. Primo igitur si utraque præmissa sit universalis affirmativa, adeoque fiat duplex syllogismus in Darapti, alter in quo major sit de necessario, minor de contingenti, alter in quo major sit de contingenti, minor de necessario, semper sequetur conclusio de contingenti. Ex. gr., dicatur juxta primum modum : *necesse est omnem hominem esse animal ; contingens est omnem hominem esse musicum,* sequitur : *ergo contingens est aliquem musicum esse animal.* Convertendo enim minorem per accidens in hanc : *contingens est aliquem musicum esse hominem,* eadem conclusio sequitur in Darii. Dicatur rursus juxta secundum, modum : *contingens est omnem hominem esse musicum ; necesse est omnem hominem esse animal,* sequitur : *ergo contingens est aliquod animal esse musicum.* Convertendo enim minorem in hanc : *necesse est aliquod animal esse hominem,* sequitur eadem conclusio in Darii, ut dictum est eodem cap. XVI, num. 3.

3. Rursus altera propositio sit attributiva, altera privativa, et attributiva sit necessaria, contingatque τὸ α nulli γ inesse, sed τὸ β omni γ necessario insit. Erit igitur rursus prima figura, et conclusio contingens, non pura, quia privativa propositio significat contingere. Unde perspicuum est, conclusionem fore contingentem. Cum enim ita se habent propositiones in prima figura, conclusio erat contingens. Si vero privativa propositio sit necessaria, conclusio erit et contingere ut alicui non insit, et non inesse.

4. Ponatur enim τὸ α τῷ γ necessario non inesse, ac τὸ β omni contingere. Conversa igitur

propositione $\beta\gamma$ affirmativa, erit prima figura, et necessaria erit propositio privativa. Cum autem ita propositiones habent, concludebatur tum contingere ut τὸ α cuidam γ non insit, tum non inesse. Quare necesse etiam est, ut τὸ α alicui β non insit. Cum autem privativum junctum est minori extremo, si id sit contingens, erit syllogismus conversa propositione, quemadmodum in superioribus. Si vero sit necessarium, non erit syllogismus, quia et necesse est omni inesse, et nulli contingit inesse. Termini conclusionis omni inesse sint hi, somnus-equus dormiens-homo, conclusionis nulli inesse, somnus-equus vigilans-homo.

3. Secundo si major sit universalis negativa, minor universalis affirmativa, fiet duplex syllogismus in Felapton, primus constans ex majori de necessario, minori de contingenti; secundus ex majori de contingenti, minori de necessario. Ex gr., dicatur juxta primum modum: *necesse est nullum hominem esse equum; contingens est omnem hominem esse album*, sequitur: *ergo contingens est aliquod album non esse equum*; et sequitur etiam: *ergo aliquod album non est equus*. Convertendo enim minorem per accidens in hanc: *contingens est aliquod album esse hominem* sequitur utraque conclusio in Ferio, ut dictum est cap. XVI. n. 12. Rursus dicatur juxta secundum modum: *contingens est nullum hominem esse album; necesse est omnem hominem esse animal*, sequitur: *ergo contingens est aliquod animal non esse album*. Convertendo enim minorem in hanc: *necesse est aliquod animal esse hominem* sequitur eadem conclusio in Ferio, ut dictum est cap. XVI, num. 13. Et quia in Ferio si minor sit de necessario, sequitur solum conclusio negativa de contingenti, non autem de inesse, ut dictum est ibidem, ideo etiam in Felapton si minor sit de necessario, sequitur solum conclusio negativa de contingenti, non autem de inesse.

4. Tertio si minor sit universalis negativa de contingenti, sequitur conclusio, seu major sit universalis affirmativa, seu universalis negativa de necessario, ac proinde sunt duo modi utiles. Primus cum major est universalis affirmativa de necessario, minor universalis negativa de contingenti; secundus cum major est universalis negativa de necessario, minor universalis negativa de contingenti. Probatur, quia minor universalis negativa de contingenti potest converti in universalem affirmativam de dicto, ut probatum est cap. XIII. num. 6.; sed facta tali conversione si major sit universalis affirmativa de necessario, fiet syllogismus in Darapti, si major sit universalis negativa de necessario, fiet syllogismus in Felapton, de quibus ostensum est num. 2 et 3, quod concludant; ergo etc. E converso si minor sit universalis negativa de necessario, major universalis affirmativa de contingenti, non sequitur ulla conclusio, quia minor est pure negativa, et non est convertibilis in affirmativam; in tertia vero figura ex minori negativa nihil sequitur. Probatur autem per instantiam in terminis. Non sequitur ulla conclusio affirmativa neque negativa; ergo etc. Probatur antecedens, et primo quod non sequatur conclusio negativa, patet in his terminis *somnus, equus dormiens, homo*. Si enim dicatur: *contingit omni homini inesse somnum; necesse est nullum hominem esse equum dormientem*, non sequitur: *ergo contingens est omni vel alicui equo dormienti non inesse somnum*, cum necesse sit omni equo dormienti inesse somnum. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *somnus, equus vigilans, homo*. Si enim dicatur: *contingit omni homini inesse somnum; necesse est nullum hominem esse equum vigilantem*, non sequitur: *ergo contingit omni vel alicui equo vigilanti inesse somnum*.

5. Similiter quoque res habebit, si alter terminus universaliter, alter in parte jungatur medio. Cum enim ambo sunt attributivi, colligetur contingere, non inesse.

6. Item cum alterum intervallum acceptum erit privativum, alterum affirmativum, ita ut affirmativum sit necessarium. Cum autem privativum est necessarium, etiam concludetur non inesse. Idem enim erit demonstrandi modus, sive termini sint universales sive non universales. Necesse est enim hos syllogismos perfici per primam figuram. Proinde ut in illis, sic in his necesse est evenire.

7. Cum autem privativum universaliter acceptum jungitur minori extremo, si quidem contingens, erit syllogismus per conversionem, si vero necessarium, non erit syllogismus, idque demonstrabitur eodem modo, quo in universalibus, et per eosdem terminos.

8. Perspicuum igitur est etiam in hac figura, quando et quomodo erit syllogismus, et quando colligatur contingere, quando inesse. Constat etiam omnes syllogismos esse imperfectos, et perfici per primam figuram.

5. Postquam Aristoteles explicavit modos universales tertiæ figuræ utiles et

inutiles, explicat modos, in quibus altera præmissa est universalis, altera particularis. Quarto igitur si in tertia figura utraque præmissa sit affirmativa, altera universalis, altera particularis, altera de necessario, altera de contingenti, semper fiet syllogismus. Sunt igitur quatuor modi utiles, duo in Disamis et duo in Datisi. Primus in Disamis est, in quo major est particularis affirmativa de necessario, minor universalis affirmativa de contingenti ; secundus, in quo major est particularis affirmativa de contingenti, minor universalis affirmativa de necessario. Primus iu Datisi est, in quo major est universalis affirmativa de necessario, minor particularis affirmativa de contingenti; secundus, in quo major est universalis affirmativa de contingenti, minor particularis affirmativa de necessario. Probatur autem, quia per conversionem possunt reduci in Darii, sicut syllogismi de inesse. Per omnes istos modos infertur conclusio affirmativa de contingenti, non autem de inesse, sicut de modis universalibus probatum est num. 2.

6. Quinto si major sit negativa, minor affirmativa, possibiles sunt quatuor modi, duo in Boccardo et duo in Ferison. Primus in Boccardo est, si major sit particularis negativa de necessario, minor universalis affirmativa de contingenti ; secundus, sit major sit particularis negativa de contingenti, minor universalis affirmativa de necessario. Primus in Ferison est, si major sit universalis negativa de necessario, minor particularis affirmativa de contingenti; secundus si major sit universalis negativa de contingenti, minor particularis affirmativa de necessario. Ex his quatuor modis primus in Ferison, in quo major est universalis negativa de necessario, minor particularis affirmativa de contingenti, infert duas conclusiones, alteram negativam de necessario, alteram negativam de inesse. Probatur autem applicando demonstrationes allatas num. 2, 3, et 4, agendo de modis universalibus. Nam eodem pacto etiam modi particulares reduci possunt ad primam figuram.

7. Sexto si major sit affirmativa, minor negativa, si minor negativa sit de contingenti, sequitur conclusio, quia minor potest converti in affirmativam de dicto ; si vero minor negativa sit de necessario, nulla sequitur conclusio, quia ita minor est negativa, ut non possit converti in affirmativam; in tertia autem figura ex minori negativa nihil sequitur. Probatur applicando demonstrationes supra allatas, cum ageremus de modis universalibus.

7. Concludit Aristoteles epilogando dicta. Explicatum est enim, quando et quomodo in tertia figura fiat syllogismus; quando inferatur tantum conclusio de contingenti, et quando inferatur conclusio tum de contingenti, tum de inesse; ostensum est, omnes modos tertiæ figuræ esse imperfectos, et perfici per reductionem ad primam figuram.

CAPUT XXIII

OSTENDITUR FIGURAS SYLLOGISMORUM ESSE SOLUM TRES.

1. [23] Ex dictis syllogismos, qui in his figuris fiunt, per syllogismos universales primæ figuræ perfici et ad hos reduci constat. Simpliciter autem eamdem esse rationem omnium syllogismorum nunc erit perspicuum, cum omnem syllogismum in aliqua ex his figuris confici ostensum fuerit.

2. Necesse igitur est omnem demonstrationem et omnem syllogismum ostendere vel quidpiam inesse vel non inesse, idque aut universaliter aut in parte, præterea aut ostensive aut ex hypothesi. Ejus autem qui fit ex hypothesi, pars est qui fit per impossibile. Primum igitur dicamus de syllogismis ostensivis ; de quibus cum hoc probatum fuerit, perspicuum erit etiam in syllogismis ducentibus ad impossibile et omnino in hypotheticis.

Postquam Aristoteles suppositis quibusdam principiis explicavit, quo pacto fiant syllogismi, regreditur ad demonstrandum supposita principia. Et quia quatuor supposuit : primo, quod tres tantum sint figuræ syllogismorum; secundo, quod ex præmissis altera saltem debet esse universalis et altera affirmativa, ita ut ex puris negativis et ex puris particularibus nihil sequitur; tertio, quod syllogismus debeat constare ex tribus terminis ; quarto, quod debeat constare ex duabus propositionibus seu præmissis — ideo hæc quatuor ordinatim demonstrare conatur.

1. Ut igitur demonstret *primum*, quod nimirum omnis syllogismus debet esse in aliqua ex tribus figuris, præmittit primo, quod, cum jam ostensum sit, reliquos omnes syllogismos trium figurarum reduci ad primos duos universales primæ figuræ, hoc est ad Barbara et Celarent; si fuerit demonstratum, quod absolute om-

nes syllogismi debent esse in aliqua ex tribus figuris, eo ipso erit ostensum, quod absolute omnes syllogismi, vel sunt in Barbara et Celarent, vel reduci possunt ad Barbara et Celarent.

2. Præmittit secundo divisionem syllogismi ac demonstrationis. Omnis syllogismus ac demonstratio demonstrat aliquod prædicatum convenire vel non convenire alicui subjecto universaliter aut particulariter; rursus aut demonstrat ostensive ac directe, aut ex suppositione sive hypothesi; pars autem subjectiva seu species syllogismi probantis ex hypothesi est syllogismus, qui probat conclusionem ex absurdo vel impossibili, quod sequitur, si supponatur oppositum talis conclusionis. Primo igitur ostendendum est, quod omnes syllogismi ostensivi ac directi fieri debent in aliqua ex tribus figuris. Hoc enim ostenso facile erit idem demonstrare de syllogismis ex impossibili vel absurdo, et universim de omnibus syllogismis ex hypothesi seu suppositione.

3. Si igitur oporteat syllogismo colligere α de β, id est inesse aut non inesse, necesse est sumpsisse aliquid de aliquo. Ergo si sumptum fuerit α de β, id sumptum erit, quod ab initio propositum fuerat, ut probaretur. Si vero sumptum sit de γ, verum nec γ de ullo alio, nec aliud de eo, nec de α aliud, nullus erit syllogismus, quoniam ex eo quod unum de uno acceptum sit, nihil colligitur necessario. Itaque assumenda est altera propositio. Si igitur sumptum sit α de alio, vel aliud de α, vel aliud de γ, esse quidem syllogismum nihil vetat, sed ex iis quæ sumpta sunt, non pertinebit ad β. Neque tum erit syllogismus τοῦ α relati ad β, cum τὸ γ attribuetur alii, idque alii, et hoc aliud alii, si nullum horum conjungatur cum β. Omnino enim diximus, nullum unquam fore syllogismum alterius de altero, nisi sumptum sit aliquod medium, quod ad utrumque extremum attributione quadam referatur. Nam syllogismus simpliciter ex propositionibus constat. Syllogismus autem, qui ad hoc pertinet, conficitur ex propositionibus ad hoc prtinentibus. At syllogismus hujus ad illud relati exstruitur ex propositionibus, in quibus hoc ad illud refertur. Fieri autem nequit, ut accipiatur propositio pertinens ad β, si nec attribuatur ei quidpiam nec negetur; aut rursus ut accipiatur propositio τοῦ α de β, si nihil commune sumatur, sed utrique propria quædam attribuantur vel negentur. Quare sumendum est aliquod amborum medium, quod attributiones conjunget, si quidem erit syllogismus hujus ad hoc relati.

4. Si igitur necesse est aliquid sumpsisse ambobus commune, atque hoc trifariam accidit (vel enim τὸ α τῷ γ et τὸ γ τῷ β attribuimus, vel τὸ γ de ambobus, vel ambo de β), hæ vero sunt figuræ illæ, quas diximus, certe patet necesse esse, ut omnis syllogismus fiat per aliquam ex his figuris. Eadem namque ratio est et si per plura media conjungatur cum β; nam in multis quoque mediis eadem erit figura quæ in uno. Omnes igitur ostensivos syllogismos perfici per supra dictas figuras, perspicuum est.

3. Quod igitur omnis syllogismus ostensivus debeat esse in aliqua ex tribus figuris, Aristoteles sic probat. Omnis syllogismus ostendens aliquod prædicatum convenire vel non convenire alicui subjecto, debet esse per medium copulatum utrique extremo, hoc est tum prædicato tum subjecto conclusionis probandæ; sed omnis syllogismus, qui fit per medium copulatum utrique extremo conclusionis probandæ, debet disponi in aliqua ex tribus figuris; ergo omnis syllogismus ostensivus debet disponi in aliqua ex tribus figuris. — *Probatur major*. Sit enim ostendendum, quod risibile convenit homini, seu quod homo est risibilis. Ad ostendendum, quod homo est risibilis, debet sumi aliqua propositio, non omnino disparata, puta, quod cœlum est incorruptibile, quia nihil potest ex necessitate concludi ex propositione omnino disparata; nec debet sumi propositio omnino eadem, puta, quod homo sit risibilis; peteretur enim principium et probaretur idem per idem; ergo debet assumi propositio conveniens cum conclusione probanda, vel in prædicato vel in subjecto. Conveniat igitur in prædicato, et ad probandum ex. gr., quod omnis homo est risibilis, assumatur, quod omne rationale est risibile; si solum fuerit assumptum, quod omne rationale est risibile, non autem fuerit assumptum, quod rationale affirmatur vel negatur de aliquo alio, vel aliquod aliud affirmatur aut negatur de rationali, vel quod risibile affirmatur de alio, vel aliud de risibili, adhuc non sequitur ex necessitate ulla conclusio. Ex unica enim propositione, qua unum prædicatum affirmatur aut negatur de uno subjecto, non sequitur necessario ulla conclusio; ergo ad inferendam hanc conclusionem: *omnis homo est risibilis*, ultra hanc præmissam: *omne rationale est risibile*, debet assumi aliqua alia præmissa. Si igitur in hac alia præmissa nihil affirmetur aut negetur de homine, quod est subjectum conclusionis probandæ, sed vel risibile, quod est prædicatum conclusionis probandæ, dicatur de aliquo alio,

vel aliquod aliud dicatur de risibili, vel rationale, quod est subjectum antecedentis dicatur de alio ab homine, vel aliud ab homine dicatur de rationali, nihil unquam concludetur de homine. Impossibile enim est, ut ex præmissis, in quibus nihil dicitur de aliquo subjecto vel prædicato, inferatur quidquam de tali subjecto et prædicato, esto concludatur aliquid de alio subjecto et prædicato; ergo debet assumi altera præmissa, in qua aliquid dicatur de homine; ergo ad probandum, quod homo est risibilis, debent assumi duæ præmissæ, altera, in qua aliquid dicatur de homine, altera, in qua aliquid dicatur de risibili; sed ad concludendum, quod homo est risibilis, non solum debet in præmissis assumi aliquid de utroque, sed etiam hoc debet esse commune utrique, scilicet tum homini tum risibili. Sicut enim non potest quidquam concludi de hoc subjecto et de hoc prædicato, nisi assumatur in præmissis aliquid de hoc subjecto et de hoc prædicato, ita non potest concludi hoc prædicatum de hoc subjecto, nisi assumatur aliquid commune huic prædicato et huic subjecto; ergo ad inferendam conclusionem, quod omnis homo est risibilis, debent assumi duæ præmissæ, in quarum altera medium conveniat cum homine, in altera cum risibili; assumendo vero præmissas, in quibus nihil commune conveniat cum utroque extremo, nunquam concludetur connexio talium extremorum; ergo omnis syllogismus concludens aliquid de aliquo, debet esse per medium connexum et copulatum cum utroque extremo, quæ erat major probanda.

4. *Probatur jam minor*, quod omnis syllogismus, qui fit per medium copulatum utrique extremo, debeat disponi in aliqua ex tribus figuris. Quandoquidem enim hoc medium in una præmissa debet connecti cum uno extremo, in alia cum alio extremo; vel cum uno extremo connectitur ut subjectum, cum alio ut prædicatum, et est prima figura; vel cum utroque extremo connectitur ut praedicatum, et est secunda figura; vel cum utroque extremo connectitur ut subjectum, et est tertia figura, nec sunt possibiles aliæ combinationes; ergo omnis syllogismus, qui fit per medium copulatum utrique extremo, necessario disponitur in aliqua ex tribus figuris; sed ex dictis omnis syllogismus ostensivus alicujus de aliquo, debet fieri per medium copulatum utrique extremo; ergo omnis syllogismus ostensivus necessario disponitur in aliqua ex tribus figuris, quod erat probandum. Si vero ad probandam aliquam conclusionem sumenda sint plura media, eo quod præmissæ assumptæ debent ulterius probari, semper talia media debebunt ordinari in aliqua ex tribus figuris, cum eadem sit ratio.

5. Per easdem vero perfici etiam eos, qui ducunt ad impossibile, ex his manifestum erit. Nam quicumque per impossibile concludunt, falsum colligunt. Sed quod ab initio propositum fuit, ex hypothesi ostendunt, cum impossibile quidpiam accidit posita contradictione. Verbi gratia probant non esse communem mensuram dimetienti et lateri, quia posita communi mensura fit, ut imparia paribus sint æqualia; ergo imparia fieri paribus æqualia syllogismo colligunt; dimetientem vero non habere communem mensuram ex hypothesi ostendunt, quia falsum quidpiam evenit ex contradictione. Hoc enim est ratiocinari per impossibile, ostendere aliquid impossibile per hypothesim ab initio concessam. Quocirca cum iis ratiocinationibus, quæ ad impossibile ducunt, falsum probetur syllogismo ostensivo, quod vero ab initio propositum fuit, ex hypothesi probetur, cumque antea dixerimus syllogismos ostensivos perfici per has figuras, perspicuum est etiam syllogismos, qui fiunt per impossibile, per easdem figuras conficiendos fore.

6. Itidemque fient omnes alii, qui arguunt ex hypothesi. In omnibus enim syllogismus quidem fit de eo, quod transsumptum est, sed quod ab initio propositum fuit, probatur per confessionem aut aliquam aliam hypothesim. Quod si verum est, necesse est omnem demonstrationem et omnem syllogismum fieri per tres supra dictas figuras. Cumque hoc sit probatum, constat omnem syllogismum perfici per primam figuram, et reduci ad syllogismos universales ejus figuræ.

5. Probatur jam, quod etiam syllogismi ex impossibili vel absurdo debeant disponi in aliqua ex tribus figuris. Tales enim syllogismi procedunt hoc pacto. Si hoc est, sequitur aliquid impossibile; ergo hoc non potest esse. Quod vero si hoc est, sequatur impossibile, syllogizant ostensive. Ex. gr., ad probandum, quod diameter quadrati sit incommensurabilis costæ, ex hac propositione : diameter est commensurabilis costæ, quæ propositio est contradictoria conclusioni probandæ, adjunctis aliis propositionibus evidentibus et concessis, concluditur ostensive hæc conclusio : *ergo aliquis numerus impar est aequalis alicui numero pari;* deinde sub-

jungitur : *hoc consequens ostensive syllogizatum, quod numerus impar sit æqualis pari, est impossibile; ergo etiam id, ex quo syllogizatur, est impossibile; sed syllogizatur ex eo, quod diameter sit commensurabilis; ergo diameter non est commensurabilis.* Hoc posito syllogismus ab impossibili et absurdo fit ex hypothesi syllogizando ostensive aliquid falsum et impossibile, ex cujus falsitate deinde probatur centradictorium hypothesis; sed omnis syllogismus ostensive concludens fit in aliqua ex tribus figuris ; ergo omnis syllogismus ab impossibili fit in aliqua ex tribus figuris.

6. Eodem pacto probatur, quod universim syllogismi ex hypothesi fiunt in aliqua ex tribus figuris. Supponendo enim ex quadam conventione vel aliter, quod si est A, est B; et syllogizando ostensive, quod est A, concluditur quod est B. Ex. gr., *si aliqua anima rationalis est immortalis, omnes sunt immortales; sed aliqua est immortalis,* et hoc syllogizatur ostensive; concluditur : *ergo omnes sunt immortales.* Illa porro conclusio, quæ syllogizatur ostensive, ex qua deinde concluditur id, quod primo intenditur, vocatur ab Aristotele transumptum. Ex. gr., in posita argumentatione illa minor : *sed aliqua anima rationalis et immortalis,* quæ syllogizatur ostensive, vocatur ab Aristotele transumptum, quia ex ea transitur ad principalem conclusionem, quæ est : *ergo omnis anima est immortalis.* Hoc posito, omnis syllogismus ex hypothesi fit syllogizando ostensive transumptum, ut dictum est; sed omnis syllogismus ostensivus fit in aliqua ex tribus figuris; ergo omnis syllogismus ex hypothesi fit in aliqua ex tribus figuris; sed omnes syllogismi facti in aliqua ex tribus figuris, vel sunt in Barbara et Celarent, vel reducuntur ad Barbara et Celarent; ergo universim omnes syllogismi, vel sunt in Barbara et Celarent, vel reducuntur ad Barbara et Celarent.

CAPUT XXIV

OSTENDITUR, IN OMNIBUS SYLLOGISMIS ALTERAM SALTEM PRÆMISSAM ESSE UNIVERSALEM ET ALTERAM AFFIRMATIVAM.

1. [24] Jam vero in omnibus syllogismis oportet esse aliquem terminum attributivum et aliquem universalem.

2. Quia sine universali vel non erit syllogismus, vel non pertinebit ad rem propositam, vel petetur quod ab initio quæsitum est. Ponatur enim, esse demonstrandum, musicam voluptatem esse honestam. Si quis igitur sibi concedi postulet voluptatem esse honestam, non adjiciens omnem, non erit syllogismus. Sin autem quandam voluptatem esse honestam, siquidem aliam, nihil pertinebit ad rem propositam. Si vero hanc ipsam, accipit id quod ab initio quærebat.


3. Hoc magis perspicuum fit in descriptionibus mathematicis. Verbi gratia probandum sit, angulos æquicruris qui sunt juxta basim, esse æquales. Sint ad centrum ductæ lineæ α β. Si igitur accipiat, angulum α γ esse æqualem angulo β δ, non omnino postulans angulos semicirculorum esse æquales, rursusque accipiat angulum γ esse æqualem angulo δ, non assumens generaliter angulum sectionis esse æqualem alteri angulo ejusdem sectionis, præterea accipiat demptis partibus æqualibus a totis angulis æqualibus reliquos angulos ε ζ esse æquales, postulabit quod ab initio quærendum proposuit, nisi accipiat ab æqualibus si æqualia demantur, æqualia relinqui. Apparet igitur opus esse, ut in omnibus syllogismis sit universale.

1. Demonstrato primo supposito, quod omnes syllogismi fieri debeant in aliqua ex tribus figuris, demonstrat Aristoteles *secundum suppositum,* quod in omnibus syllogismis una saltem præmissa debeat esse universalis, et una affirmativa, adeoque ex puris negativis et ex puris particularibus, non potest fieri syllogismus.

2. Quod igitur una saltem præmissa debeat esse universalis, sic demonstratur. Si nulla præmissa sit universalis, aut non fit syllogismus concludens ullam conclusionem, aut non concludit conclusionem intentam, aut probat idem per idem, adeoque petit principium; sed hæc omnia repugnant recto syllogismo; ergo ut fiat rectus syllogismus, una saltem præmissa debet esse universalis. Probatur major duobus exemplis, altero ex communibus, altero ex mathematicis. Sit igitur probanda hæc conclusio : *voluptas musica est honesta et laudabilis,* non potest probari, nisi assumatur, quod *omnis voluptas est honesta ;* ergo, etc. Probatur antecedens. Si enim assumatur, quod voluptas indefinite est honesta, non sequitur, quod voluptas musica est honesta; si assumatur, quod aliqua certa voluptas est honesta, vel hæc certa est voluptas musica, vel alia; si alia, non sequitur conclusio intenta, quod voluptas musica sit honesta; si est ipsa voluptas musica, jam petitur principium; ergo ad syllogizandum, quod voluptas musica sit honesta, debet assumi, quod universim voluptas sub aliqua

ratione, sub qua continetur voluptas musica, sit honesta.

3. Secundo magis declaratur et probatur eadem major exemplo desumpto ex mathematicis. Sit demonstrandum, quod isoscelium triangulorum anguli ad basim sunt æquales. Describatur triangulus isosceles A B C, cujus latera A B, et A C sint æqualia. Ad demonstrandum, quod an-



guli A B C, et A C B, qui sunt supra basim, sunt æquales, ex centro A, spatio A C ducatur circulus E D C B. Hic circulus transibit per punctum B, siquidem latera A B et A C supponuntur æqualia. Producantur lineæ B A et C A usque ad puncta D et E circumferentiæ; hæ lineæ cum transeant per centrum circuli, erunt diametri, adeoque circulum divident in semicirculos. Posita hac constructione, sic demonstratur, quod anguli A B C et A C B supra basim sunt æquales. Omnes anguli semicirculi ejusdem circuli sunt æquales; sed angulus D B C constitutus ex diametro D B et ex semicirculo B C D et angulus E C B constitutus ex diametro E C et ex semicirculo C B E, sunt anguli semicirculorum ejusdem circuli; ergo anguli D B C et E C B sunt æquales. Rursus omnes anguli ejusdem segmenti circuli sunt æquales; sed angulus B C B constitutus ex basi recta B C et ex segmento circuli C B et angulus C B C constitutus ex altera parte ab eadem basi et eodem segmento, sunt anguli ejusdem segmenti, ergo sunt æquales; sed, ut conclusum est per primum syllogismum, anguli majores D B C et E C B sunt æquales, utpote semicirculorum; et, ut conclusum est in secundo syllogismo, anguli minores C B C et B C B utpote ejusdem segmenti sunt etiam æquales; ergo si ex angulis majoribus D B C et E C B auferantur anguli minores æquales C B C et B C B remanent anguli ad basim A B C et A C B æquales, adeoque anguli ad basim sunt æquales, quod erat demonstrandum. In tota hac demonstratione in tribus syllogismis, ex quibus constat, sumuntur tres propositiones universales; in primo, quod anguli semicirculorum ejusdem circuli sunt æquales, et nisi hoc universim sumatur, sed solum quod hi anguli sunt æquales, petetur quod est demonstrandum, adeoque petetur principium. In secundo syllogismo sumitur, quod omnes anguli ejusdem segmenti sunt æquales, et nisi hoc sumatur, sed solum sumatur, quod hi sunt æquales, similiter petetur principium. In tertio demum syllogismo sumitur, quod si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia, et nisi sumatur hoc, sed solum, quod si ab his angulis semicirculorum majoribus auferantur isti anguli segmenti minores, remanent hi duo anguli supra basim æquales, petetur principium; ergo in syllogismis, ne petatur principium, altera saltem præmissa debet esse universalis.

4. Constat etiam universale probari ex omnibus terminis universalibus, particulare vero tum hoc tum illo modo. Quare si conclusio sit universalis, necesse est etiam terminos esse universales. Si vero termini sint universales, fieri potest ut conclusio non sit universalis.

5. Manifestum quoque est in omni syllogismo vel ambas vel alteram propositionem necessario similem esse conclusioni. Similem inquam, non solum quod sit affirmativa aut privativa, sed etiam quod sit necessaria vel pura vel contingens. Considerare autem oportet alias quoque attribuendi rationes. Quin etiam perspicuum est simpliciter, quando erit et quando non erit syllogismus, et quando possibilis et quando perfectus; et ubi syllogismus sit, necesse esse ut termini aliquo ex dictis modis affecti sint.

4. Ex his concludit Aristoteles *duo corollaria*. Primum est : conclusio universalis non potest inferri, nisi omnes præmissæ sint universales; at conclusio particularis non potest inferri ex omnibus præmissis particularibus, sed vel infertur ex utraque præmissa universali, ut in primis duobus modis tertiæ figuræ, vel infertur ex altera universali, altera particulari. Si igitur conclusio est universalis, utraque præmissa est universalis; at non e converso, si utraque præmissa est universalis, sequitur conclusio universalis, ut patet in tertia figura.

5. Secundum corollarium est : altera saltem præmissa debet esse similis conclusioni non solum in qualitate, sed etiam

in modo. Ex. gr., si conclusio est negativa, altera saltem præmissa debet esse negativa; si conclusio est de contingenti, vel de inesse, altera saltem præmissa debet esse de contingenti, vel de inesse, idemque dic de aliis prædicationibus. Concludit Aristoteles epilogando dicta. Dictum est enim, quando fiat vel non fiat syllogismus; quando sit perfectus vel solum imperfectus ac perfectibilis per reductionem; dictum est etiam, quod aliqua saltem præmissa debet esse universalis et affirmativa.

CAPUT XXV

OSTENDITUR, OMNES SYLLOGISMOS DEBERE CONSTARE EX TRIBUS TERMINIS ET DUABUS PROPOSITIONIBUS.

1. [25] Manifestum quoque est, omnem demonstrationem fore per tres terminos nec plures, nisi per alia atque alia argumenta efficiatur eadem conclusio, ut τὸ ε per α β et per γ β, vel per α β et α γ et β γ. Nam plura esse media earumdem conclusionum nihil vetat. Cum autem hæc sunt multa, non unus, sed multi sunt syllogismi. Rursus demonstratio non est per tres, sed per plures terminos, cum utrumque propositum, id est et τὸ α et τὸ β, per syllogismum accipitur, veluti τὸ α per δ ε ac τὸ β per ζ θ. Vel alterum inductione, alterum syllogismo. Verum sic quoque sunt plures syllogismi, quia sunt plures conclusiones, veluti τὸ α et τὸ β et τὸ γ. Quod si non plures sed unus sit syllogismus, sic quidem per plura effici potest eadem conclusio. Ut autem γ probatur per α β, impossibile est esse plures quam tres terminos. Sit enim conclusio ε, quæ colligatur ex α β γ δ. Ergo necesse est horum aliquid sumi tanquam totum, aliud tanquam partem.

2. Hoc enim antea demonstratum fuit, cum est syllogismus, necesse esse ut quidam termini ita sint affecti. Ergo sic affectum sit α ad β. Est igitur aliqua ex his conclusio, quæ aut est ε aut γ aut δ aut alia quæpiam ab his diversa. Et si quidem ε concludatur, ex solis α β erit syllogismus. γ autem et δ si ita se habent, ut alterum habeat rationem totius, alterum partis, colligetur ex iis aliquid, nempe aut ε aut alterum ex α β aut aliud quidpiam ab his diversum. Si colligatur ε alterumve ex α β, aut plures erunt syllogismi, aut eo modo quo fieri posse diximus, idem per multos terminos concludi accidit. Si aliud quidpiam ad his diversum colligitur, plures erunt atque a se invicem discreti syllogismi. Si vero γ non sit ita affectum ad δ, ut syllogismum efficiant, frustra sumpta erunt, nisi inductionis aut occultationis aut ejusmodi alius rei causa sumpta fuerit. Quodsi ex α β non colligatur conclusio ε, sed alia quæpiam, ex γ δ vero colligatur vel horum alterum vel aliud ab his diversum, syllogismi plures fiunt, nec de re proposita; supponebatur enim esse syllogismum τοῦ ε. Si vero non colligitur ex γ δ aliqua conclusio, accidit ut frustra sumantur, et syllogismus non sit ejus, quod ab initio qæsitum fuit. Quare perspicuum est, omnem demonstrationem et omnem syllogismum constare ex tribus terminis solis.

1. Demonstrato primo et secundo supposito, demosntrat Aristoteles *tertium* et *quartum suppositum*, quod nimirum syllogismus constare debeat ex tribus terminis et ex duabus propositionibus seu præmissis.

Quod igitur syllogismus unus constare debeat ex tribus tantum terminis, sic probat. Nulla ratiocinatio, in qua vel probatur eadem conclusio per plura media, vel probantur plures conclusiones, est syllogismus unus; sed omnis ratiocinatio habens plures terminos quam tres, vel probat eamdem conclusionem per plura media, vel probat plures conclusiones; ergo nulla ratiocinatio habens plures terminos quam tres, est syllogismus unus; ergo syllogismus unus constat ex tribus tantum terminis. *Major probatur* et explicatur, et primo quoad primam partem, quod ratiocinatio, in qua eadem conclusio probatur pluribus mediis non sit syllogismus unus. Sit enim hæc conclusio: *omnis homo est risibilis*, quæ conclusio vocetur E. Probari potest hæc conclusio per plura media, nimirum per rationale, admirativum, flebile, discursivum, etc., dicendo : *omne rationale est risibile* ; *omnis homo est rationalis ;* vel *omne admirativum est risibile; omnis homo est admirativus,* etc. At dicendo hoc pacto patet, non esse unum syllogismum, sed plures. Sunt enim plures orationes, ex quibus necessario sequitur posita conclusio; sed plures tales orationes sunt plures syllogismi; ergo si eadem conclusio probetur per plura media, non sunt unus syllogismus, sed plures syllogismi. Probatur jam et explicatur eadem major quoad secundam partem, quod nimirum si plures conclusiones probentur, non sit unus syllogismus. Sit enim conclusio : *omnis homo est risibilis,* quæ vocetur E, et probetur per duas præmissas A B dicendo : *omne admirativum est risibile; omnis homo est admirativus;* præmissæ rursus probentur, et major quidem A probetur per alias duas præmissas, quæ vocentur C D dicendo : *omne rationale est risibile; omne admirativum est rationale;* minor vero, quæ vocetur B, probetur per præmissas F G vel per inductionem. Pa-

tet, quod inferuntur tres conclusiones, adeoque sunt tres syllogismi. hoc est tres orationes, ex quibus necessario sequitur aliqua conclusio; ergo non sunt unus syllogismus. Si vero quis velit vocare unum syllogismum, quia tandem terminantur ad unam ultimam conclusionem, saltem sequitur, quod non ita est unus, sicut cum conclusio infertur immediate ex duabus præmissis; ergo ratiocinatio probans eamdem conclusionem per plura media, vel probans plures conclusiones, non est unus syllogismus, quæ erat major probanda.

2. Probatur jam minor, quod omnis ratiocinatio habens plures terminos quam tres, vel probat eamdem conclusionem per plura media, vel probat plures conclusiones. Sit enim conclusio : *omnis homo est risibilis;* quæ vocetur E, et inferatur per orationem constantem ex quatuor terminis, qui sint *rationale, homo, risibile, admirativum,* dicendo ex. gr.: *omne rationale est admirativum; omne admirativum est risibile; omnis homo est admirativus; ergo omnis homo est risibilis.* Ut concludatur, quod *omnis homo est risibilis,* necesse est, ut assumatur, quod omnis homo continetur in aliquo, de quo dicitur risibile, ut jam ostensum est supra, probando duo prima supposita. Terminus igitur, in quo continetur homo, et de quo dicitur risibile, sit admirativus; ergo jam per hos tres terminos *risibilis, admirativus, homo,* factus est hic syllogismus : *omne admirativum est risibile; omnis homo est admirativus; ergo omnis homo est risibilis.* Quartus igitur terminus *rationalis,* vel est terminus, in quo contineatur homo, et de quo dicatur risibile, et jam est medium ad probandam eamdem conclusionem dicendo : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis,* ac proinde est secundum medium ad probandam eamdem conclusionem per secundum syllogismum; vel ita se habet, ut sub ipso contineatur homo, et de ipso dicatur admirativum, et jam est medium ad probandam minorem, quod omnis homo sit admirativus, dicendo : *omne rationale est admirativum; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admirativus,* adeoque est medium ad probandam aliam conclusionem; vel ita se habet, ut sub ipso contineatur admirativum, et de ipso dicatur risibile, et est medium ad probandam majorem, quod omne admirativum sit risibile, dicendo : *omne rationale est risibile; omne admirativum est rationale; ergo omne admirativum est risibile,* adeoque adhuc est medium ad probandam aliam conclusionem ; vel respectu nullius ex tribus reliquis terminis sic se habet, ut alterum de ipso dicatur, alterum sub ipso contineatur, et tum non potest conducere ullo pacto ad probandam conclusionem intentam vel ullam præmissam, sed ad summum potest conducere ad probandam conclusionem disparatam de aliis terminis, adeoque vane positus fuit ad probandam conclusionem positam, vel fuit positus solius explicationis gratia; ergo conclusio posita, (idemque dic de aliis) probari solum potest per syllogismum constantem ex tribus tantum terminis; si vero sint plures termini quam tres, vel quartus ponitur ita, ut nihil conferat ad syllogismum, vel conducit ad probandam eamdem conclusionem per plura media, vel conducit ad probandam aliam conclusionem; sed ratiocinatio in qua vel eadem conclusio probatur per plura media, vel probantur plures conclusiones, non est unus syllogismus; ergo unus syllogismus constare non potest, nisi ex tribus terminis, quod erat probandum.

3. Cum autem hoc perpiscuum sit, planum est etiam, syllogismum constare ex duabus propositionibus, non pluribus. Nam tres termini sunt duæ propositiones, nisi quid assumatur, ut initio dictum est, ad perficiendos syllogismos.

4. Perspicuum igitur est, in qua oratione syllogistica pares non sunt propositiones, ex quibus efficitur conclusio principalis (quasdam enim ex superioribus conclusionibus necesse est esse propositiones), hanc orationem aut nihil colligere, aut plura interrogare quam quæ ad thesim necessaria sint.

5. Itaque si secundum principales propositiones syllogismi accipiantur, omnis syllogismus ex propositionibus paribus, terminis vero imparibus constabit. Uno enim plures sunt termini quam propositiones. Conclusiones autem erunt dimidia pars propositionum.

3. Probat jam Aristoteles *quartum suppositum,* quod nimirum syllogismus constare debeat ex duabus tantum propositionibus seu præmissis. Ex dictis enim syllogismus constare debet ex tribus tantum terminis dispositis juxta aliquam ex tribus figuris, ut explicatum est; sed disponendo tres terminos juxta aliquam ex tribus figuris, fiunt duæ tantum præmissæ; ergo syllogismus constare debet

ex duabus tantum præmissis. Possunt tamen assumi aliquæ aliæ propositiones ad perficiendum syllogismum, probando ipsas præmissas, vel manifestando necessitatem conclusionis per reductionem, ut explicatum est; sed adhuc ex duabus præcise præmissis fit syllogismus, ex quo necessario sequitur conclusio.

4. Ex dictis infert Aristoteles quædam *corollaria*. *Primum* est : oratio, in qua ad inferendam conclusionem sumuntur plures præmissæ, quam duæ, non est syllogistica, vel saltem non constat tantum ex propositionibus necessariis ad syllogismum. Ratio est, quia duæ præmissæ sufficiunt; ergo aliæ propositiones sunt ultra sufficientes. Possunt tamen sumi aliquæ aliæ propositiones ad probandas ipsas præmissas.

5. *Secundum* est : syllogismus simpliciter unus constat ex terminis imparibus, propositionibus principalibus paribus; conclusiones vero sunt dimidium præmissarum. Probatur, quia termini sunt tres; ergo sunt in numero impari; præmissæ principales sunt duæ; ergo sunt in numero pari; conclusio est una; ergo est dimidium duarum præmissarum.

6. Cum autem per prosyllogismos concluditur, vel per plura media continua, ut α β per γ et per δ, multitudo terminorum itidem uno superabit propositiones.

7. Aut enim extra aut in medio terminus inseretur. Utroque autem modo fit, ut uno pauciora sint intervalla quam termini. Propositiones vero æquales sunt intervallis. Non tamen hæ semper erunt pares, illi impares, sed vicibus commutatis, cum propositiones pares fuerint, termini erunt impares. Et cum termini pares, propositiones impares. Nam una cum termino una propositio adjicitur, undecumque terminus adjiciatur. Quocirca cum propositiones essent pares, termini impares, necesse est rationem commutari facta utrisque eadem accessione.

6. *Tertium* est : etiam in syllogismo non simpliciter uno, in quo nimirum probatur aliqua præmissarum per antisyllogismum, vel additur aliud medium non continuum ad probandam aliquam aliam conclusionem, termini sunt uno plures propositionibus immediatis.

Ut probetur, explicandum est, quid sit antisyllogismus, et quid sit terminum, sumi intrinsecus vel extrinsecus. Antisyllogismus est syllogismus, quo probatur aliqua præmissarum. Ex. gr., cum dicitur : *omne admirativum est risibile; omnis homo est admirativus; ergo omnis homo est risibilis;* — ad probandam vero minorem, dicitur : *omne rationale est admirativum; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admirativus ;* — probatio minoris est antisyllogismus. Terminum sumi intrinsecus est, quod sumatur intra medium et alteram extremitatem, ad probandam illam extremitatem de medio. Ex. gr., cum ad probandum, quod homo est admirativus, sumitur ut medium *rationale*, de quo dicitur admirativum, et quod dicitur de homine, rationale dicitur sumi intrinsecus, hoc est intra hominem et admirativum. Terminum sumi extra est, quod sumatur non intra medium et aliam extremitatem ad probandam talem extremitatem de medio, sed vel supra majus extremum, ita ut ipsi subjiciatur, ad probandam aliquam aliam propositionem. Ex. gr., posito syllogismo : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis ; ergo omnis homo est risibilis,* — si dicatur : *omne risibile est intellectuale; omnis homo est risibilis ; ergo omnis homo est intellectualis,* terminus *intellectualis* est additus extra tres terminos prioris syllogismi et supra majus extremum, cum prædicetur de majori extremo ad inferendam diversam conclusionem, hoc est, quod omnis homo est intellectualis. Si vero posito dicto syllogismo : *omne rationale est risibile; omnis homo,* etc., — sumatur terminus, qui subjiciatur homini, ex. gr., musicus, et dicatur : *omnis homo est rationalis; omnis musicus est homo; ergo omnis musicus est rationalis,* terminus *musicus* est sumptus extra tres terminos prioris syllogismi, et infra minus extremum, cum subjiciatur minori extremo ad inferendam aliam conclusionem.

7. His explicatis docet Aristoteles, quod quocumque modo addatur quartus terminus, sive intra, faciendo prosyllogismum, sive extra, inferendo aliam conclusionem, adhuc termini erunt uno plures, quam propositiones. Sed quæritur, quo pacto id verificetur. Dum enim posito syllogismo : *omne rationale est admirativum; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admirativus,* — ad probandam minorem additur terminus *discursivus*, et fit prosyllogismus : *omne discursivum est rationale ; omnis homo est discursivus ; ergo,* etc., — videtur quod, sicut sunt quatuor termini, sic sint quatuor propositiones contradistinctæ, duæ ex

quibus constat prosyllogismus. Sed respondetur, quod Aristoteles nomine propositionis, intelligit solam propositionem immediatam; sed minor syllogismi, eo ipso, quod sit probanda per prosyllogismum, non est immediata; ergo remanent tres propositiones; sed termini sunt quatuor; ergo termini sunt uno plures, quam propositiones. Cum vero additur quartus terminus extra ad inferendam aliam conclusionem, tum una præmissarum est communis utrique syllogismo, ut patet in exemplis positis circa finem numeri sexti; ergo etiam tum propositiones sunt solum tres et termini sunt quatuor, adeoque propositiones sunt una pauciores, quam termini. Quia igitur in prosyllogismis sunt quatuor termini et tres propositiones, addendo quartum terminum invertitur ordo parium et disparium. Cum enim in syllogismo simpliciter uno sint termini impares, propositiones pares, in syllogismo sumpto simul cum prosyllogismo, termini sunt pares, hoc est quatuor, propositiones impares, hoc est tres.

8. Conclusiones vero non habent amplius eamdem rationem nec ad terminos nec ad propositiones. Uno enim termino adjecto conclusiones adjiciuntur una pauciores terminis antea positis, quia duntaxat ad ultimum terminum non fit conclusio, ad reliquos vero omnes fit.

9. Ut si τῷ α β γ adjiciatur τὸ δ, statim adjiciuntur duæ conclusiones, altera ad α, altera ad β. Similiter fit et in aliis. Et si medio loco terminus inseratur, eadem erit ratio, quia ad unum tantum terminum non faciet syllogismum. Quare multo plures erunt conclusiones terminis et propositionibus.

8. *Quartum corollarium* est : in syllogismo non simpliciter uno termini et propositiones non ita se habent ad conclusiones, sicut in simpliciter uno, sed addendo novum terminum, adduntur tot conclusiones, quot termini antecedentes, uno excepto, adeoque per additionem terminorum conclusiones fiunt multo plures, quam termini et quam propositiones immediatæ.

9. Probatur et explicatur. Sit enim syllogismus : *omne vegetabile est corpus; omne animal est vegetabile; ergo omne animal est corpus,* addatur terminus extrinsecus supra corpus, quod est majus extremum, qui terminus sit *substantia,* et dicatur : *omne corpus est substantia;* — addito hoc unico termino et hac unica propositione, adduntur duæ conclusiones, altera, in qua substantia concluditur de medio primi syllogismi, quod est vegetabile, dicendo : *omne corpus est substantia; omne vegetabile est corpus; ergo omne vegetabile est substantia;* — altera, in qua substantia concluditur de minori extremo primi syllogismi, quod est animal, dicendo : *omne corpus est substantia; omne animal est corpus; ergo omne animal est substantia;* ergo, addito quarto termino, adduntur duæ conclusiones, hoc est una pauciores terminis præexistentibus, qui termini erant tres. Si addatur quintus terminus supra majorem extremitatem, qui terminus sit ens, et si addatur una propositio, quæ sit : *omnis substantia est ens,* adduntur conclusiones tres, adeoque una pauciores quatuor terminis præcedentibus, cum terminus additus majori extremitati possit concludi de tribus reliquis terminis, hoc est de corpore, vegetabili et animali. De corpore concluditur sic : *omnis substantia est ens; omne corpus est substantia; ergo omne corpus est ens;* — de vegetabili sic : *omnis substantia est ens; omne vegetabile est substantia; ergo omne vegetabile est ens;* — de animali sic : *omnis substantia est ens; omne animal est substantia; ergo omne animal est ens.* Eodem pacto, si addatur sextus terminus supra ens; ex. gr., intelligibile, et dicatur : *omne ens est intelligibile,* concludetur de quinque reliquis excepto ente, et sic addentur quatuor conclusiones, hoc est una pauciores quam quinque termini præexistentes, etc. Ergo patet, quod addendo novum terminum, qui sit supra majorem extremitatem, ac de illa prædicetur, additur una sola præmissa, et adduntur tot conclusiones, quot erant termini præexistentes, adeoque quod addendo hoc pacto terminos, conclusiones sunt multo plures quam præmissæ et quam termini. Si enim sint tres termini, sunt duæ præmissæ et una conclusio; si sint quatuor termini, sunt tres præmissæ et tres conclusiones; si sint quinque termini, sunt quatuor præmissæ et sex conclusiones; si sint sex termini, sunt quinque præmissæ et decem conclusiones. Sicut vero ostensum est, quod addendo terminos supra majus extremum, adduntur tot conclusiones, quot erant termini antecedentes uno excepto; — sic potest ostendi, quod addendo terminos sub minori extremo, ita ut subjiciantur minori extremo, adduntur tot conclusiones, quot sunt termini antecedentes, uno excepto, et addendo ter-

minos intra extrema, adduntur tot conclusiones, quot erant termini antecedentes, uno excepto; semper enim terminus additus per varias conclusiones potest connecti cum omnibus terminis antecedentibus, uno excepto.

CAPUT XXVI

QUÆNAM CONCLUSIONES, PER QUAS FIGURAS ET MODOS FACILIUS PROBENTUR VEL IMPUGNENTUR.

1. [26] Quia vero habemus, de quibus syllogismi extruantur, et qualia in quaque figura, quotque modis probentur, perspicuum quoque nobis est, cujusmondi problema sit difficile aut facile ad probandum. Nam quod in pluribus figuris et per plures casus concluditur, facilius est, quod vero in paucioribus figuris et per pauciores casus, difficilius probari potest. Problema igitur affirmativum universale per solam primam figuram probatur, unoque per eam modo. Privativum autem per primam et per mediam, et per primam quidem uno modo, per mediam vero duobus modis. Sed particulare affirmativum per primam et per ultimam, uno modo per primam, tribus modis per ultimam. Denique privativum particulare in omnibus figuris probatur, sed in prima uno modo, in secunda et tertia pluribus modis, id est in illa duobus, in hac tribus. Perspicum igitur est universale attributivum difficillime adstrui,
2. facillime everti posse,

1. Postquam Aristoteles explicavit, quænam sint ea, quæ possunt concludi per syllogismum, et in quibus figuris et modis possint concludi, explicat, quæ conclusiones possunt facile vel difficile probari vel impugnari.

Prima ergo *conclusio* est : universalis affirmativa est difficillima ad probandum; universalis negativa tenet secundum locum difficultatis; tertium particularis affirmativa; quartum particularis negativa, quæ est facillima ad probandum.

Probatur, quia illa propositio est facilior probatu, quæ potest probari per plures figuras et modos; e converso illa propositio, quæ potest probari per pauciores figuras et modos, est difficilior probatu; sed universalis affirmativa potest probari per unam solam figuram, hoc est per primam, et per unicum modum, hoc est per Barbara; ergo est difficillima ad probandum; universalis negativa potest probari per duas figuras et per tres modos, hoc est per Celarent in prima figura, et per Cesare et Camestres in secunda; particularis affirmativa potest probari per duas figuras, primam et tertiam, et per quatuor modos, hoc est per Darii in prima figura, per Darapti, Disamis et Datisi in tertia figura; particularis demum negativa potest probari per omnes tres figuras et per sex modos, per unum primæ, hoc est Ferio, duos secundæ, hoc est Festino et Barocco, et per tres tertiæ, hoc est Felapton, Boccardo et Ferison; ergo particularis negativa facillime probatur, cum probari possit per tres figuras et sex modos; secundum locum facilitatis tenet particularis affirmativa, quæ probari potest per duas figuras et quatuor modos; tertium universalis negativa, quæ probari potest per duas figuras et tres modos; difficillima demum ad probandum est universalis affirmativa, quæ probari potest per unicam figuram et unicum modum, hoc est Barbara.

2. *Secunda conclusio* est : facillima ad destruendum seu impugnandum est universalis affirmativa; secundum locum tenet universalis negativa; tertium particularis affirmativa; quartum particularis negativa, quæ difficillime impugnatur.

Probatur. Illa propositio facilius impugnatur et destruitur, quæ potest impugnari et destrui pluribus figuris ac modis; sed universalis affirmativa impugnatur ac destruitur omnibus tribus figuris et omnibus modis, quibus probatur contraria negativa universalis, aut contradictoria negativa particularis, qui modi sunt novem, duo in prima figura, hoc est Celarent et Ferio, omnes quatuor secundæ figuræ, et tres tertiæ figuræ, hoc est Felapton, Boccardo et Ferison; universalis negativa destruitur duabus tantum figuris et omnibus modis, quibus probatur universalis affirmativa illi contraria, et particularis affirmativa eidem contradictoria, qui modi sunt quinque, duo primæ figuræ, hoc est Barbara et Darii, tres tertiæ figuræ, hoc est Darapti, Disamis et Datisi; particularis affirmativa destruitur solum duabus figuris et illis modis, quibus probatur universalis negativa illi contradictoria, qui modi sunt tantum tres, hoc est Celarent, Cesare et Camestres; particularis demum negativa destruitur solum per primam figuram et primum modum, hoc est Barbara, per quem so-

lum probatur universalis affirmativa contradictoria particulari negativæ; ergo, etc.

3. et omnino ad evertendum faciliora esse universalia quam particularia, quia universalia tolluntur, sive nulli insit sive alicui non insit, quorum hoc, id est alicui non inesse, in omnibus figuris probatur, illud, id est nulli inesse, in duabus. Eadem est ratio privativorum; sive enim omni sive alicui insit, tollitur quod ab initio propositum fuit. In particularibus autem uno modo fit refutatio, nempe si vel omni vel nulli probetur inesse. Ad confirmandum autem faciliora sunt problemata particularia, quia et in pluribus figuris et per plures modos confirmantur quam universalia.

4. Et omnino non oportet latere invicem refelli universale per particularia et hæc per universalia. Confirmare autem non licet universalia per particularia, sed hæc per illa licet. Item planum est, refutationem esse faciliorem confirmatione.

5. Quomodo igitur fiat omnis syllogismus et per quot terminos ac propositiones, et quomodo inter se affectas, præterea quale problema in quaque figura et quale in pluribus, quale in paucioribus probetur, manifestnm est ex his quæ dicta sunt.

3. *Tertia conclusio* est : facilius destruuntur propositiones universales quam particulares; at vero facilius probantur particulares quam universales.


Probatur prima pars, quia universalis affirmativa destruitur probando tum universalem negativam illi contrariam, tum particularem negativam eidem contradictoriam, quandoquidem neque contraria neque contradictoria possunt simul verificari. At particularis affirmativa destruitur solum probando universalem negativam, cum particularis negativa subcontraria possit simul verificari cum particulari affirmativa. Similiter universalis negativa destruitur probando tum universalem, tum particularem affirmativam; at particularis negativa destruitur solum probando universalem affirmativam, quæ potest probari unica figura et modo, ut dictum est num. 1.

Probatur secunda pars, quia conclusiones particulares possunt concludi in pluribus figuris et modis quam universales, ut jam est explicatum.

4. *Quarta conclusio* est : universalia possunt destrui per particularia, et particularia vicissim per universalia, non tamen e converso universalia probari possunt per particularia; ideoque facilius est impugnare ac destruere quam probare.

Probatur : nam qui probat universalem affirmativam, ex. gr., quod *omnis homo est risibilis*, destruit hanc particularem negativam contradictoriam, quod *aliquis homo non est risibilis*, et qui probat hanc universalem negativam, quod *nullus homo est planta*, destruit hanc particularem affirmativam, quod *aliquis homo est planta*. Rursus qui probat has particulares, quod *aliquis homo est albus et aliquis non est albus*, destruit illas universales, quod omnis homo est albus, et nullus homo est albus; ergo propositiones universales possunt destrui per particulares, et particulares per universales. At licet qui probat universalem affimativam, ex. gr., quod *omnis homo est risibilis*, eo ipso probet particularem affirmativam, *quod aliquis homo est risibilis*; et qui probat universalem negativam, quod *nullus homo est planta*, probet etiam particularem, *quod aliquis homo non est planta*; tamem qui probat particularem affirmativam, quod *aliquis homo est albus*, non probat universalem, quod *omnis homo est albus;* et qui probat particularem negativam, quod *aliquis homo non est albus*, non probat universalem negativam, quod *nullus homo est albus;* ergo licet particulares probentur per universales, non tamen e converso, ideoque facilius est destruere quam probare.

5. Concludit Aristoteles epilogando hactenus dicta. Explicatum est, quomodo, per quos terminos, per quas propositiones et quo pacto dispositas, fiat syllogismus; explicatum est rursus, quæ propositiones possint probari in qualibet figura, quæ possint probari in pluribus figuris, et quæ in paucioribus.



SECTUM II

DE INVENTIONE MEDII

CAPUT I. vel XXVII.

DE PRÆCEPTIS AD INVENIENDUM MEDIUM ET AD INVENIENDA PRINCIPIA, EX QUIBUS CONFICITUR SYLLOGISMUS, ET PROBANTUR PROPOSITÆ CONCLUSIONES.

1. [27] Quo autem modo syllogismorum copia nobis semper suppetat ad quæstionem propositam, quaque via sumamus principia ad quodque problema pertinentia, nunc dicendum est, quia fortasse non solum oportet syllogismorum exstructionem intelligere, sed etiam eorum conficiendorum facultatem habere.

2. Eorum igitur omnium quæ sunt, quædam sunt ejusmondi, ut nulli alii vere universaliter attribuantur, ut Cleon et Callias et quod singulare est quodque sub sensum cadit, his autem alia attribuantur; horum enim utrumque est et homo et animal. Nonnulla aliis attribuuntur, sed ipsis alia prius non attribuuntur. Reliqua sunt ejusmodi, ut et ipsa aliis et ipsis alia attribuantur, ut homo Calliæ attribuitur et homini animal. Constat igitur quasdam res suapte natura esse tales, quæ de nullo dicantur. Nam eorum quæ sub sensum cadunt, unum quodque fere est ejusmodi, ut nulli attribuatur nisi ex accidente. Dicimus enim aliquando, album illud esse Socratem, et quod accedit esse Calliam. Sursum quoque versus procedendo sisti aliquando iterum dicemus. Nunc vero hoc positum et concessum esto. De his igitur non possumus demonstrare aliud attributum, nisi secundum opinionem, sed hæc de aliis. Nec singularia de aliis, sed de his alia. Quæ vero his interjecta sunt, constat utroque modo sub demonstrationem cadere posse.

3. Quoniam et ipsa de aliis et alia de ipsis dicentur. Ac fere disceptationes et considerationes de his maxime sunt.

1. Quia non sufficit scire, ex quibus terminis et propositionibus et quo pacto se habentibus, fiat syllogismus, nisi possimus invenire terminos et propositiones, ex quibus faciamus syllogismum, ideo Aristoteles, postquam primo secto vel prima parte hujus libri explicavit, ex quibus terminis et propositionibus fiant syllogismi, secundo secto vel secunda parte tradit præcepta, per quæ possimus invenire terminos et propositiones, hoc est principia, ex quibus construatur syllogismus. Et quia omnis syllogismus consistit in eo, ut probet aliquam conclusionem propositam per aliquod medium, ideo primo explicat, ex quibus terminis constent conclusiones syllogistice probandæ; deinde vero tradit artem investigandi medium ad probandas propositas conclusiones.

2. Ut igitur explicet, ex quibus terminis constent conclusiones syllogistice probandæ, præmittit quandam divisionem. Eorum, quæ sunt, quædam non prædicantur de ullo inferiori, de ipsis vero prædicantur alia; ex. gr., Cleon, Callias et singularia sensibilia non prædicantur de ullo inferiori, nisi forte per accidens, dicendo: *hoc album est Cleon;* alia vero, ut homo, animal, prædicantur de inferiore, ut de Cleone et Callia. Ex his, quæ prædicantur de inferioribus, quædam sunt, de quibus non prædicatur aliud superius, ut intelligibile; quædam sunt media, ita ut et ipsa prædicentur de aliis, et alia de ipsis, ut homo, qui prædicatur de Cleone et Callia, cum de homine prædicetur animal et vivens. Quod dentur ista tria genera rerum, patet. Nam singularia sensibilia est manifestum, quod non prædicantur de subjecto, nisi forte per accidens, ut cum dicimus, illud album esse Socratem, illud accedens esse Calliam. In posterioribus demonstrabitur, quod in prædicatis superioribus et superioribus non proceditur in infinitum, sed sistendum est in aliquo supremo. Patet demum dari media, quæ prædicentur de inferioribus, et de quibus superiora prædicentur.

3. Posita hac doctrina, docet Aristoteles, quod fere omnes syllogismi sunt circa hæc media, quæ respectu aliquorum sunt

prædicata superiora, respectu aliorum sunt subjecta inferiora. Patet ergo conclusiones probandas debere constare ex talibus terminis, saltem ut plurimum.

4. Oportet autem propositiones ad quamque rem pertinentes ita accipere, ut principio supponatur ipsa res, de qua agitur, nec non definitiones et quæcumque sunt ejus rei propria, deinde quæ rei consequentia sunt, et ea quibus ipsa res consequens est, et quæ non possunt illi inesse. Quibus autem res inesse non potest, ea non sunt sumenda, quia pronuntiatum privativum convertitur. Distinguenda sunt etiam consequentia, ut intelligatur, quænam in quæstione quid est, et quæ ut propria et quæ ut accidentia attribuantur, et horum quænam secundum opinionem, quæ re vera attribuantur. Nam quo major horum copia alicui suppetit, eo expeditius propositum concludet, et quo veriora fuerint, eo magis demonstrabit.

4. Posito, quod conclusiones probandæ sint hujusmodi, tradendæ sunt regulæ ad inveniendum medium, per quod probentur. Primo ergo Aristoteles explicat, quæ sint consideranda; secundo quæ sint eligenda. Primo ponenda est quæstio, ex. gr., *utrum homo sit risibilis.* Secundo consideranda sunt propria subjecti, ex. gr., definitio propria hominis et proprietates cum homine convertibiles. Tertio consideranda quæ sequuntur et inferuntur etiam non convertibiliter ad subjectum, ex gr., quæ prædicata sequantur ad hominem, cujusmodi prædicata sunt, quod homo est animal, vivens, etc. Quarto consideranda sunt etiam, ad quæ sequatur subjectum, ex. gr., ad quæ sequatur homo; sequitur enim ad musicum; si enim est musicus, est homo, etc. Quinto consideranda sunt, quæ repugnant homini, cujusmodi sunt *irrationale, hinnibile,* etc. Repugnat enim homini, ut sit irrationalis vel hinnibilis. etc. Quia vero quæ rei convenire non possunt, ita se habent, ut neque res possit de ipsis dici, siquidem universalis negativa convertitur in aliam universalem negativam; ideo non est adhibenda diversa specialis consideratio eorum, quibus res convenire non potest, cum hæc omnia comprehendantur in iis, quæ non possunt dici de re, siquidem res non potest dici de ipsis. Sexto quæ sequuntur ad subjectum ac de subjecto dicuntur, dividenda sunt; nam quædam dicuntur de subjecto essentialiter et quidditative; quædam ut accidenti apropria; quædam ut accidentia communia, et hæc etiam seorsim sunt consideranda. Septimo considerandum est etiam, quæ sequantur ad subjectum probabiliter et juxta opiniones receptas, quæ vero sequantur secundum ipsam veritatem. Proportionaliter hæc eadem consideranda sunt de prædicato quæstionis propositæ. Quo vero plura ex his habuerit in mente, qui conatur aliquam conclusionem probare, eo facilius inveniet medium et principia ad illam probandam, et si abundaverit probabilibus probabit probabiliter, si abundaverit necessariis, demonstrabit etiam evidenter.

5. Oportet autem eligere non quæ alicui, sed quæ universæ rei consequentia sunt, verbi gratia non quod alicui homini, sed quod omni homini consequens est, quoniam ex propositionibus universalibus syllogismus constat. Cum igitur propositio est indefinita, non constat an sit universalis ; cum autem est definita, id apparet.

6. Similiter eligenda sunt ea quibus ipsa res universis consequitur, idque ob dictam causam. Ipsum vero consequens non est sumendum totum sequi. Verbi gratia non est sumendum homini consequens esse omne animal, aut musicæ omnem scientiam, sed simpliciter consequens esse duntaxat, quemadmodum etiam proponimus, quoniam alterum et inutile est et impossibile, utputa omnem hominem esse omne animal, aut justitiam esse omne bonum. Sed cui aliud consequens est, ei adjicitur nota *omni,* cum dicitur ei omni aliquid consequens esse.

7. Cum autem ab aliquo continetur subjectum, cui consequentia oportet accipere, ea quidem quæ universale sequuntur vel non sequuntur, non sunt in his eligenda, quia in illis sumpta sunt. Quæcunque enim animal, eadem etiam hominem sequuntur. Eadem est ratio eorum quæ non insunt. Quæ vero cujusque rei propria sunt, accipi debent; sunt enim quædam speciei propria, non communia generi, quandoquidem necesse est speciebus diversis propria quædam inesse. Neque vero quasi universalis antecedentia, eligenda sunt ea quibus consequens est quod sub ea continetur. Exempli causa non debent quasi animalis antecedentia sumi ea, quibus homo est consequens. Nam si hominem sequitur animal, hæc quoque omnia necessario sequitur. Sed hæc ad hominis antecedentium delectum magis pertinent.

8. Sumenda sunt etiam quæ plerumque consequuntur aut antecedunt. Nam problematum quæ plerumque eveniunt, etiam syllogismus constat ex propositionibus, quarum aut omnes aut quædam plerumque sunt veræ. Cujusvis enim syllogismi conclusio similis est principiis.

9. Præterea quæ omnibus consequentia sunt, non debent eligi, quoniam ex iis non erit syllogismus. Ob quam vero causam, in sequentibus manifestum erit.

5. Sed non sufficit scire, quæ sint consideranda, debet etiam sciri, quæ sint

eligenda. Primo ex consequentibus ad subjectum vel prædicatum, eligenda sunt quæ consequuntur universaliter naturam specificam, non vero quæ consequuntur particulariter. Ex. gr., eligenda sunt, quæ sequuntur universaliter hominem, non vero quæ sequuntur particulariter. Ratio est, quia syllogismus, cum fundetur in *dicto de omni*, fundatur in propositionibus universalibus, non vero in particularibus vel indefinitis, de quibus non satis constat, an verificentur per propositiones universales vel per particulares.

6. Secundo ex antecedentibus, ad quæ nimirum sequitur subjectum vel prædicatum, eligenda sunt ea, ad quæ universaliter sequitur subjectum vel prædicatum ex eadem ratione, quia nimirum syllogismus fundatur in propositione universali, et medium debet sumi universaliter. Porro non prædicatum, sed subjectum debet sumi universaliter. Ex. gr., dicitur: quod *omnis homo est animal*, at non dicitur, quod *omnis homo est omne animal*; dicitur, quod *omnis musica est scientia*, at non dicitur, quod *omnis musica est omnis scientia*. Si igitur addatur terminus *omnis* prædicato, additur inutiliter, et affirmatur aliquod impossibile, cum impossibile sit, ut homo sit omne animal, musica sit omnis scientia, justitia sit omne bonum.

7. Tertio ex consequentibus vel repugnantibus ad aliquod subjectum contentum in aliquo unîversaliori, seligenda sunt, quæ ad ipsum specialiter consequuntur, vel quæ ipsi specialiter repugnant, non vero, quæ consequuntur rationem universaliorem, vel repugnant rationi universaliori; hæc enim considerari debent, considerando rationem illam universaliorem. Ex. gr., dum quæruntur consequentia vel repugnantia ad hominem, qui continetur in ratione universaliori animalis, debent eligi, quæ specialiter consequuntur ac repugnant homini, non vero quæ consequuntur ac repugnant animali; hæc enim eligenda sunt, dum consideratur ipsum animal. Ratio est, quia cum ex consequentibus et repugnantibus quædam sint propria specierum, quædam sint communia generum, eo pacto, quo risibilitas sequitur ad hominem non ad animal, hinnibilitas repugnat homini non animali; ut procedatur ordinatim, dum considerantur consequentia et repugnantia speciei, seligenda sunt propria; communia vero tum sint eligenda, cum consideratur genus; alioquin cum consequentia ac repugnantia generi, sint etiam consequentia ac repugnantia speciebus, accidet eadem multoties eligi, quod est inconveniens.

8. Quarto ex antecedentibus et consequentibus debent etiam eligi, quæ antecedunt vel consequuntur plerumque. Ratio est, quia conclusiones, in quibus non concluditur prædicatum convenire subjecto semper, sed solum plerumque, probantur ex omnibus vel aliquibus principiis, in quibus affirmatur prædicatum convenire subjecto non semper, sed solum plerumque; cum conclusiones debeant proportionari principiis; ergo ad invenienda principia talium conclusionum, debent eligi, quæ coveniunt plerumque.

9. Quinto non debet eligi aliquid, quod sequatur tum subjectum tum prædicatum conclusionis probandæ, et neutrum antecedat; nam ex tali medio non potest fieri syllogismus, nisi in secunda figura ex puris affirmativis, ex quo nihil sequitur. Ex. gr., quia animal consequitur tum hominem tum equum, assumendo animal pro medio, fieret talis paralogismus in secunda figura: *omnis homo est animal; omnis equus est animal;* ex quo nihil sequitur, ut infra magis explicabitur.

CAPUT II VEL XXVIII. — ART. I

DE REGULIS AD INVENIENDUM MEDIUM.

1. [28] Volentibus igitur aliquid confimare de aliquo toto, respiciendum est ad ejus, quod confirmatur, subjecta, de quibus illud dicitur, et ad ejus, cui oportet attribui, consequentia, quæcunque hoc sequuntur. Nam si horum aliquid sit idem, necesse est alterum alteri inesse.

2. Si vero non sit probandum omni, sed alicui inesse, spectanda sunt ea quæ utrumque sequitur. Nam si horum quidpiam sit idem, necesse est alicui inesse.

3. Cum autem nulli inesse oportet, quod attinet ad id cui non oportet inesse, respiciendum est ad consequentia, quod vero ad id quod oportet non inesse, ad ea quæ illi adesse nequeunt. Vel e contrario ex parte ejus cui oportet non inesse, respiciendum est ad repugnantia, quæ non possunt illi adesse, ex parte autem ejus quod oportet non inesse, ad consequentia. Horum namque utravis sint eadem, accidit ut alterum alteri nulli insit, quia fit syllogismus modo in prima figura, modo in media.

4. Quod si probandum sit alicui, non inesse, ejus cui oportet non inesse, spectanda sunt an-

tecedentia, quibus est consequens, ejus vero quod oportet non inesse, spectanda sunt repugnantia, quæ non possunt ei inesse. Nam si horum quidpiam sit idem, necesse est alicui non inesse.

Postquam Aristoteles explicavit, quæ sint consideranda et eligenda pro inventione medii, tradit regulas ad inveniendum medium. Et quia quatuor sunt genera conclusionum inferibilium : universalis affirmativa; universalis negativa; particularis affirmativa et particularis negativa; — ideo tradit quinque regulas ad inveniendum medium, per quod concludatur unaquæque dictarum conclusionum.

Ut intelligantur regulæ tradendæ, memoria tenendum est, quid sit antecedens, quid consequens, quid repugnans sive extraneum. Antecedens est, ex quo aliud sequitur; consequens est, quod sequitur ex alio; ex. gr., *homo* et *animal* ita se habent, ut *homo* sit antecedens, *animal* consequens. Ratio est, quia ex homine sequitur animal, cum valeat, *est homo; ergo est animal;* ergo cum homo sit, ex quo sequitur animal, homo est antecedens respectu animalis; cum animal sequatur ex homine, animal est consequens respectu hominis. Si vero duo ex se mutuo sequantur et sint convertibilia, sunt mutuo antecedens et consequens; ex. gr., definitio et definitum, *homo et animal rationale,* mutuo se antecedunt et consequuntur. Repugnans sive extraneum est, quod non potest alteri convenire, ex. gr., *homo et equus* sunt termini repugnantes et extranei, quia neque homo potest esse equus, neque equus potest esse homo.

1. His positis, *prima regula* est : ad concludendam universalem affirmativam debent considerari antecedentia et consequentia, tum prædicatum tum subjectum; et siquidem inveniatur aliquid, quod idem sit antecedens prædicati et consequens subjecti, illud est medium. Ex. gr., ut concludam, quod *omnis homo est vivens,* debeo considerare antecedentia et consequentia hominis et viventis; et quia invenio, quod animal est antecedens respectu viventis, valet enim : *est animal; ergo est vivens,* et est consequens respectu hominis, cum valeat, *est homo ; ergo est animal ;* — ideo animal est medium ad concludendum universaliter vivens de homine, dicendo : *omne animal est vivens; omnis homo est animal ; ergo omnis homo est vivens.*

2. *Secunda regula* est : ad concludendam particularem affirmativam, debent considerari, quæ antecedunt tum subjectum tum prædicatum; si enim aliquid idem antecedit utrumque, erit medium ad illam concludendam. Ex. gr., ad concludendam hanc : *aliquod animal est intellectuale,* debeo considerare, ex quibus sequitur tum animal tum intellectuale ; et quia invenio, quod tum animal tum intellectuale sequuntur ex homine, adeoque homo antecedit utrumque, cum valeat : *est homo; ergo est animal ; est homo ; ergo est intellectualis ;* — ideo homo est medium ad inferendum, quod aliquod animal est intellectuale, dicendo in Darapti : *omnis homo est intellectualis ; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale.* Per idem vero medium potest eadem conclusio inferri in Darii, convertendo minorem per accidens in particularem affirmativam.

3. *Tertia et quarta regula* est : ad concludendam universalem negativam debent considerari consequentia et extranea ad prædicatum et subjectum ; si vero aliquid inveniatur, quod idem sit extraneum prædicato et consequens subjecto, illud erit medium ad concludendum in Cesare et Celarent ; si vero e converso sit consequens ad prædicatum et extraneum ad subjectum, erit medium ad concludendum in Camestres. Ex. gr., ad concludendam hanc : *nullus homo est equus,* debeo considerare extranea et consequentia tum homini tum equo; et quia invenio, quod intellectuale est extraneum equo, cum non possit equo convenire, et consequitur hominem, ideo intellectuale est medium ad probandam conclusionem inventam in Cesare, dicendo : *nullus equus est intellectualis; omnis homo est intellectualis; ergo nullus homo est equus ;* est etiam medium ad probandam eamdem conclusionem in Celarent convertendo majorem. E converso, quia invenio, quod irrationale est consequens ad equum et est extraneum homini, ideo irrationale est medium ad probandam eamdem conclusionem in Camestres dicendo : *omnis equus est irrationalis; nullus homo est irrationalis; ergo nullus homo est equus.* Possunt igitur hæ duæ regulæ conjungi in unam, quæ est, quod quando idem ad alterum terminorum est extraneum, ad alterum est consequens, est medium ad probandam universalem negativam.

4. *Quinta regula* est : ad concludendam

particularem negativam, consideranda sunt antecedentia subjecti, et extranea sive repugnantia prædicati; si enim aliquid unum et idem sit antecedens subjecti, et extraneum prædicati, erit medium ad illam inferendam. Ex. gr., sit hæc conclusio : *aliquod animal non est intellectuale,* considero, quæ antecedant animal ac repugnent intellectuali, et invenio, quod equus simul antecedit animal et repugnat intellectuali, ideo equus est medium ad illam conclusionem inferendam, dicendo in Felapton : *nullus equus est intellectualis; omnis equus est animal; ergo aliquod animal non est intellectuale,* et convertendo minorem per accidens, eadem conclusio sequitur in Ferio.

5. Sic autem fortasse quæcumque dicta sunt, magis erunt perpicua. Consequentia τῷ α sint ea in quibus est β. Quæ vero ipsum sequitur, sint ea in quibus est γ. Quæ autem ei non possunt inesse, sint ea in quibus est δ. Rursus quæ τῷ ε insunt, sint ea in quibus est ζ. Quæ ipsum sequitur, sint ea in quibus est η. Quæ non possunt ei inesse, sint ea in quibus est θ. Si igitur aliquod γ et aliquod ζ sint idem, necesse est τὸ α inesse omni ε, quoniam τὸ ζ inest omni ε ac τὸ α omni γ; quare τὸ α inest omni ε.

5. Positis regulis demonstrat illas Aristoteles in terminis. Prædicatum igitur vocetur A; consequentia ad prædicatum vocentur B; antecedentia ad prædicatum vocentur C; extranea prædicato vocentur D. Rursus subjectum vocetur E; consequentia ad subjectum vocentur F; antecedentia vocentur G; extranea vocentur H. Hoc posito, probat Aristoteles singulas regulas exemplificando in positis litteris; nos majoris claritatis gratia easdem probabimus, exemplificando in terminis realibus. Probatur igitur prima regula, quod si idem sit antecedens prædicati et consequens subjecti, est medium ad probandam universalem affirmativam. Si animal est antecedens viventis et consequens hominis, eo ipso est medium ad demonstrandum, quod omnis homo est vivens. Patet; omne consequens potest prædicari universaliter de antecedente; sed animal est antecedens, vivens est consequens; ergo vivens potest universaliter prædicari de animali, dicendo : *omne animal est vivens*; sed animal est consequens respectu hominis; ergo animal potest universaliter prædicari de homine, dicendo : *omnis homo est animal;* ergo fit syllogismus in Barbara, per quem infertur : *ergo omnis homo est vivens;* ergo si idem sit antecedens prædicati et consequens subjecti, est medium ad probandam universalem affirmativam in Barbara.

6 Si vero γ et η sint idem, necesse est τὸ α inesse cuidam ε, quia τὸ α est consequens omni γ ac τὸ ε omni η.

7. Quod si ζ et δ sint idem, τὸ α nulli ε inerit, idque per prosyllogismum. Cum enim effatum privativum reciprocetur et ζ sit idem quod δ, nulli ζ inerit τὸ α, omni autem ε inest τὸ ζ.

6. Secundo probatur secunda regula, quod si idem sit antecedens prædicati et subjecti, est medium ad probandam particularem affirmativam. Omne consequens potest prædicari universaliter de suo antecedente, eo pacto, quo, quia animal est consequens respectu hominis, potest prædicari universaliter de homine; ergo si homo est antecedens tum ad intellectuale, tum ad animal, tum intellectuale tum animal possunt prædicari universaliter de homine, dicendo : *omnis homo est intellectualis; omnis homo est animal;* sed ex his duabus præmissis sequitur in Darapti : *ergo aliquod animal est intellectuale;* ergo si idem sit antecedens prædicati et subjecti, est medium ad concludendum prædicatum de subjecto per particularem affirmativam.

7. Tertio probatur tertia regula, quod si idem sit extraneum prædicato et consequens subjecto, concluditur universalis negativa in Cesare. Extraneum enim est universaliter negabile de eo, cui est extraneum; consequens est universaliter affirmabile de eo, cui est consequens; ergo si intellectuale est extraneum equo, consequens homini, potest universaliter negari de equo, et universaliter affirmari de homine, dicendo in Cesare : *nullus equus est intellectualis; omnis homo est intellectualis; ergo nullus homo est equus;* ergo universim, cum idem est extraneum prædicato et consequens subjecto, est medium ad probandam universalem negativam in Cesare, et per conversionem in Celarent. Dicit autem Aristoteles, quod si idem sit F et D, hoc est extraneum ad A, et consequens ad E, concludetur, quod nullum E est A per prosyllogismum. Quia enim F est extraneum ad A, poterit negari universaliter de A, dicendo : *nullum A est F,* et per conversionem : *nullum F est A;* sed cum F sit idem cum D, potest universaliter affirmari de D, subsumendo,

omne D est F; ergo concludetur in Celarent : *ergo nullum D est A ;* sed D est consequens ad E, adeoque potest universaliter affirmari de E, ergo poterit dici : *omne E est D ;* et sic inferri in Celarent : *ergo nullum E est A ;* ergo infertur hæc conclusio : *nullum E est A* per prosyllogismum modo explicato, licet possit etiam directe inferri in Cesare, ut patet in exemplo posito.

8. Rursus si β et θ sint idem, τὸ α nulli ε inerit. Nam τὸ β inerit omni α et nulli ε; idem enim erant θ et β, ac τὸ θ nnlli ε inerat.

9. Si vero δ et η sint idem, τὸ α cuidam ε non inerit. Nam τὸ α non inerit τῶν η, cum non insit τῷ δ. Atqui τὸ η, est sub ε. Itaque cuidam ε non inerit.

8. Quarto probatur quarta regula, quod si idem est consequens prædicati et extraneum subjecti, est medium ad inferendam in Camestres universalem negativam. Si intellectuale est consequens homini et repugnans equo, potest universaliter affirmari de homine, et universaliter negari de equo, dicendo in Camestres : *omnis homo est intellectualis ; nullus equus est intellectualis ; ergo nullus equus est homo;* ergo universim quando idem est consequens prædicati et repugnans subjecti, est medium ad conclusionem, in qua tale prædicatum negetur universaliter de tali subjecto. Potest autem hoc ipsum probari per prosyllogismum, proportionaliter ad ea, quæ dicta sunt num. 7, explicando tertiam regulam.

9. Quinto probatur quinta regula, quod si idem sit repugnans prædicati et antecedens subjecti, infertur particularis negativa prædicati de subjecto. Si enim homo repugnat equo et antecedit animal, potest de homine universaliter negari equus, affirmari animal, dicendo in Felapton : *nullus homo est equus; omnis homo est animal ; ergo aliquod animal non est equus.*

10. Sin η et β idem sint, syllogismus inversus erit. Nam τὸ η inerit omni α (si quidem τὸ β inest τῷ α), ac τὸ ε inerit τῷ β (idem enim erat quod τὸ η). Necesse autem non est τὸ α inesse omni ε, sed necesse est alicui inesse, quia universalis attributio convertitur in particularem. Perspicuum igitur est, ab utraque cujusvis problematis parte respiciendum esse ad ea quæ diximus, quoniam ex his conficiuntur omnes syllogismi.

11. Cum autem consequentium aut quamque rem antecedentium ratio habetur, ad prima et maxime universalia respicere oportet. Utputa ex parte τοῦ ε magis respicere ad κ ζ quam ad ζ tantum, ex parte vero τοῦ α magis ad κ γ quam ad γ tantum. Nam si τὸ α inest τῷ κ ζ, inest etiam τῷ ζ et τῷ ε. Sed et si huic non est consequens, tamen potest esse consequens τῷ ζ. Similis ratio servanda est in iis quibus ipsa res est consequens ; nam si sequitur prima, etiam sequitur illa quæ sub his collocantur. Quod si non sequitur hæc, tamen potest ea sequi quæ sub his ponuntur.

10. Demonstratis quinque regulis jam positis, addit Aristoteles *sextam regulam* ad concludendam particularem affirmativam indirecte in prima figura, quæ regula est : si idem sit simul antecedens subjecti et consequens prædicati, sequitur indirecte particularis affirmativa subjecti de prædicato. Probatur : sit conclusio inferenda : *aliquod vivens est homo ;* sumatur aliquid simul antecedens vivens et consequens hominem, quod sit animal. Quia animal antecedit vivens, potest de animali universaliter prædicari vivens, dicendo : *omne animal est vivens*; quia animal consequitur ad hominem, potest universaliter prædicari de homine, dicendo : *omnis homo est animal*; ergo sequitur in Barbara : *ergo omnis homo est vivens* ; et per conversionem sequitur in Baralipton : *ergo aliquod vivens est homo*; ergo quod est consequens subjectum et antecedens prædicatum, est medium ad probandam particularem affirmativam indirecte in prima figura ; ergo manifestum est, quod per has regulas potest resolvi omnis quæstio, et probari omnis conclusio, tum universalis affirmativa tum universalis negativa, tum particularis affirmativa tum particularis negativa.

11. Addit Aristoteles quoddam documentum circa primam regulam, quæ regula est, quod ad probandam universalem affirmativam medium debet esse antecedens prædicati et consequens subjecti. Est autem documentum, ut ex consequentibus subjectum seligatur communissimum et universalissimum, dummodo antecedat prædicatum. Ex. gr., sit probanda hæc conclusio : *omnis homo est substantia*; debet sumi medium consequens hominem et antecedens substantiam; occurrunt plura media talia nimirum, *animal, vivens, corpus,* quæ omnia sequuntur hominem et antecedunt substantiam. Ex his seligendum est corpus, quod est universalius cæteris et propinquius prædicato, quod est substantia, ac dicendum : *omne*

corpus est substantia; omnis homo est corpus; ergo omnis homo est substantia. Ratio est, quia si prædicatum sequitur ad universalius, multo magis sequitur ad minus universalia, ex. gr., si substantia sequitur ad corpus, sequitur etiam ad vivens et animal, quæ continentur sub corpore; ergo sumendo corpus, sumuntur quodammodo vivens et animal ac cætera media. At si prædicatum sequatur ad medium inferius, non eo ipso sequitur ad superiora, adeoque sumendo minus universalia, non eo ipso sumuntur magis universalia; sed melius sumitur medium, cum continet cætera, quam cum non continet; ergo ex consequentibus subjectum sumendum est universalissimum et propinquissimum prædicato. Exemplificat autem Aristoteles in litteris suo more, sed hic est sensus.

CAPUT II VEL XXVIII. — ART. II

DE TRADITARUM REGULARUM SUFFICIENTIA AD INVENIENDUM MEDIUM PRO OMNIBUS SYLLOGISMIS

12. Constat etiam in tribus terminis ac duabus propositionibus hanc considerationem consistere, et in prædictis figuris omnes exstrui. Ostenditur enm τὸ α inesse omni ε, cum ex γ et ex ζ quidpiam idem esse accipitur. Hoc autem erit medium, extrema vero τὸ α et ε. Fit igitur prima figura. Alicui vero inesse ostenditur, cum γ et η idem esse accipitur. Hæc autem est postrema figura; nam τὸ η fit medium. Nulli autem inesse probatur, cum δ et ζ idem sunt. Sic autem fit et prima figura et media, prima quidem, quia nulli ζ inest τὸ α (siquidem privatum effatum convertitur), omni autem ε inest τὸ ζ; media vero, quia τὸ δ nulli α et omni ε inest. Alicui non inesse probatur, cum δ et η sunt idem. Hæc autem est ultima figura; nam τὸ α nulli η inerit, ac τὸ ε omni η. Perspicuum igitur est, in prædictis figuris fieri omnes syllogismos.

13. Item non esse eligenda quæ omnibus consequentia sunt, quia nullus syllogismus ex his fit. Omnino enim adstruere non licebat ex consequentibus. Privatio vero probari nequit per ea quæ omnibus consequentia sunt, quoniam oportet alteri inesse, alteri non inesse.

12. Traditis regulis ad inveniendum medium, probat Aristoteles; illas esse sufficientes ad inveniendum medium pro omni syllogismo de inesse, tum ostensivo, tum per impossibile et ex hypothesi, tum etiam modali. Primo ergo sic probat traditas regulas sufficere pro omni syllogismo ostensivo de inesse. Regulæ et principia, quæ sufficiunt ad omnes syllogismos ostensivos de inesse, constantes ex tribus terminis et duabus præmissis dispositis in tribus figuris, sufficiunt ad omnes syllogismos ostensivos, cum omnes syllogismi ostensivi debeant esse tales, ut dictum est cap. XXV; sed regulæ traditæ sufficiunt ad omnes syllogismos constantes ex tribus terminis ac duabus præmissis dispositis juxta tres figuras; ergo, etc. Probatur minor, quia omnis syllogismus ostensivus, vel concludit universalem affirmativam in prima tantum figura et primo modo; vel particularem affirmativam in prima et tertia figura; vel universalem negativam in prima et secunda figura; vel particularem negativam in omnibus tribus figuris; sed regulæ prædictæ sufficiunt ad concludendas omnes has conclusiones; ergo, etc. Probatur minor. Ad concludendam enim universalem affirmativam in prima figura et in Barbara, sufficit eligere medium, quod sit consequens subjecti et antecedens prædicati, ut probatum est cap. XXVII, num. 5; ad concludendam particularem affirmativam in tertia figura, sufficit eligere medium, quod sit antecedens subjecti et prædicati, per quod medium conversa minori per accidens, eadem conclusio infertur in prima figura et in Darii, ut probatum est eodem cap. XXVII, num. 6; ad concludendam universalem negativam in Cesare secundæ figuræ, et per conversionem majoris in Celarent primæ figuræ, sufficit medium, quod sit repugnans prædicati et consequens subjecti, ut probatum est ibidem num. 7; ad concludendam particularem negativam sufficit medium, quod sit repugnans prædicati et consequens subjecti, et conclusio sequetur in tertia figura, et per conversionem in prima, ut probatum est ibidem num. 9; ergo traditæ regulæ sufficiunt ad syllogismos ostensivos omnium figurarum; ergo ad omnes omnino syllogismos ostensivos.

13. Ex dictis patere potest id, quod sequitur omnia, adeoque est prædicabile de omnibus, non esse medium aptum ad quidquam concludendum. Probatur, quia non est medium aptum ad inferendam conclusionem affirmativam neque negativam; ergo, etc. Probatur antecedens; est enim prædicabile de omnibus; sed ex medio, quod prædicatur de utroque extremo fit argumentum in secunda figura ex puris affirmativis, ex quo nihil sequi-

tur; ergo, etc. Cum rursus sequatur omnia, de nullo est negabile; ergo non potest ex illo inferri conclusio negativa, ad quam requiritur, ut medium negetur de altero saltem extremo. Quod dictum est, debet intelligi de medio, quod ita sequatur subjectum et prædicatum, ut non simul antecedat.

14. Perspicuum quoque est, alias delectus habendi rationes esse inutiles ad conficiendum syllogismum. Veluti si utrique consequentia eadem sunt, aut ea quibus consequens est τὸ α, et ea quæ non possunt inesse, quia non fit ex his syllogismus. Nam si consequentia sint eadem, ut β et ζ, fit media figura attributivas habens ambas propositiones.

15. Sin eadem sint ea, quibus consequens est τὸ α, et quæ non possunt inesse τῷ ε, ut τὸ γ et τὸ θ, fit prima figura privativam habens minorem propositionem.

16. Si vero eadem sint, quæ neutri inesse possunt, ut τὸ δ et τὸ θ, ambæ propositiones erunt privativæ vel in prima vel in media figura; sic autem nullo modo erit syllogismus.

14. Traditis et probatis regulis de combinationibus utilibus antecedentis, consequentis ac repugnantis subjecto et prædicato, subdit Aristoteles tres regulas de tribus combinationibus inutilibus. *Prima est* : si aliquid pure consequatur subjectum et prædicatum, non est medium aptum ad ullum syllogismum. Probatur, quia consequens, quod pure est consequens, potest solum affirmari universaliter; ergo deberet fieri argumentum in secunda figura ex puris affirmativis, ex quo nihil sequitur.

15. *Secunda regula est :* quod est antecedens prædicati et repugnans subjecti, non est medium aptum ad ullum syllogismum. Ratio est, quia si medium pure antecedit prædicatum, in majori prædicatum universaliter affirmatur de medio; et si medium repugnat subjecto, debet in minori negari de subjecto, vel subjectum de medio, adeoque argumentum erit in prima vel tertia figura ex minori negativa; in prima vero et tertia figura ex minori negativa, nihil sequitur saltem directe.

16. *Tertia regula* est : quod repugnat prædicato et subjecto, non est medium aptum ad ullum syllogismum. Ratio est, quia debet de utroque extremo negari; ergo utraque præmissa debet esse negativa; ex puris vero negativis nihil sequitur.

17. Liquet etiam certa quædam sumenda esse eadem in hac inspectione, non certa quædam diversa aut contraria.

18. Primum quia medii causa est hæc inspectio. Medium autem non diversum sed idem accipere oportet.

19. Deinde in quibus contingit fieri syllogismum eo quod contraria sumpta sint, aut quæ non possunt eidem inesse, omnia reducentur ad prædictos modos. Ut si τὸ β et τὸ ζ sunt contraria vel non possunt eidem inesse. Erit enim his acceptis syllogismus, quo colligetur nulli ε inesse τὸ α. Sed hoc ex his sumptionibus non efficitur, verum ex supra dicto modo, quia τὸ β omni α et nulli ε inerit. Quare necesse est τὸ β idem esse atque aliquod θ.

20. Rursus si τὸ β et η non possunt eidem adesse, concludetur, cuidam ε non inesse τὸ α. Nam ita quoque erit media figura, quia τὸ β omni α et nulli η inerit. Quare necesse est τὸ β idem esse atque aliquod θ, quia hæc nihil inter se differunt, non posse τὸ β ac τὸ η eidem inesse, et τὸ β esse idem atque aliquod θ ; quippe cum in θ sumpta sint, quæcunque τῷ ε inesse nequeunt. Perspicuum igitur, ex his inspectionibus nullum fieri syllogismum. Quod si τὸ β ac τὸ ζ contraria sint, necesse est τὸ β esse idem atque aliquod θ, syllogismumque ex his confici. Iis igitur, qui ita inspiciunt, accidit ut ad viam a necessaria diversam respiciant, quia quandoque latet τὸ β ac τὸ θ idem esse.

17. Examinat deinde alias duas regulas, easque rejicit ut non convenientes. Prima est : si consequens subjecti et prædicati fuerint invicem contraria et extranea, potest concludi universalis negativa. Secunda est : si consequens prædicati et antecedens subjecti fuerint contraria, potest concludi particularis negativa.

18. Impugnat has regulas primo, quia hic quærimus artem inveniendi medium; sed medium debet esse unum, non diversum vel contrarium; ergo tradendæ sunt regulæ explicantes; quid unum debeat sumi pro medio; sed dictæ regulæ non explicant, quid unum debeat sumi pro medio, sed solum explicant, quæ conclusio possit inferri, si consequens subjecti et prædicati, vel consequens subjecti et antecedens prædicati sint contraria; ergo prædictæ regulæ sunt inconvenientes.

19. Secundo eatenus accidit, quod si consequens subjecti et prædicati sint contraria, concludi possit universalis negativa; et si consequens prædicati et consequens subjecti sint contraria vel extranea, concludi possit particularis negativa, quatenus eo ipso verificantur regulæ jam traditæ; ergo istæ duæ regulæ eatenus sunt utiles, quatenus reducuntur ad jam traditas. Probatur antecedens; primo

enim eatenus accidit, quod si consequens subjecti et prædicati sunt contraria vel extranea, concludi possit universalis negativa, quatenus eo ipso idem, quod consequitur unam extremitatem, repugnabit alteri extremitati, quam sequitur suum contrarium vel extraneum; quod enim repugnat consequenti, repugnat etiam antecedenti, eo pacto, quod id, quod repugnat animali, quod animal consequitur hominem, repugnat etiam homini; — sed eo ipso, quod ad aliquid sequatur unum contrariorum vel extraneorum, repugnat illi alterum contrariorum atque extraneorum; ergo prima regula reducitur ad regulas inveniendi medium concludendi universalem negativam, quæ regula est, ut idem alteri extremo sit extraneum, alteri consequens. Explicatur in terminis veris; ad *hominem* sequitur *rationale,* ad *equum irrationale,* quæ duo sunt contraria vel extranea; idcirco potest inferri universalis negativa, quod nullus homo sit equus in Camestres, sumendo pro medio irrationale et dicendo : *omnis equus est irrationalis; nullus homo est irrationalis; ergo nullus homo est equus;* sed eo ipso irrationale consequitur prædicatum, quod est equus et repugnat subjecto, quod est homo; ergo verificatur quarta regula pro conclusione universali negativa in Camestres. Eadem conclusio potest inferri in Cesare, sumendo pro medio *rationale* ac dicendo : *nullus equus est rationalis; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est equus;* sed eo ipso *rationale* repugnat prædicato et consequitur subjectum, adeoque verificatur tertia regula ad concludendam universalem negativam in Cesare, quæ regula tradita est cap. II, seu XXVIII, num. 8; ergo eatenus si consequens prædicati et subjecti sint contraria vel extranea, potest inferri conclusio negativa universalis, quatenus accidit verificari tertiam et quartam regulam a nobis positam.

20. Tertio eatenus verificatur secunda regula, quod si consequens prædicati et antecedens subjecti sunt contraria vel extranea, infertur conclusio particularis negativa, quatenus eo ipso idem erit antecedens subjecti et repugnans prædicati, adeoque verificatur quinta regula probata cap. XXVIII, num. 9. Quod enim repugnat consequenti, repugnat etiam antecedenti, ut dictum est num. 19; sed antecedens subjecti repugnat consequenti prædicati; ergo antecedens subjecti repugnat prædicato; ergo eo ipso verificatur quinta regula, quod ad concludendam particularem negativam, debet sumi medium, quod medium sit repugnans prædicati et antecedens subjecti; ergo etiam secunda regula eatenus est utilis, quatenus accidit verificari quintam regulam pro conclusione particulari negativa. In terminis veris, ad hominem sequitur intellectuale; ad animal antecedit irrationale; irrationale autem est contrarium vel extraneum intellectuali, ideo potest inferri particularis negativa, quod *aliquod animal non est homo*, dicendo in Felapton : *nullum irrationale est homo; omne irrationale est animal; ergo aliquod animal non est homo.* Eo enim ipso, quod irrationale repugnat intellectuali, quod est consequens ad hominem, repugnat homini; quia quod repugnat consequenti, repugnat antecedenti; sed irrationale est antecedens subjecti, quod est animal; ergo idem est antecedens subjecti et repugnans prædicati, quæ est quinta regula ad concludendam particularem negativam. Aristoteles tamen aliter procedit. Dicit enim, quod si consequens prædicati et antecedens subjecti repugnant invicem, quia quod repugnat antecedenti, repugnat partialiter consequenti, eo pacto, quo id, quod repugnat homini, repugnat partialiter alicui animali, consequens prædicati repugnabit partialiter subjecto; ergo idem erit consequens prædicati et repugnans partialiter subjecto; sed consequens potest prædicari universaliter de antecedente, repugnans potest negari partialiter de eo, cui repugnat; ergo poterit fieri syllogismus in Barocco, in quo idem B H prædicetur universaliter de prædicato A, negetur particulariter de subjecto E, dicendo : *omne A est B, H; aliquod E non est B H; ergo aliquod E non est A;* ergo jam verificatur proportionaliter quarta regula, quod si idem sit consequens prædicato et partialiter extraneum subjecto, potest inferri particularis negativa prædicati de subjecto. In terminis veris, ad hominem sequitur intellectuale, ad animal antecedit irrationale, irrationale vero et intellectuale repugnant invicem. Quod repugnat antecedenti, repugnat partialiter consequenti; sed intellectuale repugnat irrationali, quod est antecedens ad animal; ergo intellectuale repugnat partialiter animali; ergo jam juxta quartam regulam proportionaliter acceptam, idem intellectuale est consequens prædicati, quod est

homo, et partialiter repugnans subjecti. quod est animal; ergo idem intellectuale potest universaliter affirmari de homine, et particulariter negari de animali. dicendo in Barocco : *omnis homo est intellectualis; aliquod animal non est intellectuale; ergo aliquod animal non est homo;* ergo in tantum si consequens prædicati et antecedens subjecti repugnent invicem, potest inferri particularis negativa prædicati de subjecto, in quantum verificantur regulæ antea traditæ, hoc est in quantum verificatur proportionaliter quarta regula, si sumatur pro medio consequens prædicati; et in quantum verificatur quinta regula, si sumatur pro medio antecedens subjecti, ut explicatum est; ergo duæ regulæ eatenus sunt utiles, quatenus reducuntur ad quinque primas, cum per duas regulas non explicetur unitas medii; ergo primæ quinque regulæ sunt magis convenientes et immediatæ.

21. [29] Eodem autem modo habent syllogismi ad impossibile ducentes, quo ostenvisi. Nam hi quoque fiunt per consequentia et ea quæ utrumque sequitur. Eademque est in utrisque inspectio. Quod enim demonstratur ostensive, etiam per impossibile probari potest, et quidem per eosdem terminos. Item quod probatur per impossibile, etiam ostentive confirmari potest. Verbi causa probatur τὸ α nulli ε inesse. Ponatur enim cuidam inesse. Cum igitur τὸ β insit omni α ac τὸ α cuidam ε, τὸ β inerit cuidam ε. Sed nulli inerat Rursus probatur alicui inesse, quia si nulli ε insit τὸ α, omni autem η τὸ ε, certe nulli η inerit τὸ α. Sed omni inerat. Similiter fit etiam in aliis problematis. Semper enim et in omnibus demonstratio, quæ fit per impossibile, conficitur ex consequentibus et iis quæ utrumque sequitur. Ac sane in quoque problemate eadem est inspectio, sive quis ostensive ratiocinari velit sive ducere ad impossibile, quoniam ex iisdem terminis ambæ demonstrationes constant. Exempli gratia, ostensum sit nulli ε inesse τὸ α, quia contingit ut τὸ β insit cuidam ε, quod est impossibile. Si accipiatur nulli ε et omni α inesse τὸ β, perspicuum est, nulli ε τὸ α inesse. Rursus ostensive conclusum sit τὸ α nulli ε inesse. Si cui supponatur inesse, per impossibile ostendetur nulli inesse. Similiter fit etiam in aliis. In omnibus enim necesse est accipere communem aliquem terminum diversum a terminis subjectis, ad quem referetur syllogismus falsum concludens. Quare conversa hac propositione, altera vero eadem manente, syllogismus erit ostensivus ex iisdem terminis.

22. Differt autem ostensivus ab eo, qui ducit ad impossibile, quia in ostensivo secundum veritatem ponuntur ambæ propositiones, in eo vero qui ducit ad impossibile, una falso ponitur. Hæc igitur erunt magis perspicua ex sequentibus, ubi de impossibili dicemus. Nunc id tantum nobis constet, ad hæc respiciendum esse, sive quis ostensive ratiocinari velit, sive ducere ad impossibile.

21. Postquam Aristoteles ostendit regulas traditas sufficere pro inventione medii ad syllogismos ostensivos, ostendit easdem sufficere pro inventione medii ad cæteros syllogismos per impossibile, ex hypothesi et modales. *Primo* ergo sic probat sufficere ad syllogismos per impossibile. Quod demonstratur per impossibile, demonstratur ostensive et in iisdem terminis, atque e converso quod demonstratur ostensive, demonstratur per impossibile; sed quod demonstratur ostensive, demonstratur sumendo medium, quod sit antecedens vel consequens vel repugnans prædicati et subjecti, secundum dictas regulas; ergo etiam quod demonstratur per impossibile, demonstratur sumendo medium, quod sit antecedens vel consequens prædicati vel subjecti, secundum prædictas regulas. Major probatur inductione; primo sit demonstranda per impossibile hæc universalis negativa ; *nullus homo est equus.* Sumitur pro hypothesi ejus contradictoria, quæ est : *aliquis homo est equus*, et ex ea, cum alia propositione manifeste vera, infertur conclusio manifeste impossibilis sic : *omnis equus est irrationalis; aliquis homo est equus ex hypothesi; ergo aliquis homo est irrationalis; sed hoc est manifeste impossibile; ergo falsum est, quod aliquis homo sit equus; ergo vera est contradictoria, quod nullus homo est equus.* Eodem pacto demonstratur per impossibile particularis affirmativa, ex. gr., quod *aliquod animal est intellectuale.* Sumitur enim pro hypothesi contradictoria, quod *nullum animal est intellectuale;* subjungitur minor manifeste vera : *omnis homo est animal,* — et infertur : *ergo nullus homo est intellectualis ; sed hoc est manifeste impossibile, siquidem omnis homo est intellectualis; ergo falsa est hypothesis, quod nullum animal sit intellectuale; ergo vera est contradictoria quod aliquod animal est intellectuale.* Proportionali modo probantur per impossibile universalis affirmativa et particularis negativa. Jam per eosdem terminos potest fieri syllogismus ostensivus ejusdem conclusionis, sumendo loco conclusionis impossibilis contradictorium ejus atque illud conjungendo cum altera præmissarum verarum. Ex. gr., hæc conclusio;

nullus homo est equus, probatur ostensive sumendo contradictoriam conclusionis impossibilis, quæ conclusio impossibilis fuit: *aliquis homo est irrationalis*, illamque conjungendo cum majori vera sic: *omnis equus est irrationalis; nullus homo est irrationalis; ergo nullus homo est equus.* Rursus hæc particularis affirmativa: *aliquod animal est intellectuale*, probatur ostensive, sumendo contradictoriam conclusionis impossibilis, quæ conclusio fuit: *ergo nullus homo est intellectualis*, illamque conjungendo cum minori manifeste vera sic: *aliquis homo est intellectualis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale;* ergo universaliter sumendo contradictoriam propositionis impossibilis, et conjungendo illam cum præmissa vera, concluditur ostensive eadem vera conclusio. Et e converso sumendo contradictoriam conclusionis veræ cum altera præmissa, concluditur impossibile; ergo quod concluditur per impossibile, potest idem concludi ostensive in iisdem terminis; ergo sicut syllogismus ostensivus fit sufficienter per regulas traditas, sic per illas fit sufficienter syllogismus ad impossibile, adeoque regulæ traditæ sufficiunt etiam pro syllogismo ad impossibile, quod erat probandum.

22. Ex dictis universaliter patere potest differentia inter syllogismum ostensivum et per impossibile. In ostensivo sumitur utraque præmissa vera, et infertur directe conclusio vera; in syllogismo per impossibile sumitur altera præmissa vera, altera falsa, quæ est contradictoria conclusioni, quæ directe concluditur ostensive, et infertur conclusio manifeste impossibilis, ut magis explicabitur inferius lib. II, cap. II, cum de syllogismo per impossibile agetur ex professo. Nunc sufficit quod in utroque ad inveniendum medium debent considerari antecedentia, consequentia et repugnantia extremitatibus, ut est probatum.

23. Quod attinet ad alios syllogismos, qui fiunt ex hypothesi, veluti secundum transsumptionem aut secundum qualitatem, consideratio posita est in terminis subjectis, id est non in sumptis ad initio, sed in transsumptis. Modus autem inspectionis est idem. Considerare autem oportet ac divisione explicare, quot modis fiant syllogismi ex hypothesi. Sic igitur quodvis problema probatur.

24 Sed et alio modo licet horum nonnulla concludere, ut universalia per inspectionem particularem. Idque ex hypothesi. Nam si γ et η sint eadem, accipiaturque, solis η τὸ ε inesse, omni ε τὸ α inerit. Rursus si δ et η sint eadem. ac solis η τὸ ε attribuatur, concludetur nulli ε τὸ α inesse. Apparet igitur hoc etiam modo esse inspiciendum.

25. Eodem modo fit et in necessariis et contingentibus. Est enim eadem consideratio, et per terminos eodem ordine dispositos fit syllogismus de eo quod inest et de contingenti. In contingentibus autem accipienda sunt etiam quæ non insunt, sed possunt inesse, quippe cum ostensum fuerit, etiam ex his fieri syllogismum de contingenti. Similis ratio est aliarum attributionum.

23. *Secundo* probat universim Aristoteles, quod omnes syllogismi ex hypothesi fiunt sumendo medium juxta regulas traditas. Syllogismus ex hypothesi procedit sic: supponit, quod si est unum, est aliud; syllogizat unum, et ex conclusione unius transit ad concludendum aliud. Ex. gr., supponit, quod si album disgregat, nigrum congregat; syllogizat, quod album disgregat visum; et ex hac conclusione syllogizata, quæ conclusio est: *ergo album disgregat*, — concludit aliam, quæ est: *ergo nigrum congregat visum.* Arguendo hoc pacto, debet sumi medium juxta regulas traditas ad concludendam conclusionem transumptam, a qua nimirum transitur ad aliam conclusionem; ergo universim in syllogismo ex hypothesi debet sumi medium juxta regulas traditas. Innuit autem Aristoteles duplicem esse syllogismum ex hypothesi, alium secundum transumptionem, alium secundum qualitatem subjecti. Syllogismus secundum transumptionem est, in quo syllogizatur magis notum, et transitur ad minus notum; syllogismus secundum qualitatem subjecti est, in quo supponendo, quod quale est unum subjectum, tale est aliud, syllogizatur de uno, et transitur ad concludendum de alio; ex. gr., supponitur quod qualis est una anima rationalis, talis est alia; syllogizatur, quod una est immortalis, et transitur ad concludendum, quod etiam alia est immortalis. Quia vero conclusiones transumptæ, a quibus nimirum transitur ad alias, possunt esse vel universales affirmativæ, vel universales negativæ, etc., ideo ad ipsas concludendas applicandæ sunt quinque regulæ traditæ.

24. Advertit Aristoteles, quod aliquando per regulam concludendi particulares possunt etiam concludi universales ex quadam hypothesi. Ex. gr., est regula

concludendi particularem affirmativam, si medium sit antecedens prædicati et subjecti. Si igitur supponatur, quod medium ita sit antecedens subjecti, ut sit convertibile cum subjecto, concludetur etiam per tale medium universalis affirmativa; ex. gr., rationale antecedit tum animal tum hominem, ideo valet in Darapti: *omne rationale est animal; omne rationale est homo: ergo aliquis homo est animal.* At quia rationale ita antecedit hominem, ut sit convertibile cum homine, poterit minor converti universaliter, dicendo: *omnis homo est rationalis;* et sic sequetur in Barbara hæc universalis affirmativa: *ergo omnis homo est animal;* ergo ex suppositione, quod medium ita antecedat prædicatum et subjectum, ut sit convertibile cum subjecto, potest per idem medium concludi non solum particularis, sed etiam universalis affirmativa. Rursus est regula, quod si medium sit repugnans prædicati et antecedens subjecti, concluditur particularis negativa prædicati de subjecto, at si medium ita sit repugnans prædicati et antecedens subjecti, ut sit convertibile cum subjecto, concludetur etiam universalis negativa prædicati de subjecto. Ex. gr., quia rationale ita repugnat equo, ut sit antecedens respectu hominis, potest concludi, quod aliquis homo non sit equus, dicendo in Felapton: *nullum rationale est equus; omne rationale est homo, ergo aliquis homo non est equus.* At quia rationale est convertibile cum homine, potest minor converti in hanc: *omnis homo est rationalis*, et tunc sequetur in Celarent universalis negativa: *ergo nullus homo est equus;* ergo ex suppositione, quod antecedens subjecti sit convertibile cum subjecto, si medium sit repugnans prædicati et antecedens subjecti, potest inferri non solum particularis negativa, sed etiam universalis negativa.

25. Demum probat Aristoteles, quod etiam ad syllogismos modales de necessario vel contingenti, medium invenitur per traditas regulas, ita ut medium debeat comparari cum extremis tanquam consequens, antecedens vel repugnans. Advertit autem, quod contingens debet sumi pro possibili non necessario, ut explicatum est supra. Concludit idem proportionaliter dicendum de aliis modis, cujusmodi sunt modi possibilis, impossibilis etc.

CAPUT II vel XXVIII. — ART. III

DE NECESSITATE TRADITARUM REGULARUM AD INVENIENDUM MEDIUM, ET QUOMODO DESERVIANT OMNIBUS DISCIPLINIS.

26. Ex dictis non solum constat, hac via posse confici omnes syllogismos, sed etiam alia via non posse. Ostensum namque est, omnem syllogismum fieri in aliqua ex supra dictis figuris; hæ vero ex aliis constitui nequeunt quam ex consequentibus et cujusque rei antecedentibus, quandoquidem ex his propositiones efficiuntur et medius terminus accipitur. Quare syllogismus per alia fieri non potest.

27. [30] Omnium itaque via est eadem tum in philosophia tum in arte qualibet atque disciplina; oportet enim quovis problemate proposito ea colligere, quæ insunt et quæ subjiciuntur, horumque copiam quam maximam habere, atque hæc per tres terminos considerare, hoc modo si evertatur, illo si adstruatur. Et veritatis quidem causa ex iis ratiocinari, quæ vere inesse describuntur, ob dialecticos autem syllogismos ex propositionibus probabilibus. Principia syllogismorum universalia dictum est quomodo se habeant et quomodo ea venari oporteat, ne respiciamus ad ea omnia quæ dicuntur neque ad eadem confirmantes et evertentes neque confirmantes de omni vel de aliquo, et evertentes in totum vel ex parte, sed respiciamus ad pauciora et definita,

26. Postquam Aristoteles ostendit, traditas regulas esse sufficientes ad inveniendum medium, per quod probentur omnes conclusiones, probat eas esse ita necessarias, ut nulla conclusio probari possit, nisi per medium, de quo verificentur dictæ regulæ. Probat autem sic: omnis syllogismus inferens quamcumque conclusionem, debet disponi in aliqua ex tribus figuris; sed in omni syllogismo disposito in tribus figuris, medium necessario ordinatur secundum dictas regulas; ergo in omni syllogismo medium necessario ordinatur secundum dictas regulas. Probatur minor, quia in syllogismo disposito in aliqua figura, medium predicatur aut subjicitur, affirmatur aut negatur universaliter vel particulariter; sed ut sic affirmetur aut negetur etc., debet se habere ut consequens vel antecedens, vel repugnans respectu terminorum; ergo necesse est, ut medium ordinetur secundum dictas regulas, et impossibile est, ut ordinetur præter dictas regulas.

27. Hinc infert, traditam artem inveniendi medium esse communem Philosophiæ seu Metaphysicæ, artibus rationalibus, scientiis mathematicis et naturalibus

et universim omnibus facultatibus probantibus conclusiones ex aliquibus principiis. Posito enim, quod professores talium facultatum habeant copiam principiorum et conclusionum probandarum, possunt per traditam artem invenire, per quod medium et per quæ principia probandæ sint conclusiones singulæ, construendo syllogismos ex tribus terminis, sic et sic se habentibus. Per hanc etiam artem possunt determinare, quod medium sit assumendum ad evertendum et impugnandum; quod medium ad construendum et probandum; et quod ad demonstrandum debent sumi principia vera et certa; ad probabiliter concludendum principia probabilia et recepta. Concludit, satis esse explicata principia syllogismorum, et satis traditam methodum ad illa invenienda, ne semper vagemur per omnia, sed nos restringamus ad aliqua pauca determinata, per quæ possit ostendi conclusio proposita.

28. Circa singulas autem res oportet eligere, ut de bono vel scientia. Propria vero principia in quaque scientia permulta sunt. Idcirco experientiæ proprium est, cujusque rei principia tradere. Verbi gratia astrologia experientia suppeditat principia astrologicæ scientiæ. Sufficienter enim acceptis iis quæ apparent, ita inventæ sunt astrologicæ demonstrationes. Similiter res habet in quavis alia arte et scientia. Quocirca si accepta fuerint quæ insunt circa quamque rem, nostrum jam erit prompte demonstrationes edere. Nam si nihil, quod ad historiam attinet, prætermissum fuerit ex iis quæ vere insunt rebus, poterimus de omni re, cujus est demonstratio, eam invenire ac demonstrare; si quid autem natura ita sit comparatum, ut demonstrari nequeat, id ipsum palam facere. Ergo universaliter quomodo propositiones eligere oporteat, fere dictum est. Exquisite autem hac de re egimus in eo tractatu, qui ad Dialecticam pertinet.

28. Addit, quod in singulis materiis quærendum est medium inter principia propria illarum. Sunt autem multa propria principia scientiarum, quæ nota sunt illarum professoribus; ex. gr., principia astrologica stabilita sunt longa experientia et observatione, ac nota sunt peritis astronomis, ex iisque desumi debet medium ad probandas conclusiones astrologicas. Idem dic de principiis aliarum facultatum. Posito igitur, quod quis jam teneat principia propria rerum, potest per artem traditam ex iis demonstrationes concludere, eligendo media et principia ad conclusiones propositas probandas juxta traditas regulas. Si enim jam quis per scientias sciverit principia illarum propria, et per hanc artem sciverit ex illis medium seligere et demonstrationes construere, poterit conclusiones scibiles demonstrare, et poterit etiam advertere, quæ conclusiones sint indemonstrabiles ex eo, quod non habeamus principia ad illas concludendas necessaria. Concludit Aristoteles satis hic explicatum in genere, quo pacto eligendæ sint propositiones et præmissæ ad conclusiones propositas probandas, cum de his magis specialiter et exacte agendum sit in Topicis.

CAPUT III VEL XXIX

DE SYLLOGISMO PER VIAM DIVISIONIS, ET AN PER ILLUM PROBARI POSSINT OMNES CONCLUSIONES, PRÆSERTIM DE DEFINITIONE AC DE PRÆDICATIS DEFINITIVIS.

1. [31] Divisionem autem, quæ per genera fit, esse parvam particulam hujus methodi, facile est videre. Divisio namque est velut imbecillus syllogismus; petit enim quod ostendere oportet, semper autem concludit aliquid ex superioribus. Primum autem hoc ipsum latuit omnes ea utentes, conatique sunt persuadere demonstrationem de substantia fieri posse et quid res quæpiam sit. Quare neque intellexerunt, quid ii, qui dividunt, concludant, neque intellexerunt, id eo quo diximus modo fieri. In demonstrationibus igitur, cum concludendum est aliquid inesse, opus est ut medium, per quod fit syllogismus, semper minus sit primo extremo, non de eo universaliter dicatur. E contrario divisio sumit universale pro medio termino. Sit enim animal ubi α, mortale ubi β, immortale ubi γ, homo cujus definitionem accipere oportet ubi δ. Sumit igitur omne animal esse aut mortale aut immortale, hoc autem est quodcumque est α, id omne esse aut β aut γ. Rursus qui dividit, semper ponit hominem esse animal; unde accipit τὸ α dici de δ. Ergo syllogismo concluditur omne δ esse aut β aut γ. Proinde sumere oportet hominem aut esse mortalem aut immortalem, siquidem necesse est animal esse aut mortale aut immortale. Mortalem autem esse non est necessarium, sed petitur. Hoc vero est quod concludere oportebat. Rursus ponens τὸ α animal mortale, ubi β, pedestre ubi γ, expes hominem autem τὸ δ, itidem accipit. Nam sumit α aut esse in β aut in γ, (omne enim animal mortale aut est pedestre aut expes), de δ autem dici τὸ α (sumpsit enim hominem esse animal mortale); quare necesse est hominem esse animal pedestre aut bipes. Pedestre autem esse non est necessarium, sed sumitur. Hoc vero erat quod oportebat rursus probare. Atque hoc modo semper accidit, ut dividentes universale quidem constituant medium, id vero de quo oportet

ostendere ac differentias extrema. Ad postremum nihil plane dicunt, cur necesse sit hoc esse hominem, aut quodvis aliud de quo quæritur. Etenim quamvis aliam viam persequuntur ne suspicantes quidem esse eas copias, quæ revera parari possunt.

Postquam Aristoteles tradidit artem probandi omnes conclusiones propositas, rejicit errorem quorumdam antiquorum, qui dixerunt, totam hanc artem comprehendi in divisione et in via divisiva. Impugnat hunc errorem sic : divisio comprehendit parvam aliquam particulam hujus artis probativæ conclusionum propositarum; ergo male dixerunt antiqui, quod tota ars probativa reducitur ad divisionem. *Probatur antecedens.* Ad artem probativam requiritur, ut per ipsam possit necessario probari omnis conclusio proposita; sed per divisionem construitur syllogismus infirmus et inefficax ad probandas pæne omnes conclusiones propositas; ergo divisio comprehendit solum quamdam parvam particulam artis probativæ. Probatur minor ; pæne omnes conclusiones propositæ sunt vel affirmativæ definitionum et differentiarum essentialium, vel affirmativæ prædicatorum genericorum, vel accidentium propriorum, vel accidentium communium, vel negativæ et remotivæ prædicatorum extraneorum subjectis non convenientium; sed procedendo per viam divisionis hæc non probantur, sed petuntur, probatur vero solum aliquid his superius et communius; ergo per viam divisionis construitur syllogismus infirmus et inefficax ad probandas pæne omnes propositas conclusiones. Probatur minor per singulas partes; et primo, quod per viam divisionis non probantur definitiones et differentiæ essentiales, quas definitiones per divisionem demonstrari censuerunt antiqui, non advertentes concludi solum aliquid superius, quod vero esset probandum, peti, adeoque peti principium. Ad probandam conclusionem universalem affirmativam, medium debet esse minus late patens, saltem non debet esse magis late patens quam majus extremum, cum non possit universalis affirmativa probari nisi in Barbara, in qua medium debet subjici universaliter majori extremo, adeoque non potest esse universalius majori extremo; sed procedendo per viam divisionis, medium semper latius patet majori extremo, cum in illud dividatur; ergo procedendo per viam divisionis non concluditur intentum, sed concluditur aliquid superius intento, intentum vero petitur. Probantur et explicantur major et minor exemplis. Probari debet de homine ejus definitio, explicans differentias essentiales hominis, quæ definitio sit : *animal, mortale, habens pedes.* Per viam divisionis sic primo probabant hominem esse mortalem : *omne animal vel est mortale vel immortale ; sed homo est animal ;* ex hoc syllogismo non sequitur conclusio intenta, quod *homo sit mortalis,* sed solum sequitur aliquid superius tali conclusione, quod nimirum *homo vel sit mortalis vel immortalis;* ergo *quod homo sit mortalis* per viam divisionis non probatur, sed peti debet, solum vero probatur aliquid superius conclusione probanda, quod nimirum homo vel sit mortalis vel immortalis. Ratio vero est, quia medium est genus divisum, hoc est animal, quod cum sit superius mortali, non potest concludere mortale. Procedebant deinde ad probandum, quod homo sit pedatus sic : *omne mortale vel est pedatum vel impedatum ; sed homo est mortalis;* ex hoc non sequitur, quod homo sit pedatus, sed quod vel sit pedatus vel impedatus ; ergo similiter conclusio proposita non probatur, sed petitur, probatur vero aliquid superius ex eadem ratione, quia sumitur medium superius et universalius majori extremo; ergo patet, quod cum dicerent, non esse aliam viam probandi, semper argumentabantur hoc pacto, adeoque semper petebant principium et concludebant aliquid superius conclusione probanda; ergo per viam divisionis probari non possunt definitiones et differentiæ essentiales rerum.

2. Perspicuum autem est nec everti hac methodo posse,

3. neque de accidente aut proprio quidpiam concludi, neque de genere neque de his quæ ignoramus, utrum hoc an illo modo se habeant, veluti utrum diameter communem mensuram habeat an non habeat. Nam si accipiat omnem longitudinem aut habere aut non habere communem mensuram, dimentientem vero esse longitudinem, colliget dimetientem habere aut non habere communem mensuram. Quod si accipiat habere communem mensuram, id accipiet quod syllogismo probare oportebat. Non potest igitur probari quod erat probandum. Nam via est hæc qua probari nequit. Habens aut non habens communem mensuram sit ubi α, longitudo ubi β, dimetiens ubi γ. Perspicuum igitur est nec ad omnem inspectionem aptari hunc inquirendi modum, nec in iis esse utilem quibus

maxime videtur convenire. Ex quibus igitur demonstrationes fiant et quomodo, et ad quæ respiciendum sit in quoque problemate, perspicuum est ex iis quæ dicta sunt.

2. Quod per viam divisionis non possint probari conclusiones negativæ et destructivæ, patet, quia dividendo ac dicendo : *vel est hoc, vel illud,* sicut non concluditur affirmativa unius partis determinatæ, sic nec concluditur remotiva et negativa alterius.

3. Demum probatur, quod neque possit probari affirmativa prædicatorum genericorum et accidentalium propriorum vel communium, etc. Sit enim probandum, quod *diameter quadrati est incommensurabilis costæ* — per divisionem sic deberet procedi : *omnis linea vel est commensurabilis vel incommensurabilis alteri lineæ ; diameter est linea ; ergo diameter vel est incommensurabilis vel est commensurabilis costæ ;* quod vero sit incommensurabilis, nisi aliunde probetur, non concluditur per argumentum ex divisione, sed petitur; ergo per viam divisionis nulla pæne conclusio concludi potest, sed concluditur aliquid superius, quod vero probandum esset non probatur, sed petitur, adeoque petitur principium ; ergo divisio est quædam parva particula artis probativæ, cum etiam sit inefficax ad probandas definitiones, quas per divisionem præcipue demonstrari censuerunt antiqui. Concludit Aristoteles, jam esse satis explicatum, ex quibus et quomodo fiant demonstrationes, et quæ sint specialiter consideranda ad inveniendum medium, per quod concludatur quælibet conclusio responsiva quibuslibet quæstionibus.

SECTUM III

DE REDUCTIONE RATIONUM INORDINATARUM IN FORMAM SYLLOGISTICAM

CAPUT I vel XXX. — ART. I

DE REGULIS REDUCENDI RATIONES INORDINATAS IN FORMAM SYLLOGISTICAM.

1. [32] Post hæc dicendum est, quomodo reducamus syllogismos ad supra dictas figuras. Hoc enim reliquum adhuc est ex tractatione proposita. Nam si structuram syllogismorum intelligamus et inveniendi facultatem habeamus, præterea syllogismos confectos resolvamus in prædictas figuras, perductum ad finem erit, quod explicare ad initio instituimus. Simul autem eveniet, ut antea dicta confirmentur et magis perspicue constet, ea sic se habere, ex iis quæ nunc dicenda sunt. Quidquid enim est verum, opus est ut ipsum secum omni ex parte consentiat.

1. Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto sint construendi syllogismi, et quo pacto sit inveniendum medium, descendit ad explicandum, quo pacto rationes inordinatæ reduci possint in formam syllogisticam. Præmittit hanc tractationem esse utilem ad duo : primo ad hoc, ut per illam absolvatur ars syllogizandi. Ut enim quis habeat perfectam artem syllogizandi, debet scire tria : primo, quo pacto, et ex quibus propositionibus ac terminis et qua ratione dispositis fieri possit omnis syllogismus ; secundo per quas regulas possit inveniri medium ad faciendum syllogismum probativum cujuslibet propositæ conclusionis ; tertio demum, quo pacto rationes inordinatæ reduci possint in formam syllogisticam ; ergo cum duo priora jam sint explicata, determinatio tertii, erit utilis ad artem syllogisticam absolvendam ac perficiendam. Secundo hæc tractatio est utilis ad confirmandam totam doctrinam superius traditam de syllogismis. Cum enim proprietas veri sit, ut illi omnia consonent, ex consonantia totius doctrinæ, apparebit veritas totius doctrinæ.

2. Primum igitur niti oportet ut duæ syllogismi propositiones excipiantur. Facilius est enim in majora dividere quam in minora, majora autem sunt composita quam ea ex quibus componuntur.

3. Deinde oportet inspicere, utra sit in toto, utra in parte. Et si ambæ propositiones sumptæ non sint, altera supplenda est. Nam qui scribunt aut interrogant, interdum universalem proponentes, alteram quæ in ea continetur non accipiunt, aut has quidem proponunt, sed ea omittunt per quas hæ concluduntur, et alia frustra interrogant. Videndum igitur est, an quid supervacuum acceptum sit vel necessarium prætermissum. Et hoc quidem adjici debet, illud vero adimi, donec ad duas propositiones perveniatur. Etenim sine his haud reduci possunt orationes ita rogatæ. In quibusdam igitur facile est videre quod deest. Nonnullæ autem obscuræ snnt ac videntur esse syllogismi, quia necessario aliquid accidit ex iis quæ posita sunt. Ut si sumptum sit, non sublata substantia non tolli substantiam, iis autem ex quibus res est sublatis, interimi quod ex his constat. His enim positis sane est necesse partem substantiæ esse substantiam, non tamen syllogismo conclusum est ex iis quæ sumpta sunt, sed propositiones desunt. Rursus si cum est homo necesse est animal esse et cum est animal esse substantiam, certe cum est homo, necesse est esse substantiam, Sed nondum syllogismus exstructus est, quia propositiones non ita se habent, ut diximus. In his autem ideo decipimur, quia necessarium quidpiam accidit ex his quæ posita sunt, cum syllogismus quoque sit res necessaria. Sed latius patet res necessaria, quam syllogismus, quoniam omnis syllogismus est res necessaria, non omnis autem res necessaria est syllogismus. Quamobrem non continuo, si quid positis quibusdam accidit, tentanda est reductio, sed primum accipiendæ sunt duæ propositiones. Ita deinde facienda est divisio in terminos. Ex terminis autem is, qui in ambabus propositionibus dicitur, pro medio haberi debet, quandoquidem necesse est medium in ambabus propositionibus inesse, idque in omnibus figuris. Si igitur medium alii et aliud medio attribuatur, aut ipsum alii attribuatur, aliud vero de eo negetur, erit prima figura. Si vero et attribuatur et negetur ab aliquo, erit media figura. Quodsi alia ei attribuantur, aut aliud negetur aliud attribua-

tur, erit ultima figura. Sic enim disponebatur medium in singulis figuris. Similiter autem fit etiam si propositiones non sint universales : eadem namque est definitio medii.

2. Ut igitur aliqua ratio inordinata reducatur in formalem syllogismum, qui formalis syllogismus constare debet ex duabus præmissis, et tribus terminis certo modo dispositis, primo conandum est talem rationem reducere in duas præmissas ; deinde conandum est, præmissas reducere in tres terminos, ac terminos ordinare iu figuram et modum. Ratio vero, cur prius facienda sit reductio in præmissas quam in terminos, est, quia incipiendum est a reductione faciliori ; sed facilior est resolutio totius in partes majores quam in minores ; præmissæ vero sunt partes majores syllogismi, termini sunt partes minores ; ergo prius facienda est reductio in duas præmissas, deinde præmissæ reducendæ sunt in tres terminos.

3. Sumptis igitur duabus præmissis, quia ad hoc, ut faciant syllogismum, altera debet esse universalis ac debet sumere, quod aliquid affirmatur aut negatur de omni ; altera debet sumere aliquid contentum sub illo universali, curandum est, ut dictæ præmissæ sic se habeant. Quia vero tum qui scribunt seu describunt figuras, ut Mathematici aliique demonstrantes, tum qui interrogant disputaturi in utramque partem, ut Dialectici, aliquando sumunt unam tantum præmissam, majorem vel minorem, alteram vero præmissam subintelligunt, ideo advertendum est, an omissa fuerit aliqua præmissa, et si quidem omissa fuit, addenda. Quia rursus aliquando disputantes sumunt multas propositiones superfluas ad inferendam propositam conclusionem, tales propositiones sunt auferendæ ad hoc, ut nulla propositio necessaria ad syllogismum desit, nulla non necessaria adsit. Porro aliquando facile est advertere, utrum aliqua propositio desit, aliquando id est difficile. Hæc vero difficultas oriri potest præsertim ex eo, quod sumantur duæ præmissæ, ex quibus necessario sequitur conclusio ; sed syllogismus est oratio constans ex duabus præmissis, ex quibus necessario sequitur conclusio ; ergo tunc videtur nulla præmissa deesse ad syllogismum. Ex. gr., si dicatur : *est impossibile, ut non ablata substantia, tollatur substantia ; sed ablatis partibus perit totum ; ergo partes substantiæ sunt substantia* — videtur hæc oratio esse syllogismus, in quo nulla desit præmissa, quia ex duabus præmissis positis, conclusio sequitur necessario. Similiter dum dicitur : *si est homo est animal ; sed si est animal est substantia ; ergo si est homo est substantia* — videtur esse syllogismus formalis, quia conclusio sequitur necessario ex duabus præmissis ; adhuc tamen neuter est syllogismus formalis, cum in utroque desit aliqua præmissa. Radix erroris est, quia ad syllogismum requiritur quidem, ut sit oratio, in qua ex duabus præmissis necessario sequatur conclusio, sed hoc non sufficit ad syllogismum, sed ulterius requiritur, ut conclusio sequatur ratione formæ, et non solum ratione materiæ, et ut sequatur ratione propositionum positarum, non vero ratione propositionum subintellectarum ; in dictis vero exemplis conclusio sequitur ratione materiæ et ratione propositionum subintellectarum. In primo enim exemplo conclusio illa : *ergo partes substantiæ sunt substantia*, sequitur, quia subintelligitur hæc major : *omne id, quo ablato aufertur substantia est substantia ;* sed posita est minor : *sed ablatis partibus substantiæ aufertur substantia ; ergo partes substantiæ sunt substantia.* Cum ergo possit ex aliqua oratione sequi necessario conclusio et tamen talis oratio non esse syllogismus ; non eo ipso, quod proponitur talis oratio, supponi debet, illam esse syllogismum, ac reducenda est in aliquam figuram, sed primo sumendæ sunt duæ præmissæ, deinde tales præmissæ resolvendæ sunt in suos terminos ; et siquidem aliquis terminus invenitur in utraque præmissa, talis terminus erit medium, cum medium sit, quod ponitur in utraque præmissa. Si hoc medium de altero duorum extremorum prædicetur, respectu alterius extremi subjiciatur, erit prima figura ; si hoc medium de utroque extremo prædicetur, erit secunda figura ; si hoc medium sit subjectum, de quo utrumque extremum prædicetur, erit tertia figura, ut patet ex doctrina superius tradita de figuris. Eadem ratione investigabitur, quod sit medium, etiamsi præmissæ non sint universales, sed particulares.

4. Perspicuum igitur est, cum in oratione idem sæpius non dicitur, non fieri syllogismum, quia non est sumptum medium.

5. Cum autem habeamus quale problema in quaque figura concludatur, et in qua conclu-

tur universale, in qua particulare, constat non esse ad omnes figuras respiciendum, sed ad cujusque problematis propriam. Cum autem in pluribus figuris concluditur, ex medii collocatione figuram cognoscemus.

4. Ex dictis infertur primo, quod si in aliqua oratione non detur ullus terminus pluries repetitus, talis oratio non erit syllogismus formalis, etiamsi constet ex duabus præmissis, ex quibus necessario sequatur conclusio. Ratio est, quia ad formalem syllogismum requiritur, ut conclusio sequatur ex forma, hoc est ex dispositione medii cum extremis; sed in hac oratione non datur medium, adeoque conclusio non sequitur ex dispositione medii cum extremis: ergo talis oratio non est syllogismus

5. Infertur secundo, quod quia non omnis conclusio potest probari in qualibet figura, sed aliquæ conclusiones probari possunt in una tantum, eo pacto, quo universalis affirmativa probari potest solum in prima figura, ideo ad videndum, in qua figura sit syllogismus, non semper debet discurri per omnes figuras. Aliquando enim ex ipsa conclusione patebit, in qua figura sit. Ex. gr., si conclusio sit particularis affirmativa, patet, syllogismum esse in prima figura, cum talis conclusio non possit inferri in ulla alia figura. Si vero conclusio possit inferri in pluribus figuris, tum ad videndum, in qua figura sit syllogismus, debet considerari, quo pacto medium sit dìspositum cum extremis.

6. [33] Sæpe igitur accidit ut in syllogismis decipiamur ob conclúdendi necessitatem, ut antea dictum est. Interdum vero propter similitudinem collocationis terminorum, quod non oportet nos latere. Ut si τὸ α dicitur de β ac τὸ β de γ; utique enim videbitur terminis ita positis esse syllogismus; sed neque necessarium quidpiam fit, neque syllogismus. Sit enim ubi α, semper esse, ubi β intelligibilis Aristomenes, ubi γ Aristomenes. Verum igitur est τὸ α τῷ β inesse; semper enim est intelligibilis Aristomenes. Item verum est τὸ β τῷ γ inesse, quoniam Aristomenes est intelligibilis Aristomenes. Sed τὸ α τῷ γ non inest, quoniam Aristomenes est interitui obnoxius. Etenim syllogismus non fiebat ita positis terminis, sed opus erat ut sumeretur propositio α β universalis. Hoc vero falsum est, si quis sibi concedi postulet, omnem intelligibilem Aristomenem semper esse. Rursus esto ubi γ Miccalus, ubi β musicus Miccalus, ubi α interire cras. Vere igitur τὸ β τῷ γ attribuitur, quia Miccalus est musicus Miccalus; item τὸ α τῷ β; interierit namque cras musicus Miccalus. Sed α de γ falso dicitur. Hoc itaque exemplum a superiore non differt, quia non est verum universaliter Miccalum musicum cras interiturum; quo non accepto non erat syllogismus. Atque hæc deceptio fit ob exiguum discrimen. Nam ita concedimus quasi nihil differat, utrum dicatur hoc huic inesse, an hoc huic omni inesse.

6. Verum sicut non sufficit, quod ex aliqua ratione sequatur ex necessitate aliqua conclusio, ut talis ratio sit syllogismus, sed requiritur, ut in ea sint duæ præmissæ ac tres termini certo modo dispositi; sic non sufficit, ut in aliqua ratione dentur duæ præmissæ et tres termini certo modo dispositi, ut talis oratio sit syllogismus, sed requiritur, ut ex præmissis sic dispositis necessario sequatur conclusio. Et quia possunt in aliqua ratione tres termini esse similiter dispositi, sicut in syllogismo, et tamen conclusio non sequi ex necessitate, ideo etiam ex hoc capite potest aliqua ratio, quæ non est syllogismus, videri syllogismus. Ex. gr., hæc ratio: *Aristomenes intelligibilis et idealis est perpetuus et incorruptibilis; sed Aristomenes est Aristomenes intelligibilis et idealis; ergo Aristomenes est perpetuus et incorruptibilis*, videtur esse syllogismus, cum extrema sint disposita in prima figura et tamen non est syllogismus, quandoquidem conclusio non sequitur necessario. Præmissæ enim sunt veræ, et tamen conclusio est falsa, cum falsum sit, quod Aristomenes sit perpetuus et incorruptibilis, siquidem est homo mortalis, temporalis et caducus. Ratio, quare non sit syllogismus, est, quia in prima figura major debet esse universalis affirmativa; sed si dicatur, quod *omnis Aristomenes intelligibilis est perpetuus*, major est falsa, cum Aristomenes sit caducus et mortalis; ergo non fit syllogismus. Similiter hæc ratio: *Michalus musicus cras peribit; sed Michalus intelligibilis est Michalus musicus: ergo Michalus intelligibilis cras peribit*, videtur syllogismus, et non est ex eadem ratione, quia major non est universalis, cum non dicatur: *omnis Michalus musicus cras peribit*, neque, *Michalus musicus supponat* universaliter pro omni, quod est ipsum. Advertendum igitur est diligenter, quo pacto sumantur termini; nam si minimum quid erretur in principio, sequuntur maximi errores in processu. Ex hac doctrina nos christiani possumus inferre, etiam juxta Aristotelis principia argumentationes, quibus impugnatur mysterium Trinitatis, esse sophisticas.

CAPUT I vel XXX. — ART. II

DE EXPOSITIONE TERMINORUM COMPLEXORUM ET INCOMPLEXORUM, CONCRETORUM ET ABSTRACTORUM, RECTORUM ET OBLIQUORUM, ET REDUPLICATIVORUM.

7. [34] Sæpe etiam accidit ut decipiamur, quia termini, qui in propositione collocantur, non recte exponuntur. Ut si τὸ α sit sanitas, ubi β morbus, ubi γ homo. Nam vere dicitur τὸ α nulli β inesse posse; nulli enim morbo sanitas inest. Rursus verum est τὸ β omni γ inesse, quoniam omnis homo est susceptivus morbi ; unde videtur consequi, ut nulli homini sanitas inesse possit. Cujus rei causa est, quia non recte expositi sunt termini in dictione. Transmutatis enim vocabulis, quibus habitus significantur, non erit syllogismus, ut pro sanitate si ponatur sanum, pro morbo morbidum seu ægrotum. Non enim vere dixeris, non contingere ut ægroto insit sanum esse. Quo non accepto non fit syllogismus nisi contingentis ; quod sane non est impossibile ; contingit enim nulli homini sanitatem inesse.

8. Rursus in media figura similiter erit falsitas. Nam sanitatem nulli morbo et omni homini contingit inesse ; proinde nulli homini morbum. In tertia vero figura falsum colligitur ratione contingentis. Nam et sanitatem et morbum, nec non scientiam et ignorantiam, atque omnino contraria eidem omni contingit inesse ; sibi autem mutuo inesse impossibile est. Hoc autem cum iis quæ supra dicta fuerunt, non consentit. Cum enim contingit eidem plura inesse, contingebat etiam sibi invicem inesse. Perspicuum igitur est, in his omnibus deceptionem oriri ex terminorum expositione ; transmutatis enim vocabulis, quibus habitus significantur, nihil falsi colligitur. Unde liquet, in hujusmodi propositionibus loco habitus sumendum esse ac pro termino ponendum id quod est habitu præditum.

Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto rationes inordinatæ resolvendæ sint in duas præmissas et tres terminos ; explicat quo pacto sint exponendi termini, ac declarat difficultatem resolvendi et vitandi errores, qui in tali resolutione possunt accidere. Et quia termini aliquando sunt complexi, aliquando incomplexi; aliquando recti, aliquando obliqui; aliquando sumuntur specificative, aliquando reduplicative ; aliquando sumuntur distributive, aliquando non distributive, explicat primo difficultates et errores, qui possunt accidere propter non rectam sumptionem et explicationem terminorum incomplexorum ; secundo difficultates et errores, qui accidunt propter non rectam expositionem terminorum complexorum; tertio difficultates propter non rectam expositionem rectorum et obliquorum; quarto difficultates et errores propter non rectam sumptionem reduplicationis ; quinto difficultatem resolvendi ex eo, quod termini, qui debent distribui, non distribuuntur.

7. *Quoad primum* : si termini sint incomplexi, potest error accidere ex eo, quod terminus, qui sumi deberet in concreto, sumatur in abstracto. Ex. gr., si in prima figura dicatur: *necesse est nullam ægritudinem esse sanitatem; sed omnis homo aliquando est æger*; *ergo necesse est nullum hominem esse sanum* — paralogismus consistit in vitiosa acceptione ægritudinis et sanitatis. Ad inferendam enim propositam conclusionem deberent sumi non in abstracto, sed in concreto, dicendo : *necesse est nullum ægrum esse sanum ; sed aliquando omnis homo est æger; ergo necesse est nullum hominem esse sanum.* Si vero sic exponatur major, eo ipso patet majorem esse falsam, cum æger possit evadere sanus, adeoque non sit necessarium, sed contingens ægrum non esse sanum. Ex hac vero majori : *contingens est nullum ægrum esse sanum ;* adjuncta minori de inesse : *omnis homo aliquando est æger;* sequitur conclusio vera de contingenti, qua dicatur : *ergo contingens est nullum hominem esse sanum.*

8. Similiter si in secunda figura dicatur : *necesse est nullam sanitatem esse ægritudinem; omnis homo aliquando est æger ; ergo necesse est nullum hominem esse sanum;* — fit paralogismus propter vitiosam sumptionem abstracti loco concreti. In tertia figura si dicatur : *contingit omnem hominem esse sanum; contingit omnem hominem esse ægrotum; ergo contingit aliquam ægritudinem esse sanitatem* fit paralogismus ex eodem vitio. Ex eadem ratione fit paralogismus, si dicatur: *contingit omnem hominem esse scientem; contingit omnem hominem esse ignorantem; ergo contingit aliquam ignorantiam esse scientiam.* Licet enim contraria possint pro diverso tempore inesse eidem subjecto, tamen nullum contrarium potest inesse alteri contrario, ex. gr., licet idem homo possit esse sciens et ignorans, tamen ignorantia non potest esse scientia. Cum igitur in dictis casibus paralogismi consistant in hoc, quod termini sumantur in abstracto, tales orationes reduci possunt in formam syllogisticam, sumendo eosdem terminos in concreto.

9. [35] Nec vero semper nomen quærere oportet, quo termini exponantur; sæpe enim erunt orationes, quibus non est positum nomen. Ideoque difficile est reducere hujuscemodi syllogismos, et quandoque accidit ut fallamur ob hujusmodi inquisitionem, utputa quoniam immediatorum est syllogismus. Sit enim τὸ α duo recti, ubi β triangulus, ubi γ æquicrurus. τῷ γ igitur inest τὸ α per β; inest autem τῷ β, non per aliud, quia per se triangulus habet duos rectos. Quare non erit medium propositionis α β, quæ est demonstrabilis. Perspicuum est igitur, medium non ita semper accipiendum esse, quasi sit hoc aliquid, sed interdum accipiendum esse orationem; quod quidem evenit etiam in dicto exemplo.

9. *Quoad secundum*: cum dicitur, quod syllogismus debet resolvi in tres terminos, non est existimandum, quod semper tales termini consistant in unico nomine. Sæpe enim aliqui termini sunt complexi, et sunt oratio composita ex pluribus nominibus, et tum datur specialis difficultas resolvendi syllogismum in tres terminos. Ratio porro, cur aliquando termini debeant constare ex pluribus nominibus est duplex. Prima ratio est, quia aliquando non est impositum unicum nomen ad significandum id, quod debet esse majus vel minus extremum; ergo tum debet poni terminus complexus constans ex pluribus nominibus. Secunda ratio est, quia aliquando prædicatum, quod est probandum de subjecto, est passio conveniens tali subjecto primo et ratione sui; sed passio conveniens subjecto primo et ratione sui, non potest de subjecto demonstrari, nisi per definitionem talis subjecti vel passionis; definitio autem non est unum nomen, sed oratio constans ex pluribus nominibus; ergo aliquando medium debet esse oratio constans ex pluribus nominibus; et tum contingit errare, si quis quærat medium, quod sit unicum nomen. Explicatur; si debeat probari, quod Isosceles habeat tres angulos æquales duobus rectis, quia hæc passio non convenit Isosceli primo et ratione sui, sed ratione trianguli, medium est triangulus, adeoque est unicum nomen, ac proinde potest ea conclusio demonstrari sic: *omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis; omnis Isosceles est triangulus; ergo*, etc. At si debeat probari major, hoc est, quod triangulus habeat tres angulos æquales duobus rectis, quia hæc passio convenit triangulo primo et ratione sui, non potest aliter demonstrari, quam per ipsam definitionem trianguli et passionis, quæ definitio non est unicum nomen, sed est oratio constans ex pluribus nominibus. Si vero quis ad demonstrandam dictam passionem, quæreret medium, quod esset unicum nomen, erraret.

10. [36] Primum autem inesse medio, et hoc extremo. non debet accipi quasi semper sibi attribuantur similiter primum medio et hoc extremo. Eademque est ratio ejus quod dicitur non inesse. Sed quot modis verbum esse accipitur et aliquid vere dicitur, totidem existimandum est significationes esse verbi inesse et non inesse. Veluti quod contrariorum est una scientia. Sit enim τὸ α unam esse scientiam; invicem autem contraria, ubi β. Inest igitur τὸ α τῷ β, non quasi contraria sint una scientia, sed quia vere de iis dicitur, unam esse eorum scientiam.

11. Accidit autem interdum ut de medio primum dicatur, medium autem de tertio non dicatur. Ut si sapientia est scientia, boni autem est sapientia, concluditur boni esse scientiam. Bonum igitur non est sapientia, sapientia vero est scientia.

12. Interdum vero medium de tertio dicitur, primum autem de medio non dicitur. Ut si omnis qualis aut contrarii est scientia, bonum autem est et contrarium et quale, concluditur boni esse scientiam; bonum autem aut quale aut contrarium non est scientia, sed bonum est hæc ipsa.

13. Quandoque nec primum dicitur de medio neque hoc de tertio; ubi primum de tertio aliquando dicitur, aliquando non dicitur. Verbi causa, si cujus est scientia, ejus est genus, boni autem est scientia, concluditur boni esse genus. Ex his autem nullum alii attribuitur. Si vero cujus est scientia illud est genus, boni autem est scientia, concluditur bonum esse genus. Extremo igitur attribuitur primum, de se autem non dicuntur.

14. Eodem modo accipiendum est in eo quod non inest, quoniam hoc non inesse huic, non semper significat, hoc non esse hoc, sed aliquando non esse hoc hujus aut hoc huic. Utputa non est motionis motio vel generationis generatio; voluptatis autem est motio et generatio. Voluptas igitur non est generatio aut motio. Rursus ipsius risus est signum, signi autem non est signum; itaque ipse risus non est signum. Similiter fit in aliis, in quibus evertitur problema ex eo, quod genus aliquo modo ad id refertur. Rursus occasio non est tempus opportunum, quoniam deo est occasio; non est autem ei tempus opportunum, quia nihil est deo utile. Terminos enim ponere oportet occasionem et tempus opportunum et deum;

15. propositio vero accipi debet secundum nominis casum. Simpliciter enim hoc de omnibus dicimus, terminos semper ponendos esse secundum nominum appellationes, ut homo aut bonum aut contraria, non hominis aut boni aut

contrariorum. Propositiones autem accipi debent secundum cujusque vocabuli casus. Aut enim huic, ut æquale, aut hujus, ut duplum, aut hoc, ut verberans vel videns, aut huic, ut homo, animal; aut si quovis alio modo nomen cadit in propositionem. [37] Jam vero hoc hic inesse, et hoc de hoc vere dici, tot modis accipere debemus, quot sunt modi attributionum. Atque has accipe aut quadamtenus aut simpliciter, item aut simplices aut conjunctas. Similiter que accipi debet non inesse. Hæc autem melius consideranda sunt ac definienda.

10. *Quoad tertium* : dum asseritur, quod in syllogismis, primum seu majus extremum in majori affirmatur de medio, et medium in minori prædicatur de ultimo, seu de minori extremo, et sic infertur conclusio, in qua majus extremum affirmatur de minori extremo; — dum inquam id asseritur, non est putandum, quod semper in conclusione majus extremum dicatur de minori extremo, sumendo utrumque in recto, et quod proportionaliter in præmissis majus extremum dicatur de medio, vel medium de minori extremo, sumendo utrumque in recto. Id enim est falsum, cum aliquando termini sumantur in obliquo et in variis casibus obliquis. Nec solum termini sumuntur in obliquo in syllogismis et propositionibus affirmativis, sed etiam in negativis; ex. gr., in hac propositione: *contrariorum est eadem disciplina,* prædicatum non dicitur de subjecto in recto, neque enim est verum, quod *contraria sint eadem disciplina,* sed dicitur de subjecto in obliquo et in genitivo; et similiter in hac propositione negativa : *contrariorum non est eadem disciplina,* prædicatum negatur de subjecto in obliquo.

Hoc posito, explicatur exemplis, primo, quo pacto in syllogismis affirmativis in minori medium dicatur de minori extremo in obliquo; secundo, quo pacto in majori majus extremum dicatur de medio in obliquo; tertio, quo pacto, et in majori majus extremum dicatur de medio in obliquo, et simul in minori medium dicatur in obliquo de minori extremo; quarto demum, quo pacto idem accidat in syllogismis negativis.

11. Primo igitur, exemplum syllogismi, in quo in sola minori medium dicitur de minori extremo in obliquo, est: *omnis sapientia est scientia; sed rerum bonarum est sapientia; ergo rerum bonarum est scientia.*

12. Secundo, exemplum syllogismi, in quo in sola majori, majus extremum dicitur de medio in obliquo est : *omnis qualitatis et omnis contrarii est scientia; sed bonum est qualitas, et est contrarium malo; ergo boni est scientia.*

13. Tertio, exemplum syllogismi, in quo et in majori majus extremum dicatur de medio in obliquo, et in minori medium in obliquo dicatur de minori extremo, est: *omnium, quorum est scientia, est aliquod genus; sed boni est scientia; ergo boni est aliquod genus.* In hoc exemplo infertur conclusio, in qua majus extremum dicitur de minori extremo in obliquo; sed potest etiam fieri syllogismus, in quo ex utraque præmissa de obliquo sequatur conclusio de recto, qualis esset hic : *cujus est scientia, hoc est genus; sed boni est scientia ; ergo bonum est genus.*

14. Quarto, si ut possumus sumere præmissas affirmativas de obliquo, sic possumus sumere præmissas negativas de obliquo, ideoque possumus facere syllogismos negativos obliquos. Horum syllogismorum ponit Aristoteles tria exempla. Primum exemplum, in quo ex utraque præmissa de obliquo sequitur conclusio de recto, est : *nullius motionis est motus, neque generationis generatio; sed voluptatis est motus et generatio; ergo voluptas non est motus neque generatio.* Secundum exemplum est; *ipsius risus est aliquod signum; sed signi non est aliud signum; ergo ipse risus non est signum.* Tertium exemplum est, in quo sic probatur, quod occasio non sit tempus opportunum: *Deo sua est occasio; sed nullum tempus est opportunum Deo, cum Deus ex nulla re possit emolumentum accipere; ergo occasio non est tempus opportunum.*

15. Quinto demum concludit Aristoteles, quod licet termini, cum sumuntur extra præmissas, debeant sumi in recto, dicendo ex. gr. : *homo, bonum, contraria* etc. non vero in obliquo, dicendo : *hominis, boni, contrariorum* etc., tamen cum iidem termini sumuntur in præmissis et propositionibus, possunt poni in variis casibus obliquis juxta propositionum exigentiam. Ex. gr., aliquando debent poni in dativo, ut cum dicitur : *est æquale huic;* aliquando in genitivo, ut cum dicitur : *est duplum hujus;* aliquando in accusativo, ut cum dicitur : *est videns vel pulsans hunc ;* aliquando demum in nominativo et in recto, ut cum dicitur : *homo est animal,* idemque dic de aliis ca-

sibus, si sunt alii casus. Porro affirmatio, qua dicitur prædicatum convenire subjecto, potest accipi tot modis, quot sumi potest ipsum prædicatum, seu dicatur absolute seu dicatur cum limitatione; seu sit simplex seu complexum. Similiter negatio, qua prædicatum negatur inesse subjecto, potest sumi totidem modis proportionalibus. Cum ergo rationes reducuntur in formam syllogisticam, hæc omnia sunt consideranda et conandum, ut termini optimo modo disponantur, juxta naturam propositionum.

16. [38] Quod autem iteratur in propositionibus, primo extremo jungi debet, non medio termino. Verbi causa, si fiat syllogismus quo colligatur justitiæ esse scientiam quod sit bonum, illud, quod sit bonum vel qua bonum, primo extremo jungi debet. Sit enim τὸ α scientia quod sit bonum, ubi β bonum, ubi γ justitia. Vere igitur τὸ α τῷ β attribuitur; nam boni est scientia quod sit bonum. Sed et τὸ β vere attribuitur τῷ γ, quia justitia est id quod bonum. Sic igitur fit resolutio. Si vero τῷ β adjiciatur illud quod sit bonum, non erit verum. Sane enim τὸ α attribui τῷ β verum erit, sed τὸ β attribui τῷ γ minime verum erit; nam bonum quod sit bonum attribui justitiæ, falsum est, nec intelligi potest. Idem dicendum est si salubre ostendatur esse scibile qua bonum, aut hircocervus opinabilis qua non ens, aut homo res interitui obnoxia qua sensibilis. In iis enim omnibus quæ attributo adjiciuntur, hoc tenendum est, iterationem majori extremo jungendam esse.

17. Non est autem eadem terminorum positio, cum simpliciter quidpiam in syllogismum deducitur et cum hoc aliquid aut quadamtenus aut quodam modo. Verbi causa, cum bonum ostenditur esse scibile et cum ostenditur esse scibile quoddam, quod bonum. Verum si simpliciter scibile ostendatur, medius terminus constituetur ens. Quod si probetur scibile esse quod bonum, pro medio termino accipietur aliquod ens. Sit enim τὸ α scientia quod ens quodpiam, ubi β quodpiam ens, ubi γ bonum. Vere igitur τὸ α τῷ β attribuitur; nam scientia est cujusdam entis, quod sit quoddam ens. Sed et τὸ β τῷ γ, quia ubi γ est ens quoddam; quapropter etiam τὸ α attribuetur τῷ γ; erit igitur scientia boni quod bonum; nam illud quoddam ens propriæ essentiæ signum erat. Sin ens ponatur esse medius terminus et extremo adjiciatur ens simpliciter, non quoddam ens, non concluditur scientiam esse boni quod bonum, sed quod ens. Sit ubi α scientia quod ens, ubi β ens, ubi γ bonum. Perspicuum igitur est in iis syllogismis qui ex parte concludunt ita esse terminos accipiendos.

18. [39] Oportet etiam commutare et accipere quæ idem valent, nimirum nomina pro nominibus et orationes pro orationibus; item mutare nomen et orationem, semperque pro oratione nomen sumere. Sic enim facilior erit terminorum expositio. Verbi gratia, si nihil refert, utrum dicatur suspicabile opinabilis non esse genus, an opinabile non esse id quod suspicabile quoddam (idem enim est quod utraque oratione significatur), loco dictæ orationis ponendi sunt termini suspicabile et opinabile. [40] Quia vero non idem est, voluptatem esse ἀγαθόν, id est bonum, et voluptatem esse τὸ ἀγαθόν, id est ipsum bonum, non similiter poni termini debent. Verum si syllogismo probetur, voluptatem esse τὸ ἀγαθόν, terminus constituendus est τὸ ἀγαθόν. Sin probetur esse ἀγαθόν, terminus constitui debet ἀγαθόν. Sicet in aliis faciendum est.

16. *Quoad quartum* : quia est specialis difficultas resolvendi rationes inordinatas in formam syllogisticam, propter reduplicationem alicujus termini, tradit Aristoteles aliquas regulas de reduplicatione terminorum. *Prima regula* est : reduplicatio medii debet poni non ex parte ipsius medii, sed ex parte majoris extremi. Probatur. Si enim reduplicatio medii ponatur ex parte majoris extremi, præmissæ sunt veræ et intelligibiles, et ex iis sequitur conclusio, in qua majus extremum cum reduplicatione medii prædicatur de minori extremo; — e converso, si reduplicatio medii ponatur ex parte ipsius medii, aliqua præmissa est falsa et inintelligibilis; ergo etc. Probatur et explicatur antecedens exemplis. Si dicatur : *boni est scientia in quantum est bonum, seu secundum ipsam rationem boni; sed justitia est bonum; ergo justitiæ est scientia, in quantum justitia est bonum, seu secundum ipsam rationem boni;* utraque præmissa est vera et clara, ac conclusio infertur legitime. E converso si dicatur : *bonum, in quantum est bonum, est scibile; justitia est bonum, in quantum bonum; ergo justitia est scibilis.* — minor est falsa, cum justitia non sit ipsa ratio boni, et ea minor est etiam parum intelligibilis. Similiter si dicatur : *bonum est cognoscibile, in quantum est bonum; sed salubre est bonum; ergo salubre est cognoscibile, in quantum est bonum;* — vel si dicatur : *non ens est cognoscibile prout non ens; sed hircocervus est non ens; ergo hircocervus est cognoscibilis prout non ens;* — omnia bene procedunt, quia reduplicatio medii ponitur ex parte majoris extremi. At vero si reduplicatio medii ponatur ex parte ipsius medii, minor erit falsa et parum intelligibilis, ut explicatum est in primo exemplo.

17. *Secunda regula* est : non eadem

debet esse expositio terminorum ad inferendam conclusionem, in qua majus extremum prædicetur absolute de minori extremo, ac ad inferendam conclusionem, in qua majus extremum prædicetur de minori extremo, addita aliqua reduplicatione, determinatione, vel qualicumque limitatione. Ex. gr., ad inferendam hanc conclusionem, quod *bonum est scibile* simpliciter et absolute et sine reduplicatione, debet syllogismus sic construi : *omne ens est scibile; bonum est ens; ergo bonum est scibile.* Ad probandam autem hanc conclusionem, quod *bonum est scibile in quantum ens*, debet poni reduplicatio ex parte majoris extremi ac dici : *omne ens est scibile, in quantum ens, seu sub ratione entis; sed bonum est ens; ergo bonum est scibile, in quantum ens, seu sub ratione entis.* Ad probandam demum hanc conclusionem, quod *bonum est scibile, in quantum bonum, seu sub ratione boni*, debet addi reduplicatio minoris extremi ex parte majoris extremi, dicendo : *omne ens est scibile sub ratione boni; sed omne bonum est ens; ergo omne bonum est scibile sub ratione boni.*

18. *Tertia regula est :* ut rationes reducantur in formam syllogisticam, cum plura nomina vel plures orationes idem significant, loco nominis ignotioris debet poni nomen notius, et loco orationis ignotioris debet poni oratio notior, et si quidem idem significatur per orationem ac nomen, loco orationis debet poni nomen simplex, quia tunc facilius patebit forma syllogistica. Ex. gr., quia idem significant istæ duæ orationes : *suspicabile non est genus opinabilis; opinabile non est species suspicabilis;* loco istarum orationum, debent poni termini simplices, dicendo : *non omne opinabile est suspicabile;* hæc enim oratio per prædicatum et subjectum simplex *opinabile* ac *suspicabile* idem significat, ac illæ duæ orationes per terminos compositos. Quando autem oratio non idem significat ac nomen, tum loco orationis non debet poni nomen, nec loco orationis debet poni oratio; ex. gr., quia non idem significat *bonum* ac *ipsum bonum*, ideo loco dicendi : *voluptas est ipsum bonum*, non debet dici : *voluptas est bonum*, neque loco dicendi : *voluptas est bonum*. dici debet : *voluptas est ipsum bonum.*

19. [41] Hæc autem nec in re nec in oratione idem sunt ; cui τὸ β inest, ei omni τὸ α inest ; et cui τὸ β omni inest, etiam τὸ α omni inest. Nihil enim vetat τὸ β τῷ γ inesse, non tamen omni. Utputa τὸ β sit pulchrum quoddam, τὸ γ album. Si igitur cuidam albo inest pulchrum quoddam, vere dicetur, albo inesse pulchrum, sed fortasse non omni. Itaque si τὸ α τῷ β inest. sed non omni ei, de quo dicitur τὸ β, sive omni γ τὸ β insit sive alicui tantum, non solum non est necesse τὸ α inesse omni, sed ne alicui quidem γ. Si vero, de quo τὸ β vere dicitur, huic omni τὸ α inest, eveniet ut τὸ α de eo omni dicatur, de quo omni τὸ β vere dicitur, Quod si τὸ α de eo dicitur, de quo omni dicitur τὸ β, nihil prohibet quominus τὸ α insit τῷ γ, cui non omni aut omnino nulli τὸ α insit. In tribus ergo terminis manifestum est hanc orationem, de quo dicitur τὸ β, de eo omni dici τὸ α, hoc significare, de quibuscumque τὸ β dicitur, de iis omnibus dici etiam τὸ α ; et si τὸ β dicitur de omni, etiam τὸ α ita dicetur. Si vero non de omni, non est necesse τὸ α dici de omni.

20. Non oportet autem existimare, propter terminorum expositionem evenire aliquid absurdi. Neque enim ad probandum eo etiam utimur, quod hoc aliquid sit ; sed ita illud adhibemus, ut geometra pedalem et rectam et sine latitudine ait esse hanc lineam, quæ non est ejusmodi. Non ita vero geometra his utitur, quasi ex his ratiocinetur. Omnino enim nisi quid referatur tanquam totum ad partem, et aliud ad hoc tanquam pars ad totum, ex iis non demonstrat qui demonstrat, quia nec syllogismus ex his fit. Expositione autem sic utimur, ut et sensu, dum eum qui discit instituimus ; non enim ita utimur, quasi sine his demonstrari nequeat, quomodo utimur propositionibus, ex quibus syllogismus constat.

19. *Quoad quintum :* hæc duo non idem valent : *cui inest B, huic omni inest A,* ac *cui omni inest B, huic omni inest A.* Ratio est, quia B potest inesse C non omni, sed alicui; ex. gr., si C sit album, B sit pulchrum, verum est, quod pulchrum inest albo, nam *aliquod album est pulchrum;* non tamen est verum, quod pulchrum inest omni albo, nam *non omne album est pulchrum;* ergo sicut non est idem B inesse alicui, ac illi omni inesse, sic non est idem A inesse cui inest B, ac A inesse omni, cui inest B. Si ergo aliquid, quod vocetur A, insit pulchro, sed non omni, poterit adhuc non inesse illi, cui pulchrum inest, seu insit omni seu non omni. Ex. gr., nigrum inest alicui solum pulchro, quia aliquod pulchrum est nigrum; pulchrum vero inest alicui albo, vel etiam omni albo; (supponatur enim, quod non solum aliquod, sed etiam omne album sit pulchrum) adhuc non sequitur, quod nigrum insit alicui albo, adeoque quod ali-

quod album sit nigrum. E converso, si A insit omni B; B vero insit omni C; etiam A inest omni C; ex. gr., quia vivens inest omni animali; animal inest omni homini sequitur, quod vivens insit omni homini, Si vero A insit omni B; B vero insit C non omni sed alicui, non sequitur, quod A insit omni C, sed solum sequitur, quod insit alicui. Ex. gr., *recreans visum* insit omni *pulchro;* pulchrum vero insit non omni sed alicui albo, sequitur, quod *recreans visum* insit non omni sed alicui *albo*. Patet igitur, quod si majus extremum insit omni medio, quod (1) medium insit omni minori extremo, etiam majus extremum inest omni minori extremo; at si majus extremum insit omni medio, medium vero alicui minori extremo, etiam majus extremum inest alicui minori extremo. Demum si majus extremum insit alicui solum medio, medium autem insit omni vel alicui minori extremo, non sequitur ulla conclusio, per quam inferatur, quod majus extremum insit omni vel alicui minori extremo.

20. Quia vero Aristoteles sæpe ad demonstrandas conclusiones intentas affert exempla, quæ possunt alicui videri non vera, ideo advertit, quod hæc exempla afferuntur, sicut in Geometricis. Sicut enim Geometra vocat aliquam lineam pedalem, vel rectam, vel carentem latitudine, quæ linea vere non est talis; sic in exemplis dicuntur quædam, quæ non sunt vera. Attamen hæc exempla afferuntur, ut intelligatur id, de quo agitur, et non afferuntur tanquam præmissæ, ex quibus pendeat veritas demonstranda.

CAPUT. I vel XXX. — ART. III.

DE RESOLUTIONE SYLLOGISMORUM COMPOSITORUM, EX HYPOTHESI ET PER IMPOSSIBILE.

21. [42] Illud nos non lateat, in eodem syllogismo non omnes conclusiones per unam figuram effici, sed alias per hanc alias per aliam. Constat igitur, etiam resolutiones ita faciendas esse. Quia vero non omne problema in omni figura, sed certa in singulis probantur, ex conclusione perspicuum est, in qua figura quærendum sit.

22. [43] Quod attinet ad rationes, quibus adversus definitiones disseritur, id est quibus unum quidpiam ex iis quæ in definitione posita sunt reprehenditur, terminus poni debet id quod reprehenditur, non tota definitio. Minus enim accidet, ut turbemur ob prolixitatem. Utputa si aquam ostendit esse humidum potabile, potabile et aquam terminos ponemus.

23. [44] Jam vero conari non debemus, ut syllogismos, qui sunt ex hypothesi, reducamus, quoniam ex iis quæ posita sunt reduci nequeunt, quippe qui non per syllogismum probant, sed ex conventione et consensu. Exempli causa, si qu supponens, nisi una sit facultas contrariorum, neque scientiam unam esse, deinde disserat et probet, non esse contrariorum unam facultatem, ut salubris et insalubris, quia idem simul esset salubre et insalubre, certe non esse unam omnium contrariorum facultatem demonstratum est; non esse autem contrariorum unam scientiam, non est demonstratum. Atqui necesse est hoc fateri. Sed non ex syllogismo, verum ex hypothesi. Hunc igitur syllogismum non licet reducere; eum vero quo, probatur contrariorum non esse unam facultatem, reducere licet. Fortassis enim hic est syllogismus, illud vero hypothesis.

24. Similis est ratio eorum, qui per impossibile concludunt, quia nec hos resolvere licet. Sed deductionem quidem ad impossibile resolvere licet, quia syllogismo probatur; alterum vero ideo resolvere non licet, quia concluditur ex hypothesi. Differunt autem a prædictis syllogismis ex hypothesi, quoniam in illis antea fateri oportet, ut postea conveniat, utputa si ostendatur unam esse facultatem contrariorum, etiam scientiam esse eamdem; hic vero etiam qui antea fassi non sunt, post probationem admittunt, quia falsitas est evidens, utputa si diameter dicatur habere communem mensuram, imparia esse paribus æqualia. Multi quoque alii concluduntur ex hypothesi, quos considerare oportet ac dilucide explanare.

25. Quænam igitur sint horum differentiæ, et quot modis fiant syllogismi ex hypothesi, posterius dicemus; nunc id tantum nobis manifestum esto, hujusmodi syllogismos non posse in figuras resolvi; cujus rei causam diximus.

Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto syllogismi simplices resolvi possint in figuram et modum, explicat, quo pacto possint resolvi etiam syllogismi compositi ex aliquo prosyllogismo probativo alicujus præmissæ; deinde vero declarat, quo pacto possint etiam reduci syllogismi ex hypothesi et per impossibile.

21. *Primo* ergo docet, quod in syllogismo composito ex prosyllogismo, aliquando non omnes conclusiones possunt probari per eandem figuram. Ex. gr., si fiat syllogismus in Darapti et Felapton, qui sunt modi tertiæ figuræ cum prosyllogismo probante alteram præmissarum, conclusio principalis syllogismi probatur per tertiam figuram, at conclusio prosyllogismi non potest probari per tertiam figu-

---

(1) Videtur potius legendum : « et medium » etc.

ram, quia talis conclusio est universalis affirmativa vel negativa; nulla vero conclusio universalis potest probari per tertiam figuram. Debet igitur adverti, qualis sit conclusio principalis, et qualis sit conclusio prosyllogismi; ex hoc enim patebit, in qua figura debeat utraque probari, an in eadem, vel in diversa.

22. *Secundo* docet, quod cum impugnatur aliqua definitio, ostendendo falsitatem unius particulæ, in syllogismo non debet poni tota definitio, sed illa tantum particula, quæ ostenditur falsa. Ex. gr., si quis impugnat definitionem, qua aqua definitur, *potus humidus*, eo quod esse potum, non sit quidditas aquæ, sufficit, quod in syllogismo ponat pro terminis *potum et aquam*, omittendo *humidum*, de quo non est controversia. Ratio est, quia syllogismus erit brevior et minus confusus, propter minorem longitudinem, et propter omissionem termini non controversi, cujus proinde expressio conduceret solum ad generandam confusionem.

23. *Tertio* docet, quod syllogismi ex hypothesi partim reducendi sunt in figuram et modum juxta regulas prædictas, partim non sunt reducendi juxta regulas prædictas; ex. gr., si fiat talis syllogismus : *si non eadem est potentia omnium contrariorum, nec eadem est diciplina omnium contrariorum ; sed non eadem est potentia omnium contrariorum; ergo*, etc. Minor probatur; nam *sanitas et ægritudo sunt contraria; sed idem non habet potentiam sanandi et causandi ægritudinem; ergo*, etc. Hic syllogismus, in quantum probat minorem seu conclusionem transumptam, quod non *eadem est potentia contrariorum*, reduci potest juxta regulas prædictas. quia hæc probatio est oratio vere et proprie syllogistica; in quantum vero transit ad probandam conclusionem principalem, quod non eadem sit disciplina contrariorum, non potest reduci in figuram, quia non probat illam conclusionem syllogistice, sed ex quodam pacto et conventione, qua conventum fuit, quod si non eadem est potentia contrariorum, nec eadem est diciplina contrariorum.

24. Docet *quarto*, quod proportionaliter etiam syllogismi per impossibile partim reduci possunt juxta regulas prædictas, partim non possunt. In quantum enim probant conclusionem impossibilem, reduci possunt, quia probant illam syllogistice; in quantum vero ex destructione conclusionis impossibilis inferunt conclusionem veram, reduci non possunt, quia non procedunt syllogistice. Est tamen hoc discrimen inter syllogismos ex hypothesi et per impossibile, quod in syllogismis ex hypothesi propositio conditionata debet sumi ex quodam pacto; at in syllogismo per impossibile propositio conditionata sumitur ex necessitate, cum necessarium sit, quod si conclusio probanda non est vera, vera sit ejus contradictoria; ex qua deinde concluditur impossibile, ex cujus destructione destruitur hypothesis, et probatur conclusio intenta.

27. Docet quinto, quod cum plures sint species syllogismorum ex hypothesi, tales species sunt explicandæ partim in lib. II. Priorum, partim in libris Topic. Nunc sufficit adnotasse, quod syllogismi ex hypothesi non possunt reduci in figuram et modum sicut absoluti.

CAPUT. II. vel XXXI.

DE REDUCTIONE MUTUA SYLLOGISMORUM EX UNA FIGURA IN ALIAM FIGURAM.

1. [45] Quæcumque autem problemata in pluribus figuris probantur, si in una syllogismo probata sint, licet syllogismum referre in aliam, ut syllogismum privativum in prima figura exstructum referre in secundam, et eum qui in media exstructus est, referre in primam.

2. Non omnes autem, sed quosdam ita resolvere licet. Quod in sequentibus perspicuum erit.

1. Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto rationes inordinatæ, quæ sunt syllogismi potentiales, possint ordinari ac reduci in syllogismos actuales, descendit ad explicandum, quo pacto syllogismi actuales unius figuræ reduci possint in alias figuras.

Primo ergo illi syllogismi, in quibus infertur conclusio, quæ probari non potest, nisi in una figura, reduci nequeunt in aliam figuram; ex. gr., syllogismus in Barbara reduci non potest in aliam figuram vel modum, quia conclusio universalis affirmativa non potest probari nisi per primam figuram et unicum modum illius. Hæc igitur reductio tum solum est possibilis, cum eadem conclusio potest inferri in pluribus figuris.

2. *Secundo* licet illi solum syllogismi possint reduci in plures figuras, quorum conclusio potest probari per plures figu-

ras, non tamen omnes syllogismi, quorum conclusio potest probari per plures figuras, reduci possunt in plures figuras, ut infra dicetur de Barocco et Boccardo. Explicandum igitur est discurrendo per singulas figuras et modos, quinam syllogismi possint ex una figura reduci in aliam, qui vero non possint, et quomodo facienda sit talis reductio.

3. Nam si τὸ α insit nulli β ac τὸ β omni γ, τὸ α inerit nulli γ. Sic igitur fit prima figura. Quodsi pronuntiatum privativum convertatur, erit media figura, quia τὸ β nulli α et omni γ inerit. Similiterque fit, si syllogismus non sit universalis sed in parte, ut si τὸ α insit nulli β ac τὸ β alicui γ, quia conversa propositione privativa erit media figura.

4. Ex syllogismis autem, qui exstruuntur in secunda figura, universales referentur in primam figuram, ex particularibus vero alter tantum. Insit enim τὸ α nulli β et omni γ; converso igitur pronuntiato privativo erit prima figura, quia τὸ β nulli α ac τὸ α omni β inerit. Quod si affirmatio jungatur τῷ β. privatio τῷ γ, primus terminus poni debet τὸ γ. Hoc enim nulli α inest, ac τὸ α omni β. Quare nulli β τὸ γ inerit. Ergo etiam τὸ β nulli γ, quia conclusio privativa convertitur. Si vero syllogismus sit in parte, cum privatio iungitur majori extremo, resolvetur in primam figuram, ut si τὸ α inest nulli β et alicui γ. Converso enim pronuntiato privativo erit prima figura; nam τὸ β inest nulli α et τὸ α alicui γ. Cum autem affirmatio jungitur majori extremo, non resolvetur, ut si τὸ α insit omni β et non omni γ, quia neque conversionem admittit propositio αβ, neque conversione facta erit syllogismus.

3. Ex quatuor ergo syllogismis directis primæ figuræ, syllogismus in Barbara non potest reduci in ullam aliam figuram, quia conclusio universalis affirmativa non potest probari in ulla alia figura. Syllogismus in Celarent convertendo majorem simpliciter reducitur in secundam figuram et in Cesare. Si enim dicatur : *nullum animal est planta ; omnis homo est animal ; ergo nullus homo est planta ;* convertendo majorem simpliciter et dicendo : *nulla planta est animal*, reducitur ad Cesare. In tertiam figuram reduci nequit, quia universalis negativa non potest probari in tertia figura. quæ concludit solum particulariter. Syllogismus in Ferio reducitur ad secundam figuram, convertendo majorem simpliciter. Ex. gr., si dicatur : *nullum animal est planta ; aliquod vivens est animal; ergo aliquod vivens non est planta ;* convertendo majorem simpliciter et dicendo : *nulla planta est animal ;* argumentum reducitur in secundam figuram et in Festino. Syllogismus in Darii non potest reduci in secundam figuram, quia Darii concludit affirmative; an et quomodo possit reduci in tertiam, explicabitur infra num. 6.

4. Ex syllogismis secundæ figuræ, duo universales, hoc est Cesare et Camestres reducuntur ad primam : Cesare quidem per conversionem solius majoris, Camestres per conversionem minoris, et transpositionem præmissarum, et conversionem conclusionis, ut dictum est cap. VI. num. 3. et 4. Ex duobus particularibus, Festino reducitur ad primam figuram et ad Ferio per conversionem majoris, ut dictum est eodem cap. VI. num. 8. Barocco vero reduci non potest in primam figuram per conversionem; nam major universalis affirmativa non potest converti, nisi in particularem affirmativam; facta vero hac conversione, nihil sequitur, quia utraque præmissa est particularis; minor particularis negativa converti non potest; solum ergo reducitur per impossibile, ut dictum est cap. VI. num. 9.

5 Rursus syllogismi, qui sunt in tertia figura, non resolventur omnes in primam ; sed qui sunt in prima, resolventur omnes in tertiam. Insit enim τὸ α omni β ac τὸ β cuidam γ. Cum igitur convertatur pronuntiatum in parte attributivum, inerit etiam τὸ γ cuidam β. Verum τὸ α inerat omni β. Quare fit tertia figura. Itidemque si privativus sit syllogismus. Convertitur enim propositum in parte attributivum; quare nulli β τὸ α, cuidam vero τὸ γ inerit.

6. Ex syllogismis autem, qui sunt in tertia figura, unus tantum non resolvitur in primam, cum privativum pronuntiatum non universale positum fuerit. Reliqui autem omnes resolvuntur. Attribuatur enim omni γ τὸ α et τὸ β. Ergo τὸ γ convertitur in parte ad utrumque extremum. Inerit igitur alicui β Quocirca erit prima figura, si τὸ α insit omni γ ac τὸ γ alicui β. Et si τὸ α insit omni γ ac τὸ β alicui γ, eadem est ratio. quia reciprocatur τὸ β cum γ. Quod si τὸ β insit omni γ ac τὸ α cuidam γ, primus terminus poni debet τὸ β. Nam τὸ β inest omni γ ac τὸ γ cuidam α ; ergo τὸ β cuidam α. Et quia reciprocatur quod est in parte, etiam τὸ α inerit cuidam β. Et si privatus sit syllogismus, cum termini sunt universales, similiter accipi debet. Insit enim τὸ β omni γ ac τὸ α nulli. Ergo cuidam β inest τὸ γ ac τὸ α nulli γ; itaque medium erit γ. Similiter fiet, si privativum pronuntiatum sit universale et attributivum sit in parte. Nam τὸ α nulli γ ac τὸ γ cuidam β inerit. Si vero in parte accipiatur pronuntiatum privativum, non fiet resolutio. Ut si τὸ β omni γ et τὸ α cuidam non inest. Nam conversa propositione β γ ambæ

propositiones erunt in parte. Perspicuum autem est, ut hæ figuræ in se invicem resolvantur, eam propositionem, in qua est minus extremum, convertendam esse in utraque figura; hac enim transposita transitus fit.

5. Explicata reductione primæ figuræ in secundam, et secundæ in primam, explicat Aristoteles reductionem primæ figuræ in tertiam, et tertiæ in primam. Docet ergo primo, quod non omnes syllogismi tertiæ figuræ, qui concludunt conclusionem, quæ probari possit per primam figuram, reduci possunt in primam figuram, ut de Boccardo dicetur num. 6. E converso omnes syllogismi primæ figuræ, qui concludunt conclusionem particularem, adeoque inferibilem in tertia figura, reduci possunt ad tertiam. Patet; nam duo sunt syllogismi primæ figuræ concludentes particulariter, Darii nimirum et Ferio, uterque convertendo simpliciter minorem particularem affirmativam reducitur ad tertiam figuram. Sit enim syllogismus in Darii : *omnis homo est intellectualis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal est intellectuale;* convertendo minorem simpliciter et dicendo : *aliquis homo est animal,* sequitur eadem conclusio in tertia figura et in Datisi. Rursus dicatur in Ferio : *nullum animal est planta; aliquod vivens est animal; ergo aliquod vivens non est planta;* convertendo minorem simpliciter ac dicendo : *aliquod animal est vivens,* eadem conclusio sequitur in tertia figura et in Ferison.

6. In tertia figura omnes modi, excepto Boccardo, reduci possunt ad primam. Primo enim ex affirmativis syllogismus in Darapti, ex. gr. : *omnis homo est intellectualis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale.* reducitur ad primam convertendo minorem per accidens et dicendo : *aliquod animal est homo,* eo enim ipso fiet syllogismus in Darii. Eodem pacto convertitur Datisi. Si enim dicatur : *omnis homo est intellectualis; aliquis homo est albus; ergo aliquod album est intellectuale;* convertendo minorem simpliciter et dicendo : *aliquod album est homo,* syllogismus erit in Darii. Disamis reducitur ad primam figuram convertendo majorem et transponendo præmissas, ut dictum est cap. VII, n. 9. Ex syllogismis negativis Felapton et Ferison reducuntur ad Ferio convertendo minorem. ut dictum est cap. VII, num. 6 et 13. Boccardo demum reduci nequit in primam figuram. Si enim dicatur : *aliquis homo non est musicus; omnis homo est animal; ergo aliquod animal non est musicum;* non potest talis syllogismus ostensive reduci ad primam figuram. Major enim converti non potest, utpote particularis negativa; minor universalis affirmativa solum potest converti in particularem affirmativam; sed facta hac conversione nulla sequitur conclusio, cum utraque præmissa sit particularis; ergo Boccardo non potest ostensive reduci in primam figuram, sed solum reduci potest per impossibile, ut dictum est cap. VII, num. 11.

Ex his infertur, quod modi primæ et tertiæ figuræ invicem transmutantur convertendo minorem. Patet; nam Darii et Ferio reducuntur ad Datisi et Ferison convertendo minorem; Darapti, Felapton, Datisi et Ferison reducuntur ad primam figuram et ad Darii et Ferio convertendo minorem. Sed difficultas est de Disamis, qui reducitur ad Darii convertendo majorem et transponendo præmissas. Responderi potest, quod cum major per transpositionem fiat minor, aliquo modo convertitur minor, quia conversio terminatur ad minorem.

7. Ex syllogismis autem qui sunt in media figura, alter resolvitur, alter non resolvitur in in tertiam. Cum enim propositio universalis est privativa, resolvitur. Nam si τὸ α nulli β et cuidam γ inest, ambo extrema similiter reciprocantur cum α. Quapropter τὸ β nulli α ac τὸ γ cuidam inest, medium igitur est τὸ α. Cum autem τὸ α omni β inest, cuidam vero γ non inest, non fit resolutio; neutra enim propositio cum fuerit conversa, erit universalis.

8. Ex tertia quoque figura syllogismi resolvuntur in secundam, cum privativum pronuntiatum est universale. Ut si τὸ α inest nulli γ et τὸ β inest alicui vel omni; etenim τὸ γ nulli α et cuidam β inerit. Si vero propositum privativum sit in parte, non resolvetur, quia negativum in parte non admittit conversionem.

9. Perspicuum igitur est, eosdem syllogismos non resolvi in his figuris, qui nec in primam resolvebantur; et cum in primam figuram syllogismi referantur, hos solum confirmari per deductionem ad impossibile. Quomodo igitur syllogismos reducere oporteat et figuras in se invicem resolvi, perspicuum est ex his quæ dicta sunt.

7. *Explicat demum* Aristoteles reductionem, qua syllogismi secundæ figuræ reducuntur ad tertiam, et syllogismi tertiæ ad secundam. Duo modi universales secundæ figuræ, Cesare nimirum et Camestres reduci non possunt ad tertiam,

cum tertia non concludat universaliter. Ex duobus particularibus, Festino nimirum et Barocco, alter, hoc est Festino potest reduci convertendo simpliciter utramque præmissam. Cum enim altera præmissa sit universalis negativa, altera particularis affirmativa, utraque potest converti simpliciter. Ex. gr., si dicatur : *nullum animal est planta; aliquod vivens est planta; ergo aliquod vivens non est animal;* convertendo simpliciter utramque præmissam et dicendo : *nulla planta est animal; aliqua planta est vivens ; ergo aliquod vivens non est animal,* — argumentum erit in tertia figura et in Ferison. Alter modus particularis secundæ figuræ, hoc est Barocco non potest reduci in tertiam figuram, quia ad talem reductionem, ut medium, quod in utraque præmissa est prædicatum, in utraque fieret subjectum, converti deberet utraque præmissa; sed neutra potest utiliter converti; nam major universalis affirmativa non potest converti, nisi in particularem, et sic utraque præmissa fit particularis, adeoque nihil sequitur; minor particularis negativa non potest ullo pacto converti; ergo Barocco non potest reduci in tertiam figuram.

8. Ex syllogismis tertiæ figuræ tres affirmativi, nimirum Darapti, Disamis et Datisi non possunt reduci in secundam figuram, quæ concludit solum negative. Ex tribus negativis duo, hoc est Felapton, et Ferison reduci possunt convertendo utramque præmissam. Sit enim syllogismus in Felapton: *nullum animal est planta; omne animal est vivens; ergo aliquod vivens non est planta;* convertendo majorem simpliciter et minorem per accidens, argumentum reducitur ad secundam figuram et ad Festino, cum dicatur : *nulla planta est animal; aliquod vivens est animal; ergo aliquod vivens non est planta.* Si vero argumentum sit in Ferison, convertendo simpliciter et majorem et minorem reducitur ad Festino. Boccardo demum non potest reduci ad secundam figuram. Ut enim reduceretur, medium, quod in utraque præmissa est subjectum, in utraque deberet mutari in prædicatum, adeoque converti deberet utraque præmissa; sed neutra potest utiliter converti; nam major utpote particularis negativa converti non potest; minor universalis affirmativa non potest converti, nisi in particularem affirmativam, qua conversione facta utraque præmissa fit particularis, adeoque nihil sequitur; ergo Boccardo non potest reduci ad secundam figuram.

9. Ex dictis patet, quod illi syllogismi secundæ et tertiæ figuræ, qui non possunt reduci ad primam figuram, quales sunt Barocco et Boccardo, neque possunt reduci ostensive ad ullam aliam figuram, sed solum possunt reduci per impossibile, ut dictum est cap. VI, n. 9 et cap. VII, n. 11. Patet igitur, quo pacto syllogismi possint reduci, et quo pacto syllogismi variarum figurarum possint in se mutuo converti, et transmutari.

CAP. III vel XXXII, ART. I.

DE PROPOSITIONIBUS AFFIRMATIVIS DE PRÆDICATO INFINITO, ET QUOMODO ÆQUIVALEANT NEGATIVIS DE PRÆDICATO FINITO.

1. [46] Refert autem in problemate confirmando vel evertendo, utrum quis hæc existimet eamdem an diversam rem significare, non esse hoc et esse non hoc, ut non esse album et esse non album.

2 Neque enim idem significant. Nec ejus dicti, esse album, negatio est hoc, esse non album, sed hoc, non esse album. Cujus rei ratio hæc est, quia similiter se habet hoc, potest ambulare, ad illud, potest non ambulare, ut hoc, est album, ad illud, est non album. Sed et hoc, scit bonum, similiter se habet ad illud, scit non bonum, quoniam hæc nihil differunt, scit bonum, aut est sciens bonum. Neque item hæc, potest ambulare et potens ambulare. Quapropter etiam opposita nihil differunt, nempe non potest ambulare et non est potens ambulare. Si igitur hoc, non est potens ambulare, idem significat quod, est potens non ambulare, hæc simul inerunt in eodem, quoniam idem potest et ambulare et non ambulare, nec non scit bonum et non bonum. Affirmatio vero et negatio oppositæ non sunt simul in eodem. Quemadmodum igitur non idem est, non nosse bonum, et nosse non bonum, ita non idem est, esse non bonum et non esse bonum. Nam si ex analogis altera sint diversa, etiam altera ita se habent.

3. Neque idem est esse non æquale et non esse æquale ; alteri namque, id est ei quod est non æquale, subjicitur aliquid, nempe quod est inæquale; alteri vero nihil subjicitur. Idcirco non omne est æquale aut inæquale, omne autem est æquale aut non æquale.

4. Præterea hæc, est non album lignum et non est album lignum, non simul sunt. Nam si est lignum non album, erit lignum ; quod autem non est album lignum, non necesse est esse lignum. Quare perspicuum est hujus dicti, est bonum, non esse negationem hoc, est non bonum.

5. Si igitur de unoquoque aut affirmatio aut negatio vera est, cum negatio non sit, constat affirmationem quodammodo esse. Omnis autem affirmationis est negatio. Ergo hujus quoque negatio est, non est non bonum.

1. Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto possint per syllogismum inferri conclusiones tum affirmativæ tum negativæ, refutat errorem antiquorum, qui dixerunt propositiones affirmativas prædicati infiniti æquivalere negativis prædicati finiti, adeoque concludi eodem pacto, sicut concluduntur propositiones negativæ. Ut igitur rejiciat hunc errorem, et ostendat diversitatem propositionis affirmativæ prædicati infiniti a propositione negativa prædicati finiti, ponit aliquas conclusiones.

2. *Prima conclusio est :* affirmatio prædicati infiniti non æquipollet negationi prædicati finiti.

Probatur primo; si affirmatio prædicati infiniti æquivaleret negationi prædicati finiti, hæc affirmatio : *est non album,* æquivaleret huic negationi : *non est album;* sed non æquivalet : ergo etc. Probatur minor; illæ propositiones non æquivalent, quæ non opponuntur contradictorie eidem tertiæ propositioni ; sed istæ duæ propositiones : *est non album, non est album,* non opponuntur contradictorie eidem tertiæ propositioni, ex. gr., huic : *est album*; ergo, etc. Probatur minor; huic enim : *est album,* opponitur contradictoriæ hæc : *non est album;* at illa altera affirmativa prædicati infiniti : *est non album,* non opponitur contradictorie; ergo, etc. Probatur antecedens ; istæ duæ propositiones : *est album, est non album,* se habent sicut istæ : *potest ambulare, potest non ambulare,* et sicut istæ : *scit bonum, scit non bonum,* seu quod idem significat : *est potens ambulare, est potens non ambulare, est sciens bonum, est sciens non bonum;* sed istæ : *non potest ambulare, potest non ambulare*; *non scit bonum, scit non bonum,* non æquivalent neque sunt convertibiles; ergo etiam istæ : *non est album, est non album,* non æquivalent neque sunt convertibiles. Probatur minor; si enim istæ duæ : *potest non ambulare, non potest ambulare,* essent æquipollentes, de quocumque verificaretur una, verificaretur altera; sed non de quocumque verificatur una, verificatur altera; ergo neque sunt æquipollentes neque convertibiles. Probatur minor; quia de eo, qui potest ambulare, verificatur etiam quod potest non ambulare, cum possit ambulare et non ambulare; at non verificatur, quod non potest ambulare, alioquin verificarentur contradictoria, quod nimirum posset et non posset ambulare. Similiter de eodem verificatur, quod sciat bonum et simul sciat non bonum, at non verificatur, quod simul sciat bonum, et non sciat bonum; ergo istæ duæ : *non potest ambulare; potest non ambulare,* non æquivalent, nec sunt convertibiles, idemque dic de istis : *non scit bonum, scit non bonum ;* ergo neque æquivalent neque sunt convertibiles istæ, *non est bonum, est non bonum; non est album, est non album,* et universim propositiones affirmativæ prædicati infiniti non sunt convertibiles cum propositionibus negativis prædicati finiti.

3. Probatur secundo eadem conclusio ; propositiones, quarum una nihil ponit, altera ponit aliquid, non sunt æquipollentes; sed negativa prædicati finiti nihil ponit, affirmativa prædicati infiniti ponit aliquid; ergo non æquipollent. Probatur minor; hæc enim propositio negativa prædicati finiti : *non est æquale,* pure negat æquale, at non affirmat, esse subjectum aliquod *non æquale;* at hæc propositio : *est non æquale,* affirmat dari aliquod subjectum non æquale, sed inæquale. Similiter hæc propositio : *non est lignum album,* nihil affirmat adeoque est vera, etiamsi nullum sit lignum neque album, neque non album; at vero hæc : *est lignum non album,* affirmat lignum, adeoque, si nullum sit lignum, non est vera.

4. Hinc jam tertio probatur conclusio ; propositiones enim, quæ possunt non esse simul veræ, non significant idem; sed istæ duæ propositiones : *non est lignum album, est lignum non album,* possunt non esse simul veræ; ergo non significant idem. Minor probatur; quia si nullum sit lignum, vera est hæc : *non est lignum album ;* at vero hæc altera : *est lignum non album,* est falsa.

5. Infertur, quod cum istius propositionis : *est non bonum,* contradictoria non sit hæc : *est bonum ;* unaquæque vero propositio habeat suam contradictoriam, ipsius contradictoria erit hæc : *non est non bonum :* et quia ex contradictoriis altera propositio est affirmativa, altera negativa, ideo hæc : *est non bonum,* quodammodo est affirmativa, illa vero altera : *non est non bonum,* est negativa.

6. Ut explicetur, quo pacto comparentur invicem propositiones de prædicato finito et infinito, consideretur subscripta figura :

A Est bonum.	B Non est bonum.
D Non est non bonum.	C Est non bonum.

In A ponitur affirmatio de prædicato finito : *est bonum*. In B ponitur negatio ejusdem prædicati finiti : *non est bonum*. In B sub C ponitur affirmatio prædicati infiniti : *est non bonum*. In D demum sub A ponitur negatio prædicati infiniti : *non est non bonum*. Hac figura posita per varias conclusiones explicabimus, quo pacto comparentur invicem tales propositiones.

7. *Secunda igitur conclusio* est : affirmativa prædicati finiti, quæ est in A, et negatio ejusdem prædicati finiti, quæ est in B, ita se habent, ut de quolibet verificetur altera, de nullo verificetur utraque. Patet; quodlibet enim vel est bonum vel non est bonum; nihil potest simul esse bonum ac non esse bonum. Ratio est, quia de quocumque verificatur alterum ex prædicatis contradictoriis, de nullo verificatur simul utrumque; sed *esse bonum* et *non esse bonum*, sunt prædicata contradictoria; ergo etc.

8. *Tertia conclusio* est : affirmatio prædicati infiniti, quæ est in C, et negatio ejusdem prædicati infiniti, quæ est in D, ita se habent, ut de quolibet verificetur altera, de nullo utraque. Patet; nam quodlibet vel est non bonum, vel non est non bonum : nihil potest simul esse non bonum, et non esse non bonum.

9. *Quarta conclusio* est : affirmatio prædicati infiniti, quæ est in C, et negatio prædicati finiti, quæ est in B, sic se habent, ut ex affirmatione prædicati infiniti de subjecto valeat consequentia ad negationem, qua de eodem subjecto negatur prædicatum finitum; at non valeat consequentia a negatione prædicati finiti ad affirmationem prædicati infiniti.

Probatur ; si enim est verum : *Petrus est non albus*, bene infertur : *ergo non est albus*; necesse est enim, ut vel sit albus, vel non sit albus, cum ex contradictoriis alterum debeat verificari; sed repugnat, quod sit simul non albus et albus; ergo necesse est, ut si Petrus est non albus, non sit albus; ergo ex hac propositione affirmativa prædicati infiniti : *Petrus est non albus*, sequitur negativa prædicati finiti : *ergo Petrus non est albus*. E converso si verum sit : *Petrus non est lignum album*, non valet : *ergo Petrus est lignum non album*; cum enim non sit lignum, neque est lignum album, neque est lignum non album. Similiter non valet : *lignum non est album; ergo lignum est non album*. Si enim nullum detur lignum, verificabitur, quod lignum non est album, at non verificabitur, quod lignum sit non album ; ergo ex affirmatione prædicati infiniti valet consequentia ad negationem prædicati finiti ; e converso a negatione prædicati finiti non valet consequentia ad affirmationem prædicati infiniti.

6. Habent autem hunc ordinem inter se. Esto esse bonum ubi α, non esse bonum ubi β, esse non bonum ubi γ, sub β ; non esse non bonum ubi δ, sub α.

7. Cuivis igitur inerit aut τὸ α aut τὸ β, et nulli eidem utrumque.

8 Item aut τὸ γ aut τὸ δ, et nulli eidem utrumque.

9. Et cuicumque τὸ γ inest, necesse est etiam τὸ β inesse. Nam si vere dicitur, esse non album, etiam vere dicetur, non esse album. Impossibile enim est simul esse album et non esse album, aut esse lignum non album et esse lignum album. Quare nisi affirmatio insit, negatio inerit. Verum τῷ β τὸ γ non semper consequens est ; quod enim omnino non lignum est, ne lignum quidem erit non album.

10. Contra, cuicumque inest τὸ α, inest etiam τὸ δ. Aut enim inest τὸ γ aut τὸ δ. Sed quia non potest simul esse non album et esse album, τὸ δ inerit. Nam de eo quod est album, vere dicitur non esse non album.

11 Non tamen de omni δ dicitur τὸ α, quia de eo quod omnino non est lignum, non vere dicitur τὸ α, nempe esse lignum album. Quare τὸ δ erit verum, τὸ α non verum, id est esse lignum album.

12. Manifestum quoque est τὸ α γ nulli eidem inesse, et si τὸ β et τὸ δ possint eidem alicui simul inesse.

10. *Quinta conclusio* est : ex affirmatione prædicati finiti valet consequentia ad negationem prædicati infiniti ; e converso a negatione prædicati infiniti non valet consequentia ad affirmationem prædicati finiti.

Probatur prima pars ; sit enim vera hæc affimativa prædicati finiti : *Petrus est albus,* valet consequentia ad hanc negativam prædicati infiniti : *ergo Petrus non est non albus.* Probatur ; ex contradictoriis alterum verificatur ; sed istæ duæ propositiones : *Petrus est non albus, Petrus non est non albus,* sunt contradictoriæ ; ergo supponendo, quod Petrus sit albus, simul verificatur de illo, vel quod est non albus, vel quod non est albus ; sed non potest de Petro verificari simul, quod sit albus, et quod sit non albus ; ergo si Petrus est albus, verificatur, quod non est non albus ; ergo ex affirmatione prædicati finiti : *Petrus est albus,* infertur negatio prædicati infiniti, et valet consequentia, qua dicatur: *ergo Petrus non est non albus.*

11. Secundo pars, quod nimirum ex negatione prædicati infiniti non sequatur affirmatio prædicati finiti, probatur ; hæc enim negativa prædicati infiniti : *Petrus non est lignum non album,* est vera, et tamen non valet consequentia ad affirmativam prædicati finiti : *ergo Petrus est lignum album ;* ergo etc.

12. *Sexta conclusio* est : affirmationes prædicati finiti et infiniti non possunt simul verificari de eodem subjecto ; negationes possunt simul verificari de eodem subjecto. Probatur ; est enim impossibile, ut de Petro verificetur simul, quod est albus et est non albus ; sed hæ sunt affirmationes prædicati finiti et infiniti ; ergo etc. E converso potest de eodem simul verificari, quod neque est lignum album, neque est lignum non album, cum homo de facto neque sit lignum album, neque sit lignum non album ; sed istæ sunt negationes prædicati finiti et infiniti ; ergo possunt de eodem simul verificari negationes prædicati finiti et infiniti.

13. Huic collocationi similis est collocatio privationum relatarum ad attributiones. Sit enim æquale ubi α, non æquale ubi β, inæquale ubi γ, non inæquale ubi δ.

14. Quinetiam in multis, quorum aliis inest aliis non inest eadem res, negatio similiter vera esse potest, veluti non sunt alba omnia, aut non est album unumquodque, cum falsa sit affirmatio, est non album unumquodque vel omnia sunt non alba. Similiter hujus affirmationis, est omne animal album, non est negatio hæc, est non album omne animal ; ambæ enim sunt falsæ ; sed hæc, non est omne animal album.

15, Cum autem constet, diversam esse horum pronuntiatorum significationem, est non album et non est album, et alterum esse affirmationem alterum negationem, perspicuum est non eodem modo utrumque probari. Exempli causa non eodem modo hæc probantur, quodcunque est animal, non est album aut contingit non esse album, et vere dicitur non album ; hoc enim est esse non album. Sed hæc, vere dicitur esse album, sive non album, probandi modus idem est. Ambo enim adstruendo probantur per primam figuram. Nam articulus ille, vere dicitur, similiter collocatur ut verbum est. Hujus enim pronuntiati, vere dicitur album, non est negatio, vere dicitur non album, sed non vere dicitur album Quod si hoc probandum sit, vere dicitur, quodcumque est homo, esse musicum aut esse non musicum, accipiendum est, quodcunque est animal esse musicum aut esse non musicum ; ac demonstratum erit. At vero quodcumque est homo, non esse musicum, refutando probatur in dictis tribus modis.

13. *Septima conclusio* est : propositiones de prædicato privativo, eodem pacto se habent ad propositiones de prædicato finito, sicut propositiones de prædicato infinito. Ut explicetur conclusio sit figura :

A Est æquale.	B Non est æquale.
D Non est inæquale.	C Est inæquale.

Quemadmodum igitur, ut dictum est conclus. 5, num. 10, ex propositione affirmativa prædicati infiniti sequitur propositio negativa prædicati finiti, ideoque valet : *Petrus est non justus ; ergo Petrus non est justus,* at non e converso ; sic ex

affirmativa prædicati privativi, sequitur negativa prædicati positivi, at non e converso, ideoque valet : *Petrus est injustus; ergo non est justus;* at non valet e converso : *Petrus non est justus; ergo est injustus.* Sicut juxta quintam conclusionem ex affirmatione prædicati finiti valet consequentia ad negationem prædicati infiniti, et non e converso; sic ab affirmatione prædicati positivi valet consequentia ad negationem prædicati privativi, et non e converso, ideoque valet : *Petrus est justus; ergo non est injustus;* at non valet e converso : *Petrus non est injustus; ergo est justus.* Demum sicut juxta sextam conclusionem affirmationes prædicati finiti et infiniti non possunt simul verificari de eodem, negationes possunt; sic affirmationes prædicati positivi et privativi non possunt simul verificari de eodem, negationes possunt, ideoque est impossibile, ut idem sit simul justus et injustus, at est possibile, ut idem neque sit justus neque injustus.

14. *Octava conclusio* est : etiam in propositionibus affectis signo universali, *omnis* vel *omnia*, negativa prædicati finiti non æquivalet affirmativæ prædicati infiniti, ex. gr., hæc : *non omnis homo est albus,* vel *non omnes homines sunt albi,* non æquivalet huic : *omnis homo est non albus,* vel *omnes homines sunt non albi.* Probatur, quia istæ duæ : *omnis homo est albus, non omnis homo est albus,* non possunt esse simul falsæ, cum sint contradictoriæ; sed istæ duæ : *omnis homo est albus; omnis homo est non albus,* possunt esse simul falsæ, ac de facto sunt simul falsæ; ergo istæ duæ : *non omnis homo est albus, omnis homo est non albus,* non æquipollent.

15. *Nona conclusio* est : sicut propositiones negativæ prædicati finiti et propositiones affirmativæ prædicati infiniti non æquipollent, ita non probantur eodem pacto. Probatur, quia non eodem pacto probantur propositiones negativæ ac affirmativæ; sed propositio affirmativa prædicati infiniti non æquipollet negativæ, sed vere est affirmativa; ergo, etc. Explicatur exemplo in terminis universalibus. Hæc propositio : *omne, quod est animal, non est album,* est negativa; ista vero : *omne animal vere dicitur non album, seu est non album,* est affirmativa ; ideo omnes istæ propositiones : *omne animal est album; omne animal vere dicitur album; omne animal est non album; omne animal vere dicitur non album,* sunt universales affirmativæ; ly enim *vere dicitur* idem valet, ac *est:* sed propositiones universales affirmativæ probantur solum per primam figuram et per Barbara; ergo omnes propositiones positæ probantur solum per primam figuram et per Barbara. E converso istæ propositiones : *omne animal non est album; omne animal vere dicitur, quod non est album,* etc. sunt negativæ; sed propositiones universales negativæ probari possunt in prima et secunda figura, et in tribus modis, Celarent nimirum, Cesare et Camestres; ergo tales propositiones probari possunt in prima et secunda figura, et in tribus modis, hoc est Celarent, Cesare et Camestres. Similiter istæ duæ propositiones : *omne, quod est homo, est musicum; omne, quod est homo, est non musicum,* sunt affirmativæ, ideoque probari debent in Barbara, dicendo ex gr. : *omne animal est musicum; omne, quod est homo, est animal; ergo omne, quod est homo, est musicum;* vel *omne animal est non musicum; omne, quod est homo, est animal; ergo,* etc. At hæc propositio : *omne, quod est homo, non est musicum,* est negativa, ideoque probari potest in prima vel in secunda figura, et in tribus modis, hoc est in Celarent, Cesare et Camestres.

CAPUT III vel XXXII, ART. II.

DE QUATUOR REGULIS CONSEQUENTIARUM.

16. Simpliciter autem non ita se habent τὸ δ ac τὸ β, ut simul eidem inesse nequeant, cuivis autem necessario alterum insit, itidemque rursus se habent τὸ γ et τὸ δ, consequens autem est τῷ γ τὸ α, nec reciprocatur, tunc etiam τῷ β τὸ θ consequens erit nec reciprocabitur, et τὸ α ac τὸ δ poterunt eidem inesse, τὸ β autem et τὸ γ non poterunt.

Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto propositiones affirmativæ de prædicato infinito se habeant ad negativas secundum consequentiam mutuam vel non mutuam, ex tradita doctrina infert ac demonstrat quatuor regulas consequentiarum, et per has concludit hunc primum librum.

16. Docet igitur, quod quando duo prædicata, quæ vocentur A B sunt contradictoria, adeoque ita se habent, ut de

quolibet necessario verificetur alterum, de nullo possit verificari utrumque simul; et duo alia prædicata, quæ vocentur C D. sunt similiter contradictoria, adeoque de quolibet necessario verificatur alterum, de nullo potest verificari utrumque simul; tum si ex uno prædicato, quod ideo vocatur antecedens, , sequatur alterum et non e converso; ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis et non e converso. Explicatur per subjectam figuram.

Antecedens C. Est homo.	D. Contradictorium antecedentis Non est homo.
Consequens A. Est animal.	B. Contradictorium consequentis Non est animal.

In A et B sunt duo prædicata contradictoria, quæ sunt : *est animal, non est animal*, quæ ita se habent, ut de quolibet necessario verificetur alterum, de nullo verificari possit utrumque, siquidem quodlibet necessario vel est animal vel non est animal, nihil potest simul esse animal et non esse animal. In C et D sunt alia duo prædicata contradictoria, quæ sunt : *est homo, non est homo*. Rursus prædicatum : *est homo*, ita se habet ad prædicatum : *est animal*, ut A sequatur necessario ex C, non e converso ; siquidem valet : *est homo ; ergo est animal;* non valet e converso : *est animal ; ergo est homo*, ideo prædicatum : *est homo*, est antecedens, prædicatum : *est animal*, est consequens non convertibile. Ex contradictorio igitur consequentis. sequitur contradictorium antecedentis et non e converso, ideoque valet : *non est animal ; ergo non est homo;* at non valet e converso : *non est homo ; ergo non est animal.*

In hac doctrina continentur quatuor regulæ consequentiarum. *Prima regula* est : cum ex aliquo antecedenti sequitur consequens, ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis. Ex. gr., quia ex hoc antecedenti: *Petrus est homo*, sequitur hoc consequens : *ergo Petrus est animal ;* ex hoc contradictorio consequentis : *Petrus non est animal*, sequitur contradictorium antecedentis : *ergo Petrus non est homo.* — *Secunda regula* est : cum ex aliquo antecedenti sequitur consequens non convertibiliter, ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis non convertibiliter. Ex. gr., quia ex hoc antecedenti : *est homo*, sequitur : *ergo est animal*, sed non sequitur e converso : *est animal ; ergo est homo ;* ideo ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis et valet : *non est animal*; *ergo non est homo;* at ex contradictorio antecedentis non sequitur contradictorium consequentis, ideoque non valet : *non est homo ; ergo non est animal.*

Tertia regula est : consequens potest stare cum contradictorïo antecedentis non convertibilis. Ex. gr., quia animal est consequens non convertibile hominis, potest idem subjectum esse animal, et non esse homo, adeoque potest animal, quod est consequens, stare cum contradictorio hominis, qui est antecedens.

Quarta demum *regula* est : antecedens non potest conjungi cum contradictorio consequentis. Ex. gr., quia homo est antecedens animalis, implicat, ut idem sit homo, et non sit animal.

Propositis his quatuor regulis, demonstrat illas Aristoteles singillatim, ac deinde afferens et solvens quamdam objectionem sophisticam, concludit librum.

17. Primum igitur τῷ β consequens esse τὸ δ, hinc apparet. Cum enim cuivis ex necessitate insit alterum τῶν γ δ, ei vero cui τὸ β inest non possit inesse τὸ γ, quia secum infert α, τὸ α vero et τὸ β non possunt eidem inesse, perspicuum est consequens esse τὸ δ

18. Rursus quia τὸ γ non reciprocatur cum α, cuivis autem inest aut τὸ γ aut τὸ δ, accidit ut τὸ α et τὸ δ eidem insint.

19. Verum τὸ β et τὸ γ non possunt eidem inesse, quia statim ad γ consequitur τὸ α, atque ita evenit quiddam impossibile.

20. Perspicum igitur est τὸ β cum δ non reciprocari, quia una cum δ contingit etiam τὸ α inesse.

17. Demonstratur igitur prima regula, quod cum ex antecedenti sequitur consequens, ex contradictorio consequentis sequatur contradictorium antecedentis.

Si enim valet : *est homo; ergo est animal*, valet etiam : *non est animal ; ergo non est homo*. Probatur ; necesse enim est, ut quod non est animal, aut sit homo aut non sit homo, cum hæc sint contradictoria, adeoque alterum cuilibet insit; sed est impossibile, ut quod non est animal, simul sit homo ; ergo necesse est, ut quod non est animal, non sit homo, adeoque sequitur: *non est animal; ergo non est homo*. Probatur minor ; impossibile enim est, ut quod non est animal, simul sit animal, cum hæc sint contradictoria; sed si quod non est animal, simul esset homo, quod non est animal, simul esset animal ; ergo impossibile est, ut quod non est animal, sit homo. Probatur minor ; ex homine enim necessario sequitur animal, ut supponitur; ergo si quod non est animal, esset homo, quod non est animal, simul esset animal; ergo impossibile est, ut quod non est animal, sit homo ; ergo necesse est, ut quod non est animal, non sit homo; ergo cum ex antecedenti sequitur consequens, ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis.

18. Demonstratur jam tertia regula (demonstratio enim secundæ differtur ab Aristotele in ultimum locum). Est autem tertia regula, quod consequens potest stare cum contradictorio antecedentis non convertibilis. Si enim valet : *est homo; ergo est animal*, et non e converso, potest aliquid esse animal, et non esse homo. Probatur; quod enim est animal, vel est homo vel non est homo, cum hæc sint contradictoria ; sed non est necesse, ut quod est animal, sit homo, alioquin valeret : *est animal ; ergo est homo*, adeoque animal et homo essent convertibilia, quod est contra suppositum ; ergo potest aliquid esse animal, et non esse homo ; ergo potest animal, quod est consequens, stare cum contradictorio hominis, qui homo est antecedens; ergo potest universim consequens stare cum contradictorio antecedentis non convertibilis ; eo enim ipso, quod non posset stare cum contradictorio talis antecedentis, non posset stare sine antecedenti, et sic esset convertibile cum antecedenti, quod est contra suppositum.

19. Demonstratur quarta regula, quod antecedens non possit stare cum contradictorio consequentis. Si enim valet : *est homo; ergo est animal ;* non potest aliquid idem esse homo, et simul non esse animal ; alioquin idem simul esset animal et non esset animal; esset animal, quia animal necessario sequitur ad hominem ; at non esset animal ex suppositione ; sed est impossibile, quod idem simul sit animal et non sit animal, cum hæc sint contradictoria ; ergo antecedens non potest stare cum contradictorio consequentis.


20. Ex his demonstratur etiam secunda regula, quod cum ex aliquo antecedenti sequitur consequens non convertibiliter, ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis non convertibiliter. Si enim valet : *est homo; ergo est animal ;* at non valet e converso ; etiam valet: *non est animal ; ergo non est homo*, at non valet e converso. Ex tertia enim regula potest consequens stare cum contradictorio antecedentis non convertibilis, adeoque potest aliquid esse animal et non esse homo; ergo cum contradictorium antecedentis sit conjungibile cum consequenti, ex contradictorio antecedentis non sequitur ex necessitate contradictorium consequentis, licet ex contradictorio consequentis sequatur contradictorium antecedentis; ergo non valet conversio.

21 Interdum vero etiam in hujuscemodi terminorum dispositione falli contingit, quia non recte accipiuntur opposita, quorum alterum cuivis inesse necesse est. Ut si τὸ α et τὸ β non accidant simul eidem, necesse autem sit, cui alterum non inest, alterum inesse; rursus eodem modo se habeant τὸ γ et τὸ δ, omni autem γ consequens sit τὸ α. Concludetur enim, cui τὸ δ inest, ei τὸ β necessario inesse ; quod quidem est falsum. Sumatur enim negatio τῶν α β, quæ sit ubi ζ, rursusque negatio τῶν γ δ, quæ sit ubi θ. Necesse igitur est cuivis inesse aut τὸ α aut τὸ ζ, nimirum aut affirmationem aut negationem ; rursus aut τὸ γ aut τὸ δ, quia sunt affirmatio et negatio ; et cuicumque τὸ γ inest, etiam τὸ α inesse suppositum fuit. Itaque cuicumque τὸ ζ inest, etiam τὸ θ inerit. Rursus quia τῶν ζ β alterum cuivis inest, et τῶν θ δ ititem alterum, consequens autem est τῷ ζ τὸ θ, etiam τῷ δ consequens erit τὸ β ; hoc enim scimus. Si igitur τῷ γ consequens est τὸ α, etiam τῷ δ consequens erit τὸ β. Quod tamen falsum est, quia vice versa erat consecutio in iis quæ ita se habent.

22. Non enim fortasse necesse est cuivis inesse aut τὸ α aut τὸ ζ, nec aut τὸ ζ aut τὸ β, quia τοῦ α non est negatio τὸ β. Nam boni negatio est non bonum ; hæc autem non idem valent, non est bonum, et neque est bonum neque non bonum. Similis est ratio τῶν γ δ, quoniam negationes, quæ sumptæ fuerunt duæ sunt.

21. Contra hanc secundam regulam modo demonstratam proponit Aristoteles argumentum sophisticum ad ostendendum oppositum. Si enim dicatur : *est homo ; ergo est animal*, non solum valet : *non est animal ; ergo non est homo ;* sed etiam valet : *non est homo ; ergo non est animal ;* ergo ex contradictorio consequentis non convertibilis sequitur contradictorium antecedentis, et e converso. Probatur antecedens ; valet enim : *est homo ; ergo est animal ;* ergo ex contradictorio animalis, quod est consequens, sequitur contradictorium hominis, qui est antecedens ; sed negatio animalis simul et non animalis, qua dicatur : *nec est animal, nec est non animal*, est contradictorium commune animalis et non animalis ; ergo ex hac negatione animalis et non animalis sequitur contradictorium commune hominis et non hominis, adeoque valet : *nec est animal, nec non animal ; ergo nec est homo, nec non homo* ; ergo hæc propositio : *nec est animal, nec non animal*, est antecedens ; hæc alia : *nec est homo, nec non homo*, est consequens ; sed ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis juxta primam regulam ; ergo ex contradictorio hujus : *nec est homo, nec non homo*, sequitur contradictorium hujus : *nec est animal, nec est non animal ;* sed contradictoria hujus : *nec est homo, nec non homo*, est etiam hæc : *non est homo ;* ergo ex hac propositione : *non est homo*, sequitur contradictoria hujus : *nec est animal, nec non animal ;* sed contradictoria hujus : *nec est animal, nec non animal*, est etiam hæc : *non est animal ;* ergo ex hac : *non est homo*, sequitur hæc : *non est animal ;* ergo non solum ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis, sed etiam ex contradictorio antecedentis non convertibilis, sequitur contradictorium consequentis, adeoque falsa est illa secunda regula.

22. Respondet Aristoteles, falsum esse, quod contradictoria hujus : *est animal*, sit hæc : *nec est animal, neque non animal*. Contradictoriæ enim non possunt de eodem falsificari ; sed potest de eodem falsificari utraque propositio posita ; ergo etc. Probatur minor ; nam falsum est, quod planta sit animal, et simul falsum est, quod neque sit animal neque non animal ; ergo contradictoria hujus : *est animal*, non est hæc : *neque est animal, neque non animal ;* sed hæc : *non est animal ;* et similiter contradictoria hujus : *est homo*, non est hæc : *neque est homo, neque non est homo*, sed hæc : *non est homo* ; ergo cum argumentum non recte sumat contradictorias, non concludit, sed est sophisticum. Et per hæc Aristoteles absolvit librum primum de Priori Resolutione.



PRIORUM ANALYTICORUM

HOC EST

RESOLUTORIORUM

LIBER II

PARS PRIMA

DE POTESTATIBUS ET VIRTUTIBUS SYLLOGISMORUM

CAPUT I

DE POTESTATE ET VIRTUTE SYLLOGISMI AD CONCLUDENDAS PLURES CONCLUSIONES.

1. In quot igitur figuris, et per quales ac quot propositiones, et quando et quomodo fiat syllogismus; amplius, ad quæ respiciendum sit evertenti vel adstruenti, et quomodo quæri debeat de re proposita secundum quamvis methodum, præterea qua via sumamus cujusque quæstionis principia, jam exposuimus.

2. Cum autem syllogismorum alii sint universales alii particulares, universales omnes semper plura concludunt, ex particularibus attributivi plura concludunt, negativi unam conclusionem colligunt.

3. Nam aliæ propositiones convertuntur, particularis autem privativa non convertitur. Conclusio vero est oratio significans aliquid de aliquo. Quapropter alii syllogismi plura concludunt.

4. Ut si ostensum fuerit τὸ α inesse omni aut alicui β, necesse est etiam τὸ β inesse alicui α. Quod si ostensum sit nulli β inesse τὸ α, etiam nulli α inerit τὸ β. Hæc autem conclusio est diversa a superiore. At si α cuidem β non insit, non est necesse etiam τὸ β cuidam α non inesse; potest enim omni inesse. Hæc igitur est causa omnium syllogismorum communis, tam universalium quam particularium.

1. Initio libri secundi epilogat Aristoteles omnia, quæ dicta sunt libro primo, et determinat, de quibus sit agendum in libro secundo. Explicatum enim est primo, in quot figuris, ex quot et qualibus præmissis, quando et quomodo fiat syllogismus; secundo explicatum est, quæ sint consideranda, ut inveniatur medium ad probandam vel impugnandam quamcumque propositam conclusionem, per quamcumque figuram; et per quam viam possint inveniri principia seu præmissæ syllogismorum. Restat igitur, ut cum libro primo hæc tractantes satis egerimus de syllogismo quoad ejus esse et fieri; libro secundo agamus primo de potestatibus et virtutibus syllogismi jam constituti; secundo de ejusdem impotentiis seu defectibus; tertio demum de quibusdam annexis syllogismo.

Prima potestas et virtus syllogismi est, per quam potest inferre plures conclusiones. Possunt autem tales conclusiones communicare cum conclusione principali in utroque extremo, vel in altero tantum extremo. Per varias igitur conclusiones explicat Aristoteles, quo pacto syllogismi

habeant virtutem concludendi plures conclusiones communicantes in utroque vel in altero tantum extremo.

2. *Prima conclusio* est : omnes syllogismi concludentes conclusionem universalem sive affirmativam sive negativam, et concludentes conclusionem particularem affirmativam habent virtutem etiam concludendi alias conclusiones communicantes in utroque extremo; at syllogismi concludentes conclusionem particularem negativam, non possunt ex vi formæ concludere alias conclusiones communicantes in utroque extremo.

3. Probatur; quia omnes syllogismi inferentes conclusionem convertibilem, possunt inferre etiam convertentem, adeoque cum propositio conversa et convertens conveniant in utroque extremo, possunt inferre plures conclusiones convenientes in utroque extremo; sed omnes syllogismi inferentes conclusionem universalem affirmativam vel negativam, et particularem affirmativam inferunt conclusionem convertibilem; e converso syllogismi inferentes particularem negativam inferunt conclusionem non convertibilem ; ergo, etc. Probatur minor, quia ex enuntiationibus affirmativa tum universalis tum particularis possunt converti; ex negativis universalis potest converti, particularis non potest converti, ut demonstratum est lib. I. Prior. cap. II. ; ergo omnes syllogismi inferentes universalem affirmativam vel negativam, vel particularem affirmativam inferunt conclusionem convertibilem, at syllogismi inferentes conclusionem particularem negativam inferunt conclusionem non convertibilem.

4. In hac virtute syllogismorum fundantur tres modi indirecti primæ figuræ, Baralipton nimirum, Dabitis et Celantes. Si enim in Barbara sit conclusum, quod omnis homo est vivens, sic : *omne animal est vivens; omnis homo est animal; ergo omnis homo est vivens*; quia conclusio universalis affirmativa est convertibilis per accidens in hanc : *ergo aliquod vivens est homo,* ex positis præmissis concluditur etiam in Baralipton, quod aliquod vivens est homo. Similiter si in Darii conclusum fuerit, quod àliquod animal est intellectuale, sic : *omnis homo est intellectualis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal est intellectuale;* quia hæc conclusio convertitur simpliciter in hanc : *ergo aliquod intellectuale est animal,* ideo ex iisdem præmissis potest etiam concludi in Dabitis, quod aliquod intellectuale est animal. Rursus si fuerit conclusum in Celarent, quod nullus homo est hinnibilis, sic : *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis;* quia hæc conclusio convertitur simpliciter in hanc : *ergo nullum hinnibile est homo,* ideo ex iisdem præmissis potest etiam inferri in Celantes, quod nullum hinnibile est homo. E converso si fuerit conclusum in Ferio, quod aliquod animal non est homo, sic : *nullus equus est homo; aliquod animal est equus; ergo aliquod animal non est homo;* quia hæc conclusio non convertitur in hanc : *ergo aliquis homo non est animal,* siquidem omnis homo est animal, ideo ex præmissis Ferio non potest inferri alia conclusio. Patet igitur ratio, propter quam aliqui syllogismi, tum universales tum particulares, habent virtutem inferendi plures conclusiones, qua virtute carent syllogismi concludentes particulariter negative.

5. Licet autem de universalibus etiam aliter dicere. Nam quæ sub medio aut sub conclusione sunt, eorum omnium erit idem syllogismus, si illa in medio, hæc in conclusione ponantur.

6. Utputa si τὸ α β concludatur per γ, necesse est τὸ α dici de iis omnibus, quæ sunt sub β aut sub γ. Nam si τὸ δ est in toto β ac τὸ β in toto a, etiam τὸ δ erit in toto α. Rursus si τὸ ε est in toto γ ac τὸ γ in ipso α, etiam τὸ ε erit in toto α. Similis ratio est, si privativs sit syllogismus.

7. In secunda autem figura syllogismus erit eius duntaxat, quod est sub conclusione, ut si τὸ α insit nulli β et omni γ, concludetur nulli γ inesse τὸ β. Si igitur τὸ δ est sub γ, perspicuum est ei non inesse τὸ β. Iis vero qnæ sunt sub α non inesse, non est manifestum per syllogismum. Atqui non inerit τῷ ε, si est sub α. Sed nulli quidem γ inese τὸ β syllogismo probatum fuit, τῷ α vero non inesse sine demonstratione acceptum fuit. Quare non colligitnr eo syllogismo τὸ β τῷ ε non inesse.

5. *Secunda conclusio* est : modi universales primæ figuræ, hoc est Barbara, et Celarent habent virtutem inferendi majus extremum etiam de omnibus, quæ continentur sub medio et sub minori extremo, adeoque habent virtutem inferendi plures conclusiones communicantes in uno extremo, hoc est in majori.

6. Probatur; sit enim syllogismus in Barbara, in quo concludatur, quod : *omne vivens est substantia,* per corpus tanquam per medium sic : *omne corpus est sub-*

stantia; omne vivens est corpus; ergo omne vivens est substantia; hic syllogismus habet virtutem inferendi substantiam de omni, quod continetur tum sub corpore, quod est medium, tum sub vivente, quod est minus extremum, ideoque valet : *omne corpus est substantia; ergo omne, quod continetur sub corpore, est substantia;* et quia lapis continetur sub corpore, ideo etiam lapis est substantia; similiter quia homo continetur sub vivente, etiam homo est substantia. Similiter si dicatur in Celarent : *nullum vivens est lapis; omne animal est vivens; ergo nullum animal est lapis;* infertur virtualiter, non esse lapidem de omni, quod continetur tum sub vivente, quod est medium, tum sub animali, quod est minus extremum; et quia planta continetur in vivente, homo in animali, ideo etiam de planta et homine infertur virtualiter, quod non sit lapis.

7. *Tertia conclusio* est : modi universales secundæ figuræ, hoc est Cesare et Camestres, habent virtutem concludendi negationem majoris extremi de omnibus, quæ continentur sub minori extremo, hoc est sub subjecto conclusionis. Ex. gr., si in Cesare concludatur, quod nullum metallum est animal, per inanimatum tanquam per medium sic : *nullum animal est inanimatum; omne metallum est inanimatum; ergo nullum metallum est animal;* concluditur virtualiter negatio animalis etiam de omni eo, quod continetur sub metallo, quod est minus extremum; et quia aurum, etc., continetur sub metallo, ideo etiam de auro concluditur negatio animalis, ut patet, quia si ad conclusionem, quæ fuit : *nullum metallum est animal*, subsumatur : *omne aurum est metallum;* sequitur : *ergo nullum aurum est animal.* Addit Aristoteles, quod negatio majoris extremi, hoc est animalis, sequitur, etiam de his, quæ continentur sub medio, hoc est sub inanimato, sed non constat ex posito syllogismo, quod sequatur talis negatio. Nam cum dicitur : *nullum animal est inanimatum; omne metallum est inanimatum; ergo nullum metallum est animal;* sequitur negatio animalis de omni, quod est sub inanimato; et quia lapis est sub inanimato; sequitur negatio animalis de lapide, adeoque sequitur, quod nullus lapis sit animal. Ratio est, quia major potest converti in hanc : *nullum inanimatum est est animal;* sed facta hac conversione, argumentum erit in Celarent, et medium erit inanimatum; in Celarent vero negatio majoris extremi sequitur etiam de omni, quod continetur sub medio, ut dictum est num. 6 et 7; ergo etiam in secunda figura et in Cesare negatio majoris extremi sequitur de omni, quod continetur sub medio. Quia tamen in majori in Cesare non est sumptum : *quod nullum inanimatum, est animal,* sed solum : *quod nullum animal est inanimatum,* ideo non patet animal negari de omni, quod continetur sub inanimato, sed debet id probari convertendo majorem et reducendo syllogismum in Celarent.

8. In particularibus autem syllogismis eorum quæ sunt sub conclusione, concludendorum non erit ulla necessitas, quia non fit syllogismus, cum hæc propositio accipitur in parte. Eorum autem omnium quæ sunt sub medio, erit quidem, non tamen per eum syllogismum. Ut si τὸ α inest omni β ac τὸ β cuidam γ. Quod enim positum est sub γ, non concludedur; quod vero est sub β, concludetur, non tamen per syllogismum antecedentem.

9. Similis est ratio aliarum figurarum. Quod enim est sub conclusione, non concludetur. Alterum concludetur, non tamen per eum syllogismum; qua etiam in syllogismis universalibus ex non demonstrata propositione probabantur quæ sunt sub medio. Quare aut ibi quoque non concludetur, aut concludetur etiam in his.

8. *Quarta conclusio* est : syllogismi particulares primæ figuræ non habent virtutem concludendi majus extremum de iis, quæ continentur sub minori extremo, sed solum habent virtutem concludendi de iis, quæ continentur sub medio. Probatur; si enim dicatur in Darii : *omne animal est mortale*; *aliquod intellectuale est animal; ergo aliquod intellectuale est mortale;* non potest concludi mortale de eo, quod continetur sub minori extremo, hoc est sub intellectuali, puta de Angelis. Non enim potest inferri subsumendo : *aliquod intellectuale est mortale; Angeli sunt intellectuales; ergo Angeli sunt mortales;* quia major est particularis, ex qua in prima figura nihil sequitur; at potest concludi mortale de eo, quod continetur sub animali, quod est medium, ex. gr., de homine, equo, etc. Valet enim : *omne animal est mortale; homo, equus*, etc., *sunt animal; ergo homo, equus* etc., *sunt mortales.* Verum posita conclusio sequitur, non ex posito syllogismo, sed ex alio, qui virtualiter

continebatur in ea majore : *omne animal est mortale.* Hæc enim major significat, quod omne, quod est animal est mortale, adeoque involvit implicite syllogismos, quibus probatur mortale de omni, quod est sub animali.

9. *Quinta conclusio* est : modi particulares secundæ et tertiæ figuræ non concludunt virtualiter majus extremum de eo, quod continetur sub minori extremo, hoc est sub subjecto conclusionis, at concludunt de eo, quod continetur sub medio.

Probatur : si enim dicatur in Darapti : *omnis homo est animal; omnis homo est intellectualis; ergo aliquod intellectuale est animal;* non concluditur animal de eo, quod est sub intellectuali, puta de Angelis, ex eadem ratione, ex qua non concluditur in prima figura, ut dictum est num. 8. Concluditur tamen animal de eo, quod continetur sub homine, quod est medium. Major enim : *omnis homo est animal,* virtualiter continet syllogismum, quo concludatur animal de omni, quod continetur sub homine, ut de prima figura dictum est num. 8.

CAPUT II

DE MODIS, QUIBUS CONCLUSIO VERA POTEST INFERRI EX PRÆMISSIS FALSIS IN PRIMA FIGURA, LICET CONCLUSIO FALSA NON POSSIT INFERRI EX PRÆMISSIS VERIS.

1. [2] Potest igitur fieri, ut veræ sint propositiones, ex quibus constat syllogismus; potest etiam fieri, ut sint falsæ, et ut altera sit vera altera falsa. Conclusio autem necessario est aut vera aut falsa.

2. Ex veris igitur non potest falsum concludi; ex falsis verum potest, non ita tamen ut probetur cur sit, sed tantum quod sit. Nam cur res sit, non potest syllogismo ex falsis probari; cujus rei causa in sequentibus dicetur.

3. Primum igitur ex veris non posse falsum colligi, hinc manifestum est. Nam si cum τὸ α est, necesse est τὸ β esse, certe cum τὸ β non est, necesse est τὸ α non esse. Si igitur verum est τὸ α, necesse est etiam τὸ β verum esse; alioqui accidet ut idem simul sit et non sit; quod est impossibile. Neque vero quia positum est τὸ α unus terminus, suspicetur aliquis accidere ut, cum unum quidpiam sit, necessario aliquid colligatur. Hoc enim fieri nequit. Quod enim necessario colligitur, est conclusio; ex quibus autem paucissimis hæc colligitur, sunt tres termini, duo autem intervalla et propositiones. Ergo si verum est, cuicumque τὸ β inest etiam τὸ α inesse, et cuicumque inest τὸ γ inesse etiam τὸ β, profecto cui τὸ γ inest necesse est τὸ α inesse, neque potest hoc esse falsum, quia simul idem inesset et non inesset. Itaque τὸ α quasi unum positum est, cum eo significentur duæ propositiones simul acceptæ In privativis quoque res similiter se habent. Non licet enim ex veris falsum ostendere.

1. Postquam Aristoteles explicavit virtutem syllogismi, per quam potest concludere plures conclusiones, quæ est virtus formæ, explicat virtutem, per quam potest ex præmissis falsis concludere conclusionem veram, quæ virtus videtur spectare ad materiam; et simul etiam examinat, an syllogismus habeat virtutem concludendi conclusionem falsam ex præmissis veris. Præmittens igitur, quod præmissæ syllogismi possunt esse, vel simul veræ vel simul falsæ, vel altera vera altera falsa, conclusio autem necessario vel est vera vel falsa, ponit tres conclusiones.

2. *Prima conclusio* est : non potest ex præmissis veris inferri conclusio falsa.

Secunda conclusio est : potest ex præmissis falsis inferri conclusio vera.

Tertia conclusio est : licet conclusio vera possit inferri ex præmissis falsis, tamen ex præmissis falsis non ostenditur, *propter quid* conclusio sit, sed solum, *quod sit,* et non explicatur causa, cur conclusio sit vera, sed solum probatur, conclusionem esse veram. Syllogismus enim *propter quid* non potest constare ex præmissis falsis, ut inferius ostendetur.

3. *Probatur prima conclusio,* quod ex præmissis veris non potest inferri conclusio falsa. Ex prima enim regula tradita cap. ult. libri primi Prior. num. 16, cum ex antecedenti necessario sequitur consequens, ex destructione consequentis sequitur destructio antecedentis. Si igitur præmissæ seu antecedens est verum, et conclusio seu consequens est falsum, verum est antecedens, et simul est verum contradictorium seu destructivum consequentis; sed ex contradictorio, seu destructione consequentis sequitur contradictorium seu destructio antecedentis, ergo si verum est contradictorium et destructio consequentis, est etiam verum contradictorium destructivum antecedentis; sed antecedens supponitur verum; ergo verum est antecedens, et simul est verum contradictorium et ejus destructio, quod est impossibile; ergo est impossibile, ut ex antecedenti vero sequatur necessario consequens seu conclusio falsa, quia eo ipso esset simul

verum antecedens et ejus contradictorium, adeoque idem simul esset et non esset. Porro antecedens non est unica tantum præmissa, sed duplex. Antecedens enim est, ex quo sequitur necessario conclusio; sed conclusio non potest necessario sequi, nisi ex tribus terminis ac duabus præmissis seu propositionibus; ergo antecedens constare debet ex duabus saltem præmissis seu propositionibus. Ex. gr., si dicatur in Barbara : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis,* est impossibile, quod sit vera utraque præmissa, quin conclusio sit vera, alioquin utraque præmissa erit vera, et non utraque erit vera. Utraque igitur præmissa constituit antecedens, ex quo necessario sequitur conclusio seu consequens. Idem dic de syllogismis negativis.

4. Ex falsis autem verum colligi potest et cum ambæ propositiones sunt falsæ, et cum una. Hæc autem non utravis, sed secunda, si totam falsam accipiamus. Quodsi non tota falsa accipiatur, verum colligi potest, utravis falsa sumpta fuerit.

5. Insit enim τὸ α toti γ et nulli β, neque τὸ β τῷ γ insit. Accidit autem hoc, ut nulli lapidi animal et lapis nulli homini. Si igitur accipiatur τὸ α inesse omni β ac τὸ β omni γ, τὸ α omni γ inerit. Quare ex ambabus falsis vera erit conclusio ; omnis enim homo est animal.

6. Eadem est ratio conclusionis privativæ. Pone enim nec τὸ α nec τὸ β inesse ulli γ, verum τὸ α inesse omni β. Ut si iisdem terminis acceptis homo constituatur medius terminus ; nulli enim lapidi animal vel homo inest, omni autem homini animal. Quare si cui omni inest, acceperimus nulli inesse, cui vero non inest, omni inesse, ex ambabus falsis erit conclusio vera.

7. Similiter ostendetur, si utraque propositio sit falsa ex parte.

4. *Probatur* jam *secunda conclusio,* quod ex præmissis falsis possit sequi conclusio vera, discurrendo per omnes figuras et earum modos. In modis igitur universalibus primæ figuræ, qui sunt Barbara et Celarent, potest ex falso inferri verum. Potest igitur in dictis modis colligi verum ex falso, et si utraque præmissa sit falsa totaliter, et si utraque sit falsa partialiter, et si major sit vera, minor falsa totaliter aut partialiter, et si major sit falsa partialiter, minor vera; si autem major sit falsa totaliter, minor vera, non potest inferri conclusio vera, sed solum falsa.

5. Primo ergo in Barbara potest conclusio vera, in qua majus extremum sit universalius minori extremo, inferri ex utraque præmissa totaliter falsa, si sumatur medium extraneum seu repugnans utrique extremo. Ex. gr., hæc conclusio : *omnis homo est animal,* est vera, et prædicatum, quod est *animal,* est universalius subjecto, quod est *homo;* sumendo igitur pro medio *lapis,* quod est extraneum utrique extremo, hoc est tum animali tum homini, concludetur ex utraque præmissa totaliter falsa, conclusio vera in Barbara sic : *omnis lapis est animal; omnis homo est lapis ; ergo omnis homo est animal.* Dicitur vero propositio universalis esse totaliter falsa, cum ejus contraria est vera; ex. gr., istæ : *omnis lapis est animal, omnis homo est lapis;* — sunt totaliter falsæ, quia veræ sunt earum contrariæ : *nullus lapis est animal ; nullus homo est lapis.*

6. Secundo in Celarent potest conclusio vera concludi ex præmissis totaliter falsis, si ad probandam universalem negativam de prædicato, quod sit extraneum subjecto, sumatur medium, quod sit inferius majori extremo, ex. gr., in iisdem terminis hæc conclusio vera : *nullus lapis est animal,* probari potest ex præmissis totaliter falsis, sumendo pro medio hominem, qui est inferior *animali,* quod est majus extremum, et est extraneus lapidi, qui est minus extremum. Dicatur enim : *nullus homo est animal ; omnis lapis est homo : ergo nullus lapis est animal,* — utraque præmissa est totaliter falsa, quia contrariæ sunt veræ, et tamen sequitur conclusio vera.

7. Tertio potest in Barbara et Celarent conclusio vera inferri ex præmissis partialiter falsis, sumendo medium accidentale utrique extremo. Ex. gr., hæc conclusio : *omnis homo est animal,* probabitur ex utraque præmissa falsa partialiter, sumendo pro medio *album,* quod accidit tum animali tum homini. Dicatur enim : *omne album est animal; omnis homo est albus; ergo omnis homo est animal;* — utraque præmissa est falsa partialiter, quia etiam contrariæ sunt falsæ, falsum enim est, quod *nullum album sit animal,* et quod *nullus homo sit albus.*

Similiter hæc conclusio vera : *nullus lapis est animal,* probatur in Celarent ex utraque præmissa partialiter falsa, sumendo medium accidentale tum animali tum lapidi, ex. gr., *album* ac dicendo : *nullum album est animal ; omnis lapis est albus; ergo nullus lapis est animal.*

8. Cum autem altera tantum propositio falsa posita est. si prima sit tota falsa, ut α β, non erit conclusio vera. Sin tota falsa sit, propositio β γ erit vera conclusio. Totam falsam voco eam, quæ est contraria veræ. Ut si sumptum fuerit omni inesse, quod nulli inest, aut si quod omni inest, nulli acceptum fuerit inesse. Insit enim τὸ α nulli β, ac τὸ β omni γ. Si igitur propositionem β γ accipiamus veram, propositionem autem α β totam falsam, et omni β inesse τὸ α, fieri nequit ut conclusio vera sit, quia nulli γ inerat, siquidem cui τὸ β, ei nulli τὸ α inerat, et τὸ β inerat omni γ.

9. Similiter autem non erit vera conclusio, si τὸ α insit omni β et τὸ β omni γ, et propositio β γ sumatur vera, propositio autem α β tota falsa, et nulli, cui τὸ β insit, τὸ α inesse. Conclusio, inquam, falsa erit. Omni enim γ inerit τὸ α, siquidem cuicunque τὸ β, etiam τὸ α inerat, τὸ β vero inerat omni γ. Perspicuum igitur est, cum prima propositio tota falsa accipitur, sive affirmet sive neget, altera autem vera, non effici veram conclusionem.

10. Quodsi non tota sumatur falsa, erit vera conclusio. Nam τὸ α inest omni γ et alicui β, ac τὸ β omni γ, ut animal omni cygno et cuidam albo, albumque omni cygno, si sumptum sit τὸ α inesse omni β et τὸ β omni γ, τὸ α omni γ vere inerit ; omnis enim cygnus est animal. Similiterque conclusio vera erit, si pronuntiatum α β sit privativum. Potest enim τὸ α cuidam β inesse et nulli γ, τὸ β autem omni γ, ut animal cuidam albo et nulli nivi, album autem omni nivi. Si igitur sumptum fuerit τὸ α inesse nulli β ac τὸ β omni γ, τὸ α nulli γ inerit.

11. Quodsi propositio α β sumpta fuerit tota vera et propositio β γ tota falsa, erit syllogismus verus. Nihil enim prohibet, quominus τὸ α et omni β et omni γ, τὸ β autem nulli γ insit, ut quæ sunt ejusdem generis species, non subalternæ. Nam animal et equo et homini inest, equus autem nulli homini. Si igitur sumptum sit τὸ α inesse omni β et τὸ β omni γ, vera erit conclusio, cum propositio β γ sit tota falsa.

12. Similiter res habet, si propositio α β sit privativa. Accidit enim, ut τὸ α insit nulli β et nulli γ, ac τὸ β nulli γ, ut speciebus, quæ sunt ex alio genere, aliud genus. Animal namque nec musicæ nec medicinæ inest, nec musica medicinæ. Si igitur sumptum fuerit τὸ α inesse nulli β et τὸ β omni γ, vera erit conclusio.

13. Et si non tota falsa sit propositio β γ, sed ex parte, sic quoque erit conclusio vera. Nihil enim vetat τὸ α et τῷ β et τῷ γ toti inesse, τὸ β autem alicui γ, ut genus speciei et differentiæ. Nam animal inest omni homini et omni pedestri, homo autem alicui pedestri et non omni. Si igitur τὸ α omni β et τὸ β omni γ inesse, sumptum fuerit, τὸ α, omni γ inerit; quod quidem erat verum. Similis ratio est si propositio α β sit privativa. Accidit enim ut τὸ α nulli β et nulli γ insit, τὸ β autem insit alicui γ, ut genus speciei et differentiæ, quæ sunt ex alio genere. Nam animal neque ulli prudentiæ inest neque contemplativæ, prudentia vero inest cuidam contemplativæ. Si igitur sumptum fuerit τὸ α nulli β et τὸ β omni γ inesse, nulli γ τὸ α inerit. Hoc autem verum erat.

Explicatis combinationibus, in quibus conclusio vera probatur in Barbara et Celarent ex utraque præmissa falsa, explicat combinationes, in quibus in iisdem modis universalibus conclusio vera probatur ex altera præmissa vera altera falsa.

8. *Primo* ergo in Barbara et Celarent ex majori totaliter falsa et minori vera non potest inferri conclusio vera. Probatur, ac primo dicatur in Barbara : *omne animal est lapis; omnis homo est animal;* quia major est totaliter falsa, minor vera. conclusio, qua dicitur : *ergo omnis homo est lapis,* non potest esse vera. Quandoquidem enim major est falsa totaliter, vera est contraria, quæ est : *nullum animal est lapis;* sed minor : *omnis homo est lapis,* supponitur vera; ergo per argumentum in Celarent ex utraque præmissa vera sequitur hæc conclusio vera, quæ est : *ergo nullus homo est lapis;* ergo si vera est etiam illa : *omnis homo est lapis,* veræ sunt contrariæ, quod est impossibile.

9. Eodem pacto probatur, quod etiam in Celarent, si major sit totaliter falsa et minor vera, non potest inferri conclusio vera. Dicatur enim : *nullus homo est animal; omne risibile est homo; ergo nullum risibile est animal.* Cum enim major sit totaliter falsa, est vera contraria majoris, quæ est : *omnis homo est animal;* sed ex hac, adjuncta minori, quæ supponitur vera, quæ minor est : *omne risibile est homo,* sequitur in Barbara : *ergo omne risibile est animal;* ergo sequitur, quod sint veræ contrariæ, nimirum : *nullum risibile est animal; omne risibile est animal,* quod est impossibile; ergo si major est totaliter falsa, minor vera, in modis universalibus primæ figuræ, hoc est Barbara et Celarent, non potest inferri conclusio vera.

10. Secundo in Barbara et Celarent ex majori partialiter falsa, minori vera, potest sequi conclusio vera. Probatur propositis exemplis. Si enim dicatur in Barbara : *omne animal est album; omnis cygnus est animal; ergo omnis cygnus est albus;* conclusio est vera, et sequitur ex minori vera, majori partialiter falsa. Hæc enim major : *omne animal est album,* est falsa solum partialiter, cum etiam ejus contraria, quæ est : *nullum animal est al-*

bum, sit falsa. Rursus si dicatur in Celarent: *nullum album est animal; omnis nix est alba; ergo nulla nix est animal;* — conclusio vera sequitur ex majori partialiter falsa, minori vera.

11. Tertio in Barbara et Celarent ex majori vera, minori falsa, non solum partialiter sed etiam totaliter, potest inferri conclusio vera. Probatur, quia si genus sit majus extremum, duæ vero species oppositæ ejusdem generis sint medium et minus extremum, semper poterit fieri syllogismus in Barbara, in quo major erit vera, minor falsa totaliter, et conclusio vera. Ex. gr., sumendo pro majori extremo *animal*, pro medio et minori extremo *hominem* et *equum*, dicetur in Barbara : *omnis homo est animal; omnis equus est homo; ergo omnis equus est animal;* vel *omnis equus est animal; omnis homo est equus; ergo omnis homo est animal;* in quibus syllogismis ex majori vera, minori totaliter falsa, sequitur conclusio vera.

12. Rursus, si pro majori extremo sumatur genus extraneum duabus speciebus, quarum altera sit medium altera minus extremum, fiet syllogismus in Celarent, in quo ex majori vera, minori falsa totaliter, sequitur conclusio vera. Ex. gr., si majus extremum sit *animal*, medium et minus extremum sint *musica* et *medicina*, dicetur in Celarent : *nulla musica est animal; omnis medicina est musica; ergo nulla medicina est animal;* vel *nulla medicina est animal; omnis musica est medicina; ergo nulla musica est animal;* — in utroque autem syllogismo major est vera, minor totaliter falsa, et conclusio vera, ut patet.

13. Potest etiam ex majori vera, minori falsa partialiter, sequi conclusio vera in Barbara et Celarent. Si enim majus extremum sit genus respectu minoris extremi, quod minus extremum sit genus respectu medii, fiet argumentum in Barbara, in quo major erit vera, minor falsa partialiter, conclusio vera. Ex. gr., si majus extremum sit *animal*, minus extremum sit *gressibile*, medium *homo*, dicetur in Barbara : *omnis homo est animal; omne gressibile est homo; ergo omne gressibile est animal;* in quo syllogismo major est vera, minor partialiter falsa, conclusio vera. Rursus si minus extremum sit genus respectu medii, majus vero extremum sit extraneum utrique, fiet syllogismus in Celarent, in quo ex majori vera, minori falsa partialiter, inferetur conclusio vera; ex. gr., si minus extremum sit *scientia*, medium *prudentia*, majus extremum *animal*, dicetur in Celarent : *nulla prudentia est animal; omnis scientia est prudentia; ergo nulla scientia est animal,* in quo syllogismo major est vera, minor falsa partialiter, conclusio vera.

14. In particularibus autem syllogismis, et cum prima propositio est tota falsa, altera autem vera, contingit conclusionem essse veram; et cum falsa est ex parte propositio α β, propositio autem β γ tota vera, et cum propositio α β est vera, particularis autem est falsa, et cum ambæ sunt falsæ.

15. Nihil enim vetat, quominus τὸ α insit nulli β et cuidam γ, et τὸ β cuidam γ, ut animal nulli nivi et cuidam albo inest, et nix cuidam albo. Si igitur nix ponatur medium et animal constituatur primum, sumaturque τὸ α toti β inesse ac τὸ β cuidam γ, propositio α β erit tota falsa, propositio β γ erit vera, et conclusio vera. Similiter dicendum est, et si privativa sit propositio α ϐ. Potest enim τὸ α toti ϐ inesse, cuidam vero γ non inesse, τὸ β autem cuidam γ inesse. Ut animal omni homini inest, et cuidam albo non est consequens, homo autem cuidam albo inest. Itaque si homo ponatur medius terminus, et sumatur τὸ α nulli β inesse, τὸ β autem cuidam γ inesse, vera erit conclusio cum propositio α γ sit tota falsa.

16. Et si propositio α β sit falsa ex parte, cum propositio β γ sit vera, erit conclusio vera. Nihil enim vetat τὸ α et τῷ β et τῷ γ alicui inesse, et τὸ β alicui γ inesse, ut animal alicui pulchro et alicui magno, et pulchrum alicui magno inesse. Si igitur sumptum fuerit τὸ α inesse omni β et τὸ β alicui γ, propositio α β erit falsa ex parte, propositio autem β γ vera, et conclusio vera. Similiterque si privativa sit propositio α β; iidem enim erunt termini et eodem modo positi ad demonstrationem conficiendum.

17. Rursus si propositio α β sit vera et propositio β γ falsa, vera erit conclusio. Nihil enim prohibet, quominus τὸ α insit toti β et alicui γ, et τὸ β insit nulli γ, ut animal omni cygno et cuidam nigro, cygnus autem nulli nigro Quare si sumptum fuerit, inesse omni β τὸ α et alicui γ τὸ β, vera erit conclusio, cum falsum sit proloquium β γ. Similis est ratio, si privativa accipiatur propositio α β. Potest enim τὸ α nulli β inesse et cuidam γ non inesse, τὸ β autem nulli γ, ut genus, speciei quæ est ex alio genere, et ei quod accidit suis speciebus. Animal enim inest nulli numero et cuidam albo, numerus autem nulli albo. Si igitur numerus ponatur medius terminus, et accipiatur τὸ α inesse nulli β ac τὸ β cuidam γ, τὸ α cuidam γ non inerit; quod quidem erat verum ; et propositio α β est vera, propositio β γ falsa.

18. Et si falsa sit ex parte propositio α β, falsa autem sit etiam propositio β γ, erit conclu-

sio vera; nihil enim prohibet, quominus τὸ α cuidam β et cuidam γ insit, τὸ β autem nulli γ, ut si sit contrarium τὸ β τῷ γ, ambo autem accidant eidem generi. Animal enim cuidam albo et cuidam nigro inest, album autem nulli nigro. Ergo si sumptum fuerit τὸ α inesse omni β et τὸ β alicui γ, vera erit conclusio. Itidemque si propositio α β accipiatur privativa; iidem enim termini accipientur et eodem modo ponentur ad demonstrationem efficiendam.

19. Sed et si ambæ propositiones sint falsæ, erit conclusio vera. Potest enim τὸ α nulli β et alicui γ inesse, τὸ β autem nulli γ, ut genus speciei, quæ est ex alio genere, et ei quod accidit suis speciebus. Animal enim nulli numero et cuidam albo inest, et numerus nulli albo. Si igitur sumptum fuerit τὸ α inesse omni β et, τὸ β alicui γ, conclusio erit vera, propositiones vero ambæ falsæ. Similiterque si privativa sit propositio α β. Nihil enim prohibet, quominus τὸ α toti β insit, cuidam vero γ non insit, et τὸ β nulli γ, ut animal nulli cygno inest, et cuidam nigro non inest, cygnus autem nulli nigro. Quocirca si sumptum fuerit τὸ α inesse nulli β ac τὸ β cuidam γ, τὸ α non inerit cuidam γ. Erit igitur conclusio vera, propositiones autem falsæ.

14. Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto in modis universalibus primæ figuræ, ex falso possit inferri verum, explicat, quo pacto in modis particularibus ex falso possit inferri verum. Primo ergo ponit regulam, quæ est : in modis particularibus primæ figuræ, qui sunt Darii et Ferio, ex majori falsa totaliter vel partialiter, minori vera, inferri potest conclusio vera; et ex majori universali vera, minori particulari falsa, inferri potest conclusio vera; et ex utraque falsa inferri potest conclusio vera.

15. Secundo probat hanc regulam per omnes partes. Primo ergo potest in Darii et Ferio major esse totaliter falsa, minor et conclusio vera. Ex. gr., si dicatur in Darii : *omnis nix est animal; aliquod album est nix; ergo aliquod album est animal;* — major est totaliter falsa, cum sit vera contraria majoris, si quidem *nulla nix est animal;* minor et conclusio sunt veræ. Potest idem accidere in Ferio, ut si dicatur : *nullus homo est animal; aliquod album est homo; ergo aliquod album non est animal,* major est totaliter falsa, minor et conclusio sunt veræ.

16. *Secundo* potest in Darii et Ferio ex majori falsa solum partialiter, minori vera sequi conclusio vera. Ex. gr., si dicatur in Darii : *omne pulchrum est animal; aliquod magnum est pulchrum; ergo aliquod magnum est animal;* — major est falsa solum partialiter, cum non sit vera contraria : *nullum pulchrum est animal;* minor et conclusio sunt veræ. Similiter si dicatur in Ferio : *nullum pulchrum est animal; aliquod magnum est pulchrum; ergo aliquod magnum non est animal;* — conclusio vera sequitur ex majori falsa partialiter, minori vera.

17. *Tertio* potest in Darii et Ferio ex majori vera, minori falsa sequi conclusio vera. Ex. gr., si dicatur in Darii : *omnis cygnus est animal; aliquod nigrum est cygnus; ergo aliquod nigrum est animal,* major est vera, minor particularis falsa et conclusio vera. Rursus si dicatur in Ferio : *nullus numerus est animal; aliquod album est numerus; ergo aliquod album non est animal;* major est vera, minor falsa, conclusio vera. Hoc vero universim accidit, cum majus extremum repugnat medio, sumitur vero ut minus extremum aliquod accidens majoris extremi, repugnans medio, ut in exemplo posito. *Animal* enim, quod est majus extremum, repugnat *numero,* quod est medium; *album* vero, quod est minus extremum, est accidens *animalis* repugnans eidem numero, quod est medium.

18. *Quarto* potest in Darii et Ferio ex majori partialiter falsa et minori item falsa inferri conclusio vera. Ex. gr., si medium et minus extremum sint duo contraria, puta album et nigrum, majus vero extremum sit genus, quod est subjectum commune talium contrariorum, puta animal, fiet sequens syllogismus in Darii : *omne nigrum est animal; aliquod album est nigrum; ergo aliquod album est animal,* in quo major est falsa partialiter, minor pariter falsa, conclusio est vera. Similiter ex iisdem terminis, fiet sequens syllogismus in Ferio : *nullum nigrum est animal; aliquod album est nigrum; ergo aliquod album non est animal,* in quo ex majori partialiter falsa et minori falsa infertur conclusio vera.

19. *Quinto* demum potest in Darii et Ferio ex majori falsa totaliter, minori pariter falsa, inferri conclusio vera. Ex. gr., si sumantur pro majori extremo et medio duo genera diversa, puta numerus pro medio, et animal pro majori extremo; pro minori vero extremo accidens vel species majoris extremi, puta album vel homo, fiet syllogismus in Darii : *omnis numerus est animal; aliquod album vel aliquis homo est numerus; ergo aliquod album vel aliquis homo est animal,* in quo syllogismo ex majori falsa totaliter, et minori itidem

falsa, sequitur conclusio vera. Similiter in Ferio, si medium sit cygnus, majus extremum animal, minus extremum nigrum, fiet syllogismus : *nullus cygnus est animal; aliquod nigrum est cygnus; ergo aliquod nigrum non est animal;* in quo ex majori falsa totaliter, ita ut ejus contraria sit vera, et minori itidem falsa, sequitur conclusio vera.

CAPUT III

DE MODIS, QUIBUS EX PRÆMISSIS FALSIS INFERTUR CONCLUSIO VERA IN SECUNDA FIGURA.

1. [3] In media vero figura omnino licet ex falsis verum concludere, sive ambæ propositiones totæ falsæ accipiantur, sive alterutra falsa ex parte; sive altera sit vera, altera tota falsa, utravis falsa ponatur ; sive ambæ sint ex parte falsæ; sive altera sit vera simpliciter, altera falsa ex parte; sive altera sit tota falsa, altera vera ex parte, idque tum in universalibus tum in particularibus syllogismis.

2. Nam si τὸ α insit nulli β et omni γ, ut animal nulli lapidi et omni equo, propositiones autem contrario modo ponantur, et accipiatur τὸ α inesse omni β ac nulli γ, ex propositionibus in totum falsis vera erit conclusio. Similiterque si omni β et nulli γ insit τὸ α, quoniam erit idem syllogismus.

3. Rursus si altera propositio sit tota falsa altera tota vera. Nihil enim prohibet, quominus τὸ α insit omni β et omni γ, τὸ β autem nulli γ, ut genus speciebus non subalternis. Animal enim et omni equo et omni homini inest, et nullus homo est equus. Si igitur sumptum fuerit animal alteri omni alteri nulli inesse, altera propositio tota falsa erit, altera tota vera, et conclusio vera, utrivis adiuncta sit negatio.

4. Item si altera sit falsa ex parte, altera tota vera. Potest enim τὸ α cuidam β inesse et omni γ, τὸ β autem nulli γ, ut animal cuidam albo et omni corvo, et album nulli corvo. Si igitur sumptum fuerit τὸ α nulli β et toti γ inesse, propositio autem α β erit falsa ex parte, propositio autem α γ tota vera. Itidemque privatione transposita, quia per eosdem terminos fiet demonstratio. Item si affirmativa propositio sit falsa ex parte, privativa autem tota vera. Nihil enim vetat τὸ α cuidam β inesse et toti γ non inesse, ac τὸ β nulli γ, ut animal cuidam albo et nulli pici, et album nulli pici. Quare si sumptum fuerit τὸ α toti β inesse et nulli γ, propositio α β erit falsa ex parte, propositio autem α γ tota vera, et conclusio vera.

5. Sed et si ambæ propositiones sint ex parte falsæ, erit conclusio vera. Potest enim τὸ α alicui β et alicui γ inesse, τὸ β autem nulli γ ut animal alicui albo et alicui nigro, album autem nulli nigro. Ergo si acceptum fuerit τὸ α inesse omni β et nulli γ, ambæ propositione erunt falsæ ex parte, conclusio autem vera. Similiter si transponatur propositio privativa, demonstrabitur per eosdem terminos.

1. Postquam Aristoteles ostendit, quo pacto possit in prima figura verum concludi ex falso, descendit ad ostendendum, quo pacto possit etiam verum concludi ex falso in secunda et tertia figura. Docet ergo, quod in secunda figura potest verum concludi, et ex utraque præmissa falsa totaliter, et ex utraque falsa solum partialiter; et ex majori falsa totaliter, minori partialiter ; et ex majori falsa partialiter, minori totaliter; et ex majori falsa totaliter seu partialiter, minori vera; et ex majori vera, minori falsa, seu totaliter seu partialiter; et hoc tum in modis universalibus, qui sunt Cesare et Camestres, tum in particularibus, qui sunt Festino et Barocco.

2. *Primo* ergo in modis universalibus secundæ figuræ, hoc est Cesare et Camestres, potest ex utraque præmissa totaliter falsa inferri conclusio vera. Si enim aliquod medium, puta animal, ita se habeat ad alios duos terminos, puta lapidem et equum, ut de altero, hoc est de lapide universaliter negetur, de altero, hoc est de equo universaliter affirmetur, fiet argumentum in Cesare ex veris, quo dicetur: *nullus lapis est animal; omnis equus est animal; ergo nullus equus est lapis.* Si igitur utraque præmissa mutetur in suam contrariam ac dicatur : *omnis lapis est animal ; nullus equus est animal;* — sequitur in Camestres : *ergo nullus equus est lapis,* quæ conclusio est vera et infertur ex præmissis totaliter falsis. Rursus si dicatur in Camestres : *omnis equus est animal ; nullus lapis est animal ; ergo nullus lapis est equus;* — infertur conclusio vera ex præmissis veris mutando utramque præmissam in suam contrariam ac dicendo : *nullus equus est animal; omnis lapis est animal; ergo nullus lapis est equus;* eadem conclusio vera infertur in Cesare ex præmissis totaliter falsis.

3. *Secundo* in iisdem modis universalibus ex altera præmissa totaliter falsa, sive sit affirmativa sive negativa, altera autem vera, potest inferri conclusio vera. Ex. gr., si sumatur pro medio genus, puta *animal,* pro extremis vero duæ species oppositæ talis generis, puta *homo* et *equus,* de quarum altera negetur genus, de altera affirmetur, negativa erit falsa totaliter, affirmativa erit vera, et conclu-

sio erit vera. Dicetur enim in Cesare: *nullus homo est animal; omnis equus est animal; ergo nullus equus est homo;* major negativa est totaliter falsa, minor affirmativa est vera, conclusio est vera. Mutando præmissas in suas contrarias ac dicendo: *omnis homo est animal; nullus equus est animal; ergo nullus equus est homo,* eadem conclusio vera sequitur in Camestres ex majori affirmativa vera, minori negativa totaliter falsa. Non ponit Aristoteles exemplum, in quo ex affirmativa totaliter falsa, negativa vera sequatur conclusio vera. Accidit autem id semper, cum sumuntur tres termini repugnantes et extranei, puta homo, equus, lapis. Semper enim negativa erit vera, affirmativa falsa totaliter, conclusio vera. Si enim dicatur in Cesare: *nullus homo est lapis; omnis equus est lapis; ergo nullus equus est homo,* major negativa est vera, minor affirmativa totaliter falsa, conclusio vera. Rursus si dicatur in Camestres: *omnis homo est lapis; nullus equus est lapis; ergo nullus equus est homo,* sequitur conclusio vera ex præmissa affirmativa totaliter falsa, negativa vera.

4. *Tertio* in iisdem modis universalibus ex altera præmissa partialiter falsa sive sit affirmativa sive negativa, altera vera, potest sequi conclusio vera. Possunt enim aliqua extrema, puta album et corvus, esse invicem universaliter negabilia, et tamen ita se habere ad aliquod medium, puta animal, ut tale medium de altero extremo sit affirmabile universaliter, de altero affirmabile particulariter, eo pacto, quo animal potest universaliter affirmari de corvo, particulariter de albo. Si ergo animal universaliter affirmetur de corvo, et universaliter negetur de albo, præmissa affirmativa erit vera, præmissa negativa erit partialiter falsa, et conclusio erit vera. Dicetur enim in Cesare: *nullum album est animal; omnis corvus est animal; ergo nullus corvus est albus;* vel in Camestres: *omnis corvus est animal; nullum album est animal; ergo nullum album est corvus.* Rursus potest aliquod medium ita se habere ad duo extrema universaliter negabilia ad invicem, puta picem et album, ut de altero sit negabile universaliter, de altero affirmabile particulariter. Si igitur tale medium affirmetur universaliter de illo extremo, de quo est affirmabile solum particulariter, ex negativa vera, affirmativa partialiter falsa, inferetur conclusio vera in Cesare vel in Camestres; — in Cesare quidem sic: *nulla pix est animal; omne album est animal; ergo nullum album est pix;* in Camestres autem sic: *omne album est animal; nulla pix est animal; ergo nulla pix est alba.*

5. *Quarto* in iisdem modis universalibus potest conclusio vera inferri ex utraque præmissa partialiter falsa. Potest enim aliquod medium, puta animal, ita se habere ad duo extrema universaliter negabilia ad invicem, puta album et nigrum, ut de utroque sit affirmabile solum particulariter. Si ergo de altero affirmetur universaliter, de altero universaliter negetur, utraque præmissa erit falsa partialiter, et tamen conclusio erit vera. Dicetur enim in Cesare: *nullum album est animal; omne nigrum est animal; ergo nullum nigrum est album* Vel mutando præmissas in suas contrarias dicetur in Camestres: *omne album est animal; nullum nigrum est animal; ergo nullum nigrum est album* — in utroque vero casu utraque præmissa est falsa partialiter, et conclusio est vera.

6. Perspicuum autem esti hoc fieri etiam in particularibus syllogismis. Nihil enim prohibet τὸ α omni β et cuidam γ inesse, et τὸ β cuidam γ non inesse, ut animal omni homini et cuidam albo inest, homo autem cuidam albo non inest. Si igitur positum fuerit τὸ α nulli β inesse et alicui γ inesse, propositio universalis erit tota falsa, particularis vera et conclusio vera.

Eadem est ratio, si propositio α β accipiatur affirmativa. Potest enim τὸ α nulli β inesse et cuidam γ non inesse, et τὸ β cuidam γ non inesse, ut animal nulli inanimo et cuidam albo non inest, inanimum vero cuidam albo non inest. Si igitur positum fuerit τὸ α omni β inesse et cuidam γ non inesse, propositio illa universalis α β erit tota falsa, propositio autem α γ vera, et conclusio vera.

7. Item si universalis posita fuerit vera et particularis falsa. Nihil enim prohibet τὸ α nulli β et nulli γ esse consequens, τὸ β autem cuidam γ non inesse, ut animal nulli numero et nulli inanimo consequens est, et numerus cuidam inanimo non est consequens. Si igitur positum fuerit τὸ α nulli β et cuidam γ inesse, conclusio quidem erit vera. et universalis propositio vera, particularis autem falsa. Idem est si universalis propositio ponatur affirmativa. Potest enim τὸ α inesse toti β et toti γ, τὸ β autem cuidam γ non esse consequens, ut genus speciei et differentiæ, animal enim omni homini et omni pedestri consequens est, homo autem non omni pedestri. Quare si sumptum fuerit τὸ α toti β inesse et cuidam γ non inesse, propositio universalis erit vera, et particularis falsa, conclusio autem vera.

8. Perspicuum autem est, etiam ex ambabus falsis veram fore conclusionem, siquidem accidit ut τὸ α toti β et nulli γ insit, τὸ β autem cuidam γ non sit consequens. Nam si sumptum fuerit τὸ α nulli β et cuidam γ inesse, ambæ propositiones erunt falsæ, conclusio autem vera. Item si universalis propositio sit attributiva et particularis privativa. Potest enim τὸ a nulli β et omni γ esse consequens, τὸ β vero cuidam γ non inesse. Ut animal nulli scientiæ, omni autem homini est conseqnens, scientia vero non omni homini. Si igitur sumptum fuerit τὸ α toti β inesse et cuidam γ non esse consequens, propositiones erunt falsæ, conclusio autem vera.

6. *Quinto* in modis particularibus secundæ figuræ, qui sunt Festino et Barocco, potest ex majori universali totaliter falsa, minori autem vera, inferri conclusio vera. Potest enim aliquod medium, puta animal ita se habere ad duo extrema particulariter negabilia ad invicem, puta hominem et album, ut alteri conveniat universaliter, alteri particulariter, eo pacto, quo animal dicitur universaliter de homine, particulariter de albo. Si ergo animal universaliter negetur de homine, particulariter affirmetur de albo, fiet syllogismus in Festino et dicetur : *nullus homo est animal; aliquod album est animal; ergo aliquod album non est homo,* in quo syllogismo conclusio vera infertur ex majori totaliter falsa, minori autem vera. Potest rursus aliquod medium, ut animal ita se habere ad duo extrema particulariter ad invicem negabilia, puta album et inanimatum, ut de altero, hoc est de inanimato sit universaliter negabile, de altero hoc est de albo, sit particulariter affirmabile. Si igitur animal universaliter affirmetur de inanimato, particulariter negetur de albo, fiet syllogismus in Barocco et dicetur : *omne inanimatum est animal; aliquod album non est animal ; ergo aliquod album non est inanimatum,* in quo ex majori falsa totaliter, minori vera, infertur conclusio vera.

7. *Sexto* in iisdem modis particularibus ex majori universali vera, minori particulari falsa potest inferri conclusio vera. Potest enim aliquod medium, ex. gr., animal esse universaliter negabile de duobus extremis particulariter negabilibus ad invicem, puta de inanimato et numero. Tum igitur si dicatur in Festino : *nullus numerus est animal; aliquod inanimatum est animal; ergo aliquod inanimatum non est numerus;* ex majori universali vera, minori particulari falsa, sequitur conclusio vera. Rursus potest aliquod medium, puta animal esse universaliter affirmabile de duobus extremis inferioribus, puta de gressibili et homine, quorum unum sit particulariter negabile de altero, eo pacto, quo homo est particulariter negabile de gressibili. Tum igitur potest fieri syllogismus in Barocco: *omnis homo est animal; aliquod gressibile non est animal; ergo aliquod gressibile non est homo,* in quo ex majori universali vera, minori particulari falsa, infertur conclusio vera.

8. *Septimo* demum in iisdem modis particularibus ex utraque præmissa falsa potest inferri conclusio vera, etiamsi major universalis sit falsa totaliter. Potest enim aliquod medium, ex. gr., animal ita comparari cum duobus extremis particulariter negabilibus ad invicem, ex. gr., cum homine et Angelo, ut de altero sit universaliter negabile, de altero universaliter affirmabile; animal enim est universaliter negabile de Angelo, universaliter affirmabile de homine. Si igitur animal universaliter negetur de homine, particulariter affirmetur de Angelo, fiet syllogismus in Festino, in quo ex majori totaliter falsa, minori itidem falsa, infertur conclusio vera dicendo : *nullus homo est animal: aliquis Angelus est animal ; ergo aliquis Angelus non est homo.* Si vero dicatur : *omnis Angelus est animal; aliquis homo non est animal; ergo aliquis homo non est Angelus,* vel ut ponam exemplum Aristotelis :*omnis scientia est animal ; aliquis homo non est animal; ergo aliquis homo non est scientia,* fiet syllogismus in Barocco, in quo ex majori universali totaliter falsa, minori itidem falsa, infertur conclusio vera.

CAPUT IV.

DE MODIS, QUIBUS EX PRÆMISSIS FALSIS INFERTUR CONCLUSIO VERA IN TERTIA FIGURA.

1. [4] In postrema quoque figura concludetur verum ex falsis, cum ambæ propositiones sunt totæ falsæ; vel utraque ex parte vel altera tota vera altera falsa ; vel altera falsa ex parte, altera tota vera, vel contra ; denique quotcumque aliis modis licet commutare propositiones.

2. Nihil enim prohibet, quominus neque τὸ α neque τὸ β ulli γ insit, τὸ β autem alicui β insit. Utputa nec homo nec pedestre ulli inanimo consequens est ; homo autem alicui pedestri inest. Si igitur sumptum fuerit τὸ α et τὸ β omni γ inesse,

propositiones quidem erunt totæ falsæ, conclusio autem vera. Idem est si altera propositio sit privativa altera affirmativa. Potest enim τὸ β nulli γ inesse, τὸ α autem omni, et τὸ α cuidam β non inesse, ut nigrum nulli cygno, animal vero omni cygno, et animal non omni nigro. Quare si sumptum fuerit τὸ β omni γ et τὸ α nulli inesse, τὸ α cuidam β non inerit; et conclusio erit vera, propositiones autem falsæ.

3. Sed et si utraque propositio sit falsa ex parte, erit conclusio vera. Nihil enim vetat quominus et τὸ α et τὸ β cuidam γ insit, et τὸ α cuidam β, ut album et pulchrum cuidam animali inest et album cuidam pulchro. Si igitur positum fuerit τὸ α et τὸ β omni γ inesse, propositiones quidem erunt ex parte falsæ, conclusio autem vera. Item si privativa ponatur propositio α γ. Nihil enim prohibet τὸ α cuidam γ non inesse, τὸ β autem cuidam inesse, ac τὸ α non omni β inesse, ut album cuidam animali non inest, pulchrum autem cuidam inest, et album non omni pulchro. Quare si sumptum fuerit τὸ α nulli γ, τὸ β autem omni inesse, ambæ propositiones erunt ex parte falsæ, conclusio autem vera.

4. Item si altera propositio tota falsa, altera tota vera accipiatur. Potest enim et τὸ α et τὸ β omni γ consequens esse, τὸ α vero cuidam γ non inesse, ut animal et album omni cygno est consequens, animal autem non omni albo inest. Positis igitur his terminis si sumptum fuerit τὸ β toti γ inesse, τὸ α autem toti non inesse, propositio β γ erit tota vera, propositio autem α γ tota falsa, et conclusio vera. Item si τὸ β γ sit falsum, τὸ α γ verum. Hi namque termini sumentur ad demonstrationem conficiendam, nigrum-cygnus-inanimum.

5. Sed et si ambæ propositiones accipiantur affirmativæ. Nihil enim prohibet τὸ β omni γ consequens esse, τὸ α autem toti non inesse, ac τὸ α cuidam β inesse, ut omni cygno animal, nigrum autem nulli cygno, et nigrum alicui animali inest. Quare si sumptum fuerit τὸ α et τὸ β omni γ inesse, propositio β γ erit tota vera, propositio autem α γ tota falsa, et conclusio vera. Item si vera sumpta fuerit propositio α γ ; fiet enim demonstratio per eosdem terminos.

6. Rursus si altera sit tota vera, altera falsa ex parte. Potest enim τὸ β omni γ inesse, τὸ α autem alicui γ et τὸ α alicui β, ut bipes omni homini, pulchrum autem non omni, et pulchrum alicui bipedi inest. Si igitur sumptum fuerit et τὸ α et τὸ β toti γ inesse, propositio β γ erit tota vera, propositio autem α γ falsa ex parte, conclusio autem vera. Item si propositio α γ sit vera, et propositio β γ accipiatur falsa ex parte ; transpositis enim iisdem terminis erit demonstratio. Et si altera sit privativa, altera affirmativa, Nam quia fierit potest, ut τὸ β toti γ insit, τὸ α autem alicui tantum, cum termini ita se habent, non omni β inest τὸ α. Si igitur sumptum fuerit τὸ β toti γ inesse, τὸ α autem nulli, propositio privativa falsa ex parte, altera tota vera,

1. Explicat demum Aristoteles modos, quibus ex præmissis falsis infertur conclusio vera in tertia figura. Docet igitur, quod in tertia figura potest ex præmissis falsis inferri conclusio vera ; sive utraque præmissa sit falsa totaliter ; sive utraque sit falsa partialiter; sive major sit falsa totaliter, minor partialiter; sive major sit falsa partialiter, minor totaliter ; sive altera tantum sit falsa totaliter aut partialiter, et hæc sive sit major sive minor, et quomodocumque combinentur.

2. *Primo* igitur in modis universalibus, qui sunt Darapti et Felapton, potest ex utraque præmissa totaliter falsa inferri conclusio vera. Possunt enim duo extrema invicem affirmabilia particulariter, puta *homo* et *gressibile*, esse invicem negabilia de aliquo medio, ex. gr., de inanimato. Si igitur universaliter affirmentur de tali medio, fiet syllogismus in Darapti : *omne inanimatum est homo; omne inanimatum est gressibile; ergo aliquod gressibile est homo;* in quo utraque præmissa est totaliter falsa, conclusio vera. Rursus possunt duo extrema invicem particulariter negabilia, ex. gr., animal et nigrum, ita comparari cum aliquo medio, ex. gr., cum cygno, ut alterum, hoc est animal, sit de cygno universaliter affirmabile, alterum, hoc est nigrum, sit de cygno universaliter negabile. Si ergo animal universaliter negetur de cygno, nigrum universaliter affirmetur de cygno, fiet syllogismus in Felapton et dicetur : *nullus cygnus est animal; omnis cygnus est niger; ergo aliquod nigrum non est animal,* in quo conclusio vera infertur ex utraque præmissa totaliter falsa.

3. *Secundo* in iisdem modis universalibus potest ex utraque præmissa partialiter falsa inferri conclusio vera. Possunt enim duo extrema invicem particulariter affirmabilia, ex. gr., album et pulchrum, esse etiam solum particulariter affirmabilia de aliquo medio, ex. gr., de animali. Si ergo de tali medio affirmentur universaliter et dicatur in Darapti : *omne animal est album; omne animal est pulchrum; ergo aliquod pulchrum est album,* utraque præmissa erit partialiter falsa, et conclusio erit vera. Si vero dicatur : *nullum animal est album ; omne animal est pulchrum; ergo aliquod pulchrum non est album;* — ex iisdem terminis fiet syllogismus in Felapton, in quo utraque præmissa est falsa solum partialiter, conclusio autem est vera.

et conclusio vera erit. Rursus quia ostensum est, cum τὸ α inest nulli γ, τὸ β vero inest alicui, fieri ut τὸ α cuidam β non insit. Perspicuum igitur est, etiam cum propositio α γ est tota vera et propositio β γ falsa ex parte, posse conclusionem esse veram. Nam si sumptum fuerit τὸ α inesse nulli γ, τὸ β autem inesse omni, propositio α γ erit tota vera, propositio autem β γ falsa ex parte.

7. Perspicuum autem est, etiam in syllogismis particularibus omnino concludi verum ex falsis. Iidem enim termini sumendi sunt, qui sumebantur cum propositiones erant universales, nempe in attributivis attributivi, in privativis privativi. Nihil enim refert utrum, cum nulli insit, accipiatur omni inesse, an, cum insit alicui, sumatur universaliter, quod attinet ad terminorum expositionem Similis est ratio privativorum.

4. Tertio in iisdem modis universalibus ex altera totaliter falsa, seu sit major seu minor, altera autem vera, potest inferri conclusio vera. Possunt enim duo extrema invicem particulariter negabilia, puta animal et album, ita comparari cum altero medio, ex. gr., cum cygno, ut utrumque sit universaliter affirmabile de cygno. Si ergo alterum negetur, alterum affirmetur de cygno, dicetur in Felapton : *nullus cygnus est albus; omnis cygnus est animal : ergo aliquod animal non est album,* — in quo syllogismo ex majori totaliter falsa, minori vera, sequitur conclusio vera. Rursus possunt duo extrema invicem particulariter negabilia ex. gr., nigrum et inanimatum esse universaliter negabilia de medio, puta de cygno. Tum igitur si alterum universaliter negetur, alterum universaliter affirmetur de tali medio, hoc est de cygno, fiet syllogismus sequens in Felapton : *nullus cygnus est niger ; omnis cygnus est inanimatus; ergo aliquod inanimatum non est nigrum,* — in quo ex majori vera, minori totaliter falsa, infertur conclusio vera.

5. Etiam in Darapti potest ex majori falsa totaliter, minori vera ; vel ex majori vera, minori totaliter falsa inferri conclusio vera. Possunt enim duo extrema particulariter affirmabilia ad invicem ex. gr., animal et nigrum, ita comparari cum aliquo medio, ex. gr., cum cygno, ut de eo alterum, hoc est animal sit universaliter affirmabile, alterum hoc est nigrum sit universaliter negabile. Si igitur utrumque universaliter affirmetur de cygno et dicatur in Darapti : *omnis cygnus est niger; omnis cygnus est animal ; ergo aliquod animal est nigrum,* — ex majori falsa totaliter, minori vera inferetur conclusio vera. Si rursus dicatur : *omnis cygnus est animal; omnis cygnus est niger; ergo aliquod nigrum est animal,* ex majori vera, minori totaliter falsa, inferetur conclusio vera.

6. *Quarto* in iisdem modis universalibus tertiæ figuræ potest ex altera præmissa. seu majori seu minori partialiter falsa, altera autem vera, inferri conclusio vera. Possunt enim duo termini invicem affirmabiles particulariter, ex gr., bipes et pulchrum ita comparari ad aliquod medium, ex. gr., hominem, ut alter, puta bipes, sit de homine affirmabilis universaliter, alter, puta pulchrum, sit de homine negabilis particulariter ; sed tum si uterque terminus de homine affirmetur universaliter, fiet sequens syllogismus in Darapti : *omnis homo est bipes; omnis homo est pulcher; ergo aliquod pulchrum est bipes,* — in quo major est vera, minor partialiter falsa, conclusio vera ; vel fiet hic alius syllogismus similiter in Darapti : *omnis homo est pulcher; omnis homo est bipes ; ergo aliquod bipes est pulchrum;* in quo major est partialiter falsa, minor vera, et conclusio vera ; ergo in Darapti ex altera præmissa vera, altera partialiter falsa, sive majori sive minori, potest inferri conclusio vera. Rursus possunt duo termini invicem particulariter negabiles, ut bipes et pulchrum, ita se habere ad aliquod medium, pura quadrupes, ut de ipso alterum, puta bipes sit universaliter negabile, alterum, puta pulchrum sit affirmabile solum particulariter ; sed tum fiet sequens syllogismus in Felapton : *nullum quadrupes est bipes; omne quadrupes est pulchrum ; ergo aliquod pulchrum non est bipes ;* in quo major est vera, minor partialiter falsa, et conclusio vera; ergo potest in Felapton ex majori vera, minori partialiter falsa, inferri conclusio vera. Si vero dicatur : *nullum quadrupes est pulchrum; omne quadrupes est gressibile; ergo aliquod gressibile non est pulchrum,* — major erit partialiter falsa, minor vera, et conclusio vera.

7. *Quinto* eodem pacto potest in syllogismis particularibus tertiæ figuræ, qui sunt Disamis, Datisi, Boccardo et Ferison, inferri conclusio vera ex præmissis, vel utraque falsa, vel altera tantum, vel ita ut universalis sit totaliter falsa, vel ita ut sit falsa solum partialiter. Sumi enim debent termini proportionaliter,

sicut in syllogismis universalibus, ac proportionaliter debent combinari, idque tum in syllogismis affirmativis tum in negativis.

8. Apparet igitur, cum falsa est conclusio, necesse esse ut ea ex quibus ratio constat, falsa sint aut omnia aut aliqua ; cum autem conclusio est vera, non necesse esse ut aliquid aut omnia vera sint, sed fieri posse ut, cum nihil veri sit in syllogismo, conclusio similiter vera sit,

9. non tamen necessario. Causa autem est, quia cum duo ita inter se affecta sunt, ut si unum sit, necessario sit alterum, nisi hoc sit, neque illud erit ; sed si sit, non necesse est illud esse.

10. At vero si idem sit, et nisi sit, eamdem rem necessario esse, est impossibile. Utputa si τὸ α sit album, τὸ β esse magnum necessario ; et si τὸ α non sit album, τὸ β esse magnum necessario. Cum enim si hoc est album, ut τὸ α, necesse est hoc esse magnum, ut τὸ β et si τὸ β sit magnum, τὸ γ non esse album, necesse est, si τὸ α sit album, τὸ γ non esse album. Et cum duobus propositis si unum sit, necesse est alterum esse, certe si hoc non sit, necesse est primum non esse. Ergo cum τὸ β non est magnum, τὸ α non potest esse album. Quodsi cum τὸ α non est album, necesse est τὸ β esse magnum, necessario evenit ut, si τὸ β non sit magnum, ipsum β sit magnum ; hoc autem est impossibile. Nam si τὸ β non est magnum, τὸ α necessario non erit album. Si igitur, cum τὸ α non est album, τὸ β erit magnum, efficitur quasi per tres terminos, ut, si τὸ β non sit magnum, illud ipsum sit magnum.

8. Ex dictis patet, quod cum conclusio est falsa, necesse est omnes vel aliquam saltem præmissam esse falsam. Ex vero enim non potest necessario sequi falsum ; ergo si conclusio est falsa, aliqua saltem præmissa est falsa. E converso si conclusio est vera, non est necesse, ut utraque vel altera præmissa sit vera. Potest enim verum sequi ex falso, imo potest ex utraque præmissa falsa, sequi conclusio vera, ut ostensum est.

9. Licet tamen possit ex præmissis falsis sequi necessario conclusio vera, non tamen potest conclusio vera sequi necessario ex præmissis falsis, ita ut sequatur, quia præmissæ sunt falsæ, ideoque conclusio vera non potest sequi ex præmissis falsis, ut falsis, sed solum materialiter et per accidens; et hæc est tertia conclusio posita cap. II, num. 2, quod conclusio vera non sequitur ex præmissis falsis *propter quid.*

Ut probetur hæc *tertia conclusio*, quod nimirum conclusio vera non potest sequi ex præmissis falsis, quia sunt falsæ, revocandum est in memoriam principium positum lib. I. Prior. cap. ult. num. 6. quod cum ex antecedenti necessario sequitur consequens, ex contradictorio seu destructivo consequentis necessario sequitur contradictorium seu destructio antecedentis; non autem e converso ex contradictorio seu destructione antecedentis sequitur contradictorium seu destructio consequentis.

10. Hoc posito, est impossibile, ut consequens, quod necessario sequitur ex aliquo antecedenti, sequatur etiam necessario ex contradictorio seu falsitate et destructione talis antecedentis; sed si cum ex antecedenti falso sequitur consequens verum, consequens sequeretur ex falsitate antecedentis, consequens sequeretur necessario tum ex antecedenti, tum ex ejus contradictorio et falsitate; ergo est impossibile, ut consequens, quod necessario sequitur ex aliquo antecedenti, sequatur ex ejus falsitate. Probatur et explicatur major. Impossibile enim est, ut valeat: *si A est album, B est magnum;* et valeat etiam: *si A non est album, B est magnum.* Probatur ; si enim valeret, valeret etiam : *si A est magnum, A non est magnum,* adeoque ex uno contradictorio, sequeretur necessario aliud contradictorium, quod est impossibile. Probatur antecedens sive ejus sequela; quod enim necessario sequitur ex consequenti, necessario etiam a primo ad ultimum sequitur ex antecedenti; ex. gr., valet : *si A est album, B est magnum; sed si B est magnum, C non est album; ergo a primo ad ultimum si A est album C non est album;* ergo proportionaliter valet : *si A est album, B est magnum; ergo si B non est magnum, A non est album; ergo si B non est magnum; B est magnum.* Probatur ultima consequentia : *si B non est magnum, A non est album;* cum enim ex antecedenti sequitur consequens, ex contradictorio consequentis sequitur contradictorium antecedentis; sed *si A non est album, B est magnum,* ut supponitur, — supponitur enim valere simul : *si A est album, B est magnum, et si A non est album, B est magnum: ergo a primo ad ultimum si B non est magnum, B est magnum,* quod repugnat; ergo impossibile est, ut conclusio vera sequatur ex præmissis falsis, quia sunt falsæ, alioquin sequeretur ex affirmatione et negatione ejusdem, et unum contradictorio sequeretur ex altero contradictorio, quod est impossibile.

CAPUT V

DE CIRCULARI SYLLOGISMO IN PRIMA FIGURA.

1. [5] Circulo autem et ex se invicem probari nihil aliud est quam per conclusionem et alteram propositionem attributione inversam concludi reliquam propositionem, quæ accepta fuerat in altero syllogismo. Ut si probare oportebat τὸ α omni γ inesse, probavit autem per β; rursus si probet τὸ α τῷ β inesse, accipiens τὸ α inesse τῷ γ, τὸ γ autem τῷ β; ita fiet ut etiam τὸ α insit τῷ β; prius autem contra acceperat, τὸ β inesse τῷ γ. Vel si ostendere opporteat τὸ β inesse τῷ γ, et sumat τὸ α inesse τῷ γ, quæ erat conclusio, et τὸ β inesse τῷ α; prius autem sumptum e contrario fuerat τὸ α inesse τῷ β.

2. Aliter vero non licet mutuo probare. Sive enim aliud medium sumetur, non probabitur circulo; nihil enim idem accipietur. Sive quid horum accipiatur, necesse est alterum solum accipi, quia si ambo sumantur, erit eadem conclusio, cum diversam esse oporteat.

3. In iis igitur terminis, qui non convertuntur, ex altera propositione non demonstrata fit syllogismus, quia non licet per hos teminos demonstrare tertium inesse medio aut medium primo.

Postquam Aristoteles explicavit virtutes præmissarum, ex quibus constat syllogismus, per quas virtutes possunt eædem præmissæ concludere plures conclusiones, et possunt præmissæ falsæ concludere conclusiones veras, explicat virtutem conclusionis, quæ infertur in syllogismo; quæ virtus est, ut possint ex conclusione veluti quodam circulo probari præmissæ. Primo igitur explicat, quid sit probatio circularis; secundo ostendit probationem circularem non fieri, nisi in terminis convertibilibus; tertio explicat, quo pacto fiat syllogismus circularis in modis tum universalibus tum particularibus, tum affirmativis tum negativis primæ figuræ.

1. *Quoad primum :* probatio circularis est, per quam ex conclusione et conversa unius præmissæ probatur altera præmissa. Ex. gr., sit syllogismus, in quo probatum sit omnem hominem esse risibilem, per rationale, dicendo : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis,* — potest ex conclusione et conversa minoris probari major, dicendo : *omnis homo est risibilis; omne rationale est homo; ergo omne rationale est risibile.* Potest similiter ex eadem conclusione et conversa majoris probari minor, dicendo : *omne risibile est rationale; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est rationalis.*

2. Addit Aristoteles, quod probatio circularis non potest aliter fieri. Probat; vel enim ad probandas præmissas sumitur medium diversum a tribus terminis syllogismi, et cum hoc medium non contineatur in conclusione, jam conclusio non assumetur ad probandam præmissam; in omni enim præmissa syllogismi debet inesse medium; sed si præmissa non probatur per conclusionem, non est probatio circularis; ergo assumendo pro medio quartum terminum, non potest fieri probatio circularis. — Si assumatur utraque præmissa, sequetur eadem conclusio, adeoque non inferetur circulariter altera præmissarum, quod requiritur ad probationem circularem; ergo necesse est, ut probatio circularis constet ex iisdem terminis et ex conclusione atque altera præmissarum, et sic inferat reliquam.

3. Quoad *secundum* : probatio circularis non potest fieri, nisi in terminis convertibilibus. Si enim termini non sint convertibiles, ut in hoc syllogismo : *omne animal est vivens; omnis homo est animal; ergo omnis homo est vivens,* — ad probandas præmissas debent sumi aliæ propositiones et alii termini; per hos enim terminos, neque potest probari minor, in qua minus extremum subjicitur medio; neque major, in qua medium subjicitur majori extremo. Ad probandam enim circulariter hanc minorem : *omnis homo est animal,* deberet sumi universalis convertens majoris et conclusio, ac dici : *omne vivens est animal; omnis homo est animal;* sed major esset falsa, cum animal et vivens non sint termini convertibiles. Rursus ad probandam majorem, quod *omne animal est vivens,* deberet sumi conclusio et convertens minoris, ac dici : *omnis homo est vivens; omne animal est homo; ergo omne animal est vivens,* — sed tunc minor esset falsa, quia animal et homo sunt termini non convertibiles; ergo cum termini non sunt convertibiles, non possunt præmissæ probari circulariter, sed debent probari per alias propositiones et aliquem alium terminum.

4. In iis vero qui reciprocantur licet omnia invicem probare, veluti si τὸ α et τὸ β et τὸ γ invicem convertuntur. Ostensum enim sit τὸ α γ per medium β, et rursus τὸ α β per conclusionem et propositionem β γ conversam; item τὸ β γ per conclusionem et propositionem α β inversam.

Oportet autem demonstrare propositionem γ β et propositionem β α ; his enim solis non demonstratis usi sumus. Si igitur sumptum fuerit τὸ β inesse omni γ et τὸ γ omni α syllogismus erit τοῦ β de α. Rursus si sumptum fuerit τὸ γ inesse omni α et τὸ α omni β, necesse est τὸ γ omni β inesse. In ambobus igitur his syllogismis propositio α γ sumpta est sine demonstratione ; aliæ namque probatæ fuerant. Quare si hanc demonstremus, omnes erunt ex se invicem probatæ. Si igitur sumptum fuerit τὸ γ omni β et τὸ β omni α inesse, ambæ propositiones demonstratæ accipiuntur, et necesse est τὸ γ inesse τῷ α. Perspicuum igitur est in iis solis, quæ convertuntur, circulo et ex se invicem fieri posse demonstrationes, in aliis autem quemadmodum antea diximus. Sed et in his accidit ut eo quod probatum est, utamur ad demonstrationem conficiendam. Nam τὸ γ de β et τὸ β de α probatur sumpto γ dici de α ; τὸ γ autem de α probatur per has propositiones. Itaque utimur conclusione ad exstruendam demonstrationem.

5. In privativis autem syllogismis ita fit mutua probatio. Insit τὸ β omni γ, τὸ α autem nulli β ; conclusio est τὸ α inesse nulli γ. Si igitur oporteat rursus concludere τὸ α inesse nulli β, quod pridem acceperat, τὸ α inerit nulli γ, τὸ γ autem omni β. Sic enim inversa est propositio. Quod si τὸ β τῷ γ inesse, concludendum sit, non est amplius similiter convertenda propositio α β, Est enim eadem propositio, τὸ β nulli α et τὸ α nulli β inesse. Sed accipiendum est, cui τὸ α nulli inest, τὸ β omni inesse. Insit τὸ α nulli γ ; quæ quidem erat conclusio. Cui vero τὸ α nulli inest, τὸ β accipiatur omni inesse. Necesse igitur est τὸ β inesse omni γ. Quare cum tria sint, unumquodque effectum est conclusio. Et circulo demoustrare hoc est, sumptis conclusioue et altera propositione inversa reliquam concludere.

6. In particularibus autem syllogismis universalem propositionem non licet ex aliis demonstrare, particularem vero licet. Universalem igitur non posse demonstrari perspicuum est, quia universale probatur ex universalibus, conclusio autem non est universalis ; et probatio effici debet ex conclusione et ex altera propositione. Præterea omnino non fit syllogismus conversa propositione, quoniam in parte efficiuntur ambæ propositiones. Particularem autem propositionem demonstrare licet. Probatum enim sit τὸ α de aliquo γ per β. Si igitur sumatur τὸ β inesse omni α, et conclusio maneat, τὸ β inerit alicui γ ; fit enim prima figura, et τὸ α medium.

7. Quodsi syllogismus sit privativus, universalem propositionem non licet probare ob id quod antea dictum est. Particularem autem, si similiter convertatur pronuntiatum α β, quemadmodum in universalibus, probare non licet, verum per assumptionem licet, ut, cui τὸ α cuidam non inest, τὸ β cuidam inesse. Quodsi termini aliter habeant, non fit syllogismus, quia propositio particularis est negativa.

4. Quoad *tertium :* in terminis convertibilibus possunt omnes tres propositiones, major nimirum, minor et conclusio, et earum convertentes probari circulariter. Patet discurrendo per omnes figuras et modos. Primo sit syllogismus in Barbara ex terminis convertibilibus : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis.* Primo major probatur per conclusionem et per minorem conversam; secundo minor probatur per conclusionem et majorem conversam, ut explicatum est num. 2. Sed probandæ sunt major et minor convertentes. Major convertens, quæ est : *omne risibile est rationale,* probatur per minorem et conclusionis convertentem, dicendo : *omnis homo est rationalis; omne risibile est homo; ergo omne risibile est rationale.* Minor convertens, quæ est : *omne rationale est homo,* probatur per convertentem conclusionis et majorem, dicendo : *omne risibile est homo; omne rationale est risibile; ergo omne rationale est homo.* In utroque hoc syllogismo conclusio convertens, quæ est : *omne risibile est homo,* adhuc non est probata. Probari igitur potest talis conclusio convertens per convertentem minoris et majoris, dicendo : *omne rationale est homo; omne risibile est rationale; ergo omne risibile est homo;* ergo patet, quod in terminis convertibilibus et in Barbara possunt omnes sex propositiones, præmissæ nimirum et conclusio et earum convertentes probari per se invicem, nullam sumendo propositionem non probatam, cum in terminis non convertibilibus id fieri nequeat, ut dictum est num. 4.

5. Secundo sit syllogismus in Celarent : *nullum rationale est irrationale; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est irrationalis.* Major potest probari ex conclusione et conversa minoris, sic : *nullus homo est irrationalis; omne rationale est homo; ergo nullum rationale est irrationale.* Ad probandam minorem affirmativam non sufficit sumere conclusionem et convertere majorem ; nam hoc pacto utraque præmissa erit negativa, adeoque non sequetur conclusio affirmativa. Debent igitur minor et conclusio converti in affirmativas, sic : *omne, de quo negatur universaliter irrationale, est rationale; sed de omni homine negatur universaliter irrationale; ergo omnis homo est rationalis;* ergo patet, quod in Celarent hæc tria possunt circulo probari, conclusio nimirum ex præmissis et ex conclusione præmissæ.

6. Tertio in Darii non potest per conclusionem circulariter probari major universalis affirmativa, potest minor particularis. Major universalis probari non potest circulariter, quia deberet probari per conclusionem et conversam minoris; sed per conclusionem probari nequit, quia conclusio est particularis; universalis autem probari non potest per particularem; per conversam minoris probari nequit, quia minor particularis convertitur in aliam particularem; ergo ex conclusione et conversa minoris fiunt duæ præmissæ particulares, ex quibus nihil sequitur. At minor particularis circulariter probari potest. Sit enim syllogismus in Darii : *omne rationale est risibile; aliquod animal est rationale; ergo aliquod animal est risibile;*— ex conversa majoris et conclusione probatur minor sic : *omne risibile est rationale; aliquod animal est risibile; ergo aliquod animal est rationale.*

7. Quarto in Ferio major universalis negativa non potest circulariter probari ex ratione allata num. 6; minor particularis affirmativa probari potest circulariter convertendo majorem in affirmativam, ut dictum est num. 6. Sit enim syllogismus in Ferio : *nullum rationale est irrationale; aliquod animal est rationale; ergo aliquod animal non est irrationale;* — minor probari potest sic : *omne, de quo negatur quodlibet irrationale, est rationale; aliquod animal non est irrationale, adeoque de aliquo animali negatur quodlibet irrationale; ergo aliquod animal est rationale.* Nisi vero fiat talis conversio propositionum negativarum in affirmativas, probari non potest minor affirmativa, quia propositio affirmativa probari non potest, nisi ex utraque præmissa affirmativa.

CAPUT VI

DE CIRCULARI SYLLOGISMO IN SECUNDA FIGURA.

1. [6] In secunda autem figura pronuntiatum affirmativum non potest hoc modo probari, privativum potest. Affirmativum non probatur, quia non sunt ambæ propositiones affirmativæ ; conclusio namque est privativa. Affirmatio autem ex ambabus propositionibus affirmantibus probabatur.

2. Pronuntiatum autem privativum sic probatur. Insit τὸ α omni β ac nulli γ. Concludetur τὸ β inesse nulli γ. Si igitur sumptum fuerit τὸ β inesse omni α et nulli γ, necesse est τὸ α nulli γ inesse. Fit enim media figura. Medium est τὸ β. Quodsi pronuntiatum α β sumptum fuerit privativum, alterum autem attributivum, erit prima figura. Nam τὸ γ inest omni α et τὸ β nulli γ. Quare nulli α inest τὸ β. Proinde nec τὸ α inest ulli β. Medium est τὸ γ. Per conclusionem igitur et unam propositionem non fit syllogismus ; assumpta autem altera propositione erit syllogismus.

3. Si vero non universalis sit syllogismus, propositio, quæ est in toto, non probatur ob eam ipsam causam, quam et prius diximus. Particularis autem probatur, quando pronuntiatum universale est attributivum. Insit enim τὸ α omni β et non omni γ; concludetur cuidam γ τὸ β non inesse. Si igitur sumptum fuerit τὸ β omni α et non omni γ, τὸ α cuidam γ non inerit. Medium est τὸ β. Si vero propositio universalis sit privativa, non probabitur propositio α γ, converso pronuntiato α β. Accidit enim ut vel ambæ vel altera propositio sit negativa. Quare non erit syllogismus, sed similiter probabitur, ut in syllogismis universalibus, si sumptum fuerit, cui τὸ β in parte non inest, ei τὸ α in parte inesse.

1. Explicato syllogismo circulari in prima figura, explicat Aristoteles syllogismum circularem in secunda figura. Ponit ergo duas conclusiones.

Prima conclusio est : in secunda figura non potest præmissa affirmativa probari circulariter. Probatur, quia propositio affirmativa non potest probari, nisi ex ambabus præmissis affirmativis; sed ad probandam præmissam affirmativam circulariter deberet assumi conclusio, quæ est negativa; ergo, etc. Non tamen negat Aristoteles, posse probari præmissam affirmativam mutando conclusionem negativam in affirmativam, ut dictum est cap. v, num. 6 et 8.

2. *Secunda conclusio est :* potest in secunda figura probari circulariter præmissa negativa. Probatur discurrendo per modos, tum universales tum particulares. Primo in Camestres minor probatur per conclusionem et conversam majoris. Sit enim syllogismus in Camestres : *omnis homo est rationalis; nullus equus est rationalis; ergo nullus equus est homo;* — ex conversa majoris, cujus termini supponuntur convertibiles, et ex conclusione probatur minor sic : *omne rationale est homo; nullus equus est homo; ergo nullus equus est rationalis.* Secundo in Cesare major probatur per conclusionem et conversam minoris. Sit enim syllogismus in Cesare : *nullus equus est rationalis; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est equus;* — ex conclusione et conversa mi-

noris, fit syllogismus in Celarent : *nullus homo est equus ; omne rationale est homo; ergo nullum rationale est equus ; ergo nullus equus est rationalis.* Ad concludendam ergo majorem non sufficit conclusio et conversa minoris, sed requiritur conversa majoris, quæ directe infertur in Celarent, ut explicatum est.

3. Tertio in modis particularibus, qui sunt Festino et Barocco, præmissa universalis non potest probari circulariter ex eadem ratione, ex qua cap. v, num. 7 et 8, ostensum est, quod in Darii et Ferio præmissa universalis non potest probari circulariter. At præmissa particularis in Barocco potest probari circulariter ex conconclusione et conversa majoris. Sit enim syllogismus in Barocco : *omnis homo est rationalis ; aliquod animal non est rationale ; ergo aliquod animal non est homo;*—sumendo conversam majoris et conclusionem infertur minor sic : *omne rationale est homo; aliquod animal non est homo ; ergo aliquod animal non est rationale.* In Festino vero neque minor affirmativa particularis potest probari circulariter. Si enim sumatur conclusio negativa, et convertatur major similiter negativa, utraque præmissa erit negativa, adeoque utraque erit inepta ad probandam minorem affirmativam, ad quam probandam requiritur utraque præmissa affirmativa; ergo in Festino minor affirmativa solum probari poterit circulariter convertendo majorem et conclusionem negativas in affirmativas, ut explicatum est cap. v, num. 8, agendo de Ferio.

CAPUT VII

DE CIRCULARI SYLLOGISMO IN TERTIA FIGURA.

1. [7] In tertia vero figura, quando ambæ propositiones universaliter sumptæ sunt, mutua et reciproca probatio locum non habet. Universale enim probatur ex universalibus; conclusio autem quæ est in hac figura, semper est particularis. Unde perspicuum est, omnino in hac figura propositionem universalem probari non posse.

1. Descendit demum Aristoteles ad agendum de circulari syllogismo in tertia figura, circa quem ponit tres (duas) conclusiones.

Prima conclusio est : in modis tertiæ figuræ, in quibus utraque præmissa est universalis, hoc est in Darapti et Felapton, non potest fieri probatio circularis. Probatur, quia propositiones universales non possunt probari, nisi ex utraque præmissa universali; sed conclusio in tertia figura semper est particularis; ergo assumendo conclusionem et alteram præmissam, prout requiritur ad probationem circularem, non potest inferri ulla propositio universalis; ergo nec ulla præmissa Darapti et Felapton, cum utraque sit universalis.

2. Sin altera propositio sit universalis, altera particularis, interdum licebit mutuo confirmare, interdum non licebit. Sane cum ambæ propositiones attributivæ sumptæ fuerint, et universale junctum sit minori extremo, licebit ; cum autem alteri extremo, non licebit.

3. Insit enim τὸ α omni γ, τὸ β autem alicui ; conclusio erit α β. Si igitur sumptum fuerit τὸ γ inesse omni α, conversa propositione universali, et τὸ α inesse alicui β, quæ erat conclusio, τὸ γ quidem probatum est τῷ β inesse, τὸ β autem alicui γ inesse probatum non est. Atqui necesse est, si τὸ γ inest alicui β, etiam τὸ β inesse alicui γ. Sed non idem est, hoc illi inesse et illud huic. Verum assumi debet, si hoc illi in parte inest, etiam illud huic in parte inesse. Hoc autem sumpto non efficitur amplius syllogismus ex conclusione et altera propositione.

4. Si vero τὸ β insit omni γ et τὸ α alicui γ, licebit probare propositionem α γ, cum sumptum fuerit τὸ γ omni β inesse et τὸ α alicui. Nam si τὸ γ inest omni β et τὸ α cuidam β, necesse est τὸ α cuidam γ inesse. Medium est τὸ β.

5. Et cum altera propositio est attributiva altera privativa, attributiva autem est universalis, probabitur altera. Insit enim τὸ β omni γ, τὸ α autem cuidam non insit ; concludetur τὸ α cuidam β non inesse. Si igitur assumptum fuerit τὸ γ omni β inesse, inerat autem τὸ α non omni β, certe necesse est τὸ α cuidam γ non inesse. Medium est τὸ β.

6. Cum autem privativa est universalis, non probatur altera, nisi, ut in prioribus sumebatur, si sumptum fuerit, cui hoc non omni inest, alterum alicui inesse. Utputa si τὸ α inest nulli γ, τὸ β autem alicui ; concludetur cuidam β τὸ α non inesse. Si igitur sumptum fuerit, cui τὸ α non omni inest, τὸ γ alicui inesse, necesse est τὸ γ inesse alicui β. Alio modo non licet conversa universali propositione alteram confirmare ; neutiquam enim erit syllogismus.

2. *Secunda conclusio est :* in modis tertiæ figuræ, in quibus altera præmissa est particularis, aliquando talis præmissa potest probari circulariter, aliquando non. Cum major est particularis, minor universalis, ut in Disamis et Bocardo, tum major particularis potest probari circulariter, cum major est universalis, minor

particularis, ut in Datisi et Ferison, minor particularis probari non potest circulariter, saltem circulatione perfecta.

3. Probatur discurrendo per quatuor modos particulares. Primo in Datisi non potest minor probari circulariter circulatione perfecta. Sit enim syllogismus in Datisi : *omnis homo est risibilis; aliquis homo est albus; ergo aliquod album est risibile;* — ex conversa majoris et conclusione infertur in Darii, non quidem minor, sed ejus conversa, ex qua deinde potest inferri minor. Dicitur enim : *omne risibile est homo; aliquod album est risibile; ergo aliquod album est homo; ergo aliquis homo est albus;* sed cum non infertur præmissa, sed ejus conversa, non fit circulatio perfecta; ergo in Datisi non fit circulatio perfecta.

4. Secundo e converso in Disamis ex conclusione et conversa minoris, fit similiter syllogismus in Disamis, in quo infertur ipsa major. Sit enim syllogismus in Disamis : *aliquis homo est albus; omnis homo est risibilis; ergo aliquod risibile est album;* — ex conclusione et conversa minoris infertur major in Disamis sic : *aliquod risibile est album; omne risibile est homo; ergo aliquis homo est albus;* sed cum ex conclusione et conversa alterius præmissæ per eumdem modum infertur alia præmissa, fit circulatio perfecta; ergo in Disamis fit circulatio perfecta.

5. Tertio etiam in Boccardo ex conclusione et conversa minoris fit syllogismus, in quo per eumdem modum infertur major. Sit enim syllogismus in Boccardo : *aliquis homo non est albus; omnis homo est risibilis; ergo aliquod risibile non est album;* — ex conclusione et conversa minoris infertur major itidem in Boccardo sic : *aliquod risibile non est album; omne risibile est homo; ergo aliquis homo non est albus;* sed cum ex conclusione et ex conversa alterius præmissæ infertur altera præmissa per eumdem modum fit circulatio perfecta; ergo in Boccardo fit circulatio perfecta.

6. Quarto demum in Ferison, minor particularis, utpote affirmativa non potest probari circulariter, cum conclusio et altera præmissa sit negativa, nisi convertendo conclusionem et majores negativas in affirmativas, modo explicato cap. v, num. 6 et 8. Sit enim syllogismus in Ferison : *nullum rationale est irrationale; aliquod rationale est animal; ergo aliquod animal non est irrationale;* — ad probandam minorem affirmativam debet dici sic : *omne, de quo negatur irrationale, est rationale; sed de aliquo animali negatur irrationale; ergo aliquod animal est rationale; ergo aliquod rationale est animal;* ergo patet, quod etiam ex hoc capite non fit perfecta circulatio; ergo manifestum est, quod in modis particularibus tertiæ figuræ, in quibus minor est universalis, hoc est in Disamis et Boccardo, potest fieri perfecta circulatio; in modis vero, in quibus major est universalis, hoc est in Datisi et Ferison, non potest fieri perfecta circulatio.

7. Perspicuum igitur est in prima figura probationem reciprocam fieri per primam et per tertiam figuram, nempe cum attributiva est conclusio, per primam, cum privativa, per ultimam ; sumitur enim, cui hoc nulli inest, alterum omni inesse.

8. In media vero figura, cum syllogismus est universalis, probationem fieri per eam ipsam et per primam figuram, cum particularis, per eam ipsam et per ultimam.

9. In tertia autem figura omnes probationes per eam ipsam fieri.

10. Perspicuum est etiam, in media et tertia figura syllogismos, qui per eas ipsas non efficiuntur, aut non esse secundum circularem probationem, aut esse imperfectos.

7. Concludit Aristoteles inferendo *quædam corollaria*. Primum corollarium est : in prima figura potest fieri probatio circularis, et per primam figuram et per tertiam. Cum enim conclusio est affirmativa, præmissæ probantur circulariter per primam figuram; cum vero conclusio est negativa, et debet probari præmissa negativa, probatio circularis fit per tertiam figuram, assumendo, quod subjectum affirmatur de omni, de quo negatur prædicatum.

8. Secundum corollarium est : in secunda figura, cum modi sunt universales, probatio circularis fit per secundam et per primam; in Camestres enim minor probatur circulariter per secundam figuram, et per ipsum Camestres; in Cesare major probatur circulariter per Celarent, ut dictum est cap. vi, num. 3. In modis vero particularibus, hoc est Festino et Barocco, probatio circularis fit per ipsam et per tertiam. In Barocco enim minor probatur circulariter per ipsum Barocco; in Festino minor, quæ, cum sit affirmativa, non potest concludi in secunda figura, probatur per tertiam.

9. Tertium corollarium est : in tertia figura probatio circularis perfecta fit per ipsam tertiam figuram. In Disamis enim et Boccardo fit probatio circularis perfecta per eamdem figuram et eumdem modum, ut dictum est num. 5 et 6.

10. Quartum corollarium est : in secunda et tertia figura, cum non potest fieri circulatio per easdem figuras, aut non fit ullo modo, aut est imperfecta, cum immediate inferatur non ipsa præmissa, sed ejus conversa.

CAPUT VIII

DE SYLLOGISMO CONVERSIVO, IN QUO EX OPPOSITO CONCLUSIONIS INFERTUR OPPOSITUM PRÆMISSARUM IN PRIMA FIGURA.

1. [8] Convertere autem est transposita conclusione efficere syllogismum, quo colligatur aut majus extremum medio non inesse, aut hoc medium postremo. Necesse enim est conclusione conversa et altera propositione manente reliquam tolli; nam si illa quoque propositio erit, etiam conclusio erit.

2. Interest autem, utrum opposite, an contrarie convertatur conclusio, quia non fit idem syllogismus ea utrovis modo conversa. Hoc autem planum fiet ex sequentibus. Dico opponi omni et non omni, item alicui et nulli. Contraria voco omni et nulli, item alicui et non alicui inesse.

1. Postquam Aristoteles egit de virtute conclusionis, per quam possunt ex conclusione circulariter inferri præmissæ, agit de virtute, per quam ex opposito conclusionis potest conversive inferri oppositum præmissarum.

Primo ergo explicat, quid sit conversio syllogistica seu syllogismus conversivus. Conversio syllogistica seu syllogismus conversivus est, per quam ex opposito conclusionis et altera præmissa evertitur reliqua præmissa, probando oppositum ipsius.Ex, gr., sit syllogismus in Barbara : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis,* — ex contradictorio conclusionis et minori potest fieri syllogismus in Boccardo ad concludendum contradictorium majoris sic : *aliquis homo non est risibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est risibile.* Rursus ex majori et contradictorio conclusionis potest in Barocco inferri contradictorium minoris sic : *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis.* Ratio, quare per syllogismum conversivum ex opposito conclusionis, servata una præmissa, sequatur oppositum alterius est, quia cum ex antecedenti sequitur consequens, ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis, ut dictum est libro I. Prior. cap. ult.; sed ex utraque præmissa, tanquam ex antecedenti necessario sequitur conclusio; ergo ex opposito conclusionis servata una præmissa, necessario sequitur oppositum alterius præmissæ.

2. *Secundo* docet Aristoteles, quod oppositum conclusionis potest sumi dupliciter : primo oppositum contradictorie, *ut omne, non omne; nullum, aliquod;* secundo potest sumi oppositum contrarie vel subcontrarie, ut *omne, nullum; aliquod, aliquod non.* Non igitur eodem pacto fit syllogismus conversivus, sumendo oppositum conclusionis contradictorie, contrarie et subcontrarie, ut patebit inferius.

3. Sit enim probatum τὸ α de γ per medium β. Si igitur sumptum fuerit τὸ α inesse nulli γ et omni β, certe nulli γ inerit τὸ β. Et si sumptum sit τὸ α inesse nulli γ, τὸ β autem omni γ, concludetur τὸ α non omni β inesse, non omnino nulli, quia non probabatur universale per tertiam figuram. Et omnino propositionem, quæ majori extremo juncta est, non licet evertere universaliter per conversionem, quia semper evertitur per tertiam figuram. Necesse est enim ut ad minus extremum ambæ propositiones sumantur.

4. Itidem fiet, si syllogismus sit privativus. Ostensum enim sit, τὸ α nulli γ inesse, per β. Ergo si sumptum fuerit τὸ α omni γ et nulli β inesse, nulli γ τὸ β inerit. Quodsi τὸ α et τὸ β insint omni γ, τὸ α inerit alicui β. Atqui nulli inerat. Si vero opposite convertatur conclusio, etiam alii syllogismi oppositi non universales erunt, quoniam altera propositio fit particularis ; proinde etiam conclusio erit particularis. Sit enim syllogismus attributivus, atque ita convertatur. Ergo si τὸ α non omni γ et omni β inest, τὸ β non omni γ inerit. Et si τὸ α non omni γ, τὸ β autem omni inest, τὸ α non omni β inerit. Similiter fiet, si syllogismus sit privativus. Nam si τὸ α insit alicui γ et nulli β, τὸ β alicui γ non inerit, non simpliciter nulli. Et si τὸ α alicui γ, τὸ β autem omni insit, ut initio sumptum fuit, τὸ α inerit alicui β.

3. *Tertio* explicat, quo pacto in prima figura et in duobus modis universalibus ipsius, qui sunt Barbara et Celarent, fiat syllogismus conversivus, sumendo contrarium conclusionis. In Barbara sumendo contrarium conclusionis et majorem, sequitur contrarium minoris per secundam

figuram et per Camestres. Sit enim syllogismus principalis: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis;* sumendo contrariam conclusionis et majorem, concluditur in Camestres contraria minoris sic : *omne rationale est risibile; nullus homo est risibilis; ergo nullus homo est rationalis;* — sumendo vero contrariam conclusionis et minorem, concluditur in tertia figura et in Felapton contradictoria majoris sic : *nullus homo est risibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est risibile.*

4. In Celarent ex contraria conclusionis et majori concluditur in Cesare contraria minoris. Sit enim syllogismus in Celarent: *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis,* — sumendo majorem et contrariam conclusionis sic concluditur in Cesare contraria minoris : *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est hinnibilis; ergo nullus homo est rationalis.* Ex contraria vero conclusionis et minori concluditur in tertia figura et in Darapti contradictorium minoris sic : *omnis homo est hinnibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale est hinnibile.* Hinc patet, quod minor destruitur totaliter ex contraria conclusionis et majori, probando contrariam minoris; major vero non destruitur totaliter, sed solum partialiter; quia cum ex contraria conclusionis et minori fiat argumentum in tertia figura, non potest probari contraria majoris, quæ contraria est universalis, cum tertia figura non concludat universaliter, sed solum potest probari contradictoria majoris, quæ est particularis.

5. In syllogismis autem particularibus, ubi opposite convertitur conclusio, tolluntur ambæ propositiones, ubi contrarie, neutra. Non enim amplius fit, quemadmodum in universalibus, ut evertatur deficiente conclusione, dum convertitur; immo omnino everti non potest.

6. Ostensum enim sit τὸ α de aliquo γ. Ergo si sumptum fuerit τὸ α inesse nulli γ, τὸ β autem alicui γ, τὸ α cuidam β non inerit. Et si τὸ α nulli γ, omni autem β insit, nulli γ τὸ β inerit. Quare evertuntur ambæ propositiones. Si vero contrarie convertatur conclusio, neutra propositio evertitur. Nam si τὸ α cuidam γ non inest, omni autem β inest, τὸ β cuidam γ non inerit. Sed nondum eversum est, quod ab initio fuit propositum, quia potest alicui inesse et alicui non inesse. Universalis autem propositionis α β omnino non fit syllogismus. Nam si τὸ α alicui γ non inest et τὸ β alicui inest, neutra propositio est universalis.

7. Similiter fiet, si syllogismus sit privativus. Nam si sumptum fuerit τὸ α omni γ inesse, tolluntur ambæ propositiones, si alicui, neutra. Demonstratio vero est eadem.

5. *Quarto* explicat, quo pacto in modis particularibus primæ figuræ, qui sunt Darii et Ferio fit syllogismus conversivus. Ponit ergo conclusionem : in Darii et Ferio sumendo contradictoriam conclusionis et alteram præmissam, fit syllogismus conversivus destruens aliam præmissam; sumendo vero subcontrariam conclusionis et alteram præmissam non destruitur altera præmissa per syllogismum conversivum.

6. Probatur et explicatur; sit enim syllogismus in Darii : *omnis homo est rationalis ; aliquod animal est homo ; ergo aliquod animal est rationale,* — ex contradictoria conclusionis et majori fit syllogismus in Camestres, destruens minorem et probans ejus contradictoriam sic : *omnis homo est rationalis; nullum animal est rationale; ergo nullum animal est homo.* Ex contradictoria conclusionis et minori fit syllogismus in Ferison, destruens majorem et probans ejus contradictoriam sic : *nullum animal est rationale; aliquod animal est homo; ergo aliquis homo non est rationalis.* At vero si sumatur subcontraria conclusionis, quæ est : *aliquod animal non est rationale,* cum altera præmissarum, neutra præmissa evertitur. Sumendo enim majorem fit syllogismus in Barocco : *omnis homo est rationalis; aliquod animal non est rationale; ergo aliquod animal non est homo,* quæ conclusio non est destructiva minoris, quæ est : *aliquod animal est homo,* cum duæ particulares subcontrariæ possint simul verificari; sumendo vero subcontrariam conclusionis et minorem non fit syllogismus. Cum enim sit particularis, et subcontraria conclusionis sit itidem particularis, nihil sequitur. sed dicitur : *aliquod animal non est rationale; aliquod animal est homo,* ex quibus præmissis nihil sequitur.

7. In Ferio similiter ex contraria conclusionis et majori sequitur per Cesare contradictoria minoris; ex contradictoria vero conclusionis et minori sequitur per Datisi contradictoria majoris. Sit enim syllogismus in Ferio : *nullus homo est hinnibilis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal non est hinnibile,* — sumendo

contradictoriam conclusionis et majorem, sequitur in Cesare contradictoria minoris sic : *nullus homo est hinnibilis; omne animal est hinnibile; ergo nullum animal est homo;* sumendo vero contradictoriam conclusionis et minorem sequitur contradictoria majoris in Datisi sic : *omne animal est hinnibile; aliquod animal est homo; ergo aliquis homo est hinnibilis.* Si vero sumatur subcontraria conclusionis et major, sequitur subcontraria minoris in Festino sic : *nullus homo est hinnibilis; aliquod animal est hinnibile; ergo aliquod animal non est homo,* quæ conclusio non destruit illam minorem : *aliquod animal est homo,* cum simul possint verificari. Ex subcontraria vero conclusionis et minori, cum utraque sit particularis, nihil sequitur.

CAPUT IX.

DE SYLLOGISMO CONVERSIVO IN SECUNDA FIGURA.

1. [9] In secunda autem figura propositionem majori extremo junctam non licet evertere contrarie, utrovis modo conversio fiat. Semper enim erit conclusio in tertia figura, in qua non erat syllogismus universalis.

2. Alteram vero propositionem evertemus eo modo, quo conversio facta fuerit, nempe si contrarie facta sit conversio, evertetur contrario modo, si opposite, opposito. Insit enim τὸ α omni β, nulli autem γ, conclusio est β γ. Si igitur sumptum fuerit τὸ β omni γ inesse, et pronuntiatum α β maneat, τὸ α omni γ inerit; fit enim prima figura.

3. Quodsi τὸ β insit omni γ, τὸ α vero nulli γ, τὸ α non omni β inerit. Figura est ultima. Si vero opposite convertatur conclusio β γ, propositio α β simili modo ostendetur, propositio autem α γ opposite. Nam si τὸ β insit cuidam γ, τὸ α autem nulli γ, τὸ α cuidam β non inerit. Rursus si τὸ β insit alicui γ, τὸ α autem omni β, τὸ α inerit alicui γ. Itaque opposito modo fit syllogismus. Similiter etiam probabitur, si vice versa se habeant propositiones.

1. Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto fiat syllogismus conversivus in prima figura, explicat, quo pacto fiat in secunda figura. Quoad modos igitur universales illius, Cesare nimirum et Camestres, ponit duas regulas.

Prima regula est : in modis universalibus secundæ figuræ, Cesare nimirum et Camestres, sive sumatur contrarium, sive contradictorium conclusionis et minor, nunquam evertitur major, probando ejus contrariam universalem, sed solum probando ejus contradictoriam particularem. Ratio est, quia ex contradictoria vel contraria conclusionis et minori semper fit syllogismus in tertia figura; sed tertia figura concludit solum particulariter; ergo non potest probari contraria majoris, quæ debet esse universalis.

2. *Secunda regula* est : in iisdem modis ex contraria conclusionis et majori probatur contraria minoris; ex contradictoria conclusionis et majori probatur contradictoria minoris. Probatur discurrendo per dictos modos universales. Primo sit syllogismus in Camestres : *omnis homo est intellectualis; nullus equus est intellectualis; ergo nullus equus est homo;* sumendo contrariam conclusionis et majorem concluditur in prima figura et in Barbara contraria minoris sic : *omnis homo est intellectualis; omnis equus est homo; ergo omnis equus est intellectualis;* sumendo contrariam conclusionis et minorem concluditur per tertiam figuram in Felapton, non contraria, sed contradictoria majoris sic : *nullus equus est intellectualis; omnis equus est homo; ergo aliquis homo non est intellectualis;* sumendo contradictoriam conclusionis et majorem concluditur in prima figura et in Darii contradictoria minoris sic : *omnis homo est intellectualis; aliquis equus est homo; ergo aliquis equus est intellectualis;* sumendo contradictoriam conclusionis et minorem concluditur in tertia figura et in Ferison contradictoria majoris sic : *nullus equus est intellectualis; aliquis equus est homo; ergo aliquis homo non est intellectualis.*

3. Secundo sit syllogismus in Cesare : *nullus homo est hinnibilis; omnis equus est hinnibilis; ergo nullus equus est homo,* — ex contraria conclusionis et majori sequitur contraria minoris in prima figura et in Celarent sic : *nullus homo est hinnibilis; omnis equus est homo; ergo nullus equus est hinnibilis;* ex contradictoria conclusionis et majori sequitur in Ferio contradictoria minoris sic : *nullus homo est hinnibilis; aliquis equus est homo; ergo aliquis equus non est hinnibilis;* ex contraria conclusionis et minori sequitur in tertia figura et in Darapti, non quidem contraria, sed contradictoria majoris sic : *omnis equus est hinnibilis; omnis equus est homo; ergo aliquis homo est hinnibilis;* ex contradictoria conclusionis et minori sequitur in Datisi contradictoria majoris sic : *omnis equus est hinnibilis; aliquis*

equus est homo; ergo aliquis homo est hinnibilis.

4. Si vero syllogismus sit in parte, contrarie conversa conclusione neutra propositio evertitur, quemadmodum nec in prima figura evertebatur; opposite conversa ambæ evertuntur.

5. Ponatur enim τὸ α inesse nulli β et alicui γ; conlcusio est β γ. Si igitur positum fuerit τὸ β cuidam γ inesse, et pronuntiatum α β maneat, conclusio erit τὸ α cuidam γ non inesse. Sed non evertitur quod ab initio propositum fuit, quia potest alicui inesse et non inesse. Rursus si τὸ β insit alicui γ et τὸ α alicui γ, non erit syllogismus, quia neutrum ex pronuntiatis acceptis est universale. Quare non evertitur pronuntiatum α β. Quod si opposite convertatur, tolluntur ambæ propositiones. Nam si τὸ β inest omni γ, τὸ α autem nulli β, nulli γ inerit τὸ α. Alicui tamen inerat. Rursus si τὸ β inest omni γ, τὸ α autem alicui γ, inerit alicui β τὸ α. Eadem erit demonstratio etsi pronuntiatum universale sit attributivum.

4. Quoad modos particulares secundæ figuræ, qui sunt Festino et Barocco, ponit Aristoteles *duas regulas*. Prima est: ex subcontraria conclusionis et altera præmissarum non evertitur altera præmissa. Secunda est: ex contradictoria conclusionis et altera præmissarum evertitur altera præmissa.

5. Probatur discurrendo per dictos modos. Primo sit syllogismus in Festino: *nullus homo est hinnibilis; aliquod animal est hinnibile; ergo aliquod animal non est homo;* — ex subcontraria conclusionis et majori non evertitur minor, sed sequitur in Ferio subcontraria minoris sic: *nullus homo est hinnibilis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal non est hinnibile.* Ex subcontraria conclusionis et minori, quæ sunt: *aliquod animal est homo; aliquod animal est hinnibile;* nihil sequitur, cum utraque sit particularis. Ex contradictoria conclusionis et majori sequitur in Celarent contradictoria minoris sic: *nullus homo est hinnibilis; omne animal est homo; ergo nullum animal est hinnibile.* Ex contradictoria conclusionis et minori sequitur in Disamis contradictoria majoris sic: *aliquod animal est hinnibile; omne animal est homo; ergo aliquis homo est hinnibilis.* Idem dicendum de Barocco, et est eadem demonstratio.

CAPUT X

DE SYLLOGISMO CONVERSIVO IN TERTIA FIGURA.

1. [10] In tertia vero figura, quando contrarie convertitur conclusio, neutra cujusvis syllogismi propositio evertitur.

2. Quando opposite, ambæ evertuntur, et in omnibus syllogismis.

3. Ostensum enim sit τὸ α cuidam β inesse, et medium sumptum sit τὸ γ, sintque propositiones universales. Ergo si sumptum fuerit τὸ α cuidam β non inesse, τὸ β autem omni γ inesse, non fit syllogismus τοῦ α de γ. Item si τὸ α cuicuidam β non insit, omni autem γ insit, non erit syllogismus τοῦ β de γ.

4. Similiter ostendetur, etsi propositiones non universales sint. Aut enim necesse est ambas esse particulares per conversionem, aut universale jungi minori extremo;

5. sic vero non erat syllogismus, nec in prima figura nec in media.

1. Quoad tertiam figuram ponit Aristoteles duas regulas. *Prima regula* est: in tertia figura ex subcontraria conclusionis et altera præmissa non destruitur reliqua.

2. *Secunda regula* est: in tertia figura ex contradictoria conclusionis et altera præmissa destruitur reliqua, tum major, tum minor. Probatur prima regula discurrendo per modos, primo affirmativos, qui sunt Darapti, Disamis et Datisi, universales et particulares.

3. Primo sit syllogismus in Darapti: *omnis homo est intellectualis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale;* — ex subcontraria conclusionis et minori fit: *aliquod animal non est intellectuale; omnis homo est animal;* ex quibus præmissis nihil sequitur, quia in prima figura ex majori particulari nihil sequitur. Ex subcontraria conclusionis et majori fit syllogismus in Barocco, ex quo sequitur subcontraria minoris, per quam non evertitur minor sic: *omnis homo est intellectualis; aliquis homo non est animal; ergo aliquod animal non est intellectuale.* Si vero invertantur præmissæ et dicatur: *aliquis homo non est animal; omnis homo est intellectualis;* nihil sequitur, quia in secunda figura ex majori particulari nihil sequitur. (1)

4. Secundo sit syllogismus in Disamis: *aliquod animal est homo; omne animal est*

(1) Hæc minus recte statui videntur, cum prior syllogismus non reducatur ad Barocco, quippe qui ad tertiam figuram pertineat. Ad eamdem figuram reducendus videtur posterior syllogismus.

vivens; ergo aliquod vivens est homo; ex subcontraria conclusionis et majori nihil sequitur, quia utraque est particularis; ex subcontraria conclusionis et minori fit: *aliquod vivens non est homo; omne animal est vivens;* ex quo modo nihil sequitur, quia in prima figura ex majori particulari nihil sequitur.

5. Tertio sit syllogismus in Datisi: *omnis homo est animal; aliquis homo est albus; ergo aliquod album est animal;* ex subcontraria conclusionis et minori nihil sequitur, quia utraque est particularis; ex subcontraria conclusionis et majori fit: *aliquod album non est animal; omnis homo est animal;* ex quibus præmissis nihil sequitur, quia in secunda figura ex majori particulari et minori negativa nihil sequitur.

6. Quod si opposite convertantur propositiones, evertuntur ambæ. Nam si τὸ α insit nulli β et τὸ β omni γ, τὸ α inerit nulli γ. Rursus si τὸ α insit nulli β et omni γ, τὸ β inerit nulli γ.

7. Itidem fit, etsi altera propositio non universalis sit. Nam si τὸ α nulli β et τὸ β cuidam γ insit, τὸ α cuidam γ non inerit. Si vero τὸ α nulli β et omni γ insit, nulli γ τὸ β inerit.

6. Probatur jam secunda regula discurrendo per eosdem modos affirmativos. Primo sit syllogismus in Darapti: *omnis homo est intellectualis; omnis homo est animal; ergo aliquod animal est intellectuale;* ex contradictoria conclusionis et minori concluditur in Celarent contradictoria majoris sic: *nullum animal est intellectuale; omnis homo est animal; ergo nullus homo est intellectualis;* ex contradictoria conclusionis et majori concluditur in Cesare contradictoria minoris sic: *nullum animal est intellectuale; omnis homo est intellectualis; ergo nullus homo est animal* (1).

7. Secundo sit syllogismus in Datisi: *omnis homo est animal; aliquis homo est albus; ergo aliquod album est animal;* ex contradictoria conclusionis et minori concluditur in Ferio contradictoria majoris sic: *nullum album est animal; aliquis homo est albus; ergo aliquis homo non est animal;* ex contradictoria conclusionis et majori concluditur in Cesare contradictoria minoris sic: *nullum album est animal; omnis homo est animal; ergo nullus homo est albus.*

(1) Adverte conclusionem non esse contradictoriam minoris, quam auctor inferre intendit, sed contrariam.

8. Similiter fiet, si syllogismus sit privativus. Ostensum enim sit τὸ α cuidam β non inesse, sitque attributivum pronuntiatum β γ, negativum α γ; sic enim efficiebatur syllogismus. Cum igitur pronuntiatum conclusioni contrarium sumptum fuerit, non erit syllogismus. Nam si τὸ α insit alicui β, τὸ β autem omni γ, non erit syllogismus τοῦ α de γ. Item si τὸ α insit alicui β, nulli autem γ, non erat syllogismus τοῦ β de γ. Quare non evertuntur propositiones.

9. Cum autem oppositum sumptum fuerit, propositiones evertuntur. Nam si τὸ α omni β et τὸ β omni γ insit, τὸ α omni γ inerit. Sed nulli inerat. Rursus si τὸ α omni β, nulli autem γ insit, τὸ β nulli γ inerit. Sed omni inerat.

10. Similiter ostenditur, etsi non universales sint propositiones, quia τὸ α γ fit universale et privativum, alterum vero pronuntiatum in parte et attributivum. Si igitur τὸ α omni β, τὸ β autem alicui γ, τὸ α alicui γ accidit. Sed nulli inerat. Rursus si τὸ α omni β, nulli autem γ insit, τὸ β nulli γ inerit. Positum autem fuerat inesse alicui. Si vero τὸ α insit alicui β et τὸ β alicui γ, non fit syllogismus. Quodsi τὸ α insit alicui β, nulli autem γ, ne sic quidem erit syllogismus. Quocirca illo modo evertuntur, hoc non evertuntur propositiones.

11. Ex dictis igitur constat, quomodo conversa conclusione in singulis figuris fiat syllogismus, et quando probetur contrarium propositioni, quando oppostum.

8. Probat jam Aristoteles easdem duas regulas de tribus modis negativis, qui sunt Felapton, Boccardo et Ferison. Primo sit syllogismus in Felapton: *nullus homo est equus; omnis homo est animal; ergo aliquod animal non est equus;* ex subcontraria conclusionis et minori fit: *aliquod animal est equus; omnis homo est animal;* ex quibus præmissis nihil sequitur, quia in prima figura ex majori particulari nihil sequitur; ergo in Felapton ex subcontraria conclusionis et altera præmissarum non evertitur altera præmissa, ut dictum est in prima regula; ex majori et subcontraria conclusionis fit syllogismus in Festino sic: *nullus homo est equus; aliquod animal est equus; ergo aliquod animal non est homo;* quæ conclusio non destruit illam minorem: *omnis homo est animal,* sed verificatur simul cum illa.

9. E converso juxta secundam regulam in eodem Felapton ex contradictoria conclusionis et minori fit syllogismus in Barbara, in quo infertur contraria majoris sic: *omne animal est equus; omnis homo est animal; ergo omnis homo est equus;* ex contradictoria conclusionis et majori fit syllogismus in Camestres, in quo infertur contraria minoris sic: *omne animal est*

equus; nullus homo est equus: ergo nullus homo est animal.

10. Secundo sit syllogismus in Ferison: *nullus homo est equus; aliquis homo est animal; ergo aliquod animal non est equus;* ex contradictoria conclusionis et minori concluditur in Darii contradictoria majoris sic: *omne animal est equus; aliquis homo est animal; ergo aliquis homo est equus;* ex contradictoria conclusionis et majori infertur in Camestres contradictoria minoris sic: *omne animal est equus; nullus homo est equus; ergo nullus homo est animal.* Si vero accipiatur subcontraria conclusionis cum minori, nihil sequitur, cum utraque præmissa sit particularis; si accipiatur subcontraria conclusionis cum majori, — vel subcontraria conclusionis fit major et dicitur: *aliquod animal est equus; nullus homo est equus;* et nihil sequitur, quia in secunda figura ex majori particulari nihil sequitur; — vel subcontraria conclusionis fit minor, et fit sequens syllogismus in Festino: *nullus homo est equus; aliquod animal est equus; ergo aliquod animal non est homo;* quæ conclusio non est destructiva illius minoris: *aliquis homo est animal,* sed verificatur simul cum illa.

11. Concludit Aristoteles, quod ex his patet, quo pacto in singulis figuris efficiatur syllogismus conversivus, et quo pacto ex tali syllogismo inferatur contraria vel contradictoria alterius præmissæ.

12. Apparet etiam in prima figura per mediam et per postremam effici syllogismos; et propositionem quidem minori extremo junctam semper everti per mediam figuram, eam vero quæ majori extremo juncta est, per postremam.

13. In secunda autem figura per primam et per postremam; et propositionem quidem junctam minori extremo semper everti per primam figuram, junctam vero majori extremo per ultimam.

14. In tertia vero figura per primam et per mediam; et junctam quidem majori extremo semper everti per primam, junctam autem minori semper per mediam. Quid igitur sit convertere, et quomodo in singulis figuris, et quis efficiatur syllogismus, perspicuum est.

12. Infert *tria corollaria* spectantia ad unamquamque figuram. Primum est: in prima figura syllogismus conversivus ad evertendam majorem fit per tertiam figuram, ad evertendam minorem fit per secundam figuram.

13. Secundum corollarium est: in secunda figura syllogismus conversivus evertens minorem fit per primam figuram; syllogismus conversivus evertens majorem fit per tertiam figuram.

14. Tertium corollarium est: in tertia figura syllogismus conversivus evertens majorem semper fit in prima figura; syllogismus conversivus evertens minorem semper fit per secundam figuram. Patet igitur, quid sit syllogismus conversivus, et quomodo fiat in unaquaque figura.

CAPUT XI

DE SYLLOGISMO PER IMPOSSIBILE IN PRIMA FIGURA

1. [11] Per impossibile autem fit syllogismus, cum ponitur contradictio conclusionis et assumitur alia propositio. Fit autem in omnibus figuris. Similis enim est conversioni, sed eo differt, quod convertitur facto syllogismo et sumptis ambabus propositionibus; deducitur autem ad impossibile, cum oppositum esse verum, non ante concessum, sed ex se manifestum est.

2. Termini autem similiter habent in ambobus, eademque est amborum sumptio. Utputa cum τὸ α omni β inest, medium autem est τὸ γ, si suppositum fuerit τὸ α aut non omni aut nulli β inesse, omni autem γ inesse, quod quidem erat verum, necesse est τὸ γ aut nulli aut non omni β inesse. Hoc vero est impossibile. Quare falsum est quod suppositum fuit. Oppositum igitur est verum. Similiter fit etiam in aliis figuris. Quæcumque enim conversionem recipiunt, etiam syllogismum, qui per impossibile exstruitur, recipiunt.

Postquam Aristoteles egit de illa virtute syllogismi, per quam ex opposito conclusionis syllogizatæ et altera præmissa potest per syllogismum conversivum inferri oppositum alterius præmissæ, agit de altera virtute affini, per quam ex contradictoria conclusionis non syllogizatæ sed syllogizandæ et altera propositione manifesta potest concludi aliquid impossibile. Primo igitur explicat, quid sit syllogimus per impossibile, et ejus differentiam et convenientiam cum syllogismo conversivo: secundo docet, quo pacto fieri possit syllogismus per impossibile in omnibus figuris.

1. *Quoad primum*: syllogismus per impossibile est, cum ex contradictoria conclusionis probandæ et altera præmissa manifesta infertur aliquid impossibile per omnes figuras. Syllogismus per impossibile in aliquo convenit, et in aliquo disconvenit cum syllogismo conversivo.

Disconvenit in hoc, quod syllogismus conversivus est, cum facto jam syllogismo, sumitur oppositum conclusionis et altera præmissa, quæ prius fuerat concessa, et infertur oppositum alterius præmissæ, quæ similiter supponitur fuisse concessa. At syllogismus per impossibile est, cum ex opposito conclusionis syllogizandæ et altera præmissa manifesta, sed quæ non supponitur concessa, infertur aliquid, cujus oppositum non est concessum, sed concedi debet, utpote manifeste verum.

2. Conveniunt in hoc, quod uterque fit disponendo terminos eodem modo, et sumendo ut præmissam oppositum conclusionis probandæ, et addendo illi alteram præmissam, ac tales præmissas disponendo juxta aliquam figuram et modum. Ex. gr., sit factus syllogismus in Barbara: *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis;* — syllogismus conversivus est, cum ex majori et contradictoria conclusionis infertur in Barocco oppositum minoris, sic: *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis,* quæ est contradictoria majoris concessæ; syllogismus vero per impossibile esset, si non facto primo syllogismo in Barbara, nec concessis illis præmissis, sed solum negato: *quod omnis homo est risibilis,* diceretur itidem in Barocco: *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis; sed hoc est manifeste falsum, et major est manifeste vera; ergo falsum est, quod aliquis homo non sit risibilis; ergo verum est, quod omnis homo est risibilis.* Idem dic de cæteris figuris et modis; ergo patet, quod eodem pacto fit syllogismus conversivus et per impossibile, ac solum differunt jam explicatam.

3. Omnia igitur alia problemata probantur per impossibile in omnibus figuris. Universale autem attributivum in media quidem et in tertia figura probatur, in prima vero non probatur.

4. Supponatur enim τὸ α non omni aut nulli β inesse, et ab utravis parte assumatur altera propositio, id est sive omni α inesse τὸ γ sive τὸ β omni δ; sic enim fuerit prima figura. Si igitur supponatur non omni β inesse τὸ α, non fit syllogismus, ab utravis parte accipiatur propositio. Sin nulli, sane cum propositio β δ assumpta fuerit, concludetur falsum, non tamen probabitur propositum. Nam si τὸ α nulli β, τὸ β autem omni δ insit, τὸ α nulli δ inerit. Hoc autem sit impossibile. Falsum igitur est illud, nulli β τὸ α inesse. Sed si nulli inesse est falsum, non continuo omni inesse est verum. Si vero assumatur propositio γ α, non fit syllogismus. Ut neque tunc, cum suppositum fuerit, non omni β inesse τὸ α. Quare perspicuum est, omni inesse non probari in prima figura per impossibile.

3. *Quoad secundum* ponit Aristoteles hanc conclusionem: cum quatuor sint propositiones probandæ — universalis affirmativa, universalis negativa, particularis affirmativa, et particularis negativa in prima figura possunt per impossibile probari omnes, excepta universali affirmativa; in secunda et tertia figura probari possunt omnes quatuor.

4. Probatur ergo primo, quod in prima figura non potest probari per impossibile universalis affirmativa. Sit enim probanda hæc: *omnis homo est risibilis,* vel ad faciendum syllogismum per impossibile. sumitur ejus contradictoria, vel ejus contraria; neutro modo potest posita universalis affirmativa probari in prima figura; ergo, etc. Probatur minor; sumatur enim contradictoria, quæ est: *aliquis homo non est risibilis*, vel hæc particularis negativa ponitur ut major syllogismi, vel ut minor; neutro modo potest fieri syllogismus primæ figuræ; ergo, etc. Probatur minor; si enim illa particularis negativa ponitur ut major, non fit syllogismus, quia in prima figura ex majori particulari nihil sequitur; si ponitur ut minor, non fit syllogismus, quia in prima figura ex minori negativa nihil sequitur. Si vero sumatur contraria, quæ est: *nullus homo est risibilis,* si ponatur ut minor, non fit syllogismus, quia in prima figura ex minori negativa nihil sequitur; si vero ponatur ut major, fiet quidem syllogismus, in eoque poterit concludi in Celarent aliquid falsum et impossibile, ex eoque inferri, quod hæc propositio: *nullus homo est risibilis,* quæ est contraria conclusioni probandæ, quæ est: *omnis homo est risibilis*, sit falsa, at non poterit probari, quod hæc conclusio: *omnis homo est risibilis,* sit vera, cum propositiones contrariæ possint esse simul falsæ; ergo non erit probata illa universalis affirmativa; ergo in prima figura universalis affirmativa non potest probari per impossibile.

5. Alicui vero et nulli et non omni inesse probatur. Supponatur enim τὸ α nulli β inesse, τὸ β autem sumatur omni aut alicui γ inesse. Ergo necesse est τὸ α non omni aut nulli γ inesse. Hoc autem est impossibile. Sit enim hoc verum

et manifestum, omni γ inesse τὸ α. Quare si hoc est falsum, necesse est τὸ α alicui β inesse. Quod si juxta α sumpta fuerit altera propositio, non erit syllogismus. Neque cum suppositum fuerit contrarium conclusioni, ut alicui non inesse. Apparet igitur oppositum supponendum esse.

6. Rursus supponatur τὸ α cuidam β inesse, sumatur autem τὸ γ inesse omni α. Necesse igitur est τὸ γ cuidam β inesse. Hoc autem esto impossibile. Quare falsum est quod suppositum fuit; atque ita verum est, nulli inesse. Similiter fiet, si privativum sumptum fuerit pronuntiatum γ α. Quod si propositio sumpta sit juxta β, non erit syllogismus. Sin contrarium suppositum fuerit, syllogismus quidem erit et probabitur impossibile, non tamen probatur quod propositum fuit. Supponatur enim omni β τὸ α inesse, et τὸ γ sumptum sit inesse omni α. Necesse igitur est τὸ γ omni β inesse. Hoc autem est impossibile. Itaque falsum est, omni β τὸ α inesse. At non continuo necesse est, si non omni insit, nulli inesse. Similiter fiet, etsi ad β sumpta fuerit altera propositio. Erit enim syllogismus et probabitur impossibile, non tamen tollitur hypothesis. Quocirca oppositum supponendum est.

5. Probatur secundo, quod in prima figura probari potest per impossibile particularis affirmativa et negativa tum universalis tum particularis. Primo sit probanda hæc particularis affirmativa : *aliquod animal est rationale,* sumatur ut major ejus contradictoria, quæ est : *nullum animal est rationale;* subsumatur minor universalis vel particularis, quæ sit : *omnis vel aliquis homo est animal;* sequitur in Celarent et Ferio : *ergo nullus homo est rationalis, vel aliquis homo non est rationalis;* sed hoc est falsum, cum manifeste *omnis homo sit rationalis;* ergo falsum est, quod *nullum animal est rationale;* ergo verum est, quod *aliquod animal est rationale,* quod erat probandum. Si vero contradictoria conclusionis, quæ est : *nullum animal est rationale,* ponatur ut minor, nihil sequitur, quia in prima figura ex minori negativa nihil sequitur. Si rursus loco contradictoriæ sumatur subcontraria conclusionis probandæ, quæ subcontraria est : *aliquod animal non est rationale,* non potest fieri syllogismus, quia particularis negativa neque potest esse major in prima figura, quia in prima figura ex majori particulari nihil sequitur; neque potest esse minor, quia in prima figura ex minori negativa nihil sequitur; ergo particularis negativa non potest esse præmissa in prima figura. Patet igitur, quod particularis affirmativa potest in prima figura per impossibile probari per duos modos, Celarent nimirum et Ferio, sed non debet sumi ad illam probandam ipsius subcontraria sed contradictoria, ut explicatum est.

6. Secundo sit probanda per impossibile hæc universalis negativa : *nullus homo est hinnibilis,* sumatur contradictoria: *aliquis homo est hinnibilis;* addatur ut major hæc manifesta : *omne hinnibile est equus;* sequitur in Darii : *ergo aliquis homo est equus;* sed hoc est manifeste impossibile, et major est manifeste vera; ergo falsa est minor, quod *aliquis homo sit hinnibilis;* ergo vera est ejus contradictoria, quod *nullus homo est hinnibilis,* quæ erat conclusio probanda. Rursus sumatur ut major hæc negativa : *nullum hinnibile est rationale;* subsumatur ut minor contradictoria conclusionis probandæ : *aliquis homo est hinnibilis;* sequitur in Ferio : *ergo aliquis homo non est rationalis,* quod est impossibile; ergo falsum est, quod *aliquis homo est hinnibilis.* Quod si contradictoria conclusionis universalis negativæ, quæ est particularis affirmativa, ponatur ut major, non fiet syllogismus primæ figuræ, quia in prima figura ex majori particulari nihil sequitur. Si rursus loco contradictoriæ conclusionis probandæ sumatur ejus contraria, quæ est : *omnis homo est hinnibilis,* et subsumatur, quod *omne rationale est homo;* fit quidem syllogismus, ex quo sequitur impossibile manifestum, nimirum, quod *omne rationale est hinnibile;* ex quo rursus sequitur falsum esse, quod *omnis homo sit hinnibilis;* sed adhuc non probatur, veram esse propositam conclusionem, quod *nullus homo est hinnibilis;* quia cum contrariæ possint esse simul falsæ, ex falsitate unius non potest inferri veritas alterius. Idem dic : si contraria conclusionis probandæ fiat minor, altera vero propositio ponatur ut major : nam inferetur quidem conclusio impossibilis, non tamen probabitur universalis negativa intenta; ergo ut hæc probetur, non debet sumi contraria sed contradictoria ipsius.

7. Ut autem probetur, non omni β inesse τὸ α, supponendum est, omni inesse. Nam si τὸ α inest omni β et τὸ γ omni α, τὸ γ inerit omni β. Quare si hoc est impossibile, falsum est quod suppositum fuit. Similiter fiet, etsi ad β sumpta fuerit altera propositio. Itidemque si pronuntiatum γ α sit privativum; nam sic quoque fit syllogismus. Quodsi τῷ β jungatur pronuntiatum privativum, nihil ostenditur.

8. Si vero non fuerit suppositum, omni inesse, sed alicui, non probatur, non omni inesse, sed nulli. Nam si τὸ α insit alicui β, τὸ γ vero omni α, τὸ γ inerit alicui β. Si igitur hoc est impossibile, falsum est, alicui β inesse τὸ α. Itaque verum est, nulli inesse. Hoc autem probato simul tollitur quod verum est, quia τὸ α cuidam β inerat, cuidam non inerat. Præterea non propter hypothesim accidit impossibile. Falsa enim esset, siquidem ex veris non potest falsum concludi. Sed modo est vera; inest enim τὸ α cuidam β. Quare non est supponendum, inesse alicui, sed omni. Similiter fiet, etsi τὸ α cuidam β non inesse probemus. Nam si idem est cuidam non inesse et non omni inesse, eadem est amborum demonstratio. Apparet igitur, non contrarium sed oppositum supponendum esse in omnibus syllogismis. Sic enim erit concludendi necessitas, et locum habebit axioma illud probabile, quia si de quovis affirmatio aut negatio vera est, cum probatum sit, non esse veram negationem, necesse est affirmationem veram esse. Rursus nisi ponat veram esse affirmationem, probabile est, admittendam esse negationem. Contrarium autem neutro modo sub axioma cadit; neque enim si falsum est nulli inesse, necesse est, ut verum sit omni inesse; nec est probabile, si alterum sit falsum, alterum esse verum. Perspicuum igitur est, alia omnia problemata per impossibile probari in prima figura, universale autem affirmativum non probari.

7. Tertio sit probanda hæc negativa particularis: *aliquod animal non est homo,* sumatur contradictoria, quæ est : *omne animal est homo,* et præmittendo ut majorem universalem affirmativam vel negativam manifestam, fiat syllogismus per impossibile in Barbara vel Celarent, dicendo : *omnis homo est rationalis; omne animal est homo; ergo omne animal est rationale,* quod est impossibile; vel *nullus homo est equus; omne animal est homo; ergo nullum animal est equus,* quod est impossibile. Rursus constituendo contradictoriam conclusionis majorem, et subsumendo minorem affirmativam universalem vel particularem, fiat syllogismus in Barbara vel Darii, dicendo : *omne animal est homo; omnis vel aliquis equus est animal; ergo omnis vel aliquis equus est homo,* quod est impossibile. Si vero subsumatur minor negativa universalis vel particularis, non fit syllogismus, quia in prima figura ex minori negativa nihil sequitur.

8. Quod si loco sumendi contradictoriam conclusionis particularis negativæ probandæ per impossibile, quæ conclusio sit : *aliquod animal non est homo,* — sumatur ejus subcontraria, quæ est : *aliquod animal est homo,* et fiat minor, (non enim potest fieri major, quia in prima figura ex majori particulari nihil sequitur) fiet talis syllogismus : *omnis homo est rationalis; aliquod animal est homo; ergo aliquod animal est rationale;* si ergo addatur : sed est impossibile, ut aliquod animal sit rationale, sequitur : *ergo est falsum, quod aliquod animal sit homo;* ergo vera est contradictoria, quod *nullum animal est homo,* et sic probatur propositio falsa; ergo ex subcontraria non fit convenienter syllogismus per impossibile. Confirmatur, quia subcontraria possunt esse simul veræ; sed ex vero conjuncto alteri vero non sequitur falsum; ergo ex subcontraria conclusionis veræ cum altera propositione manifesta non potest inferri falsum; sed in syllogismo per impossibile debet inferri falsum; ergo ex subcontraria conclusionis probandæ non potest fieri syllogismus per impossibile; ergo ad faciendum syllogismum per impossibile, non debet sumi contraria neque subcontraria, sed contradictoria conclusionis probandæ. Ratio est, quia probatio per impossibile fundatur in eo, quod ex contradictoriis alterum est verum; ergo cum probatur falsitas unius partis contradictionis ex eo, quod ex illa sequatur falsum, infertur veritas alterius; sed ex contrariis non est necesse, ut altera sit vera; ergo ex eo, quod probetur falsitas unius contrarii per syllogismum ad impossibile, non sequitur veritas alterius.

CAPUT XII

DE SYLLOGISMO PER IMPOSSIBILE IN SECUNDA FIGURA.

1. [12] In media vero et in ultima figura hoc quoque probatur.

2. Supponatur enim τὸ α non omni β inesse, et sumatur omni γ inesse τὸ α. Ergo si non omni β et omni γ inest τὸ α, non omni β inest τὸ γ. Hoc autem est impossibile. Sit enim manifestum omni β inesse τὸ γ. Quare falsum est quod suppositum fuit. Verum est igitur, omni inesse. Quodsi contrarium suppositum fuerit, syllogismus quidem erit et impossibile probabitur, non tamen confirmatur propositum. Nam si τὸ α nulli β, omni autem γ insit, nulli β inerit τὸ γ. Hoc autem est impossibile. Quare falsum est nulli inesse. Sed non si hoc est falsum, omni inesse, est verum.

3. Quando autem alicui β inest τὸ α, supponatur τὸ α nulli β inesse, omni autem γ insit.

Necesse igitur est τὸ γ nulli β inesse. Quare si hoc est impossibile, necesse est τὸ α alicui β inesse. Si vero suppositum fuerit alicui non inesse, eadem erunt quæ in prima figura.

1. Postquam Aristoteles ostendit, quod in prima figura possunt per impossibile probari omnes propositiones, excepta universali affirmativa, procedit ad ostendendum, quod in secunda et tertia figura probari possunt omnes, etiam universalis affirmativa.

2. In secunda igitur figura probanda sit hæc universalis affirmativa : *omnis homo est risibilis;* sumatur ejus contradictoria, quæ est : *aliquis homo non est risibilis,* et fiat minor; præponatur ut major hæc : *omne rationale est risibile;* fiet sequens syllogismus in Barocco : *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis;* sed hoc est impossibile et major est vera; ergo minor est falsa; ergo est vera contradictoria minoris, quod omnis homo est risibilis. Si vero loco contradictoriæ sumatur contraria, fiet sequens syllogismus in Camestres : *omne rationale est risibile; nullus homo est risibilis; ergo nullus homo est rationalis;* hoc est falsum, ergo falsa minor, quod *nullus homo est risibilis.* At non ex hoc probatur, veram esse conclusionem intentam, quod omnis homo est risibilis, quia propositiones contrariæ possunt esse simul falsæ.

3. Secundo sit probanda hæc particularis affirmativa : *aliquod animal est risibile;* sumatur ejus contradictoria, quæ est : *nullum animal est risibile,* et fiat minor; proponatur ut major hæc : *omne rationale est risibile,* fiet sequens syllogismus in Camestres : *omne rationale est risibile; nullum animal est risibile; ergo nullum animal est rationale;* sed hoc est impossibile, et major est manifeste vera; ergo falsa est minor, et vera est ejus contradictoria, quod aliquod animal est risibile. Si vero loco contradictoriæ sumatur subcontraria, cum possint subcontrariæ esse simul veræ, non fiet ex vi formæ syllogismus ad impossibile, ex quo necessario sequatur falsum, ut dictum est cap. XI num. 8.

4. Iterum supponatur τὸ α cuidam β inesse, τῷ γ autem nulli inesse. Necesse est igitur τὸ γ cuidam β non inesse. Sed omni inerat. Quare falsum est quod suppositum fuit. Nulli igitur β τὸ α inerit.

5. Cum vero non omni β inest τὸ α, supponatur omni inesse, nulli autem γ. Necesse est igitur τὸ γ nulli β inesse. Hoc autem est impossibile. Quare verum est, non omni inesse. Apparet igitur, omnes syllogismos fieri per mediam figuram.

4. Tertio sit probanda hæc universalis negativa : *nullus homo est hinnibilis;* sumatur contradictoria, quæ sit : *aliquis homo est hinnibilis,* et fiat minor; præponatur ut major hæc: *nullum rationale est hinnibile,* fiet sequens syllogismus in Festino : *nullum rationale est hinnibile; aliquis homo est hinnibilis; ergo aliquis homo non est rationalis;* sed hoc est impossibile, et major est vera; ergo falsa est minor; ergo vera est ejus contradictoria, quod nullus homo est hinnibilis.

5. Quarto sit probanda hæc particularis negativa : *aliquod animal non est hinnibile;* sumatur contradictoria, quæ est : *omne animal est hinnibile,* ac fiat minor; præponatur ut major hæc: *nullus homo est hinnibilis,* fiet sequens syllogismus in Cesare : *nullus homo est hinnibilis; omne animal est hinnibile; ergo nullum animal est homo;* sed hoc est impossibile, et major est manifeste vera; ergo falsa est minor. et vera est ejus contradictoria, quod aliquod animal non sit hinnibile; ergo manifestum est, quod in secunda figura probari possunt per impossibile omnes propositiones, nimirum universalis affirmativa, universalis negativa, particularis affirmativa, et particularis negativa.

CAPUT XIII

DE SYLLOGISMO PER IMPOSSIBILE IN TERTIA FIGURA.

1. [13] Similiter concludetur etiam per tertiam figuram. Ponatur enim τὸ α cuidam β non inesse, τὸ γ autem omni inesse. Ergo τὸ α cuidam γ non inerit. Si igitur hoc est impossibile, falsum est, alicui non inesse. Itaque verum est, omni inesse. Si vero supponatur, nulli inesse, syllogismus quidem erit et impossibile probabitur, sed non confirmatur propositum. Nam si contrarium supponatur, eadem erunt quæ in superioribus.

2. Sed ad concludendum alicui inesse hæc hypothesis sumenda est. Nam si τὸ α nulli β, τὸ γ autem alicui β insit, τὸ α non omni γ inerit. Si igitur hoc est falsum, verum est τὸ α alicui β inesse.

1. Ostendit demum Aristoteles, quod etiam in tertia figura probari possunt

omnes quatuor propositiones. Primo enim probanda sit hæc universalis affirmativa : *omnis homo est risibilis;* sumatur ejus contradictoria : *aliquis homo non est risibilis,* et fiat major; subsumatur ut minor, *omnis homo est rationalis,* fit syllogismus in Boccardo : *aliquis homo non est risibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquid rationale non est risibile;* sed hoc est impossibile, et minor est manifeste vera; ergo falsa est major; ergo vera est ejus contradictoria, quod omnis homo est risibilis. Si vero loco contradictoriæ sumatur contraria, fiet sequens syllogismus in Felapton : *nullus homo est risibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est risibile;* sed hoc est impossibile; ergo falsa est major; sed non sequitur : *ergo vera est ejus contraria,* hoc est conclusio intenta, cum propositiones contrariæ possint esse simul falsæ.

2. Secundo sit probanda hæc particularis affirmativa : *aliquod animal est risibile;* sumatur contradictoria : *nullum animal est risibile,* et fiat major; subjungatur ut minor : *aliquod animal est homo*, fit syllogismus in Ferison, in quo sequitur : *ergo aliquis homo non est risibilis;* sed hoc est impossibile, et minor est manifeste vera; ergo falsa est major; ergo vera est contradictoria majoris, adeoque aliquod animal est risibile.

3. Cum autem nulli β inest τὸ α, supponatur alicui inesse ; sed et τὸ γ omni β inesse accipiatur. Necesse igitur est τὸ α alicui γ inesse. At nulli inerat. Quare falsum est alicui β τὸ α inesse. Quod si supponatur omni β inesse τὸ α, non probatur propositum.

4. Sed ad concludendum non omni inesse hæc hypothesis sumenda est. Nam si τὸ α inest omni β et τὸ γ cuidam β, τὸ α inest cuidam γ. Hoc autem non erat. Quare falsum est omni inesse. Proinde verum est non omni inesse. Quodsi supponatur cuidam inesse, eadem erunt quæ in prædictis. Perspicuum igitur est, in omnibus syllogismis, qui per impossibile exstruuntur, supponendum esse quod est oppositum. Constat etiam in media figura probari aliquo modo problema affirmativum, et in postrema universale.

3. Tertio probanda sit hæc universalis negativa : *nullus homo est hinnibilis;* sumatur ejus contradictoria, quæ est : *aliquis homo est hinnibilis,* et fiat major; subjungatur ut minor : *omnis homo est rationalis;* sequitur in Disamis : *ergo aliquod rationale est hinnibile;* sed hoc est impossibile, et minor est manifeste vera; ergo falsa est major, et vera ejus contradictoria, quod *nullus homo est hinnibilis.*

4. Quarto probanda sit hæc particularis negativa : *aliquod animal non est homo;* sumatur ejus contradictoria, quæ est : *omne animal est homo,* et fiat major; subjungatur, ut minor : *aliquod animal est equus,* fiet syllogismus in Datisi, in quo infertur : *ergo aliquis equus est homo;* sed hoc est impossibile, et minor est manifeste vera; ergo falsa est major, et vera est contradictoria majoris, quod aliquod animal non sit homo. Si vero loco contradictoriæ, sumatur subcontraria, quæ est : *aliquod animal est homo,* cum hæc possit esse simul vera cum conclusione probanda, non fiet syllogismus per impossibile, ut dictum est cap. XI, num. 8. Patet igitur, quod ad syllogizandum per impossibile, sumi debet non contraria neque subcontraria, sed contradictoria conclusionis probandæ. Patet rursus, quod in secunda et tertia figura probari potest per impossibile etiam universalis affirmativa, cum hæc in prima figura probari non possit.

CAPUT XIV

DE DIFFERENTIA INTER DEMONSTRATIONEM OSTENSIVAM ET DEMONSTRATIONEM PER IMPOSSIBILE.

1. [14] Jam vero demonstratio ducens ad impossibile differt ab ostensiva, quia ponit quod vult evertere, ducens ad confessum mendacium ; ostensiva autem initium sumit a concessis positionibus. Accipiunt igitur ambæ duas propositiones concessas, sed altera sumit eas, ex quibus fit syllogismus, altera vero unam harum et contradictionem conclusionis. Item in altera non est necesse notam esse conclusionem, nec prius sumi eam esse vel non esse ; in altera vero necesse est prius sumi eam non esse. Nihil autem refert, utrum conclusio sit affirmatio an negatio, sed similiter res se habebit in ambabus.

1. Postquam Aristoteles egit de syllogismo per impossibile, comparat illum cum syllogismo ostensivo, et explicat in quo differant ac conveniant. Differunt in hoc, quod syllogismus per impossibile assumit ut præmissam illam propositionem falsam, quam vult interimere, ostendendo, quod ex ipsa sequitur aliquid manifeste falsum; syllogismus vero ostensivus assumit ut præmissas solum propositiones veras et concessas. Tum igi-

tur syllogismus ostensivus, tum syllogismus per impossibile sumunt duas præmissas concessas, sed syllogismus ostensivus sumit illas præmissas, ex quibus concluditur conclusio probanda; syllogismus vero per impossibile sumit unam præmissam, ex qua concludi potest conclusio probanda, alteram vero, quæ est contradictoria conclusionis probandæ. Rursus syllogismus ostensivus non supponit, quod conclusio probanda sit vera, neque quod sit falsa; syllogismus vero per impossibile supponit, quod conclusio probanda non sit vera, sed falsa. Nihil porro refert, utrum conclusio probanda sit affirmativa vel negativa; nam de utraque eadem est ratio.

CAPUT XV

DE MUTUA REDUCTIONE SYLLOGISMI OSTENSIVI AD SYLLOGISMUM PER IMPOSSIBILE, ET SYLLOGISMI PER IMPOSSIBILE AD OSTENSIVUM IN PRIMA FIGURA.

1. Quidquid autem ostensive concluditur, etiam per impossibile probabitur; et quod per impossibile, ostensive; et per eosdem terminos, non tamen in iisdem figuris.

2. Cum enim syllogismus fit in prima figura, verum erit aut in media aut in ultima, privativum in media, attributivum in ultima.

3. Cum autem syllogismus est in media figura, verum erit in prima figura, idque in omnibus problematis.

4. Cum autem in postrema est syllogismus, verum erit in prima et media, nempe affirmantia in prima, negantia in media.

Explicata convenientia ac differentia syllogismi per impossibile ac ostensivi, explicat Aristoteles, quo pacto syllogismus ostensivus possit mutari in syllogismum per impossibile, et syllogismus per impossibile in ostensivum in omnibus figuris, et ponit quatuor conclusiones.

1. *Prima conclusio* est : omne, quod probatur per impossibile, potest probari ostensive; et omne, quod probatur ostensive, potest probari per impossibile, retentis iisdem terminis sed mutata figura.

2. *Secunda conclusio* pro prima figura est : si syllogismus per impossibile inferens conclusionem falsam, ex cujus interemptione colligitur vera, sit in prima figura, syllogismus ostensivus directe inferens conclusionem veram, erit in secunda vel tertia figura; in secunda quidem, si conclusio vera sit negativa; in tertia vero, si conclusio vera sit affirmativa.

3. *Tertia conclusio* pro secunda figura est : si syllogismus per impossibile sit in secunda figura, syllogismus ostensivus inferens directe conclusionem veram erit in prima figura, cujuscumque generis sit conclusio.

4. *Quarta conclusio* pro tertia figura est : si syllogismus per impossibile sit in tertia figura, syllogismus ostensivus directe inferens conclusionem veram erit in prima vel in secunda figura; in prima quidem, si vera conclusio inferenda sit affirmativa; in secunda autem, si vera conclusio inferenda sit negativa.

5. Probatum enim sit τὸ α nulli aut non omni β inesse per primam figuram. Ergo hypothesis erat alicui β inesse τὸ α; τὸ γ autem sumebatur omni quidem α inesse, nulli autem β. Sic enim efficiebatur syllogismus et impossibile. Hæc autem est media figura, si τὸ γ omni α et nulli β inest. Et ex his apparet nulli β inesse τὸ α.

6. Similiter fiet, si probatum fuerit non omni inesse; nam hypothesis est omni inesse, τὸ γ vero sumebatur inesse omni α et non omni β. Itidemque si privativum accipiatur pronuntiatum γ α; nam sic quoque fit media figura.

7. Rursus probatum sit alicui β inesse τὸ α. Ergo hypothesis est nulli inesse. τὸ β autem sumebatur omni γ inesse, ac τὸ α vel omni vel alicui γ. Sic enim conclusum erit impossibile. Hæc autem est ultima figura, si τὸ α et τὸ β insit omni γ. Atque ex his perspicuum fit, necesse esse ut τὸ α cuidam β insit. Similiter fiet etsi alicui γ sumptum fuerit inesse τὸ β aut τὸ α.

5. Probantur jam positæ conclusiones; et quia prima conclusio patebit ex probatione aliarum trium, probantur aliæ tres conclusiones. Primo ergo *probatur secunda conclusio*, quæ continet regulam pro prima figura; et primo ostenditur prima pars regulæ, quod negativa vera per impossibile probata in prima figura possit ostensive probari in secunda figura. Primo ad probandam hanc universalem negativam : *nullus homo est equus*, fiat sequens syllogismus per impossibile in Darii : *omnis equus est irrationalis; aliquis homo est equus; ergo aliquis homo est irrationalis ; hoc est impossibile, et major est manifeste vera; ergo falsa est minor, et vera est contradictoria minoris, quæ contradictoria est : nullus homo est equus*. Ex majori, quæ supponitur vera, et ex contradictoria conclusionis impossibilis fit syllogismus ostensivus in secunda figura et in Camestres, inferens directe conclusionem intentam, quod ni-

mirum : *nullus homo est equus*, sic : *omnis equus est irrationalis; nullus homo est irrationalis; ergo nullus homo est equus.*

6. Secundo sit syllogismus per impossibile in Barbara ad probandam hanc particularem negativam : *aliquod animal non est homo*, sic : *omnis homo est rationalis; omne animal est homo ; ergo omne animal est rationale ; hoc est falsum, et major est vera ; ergo falsa est minor, et vera contradictoria minoris, quæ est : aliquod animal non est homo.* Ex majori et contradictoria conclusionis impossibilis fit syllogismus in secunda figura et in Barocco, directe probans conclusionem intentam, quod *aliquod animal non est homo*, sic : *omnis homo est rationalis; aliquod animal non est rationale; ergo aliquod animal non est homo ;* ergo syllogismi per impossibile, per quos in prima figura probantur propositiones negativæ veræ, mutantur in syllogismos ostensivos directe ostendentes easdem negativas veras in secunda figura.

7. Probatur jam secunda pars regulæ, quod nimirum affirmativa vera per impossibile probata in prima figura, probetur ostensive in tertia figura. Quandoquidem universalis affirmativa non potest probari per impossibile in prima figura, ut dictum est cap. XI, num. 4, — sit syllogismus per impossibile in Celarent ad probandam hanc particularem affirmativam : *aliquod animal est homo*, sic : *nullum animal est homo ; omne risibile est animal ; ergo nullum risibile est homo ; hoc est impossibile, et minor est manifeste vera; ergo falsa est major, et vera est ejus contradictoria, quod aliquod animal est homo.* Ex contradictoria conclusionis impossibilis et minori vera, probatur directe in tertia figura et in Disamis conclusio intenta sic : *aliquod risibile est homo ; omne risibile est animal ; ergo aliquod animal est homo ;* ergo patet regula posita in secunda conclusione, quod negativa probata per impossibile in prima figura probatur ostensive in secunda figura ; affirmativa probata per impossibile in prima figura probatur ostensive in tertia.

CAPUT XVI

DE MUTUA REDUCTIONE SYLLOGISMI PER IMPOSSIBILE ET OSTENSIVI IN SECUNDA FIGURA.

1. Rursus in media figura probatum sit τὸ α omni β inesse. Ergo hypothesis erat non omni β τὸ α inesse, sumptum autem fuit τὸ α inesse omni γ et τὸ γ omni β ; sic enim efficietur impossibile. Atque hæc est prima figura, si τὸ α insit omni γ et τὸ γ omni β.

2. Similiter fiet, etsi alicui probatum sit inesse. Nam hypothesis erat nulli β τὸ α inesse, sumptum autem fuit τὸ α inesse omni γ et τὸ γ cuidam β.

3. Si vero syllogismus sit privativus, hypothesis erat τὸ α cuidam β inesse, sumptum autem fuit et τὸ α nulli γ et τὸ γ omni β inesse. Itaque fit prima figura.

4. Eadem est ratio, si non universalis sit syllogismus, sed τὸ α cuidam β probatum sit non inesse. Nam hypothesis erat omni β τὸ α inesse, sumptum autem fuit τὸ α inesse nulli γ et τὸ γ alicui β. Sic enim efficitur prima figura.

Probata secunda conclusione et ostensa reductione syllogismorum per impossibile primæ figuræ ad ostensivos, probat Aristoteles *tertiam conclusionem*, in qua continentur regulæ pro secunda figura, quod nimirum conclusio probata per impossibile in secunda figura probetur ostensive in prima.

1. Primo sit syllogismus in Barocco probans hanc universalem affirmativam : *omnis homo est risibilis*, sic : *omne rationale est risibile; aliquis homo non est risibilis; ergo aliquis homo non est rationalis; hoc est impossibile, et major est manifeste vera ; ergo falsa est minor et vera contradictoria, quod omnis homo est risibilis ;* ex majori et contradictoria conclusionis impossibilis concluditur ostensive intenta conclusio in Barbara sic : *omne rationale est risibile ; omnis homo est rationalis ; ergo omnis homo est risibilis.*

2. Secundo sit syllogismus in Camestres probans per impossibile hanc particularem affirmativam : *aliquod animal est risibile*, sic : *omnis homo est risibilis ; nullum animal est risibile ; ergo nullum animal est homo ; hoc est impossibile, et major est manifeste vera ; ergo falsa est minor, et vera contradictoria minoris, quod aliquod animal est risibile ;* ex majori et contradictoria conclusionis impossibilis eadem conclusio intenta ostensive probatur in Darii sic : *omnis homo est risibilis ; aliquod animal est homo ; ergo aliquod animal est risibile.*

3. Tertio sit syllogismus in Festino ad probandam per impossibile hanc universalem negativam : *nullus homo est hinnibilis*, sic : *nullum rationale est hinnibile ; aliquis homo est hinnibilis ; ergo aliquis homo non est rationalis ; hoc est impossi-*

bile, et major est vera manifeste; ergo falsa est minor et vera ejus contradictoria, quod nullus homo est hinnibilis; ex majori et contradictoria conclusionis impossibilis eadem conclusio intenta probatur ostensive in Celarent, sic : *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis.*

4. Quarto sit syllogismus in Cesare ad probandam per impossibile hanc particularem negativam : *aliquod animal non est homo* sic : *nullus equus est homo; omne animal est homo; ergo nullum animal est equus : hoc est impossibile. et major est manifeste vera; ergo falsa est minor et vera ejus contradictoria, adeoque aliquod animal non est homo*; ex majori et contradictoria conclusionis impossibilis eadem conclusio probatur ostensive in Ferio, sic : *nullus equus est homo; aliquod animal est equus; ergo aliquod animal non est homo.* Patet igitur, quod omnes conclusiones, quæ probantur per impossibile in secunda figura, probantur ostensive in prima figura.

CAPUT XVII

DE MUTUA REDUCTIONE SYLLOGISMI PER IMPOSSIBILE ET OSTENSIVI IN TERTIA FIGURA.

1. Rursus in tertia figura probatum sit τὸ α omni β inesse. Ergo hypothesis erat non omni β τὸ α inesse, sumptum autem fuerat τὸ γ inesse omni β et τὸ α omni γ. Sic enim conclusum erit impossibile. Hæc autem est prima figura.

2. Eadem est ratio, si in aliquo fuerit demonstratio. Nam hypothesis erit nulli β τὸ α inesse, sumptum autem est τὸ γ inesse alicui β et τὸ α omni γ. Quodsi privativus sit syllogismus, hypothesis est τὸ α cuidam β inesse, sumptum autem est τὸ γ inesse nulli α et omni β. Hæc autem est media figura.

4. Similiter fiet, etsi non universalis sit demonstratio. Hypothesis enim erit omni β τὸ α inesse, sumptum est autem τὸ γ inesse nulli α et alicui β. Hæc autem est media figura.

5. Perspicuum igitur est, per eosdem terminos et ostensive posse probari singula problemata et per impossibile. Similiter autem licebit, cum syllogismi sint ostensivi, ad impossibile ducere in iis terminis, qui sumpti fuerint, si propositio sumpta fuerit conclusioni opposita. Efficiuntur enim iidem syllogismi, atque sunt qui per conversionem fiunt. Quamobrem continuo habemus etiam figuras, per quas concludentur singula problemata. Constat igitur omne problema probari utroque modo, idest et per impossibile et ostensive; nec posse alterum modum ab altero separari.

Probat demum Aristoteles *quartam conclusionem,* in qua continetur regula pro tertia figura, quod conclusiones negativæ probatæ per impossibile in tertia figura probentur ostensive in secunda; conclusiones affirmativæ probatæ per impossibile in tertia figura probentur ostensive in prima.

1. Primo sit syllogismus in Boccardo, probans per impossibile hanc universalem affirmativam : *omnis homo est risibilis,* sic : *aliquis homo non est risibilis; omnis homo est rationalis; ergo aliquod rationale non est risibile; hoc est impossibile et minor est vera; ergo falsa est major et vera ejus contradictoria, quod omnis homo est risibilis*; ex contradictoria conclusionis impossibilis et minori probatur ostensive in Barbara conclusio intenta sic : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis.*

2. Secundo sit syllogismus in Ferison ad probandam per impossibile hanc particularem affirmativam : *aliquod animal est homo,* sic : *nullum animal est homo; aliquod animal est rationale; ergo aliquod rationale non est homo; sed hoc est impossibile, et minor est vera; ergo major est falsa, et vera ejus contradictoria, quod aliquod animal est homo;* ex contradictoria conclusionis impossibilis et minori vera probatur ostensive conclusio intenta in Darii, sic : *omne rationale est homo; aliquod animal est rationale; ergo aliquod animal est homo.* Patet igitur, quod conclusiones affirmativæ probatæ per impossibile in tertia figura probantur ostensive in prima figura.

3. Tertio sit syllogismus in Datisi ad probandam per impossibile hanc universalem negativam : *nullus homo est hinnibilis,* sic : *omnis homo est rationalis; aliquis homo est hinnibilis; ergo aliquod hinnibile est rationale; sed hoc est impossibile et major est vera manifeste; ergo falsa est minor, et vera ejus contradictoria, quod nullus homo est hinnibilis;* ex contradictoria conclusionis impossibilis et majori vera eadem conclusio probatur directe in secunda figura et in Cesare, sic : *nullum hinnibile est rationale; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis.*

4. Quarto sit syllogismus in Disamis ad probandam per impossibile hanc particularem negativam : *aliquod animal non est homo*, sic : *aliquod animal est irrationale; omne animal est homo; ergo aliquis homo est irrationalis; sed hoc est impossibile. et major est manifeste vera ; ergo falsa est minor, et vera est contradictoria minoris, quod aliquod animal non est homo;* ex contradictoria conclusionis et majori vera probatur ostensive conclusio intenta in Festino, sic : *nullus homo est irrationalis; aliquod animal est irrationale; ergo aliquod animal non est homo.* Patet igitur, quod conclusiones negativæ, quæ probantur per impossibile in tertia figura, probantur ostensive in secunda figura.

5. Hinc jam probatur *prima conclusio* posita cap. XV, num. 1, quod omnes conclusiones, quæ probantur per impossibile, possunt probari ostensive, retentis iisdem teminis et mutatis figuris ; et quod e converso omnes conclusiones, quæ probantur ostensive, probari possunt per impossibile, retentis iisdem terminis et mutatis figuris. Nam retenta una præmissa vera, et addendo contradictoriam conclusionis ostensive probatæ, infertur contradictoria alterius præmissæ, et sic probatur aliquid impossibile,ut dictum est cap. VIII, IX et X, agendo de syllogismo conversivo. Ex his vero patere potest, in qua figura sit syllogismus ostensivus. Ergo omnes conclusiones probari possunt utroque modo, ostensive scilicet et per impossibile

---

CAPUT XVIII

DE SYLLOGISMO EX PRÆMISSIS OPPOSITIS CONTRARIE ET CONTRADICTORIE IN PRIMA FIGURA.

1. [15] In qua autem figura liceat ex oppositis propositionibus ratiocinari, in qua non liceat, sic erit manifestum. Dico autem oppositas propositiones esse secundum dictionem quatuor, nempe omni-nulli, et omni-non omni, et alicui-nulli, et alicui-non alicui ; re vera tres, quoniam alicui et non alicui secundum dictionem tantum opponuntur. Ex his autem contrarias voco eas, quæ sunt universales, id est omni et nulli inesse, ut omnem scientiam esse honestam, nullam scientiam esse honestam. Alias vero appello oppositas.

2. In prima igitur figura non est ex oppositis propositionibus syllogismus, neque affirmativus neque negativus, affirmativus quidem, quia propositiones ambas oportet esse affirmativas, oppositæ autem sunt affirmatio et negatio, privativus autem, quia oppositæ idem de eodem affirmant et negant; quod vero est in prima figura medium, non dicitur de ambobus extremis, sed aliud de eo negatur, ipsum autem alii attribuitur; hæ vero propositiones non opponuntur.

1. Postquam Aristoteles egit de virtute syllogismi, per quam potest ex contradictoria conclusionis probandæ concludere aliquid impossibile, agit de alia virtute, per quam potest ex præmissis oppositis contrarie vel contradictorie concludere aliquid impossibile. Primo ergo docet, in qua figura fiat vel non fiat syllogismus ex præmissis contrariis vel contradictoriis. Præmittit quatuor esse genera oppositionum secundum modum loquendi. Prima oppositio contraria est, qua asseritur idem inesse omni et nulli. Secunda contradictoria est, qua asseritur idem inesse omni et non omni. Tertia similiter contradictoria, qua asseritur idem inesse alicui et nulli. Quarta subcontraria, qua asseritur idem alicui inesse, et alicui non inesse, quæ est oppositio solum secundum modum loquendi, non vero secundum rem, ideoquæ de hac non est agendum in præsentia, sed solum de oppositione contraria et contradictoria.

2. His præmissis *prima conclusio* est : ex propositionibus oppositis contrarie vel contradictorie non potest fieri syllogismus in prima figura. Probatur, quia neque potest fieri syllogismus concludens affirmative neque syllogismus concludens negative; sed omnis syllogismus vel concludit affirmative vel negative; ergo in prima figura nullus potest fieri syllogismus ex præmissis oppositis. Probatur prima pars majoris, quia syllogismus concludens affirmative constare debet ex utraque præmissa affirmativa; sed ex præmissis oppositis contrarie vel contradictorie, altera est affirmativa altera negativa ; ergo, etc. Probatur secunda pars minoris, quia propositiones oppositæ contrarie vel contradictorie debent esse affirmativæ ac negativæ ejusdem prædicati de eodem subjecto ; sed in prima figura in altera præmissa majus extremum negatur de medio tanquam de subjecto, in altera non majus extremum, sed medium affirmatur de minori extremo, tanquam de subjecto, adeoque præmissæ non sunt affirmativæ ac negativæ ejusdem prædicati de eodem subjecto, sed altera est negativa majoris extremi de

medio, altera est affirmativa medii de minori extremo; ergo prima figura non potest contare ex præmissis oppositis.

CAPUT XIX

DE SYLLOGISMO CONSTANTE EX PRÆMISSIS OPPOSITIS CONTRARIE ET CONTRADICTORIE IN SECUNDA FIGURA.

1. At in media figura et ex oppositis et ex contrariis potest fieri syllogismus. Sit enim bonum ubi α, scientia ubi β et γ. Si igitur omnem scientiam honestam esse sumpserit, et nullam quoque, τὸ α inest omni β et nulli γ. Quare τὸ β inerit nulli γ. Nulla igitur scientia est scientia. — Similiter fiet, etsi, cum acceperit omnem esse honestam, postea medicinam non esse honestam sumpserit. Nam τὸ α inest omni β et nulli γ. Quare quædam scientia non erit scientia. Item si τὸ α inest omni γ et nulli β, est autem τὸ β scientia, τὸ γ medicina, τὸ α existimatio. Cum enim acceperit nullam scientiam esse existimationem, sumpsit aliquam scientiam esse existimationem. Differt autem hic modus a superiori ob conversionem in terminis factam, quoniam antea τῷ β, nunc vero τῷ γ jungitur affirmatio. Itidem fiet, si non universalis sit altera propositio. Semper enim medium est, quod de altero dicitur negative, de altero affirmative. Quapropter accidit ut opposita concludantur, non tamen semper nec omnino, sed si ita se habeant quæ sunt sub medio, ut vel eadem sint vel unum ad alterum referatur ut totum ad partem. Alioquin id fieri nequit; nullo enim modo erunt propositiones contrariæ nec oppositæ.

1. *Secunda conclusio est :* in secunda figura fit syllogismus ex præmissis oppositis contrarie et etiam contradictorie. Probatur, quia dicendo : *omnis scientia est bona; nulla scientia est bona,* fit syllogismus in Camestres ex duabus propositionibus contrariis, in quo infertur : *ergo nulla scientia est scientia.* Rursus dicendo : *nulla scientia est bona; omnis scientia est bona,* sequitur in Cesare : *ergo nulla scientia est scientia;* ergo ex contrariis fit syllogismus in Cesare et in Camestres. Similiter dicatur : *nulla scientia est bona; aliqua scientia, ut medicina, est bona,* — fit syllogismus in Festino ex præmissis contradictoriis, in quo sequitur : *ergo aliqua scientia, ut medicina, non est scientia.* Demum si dicatur : *omnis scientia est bona; aliqua scientia, ut medicina, non est bona,* fit syllogismus in Barocco, in quo sequitur : *ergo aliqua scientia, ut medicina, non est scientia;* ergo in secunda figura potest fieri syllogismus ex oppositis contrarie vel contradictorie.

CAPUT XX

DE SYLLOGISMO CONSTANTE EX PRÆMISSIS OPPOSITIS CONTRARIE VEL CONTRADICTORIE IN TERTIA FIGURA.

1. In tertia vero figura affirmativus syllogismus nunquam erit ex oppositis propositionibus, ob causam in prima figura expositam. Negativus autem erit, sive termini sint universaliter sive non universaliter accepti.

2. Sit enim scientia ubi β et γ, medicina ubi α. Si igitur acceperit omnem medicinam esse scientiam et nullam medicinam esse scientiam, τὸ β omni α ac τὸ γ nulli inesse sumpsit. Quare quædam scientia non erit scientia. Similiter fiet, etsi non universalis sumpta fuerit propositio α β. Nam si quædam medicina est scientia, rursusque nulla medicina est scientia, accidit ut quædam scientia non sit scientia. Sunt autem propositiones terminis universaliter acceptis contrariæ, si vero alter sit in parte, oppositæ. Jam vero intelligendum est, sic posse opposita sumi, ut diximus omnem scientiam esse honestam et rursus nullam esse, aut aliquam non esse honestam; quod quidem latere non solet. Posse etiam per alias interrogationes alterum concludi, vel, ut in Topicis dictum est, sumi.

1. *Tertia conclusio* est : in tertia figura non potest ex præmissis contrariis vel contradictoriis fieri syllogismus concludens affirmative; potest fieri syllogismus concludens negative. Probatur prima pars. Ut enim dictum est cap. XVIII, num. 2, agendo de prima figura, syllogismus concludens affirmative constare debet ex utraque præmissa affirmativa; sed ex præmissis oppositis altera est affirmativa, altera negativa; ergo syllogismus concludens affirmative non potest constare ex præmissis oppositis.

2. Probatur secunda pars; medicina enim sit medium, scientia vero sit simul majus et minus extremum; ex præmissis contrariis : *nulla medicina est scientia; omnis medicina est scientia,* fit syllogismus in Felapton, in quo concluditur : *ergo aliqua scientia non est scientia.* Ex præmissis contradictoriis : *aliqua medicina non est scientia; omnis medicina est scientia,* concluditur in Boccardo : *ergo aliqua scientia non est scientia.* Ex his aliis contradictoriis : *nulla medicina est scientia; aliqua medicina est scientia,* concluditur in Ferison : *ergo aliqua scien-*

tia non est scientia; ergo etiam in tertia figura ex præmissis contrariis et contradictoriis fit syllogismus; ex contrariis quidem, cum utraque præmissa est universalis, sed altera affirmativa altera negativa; ex contradictoriis vero, cum una præmissa est universalis altera particularis, una affirmativa altera negativa. Possunt vero fieri syllogismi ex oppositis, non solum sumendo istos terminos : *omnis, nullus; omnis, non omnis; nullus, aliquis;* in quibus terminis manifesta est oppositio, sed etiam sumendo alios terminos æquipollentes, in quibus oppositio non est ita manifesta, de quibus dicetur in Topicis.

3. Cum autem affirmationum tres sint oppositiones, sex modis accidit accipi opposita ; vel omni et nulli, vel omni et non omni, vel alicui et nulli. Idque in terminis convertere licet. Verbi gratia τὸ α potest inesse omni β et nulli γ, vel omni γ et nulli β, vel alteri omni alteri non omni. Et hoc rursus secundum terminos convertere licet. Similiter fit etiam in tertia figura. Quare perspicuum est, quot modis et in quibus figuris accidat per oppositas propositiones fieri syllogismum.

4. Perspicuum autem est etiam, ex falsis verum concludi posse, quemadmodum antea dictum fuit ; ex oppositis autem non posse. Semper enim fit syllogismus rei contrarius, ut si est bonum, concluditur non esse bonum, aut si est animal, non esse animal, quoniam ex contradictione syllogismus constat, et subjecti termini aut sunt iidem, aut alter est totum alter est pars.

3. *Quarta conclusio est :* sex sunt possibiles combinationes præmissarum oppositarum, ex quibus potest fieri syllogismus in secunda et tertia figura. Probatur, quia oppositiones sunt tres, una contraria *omnis, nullus;* et duæ contradictoriæ, hoc est *omnis, non omnis; nullus, aliquis;* sed singulæ ex istis tribus oppositionibus possunt duobus modis variari, ut scilicet major sit affirmativa, minor negativa, vel ut major sit negativa, minor affirmativa; ergo universim sex sunt possibiles combinationes præmissarum oppositarum. Prima combinatio est, ut major sit universalis affirmativa, minor universalis negativa, dicendo *omnis nullus.* Secunda est, ut major sit universalis negativa, minor universalis affirmativa, dicendo *nullus, omnis.* Tertia, ut major sit universalis affirmativa, minor particularis negativa, dicendo *omnis, non omnis.* Quarta, ut major sit particularis negativa, minor universalis affirmativa, dicendo *non omnis, omnis.* Quinta, ut major sit universalis negativa, minor particularis affirmativa, dicendo *nullus, aliquis.* Sexta demum, ut major sit particularis affirmativa, minor universalis negativa, dicendo *aliquis nullus.* Istæ vero sex combinationes possunt æque fieri in secunda et tertia figura.

4. *Quinta conclusio* est : licet possit ex præmissis falsis inferri conclusio vera, ut dictum est cap. II, num. 2, adhuc non potest ex præmissis oppositis inferri conclusio vera. Probatur, quia ex oppositis infertur conclusio, qua idem negatur de se ipso, ex. gr., quod *bonum non est bonum, animal non est animal;* sed negatio ejusdem de se ipso non potest esse vera; ergo ex præmissis oppositis infertur conclusio, quæ non potest esse vera. Et ratio est, quia extrema sunt omnino idem, vel saltem minus extremum continetur sub majori extremo, et in præmissis ponitur contradictio ; ergo infertur conclusio, in qua idem negatur de se ipso, ac proinde quæ non potest esse vera.

5. Constat etiam in vitiosis ratiocinationibus nihil prohibere, quominus efficiatur suppositionis contradictio, ut si est impar, non esse impar, quoniam ex oppositis propositionibus syllogismus erat contrarius. Si igitur tales sumpserit, erit contradictio suppositionis.

6. Jam intelligi debet, ita non posse contraria concludi ex uno syllogismo, ut conclusio sit, quod non est bonum esse bonum, aut aliud quidpiam ejusmodi, nisi statim talis propositio sumpta fuerit, veluti omne animal esse album et non album, hominem autem esse animal. — Sed vel oportet præsumere contradictionem (ut omnem scientiam esse existimationem et non esse existimationem, postea sumere ex eo quod omnis medicina est scientia, nulla autem est existimatio, quomodo elenchi fiunt) vel concludendum est ex duobus syllogismis. Ut autem secundum veritatem contraria sint, quæ sumpta fuerunt, alio modo quam hoc fieri non potest, quemadmodum antea dictum fuit.

5. Infert Aristoteles, quod cum in syllogismo infertur conclusio vera, potest per oppositum paralogismum inferri opposita conclusio falsa; ex. gr., si per syllogismum infertur hæc conclusio vera, quod *numerus quaternarius est par,* sic : *omnis numerus divisibilis bifariam est par; sed omnis quaternarius est divisibilis bifariam; ergo omnis quaternarius est par,* — sumendo propositionem falsam contrariam majori potest fieri paralogis-

mus concludens quaternarium esse numerum non parem, sed imparem, sic : *nullus numerus divisibilis bifariam est par, sed est impar; sed omnis quaternarius est divisibilis bifariam*; *ergo quaternarius non est par, sed impar*. Ratio est, quia ex oppositis præmissis sequitur opposita conclusio.

6. Advertit tamen Aristoteles, quod opposita non inferuntur uno syllogismo, sed pluribus, nisi tamen quis in ipsa majori affirmet simul opposita. Ex. gr., non potest uno syllogismo inferri, quod aliquid est bonum et non est bonum; est album et non est album; sed uno quidem syllogismo inferetur, quod est bonum, altero, quod non est bonum; uno, quod est album, altero, quod non est album, nisi tamen in majori sumpserit, quod simul est album et non est album, dicendo, ex. gr., *omne animal est album et non est album; sed omnis homo est animal; ergo omnis homo est albus et non est albus;* vel *omnis scientia est opinio et non est opinio; medicina est scientia; ergo medicina est opinio et non est opinio.* Si vero in majori non sumantur duo opposita, ad opposita concludenda debent fieri duo syllogismi; primus, ex. gr., erit : *omnis scientia est opinio; medicina est scientia; ergo medicina est opinio;* secundus erit : *nulla scientia est opinio; medicina est scientia; ergo medicina non est opinio.* Non contingit vero pluribus modis sumi opposita in syllogismo nisi dictis. Primus est, ut sumantur præmissæ oppositæ ad inferendam conclusionem, in qua idem negetur de se ipso. Secundus est, ut in majori idem affirmetur ac negetur de medio; in minori sumatur aliquid sub medio; et in conclusione idem affirmetur ac negetur de minori extremo. Tertius, ut per unum syllogismum inferatur unum ex contrariis, per alium inferatur alterum ex contrariis.

PARS SECUNDA

DE IMPOTENTIIS AC DEFECTIBUS SYLLOGISMORUM

CAPUT XXI

DE PETITIONE PRINCIPII.

1. [16] Petere et sumere quod ab initio quæsitum fuit, ut ejus genus accipiam, in eo positum est, quod vocatur, non demonstrare propositum. Hoc autem accidit multis modis, nempe sive omnino non concludatur, sive per ignotiora vel æque ignota, sive prius per posteriora; demonstratio namque ex credibilioribus et prioribus constat. Horum igitur modorum nullus est petitio quæsiti ab initio propositi.

2. Sed quia natura comparatum est, ut quædam per se, nonnulla per alia cognoscantur (nam principia per se, quæ vero sub principiis continentur, per alia cognoscuntur), cum id quod per se cognosci non potest, conatur quis per se demonstrare, tunc petit quod ab initio propositum fuit.

3. Hoc autem ita fieri potest, ut statim postuletur propositum. Accidit etiam ut transeuntes ad alia quædam, quæ per illud probari comparata sunt natura, per hæc demonstremus quod ab initio fuit quæsitum. Ut si τὸ α demonstretur per β ac τὸ β per γ, τὸ γ vero natura comparatum sit probari per α; accidit enim ut ipsum α der se ipsum probetur ab iis, qui ita ratiocinantur. Quod quidem faciunt qui lineas parallelas se describere putant; non enim intelligunt se talia sumere, quæ demonstrari nequeant, nisi sint parallelæ. Quare iis qui ita ratiocinantur, accidit ut dicant singula esse, si ea ipsa sint. Sic autem omnia per se cognosci poterunt. Quod est impossibile.

Postquam Aristoteles egit de potestatibus seu virtutibus syllogismi, agit de impotentiis seu defectibus ejusdem; ac primo de petitione principii. Ut definiat petitionem principii, primo explicat, in quo genere sit; deinde enumerans varias ejus generis differentias, investigat differentiam constitutivam petitionis principii, ex eaque generi addita construit integram definitionem.

1. Petitio principii est unus ex modis, quo non bene probatur proposita conclusio; adeoque genus petitionis principii est, ut sit quidam defectus in probando, quod est propositum ad probandum. Porro multipliciter accidit defectus in probando propositum. Primo accidit defectus, cum ex præmissis non sequitur conclusio probanda; secundo cum ex præmissis posterioribus et ignotioribus, probatur conclusio notior et prior, cum demonstratio debeat esse ex prioribus et notioribus. Nullus ex his defectibus hactenus enumeratis est petitio principii.

2. Ut igitur explicetur, quis defectus sit petitio principii, notandum est, quod duo sunt genera veritatum. In primo genere sunt veritates, quæ per se ipsas sunt notæ et affirmabiles, cujusmodi sunt prima principia, ex. gr., *omne totum est majus parte*. In secundo genere sunt veritates, quæ non sunt per se ipsas notæ et affirmabiles, sed innotescunt et sunt affirmabiles propter alias veritates, ex quibus inferuntur. Hoc posito : petitio principii est, cum quod non est per se notum, conatur quis per se ipsum ostendere. Dum enim hoc facit, petit, ut sine probatione concedatur, quod est propositum ad probandum.

3. Dupliciter potest contingere, ut quis petat principium. Primo, cum quod est probandum, probat quis immediate per se ipsum; ex. gr., si quis per se ipsum probet, quod *cujuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis;* secundo cum id, quod est probandum, probat quis per se ipsum non immediate sed mediate, ita ut probet per aliquid aliud, quod deberet probari per ipsum; ex. gr., si probet A per B, et B per C, cum C ex natura sua debeat probari per ipsum A; eo enim ipso a primo ad ultimum probat A per ipsum A, adeoque petit principium.

Hoc pacto petunt principium, qui conantur ostendere, aliquas lineas esse æque distantes seu parallelas ex eo, quod nunquam concurrant. Cum enim, *lineas non concurrere*, probari debeat ex eo, quod sunt æque distantes, a primo ad ultimum probant lineas esse æque distantes, ex eo quod sunt æque distantes, adeoque probant idem per idem, et petunt principium, dum quod est probandum et non est principium per se notum, assumunt ac si esset principium per se notum. Si autem liceret hic modus probandi, facile esset omnia probare per se ipsa, et omnia essent cognoscibilia per se ipsa.

4. Si quis igitur, cum ignotum sit τὸ α inesse τῷ γ, similiterque τὸ α inesse τῷ β, petat sibi concedi τῷ β inesse τὸ α, nondum constat an petat quod ab initio quæsitum fuit, sed constat eum non demonstrare; quia quod est æque ignotum, non est principium demonstrationis. Si vero τὸ β ita se habet ad γ ut idem sint, vel constat hæc converti, aut inest alterum alteri, petit quod quæsitum est in principio. Nam et τῷ β τὸ α inesse per ea probare poterit, si convertuntur. Nunc vero hoc prohibet, non modus. Sin hoc faciat, quod dictum est, fecerit, ac quasi per tres terminos fit conversio.

5. Itidem si accipiat τὸ β inesse τῷ γ, cum sit æque ignotum ac si acciperet τὸ α inesse τῷ γ, nondum petit quod ab initio quæsivit, sed non demonstrat. Quod si idem sit τὸ α et τὸ β, vel convertantur, vel τὸ α consequens sit τῷ β, petit quod initio quæsivit, ob eamdem causam. Quid enim valeat petere quod ab initio quæsitum fuit, antea dictum est a nobis, nempe demonstrare per se quod non est per se manifestum. Si igitur nihil aliud est petere quod ab initio fuit quæsitum, quam per se probare quod non est per se manifestum, hoc autem est non probare, cum ita probatur, ut æque ignota sint quod monstratur et id per quod monstratur, aut quia eadem eidem aut quia idem eisdem inesse accipitur,

4. Explicat deinde Aristoteles magis in speciali, quo pacto petatur principium in specialibus modis et figuris. Primo in prima figura et in Barbara, si quis ad probandam propositionem per se immanifestam et ignotam, ex. gr., quod *omne triangulum habeat tres angulos æquales duobus rectis,* assumat majorem æque ignotam et immanifestam, ex. gr., quod *omnis figura trilatera habeat tres angulos æquales duobus rectis,* adhuc non constat, an petat principium, licet constet, quod non bene probat propositam conclusionem, siquidem illam probat ex æque ignoto, cum quod est æque ignotum, non sit idoneum principium demonstrationis. Si vero subjungat minorem convertibilem, ita ut propositio, quæ convertitur, et propositio, in quam convertitur, sint æque notæ, tum constat, quod petitur principium. Ex. gr., per hunc syllogismum : *omnis figura trilatera habet tres angulos æquales duobus rectis ; sed omnis triangulus est figura trilatera; ergo omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, petitur principium. Ratio est, quia cum major sit æque ignota ac conclusio, et minor sit convertibilis in aliam propositionem æque notam, sicut conclusio probatur per majorem, ita major probari potest per conclusionem, dicendo : *omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis; omnis figura trilatera est triangulum ; ergo omnis figura trilatera habet tres angulos æquales duobus rectis;* ergo cum conclusio probetur per majorem, quæ major æque bene in iisdem terminis probari potest per conclusionem, conclusio æquivalenter probatur per se ipsam, et petitur principium.

5. Secundo, si ad probandam conclusionem assumatur minor æque ignota, adhuc non constat, an petatur principium, licet constet, quod non bene probatur conclusio, cum probetur ex æque ignoto; si vero præmittatur major convertibilis in propositionem æque notam, tum petitur principium. Ratio est eadem, quia convertendo majorem, minor æque bene probatur per conclusionem ac conclusio per minorem. Ex. gr., sit syllogismus : *omne risibile est flebile; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est flebilis,* — minor est æque ignota ac conclusio, et major est convertibilis in hanc æque notam : *omne flebile est risibile,* ideo æquivalenter petitur principium, quia sicut conclusio probatur per minorem, sic minor æque bene probari potest per conclusionem, dicendo : *omne flebile est risibile; omnis homo est flebilis ; ergo omnis homo est risibilis ;* conclusio igitur probatur æquivalenter per se ipsam, adeoque petitur principium.

6. in media figura et in tertia utroque modo potest similiter peti quod ab initio fuit quæsitum. Verum in attributivo syllogismo quæsitum petitur in tertia et prima figura duntaxat.

7. Negative autem petitur, cum eadem absunt ab eodem, neque est eadem ratio ambarum propositionum (itidem res se habet et in

media figura), quia termini non convertuntur in negativis syllogismis.

8. Jam vero quod est in principio petitur in demonstrationibus, cum petuntur quæ re vera ita se habeant; in syllogismis autem dialecticis, cum ea petuntur, quæ secundum hominum opinionem ita se habere videntur.

6. Tertio ostendit Aristoteles, quo pacto principium peti possit in secunda et tertia figura. Docet igitur, quod cum petitio principii sit, quando quod non est per se notum, probatur per se ipsum, et cum talis petitio accidat in prima figura, eo quod assumatur propositio æque ignota ac conclusio probanda, et præterea medium est convertibile cum majori vel minori extremo conversione in propositionem æque notam, patet, quod eodem pacto poterit peti principium in secunda et tertia figura, si evenit quid simile. In syllogismis igitur affirmativis potest peti principium, tum in prima tum in tertia figura, non autem in secunda, quæ non potest concludere affirmative. Ex. gr., si in Disamis ad probandam conclusionem assumatur major æque ignota, ac minor convertibilis in æque notam, ac dicatur: *aliquod animal est flebile; omne animal est sensibile; ergo aliquod sensibile est flebile*, petitur principium, quia convertendo minorem in æque notam, sicut conclusio probatur ex majori, sic major probabitur ex conclusione, dicendo: *aliquod sensibile est flebile; omne sensibile est animal; ergo aliquod animal est flebile.*

7. In modis vero negativis petitio principii fit tum in prima tum in secunda figura, cum assumitur negativa æque dubia, affirmativa vero est convertibilis modo explicato in aliam æque notam, sive affirmativa sit major sive minor. Ex. gr., si dicatur in Camestres: *omnis figura trilatera est triangulum; nulla figura trilatera habet tres angulos inæquales duobus rectis; ergo nullum triangulum habet tres angulos inæquales duobus rectis,* — petitur principium, quia minor est æque ignota ac conclusio, et major est convertibilis in propositionem æque notam, adeoque sicut conclusio probatur per majorem, sic major probari potest per conclusionem, dicendo: *omnis triangulus est figura trilatera; nullus triangulus habet tres angulos inæquales duobus rectis; ergo nulla figura trilatera habet tres angulos inæquales duobus rectis.* Idem dic de cæteris.

8. Concludit Aristoteles, quod petitio principii potest fieri, tum in demonstrativis tum in dialecticis. In demonstrativis, cum vere propositio probanda non est per se nota, et probatur per se ipsam vel per aliam, quæ debet probari per ipsam vel per aliam vere æque ignotam, ita ut altera præmissa sit vere convertibilis, ut explicatum est; in dialecticis, cum secundum opinionem hæc eveniunt, ita ut conclusio probanda, vel non existimetur per se nota, vel probetur per propositionem, quæ existimetur æque ignota, vel quæ existimetur probanda per conclusionem.

CAPUT XXII

DE DEFECTU FALSI NON CONTINGENTIS PROPTER HOC, HOC EST PROPTER HYPOTHESIM, IN SYLLOGISMO PER IMPOSSIBILE.

1. [17] At non propter hoc accidere falsum, quod sæpe in disputationibus dicere soliti sumus, primum reperitur in syllogismis ducentibus ad impossibile, cum quis contradicit ei. quod alius probavit deductione ad impossibile. Neque enim qui non contradixit, dicet illud, non propter hoc, sed falsum quidpiam esse contendet ex iis quæ prius posita sunt; neque in probatione ostensiva, quia non ponit contradictionem.

2. Præterea cum eversum quidpiam fuerit ostensive per α β γ, dici non potest non propter hoc quod positum est, factum esse syllogismum. Nam illud, non propter hoc fieri, tunc dicimus, cum hoc sublato nihilominus perficitur syllogismus. Quod quidem non est in ostensivis, quia positione sublata non erit amplius syllogismus ille, qui ad eam pertinebat.

Postquam Aristoteles egit de primo defectu syllogismi, qui dicitur *petitio principii*, agit de secundo defectu, qui dicitur, *falsum non contingere propter hoc, hoc est propter hypothesim*. Primo ergo explicat, in quo syllogismo possit committi hic defectus; secundo hunc defectum definit; tertio declarat varios modos, quibus committitur hic defectus; quarto explicat duos modos contrarios, quibus falsum sequitur propter hypothesim; quinto demum proponit ac solvit quamdam objectionem.

1. *Quoad primum*, docet hunc defectum dari in syllogismo ad impossibile, in quo syllogismo ad probandam contradictoriam hypothesis ostenditur, quod ex hypothesi sequitur aliquid impossibile. Probatur primo, quia in eo solum syllogismo potest committi hic defectus, cui potest opponi hic defectus; sed soli syllogismo,

in quo ad probandam conclusionem ponitur ejus contradictoria et ostenditur, quod ex tali hypothesi sequitur impossibile, potest opponi, quod falsum et impossibile non sequitur ex hypothesi sed aliunde; in syllogismo vero, in quo conclusio directe probatur, non potest opponi, quod falsum sequatur aliunde, sed solum potest opponi, quod aliqua ex præmissis suppositis est falsa; ergo hic defectus potest solum committi in syllogismo per impossibile, non autem in ostensivo.

2. Probatur secundo, quia quando aliqua propositio, ex. gr., *quod homo sit hinnibilis*, directe et ostensive rejicitur, ostendendo, quod *nullus homo est hinnibilis*, sic : *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis.* — nemo opponit, quod conclusio sequitur quidem, sed non ex eo, quod supponitur, hoc est ex præmissis; tunc enim dicitur, quod conclusio sequitur, sed non ex suppositis, quando ablato aliquo ex suppositis adhuc conclusio sequeretur; sed qui opponit syllogizanti ostensive, non dicit, quod etiam sublata aliqua præmissa conclusio sequeretur; ergo hic defectus non committitur in syllogismo ostensivo, sed solum in syllogismo ad impossibile.

3. Perspicuum igitur est, in ducentibus ad impossibile dici illud non propter hoc, cum scilicet hypothesis ab initio sumpta ita se habet ad impossibile, ut sive ea sit sive non sit, nihilominus accidat impossibile.

4. Est igitur maxime conspicuus modus, quo non propter hypothesim est falsum, cum syllogismus ex mediis ad impossibile ducentibus effectus ab hypothesi est separatus, quemadmodum et in Topicis dictum est. Hoc enim est non causam pro causa ponere. Ut si volens probare dimetientem non habere communem mensuram, conetur Zenonis orationem probare, id est non esse motum, ducatque ad hoc impossibile. Falsum enim quod conclusum est, nullo prorsus modo cohæret ei, quod ab initio dictum fuit.

5. Alius modus est, si cohæreat quidem impossibile hypothesi, non tamen propter illam accidat. Hoc enim fieri potest, sive sursum sive deorsum versus cohærentia accipiatur. Ut si τὸ α τῷ β ponatur inesse et τὸ β τῷ γ et τὸ γ τῷ δ, hoc autem falsum sit, τὸ β τῷ δ inesse. Nam si dempto α nihilominus inest, τὸ β τῷ γ et τὸ γ τῷ δ, non colligetur falsum ex hypothesi initio sumpta. Aut rursus si quis sursum versus accipiat cohærentiam. Ut si τὸ α insit τῷ β et τῷ α τὸ ε et τῷ ε τὸ ζ, falsum autem sit inesse τῷ α τὸ ζ. Nam sic quoque nihilominus efficietur impossibile ablata hypothesi initio accepta.

3. *Quoad secundum :* defectus *falsi contingentis non propter hoc,* est, cum in syllogismo ad impossibile concluditur falsum ex hypothesi, quæ sive ponatur sive non ponatur, adhuc sequitur tale falsum. Eo enim ipso, quod impossibile sequitur, seu ponatur seu non ponatur hypothesis, non sequitur ex ea hypothesi, sed ex alia causa.

4. *Quoad tertium :* duo sunt præcipui modi, quibus in syllogismis ad impossibile committitur defectus *falsi contingentis non propter hypothesim.* Primus et manifestus modus est, cum syllogismus, in quo infertur impossibile, non communicat in ullo termino cum hypothesi, hoc est cum contradictoria conclusionis probandæ, sed est omnino disparatus. Ex. gr., si quis volens ostendere, *diametrum esse incommensurabilem costæ,* probet per impossibile ex eo, quod si supponatur contradictorium, quod nimirum *diameter esset commensurabilis*, spatium pertransiri non posset; hoc autem impossibile probet tali syllogismo Zenonis : *spatium constans ex partibus infinitis pertransiri non potest; sed quodlibet spatium constat ex partibus infinitis; ergo spatium pertransiri non potest,* — hoc impossibile sequitur quidem, sed non ex hypothesi, quod *diameter sit commensurabilis,* ideeque est sophisma, in quo quod non est causa, affertur ut causa, de quo sophismate dicetur in Topicis. In hoc igitur syllogismo committitur defectus impossibilis contingentis non ex hypothesi data, sed ex aliquo medio omnino disparato, nimirum ex eo, quod spatium habeat infinitas partes, quod medium non convenit cum hypothesi in ullo termino.

5. Secundus modus est, cum syllogismus, in quo probatur impossibile, est quidem ita continuus cum hypothesi, ut conveniat et continuetur cum tali hypothesi in aliquo termino, adhuc tamen impossibile non sequitur ex hypothesi. Porro hæc continuatio potest fieri dupliciter : primo, ut hypothesis sit supra majorem syllogismi, ex quo infertur, ita ut prædicatum majoris seu majus extremum sit subjectum hypothesis; secundo, ut hypothesis sit sub minori, ita ut subjectum minoris seu minus extremum sit prædicatum hypothesis. Exemplum, in quo hypothesis est supra majorem syllogismi ad impossibile sit : *omne rationale est homo ; omne sensitivum est rationale; omnis equus est sensitivus; ergo omnis*

equus est rationalis; hoc est impossibile; ergo falsum est, quod omne rationale est homo. Licet enim in syllogismo posito sequatur hoc impossibile, quod *omnis equus est rationalis,* non tamen sequitur ex hypothesi, sed ex syllogismo sub hypothesi, ut patet, quia ablata vel remanente illa hypothesi, *quod omne rationale est homo,* eodem pacto sequitur hoc impossibile. quod *omnis equus sit rationalis;* hypothesis autem : *omne rationale est homo*, est supra majorem syllogismi, quæ major est : *omne sensitivum est rationale,* quia *rationale*, quod est prædicatum majoris. adeoque majus extremum syllogismi ad impossibile, est subjectum hypothesis. Exemplum, in quo hypothesis est sub minori syllogismi ad impossibile, ita ut minus extremum talis syllogismi sit prædicatum hypothesis, potest esse : *omne sensitivum est rationale; omne quadrupes est sensitivum; omnis equus est quadrupes; ergo omne quadrupes est rationale; hoc est impossibile; ergo falsa hypothesis. quod omnis equus est quadrupes.* Hoc impossibile, quod *omne quadrupes sit rationale.* sequitur quidem. sed non ex hypothesi. quod *omnis equus est quadrupes*, siquidem ablata hac hypothesi adhuc idem impossibile sequitur per syllogismum : *omne sensitivum est rationale; omne quadrupes est sensitivum; ergo omne quadrupes est rationale.* Hypothesis vero, quod *omnis equus est quadrupes.* est sub minori, cum habeat pro prædicato quadrupes. quod est subjectum minoris. quæ minor est : *omne quadrupes est sensitivum.*

6. Sed oportet impossibile conjungere cum terminis ab initio sumptis; sic enim erit propter hypothesim. Ut deorsum versus accepta cohærentia conjungi debet cum termino attributo. Nam si impossibile est τὸ α τῷ δ inesse, ablato α non erit amplius falsum illud. Sursum autem versus accepta cohærentia conjungi debet cum termino subjecto. Nam si τῷ β non potest τὸ ζ inesse, dempto β non erit amplius illud impossibile Similis est ratio syllogismorum privantium. Perspicuum igitur est. nisi impossibile conjungatur cum terminis ab initio acceptis, non propter positionem falsum accidere.

6. *Quoad quartum :* explicatis modis, quibus falsum sequitur et non propter hypothesim, explicat Aristoteles modos contrarios, quibus falsum sequitur propter hypothesim. Ut falsum sequatur propter hypothesim, debent propositiones ac termini syllogismi per impossibile ita coaptari, ut ablata hypothesi impossibile non sequatur. Potest autem hoc fieri, seu hypothesis ponatur supra majus extremum, hoc est supra prædicatum conclusionis impossibilis, seu ponatur supra minus extremum. Exemplum, in quo falsum sequitur ex hypothesi, cujus prædicatum sit majus extremum conclusionis impossibilis, est : *omne sensitivum est rationale; omne animal est sensitivum; omnis equus est animal; ergo omnis equus est rationalis, quod est impossibile,* — hoc impossibile, quod *omnis equus sit rationalis*, non sequitur ablata hypothesi, quod *omne sensitivum sit rationale;* infertur enim immediate per hunc syllogismum : *omne animal est rationale; omnis equus est animal; ergo omnis equus est rationalis.* Major vero hujus syllogismi infertur per hunc alium syllogismum : *omne sensitivum est rationale; omne animal est sensitivum; ergo omne animal est rationale;* ergo ablata hac hypothesi, *omne sensitivum est rationale.* non sequitur hoc impossibile : *omnis equus est rationalis;* illa vero hypothesis : *omne sensitivum est rationale,* continet majus extremum hujus impossibilis : *omnis equus est rationalis.* Exemplum, in quo falsum sequitur ex hypothesi, cujus subjectum est minus extremum conclusionis impossibilis. sit : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; omne hinnibile est homo; ergo omne hinnibile est risibile.* quod est impossibile. Sequitur enim hoc impossibile : *omne hinnibile est risibile.* ex hac hypothesi : *omne hinnibile est homo.* quæ hypothesis continet hinnibile, quod est subjectum seu minus extremum conclusionis impossibilis; et ita hoc impossibile sequitur ex hypothesi, ut hypopothesi ablata non sequeretur. Quod dictum est de syllogismis affirmativis, proportionaliter dic de negativis.

7. Anne sic quidem semper propter hypothesim erit falsum ? Nam si τὸ α ponatur inesse non τῷ β sed τῷ κ. et τὸ κ τῷ γ, atque hoc τῷ δ, sic quoque manet ipsum impossibile. Similiterque sursum versus acceptis terminis. Cum igitur impossibile accidat, sive hoc sit sive non sit, non erit propter positionem.

8. Aut si hoc non sit, nihilominus effici falsum, non ita accipi debet, quasi alio posito accidat impossibile, sed cum hoc ablato per reliquas propositiones concluditur idem impossibile, quandoquidem nihil fortasse absurdi est, si falsum concludatur per multas hypotheses, veluti

lineas parallelas concurrere, sive major sit angulus internus externo, sive triangulus plures duobus rectis angulos habeat.

7. *Quoad quintum*, opponit Aristoteles contra doctrinam traditam num. 4. Videtur enim falsum, quod tum impossibile non sequitur propter hypothesim, quando ablata hypothesi adhuc sequeretur. Nam cum dicitur: *omne rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est hinnibilis,* — hoc impossibile, quod *omnis homo est hinnibilis,* sequitur propter hanc hypothesim : *omne rationale est hinnibile,* et tamen hac hypothesi ablata et posita alia hypothesi, quod *omne animal sit hinnibile,* adhuc idem impossibile sequitur per hunc syllogismum : *omne animal est hinnibile; omnis homo est animal; ergo omnis homo est hinnibilis.*

8. Respondet Aristoteles, quod cum dicitur, impossibile tum non sequi propter hypothesim, cum ablata hypothesi adhuc sequeretur, id est ita intelligendum, quod idem impossibile sequeretur ex positis, quæ non pendent ab hypothesi, non ponendo loco hypothesis ablatæ aliam hypothesim. De reliquo non repugnat idem impossibile sequi ex pluribus hypothesibus. Potest enim idem falsum et impossibile sequi ex pluribus impossibilibus, ex. gr., hoc impossibile, quod duæ lineæ parallelæ concurrant, sequitur et ex hoc, quod linea recta incidens in duas parallelas faciat angulum externum majorem interno et opposito ad easdem partes, et ex hoc, quod triangulus habeat tres angulos majores duobus rectis. Demonstrationes Aristoteles non affert; si quis cupit illas videre, legat Blancanum in locis mathematicis Aristotelis in explicatione hujus loci.

CAPUT XXIII

DE FALSA RATIONE.

1. [18] Falsa autem ratio efficitur ob id quod primum falsum est. Aut enim ex duabus propositionibus aut pluribus constat omnis syllogismus. Si igitur ex duabus constet, harum alteram vel ambas necesse est falsas esse : ex veris namque non erat falsus syllogismus. Sin ex pluribus constet, velut τὸ γ probetur per α β, hæc autem per ε ζ η, horum superiorum quidpiam falsum est, et propter hoc ratio est falsa ; nam τὸ α et τὸ β per ea concluditur. Itaque propter eorum quidpiam efficitur conclusio et falsum.

Postquam Aristoteles ostendit, falsum aliquando sequi quidem, sed non propter hypothesim, quia posset aliquis opinari, tum falsum sequi propter alias propositiones veras, ut auferat hunc errorem, docet, falsum semper sequi radicaliter propter aliquod primum falsum. Probat, quia vel conclusio falsa infertur per syllogismum simplicem constantem ex duabus tantum præmissis, vel per syllogismum compositum ex duabus præmissis et ex prosyllogismis factis ad probandas tales præmissas; utroque modo falsum sequitur propter aliquod falsum immediate et sine probatione suppositum ; ergo semper falsum sequitur propter aliquod primum falsum immediate et sine probatione suppositum. Probatur minor ; si enim falsum sequitur per syllogismum simplicem constantem ex duabus tantum præmissis, vel altera vel utraque est falsa cum non possit falsum sequi ex veris, ut dictum est cap. II. num. 2. ; ergo jam falsum sequitur propter aliquam præmissam falsam, quæ immediate supponitur sine probatione ; si vero talis præmissa falsa non præsupponitur immediate, sed probatur, cum non possit probari per utramque præmissam veram, debet tandem perveniri ad aliquam præmissam falsam immediate et sine probatione suppositam, ex qua inferatur conclusio falsa ; ergo falsum semper sequitur ex aliquo falso immediate et sine probatione supposito.

CAPUT XXIV

DE MODO IMPEDIENDI CONTRARIUM SYLLOGISMUM.

1. [19] Ut autem contra nos syllogismo non concludatur, observare debemus, cum sine conclusionibus rationem adversarius rogat, ne bis concedatur idem in propositionibus, quoniam scimus sine medio non effici syllogismum, medium vero est quod sæpius dicitur. Quomodo autem ad quamque conclusionem medium observare oporteat, perspicuum est ex eo, quod scimus quænam in quaque figura probetur. Hæc autem nos non latebit, quia scimus quomodo sustineamus disputationem.

2. Quod vero jussimus respondentes cavere, id ut lateat, conentur efficere qui argumentantur. Quod fiet primum, si prosyllogismis non concludant, sed sumptis propositionibus necessariis conclusiones prosyllogismorum lateant. Præterea si quis non proxima roget, sed quam plurima media. Utputa concludendum sit τὸ α de ζ, media vera sint τὸ β γ δ ε. Oportet igitur rogare an τὸ α insit τῷ β; et rursus non an τὸ β

insit τῷ γ, sed an τὸ δ τῷ ε ; deinde an τὸ β τῷ γ ; atque ita reliqua. Et si per unum medium fiat syllogismus, a medio incipere oportet ; sic enim maxime poterit latere respondentem.

Explicatis duobus primis defectibus syllogismi, Aristoteles, antequam explicet tertium defectum, tradit quædam præcepta pro disputante utilia ad impediendum, ne argumentans faciat syllogismum vel redargutionem. Si argumentans habeat pro scopo aliquid concludere indeterminate, respondens vero velit impedire, ne quidquam concludat, debet respondens adhibere cautionem, ne concedat arguenti duas propositiones, in quibus replicetur idem terminus. Cum enim non possit quidquam concludi sine medio, medium autem debeat bis poni in præmissis, si non concesserit propositiones, in quibus idem bis ponatur, impediet, ne arguens faciat ullum syllogismum. Si vero arguens habeat pro scopo concludere aliquam determinatam propositionem, respondens, ut id impediat, debet cavere, ne concedat duas propositiones, ex quibus possit inferri talis conclusio. Quia vero universalis affirmativa non potest inferri, nisi ex omnibus præmissis universalibus affirmativis in prima figura, debet respondens cavere, ne concedat duas præmissas universales affirmativas, in quibus medium semel prædicetur, semel subjiciatur, idemque dic de aliis conclusionibus.

2. E converso arguens debet conari in oppositum latenter. Si enim velit inferre conclusionem indeterminatam, debet conari latenter, ut respondens sibi concedat duas propositiones, in quibus lateat medium. Si velit inferre conclusionem determinatam, quæ non possit inferri, nisi per plura media ordinata, ab initio non debet ponere propositiones, in quibus est medium, ex quo immediate infertur conclusio intenta, sed debet ponere propositiones, in quibus est medium, ex quo conclusio intenta infertur solum mediate et remote; ex. gr., si debeat inferre, *hominem esse risibilem*, per admirativum et rationale, non debet statim sumere, quod *omne admirativum est risibile*, ex quo immediate infertur, *hominem esse risibilem*, sed quod *omne rationale est admirativum*, ex quo non immediate sed mediate solum infertur, *hominem esse risibilem*. Si vero conclusio debeat inferri per unicum medium, debet incipere a minori, in qua medium prædicatur, non vero a majori ; sic enim magis latebit conclusio inferenda, ideoque facilius concedetur propositio assumpta ; ex. gr., ad probandum, *hominem esse risibilem*, debet assumere, quod *homo est rationalis*.

CAPUT XXV

DE IMPEDIENDA REDARGUTIONE

1. [20] Quia vero habemus, quando et quomodo se habentibus terminis fiat syllogismus, perspicuum etiam est, quando erit et quando non erit elenchus. Omnibus enim concessis, aut responsionibus vice versa positis, utputa altera affirmante altera negante, potest fieri elenchus. Erat enim syllogismus tam hoc quam illo modo se habentibus terminis. Quare si quod positum est, sit contrarium conclusioni, necesse est fieri elenchum, quoniam elenchus est syllogismus contradictionis. Quodsi nihil concedatur, impossibile est fieri elenchum. Non enim erat syllogismus, cum omnes termini sunt privativi. Quare nec elenchus. Etenim si sit elenchus, necesse est esse syllogismum ; si vero sit syllogismus, non necesse est esse elenchum. Idem dicendum est, si nihil per responsionem positum fuerit quod sit in toto, quoniam elenchi et syllogismi eadem est ratio.

1. Traditis regulis ad impediendum syllogismum, subdit Aristoteles regulas ad impediendam redargutionem, quæ redargutio nihil est aliud, quam syllogismus probans contradictorium ejus, quod diximus. Ad impediendum igitur talem syllogismum redargutivum, applicandæ sunt regulæ, quibus diximus impediendum esse syllogismum probantem determinatam conclusionem. Cum enim per redargutionem debeat probari contradictorium ejus, quod diximus, debet adverti, quale sit hoc contradictorium, an universale affirmativum etc. Debet rursus adverti, quibus præmissis possit probari, ad impediendum, ne probetur. Rursus, quia omnis syllogismus etiam redargutivus fit vel ex utraque præmissa affirmativa, vel ex altera affirmativa, altera negativa, vel ex utraque universali, vel ex altera universali altera particulari ; si nullam propositionem universalem, vel nullam affirmativam concedamus, erit impossibile, ut fiat syllogismus, adeoque redargutio; quandoquidem redargutio ex necessitate est syllogismus, licet syllogismus possit non esse redargutio.

CAPUT XXVI

DE DECEPTIONE IN OPINIONE.

1. [21] Interdum accidit ut, quemadmodum in terminorum positione decipimur, ita etiam in existimatione fiat deceptio.

2. Ut si contingat idem pluribus primum inesse, et alterum quis ignoret putetque nulli inesse, alterum sciat. Insit enim per se τὸ α τῷ β et τῷ γ. Itidemque hæc omni δ. Si quis igitur putet τὸ α inesse omni β et hoc omni δ, τὸ α autem nulli γ, et hoc omni δ, ejusdem secundum idem habebit scientiam et ignorantiam.

3. Rursus si quis decipiatur circa ea quæ sunt ex eadem serie. Ut si τὸ α inest τῷ β, hoc autem τῷ γ et τὸ γ τῷ δ; existimat autem τὸ α omni β inesse et rursus nulli γ; simul enim sciet et non existimabit inesse. An igitur ex his nihil aliud censet quam, quod scit, id se non existimare? Nam τὸ α τῷ γ inesse quodammodo scit per β, sicut particulare noscitur cognitione universali. Quocirca quod quodammodo scit, hoc omnino censet se non existimare. Quod quidem est impossibile.

1. Postquam Aristoteles egit de deceptione, quæ fit a dispositione terminorum in syllogismo ad impossibile, cum impossibile sequitur quidem, sed non ex hypothesi, agit de deceptione et fallacia, quæ fit in opinione, eo quod opinemur contraria. Porro multis modis potest fingi, quod opinemur contraria, quorum aliqui sunt impossibiles nec possunt in actum venire, aliqui sunt possibiles et possunt in actum venire, ideoque Aristoteles primo proponit hos modos; secundo explicat, quo pacto sit possibile vel impossibile opinari contraria.

2. *Quoad primum*, primus modus opinandi contraria est: potest aliquod prædicatum convenire æque universaliter et immediate duobus, ita ut neutri conveniat ratione alterius, eo pacto, quo prædicatum corporis æque immediate convenit animali et sensibili, cum et *omne animal* et *omne sensibile sit corpus*. Possunt rursus hæc duo æque universaliter convenire uni tertio, eo pacto, quo equo convenit et *esse animal* et *esse sensibile*, cum *omnis equus et sit animal et sit sensibilis*. Si igitur fingamus, quod quis opinetur, *omne animal esse corpus, et omnem equum esse animal*, et simul opinetur, *nullum sensibile esse corpus, et omnem equum esse sensibilem*, sequitur, quod hic concludendo opinetur, *quod omnis equus est corpus*, et *nullus equus est corpus*, adeoque de eodem habeat scientiam et opiniones contrarias, existimans, equum esse corpus et non esse corpus, et habens simul opinionem veram et falsam.

3. Secundus modus est: potest aliquod prædicatum convenire duobus, sed non æque immediate, sed uni mediante altero, eo pacto, quo prædicatum corporis convenit tum viventi tum animali, sed animali mediante vivente, cum animal sit corpus, quatenus est vivens; possunt rursus hæc duo convenire universaliter eidem tertio, eo pacto, quo tum vivens tum animal dicuntur universaliter de homine, siquidem *omnis homo est animal et vivens*. Si igitur fingamus, quod quis opinetur, *omne vivens esse corpus, et omnem hominem esse viventem*, et simul opinetur, *nullum animal esse corpus, et omnem hominem esse animal*, sequitur, quod concludendo opinetur, quod *omnis homo est corpus*, et *nullus homo est corpus*, adeoque circa idem secundum idem habeat deceptionem et scientiam. Dum enim scit, quod *omne vivens est corpus*, per vivens, quod continet animal, scit aliquo pacto, quod *omne animal est corpus*, eo pacto, quo particulare scitur in universali; dum vero opinatur, quod *nullum animal est corpus*, negat in particulari, quod affirmavit in universali, et per hoc ducitur ad opinandum, quod *omnis homo est corpus*, et *nullus homo est corpus*, quod est impossibile.

4. In eo vero quod antea dictum est, si medium non sit ex eadem serie, secundum utrumque medium ambas propositiones non accidit quempiam existimare. Veluti si τὸ α insit omni β et nulli γ, ambo autem hæc omni δ. Sic enim contingit ut prima propositio accipiatur contraria vel simpliciter vel ex parte. Nam si cuicumque τὸ β inest, existimat τὸ α inesse, novit autem τὸ β τῷ δ inesse, etiam novit τὸ α τῷ δ inesse. Si igitur rursus, cui τὸ γ inest, nulli putat τὸ α inesse, alicui sane, cui τὸ β inest, non putat τὸ α inesse. Qui autem omni inesse putat cui τὸ β inest, cum rursus putare alicui non inesse cui τὸ β inest, aut simpliciter aut ex parte contrarium est. Sic igitur non contingit existimare.

5. At secundum utrumque medium unam propositionem aut secundum alterum ambas existimare nihil vetat, veluti τὸ α inesse omni β et τὸ β τῷ δ, rursusque τὸ α nulli γ.

4. *Quoad secundum*; propositis his duobus modis opinandi contraria explicat Aristoteles, quo pacto sit possibile vel impossibile opinari contraria, præsertim juxta primum modum, ex quo patebit, quid sit dicendum de secundo.

Juxta primum igitur modum, in quo medius terminus utriusque syllogismi non est subordinatus, impossibile est, ut quis simul opinetur veras ambas præmissas utriusque syllogismi; ex. gr., impossibile est, ut quis simul opinetur, quod *omne animal est corpus,* et *omnis equus est animal;* et quod *nullum sensibile est corpus,* et *omnis equus est sensibilis.* Probatur, quia alioquin simul opinabitur, quod *omne animal est corpus,* et quod *aliquod animal non est corpus,* adeoque simul actu opinabitur contradictoria vel contraria, quod est impossibile. Probatur sequela; nam simul opinatur, quod *omne animal est corpus,* et quod *omnis equus est animal,* ergo opinatur, quod *omnis equus est corpus;* rursus opinatur, quod *nullum sensibile est corpus, et omnis equus est sensibilis;* ergo opinatur, quod *nullus equus est corpus;* sed ex hac conclusione secundi syllogismi et ex minori primi syllogismi sequitur contradictoria majoris ejusdem primi syllogismi in tertia figura et in Felapton, sic: *nullus equus est corpus; omnis equus est animal; ergo aliquod animal non est corpus;* ergo simul opinatur majorem et ejus contradictoriam, hoc est simul opinatur, quod *omne animal est corpus, et aliquod animal non est corpus;* sed est inconveniens et impossibile, ut simul quis opinetur actu contraria vel contradictoria; ergo est inconveniens et impossibile, ut juxta primum modum opinetur quis actu simul ambas præmissas utriusque syllogismi.

5. At licet sit impossibile, ut juxta prædictum modum opinetur quis simul veras ambas præmissas utriusque syllogismi, ut jam est probatum, adhuc non est impossibile, ut quis opinetur simul veram alteram saltem præmissam utriusque syllogismi, ex. gr., majorem sine minori, vel ut opinetur veras ambas præmissas unius syllogismi, alterius autem alteram tantum. Ex. gr., non est impossibile, ut quis opinetur simul, quod *omne animal est corpus,* et quod *nullum sensitivum est corpus;* vel ut opinetur, quod *omne animal est corpus,* et *omnis equus est animal, et nullum sensitivum est corpus.*

6. Hæc enim deceptio similis est ei, qua decipimur circa particularia. Utputa si omni β τὸ α inest ac τὸ β omni γ, τὸ α omni γ inerit. Si quis igitur novit τὸ α illi omni inesse cui τὸ β inest, novit etiam inesse τῷ γ. Sed nihil prohibet, quominus ignoret τὸ γ esse. Veluti si τὸ α sint duo anguli recti, ubi β, triangulus, ubi γ, sensibilis triangulus. Potest enim quispiam existimare non esse τὸ γ, sciens omnem triangulum habere duos rectos. Quare simul cognoscet et ignorabit eamdem rem, Nosse enim omnem triangulum habere duos rectos non est quid simplex, sed ita dicitur vel quia scientia universalis habetur, vel quia particularis. Sic igitur cognitione universali novit τὸ γ habere duos rectos, particulari autem non novit. Quare non habebit scientiam et deceptionem contrarias. Similiter se habet ratio scripta in Menone, quod scientia sit reminiscentia. Nunquam enim accidit ut singulare præsciatur; sed dum inductio fit, simul accipimus particularium scientiam quasi agnoscentes. Quædam enim ubi vidimus, statim cognoscimus, utputa habere tres angulos æquales duobus rectis, si modo sciamus esse triangulum. Similis est aliorum ratio. Universali igitur cognitione intelligimus particularia, propria cognitione non novimus. Quare contingit etiam in his falli, non tamen modo contrario, sed quia habemus cognitionem universalem, et decipimur particulari.

7. Itaque similiter fit et in iis quæ antea diximus. Non enim contraria est deceptio ex medio orta scientiæ per syllogismum acquisitæ, nec existimatio secundum ambo media.

6. Ut hæc probet, præmittit Aristoteles non repugnare, ut quis sciat aliquid in universali et simul ignoret atque erret circa illud in particulari, eo quod non videat, quod continetur in universali. Probatur et explicatur exemplis. Qui scit, *omne animal esse corpus,* scit corpus de omni animali, adeoque etiam de equo, qui supponitur animal, et tamen, si non advertat equum contineri in animali, potest in particulari ignorare, quod *equus sit corpus,* imo potest opinari, quod *equus non sit corpus;* nec hoc est inconveniens, quia in universali sciet equum esse corpus, in particulari ignorabit equum esse corpus, imo censebit equum non esse corpus. Similiter potest quis scire in universali, quod *omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis,* et ignorare, quod *hic triangulus sensibilis habet tres angulos æquales duobus rectis,* eo quod non advertat, hoc sensibile esse triangulum, adeoque idem uno modo sciet, alio modo nesciet, sciet in universali, nesciet in particulari, quod non repugnat. Ex hoc autem rejicitur argumentum Platonis, quo in Menone conatur ostendere scientiam esse reminiscentiam. Qui enim addiscit quod ante sciebat, reminiscitur; sed nos addiscimus quod

ante sciebamus; ergo reminiscimur. Probabat minorem Plato : supponatur enim, quod aliquis sciat, omnem *triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis*, et quod hic de novo advertat, aliquid sensibile esse triangulum ; hic addiscit, hunc triangulum sensibilem habere tres angulos æquales duobus rectis; sed hoc ipsum sciebat ante, siquidem sciebat, omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis; ergo reminiscitur, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis. Fallacia est, quia ille sciebat in universali, hunc triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, nesciebat in particulari, et statim ac per sensum certificatur, quod hic est triangulus, addiscit in particulari, quod habet tres angulos æquales duobus rectis; sed hoc ante in particulari nesciebat ; ergo addiscit, quod ante nesciebat ; ergo non reminiscitur, sed beneficio sensus acquirit scientiam de novo.

7. Sicut ergo possumus aliquid scire in universali et ignorare in particulari, sic possumus aliquid scire in universali et errare ac decipi circa illud in particulari; nec per hoc habebimus opiniones ita contrarias, ut non possint simul conjungi in eodem intellectu. Sicut enim in eodem intellectu possunt simul conjungi scientia, qua aliquid scitur in universali, et ignorantia, qua idem ignoratur in particulari, sic potest in eodem intellectu conjungi scientia, qua aliquid scitur in universali, et error seu deceptio, qua circa illud idem erratur in particulari; ergo licet aliquis sciens, quod *omne animal est corpus*, sciat in universali, quod *equus*, (*utpote animal*), *est corpus*, adhuc poterit in particulari opinari, quod *equus non est corpus*, deceptus hoc syllogismo : *nullum sensitivum est corpus; omnis equus est sensitivus; ergo nullus equus est corpus*. Tum vero syllogismi, quo probatur, quod *omnis equus est corpus*, habebit solam majorem, quod *omne animal est corpus*, non vero minorem, quod *omnis equus est animal;* syllogismi vero, quo probatur *nullum equum esse corpus*, habebit majorem simul et minorem.

8. Nihil autem vetat, quominus sciens τὸ α toti β inesse ac rursus hoc inesse τῷ γ, putet non inesse τὸ α τῷ γ, verbi gratia sciens omnem mulam esse sterilem et hanc esse mulam, putet ferre in utero; non hanc enim scit τὸ α inesse τῷ γ, nisi simul consideret utrumque pronuntiatum.

9. Quocirca perspicuum est, et si alterum noverit, alterum non noverit, eum deceptum iri. Quomodo se habent universales scientiæ ad particulares. Ex iis enim quæ sub sensum cadunt, nihil a sensu absens cognoscimus, ne quidem si id antea senserimus, nisi hac ratione quia universalem et propriam scientiam habemus, non quod actu ea scientia utamur. Scire enim dicitur tribus modis, id est vel ut cognitione universali, vel ut propria, vel ut actu et operatione. Quare etiam decipi dicitur tot modis. Nihil igitur prohibet quempiam cognoscere ac decipi in eadem re, non tamen modo contrario. Quod ei quoque accidit, qui secundum utramque propositionem novit nec prius consideravit. Existimans enim mulam uterum ferre, non habet actu scientiam ; nec rursus propter existimationem habet errorem scientiæ contrarium. Nam scientiæ universali contrarius error est syllogismus.

10. Qui vero existimat boni essentiam esse mali essentiam, idem esse existimabit essentiam boni et mali. Sit enim boni essentia, ubi τὸ α, mali autem essentia, ubi τὸ β ; iterum boni essentia, ubi τὸ γ. Quoniam igitur idem esse existimat τὸ β et τὸ γ, etiam existimabit τὸ γ esse τὸ β. Rursusque itidem existimabit τὸ β esse τὸ α, proinde τὸ γ esse τὸ α. Quemadmodum enim si verum erat, de quo dicitur τὸ γ, de eo dici τὸ β, et de quo dicitur τὸ β, de eo dici τὸ α, etiam de γ dici τὸ α verum erat, ita etiam se res habet in verbo existimare. Similiterque in verbo esse. Nam si idem sit τὸ γ et τὸ β, rursusque τὸ β et τὸ α, etiam τὸ β idem erat quod τὸ α. Itaque etiam in verbo opinari similiter se res habet. An hoc est quidem necessarium, si quis primum concesserit? Sed fortasse illud est falsum, quempiam existimare essentiam boni esse essentiam mali, nisi ex accidente. Multis enim modis licet hoc existimare. Sed hoc diligentibus considerandum est.

8. Rursus non solum potest quis sciens aliquid in universali, errare circa illud in particulari, si sciat solum unam præmissam seu unum medium syllogismi, sed etiamsi sciat utramque præmissam et utrumque medium. Ex. gr., potest quis scire, quod *omnis mula est sterilis*, et quod *hæc est mula*, et tamen opinari, quod *hæc concepit et fert in utero*, si nimirum solum habitu sciat, omnem mulam esse sterilem et hanc esse mulam, actu autem de hoc non cogitet, sed videns hanc mulam habere aliquem tumorem in ventre, putet, hanc mulam esse fœtam.

9. Patet igitur, quod dupliciter potest quis sciens aliquid in universali, errare ac decipi circa idem in particulari. Primo ex ignorantia minoris particularis, eo quod non acquisiverit scientiam talis minoris per inductionem et experientiam sensibilem. Secundo etiam si quis sciat ali-

quid in universali, et per inductionem atque experientiam sensibilem acquisiverit scientiam minoris particularis, adhuc potest errare ac decipi circa conclusionem particularem, si majorem universalem sciat solum habitu, non actu. Ratio est, quia tot modis contingit errare circa aliquid, quot modis contingit illud scire; sed possumus aliquid scire tribus modis; primo in universali, eo pacto, quo sciens, omnem mulam esse sterilem, scit in universali, hanc mulam esse sterilem; secundo in particulari, eo pacto, quo quis scit, hanc mulam, quam videt, esse sterilem; tertio non solum habitu sed actu, eo pacto, quo scit hanc mulam esse sterilem, qui actu cogitat, quod hæc est sterilis; ergo proportionaliter triplex est error ac deceptio contraria dictis scientiis. Scientiæ in universali contraria est deceptio circa idem in universali; ex. gr., huic scientiæ universali : *omnis mula est sterilis,* contraria est deceptio, qua quis opinetur, *nullam vel non omnem mulam esse sterilem;* deceptio vero in particulari, qua quis non advertens, hanc esse mulam, existimet hanc non esse sterilem, non est contraria scientiæ universali, sed est compossibilis cum scientia universali. Scientiæ particulari contraria est deceptio particularis, ex. gr., scientiæ, quod hæc *mula sit sterilis,* contraria est deceptio, qua quis opinetur, hanc mulam non esse sterilem. Scientiæ actuali contraria est deceptio actualis, non autem habitualis, ideoque scientiæ, qua aliquis non actu, sed solum habitu sciat, omnem mulam esse sterilem, et hanc esse mulam, non est contraria et incompossibilis deceptio, qua quis existimet, hanc mulam, quam videt tumentem in ventre, concepisse et in utero ferre.

10. Ultimus modus, quo possumus fingere, quod aliquis de eodem subjecto particulari affirmet contraria est, si fingamus, quod in universali affirmet, unum contrarium esse aliud. Ex. gr., si quis affirmet in universali, quod *esse bonum est esse malum*, si de aliquo particulari puta de fortitudine, affirmet, quod *est bonum*, de eadem putabit, quod sit malum per hunc syllogismum : *esse bonum est esse malum; fortitudo est bonum; ergo fortitudo est malum.* Quandoquidem enim in majori affirmat, quod *esse bonum est idem ac esse malum,* cum existimet fortitudinem esse bonum, existimabit fortitudinem esse malum. Similiter si illi majori : *esse bonum est esse malum,* addat hanc minorem : *avaritia est mala,* concludet quod *avaritia est bona*, per hunc syllogismum : *esse bonum et esse malum idem est; avaritia est mala; ergo avaritia est bona.* Sicut enim, si verum sit, quod avaritia est mala, et quod malum est bonum, sequitur ex necessitate, quod avaritia est bona; sic, si quis opinetur, quod avaritia est mala, et quod malum est bonum, sequitur, quod opinetur, avaritiam esse bonam. Proportionaliter si avaritia est mala, et si idem est, esse bonum ac esse malum, sequitur ex necessitate, quod avaritia sit bona; ergo similiter, si quis opinetur, quod avaritia est mala, et quod idem est esse malum et esse bonum, sequitur ex necessitate, quod opinetur, avaritiam esse bonam. Necessitas siquidem opinandi proportionatur necessitati, quæ apparet in essendo; ergo si quis affirmet, unum contrarium esse aliud, de eodem particulari affirmabit contraria. Verumtamen impossibile est, ut quis decipiatur, existimans, quod unum contrarium est aliud per se, ex. gr., quod bonum in quantum bonum est malum, sed solum potest existimare, quod unum contrarium est aliud per accidens; ex. gr., quod ei, quod est bonum, accidit esse malum. Hoc autem indigeret majori consideratione.

PARS TERTIA

DE ANNEXIS SYLLOGISMO

CAPUT XXVII

DE CONVERSIONE TERMINORUM.

1. [22] Jam vero quando extrema convertuntur, necesse est etiam medium converti cum ambobus.

2. Nam si τὸ α τῷ γ inest per β, si convertitur, et cuicumque inest τὸ α, inest etiam τὸ γ, certe etiam τὸ β cum α convertitur; et cuicumque τὸ α inest, etiam τὸ β inest per medium γ; item τὸ γ cum β convertitur per medium α.

Postquam Aristoteles in prima et secunda parte hujus libri secundi egit de potentiis et impotentiis, seu de virtutibus et defectibus syllogismi, in tertia et postrema parte agit de aliis argumentationibus, quæ possunt ad syllogismum reduci; et quia inter alias argumentationes est argumentatio, quæ fundatur in convertibilitate terminorum, ideo primo agit de convertibilitate terminorum, ac circa conversionem terminorum ponit sex regulas.

1. *Prima regula* est : si in syllogismo affirmativo extremitates, hoc est prædicatum et subjectum conclusionis sint convertibiles, medium est convertibile cum utraque extremitate.

2. Probatur; concludatur in Barbara, quod *omnis homo est risibilis*, per rationale tanquam per medium dicendo : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis*, — si extrema, hoc est *homo et risibile* convertuntur, adeoque conclusio convertitur, etiam medium, hoc est rationale convertitur cum extremis, adeoque convertitur utraque præmissa. Quod convertatur major, probatur, quia ex conversa conclusionis et minori sequitur conversa majoris, quæ est : *omne risibile est rationale*, per medium *homo*, sic : *omnis homo est rationalis; omne risibile est homo; ergo omne risibile est rationale*. Quod convertatur minor, probatur, quia ex conversa conclusionis et majori sequitur conversa minoris, quod nimirum *omne rationale est homo*, per medium *risibile*, sic : *omne risibile est homo; omne rationale est risibile; ergo omne rationale est homo*.

3. Itidemque se res habet in eo quod non inest. Ut si τὸ β τῷ γ inest, τῷ β autem τὸ α non inest, neque τὸ α τῷ γ inerit. Si igitur τὸ β cum α convertitur, etiam τὸ γ cum α convertetur. Ponamus enim τὸ β non inesse τῷ α; ergo neque τὸ γ inerit, quoniam omni γ τὸ β inerat.

4. Et si cum β τὸ γ convertitur, etiam cum α τὸ β convertetur; nam de quocumque dicitur τὸ β, dicitur etiam τὸ γ.

5. Et si τὸ γ cum α convertitur, etiam τὸ β convertetur cum α; nam cui τὸ β inest, eidem inest etiam τὸ γ; cui vero inest τὸ α, non inest τὸ γ. Atque hoc solum a conclusione incipit, (alia vero non similiter) ut etiam in attributivo syllogismo.

3. *Secunda regula* est : in syllogismo negativo, si medium convertatur cum extremis, extrema negative convertuntur inter se; si extrema convertantur, etiam medium convertitur negative cum illo extremo, de quo negatur.

Probatur et explicatur. Primo si medium convertatur negative cum majori extremo, extrema convertuntur negative inter se. Probatur; sit enim syllogismus in Celarent : *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis*, — quandoquidem medium, quod est rationale, convertitur negative cum majori extremo, quod est hinnibile, major potest simpliciter converti in hanc : *nullum hinnibile est rationale;* sed facta hac conversione et transpositis præmissis sequitur in Camestres conversa conclusionis sic : *omnis homo est rationalis; nullum hinnibile est ratio-*

nale; ergo nullum hinnibile est homo; ergo si medium convertitur negative cum majori extremo, etiam extrema convertuntur negative inter se.

4. Secundo si medium convertitur affirmative cum minori extremo, etiam extrema convertuntur negative inter se. Sit enim syllogismus in Celarent : *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis;* et e converso : *omne rationale est homo,* — sequitur : *ergo nullus homo est hinnibilis;* et e converso : *nullum hinnibile est homo.* Ratio est, quia termini convertibiles ita se habent, ut quæ possunt affirmari aut negari convertibiliter de uno, possint affirmari ac negari convertibiliter de alio; sed hinnibile negatur convertibiliter de rationali; ergo potest negari convertibiliter de homine, qui est convertibilis cum rationali, adeoque sicut *nullus homo est hinnibilis,* sic *nullum hinnibile est homo.*

5. Tertio e converso, si in minori medium convertatur affirmative cum minori extremo, et in conclusione majus extremum convertatur negative cum minori extremo, etiam in majori majus extremum convertetur negative cum medio. Probatur; sit enim syllogismus in Celarent : *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis ;* conversa minori et conclusione sequitur in Camestres conversa majoris sic : *omne rationale est homo; nullum hinnibile est homo; ergo nullum hinnibile est rationale.* Addit Aristoteles, quod solum hic tertius modus a conversa conclusionis processit ad conversam alicujus præmissæ, cum alii duo modi a conversis præmissarum processerint ad conversam conclusionis.

6. Rursus si τὸ α et τὸ β convertuntur, item τὸ γ et τὸ δ, cuivis autem necesse est aut τὸ α aut τὸ γ inesse, etiam τὸ β et τὸ δ ita se habebunt ut cuivis alterum insit.

7. Cum enim cui τὸ α inest, etiam τὸ β insit, et cui τὸ γ, etiam τὸ δ ; cuivis autem insit τὸ α vel τὸ γ, non utrumque simul ; perspicuum est etiam τὸ β vel τὸ δ cuivis inesse, nec ambo simul ; duo namque syllogismi componuntur.

6. Tertia regula est : si quatuor termini A B C D sic se habeant, ut primus A et secundus B sint convertibiles, ac similiter tertius C et quartus D sint convertibiles, si primus A et tertius C sic se habeant, ut cuilibet alterum necessario insit, hoc est vel A vel C, ac nulli possit utrumque, hoc est et A et C, simul convenire, etiam secundus B et quartus D sic se habent, ut cuilibet alterum, hoc est vel B vel D, necessario insit, ac nulli utrumque, hoc est et B et D, possit simul convenire.

7. Probatur et explicatur; quatuor termini sint, qui proponuntur in apposita figura :

1. A Ingenitum.	3. C Genitum.
2. B Incorruptibile.	4. D Corruptibile.

Hi termini sic se habent, ut primus et secundus, hoc est ingenitum et incorruptibile convertantur. Sicut enim *omne ingenitum est incorruptibile,* sic *omne incorruptibile est ingenitum.* Similiter tertius et quartus convertuntur. Sicut enim *omne genitum est corruptibile,* sic *omne corruptibile est genitum.* Rursus primus et tertius, hoc est *ingenitum* et *genitum* sic se habent, ut cuilibet alterum necessario insit, nulli utrumque. Sicut enim quodlibet vel est ingenitum vel est genitum, sic nihil potest esse simul ingenitum et genitum. Dico igitur, quod etiam secundus et quartus, hoc est incorruptibile et corruptibile ita se habent, ut quodlibet ex necessitate vel sit incorruptibile vel corruptibile, nihil possit simul esse incorruptibile et corruptibile. Demonstratur; necesse est enim, ut quodlibet ingenitum sit incorruptibile, quandoquidem hi duo termini supponuntur convertibiles; et ex eadem ratione necesse est, ut quodlibet genitum sit corruptibile; sed necesse est, ut quodlibet vel sit ingenitum vel genitum, ut etiam supponitur; ergo necesse est, ut quodlibet vel sit incorruptibile vel sit corruptibile. Rursus necesse est, ut ingenitum et genitum non sint idem; sed necesse est, ut omne incorruptibile sit ingenitum, et omne corruptibile sit genitum; ergo necesse est, ut incorruptibile et corruptibile non sint idem. Cum igitur ex eo, quod ingenitum et incorruptibile, et similiter genitum et corruptibile convertantur mutuo, et ex eo, quod quodlibet vel sit ingenitum vel genitum, nihil possit esse simul ingenitum et genitum, sequatur per duos syllogismos, quod quodlibet vel est incorruptibile vel corruptibile, nihil potest esse si-

mul incorruptibile et corruptibile, patet veritas regulæ.

8. Rursus si cuivis insit τὸ α aut τὸ β et τὸ γ aut τὸ δ, simul autem non insint, si convertuntur τὸ α ac τὸ γ, etiam τὸ β et τὸ δ convertuntur.

9. Nam si alicui non inest τὸ β, cui inest τὸ δ, constat τὸ α inesse. Quodsi τὸ α insit, etiam τὸ γ inerit, quandoquidem convertuntur. Quare simul erunt τὸ γ et τὸ δ. Hoc autem est impossibile. Utputa si ingenitum est incorruptibile et incorruptibile est ingenitum, necesse est genitum esse corruptibile et corruptibile esse genitum.

8. *Quarta regula*, quæ est quasi conversa tertiæ, est : si quatuor termini A B C D sic se habent, ut cuilibet necessario conveniat primus A, aut secundus B et non uterque simul; et similiter cuilibet necessario conveniat tertius C, aut quartus D et non uterque simul; si primus A et tertius C sunt convertibiles, etiam secundus B et quartus D erunt convertibiles.

9. Demonstratur; sint enim quatuor termini, qui proponuntur in apposita figura.

1. A Ingenitum.	2. B Genitum.
3. C Incorruptibile.	4. D Corruptibile.

Hi termini sic se habeant, ut quodlibet vel sit ingenitum vel genitum, et nihil possit esse simul ingenitum et genitum; et quodlibet vel sit incorruptibile vel corruptibile, et nihil possit esse simul incorruptibile et corruptibile ; dico, quod si primus et tertius, hoc est ingenitum et incorruptibile convertuntur, etiam secundus et quartus, hoc est genitum et corruptibile convertuntur. Demonstratur ; si enim genitum et corruptibile non convertuntur, poterit ex. gr., aliquod corruptibile non esse genitum; sed ex suppositione quodlibet vel est ingenitum vel genitum; ergo hoc corruptibile, quod non est genitum, erit ingenitum; sed supponitur, quod ingenitum et incorruptibile convertuntur; ergo hoc corruptibile, quod non est genitum, sed ingenitum, erit simul incorruptibile: ergo idem erit simul corruptibile et incorruptibile, quod supponitur impossibile; ergo stantibus dictis suppositionibus necesse est, ut genitum et corruptibile convertantur.

10. Cum autem τὸ α toti β et toti γ inest, et nulli alii attribuitur, inest autem etiam τὸ β omni γ, necesse est τὸ α et τὸ β converti. Cum enim de solis β γ dicatur τὸ α, attribuatur autem τὸ β et ipsum sibi et τῷ γ, apparet, de quibus dicitur τὸ α, de iis omnibus τὸ β dictum iri ; quin et de ipso α.

11. Rursus cum τὸ α et τὸ β toti γ insunt, convertitur autem τὸ γ cum β, necesse est τὸ α inesse omni β. Cum enim insit omni γ τὸ α et omni β τὸ γ, propterea quod reciprocantur, etiam τὸ α omni β inerit.

10. *Quinta regula* est : quando aliquod prædicatum, puta animal, dicitur de duobus solum subjectis, puta sensitivo et appetitivo, et de nullo alio, si quidem nihil, quod non sit sensitivum vel appetitivum, est animal, si alterum ex his duobus subjectis prædicatur universaliter de altero, eo pacto, quo sensitivum prædicatur universaliter de appetitivo, prædicatum illud convertitur cum tali subjecto, ex. gr., animal convertitur cum sensitivo. Demonstratur ; tum animal converteretur cum sensitivo, cum diceretur de omni et solo sensitivo; sed ex suppositis sequitur, quod animal dicatur de omni et solo sensitivo; ergo, etc. Probatur minor; animal enim ex suppositione dicitur de sensitivo et appetitivo omnibus et solis; sed etiam sensitivum dicitur de sensitivo et de omni appetitivo, ut supponitur; ergo animal prædicatur de omni et solo eo, de quo dicitur sensitivum; ergo prædicatur de omni et solo sensitivo, adeoque convertitur cum sensitivo.

11. *Sexta regula* est : quando duo prædicata, ex. gr., vivens et animal, dicuntur universaliter de aliquo subjecto, ex. gr., de sensitivo, alterum autem prædicatorum convertitur cum tali subjecto, eo pacto, quo animal convertitur cum sensitivo, tum illud prædicatum dicitur etiam universaliter de prædicato, quod convertitur cum subjecto, ex. gr., vivens dicitur universaliter de animali. Demonstratur ; quod enim dicitur universaliter de aliquo, dicitur universaliter de omni eo, de quo dicitur illud; sed ex suppositione vivens dicitur de omni sensitivo, sensitivum vero dicitur de omni animali, siquidem supponitur sensitivum converti cum animali; ergo vivens dicitur de omni animali, et potest fieri syllogismus in Barbara : *omne sensitivum est vivens; omne animal est sensitivum; ergo omne animal est vivens.*

CAPUT XXVIII

DE OPPOSITIS MAGIS AUT MINUS ELIGIBILIBUS

1 Cum autem ex duabus rebus oppositis, puta α et β, τὸ α est optabilius quam τὸ β, et τὸ δ itidem optabilius quam τὸ γ, si optabiliora sunt τὰ α γ quam τὰ β δ, τὸ α est optabilius quam τὸ δ.

2. Æque enim expetendum est τὸ α et fugiendum τὸ β, quippe cum sint opposita. Item æque fugiendum est τὸ γ atque expetendum τὸ δ, quoniam hæc quoque opponuntur. Si igitur τὸ α est æque eligendum ac τὸ δ, etiam τὸ β est æque fugiendum ac τὸ γ; utrumque enim utrique similiter opponitur, fugiendum expetendo. Quare etiam ambo erunt æque fugienda vel eligenda, nempe τὸ α γ æque ac τὸ β δ. Quia vero illa sunt his magis eligenda, non possunt esse æque eligenda; alioquin τὰ β δ essent æque eligenda.

3. Quodsi τὸ δ sit optabilius quam τὸ α, etiam τὸ β erit minus fugiendum quam τὸ γ, quia minus minori opponitur. Optabilius autem est majus bonum et minus malum quam minus bonum et majus malum. Ergo etiam totum τὸ β δ est optabilius quam τὸ α γ. Sed non ita est, τὸ α igitur est optabilius quam τὸ δ. Proinde etiam τὸ γ minus fugiendum quam τὸ β.

4. Si igitur omnis amans secundum amorem eligit τὸ α, nempe ita se habere ut gratificetur et non gratificari quod est ubi γ, potius quam gratificari quod est ubi δ, et non talem esse ut gratificetur quod est ubi β, manifestum est τὸ α, idest esse talem, optabilius esse quam gratificari. Itaque diligi est congressu optabilius secundum amorem.

5. Amor igitur est potius dilectionis quam congressus causa. Quodsi hujus causa est maxime finis hoc est. Ergo congressus aut non est omnino, aut est dilectionis causa. Nam aliae quoque cupiditates et artes ita fiunt. Quomodo igitur termini se habeant secundum conversionem et eligendorum aut fugiendorum comparationem, perspicuum est.

1. Sex regulis traditis de conversione terminorum subdit Aristoteles incidenter septimam regulam de oppositis magis aut minus eligibilibus.

Septima igitur *regula* est : si sint duo opposita, ex. gr., sanitas et ægritudo, quorum primum sit eligibilius secundo, eo pacto, quo sanitas est eligibilior ægritudine; et sint alia duo opposita, ex. gr., divitiæ et paupertas, quorum primum sit eligibilius secundo, eo pacto, quo divitiæ sunt eligibiliores paupertate, tum si complexum ex sanitate et paupertate magis est eligibile, quam complexum ex divitiis et ægritudine, etiam sanitas est magis eligibilis quam divitiæ.

2. Demonstratur; stantibus enim suppositis impossibile est, quod sanitas sit æque aut minus eligibilis quam divitiæ; ergo necesse est, ut sit magis eligibilis. Probatur prima pars antecedentis, quod nimirum stantibus suppositis impossibile est, ut sanitas sit æque eligibilis ac divitiæ. Æque est eligendum unum oppositum, ac est fugiendum alterum oppositum; sed sanitas et ægritudo sunt opposita; ergo æque est eligenda sanitas, ac fugienda ægritudo; sed etiam divitiæ et paupertas sunt opposita; ergo æque eligendæ sunt divitiæ, ac sit fugienda paupertas; ergo si sanitas et divitiæ sunt æqualiter eligendæ, ægritudo et paupertas sunt æqualiter fugiendæ; ergo etiam complexum ex sanitate et paupertate est æque eligendum, ac complexum ex divitiis et ægritudine, cum constent ex partibus æque eligendis ac fugiendis, primum nimirum ex sanitate et paupertate, secundum ex divitiis et ægritudine; hoc autem est contra suppositum; supponitur enim, quod complexum ex sanitate et paupertate sit magis eligibile, quam complexum ex divitiis et ægritudine: ergo stantibus suppositis impossibile est, ut sanitas ac divitiæ sint æque eligibiles.

3. Probatur jam secunda pars antecedentis, quod stantibus suppositis impossibile sit, ut sanitas sit minus eligibilis quam divitiæ. Quod enim opponitur minori bono, est minus malum ac minus fugiendum, quam quod opponitur majori bono; sed si sanitas esset minus bona ac minus eligibilis quam divitiæ, ægritudo opposita sanitati opponeretur minori bono, quam paupertas opposita divitiis; ergo ægritudo esset minus malum, minusque fugiendum quam paupertas; ergo complexum ex sanitate et paupertate constaret ex minori bono ac minus eligendo, et majori malo magisque fugiendo, quam complexum ex divitiis et ægritudine; sed complexum constans ex minori bono et majori malo minus est eligendum, quam complexum constans ex majori bono et minori malo; ergo complexum ex sanitate ac paupertate esset minus bonum ac minus eligendum, quam complexum ex divitiis et ægritudine, quod est contra suppositum; ergo stantibus suppositis impossibile est, ut sanitas sit minus bona ac minus eligenda quam divitiæ; sed etiam demonstratum est, quod est impossibile, ut sanitas sit æque eligenda ac divitiæ; ergo stantibus suppositis sanitas est magis bona ac magis eligenda quam divitiæ, quod erat demonstrandum.

4. Hoc idem, quod nos exemplificavimus in sanitate et ægritudine, et in divitiis ac paupertate, exemplificat Aristoteles in voluntate gratificandi seu benefaciendi, et in opposita voluntate non gratificandi ac non benefaciendi, et in actione gratificandi et actione non gratificandi. Si enim eligibilius est, ut amicus habeat voluntatem benefaciendi, et non benefaciat, quam ut benefaciat, et habeat voluntatem non benefaciendi, eligibilius est, ut amicus habeat voluntatem benefaciendi, quam ut benefaciat; valet enim argumentatio jam facta.

5. Ex dictis infert Aristoteles corollarium, quod si in amicitia, quod est optimum et eligibilius cæteris, est dilectio amici seu voluntas benefaciendi, — quod autem est optimum est finis, — sequitur, quod finis amicitiæ est, diligi ab amico et amicum diligere; sed in omnibus artibus, virtutibus et appetitionibus cætera eliguntur gratia finis; ergo in amicitia non debet eligi amor amici gratia communicationis, sed communicatio gratia amoris. Concludit Aristoteles satis explicatum esse, quo pacto se habeant termini convertibiles, et quid sit magis eligendum aut fugiendum.

CAPUT XXIX

DE INDUCTIONE

1. [23] Nunc vero exponendum est, non solum dialecticos et demonstrativos syllogismos in supra dictis figuris exstrui, sed etiam oratorios et omnino quamcumque fidem et secundum qualemcunque methodum.

2. Rerum enim omnium fidem facimus aut syllogismo aut inductione.

3. Est igitur inductio et syllogismus ex inductione, cum alterum extremum per alterum de medio concluditur, veluti si τῶν α γ medium sit τὸ β, et per γ probetur τὸ α τῷ β inesse; sic enim facimus inductiones. Utputa esto τὸ α longævum; ubi β, vacans bile; ubi γ, unumquodque longævum, ut homo et equus et mulus.

4. Ergo toti γ inest τὸ α: omne enim vacans bile est longævum. Sed et τὸ β, id est vacans bile, inest omni γ. Si igitur convertatur τὸ γ cum β, nec medium excedat, necesse est τὸ α τῷ β inesse,

Postquam Aristoteles egit de argumentationibus fundatis in convertibilitate terminorum, agit de aliis argumentationibus, ac de earum reductione ad syllogismum et præsertim de inductione, exemplo, abductione, instantia, enthymemate, quod est syllogismus ex verosimilibus, ac signis ac demum de syllogismo physiognomico, per quem ex naturalibus signis indagamus naturam et naturales affectiones.

1. *Primo* ergo præmittit, quod cum actum sit de syllogismo in genere ac de ejus virtutibus ac defectibus, superest ut ostendatur, quod non solum syllogismi demonstrativi ac dialectici, sed etiam syllogismi rhetorici ac universim omnes argumentationes ac rationes, quibus utimur in omnibus disciplinis ad faciendam fidem alicujus, vel quomodocumque ad aliquid probandum et persuadendum, fiunt per explicatas figuras et modos, adeoque omnes rationes et argumentationes reduci possunt ad syllogismum.

2. *Secundo*, ut id probet, docet, quod omnis ratio, per quam inducimur ad aliquid credendum est vel inductio vel syllogismus; cæteræ siquidem argumentationes reducuntur ad istas; ergo si probatum fuerit, quod inductio reducitur ad syllogismum, probatum jam erit, quod omnis ratio, per quam inducimur ad aliquid credendum, reducitur ad syllogismum.

3. *Tertio* definit inductionem, et ex definitione ostendit, quod inductio reducitur ad syllogismum, et est syllogismus quidam. Est igitur inductio ratiocinatio, per quam majus extremum probatur de medio per minus extremum, hoc est per singularia et inferiora, quæ continentur sub medio. Explicatur; aliqua animalia, ex. gr., homo, equus, mulus, etc., sunt longæva, hoc est ducunt longam vitam. Ratio, propter quam sunt longæva, est, quia non habent bilem cum excessu, adeoque medium ad probandum, quod equus, mulus, homo sunt animalia longæva est, quia non habent bilem cum excessu; esse longævum est majus extremum; mulus, homo, equus, etc. sunt minus extremum contentum sub medio animalis non habentis bilem cum excessu. Si igitur e converso probetur, omne animal bilem non habens esse longævum per inductionem inferiorum, ex eo, quod equus, homo, mulus, etc., qui non multum habent bilis, sint longæva, jam majus extremum probabitur de medio per minus extremum contentum sub medio; ergo inductio est ratiocinatio, per quam majus extremum probatur de medio per minus extremum

seu per inferiora contenta sub medio.

4. Jam ut hæc inductio sit perfecta, ac necessario concludat ex vi formæ, quod *omne animal bilem non habens est longævum,* necesse est, ut animalia inducta, quæ, cum bilem non habeant, sunt longæva, sint omnia, quæ bilem non habent, adeoque convertantur cum animalibus bilem non habentibus; si enim non sint omnia, sed solum aliqua, non sequitur necessario ex vi formæ : *ergo omnia animalia bilem non habentia sunt longæva;* sed si animalia enumerata convertantur cum non habentibus bilem, eo ipso inductio est reducibilis ad syllogismum in Barbara, quo dicatur : *omne quod est equus vel mulus, etc., est longævum; sed omne animal non habens bilem est vel equus vel mulus, etc.; ergo omne animal non habens bilem est longævum;* ergo inductio si sit perfecta, et necessario concludat ex vi formæ, reducibilis est ad syllogismum.

5. quandoquidem antea ostensum est, cum duo aliqua eidem insunt, et cum altero eorum convertitur extremum, ei quod convertitur, etiam alterum attributum inesse. Intelligere autem oportet τό γ quasi ex omnibus singularibus compositum; nam inductio fit ex omnibus singularibus.

6. Est autem hujuscemodi syllogismus primæ et medio carentis propositionis. Quorum enim est medium, syllogismus fit per medium; quorum autem non est medium, per inductionem.

7. Et quodammodo opponitur inductio syllogismo; hic enim per medium probat extremum de tertio, illa vero per tertium probat extremum de medio.

8. Natura igitur prior et notior est syllogismus, qui fit per medium. Nobis vero est evidentior qui fit per inductionem.

5. Confirmat Aristoteles istam reductionem inductionis positæ ad syllogismum; ex sexta enim regula tradita cap. XXVI, num. 7. quando duo prædicata dicuntur de eodem subjecto, si alterum prædicatorum convertatur cum tali subjecto, de ipso dicitur universaliter aliud prædicatum, sed longævum et carens bile dicuntur universaliter de subjecto coalescente ex homine, equo, mulo ac reliquis singularibus inductis; talia vero singularia sunt convertibilia cum hoc, quod est *habere bilem;* ergo longævum dicitur universaliter de habente bilem, et potest fieri allatus syllogismus in Barbara; ergo inductio perfecta, in qua majus extremum demonstratur de medio per minus extremum convertibile, hoc est per omnia inferiora contenta sub medio, potest reduci ad syllogismum.

6. *Quarto* ex dictis explicat Aristoteles differentiam syllogismi inductivi a syllogismo probativo. Syllogismus inductivus præsertim deservit ad probandas propositiones primas, immediatas et carentes medio. Ex. gr., hæc propositio : *omne animal carens bile est longævum,* est prima et immediata, quia ratio, cur animal sit longævum non est alia, nisi quia caret bile, adeoque non est medium seu alia ratio, cur animal carens bile sit longævum. Cum igitur allata propositio, utpote carens medio, non possit probari per medium, potest solum probari per inductionem seu syllogismum inductivum. E converso syllogismus probativus probat majus extremum de minori extremo per aliquod medium, adeoque non probat propositiones immediatas, sed mediatas; ex. gr., probat hominem esse risibilem per rationale, quod est medium et ratio, propter quam *homo est risibilis.*

7. Ex dictis patet primo, syllogismum inductivum et probativum quodammodo opponi. Syllogismus enim probativus probat majus extremum de minori extremo per medium; syllogismus inductivus probat majus extremum de medio per minus extremum.

8. Patet secundo, quod syllogismus probativus est notior ex natura sua. Cum enim procedat per causam, causa vero ex natura sua sit notior effectu, procedit per notiora natura. E converso syllogismus inductivus est notior quoad nos, quia procedit per singularia, quæ utpote magis sensibilia sunt notiora nobis.

CAPUT XXX

DE EXEMPLO.

1. [24] Exemplum vero est, cum medio extremum inesse ostenditur per simile tertio. Oportet autem ut medium tertio et primum simili inesse notum sit. Verbi causa esto τὸ α malum, τὸ β contra finitimos bellum suscipere; ubi γ, Athenienses contra Thebanos; ubi δ, Thebanos contra Phocenses. Ergo si velimus probare, cum Thebanis bellum gerere malum esse, accipiendum est adversus finitimos bellum gerere esse malum. Hujus autem rei fides est ex similibus, veluti quia Thebanis perniciosum fuit bellum contra Phocenses. Quoniam igitur bellum adversus finitimos malum est, bellum autem contra Thebanos est contra finitimos, perspicuum est, adversus Thebanos bellum gerere malum esse.

Itaque τὸ β τῷ γ et τῷ δ inesse perspicuum est; utrumque enim est finitimis bellum inferre. Item τὸ α inesse τῷ δ, quia Thebanis non profuit bellum contra Phocenses. Verum τό α τῷ β inesse per δ probabitur. Eodem modo fiet, etsi ex pluribus similibus fides fiat, medium esse in extremo.

2. Perspicuum igitur est, exemplum non habere rationem totius ad partem, nec partis ad totum, sed partis ad partem, cum ambo sunt sub eodem contenta, alterum autem altero notius est. Ac differt ab inductione, quoniam illa ex omnibus individuis probabat extremum inesse medio, neque connectebat syllogismum ad extremum; hoc vero et connectit et non ex omnibus probat.

1. Postquam Aristoteles egit de inductione, agit de exemplo, quod est inductio quædam imperfecta. Primo ergo definit exemplum : exemplum est, per quod ostenditur majus extremum inesse medio per aliquid simile tertio seu minori extremo, et sic demum concluditur majus extremum inesse tertio seu minori extremo; ex gr., majus extremum sit malum; medium sit *inferre bellum finitimis;* tertium seu minus extremum sit *Athenienses inferre bellum Thebanis;* quartum huic simile sit *Thebanos intulisse bellum Phocensibus.* Si igitur probandum sit majus extremum de tertio, hoc est, quod *Athenienses inferre bellum Thebanis malum est,* debet majus extremum dici de medio sic : *inferre bellum finitimis malum est; sed Athenienses inferre bellum Thebanis est inferre bellum finitimis; ergo Athenienses inferre bellum Thebanis malum est.* Si rursus sit probandum majus extremum de medio, hoc est, quod *inferre bellum finitimis malum est,* debet assumi aliquid simile minori extremo, hoc est, quod *Thebanos inferre bellum Phocensibus finitimis malum fuit; ergo inferre bellum finitimis malum est.* In toto hoc discursu, quod medium insit tum minori extremo, tum simili patet. Nam sicut *Athenienses inferre bellum Thebanis* est *inferre bellum finitimis,* sic *Thebanos inferre bellum Phocensibus fuit inferre bellum finitimis.* Quod majus extremum insit alicui, quod est simile minori extremo, est similiter manifestum. Nam Thebanos inferre bellum Phocensibus malum fuit. Quod autem majus extremum insit medio, hoc est, quod *inferre bellum finitimis malum sit,* probatur per exemplum simile ex eo, quod Thebanos inferre bellum Phocensibus finitimis malum fuit. Sicut autem majus extremum probatur de medio per unum exemplum, sic posset probari per plura exempla; ex. gr., ad probandum, quod *inferre bellum finitimis malum sit,* possent adduci plura exempla eorum, quibus inferre bellum finitimis malum fuit.

2. Hinc patet differentia exempli a syllogismo et inductione. Syllogismus ex toto procedit ad partem. Ex eo enim, quod aliquid dicatur de omni vel nullo, proceditur ad id affirmandum vel negandum de iis, quæ continentur in omni vel nullo. Inductio ex partibus procedit ad totum. Ex eo enim, quod aliquid dicatur de inferioribus, probatur de universali. Exemplum ab una parte nota procedit ad alteram partem ignotam, cum utraque continetur sub aliqua ratione communi; ex. gr., quia *Thebanos inferre bellum Phocensibus, et Athenienses inferre bellum Thebanis est, inferre bellum finitimis;* notum autem est, quod malum fuit Thebanis inferre bellum Phocensibus, infertur, quod malum est etiam, Athenienses inferre bellum Thebanis. Præterea exemplum differt ab inductione in hoc, quod inductio ex omnibus individuis seu inferioribus ostendit majus extremum de medio, et non descendit ad probandum majus extremum de tertio; at exemplum ex aliquibus solum inferioribus probat majus extremum de medio, ac descendit etiam ad probandum majus extremum de tertio; ex. gr., aliquibus exemplis ostenditur, quod inferre bellum finitimis malum est, et sic concluditur, quod Athenienses inferre bellum Thebanis malum est.

CAPUT XXXI

DE ABDUCTIONE SEU DEDUCTIONE.

1. [25]Abductio vero est, cum primum medio inesse constat, medium autem postremo inesse est quidem ignotum, æque tamen credibile aut etiam magis quam conclusio.

2. Præterea si pauca sint media postremi et medii. Omnino enim accidit ut propius accedamus ad scientiam.

3. Verbi causa esto τὸ α quod doceri potest; ubi β, scientia; τὸ γ justitia. Scientiam igitur posse doceri, perspicuum est; sed an justitia sit scientia, ignotum est. Quare si æque aut magis credibile sit β γ quam α γ, est abductio; propius enim accedimus ad scientiam, quoniam adjunximus conclusioni α γ propositionem β γ, cum scientiam antea non haberemus.

4. Rursus abductio est, si pauca sint media terminorum β γ; nam sic quoque propius acceditur ad cognitionem. Veluti si τὸ δ sit quadrari; ubi ε, figura rectilinea; ubi ζ, circulus. Tum si pronuntiati ε ζ unum tantum sit medium, per lunulas circulum rectilineæ figuræ æqualem fieri, prope cognitionem res est. Cum autem neque credibilior est propositio β γ quam conclusio α γ, neque pauciora sunt media, non voco abductionem. Neque cum pronuntiatum β γ, medio caret; hoc enim est scientia.

1. Abductio est, per quam, licet non acquiramus scientiam conclusionis, appropinquamus tamen tali scientiæ. Hinc patet, quod abductio habet quamdam oppositionem cum inductione, propter quam convenienter Aristoteles postquam egit de inductione et exemplo, agit de abductione. Hæc autem oppositio consistit in hoc, quod inductio probat medium per aliquid ex sua natura posterius ac remotius a scientia; abductio e converso probat conclusionem per aliquid insufficiens quidem ad causandam scientiam, sed ex sua natura prius et propinquius scientiæ.

2. Abductio fit duobus modis. Primus modus est, cum ad conclusionem probandam fit syllogismus constans ex majori per se nota, in qua majus extremum dicitur de medio, et ex minori, in qua medium dicitur de minori extremo, æque vel magis nota quam conclusio. — Secundus modus est, cum ad probandam conclusionem fit syllogismus constans ex majori per se nota, et ex minori per se non nota, sed quæ possit probari per pauciora media quam conclusio. Explicantur isti duo modi exemplis, ex quibus etiam patebit, quo pacto, licet per abductionem non acquiramus scientiam, appropinquamus tamen scientiæ.

3. Exemplum primi modi sit : ad probandum, quod justitia est docibilis, fiat sequens syllogismus : *omnis disciplina est docibilis; justitia est disciplina; ergo justitia est docibilis.* Major, quod omnis disciplina est docibilis, est per se nota et manifesta; si minor, quod justitia est disciplina, licet non sit per se nota, adhuc sit credibilior vel æque credibilis ac conclusio, facta erit abductio, per quam, licet non habeamus scientiam conclusionis, sumus tamen propinquiores scientiæ. Ratio est, quia propinquior est scientiæ, qui ad probandam conclusionem habet omnia media, quæ habebat ante, et aliquod aliud; sed facta hac deductione, habebimus scientiam conclusionis, et per media, per quæ directe probatur, quod justitia est docibilis, et per media, per quæ probatur, quod justitia est disciplina, adeoque habemus plura media quam ante; ergo facta hac deductione propinquiores sumus scientiæ.

4. Exemplum secundi modi sit : ad probandum, quod circulus potest quadrari, fiat sequens syllogismus : *omnis figura rectilinea potest quadrari; sed omnis circulus potest ostendi æqualis alicui figuræ rectilineæ; ergo omnis circulus potest quadrari.* Major est manifesta; minor ex se est æque ignota ac conclusio; si tamen minor, quod *omnis circulus possit ostendi æqualis alicui figuræ rectilineæ*, demonstretur per unicum medium Hippocratis Chii ex quadratura lunulæ, talis syllogismus erit abductio, quia licet per illum non demonstremus conclusionem, propinquiores sumus demonstrationi, cum ad minorem demonstrandam pauciora media requirantur, quam ad demonstrandam conclusionem. Ratio, qua Hippocrates Chius conatus est demonstrare quadraturam circuli videri potest lib. I, Physicorum tex. 11, c. II.

5. Expositis duobus modis, quibus potest fieri abductio, explicat Aristoteles, quandonam syllogismus non sit abductivus. Docet, quodsi ad probandam conclusionem assumatur minor, quæ neque sit credibilior, neque æque credibilis, neque sit probabilis per pauciora media quam conclusio, non est abductio, cum per talem syllogismum non appropinquemus scientiæ. Rursus si assumatur minor per se nota et immediata, cum etiam major supponatur per se nota et immediata, talis syllogismus non erit abductio, sed demonstratio. Ratio est, quia syllogismus probans conclusionem ex utraque præmissa per se nota et immediata, eo ipso causat scientiam et facit scire; ergo non est abductio, quæ juxta definitionem allatam num. 1, est syllogismus non faciens scire, sed solum faciens, ut appropinquemus scientiæ.

CAPUT XXXII

DE INSTANTIA SIVE OBJECTIONE.

1. [26] Objectio autem est propositio propositioni contraria. Differt autem a propositione, quoniam objectio potest esse etiam in parte, pro-

positio vero aut omnino non potest, aut saltem non in universalibus syllogismis.

2. Objicitur autem bifariam et in duabus figuris, bifariam quidem, quia omnis objectio vel est universalis vel in parte, in duabus autem figuris, quoniam afferuntur objectiones oppositæ propositioni ; opposita vero in prima et tertia tantum figura concluduntur. Nam cum quis omni inesse sibi concedi postulaverit, objicimus vel quod nulli inest vel quod cuidam non inest. Ex his autem illud, nulli inesse, ex prima figura ducitur ; hoc, cuidam non inesse, ex postrema. Utputa esto τὸ α unam esse scientiam ; ubi β, contraria. Ergo cum quis proposuerit, unam esse contrariorum scientiam, objicitur vel quod omnino non est eadem scientia oppositorum, contraria vero sunt opposita, adeo ut fiat prima figura ; vel quod noti et ignoti non est una scientia. Atque hæc est tertia figura. Nam de γ, id est de noto et ignoto, vere dicitur ea esse contraria ; sed unam esse eorum scientiam falsum est. Rursus itidem fit in privativa propositione. Postulante enim aliquo sibi concedi, non esse unam scientiam contrariorum, vel dicimus oppositorum esse eamdem vel quorumdam contrariorum, ut salubris et morbidi. Omnium igitur esse unam objicitur ex prima figura, quorumdam ex tertia.

3 Simpliciter enim in omnibus disputationibus necesse est, ut is qui universaliter objicit, ad id quod universale est propositorum contradictionem jungat. Utputa postulante aliquo sibi concedi, non eamdem esse scientiam contrariorum omnium, dicat oppositorum esse unam scientiam. Sic autem necesse est esse primam figuram ; medium enim fit quod est universale ad id quod propositum fuit ab initio. Qui autem in parte objicit, necesse est ut contradictionem ei jungat ad quod subjectum propositionis sit universale, veluti noti et ignoti non eamdem esse scientiam; contraria namque sunt universalia ad hæc, fitque tertia figura, quippe cum medium sit quod in parte accipitur, veluti notum et ignotum.

4. Ex quibus enim licet concludere contrarium, ex his etiam objectiones dicere conamur. Idcirco ex his solis figuris afferimus objectiones: in his enim solis oppositi syllogismi exstruuntur, quandoquidem in secunda non licebat concludere affirmative.

1. Instantia seu objectio est propositio propositioni contraria vel contradictoria. Ex. gr., si quis assumat, quod *omnium contrariorum est eadem disciplina*, instantia est, si objiciatur, *imo nullorum vel saltem aliquorum contrariorum non est eadem disciplina.* Instantia differt a propositione, contra quam affertur, in hoc, quod propositio debet esse universalis, saltem in syllogismis universalibus ; at instantia potest esse tum universalis, tum particularis. Ratio est, quia instantia est propositio allata ad destruendam propositionem universalem, ex qua conficitur syllogismus ; sed propositio universalis destruitur tum per universalem contrariam, tum per particularem contradictoriam ; ex. gr., hæc propositio : *omnium contrariorum est eadem disciplina,* destruitur tum per hanc universalem : *nullorum contrariorum est eadem disciplina,* tum per hanc particularem : *aliquorum contrariorum non est eadem disciplina ;* ergo instantia potest esse tum universalis, tum particularis.

2. Hinc infertur, quod instantia potest afferi duobus modis, et potest naturaliter concludi per duas figuras, per primam nimirum et tertiam. Ratio, cur possit afferri duobus modis est, quia tot modis potest afferri instantia, quot modis potest everti propositio universalis assumpta in syllogismo ; sed propositio universalis potest everti duobus modis, hoc est vel per universalem contrariam vel per particularem contradictoriam ; ergo instantia potest afferri duobus modis, hoc est tum per universalem contrariam, tum per particularem contradictoriam. Ratio, cur possit naturaliter probari per primam et tertiam figuram est, quia instantia universalis connaturaliter probatur per primam figuram, instantia particularis connaturaliter probatur per tertiam ; ex. gr., si quis dicat, quod *omnium contrariorum est eadem disciplina,* et instetur per instantiam universalem dicendo : *imo nullorum contrariorum est eadem disciplina,* talis instantia universalis connaturaliter probabitur per primam figuram sic : *nullorum oppositorum est eadem disciplina; omnia contraria sunt opposita ; ergo nullorum contrariorum est eadem disciplina.* E converso instantia particularis, quod *aliquorum contrariorum* non *est eadem disciplina,* probabitur per tertiam figuram sic : *noti et ignoti non est eadem disciplina ; sed notum et ignotum sunt contraria ; ergo aliquorum contrariorum non est eadem disciplina.* Similiter si quis afferat contra hanc propositionem negativam : *nullorum contrariorum est eadem disciplina,* instantiam universalem et dicat : *imo omnium contrariorum est eadem disciplina* probabit illam per primam figuram et per Barbara sic : *omnium oppositorum est eadem disciplina ; * sed omnia contraria sunt opposita ; ergo omnium contrariorum est eadem disciplina* : instantiam vero particularem, quod *aliquorum contrariorum sit eadem disciplina.*

probabit per tertiam figuram sic : *sani et agroti est eadem disciplina ; sed sanum et ægrotum sunt contraria ; ergo aliquorum contrariorum est eadem disciplina.* Patet igitur, quod connaturaliter instantia universalis probatur per primam figuram, instantia particularis per tertiam.

3. Ad probandam igitur instantiam universalem debet quæri medium superius subjecto propositionis ; ex. gr., ad probandum, quod *nullorum contrariorum est eadem disciplina,* debet sumi pro medio aliquid universalius contrariis, nimirum oppositum, et sic fieri syllogismus in prima figura : *nullorum oppositorum est eadem disciplina ; sed omnia contraria sunt opposita ; ergo* etc.. Ad probandum vero instantiam particularem, ex gr., quod *aliquorum contrariorum non est eadem disciplina,* debet sumi medium inferius subjecto, ex. gr., *notum et ignotum,* quæ continentur sub contrariis, et fieri syllogismus in tertia figura sic : *noti et ignoti non est eadem disciplina ; sed notum et ignotum sunt contraria ; ergo contrariorum aliquorum non est eadem disciplina.*

4. Confirmat Aristoteles doctrinam positam, quod instantiæ connaturaliter probentur per primam et tertiam figuram. Cum enim instantiæ sint propositiones oppositæ aliis propositionibus, per illas figuras debent probari, per quas probari possunt propositiones oppositæ; sed propositiones oppositæ probari possunt solum per primam et tertiam figuram, non vero per secundam ; ergo etc. — Probatur minor ; quia ex propositionibus oppositis altera est affirmativa, altera negativa ; sed secunda figura probat solum propositiones negativas, non autem affirmativas ; prima et tertia figura concludunt tum affirmative, tum negative ; ergo etc.

5. Præterea etiamsi esset, tamen prolixiori oratione indigeret objectio allata in secunda figura, utputa si quis non concedat τὸ α τῷ β inesse, quia τὸ γ non sit ei consequens.

6. Hoc enim per alias propositiones manifestum est. Non oportet autem objectionem ad alia converti, sed continuo perspicuam habere alteram propositionem.

7. Ideoque signum ex hac sola figura non est.

8. Considerandæ autem sunt etiam aliæ objectiones, veluti quæ sumuntur ex contrario et simili et eo quod est secundum opinionem. Item considerandum est, an objectio particularis ex prima figura vel negativa ex media possit accipi.

5. Potest contra hoc opponi, quia saltem per secundam figuram probari potest instantia negativa ad evertendam propositionem affirmativam ; ex. gr., si hæc affirmativa : *omnium contrariorum est eadem disciplina,* instetur per hanc negativam : *imo nullorum contrariorum est eadem disciplina,* hæc instantia probari poterit in secunda figura sic : *eadem disciplina non est oppositorum ; sed contraria sunt opposita ; ergo contrariorum non est eadem disciplina.*

6. Respondet Aristoteles, quod instantia debet ita afferri, ut ex se sit manifesta; at instantia allata in secunda figura non est ex se manifesta, sed indiget conversione alicujus præmissæ, per quam fiat evidens, ergo non convenienter affertur instantia per secundam figuram. E converso per tertiam figuram convenienter affertur; quia syllogismus expositorius tertiæ figuræ ex se manifeste concludit ; ex. gr., ex se manifeste concludit hic syllogismus : *noti et ignoti non est eadem disciplina ; sed hæc, nimirum notum et ignotum sunt contraria ; ergo aliquorum contrariorum non est eadem disciplina.*

7. Ex eo, quod Aristoteles dixerit secundam figuram non concludere affirmative, infert, quod syllogismus a signo, licet fiat per primam et tertiam figuram, nunquam fit per secundam, quia est affirmativus, ut dicetur cap, XXXIV et num. 3.

8. Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto afferantur instantiæ ex se evidentes, breviter insinuat, quæ supersint examinanda circa alias instantias non evidentes, sed mere probabiles. Examinandum nimirum superest, quo pacto afferantur instantiæ ex contrario, ex simili, ex auctoritate sive aliorum opinione, etc. Instantia a contrario esset, si contra dicentem, quod *omne gaudium est bonum,* opponatur : *non omnis tristitia est mala ; ergo non omne gaudium est bonum* Instantia a simili esset, si contra dicentem, quod *punctum est pars lineæ,* opponatur : *linea non est pars superficiei ; ergo punctum non est pars lineæ.* Instantia ab auctoritate sive opinione communi esset, si contra dicentem, quod *anima rationalis est mortalis,* opponatur communis opinio docens, quod *anima rationalis est immortalis.* Examinandum præterea, utrum instantia particularis non solum possit afferri in tertia figura, sed etiam in prima, et utrum instantia negativa ex se non manifesta, possit afferri in secunda figura.

Sed de his agendum est in libris Topicorum.

CAPUT XXXIII

DE VERISIMILI ET SIGNO.

1. [27] Verisimile autem et signum non sunt idem. Sed verisimile est propositio probabilis. Quod enim plerumque sciunt ita fieri vel non fieri, aut esse aut non esse, hoc est verisimile, ut invidentes odisse aut amantes diligere.

2. Signum autem nihil aliud esse videtur quam propositio demonstrativa, aut necessaria aut probabilis. Nam quo extante res extat, vel quo facto prius aut posterius res facta est, hoc est signum indicans rem factam esse aut extare.

Postquam Aristoteles egit de inductione, exemplo, abductione et instantia, agit demum de enthymemate, et quia in definitione enthymematis debet uti verisimili ac signo, ne quidquam relinquat inexplicatum ex iis, quibus usurus est, præmittit definitionem verisimilis ac signi.

1. Licet verisimile ac signum habeant quamdam convenientiam inter se, adhuc non sunt omnino idem. Verisimile igitur est propositio probabilis secundum se præcise considerata; et quia probabile est, quod plerumque contingit, ideo verisimile est propositio, per quam affirmamus faciendum id, quod scimus plerumque fieri; non faciendum id, quod scimus plerumque non fieri; esse, quod scimus plerumque esse; non esse, quod scimus plerumque non esse; ex. gr., est verisimile, quod invidentes oderint eos, quibus invident, et quod amantes diligant et velint bona iis, quos amant, quia plerumque solet ita contingere.

2. Signum e converso est propositio necessaria aut probabilis, non secundum se præcise considerata, sed in quantum demonstrat atque indicat aliquid aliud. Tria videntur esse genera signorum : comitantia nimirum, consequentia et antecedentia. Signa comitantia sunt, quæ non possunt esse, quin aliud sit; ex. gr., talis pulsus est signum comitans febris, quia non potest dari talis pulsus, quin simul detur febris; partus est signum consequens conceptionis, quia impossibile est, ut pariat, quæ ante non concepit; pulsus moribundi est signum antecedens mortis paullo post secuturæ, quia est impossibile, ut detur talis pulsus, quin ægrotus paullo post moriatur.

Infertur, verisimile et signum se habere sicut excedens et excessum. Nam neque omnia verisimilia sunt signa, cum quædam verisimilia non indicent aliud; neque omnia signa sunt verisimila, cum dentur etiam signa non mere probabilia, sed evidentia.

CAPUT XXXIV

DE ENTHYMEMATE.

1. Enthymema igitur est syllogismus ex verisimilibus vel signis.

2. Accipitur autem signum tribus modis, quot et medium in figuris. Vel enim ut in prima figura, vel ut in secunda, vel ut in tertia. Utputa probare mulierem uterum ferre quia lac habet ex prima figura est; medium enim est habere lac. Esto, ubi α, uterum ferre; τὸ β habere lac; mulier autem, ubi γ. At sapientes esse viros probos, quia Pittacus sit probus, per ultimam figuram concluditur. Sit, ubi α, probum; ubi β, sapientes; ubi γ, Pittacus. Verum est igitur et τὸ α et τὸ β τῷ γ attribuere; sed alterum non dicunt, quia norunt, alterum accipiunt. Mulierem autem uterum gestare, quia sit pallida, ad mediam figuram referri debet. Cum enim uterum gestantibus consequens sit pallor, et huic quoque consequens sit, probatum esse putant, eam uterum gestare. Esto pallidum, ubi α; gestare uterum, ubi β; mulier, ubi γ. Si igitur una propositio dicta fuerit, fit tantum signum. Quodsi et altera sit assumpta, fit syllogismus. Utputa Pittacum esse liberalem, quoniam ambitiosi sunt liberales, Pittacus autem est ambitiosus. Rursus sapientes esse viros bonos, quia Pittacus est vir bonus, sed et sapiens.

Præmissa definitione verisimilis ac signi, agit Aristoteles de enthymemate; ac primo tradit definitionem enthymematis; secundo distinguit tria genera signorum, ex quibus fiunt enthymemata in tribus figuris; tertio comparat invicem enthymemata seu syllogismos ex signis trium figurarum; quarto demum distinguit tecmyrion seu indicium infallibile ab aliis signis fallibilibus.

1. *Quoad primum :* enthymema est syllogismus imperfectus ex verisimilibus ac signis. Autores satis communiter dicunt, enthymema esse syllogismum imperfectum, quia reticet alteram ex præmissis. Verum Julius Pacius in Commentario hujus loci, cap. XXVII, ostendit, non requiri ad enthymema, ut omittat alteram ex præmissis, sed omnem syllogismum

constantem ex verisimilibus ac signis, seu reticeat alteram præmissam seu exprimat utramque, juxta doctrinam Aristotelis esse enthymema ; imo putat illam particulam *imperfectus*, quæ ponitur in definitione, esse additam textui, nec inveniri in emendatioribus codicibus manuscriptis. Enthymema igitur est syllogismus ex verisimilibus ac signis, sive exprimat utramque præmissam, sive alteram omittat, et per hoc differt ab exemplo et inductione, quæ non procedunt ex verisimilibus ac signis.

2. *Quoad secundum* : sicut triplex est medium juxta naturam trium figurarum, sic triplex est signum. Medium connaturale pro prima figura est, quod vere est medium, ita ut sit minus universale majori extremo, et magis universale minori extremo, vel cum illo convertibile, ideoque connaturaliter in majori subjicitur, in minori prædicatur. Medium pro secunda figura est, quod est magis universale utroque extremo; ideoque in utraque præmissa prædicatur. Medium pro tertia figura est, quod est minus universale utroque extremo, ideoque in utraque præmissa subjicitur. Proportionaliter signum aliud est minus universale majori extremo, et minus universale vel convertibile cum minori, et per hoc fit enthymema primæ figuræ; ex gr., habere lac, est signum, quod mulier conceperit, quia est minus universale quam concepisse. Licet enim omnis mulier, quæ habet lac, conceperit, non tamen omnis, quæ concepit, statim habet lac, sed incipit habere lac aliquo tempore post conceptionem. Rursus, habere lac, est signum magis universale, quam mulier, quia licet omnis, quæ lac habet, sit mulier, non tamen omnis mulier habet lac. Ex hoc igitur signo potest fieri syllogismus in prima figura sic : *omnis mulier, quæ lac habet, concepit; sed hæc mulier habet lac ; ergo concepit.* Aliud signum est minus universale utroque extremo; ex. gr., signum, quod sapientes sint probi est Pittacus, qui est probus et sapiens; utrumque vero extremum, hoc est probus et sapiens, magis late patet, quam Pittacus. Ex hoc signo fit enthxmema tertiæ figuræ : *Pittacus est probus; Pittacus est sapiens; ergo sapientes sunt probi.* Demum aliud signum est magis universale utroque extremo ; ex. gr., esse pallidam in muliere est signum, quod sit prægnans, quia omnes prægnantes sunt pallidæ, non omnes pallidæ sunt prægnantes, ideo ex pallore probatur in secunda figura, quod mulier sit prægnans sic : *omnes prægnantes sunt pallidæ ; hæc est pallida ; ergo hæe est prægnans.* Signum igitur est unica propositio, syllogismus duplex; ex. gr., hæc propositio : *hæc mulier habet lac*, est signum, quod conceperit ; at vero istæ duæ propositiones : *quæ habet lac concepit ; hæc habet lac*, non sunt signum, sed sunt syllogismus ex signo, adeoque sunt enthymema. Similiter syllogismi ex signo sunt : *ambitiosi sunt liberales ; Pittacus est ambitiosus; ergo est liberalis. Pittacus est bonus, Pittacus est sapiens; ergo sapientes sunt boni.* Signum vero, quod *Pittacus est liberalis*, est, quia est ambitiosus ; signum, quod *sapientes sunt boni* est quia Pittacus est bonus. Patet igitur, quid sit signum, et quomodo fiat syllogismus ex signo.

3. Sic igitur fiunt syllogismi. Verum qui fit in prima figura, est insolubilis, si verus sit ; universalis enim est. Qui vero fit in postrema, solvi potest, etiamsi conclusio vera sit, quia syllogismus non est universalis, nec ad rem. Non enim si Pittacus est vir probus, necesse est propterea etiam alios sapientes esse probos. Qui vero fit in media figura, semper et omnino solvi potest; nunquam enim fit syllogismus, cum termini ita se habent. Non enim si uterum ferens est pallida, atque hæc est pallida, continuo necesse est hanc uterum ferre. Verum igitur inerit in omnibus figuris, sed habent eas differentias, quæ dictæ sunt.

4. Aut igitur sic dividendum est signum ; ex his autem tecmerium sive indicium accipi debet, quod est medium ; indicium enim ajunt esse quod scire facit; medium vero maxime tale est. Aut quæ ex extremis sumuntur, signa vocari debent, quod vero ex medio, indicium ; nam maxime probabile et maxime verum est quod per primam figuram probat.

3. *Quoad tertium*, comparat Aristoteles inter se enthymemata seu syllogismos ex signis trium figurarum. Syllogismus ex signis in prima figura, si constat ex præmissis veris, adeoque non peccat in materia, concludit ex necessitate, quia nititur *dicto de omni* et majori universali ; ex. gr., hic syllogismus : *omnis mulier, quæ habet lac, concepit; hæc mulier habet lac; ergo hæc mulier concepit*, — est insolubilis et concludit ex necessitate, cum nitatur *dicto de omni.* Syllogismus ex signis in tertia figura, licet præmissæ sint veræ, est solubilis, et non concludit ex necessitate, quia non nititur *dicto de*

omni; ex. gr., ex his præmissis : *Pittacus est bonus; Pittacus est sapiens,* non sequitur ex necessitate : *ergo sapientes sunt boni,* sed solum sequitur, quod *aliquis sapiens, hoc est ipse Pittacus est bonus;* quod vero aliquis sapiens distinctus a Pittaco sit bonus, non sequitur ex necessitate, ideo licet syllogismus ex signis in tertia figura aliquid probet, non probat intentum, cum intentum positi syllogismi sit, quod alii sapientes præter Pittacum sint boni, quod dicto syllogismo non probatur. Demum syllogismus ex signis in secunda figura est semper et omnino solubilis, cum nihil omnino concludat. Nam in secunda figura ex puris affirmativis nihil sequitur ex necessitate, ideoque in fine cap. XXXII, dictum est, quod in sesunda figura non potest fieri syllogismus ex signis; ex. gr., ex his præmissis : *omnes prægnantes sunt pallidæ; hæc est pallida,* — nihil sequitur ex necessitate, sed ad summum sequitur probabiliter, quod *hæc sit prægnans.* Licet igitur in omnibus tribus figuris fieri possit syllogismus ex signis probabiliter inferens aliquid verum, tamen hæc est differentia, quod in prima figura conclusio sequitur insolubiliter et ex necessitate; in tertia sequitur aliquid ex necessitate, sed intentum sequitur solum solubiliter et non necessario; in secunda nihil omnino sequitur ex necessitate, ratione formæ.

4. *Quoad quartum* addit Aristoteles, quod vel sic dividenda sunt signa, ut explicatum est, et dicendum, quod signum primæ figuræ est tecmyrion sive judicium infallibile, adeoque faciens scire; vel dicendum, quod sola fallibilia proprie sunt signa, infallibile vero non tam est signum quam tecmyrion seu judicium et argumentum infallibile, cujusmodi est, per quod fit syllogismus in prima figura.

CAPUT XXXV

DE SYLLOGISMO PHYSIOGNOMICO EX SIGNIS NATURALIBUS.

1. Natura autem conjici potest, si quis concedat naturales affectiones simul immutare corpus et animam; fortasse enim qui musicam didicit, mutatus est animo ; at ex iis quæ natura nobis insunt, non est hæc affectio, sed aliæ potius, ut iræ et cupiditates, quæ in naturalibus motionibus numerantur.

2. Si igitur hoc concessum fuerit, et unum unius affectionis signum esse,

3. et accipere possimus propriam cujusque generis affectionem et signum, certe poterimus naturam conjicere.

Postquam Aristoteles egit in genere de syllogismo ex signis ac de ipsis signis, ut magis explicet doctrinam traditam, agit specialiter de signis naturarum seu naturalium affectionum, ac de syllogismo physiognomico, per quem nimirum ex signis ostendimus naturas et naturales affectiones. Primo ergo examinat, an possimus per syllogismum physiognomicum ex signis conjicere naturas et naturales affectiones, ac ponit principia, in quibus fundatur Physiognomica, hoc est ars conjiciendi naturas et naturales affectiones ; secundo docet, quo pacto possimus suppositis talibus principiis invenire signa naturarum ac naturalium affectionum, et ex iis per syllogismum physiognomicum indagare naturas; tertio demum explicat, in qua præsertim figura construatur syllogismus physiognomicus.

1. *Quoad primum :* sicut in aliis disciplinis supponi debent quædam principia, quibus negatis corruit illa disciplina, sic in Physiognomica supponenda sunt quædam principia, quibus negatis corruit Physiognomica, et impossibile est ex signis conjicere naturas et naturales affectiones.

Primum principium supponendum est, quod affectiones seu passiones naturales, quæ sunt propriæ totius compositi, immutant atque alterant animam simul et corpus. Patet inductione et experientia. Quando enim irascimur, timemus, etc., alteramur etiam secundum corpus. Et quia posset objici, quod cum quis addiscit musicam, mutatur secundum animam, et non secundum corpus, respondet Aristoteles, quod musica non est affectio naturalis compositi, sed affectio propria animæ, ideoque non est ex affectionibus, de quibus agimus.

2. Secundum principium est : unius affectionis est unum determinatum signum in omnibus. Patet inductione; nam signa iræ, timoris, tristitiæ, in omnibus sunt eadem.

3. Tertium suppositum est, quod possimus in variis generibus seu speciebus specialissimis animalium deprehendere propriam naturalem affectionem et ejus signum. Patet inductione; de facto enim deprehendimus, et nisi hoc admittatur, impossibilis est Physiognomica.

4. Nam si alicui generi individuo inest propria affectio, ut leonibus fortitudo, necesse est esse etiam aliquod signum; invicem enim compati suppositum est. Atque hoc esto magnas extremitates habere; quod contingit aliis quoque generibus non totis inesse. Signum enim ita proprium est, quoniam affectio est propria totius generis, non propria solius, quemadmodum loqui soliti sumus. Idem igitur inerit etiam in alio genere; et homo erit fortis, et aliud quodpiam animal. Habebit igitur illud signum, quoniam unum erat unius affectionis signum. Si igitur hæc sunt, et poterimus hujusmodi signa colligere in his animalibus, quæ unam tantum affectionem propriam habent (unaquæque autem affectio suum habet signum, quandoquidem unum signum habere necesse est), poterimus naturam conjectare.

5. Sin totum genus duas habeat proprietates, ut leo fortidudinem et liberalitatem, quomodo cognoscemus, utrum ex signis illis proprie consequentibus sit utrius affectionis signum?

6. An si cuidam alii non toti ambo insint, et in quibus non totis utrumque inest, cum unum habet, alterum non item? Nam si est fortis non liberalis, habet autem hoc ex duobus signis, apparet etiam in leone hoc esse signum fortitudinis.

4. *Quoad secundum:* suppositis his principiis possumus naturas et naturales affectiones conjicere. Unumquodque enim genus seu species specialissima animalium habet aliquam naturalem affectionem, ejusque signum corporeum et sensibile (siquidem juxta primum suppositum affectionibus animæ correspondet aliqua passio in corpore, et proinde potest esse signum sensibile affectionis, quæ est in anima). Ex. gr., leo habet in anima fortitudinem et animositatem, cui correspondet in corpore hoc, quod est *habere magnas extremitates*. Rursus possumus utrumque deprehendere juxta tertium suppositum, quod nimirum et leo sit fortis, et quod signum fortitudinis in eo sit *habere magnas extremitates*. Præterea multæ ex talibus affectionibus ita sunt propriæ alicujus speciei specialissimæ animalium, ut conveniant quidem omni, sed non soli; ex. gr., ita proprium leonis est *esse fortem*, ut non solus leo, sed etiam aliqui homines et aliqui equi sint fortes et animosi; sed unius affectionis unum est signum juxta secundum suppositum; ergo homines et equi, qui conveniunt cum leone in fortitudine, conveniant etiam in signo corporeo habendi magnas extremitates; ergo jam ex hoc signo *habendi magnas extremitates*, possumus per syllogismum physiognomicum conjicere, quod isti homines, et equi sunt fortes, dicendo : *qui magnas habent extremitates sunt fortes et animosi, ut patet in leonibus; sed isti homines et equi magnas habent extremitates ; ergo*, etc.

5. Sed licet, quando una species animalium habet unicam affectionem et unicum signum, facile possumus deprehendere, quodnam sit signum talis affectionis; adhuc cum una species animalium habet plures affectiones et plura earum signa, difficilius est deprehendere, quodnam sit signum uniuscujusque affectionis, adeoque tunc difficilius est invenire principium indagandi tales affectiones. Ex, gr., leo habet duas affectiones, fortitudinem nimirum et liberalitatem quamdam, per quam communicat prædam; et habet in corpore duo signa proportionalia, nimirum magnas extremitates et frontem latam. Quo pacto ergo deprehendemus, quodnam ex his duobus signis correspondeat uni affectioni, quodnam correspondeat alteri?

6. Respondet Aristoteles, quod in casu posito ad inveniendum, quodnam signum correspondeat cuique affectioni, considerandum est in aliis animalibus, in quibus invenitur una affectio sine alia, adeoque unum signum sine alio, quodnam signum comitetur talem affectionem ; illud enim erit talis affectionis signum. Ex. gr., quia videmus, quod homines, qui conveniunt cum leone in fortitudine et non in liberalitate, conveniunt etiam in hoc, quod habent magnas extremitates, non autem in hoc, quod habeant frontem latam, possumus arguere, quod *habere magnas extremitates* in leone est signum fortitudinis, non autem liberalitatis. Quia rursus videmus, quod homines, qui conveniunt cum leone in liberalitate, non in fortitudine, conveniunt in signo habendi frontem latam, non autem in signo habendi magnas extremitates, possumus arguere, quod etiam in leone frons lata est signum liberalitatis, non fortitudiuis.

7. Est autem naturæ conjectio in prima figura, eo quod medium reciprocatur cum primo extremo, et superat tertium, neque cum eo reciprocatur. Utputa esto fortitudo τὸ α; magnæ extremitates, ubi β; τὸ γ autem leo. Igitur cui τὸ γ inest, ei τὸ β omni, sed et aliis inest. Cui autem inest τὸ β, ei τὸ α inest omni, nec pluribus, sed convertitur ; alioquin non erit unum unius affectionis signum.

7. *Quoad tertium :* syllogismus per si-

gnum physiognomicum construitur in prima figura. Ratio est, quia cum medium est convertibile cum majori extremo, et transcendit minus extremum, sive est universalius illo, tum syllogismus construitur in prima figura; sed signum affectionis, quod est medium ad illam probandam, est convertibile cum affectione, quæ est majus extremum; idem vero signum, sicut et affectio, est quid universalius subjecto, cum non conveniat soli; ergo syllogismus per signum physiognomicum construitur in prima figura. Explicatur exemplo. Probanda sit de leone, ut de subjecto, fortitudo, per signum, quod est *habere magnas extremitates,* — construetur sequens syllogismus : *omne animal habens magnas extremitates naturaliter est forte; sed leo habet magnas extremitates;* ergo, etc. *Esse animal forte, et habere magnas extremitates,* sunt convertibilia; nam affectio animæ habet suum signum in corpore, juxta primum suppositum; et unius affectionis unum est signum, juxta secundum suppositum; ergo nec potest dari in anima fortitudo sine signo habendi magnas extremitates, nec hoc signum sine fortitudine. At tum affectio fortitudinis, tum signum habendi magnas extremitates latius patent, quam leo, qui est minus extremum, quandoquidem affectio dicta et ejus signum invenitur etiam in aliquibus hominibus et equis. Et per hæc Aristoteles concludit duos libros de Priori Resolutione.



IN DUOS LIBROS
POSTERIORUM ANALYTICORUM

HOC EST

RESOLUTORIORUM

PROŒMIUM

DE SUBJECTO HORUM LIBRORUM ET IPSORUM SYNOPSIS

1. Inscribuntur hi libri *Resolutoriorum Posteriorum*, seu *de Posteriori Resolutione.* Quid sit resolutio tum prior, tum posterior, explicatum est in prooemio Priorum, num. 2 et 3., atque ibidem num. 4. dictum est, quod subjectum commune quatuor librorum de Priori et Posteriori Resolutione est demonstratio seu syllogismus resolutorius; subjectum particulare librorum de Priori Resolutione est syllogismus resolutorius abstrahendo a materia; subjectum particulare librorum de Posteriori Resolutione est syllogismus resolutorius, ut applicatus materiæ necessariæ ac certæ, seu demonstratio resolutoria; numero vero 5, explicatum est etiam, quid sit syllogismus resolutorius ac demonstratio resolutoria, quæ est subjectum horum librorum. His igitur indicatis per brevem synopsim ponenda est ob oculos doctrina horum librorum.

2. *Libro* I, Aristoteles agit de ipsa demonstratione; libro II, agit de principiis ac medio demonstrationis. — Possunt hi libri dividi in decem partes, quarum septem continentur in lib. I, tres in II. — *Libro primo* in prima parte, quæ continetur cap. I, agit de existentia ac necessitate demonstrationis; in secunda, quæ continetur cap. II, agit de definitione demonstrationis; in tertia, quæ continetur cap. IV, agit de materia demonstrationis ac de divisione, qua demonstratio ratione materiæ dividitur in demonstrationem *quia,* et demonstrationem *propter quid;* in quarta, quæ continetur cap. XIV, agit de forma demonstrationis; in quinta, quæ continetur cap. XV, agit de antidemonstratione seu de syllogismo causante errorem oppositum scientiæ; in sexta quæ continetur capp. XVI ac XVII, ostendit, in demonstrationibus non procedi in infinitum; in septima demum comparat inter se varias demonstrationes, scientias et habitus, et per hæc concludit librum primum.

3. *Libro secundo* agit de principiis ac medio demonstrationis. Et quia medium demonstrationis est *quid* seu definitio, et *propter quid,* primo per quinque prima capita agit de quidditate et definitione; secundo, a cap. VI usque ad X, agit de *propter quid* explicante cæteras causas; tertio demum, cap. XI, et ultimo, agit de principiis complexis, et explicat quo pacto per inductionem colligantur prima principia.

LIBER I

CAPUT I

DE EXISTENTIA AC NECESSITATE DEMONSTRATIONIS, ET DE PRÆCOGNITIS.

1. Omnis doctrina et omnis disciplina dianoetica fit ex antecedente cognitione. Hoc autem perspicuum erit, si omnes considerentur; nam et mathematicæ scientiæ hoc modo comparautur, et cæterarum artium unaquæque. Similiter autem se res habet et in rationibus, tam quæ syllogismis fiunt quam quæ inductione; ambæ namque ex præcognitis docent, illæ quidem accipientes quasi ab intelligentibus, hæ vero probantes universale ex eo quod particulare est manifestum. Eodem modo etiam oratoriæ rationes persuadent; aut enim persuadent exemplis, quæ sunt inductiones, aut enthymematibus, quæ sunt syllogismi.

Scientiæ circa suum objectum primo debent statuere, *quod est;* secundo debent explicare, *quid sit;* tertio ex essentia ac definitione subjecti, tanquam ex medio, procedere debent ad ipsius proprietates et attributa demonstranda. Aristoteles igitur in libris Posteriorum, in quibus ita agit de demonstratione resolutaria, tanquam de subjecto, ut circa ipsam demonstrationem exsequatur præcepta demonstrandi, quæ tradit, ipso statim initio ostendit, demonstrationem esse; ideoque primo probat, quod scientia acquiritur per demonstrationem, atque adeo, quod si datur scientia, ut patet experientia, datur etiam demonstratio, quæ est ita necessaria ad scientiam, ut scientia sine demonstratione non possit acquiri. Secundo, quia demonstratio continet aut præsupponit quasdam præcognitiones, ex quibus acquiritur scientia conclusionis, explicat, quot sint genera præcognitionum, et quæ debeant præcognosci circa subjectum, prædicatum et principia conclusionis demonstrandæ. Tertio ostendit, quod per demonstrationem aliquo modo præcognoscitur ipsa conclusio demonstranda, et ex hoc solvit quamdam objectionem Platonis.

1. *Primo* ergo, quod scientia acquiratur per demonstrationem, adeoque quod demonstratio detur et sit necessaria ad scientiam, probat Aristoteles hac ratiocinatione, quæ saltem virtualiter continetur in textu. Omnis doctrina et omnis disciplina intellectiva, per quam nobis manifestatur aliquid, quod ex se non est notum, fit ex præexistente cognitione; sed scientia est quædam doctrina ac disciplina intellectiva, per quam aliquid ex se non notum nobis manifestatur; — est quidem doctrina, in quantum tradi potest docendo; est disciplina, in quantum acquiri potest discendo. Ergo scientia fit ex præexistente cognitione; sed hæc præcedens cognitio est demonstratio, cum demonstratio ex ipsa nominis etymologia sit, per quam aliquid ex se non notum fit notum, et sic quodammodo demonstratur intellectui et ponitur ob oculos mentis. Ergo scientia fit et acquiritur per demonstrationem, adeoque demonstratio est necessaria ad acquirendam scientiam. Majorem primi syllogismi, quod nimirum omnis doctrina et disciplina intellectiva fiat ex præexistente cognitione, probat Aristoteles inductione, tum in Mathematicis, tum in Dialecticis, tum in Rhetoricis. In Mathematicis doctrina certa et evidens problematum ac theorematum per se non notorum fit et causatur ex præexistente cognitione principiorum et axiomatum, quæ præsupponuntur, ita ut impossibile sit, ut discens perveniat ad evidentem cognitionem problematum ac theorematum, nisi prius habeat cognitionem suppositorum. In Dialecticis probabilis cognitio quorumdam problematum causatur ex quibusdam suppositis, quæ probabilia videntur disputanti, ex quibus deinde proceditur ad probandum intentum per syllogismum vel inductionem. In Rhetoricis demum persuadere conatur orator quod intendit, ex quibusdam præsuppositis, ex quibus infert conclusionem intentam per enthymema, quod est

syllogismus imperfectus, aut per exemplum, quod est inductio imperfecta; ergo universim omnis doctrina tum certa et evidens ac scientifica, ut Mathematica; tum probabilis, ut Dialectica; tum mere persuasiva, ut Rhetorica, fit et causatur ex præexistente cognitione.

2. Dupliciter autem necesse est prænoscere. Nam alias quod sit præsumere necesse est; alias quid sit quod dicitur, intelligere oportet; alias utrumque.

3. Utputa illud, vere quodvis aut affirmari aut negari, quod sit, præsumi debet trianguli vero hanc esse significationem; unitatem autem utroque modo prænoscere oportet, id est et quid significet et quod sit, quia non similiter horum unumquodque est nobis manifestum.

4. Licet autem ut quis notum faciat quædam prius notificans, quorumdam autem simul accipiens cognitionem, ut eorum quæ continentur sub universalibus, quorum habet cognitionem. Nam omnem triangulum habere angulos æquales duobus rectis prænovit; hunc vero qui est in semicirculo, esse triangulum, simul ac induxit notum fecit. Quædam enim hoc modo discuntur, neque extremum per medium notificatur nempe quæcumque singularia sunt nec de ullo subjecto dicuntur.

2. *Quoad secundum :* tria debent præcognosci ad acquirendam scientiam vel qualemcumque cognitionem conclusionis, subjectum nimirum conclusionis, quod in demonstratione perfecta et potissima est subjectum alicujus passionis seu proprietatis; prædicatum conclusionis, quod in demonstratione potissima est passio seu proprietas talis subjecti; et principium, per quod manifestatur conclusio. De his tribus præcognoscendis possunt haberi duo genera præcognitionum. Primum genus est, per quod præcognoscitur, *quod est ;* secundum, per quod præcognoscitur, *quid sit,* definitione nominali vel reali.

Hoc posito, de quibusdam debet solum præcognosci *quod est;* de quibusdam solum *quid sit,* seu quid significet nomen; de quibusdam utrumque. De principiis seu præmissis demonstrationis debet præcognosci solum *quod est.* Ratio est, quia principium est quid complexum, ex. gr. : *non potest idem esse et non esse;* sed de complexis non potest præcognosci *quid sint,* sed solum *an sint* vel *non sint,* sive an sint vera vel falsa ; ergo de principio solum præcognoscitur an sit. Minor probatur, quia ea solum possunt cognosci de aliquo, quæ possunt de ipso quæri; sed de complexis non potest convenienter quæri *quid sint,* sed solum *an sint ;* ex. gr., potest quidem quæri : *estne possibile idem esse ac non esse?* non autem potest quæri; *quid est, possibile idem esse ac non esse ?* et si forte quæratur : *quid est, posse idem esse ac non esse?* tum hoc totum *posse idem esse ac non esse* non habet rationem propositionis complexæ, sed solum habet rationem termini, ex quo propositio componitur ; ergo etc.

De prædicato conclusionis seu de passione debet solum præcognosci *quid sit,* seu quid nomen significet, non autem *quod sit.* Debet quidem præcognosci, quid nomen significet; vana enim est demonstratio de voce, cujus significatum ignoratur. At non debet præcognosci *quod est ;* prædicato enim seu passioni idem est *esse* ac *subjecto inesse ;* sed de prædicato non debet præcognosci, quod inest subjecto; ergo de prædicato neque debet præcognosci *quod est.* Probatur minor; quod enim est demonstrandum de prædicato, non debet de ipso præcognosci ante demonstrationem, sed est demonstrandum, quod prædicatum inest ac convenit subjecto ; ergo non debet ante demonstrationem præcognosci, quod prædicatum inest subjecto.

De subjecto demum conclusionis debet saltem in demonstratione perfecta ac potissima præcognosci, tum *quod est,* tum, *quid est.* Debet quidem præcognosci *quid est,* seu quid significat nomen, quia alioquin vana esset quæstio ac demonstratio de illo; debet præcognosci *quod est,* seu quod est ens reale, quia non entis nullæ possunt demonstrari passiones, cum non ens nullas habeat passiones.

3. Hujus doctrinæ exempla ponit Aristoteles more suo ex Mathematicis. Quia enim primum subjectum Mathematicæ, de quo cætera possunt demonstrari, cum ipsum non possit demonstrari de alio subjecto, est unitas, ideo de unitate debet præcognosci *quod est,* et *quid est.* Quia prima passio quantitatis est figura, et prima figura rectilinea est triangularis, ideo in demonstratione, qua hoc ipsum demonstratur de figura triangulari, debet solum præcognosci *quid est,* non autem *quod est.* Quia demum principium omnium primum est, quod *non potest idem esse et non esse ;* ideo de hoc principio ad omnem demonstrationem debet præcognosci *quod est,* seu quod est verum. Idem dicendum proportionaliter de aliis subjectis, prædi-

catis et principiis demonstrationum.

4. Addit Aristoteles, quod licet de principio præcognosci debeat *quod est*, hoc est, de præmissis præcognosci debeat, quod veræ sunt, non tamen semper hæc præcognitio de veritate utriusque præmissæ præcedit tempore cognitionem de veritate conclusionis, sed potest contingere, ut aliquando major præcognoscatur prius tempore, veritas vero minoris cognoscatur simul tempore cum veritate conclusionis, ita ut conclusionem præcedat solum prioritate naturæ seu causalitatis. Si enim aliquis ex. gr., jam sciat cujuscumque trianguli tres angulos esse æquales duobus rectis, sed nondum videat triangulum descriptum in posito semicirculo, statim ac videt talem triangulum, cognoscit de ipso, quod habet tres angulos æquales duobus rectis. Sicut vero immediate per sensum cognoscimus triangulum in semicirculo, sic multas alias veritates immediate cognoscimus ex terminis sine medio, ex quo illas per discursum inferamus.

5. At priusquam induxerit aut acceperit syllogismum, aliquo modo fortasse fatendum est eum scire, alio modo non item. Quod enim simpliciter nesciebat an esset, quomodo illud habere tres angulos æquales duobus rectis simpliciter sciret? Sed manifestum est eum ita scire, quia universale scit, simpliciter autem nescire.

6, Sin minus, ea dubitatio accidet, quæ est in Menone, quoniam aut nihil discet aut quæ novit. Non enim ita dicendum est, ut quidam solvere conantur. Scisne omnem numerum binarium esse parem, an nescis? Illo autem se scire dicente proferebant binarium quemdam, quem ille non putabat esse, proinde nec putabat esse parem.

7. Solvunt enim dicentes, non omnem binarium se scire parem esse, sed eum quem sciunt esse binarium.

8. Atqui sciunt id cujus demonstrationem habent et cujus demonstrationem acceperunt; acceperunt autem non omnis quem scirent esse triangulum aut numerum, sed simpliciter de omni numero aut triangulo. Nulla enim propositio accipitur talis, quem tu scis esse numerum, aut quod tu scis esse rectilineum, sed de omni.

9. Verum nihil (puto) prohibet, quod quis discit, eum aliquo modo scire, aliquo modo ignorare; non enim absurdum est, si quodammodo novit quod discit, sed si ita novit veluti qua discit et quomodo discit.

5. *Quoad tertium:* ex dictis Aristoteles infert conclusionem demonstrandam, antequam demonstretur, aliquo pacto sciri, aliquo pacto nesciri; sciri nimirum cognitione quadam universali, confusa et virtuali; nesciri autem cognitione particulari, distincta et actuali. Ex. gr., qui scit, omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, antequam videat triangulum in semicirculo, de tali triangulo scit universaliter et confuse, quod habet tres angulos æquales duobus rectis, at non scit particulariter et distincte; cum vero videt triangulum in semicirculo, tum de illo cognoscit cognitione etiam actuali ac distincta, quod habet tres angulos æquales duobus rectis. Accidit igitur aliquid proportionale in generatione scientiæ, ac in generatione rerum. Sicut enim cum animal generatur ex semine, ante generationem in semine præexistebat, non actu, sed virtute animal generandum; sic cum scientia generatur ex demonstratione, quæ est veluti semen scientiæ, ante demonstrationem conclusio sciebatur non actu et in particulari, sed virtute et in universali.

6. Hinc Aristoteles solvit argumentum Platonis in dialogo, qui inscribitur *Meno*, ad probandum, quod scientiæ non addiscantur per disciplinam, quia si addiscerentur, disceretur id, quod ante sciebatur. Adducit Socrates apud Platonem quemdam omnino imperitum geometriæ, qui interrogatus ordinate de quibusdam principiis, ac mox de pluribus conclusionibus, quæ ex talibus principiis inferuntur, ad omnes interrogationes bene respondet. Hoc posito Plato sic argumentatur. Qui interrogatur de eo, quod nescit, non potest bene respondere; hic homo bene respondet; ergo ante omnem interrogationem et instructionem scit principia et conclusiones geometricas; ergo non de novo geometriam addiscit, alioquin disceret id, quod ante sciebat.

7. Respondent aliqui, quod in principiis universalibus conclusio nullo modo est scita. Qui enim ex. gr., scit, quod omnis dualitas est par, scit de omni dualitate, quam scit esse dualitatem; de dualitate vero, quam nescit esse dualitatem, nescit etiam esse parem; sed antequam subsumat minorem, et videat dualitatem, quam aliquis manu tegebat, nescit hanc esse dualitatem; ergo nescit illam esse parem; ergo discit quod ante omnino nesciebat.

8. Hæc responsio rejicitur ab Aristotele. Cum enim aliquis cognoscit, omnem dualitatem esse parem, cognoscit paritatem de omni, de qua demonstravit; sed demonstratio ex eo, quod *omnis numerus*

divisibilis bifariam est par; omnis dualitas est divisibilis bifariam; ergo est par, — probat de omni omnino dualitate, non vero cum restrictione ad dualitatem, quæ cognoscitur esse dualitas; ergo de omni omnino dualitate præcognoscebat, quod est par. Confirmat, quia nemo propositionibus universalibus addit illam restrictionem, qua dicat : *omnis dualitas, quam cognosco esse dualitatem, est par; omnis homo, quem cognosco esse hominem, est animal rationale,* — sed profert tales propositiones simpliciter et sine restrictione; ergo non est addenda talis restrictio.

9. Respondet igitur Aristoteles, quod hic interrogatus de principiis bene respondet, non quia ante sciverit principia, sed quia principia sunt per se nota; interrogatus vero de conclusionibus bene respondet, quia sciebat illas virtualiter in principiis, ac per demonstrationem a scientia virtuali procedat ad scientiam actualem conclusionis; sicut dum animal generatur ex semine, ex esse virtuali procedit ad esse actuale. Addiscit ergo quæ sciebat aliquo modo, hoc est virtualiter, et addiscendo fit sciens actu, quod non repugnat.

CAPUT II. ART. I

QUID SIT SCIENTIA, QUID SIT DEMONSTRATIO ET QUÆ CONDITIONES AD DEMONSTRATIONEM REQUIRANTUR

1. [2] Scire autem putamus unamquamque rem simpliciter, non sophistico modo, id est ex accidenti, cum putamus causam cognoscere, propter quam res est, ejus causam esse, nec posse eam aliter se habere. Constat igitur tale quidpiam esse ipsum scire. Nam et qui nesciunt et qui sciunt, illi quidem putant se ita habere, hi vero qui sciunt, etiam habent. Quapropter id cujus simpliciter est scientia, non potest aliter se habere.

2. An igitur sit etiam alius sciendi modus, postea dicemus;

3. sed scire dicimus etiam per demonstrationem cognoscere. Demonstrationem autem voco syllogismum scientialem. Scientialem appello secundum quem, eo quod ipsum habemus, scimus

Postquam Aristoteles ostendit demonstrationem esse, procedit ad explicandum *quid sit.* Et quia non potest satis intelligi, quid sit id, quod ordinatur ad aliquem finem, nisi intelligatur, quid sit talis finis; demonstratio autem habet pro fine scientiam, — primo præmittit definitionem scientiæ; secundo ex definitione scientiæ infert definitionem, qua demonstratio definitur per causam finalem; tertio ex definitione per causam finalem, infert aliam definitionem demonstrationis per causam materialem, quæ definitio explicat, ex qualibus præmissis constare debeat demonstratio. Definitio enim per causam finalem, quæ est causa extrinseca, est ratio definitionis per causam materialem et formalem, quæ sunt causæ intrinsecæ, et est medium probans talem definitionem. Ex. gr., ex eo, quod serra sit instrumentum aptum ad secandum, quæ est definitio serræ per causam finalem, infertur, quod serra est ferrum dentatum, quæ est definitio per causam materialem et formalem. Quarto demum Aristoteles explicat conditiones demonstrationis positas in definitione.

1. *Quoad primum :* scire simpliciter et non solum sophistico modo, quod est scire solum per accidens, est cognoscere causam, propter quam res est, et quod illius causa est, et quod non contingit aliter se habere. Tres igitur conditiones requiruntur ad scientiam; prima est, ut cognoscatur causa rei; secunda, ut cognoscatur, quod est causa; tertia, ut cognoscatur, quod res propter talem causam aliter se habere non potest. Requiritur primo, ut cognoscatur causa, quia nemo putat se scire id, cujus causam ignorat; ex. gr., nemo putat se scire eclypsim, dum nescit ejus causam. Requiritur secundo, ut cognoscatur, quod est causa rei. Qui enim cognoscit quidem causam, sed adhuc non deprehendit, quod hæc est causa rei, non putat se assecutum scientiam actualem rei; ex. gr., qui cognoscit terram interponi inter solem et lunam, sed adhuc non advertit, quod luna cum, careat lumine proprio, propter interpositionem terræ privatur lumine, quod accipit a sole, adhuc non putat se assecutum scientiam actualem eclypsis. Tertio demum requiritur, ut cognoscatur, quod res aliter se habere non potest, quia dubitans, an res possit aliter se habere, adhuc non putat se scire, cum sit incertus. Hinc desumpta est communis definitio, qua scientia dicitur : *cognitio certa et evidens rei per causam necessariam et immediatam.* Cognitio enim est certa per hoc, quod videat rem aliter se habere non posse; et dum cognoscit rem per causam, cogno-

scit causam, et quod est causa rei. Quod autem hoc sit scire, adeoque bona sit allata definitio, probat Aristoteles, quia qui nesciunt aliquid, sed putant se illud scire, putant se habere talem cognitionem, qualem explicavimus; et rursus, qui vere sciunt, putant se habere talem cognitionem et vere habent; ergo hoc intelligunt nomine scientiæ, tum qui vere habent scientiam, tum qui falso putant se habere scientiam; ergo vere hoc intelligitur nomine scientiæ. Definitio enim est ratio, quam significat nomen, ut dicitur IV Metaph., text. 28.

2. Hinc Aristoteles infert, objectum scientiæ non posse aliter se habere. An vero præter hanc scientiam perfectam et per causam, detur alia scientia minus perfecta et per effectum, explicabitur inferius. Perfecta enim scientia est, quam diximus; scientia vero, quam quærunt Sophistæ, non per proprias causas rerum, est scientia solum per accidens. Sicut enim res non potest esse, nisi dependenter a causis, ita non potest sciri, nisi per causas.

3. *Quoad secundum :* quia scientia est finis demonstrationis, ex definitione scientiæ infert Aristoteles definitionem demonstrationis, definientem illam per causam finalem. Cum enim scire sit per demonstrationem intelligere, sequitur, quod demonstratio sit syllogismus scientialis seu faciens scire. Est autem syllogismus scientialis, quem cum habemus, eo ipso scimus id, quod per talem syllogismum concludimus et probamus.

4. Si igitur scire est, ut posuimus, necesse est etiam demonstrativam scientiam ex veris esse et primis et immediatis et notioribus et prioribus et causis conclusionis.

5. Sic enim erunt etiam principia propria eius quod demonstratur. Nam syllogismus quidem erit etiam sine his; demonstratio vero non erit, quia non efficiet scientiam.

6. Vera igitur esse oportet, quia quod non est, sciri nequit, veluti diametrum habere communem cum latere mensuram,

7. Ex primis autem indemonstrabilibus ; nam alioqui nesciret, non habens eorum demonstrationem, quia scire ea quorum est demonstratio, non ex accidente, nihil aliud est quam habere demonstrationem.

8. Causas vero et notiora esse oportet et priora ; causas quidem, quia tunc scimus, cum causam cognoscimus : et priora, quia sunt causæ; et præcognita non solum altero modo, quia intelligatur quid significent, sed etiam quia cognoscatur ea vera esse.

9. Priora autem et notiora sunt duobus modis. Non enim idem est prius natura et prius quod ad nos, neque notius natura et notius nobis. Quod ad nos, priora et notiora appello ea quæ sunt propinquiora sensui ; simpliciter autem priora et notiora, quæ longius absunt. Ac longius quidem absunt quæ sunt maxime universalia, proxima vero sunt singularia. Atque hæc sibi invicem opponuntur. Ex primis autem est quod est ex principiis propriis. Idem enim voco primum et principium.

4. *Quoad tertium :* ex hac definitione per causam finalem infert Aristoteles aliam definitionem per causam materialem, qua definitione explicatur ex qualibus propositionibus tanquam ex partibus materialibus constet demonstratio. Est igitur demonstratio, syllogismus constans ex propositionibus veris, primis et immediatis; notioribus, prioribus et causis conclusionis; et quia unicuique effectui adaptantur propriæ causæ et proportionata principia, ideo demonstratio est syllogismus constans etiam ex propriis principiis conclusionis.

5. Probat Aristoteles hanc secundam definitionem ex prima definitione per causam finalem. Demonstratio enim est syllogismus faciens scire, seu causans scientiam conclusionis; sed nullus syllogismus potest causare scientiam conclusionis, nisi constet ex propositionibus veris, etc.; ergo demonstratio debet esse syllogismus constans ex propositionibus veris, etc., adeoque ratiocinatio non habens dictas conditiones, poterit quidem esse syllogismus, sed non poterit esse demonstratio. Minor probatur discurrendo per singulas conditiones, quod erat *quarto loco* propositum num. 1.

6. Primo, syllogismus demonstrativus debet constare ex præmissis veris. Probatur, quia debet causare scientiam conclusionis; sed scientia non potest haberi, nisi de vero, cum falsum sciri non possit; ex. gr., nemo potest scire diametrum quadrati esse commensurabilem costæ, cum hoc sit falsum; ergo per demonstrationem debet sciri conclusio vera ; sed verum non potest sciri nisi ex veris, ut dicetur infra cap. VI, n. 5, ergo, etc.

7. Secundo, demonstratio debet constare ex propositionibus primis sive immediatis et indemonstrabilibus, vel quæ reducantur ad propositiones immediatas et indemonstrabiles. Ratio est, quia propositiones demonstrabiles sciri non possunt scientia per se et perfecta, nisi per

demonstrationem, licet possint sciri per accidens et imperfecte sine demonstratione; sed non potest haberi perfecta scientia de conclusione, nisi habeatur perfecta scientia de præmissis; ergo præmissæ vel debent esse indemonstrabiles, vel si sunt demonstrabiles, debent esse scitæ, adeoque demonstratæ, perveniendo ad propositiones indemonstrabiles, immediatas et primas.

8. Tertio demum præmissæ, ex quibus constat demonstratio, debent esse notiores, priores et causæ conclusionis. Debent esse causæ, quia conclusio sciri non potest, nisi per causam; et quia causa est naturaliter prior et notior effectu, debent etiam esse priores et notiores conclusione, adeoque debent præcognosci, non solum quoad significationem nominum et terminorum, ex quibus constant, sed etiam quoad veritatem; et quia in unoquoque genere primum est principium et causa cæterorum, ideo eo ipso, quod demonstratio constat ex primis, constat ex propriis principiis conclusionis.

9. Jam prius et notius dicitur dupliciter. Quædam enim sunt priora et notiora secundum naturam; quædam sunt priora et notiora quoad nos. Priora et notiora secundum naturam sunt, quæ sunt aliorum causæ, ac proinde majorem habent entitatem, adeoque cognoscibilitatem, quæ proportionatur entitati. Priora et notiora quoad nos sunt, quæ propinquiora sunt sensibus, ideoque prius et magis a nobis cognoscuntur. Et quia perfectiora et universaliora sunt remotiora a sensibus, imperfectiora vero et singularia sensibilia sunt propinquiora sensibus; ideo priora et notiora natura, et priora ac notiora nobis, habent quamdam oppositionem, per quam priora et notiora natura, posterius et minus nobis innotescunt, et e converso. Cum igitur dicitur, quod demonstratio constare debet ex prioribus et notioribus, sensus est, quod præmissæ debent esse priores et notiores secundum naturam, et non solum quoad nos.

CAPUT II. ART. II

QUID ET QUOTUPLEX SIT PRINCIPIUM, ET QUOMODO PRINCIPIA SINT NOTIORA CONCLUSIONIBUS.

10. Principium autem demonstrationis est propositio immediata. Immediata vero est, qua non est alia prior.

11. Propositio autem est enuntiationis altera pars, unum de uno, dialectica quidem, quæ utrumvis æque sumit, demonstrativa vero, quæ definite sumit alterum esse verum. Enuntiatio est contradictionis utravis pars. Contradictio est oppositio medio carens per se. Partium contradictionis ea quæ significat aliquid de aliquo, est affirmatio; quæ aliquid ab aliquo, negatio.

Quia Aristoteles dixit, demonstrationem constare ex propositionibus primis et immediatis, tanquam ex principiis, progreditur ad explicandum, quid et quotuplex sit principium seu propositio immediata; et quia non potest intelligi, quid sit propositio immediata, nisi intelligatur, quid sit propositio *ut sic*, explicat, quid sit propositio *ut sic*, et quomodo propositio dialectica differat a demonstrativa. Quia rursus propositio est species enuntiationis, definit enuntiationem, tum affirmativam tum negativam; et quia in definitione enuntiationis ponitur contradictio, explicat, quid sit contradictio, ac deinde describit varia genera principiorum, quæ genera sunt : dignitas, petitio, suppositio ac definitio. Demum probat, principia esse notiora conclusione.

10. Principia igitur demonstrationis sunt propositiones immediatæ. Propositiones immediatæ sunt, quæ carent medio, ita ut prædicatum conveniat subjecto ratione ipsius subjecti et non propter aliquid aliud, quod sit medium et ratio, cur prædicatum conveniat subjecto; ex. gr., propositio, per quam prima passio prædicatur de definitione, qualis est hæc : *omne animal rationale est admirativum*, est immediata, quia *esse admirativum* convenit animali rationali, non propter aliam rationem, nisi quia est animal rationale. Quia vero propositio carens medio non potest demonstrari per ullum medium, adeoque nec per propositionem priorem, ideo propositio immediata est, qua nulla alia est prior; si enim haberet priorem, posset per illam demonstrari, adeoque esset mediata.

11. Propositio immediata est species propositionis *ut sic*, quæ dividitur in dialecticam et demonstrativam; propositio vero *ut sic* est species seu pars subjectiva enuntiationis. Propositionem *ut sic* definit Aristoteles dicens, quod *est altera enuntiationis pars, unum de uno complectens*. Enuntiationem definit dicens, quod *est contradictionis utraque pars*. Quod enuntiatio sit utraque pars contradictionis, idem significat, ac quod sit oratio affirmativa aut negativa unius de altero. Cum

enim contradictio sit affirmatio ac negatio, eo ipso, quod enuntiatio complectitur tum affirmationem tum negationem, est utraque pars contradictionis. Quod vero propositio sit altera pars contradictionis, unum de uno complectens, idem significat ac quod propositio sit altera species seu pars subjectiva enuntiationis, eo quod sit præmissa syllogismi, affirmans aut negans unum prædicatum de uno subjecto.

Propositio dividitur in dialecticam et demonstrativam. Propositio dialectica est, *per quam indifferenter sumitur utralibet pars contradictionis.* Cum enim ad dialecticam propositionem non requiratur, ut sit vera, sed solum ut sit probabilis, possit autem utraque pars contradictionis esse probabilis, ad propositionem dialecticam nihil refert, utra pars contradictionis sumatur. Propositio demonstrativa est, *in qua determinate sumitur una tantum pars contradictionis.* Cum enim propositio demonstrativa debeat esse vera, unica vero pars contradictionis possit esse vera, debet sumere unicam partem contradictionis. Aureolus acutius explicat has Aristotelicas definitiones ac dicit, propositionem dialecticam sumere quodammodo utramque partem contradictionis, quia ita affirmat veritatem unius partis, ut suspicetur de veritate oppositæ; propositionem vero demonstrativam, utpote certam, sumere unicam partem contradictionis cum totali exclusione alterius. Contradictio est *oppositio, cujus nullum est medium,* eo quod contradictoria neque possint simul poni, neque possint simul tolli, neque simul falsificari, neque simul verificari. Affirmatio, quæ est una pars contradictionis, est, *qua unum de altero affirmatur;* negatio est, *qua unum de altero negatur.*

12. Ex immediatis autem principiis syllogisticis thesim seu positionem appello eam quam non licet demonstrare, nec necesse est eum habere, qui discere aliquid velit. Eam vero quam necesse est eum habere, qui discere quidvis debeat, voco axioma. Sunt enim quædam eiusmodi; et potissimum in his appellandis soliti sumus hoc nomine uti. Ex positionibus vero ea quæ utramvis contradictionis partem accipit, veluti esse aliquid aut non esse aliquid, est hypothesis sive suppositio; at quæ hoc vacat, definitio appellatur. Definitio namque est quidem thesis; ponit enim arithemeticus unitatem id esse quod est individuum secundum quantitatem; non tamen est hypothesis, nam quid sit unitas et esse unitatem, non idem est.

12. Principia dividuntur primo in positiones et dignitates. Positio est *propositio immediata, quam non necesse est præhabere naturaliter eum, qui doctrinam aliquam addiscit, sed sufficit, ut eam accipiat a docente.* Dignitas sive axioma e converso est *propositio immediata, quam necesse est naturaliter præhabere eum, qui doctrinam addiscit.* Ex. gr., *non potest idem esse et non esse, omne totum est majus sua parte,* etc., sunt dignitates sive axiomata, quia sunt propositiones immediatæ, quas homines naturaliter habent, antequam ab alio discant. At vero, quod *omnes anguli recti sint æquales,* est positio, quia non omnes id advertunt, licet cum ponitur a mathematicis, cognoscant esse verum. Idem dic de innumeris aliis. Positio dividitur in suppositionem ac definitionem. Suppositio est *positio affirmans aut negans prædicatum de subjecto;* ex. gr., *omnes anguli recti sunt æquales.* Definitio est *positio non continens talem affirmationem ac negationem,* ex. gr., *unitas, cujus pars nulla est.*

13. Quia vero ob id credere et scire rem oportet, quod talis habetur syllogismus, quem vocamus demonstrationem, hic autem est eo quod hæc sunt ex quibus syllogismus constat, propterea necesse est non solum prænoscere prima aut omnia aut quædam, sed etiam magis. Semper enim id magis tale est, propter quod unumquodque est tale, ut puta id magis dilectum est, propter quod diligimus. Quocirca si propter prima scimus et credimus, illa quoque scimus et credimus magis, quia per illa scimus et credimus etiam posteriora. Fieri autem nequit, ut magis quam ea quæ novit, credat aliquis quæ neque scit, neque melius affectus est quam si sciret. Hoc tamen accidet, nisi per demonstrationem credens prænoverit, quia necesse est majorem fidem habere principiis aut omnibus aut quibusdam quam conclusioni. Non solum autem oportet eum, qui habiturus est scientiam per demonstrationem, magis principia cognoscere et magis eis credere quam rei demonstratæ; sed neque aliud ei credibilius esse neque notius quam principiis opposita, ex quibus erit syllogismus contrariæ deceptionis, siquidem opus est, ut qui simpliciter scit, labi et errare nequeat.

13. His explicatis dupliciter probat Aristoteles principia non solum esse priora, sed etiam notiora conclusionibus scitis ac demonstratis. Prima ratio est: propter quod unumquodque tale et illud magis; sed demonstrans cognoscit ac credit conclusionem esse veram, quia principia sunt vera; ergo magis cognoscit ac credit ipsa principia esse vera; sicut qui

diligit medium, quia diligit finem, magis diligit ipsum finem. Hinc vero infertur, quod qui scit conclusionem, non solum magis credit, sed etiam magis scit principia, vel saltem circa principia est melius dispositus, quam si ipsa sciret. Repugnat enim, quod aliquis magis credat ac magis cognoscat id, quod nescit, quam id quod scit; sed si sciens conclusionem non sciret principia, neque esset circa principia melius dispositus, quam si sciret, magis crederet et magis cognosceret principia, quæ nescit, quam conclusiones, quas scit; ergo vel scit principia, vel est circa principia dispositus melius, quam per habitum scientiæ, hoc est per habitum intellectus. Concludit Aristoteles, quod non solum requiritur, ut principia sint notiora conclusionibus, sed etiam requiritur, ut sciens nihil oppositum principiis, et ex quo per legitimam consequentiam inferatur falsitas principiorum, magis credat, quam principia. Ratio est, quia sciens debet esse immobilis ab eo, quod scit; sed si aliquid contrarium principiis magis crederet quam principia, posset dimoveri ab assensu principiorum; ergo, etc.

CAPUT III

DE POSSIBILITATE SCIENTIÆ SINE PROCESSU IN INFINITUM IN DEMONSTRATIONIBUS, ET SINE DEMONSTRATIONE CIRCULARI.

1. [3] Quibusdam igitur, quoniam oportet prima scire, non videtur scientia esse; aliis videtur, quidem esse, sed omnium esse demonstrationes. Quorum neutrum est verum aut necessarium. Nam qui supponunt non esse omnino scire, hi censent in infinitum deduci, utpote cum non cognoscantur posteriora per priora, quorum non sunt prima, recte dicentes, quoniam impossibile est infinita percurrere. Si vero statur et sunt principia, hæc esse ignota, cum demonstratio eorum non sit; quod quidem solum ajunt esse scire. Quodsi non licet prima cognoscere, ne illa quidem quæ ex his efficiuntur, sciri posse simpliciter et proprie, sed sub conditione si illa sunt.

2. Alii vero, quod ad ipsum scire, consentiunt; tantum enim per demonstrationem esse. Verum quominus omnium sit demonstratio, nihil vetare; posse enim circulo fieri demonstrationem et omnia ex se invicem probari.

1. Quia veritas destruit errores contrarios, Aristoteles determinata veritate circa existentiam demonstrationis ac scientiæ, destruit duos errores contrarios circa demonstrationem ac scientiam. Primus error est eorum, qui dixerunt non posse dari scientiam simpliciter. Fundamentum est, quia conclusiones non possunt sciri, nisi sciantur principia; sed principia non possunt sciri; ergo nec conclusiones; ergo nulla dari potest scientia. Probatur minor; principia enim sciri non possunt, nisi demonstrentur ex aliis principiis, cum scire sit per demonstrationem cognoscere; sed de illis principiis redit difficultas; ergo vel procedendum est in infinitum in demonstrationibus, vel sistendum est in aliquibus principiis, quorum non habeatur ulterior demonstratio; sed utrumlibet dicatur, non datur scientia. Si enim sistitur in principiis, quorum non habeatur ulterior demonstratio, talia principia non sciuntur; ergo nec per ipsa sciuntur conclusiones; si proceditur in infinitum, sicut impossibile est pertransire infinitum, sic impossibile est obtinere scientiam; ergo non datur scientia simpliciter, sed ad summum datur scientia ex suppositione, qua cognoscitur conclusiones esse veras, si vera sunt principia; sed cum ignoretur, an principia sint vera, ignoratur etiam, an veræ sint conclusiones.

2. Secundus error est eorum, qui convenientes cum primis in hoc, quod nihil potest sciri nisi per demonstrationem, ut defenderent, dari scientiam, recurrerunt ad demonstrationes circulares, ac dixerunt perveniri ad principia, quæ per se mutuo demonstrentur.

3. Nos vero dicimus nec omnem scientiam esse demonstrativam, sed ea quæ medio vacant, sciri sine demonstratione. Atque hoc necessarium esse constat; nam si necesse est ut sciantur priora et ea ex quibus demonstratio constat, et consistitur tandem in iis quæ medio carent, certe necesse est hæc esse indemonstrabilia. Hæc igitur ita dicimus; nec solum esse scientiam, sed etiam principium quoddam scientiæ, quo terminos cognoscimus.

4. Circulo autem non posse demonstrari simpliciter manifestum est, siquidem ex prioribus oportet demonstrationem constare ac notioribus. Fieri enim nequit, ut eadem iisdem simul priora et posteriora sint, nisi diverso modo, veluti alia quod ad nos, alia simpliciter, quomodo inductio notum facit. Quodsi ita est, non est recte definitum scire simpliciter, sed est duplex; aut non simpliciter est altera demonstratio, quæ scilicet fit ex notioribus nobis.

5. Accidit autem iis qui asserunt circulo demonstrationem esse, non solum quod nunc dictum est, sed etiam ut nihil aliud dicant quam hoc esse, si hoc sit; sic autem facile est omnia demonstrare. Constat autem hoc accidere tribus

terminis positis. Nihil enim refert, utrum quis per multos an per paucos demonstrationem reflecti dicat, nec utrum per paucos an per duos. Quotiescumque enim, cum est τὸ α, necessario est τὸ β, et cum est hoc, necesrario est τὸ γ, cum sit τὸ α, erit τὸ γ. Si igitur cum τὸ α est, necesse est τὸ β esse, cum autem hoc sit, τὸ α esse (hoc enim erat circulo demonstrare), ponatur τὸ α, ubi erat τὸ γ. Illa igitur oratio, cum sit τό β, esse τὸ α, perinde valet ac si dicatur esse τὸ γ. Hæc autem probat, cum τὸ α sit, τὸ γ esse; τὸ γ autem est idem quod τὸ α. Quare accidit ut qui circulo ajunt esse demonstrationem, nihil aliud dicant quam, si τὸ α est, τὸ α esse. Sic autem omnia demonstrari facile possunt, hoc autem modo facile esset omnia demonstrare, probando unam propositionem ignotam per aliam, et hanc rursus per primam, et sic facile possemus acquirere scientiam cujuslibet veritatis ignotæ.

6. Immo ne fieri quidem hoc potest, nisi in iis quæ sese mutuo consequuntur, ut propria. Uno igitur posito, ostensum est nunquam aliud quidquam necessario effici. Uno inquam termino aut una thesi posita. Minimum autem ex duobus thesibus primis potest aliquid colligi, siquidem etiam ratiocinari licet.

7. Si igitur τὸ α et τῷ β et τῷ γ consequens sit, et hæc sibi invicem ac τῷ α, sic sane ex se invicem probari possunt omnia postulata in prima figura, ut demonstratum est in libris de syllogismo. Sed et illud ibi ostensum fuit, in aliis figuris aut non fieri syllogismum aut non de acceptis. Quæ vero non reciprocantur, neutiquam posse demonstrari circulo. Quocirca cum pauca talia sint in demonstrationibus, apparet vanum quiddam esse et impossibile, si quis mutuam et reciprocam demonstrationem esse ideoque omnia demonstrari posse dicat.

3. Utrumque errorem refutat Aristoteles ex eo, quod solæ propositiones mediatæ non possunt sciri, nisi per demonstrationem, sed pervenitur tandem ad propositiones immediatas, quæ sunt ex se notæ, adeoque sciuntur sine demonstratione, vel saltem cognoscuntur aliquo habitu perfectiori, quam habitu scientiæ, qui habitus vocatur habitus principiorum; ergo ad scientiam neque requiritur processus in infinitum, neque demonstrationes circulares, cum perveniatur ad principia per se nota sine ulla demonstratione.

4. Addit Aristoteles impossibilem esse demonstrationem circularem. Probatur primo, quia demonstratio, ut dictum est, debet esse ex prioribus et notioribus; sed non possunt duo esse mutuo priora et notiora, ut patet; ergo non possunt duo per se invicem demonstrari; nisi forte unum, quod est per se notius secundum naturam, probetur per aliud per se notius nobis, quod non repugnat; sed tunc non habetur scientia perfecta, de qua hic agimus.

5. Probatur secundo, quia in demonstratione circulari, id, quod non est per se notum, probaretur et fieret notum per se ipsum. Patet; nam conclusio probatur et fit nota, non solum per præmissas immediatas, sed etiam per præmissas mediatas, ex quibus probantur præmissæ immediatæ; sed inter præmissas mediatas daretur ipsa conclusio probanda; ergo conclusio per se ipsam probaretur et fieret nota, atque esset, sicut si diceretur, quod A est, quia A est, seu quod est A, si est A. Explicatur, sicut cum A probatur per B, et B per C, A probatur per C; sic cum A probatur per B, et B per A, A probatur per A. Nihil vero refert, an ponantur tres termini vel plures, et an reflexio fiat per plures terminos vel per pauciores;

6. Tertio probatur, quia, ut dictum est lib. I. Priorum cap. xxv, conclusio non potest necessario inferri ex unico termino, neque ex unica præmissa, sed ad minimum debet inferri ex tribus terminis et ex duabus propositionibus seu præmissis; ergo ad hoc, ut omnia possint invicem demonstrari demonstratione circulari, necesse est, ut ex conclusione possit probari utraque præmissa; sed utraque præmissa potest solum per conclusionem probari in primo modo primæ figuræ, hoc est in Barbara, cum omnes tres termini mutuo sunt convertibiles; in aliis vero figuris et modis, non potest probari utraque præmissa ex solis assumptis in syllogismo; nec in Barbara, cum termini non sunt convertibiles, probari potest per conclusionem utraque præmissa; ergo cum paucissimi sint syllogismi in Barbara et ex terminis convertibilibus paucissima principia possunt circulariter demonstrari ex conclusione, adeoque falsum est, quod omnia principia sint circulariter demonstrabilia.

7. Pro intelligentia duo sunt explicanda et probanda. Primum est, quod in Barbara, cum termini sunt convertibiles, utraque præmissarum potest mutuo concludi ex conclusione. Secundum est, quod in Barbara, cum termini non sunt convertibiles, et in aliis modis primæ figuræ, et in secunda et tertia figura nunquam potest utraque præmissa syllogismi in-

ferri ex conclusione. Primum igitur probatur; sint tres termini convertibiles : *homo, rationale et risibile;* et sit syllogismus in Barbara : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis.* Potest ex conclusione et ex minori conversa simpliciter major probari sic: *omnis homo est risibilis; omne rationale est homo; ergo omne rationale est risibile.* Potest rursus ex majori conversa et ex conclusione concludi minor sic : *omne risibile est rationale; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est rationalis.* At si termini non sunt convertibiles, propositiones non possunt converti simpliciter in aliam universalem, sed solum in particularem; sed ex altera præmissa particulari non potest inferri conclusio universalis; ergo cum termini non sunt convertibiles, in Barbara non possunt circulariter concludi præmissæ. Hæc autem fusius explicata sunt in lib. II Priorum, cap. v, num. 4 et 5. In secunda figura non potest fieri reciprocatio; cum enim conclusio sit negativa, non potest per ipsam probari præmissa affirmativa, quia propositio affirmativa concludi non potest, nisi ex ambabus præmissis affirmativis. In tertia figura præmissa universalis non potest inferri ex conclusione, quæ semper est particularis, ut magis explicatum est in lib. II Priorum, cap. vi, num. 2 et cap. vii, num. 2. Et quia etiam in cæteris modis primæ figuræ, excepto Barbara, conclusio vel est negativa vel particularis, in nullo modo primæ figuræ, excepto Barbara, potest concludi utraque præmissa, cum in negativis non possit concludi præmissa affirmativa, in particularibus non possit concludi præmissa universalis; sed principia, ex quibus infertur conclusio, ad minimum sunt duo; ergo rarissime accidit, ut omnia principia possint circulariter probari ex conclusione.

CAPUT IV

QUID SIT DICI DE OMNI, DICI PER SE ET DICI UNIVERSALITER.

1. [4] Quia vero non potest aliter se habere id, cujus est scientia simpliciter, necessarium utique erit, quod cadit sub scientiam demonstrativam. Demonstrativa autem est quam ideo habemus, quia habemus demonstrationem; demonstratio igitur est syllogismus ex necessariis. Accipiendum igitur est ex quibus et qualibus propositionibus demonstrationes constent.

Potsquam Aristoteles ostendit, demonstrationem esse, et explicavit, quid sit, ex definitione demonstrationis progreditur ad ostendendum, qualis sit demonstratio, et ex qualibus præmissis constet. Et quia probaturus est, demonstrationem constare ex præmissis necessariis, in quibus prædicatum dicatur de omni per se et universaliter; — idcirco primo breviter tangit rationem infra, cap. vi, magis explicandam, qua ostenditur demonstrationem constare debere ex præmissis necessariis ; secundo explicat, quid sit *dici de omni;* tertio explicat quid sit *dici per se,* et distinguens quatuor modos dicendi per se, declarat, quo pacto iis utatur demonstrans; quarto explicat, quid sit *dici universaliter.*

1. *Quoad primum :* ex definitione scientiæ, sic obiter probat Aristoteles, demonstrationem constare debere ex præmissis necessariis. In definitione scientiæ dictum est id, quod simpliciter scitur, non posse aliter se habere; sed id, quod non potest aliter se habere, est necessarium; ergo quod scitur, debet esse necessarium; sed scientia simpliciter est, per quam conclusio scitur per demonstrationem; ergo in scientia simpliciter per demonstrationem cognocitur, quod conclusio non potest aliter se habere; sed si per demonstrationem cognoscitur, cognoscitur per causam; ergo in scientia simpliciter cognoscitur per causam, quod conclusio non potest aliter se habere; sed solæ præmissæ necessariæ possunt esse causa, cur conclusio non possit aliter se habere; ergo demonstratio causans perfectam scientiam constat ex præmissis necessariis.

2. Sed primum definiamus, quid vocemus de omni, et quid per se, et quid universale. De omni igitur id appello, quod non in aliquo est, in aliquo non est, nec interdum est, interdum non est. Utputa si de omni homine dicitur animal; si vere dicitur hunc esse hominem, vere dicetur etiam esse animal. Et si nunc alterum est verum, alterum quoque similiter est verum. Et si in omni linea est punctum, eadem est ratio. Huius autem rei signum est, quoniam ita objicimus, cum velut de omni interrogamur, vel quod alicui non inest vel quod interdum non inest.

2. *Quoad secundum : dici de omni* est, cum prædicatum non cuidam convenit, cuidam non convenit, vel aliquando convenit, aliquando non convenit; ex. gr.,

animal dicitur de omni homine, quia de quocumque verum est, quod sit homo, verum est, quod sit animal; et quandocumque verum est, quod est homo, verum est, quod est animal. Similiter de omni linea dicitur, quod contineat puncta, quia nulla est linea, quæ non contineat et semper continet. E converso licet nunc verificaretur, quod *omnis homo vigilat*, adhuc prædicatum vigilantis non diceretur de omni, quia non quandocumque homo est, vigilat, sed aliquando dormit. Quod autem ad hoc, ut prædicatum dicatur de omni, requiratur, ut nulli non conveniat, et ut semper conveniat, probatur, quia cum aliquis ponit propositionem tanquam de omni dicens, *omnis homo vigilat*, putamus, nos per instantiam ostendere, quod non est de omni, si vel ostendamus, quod aliquis non vigilat, vel quod aliquando non vigilat; ergo signum est, quod utrumque requiritur ad propositionem de omni.

Hinc patet primo, quod non sufficit, ut propositio universalis sit vera, ad hoc, ut prædicatum dicatur de omni. Licet enim hæc : *omnis homo vigilat*, esset vera, adhuc prædicatum vigilantis non diceretur de omni.

Secundo patet, *dici de omni* posterioristicum, quod requiritur ad demonstrationem, addere aliquid supra dici *de omni* prioristicum, quod sufficit ad syllogismum. Nam ad *dici de omni* prioristicum sufficit, quod prædicatum conveniat omni, licet non semper; adhuc enim subsumpta minori conclusio sequitur necessario; at vero ad *dici de omni* posterioristicum requiritur, ut prædicatum conveniat etiam semper; alioquin non inferretur conclusio, per quam cognosceretur, quod prædicatum ita convenit subjecto, ut non possit non convenire; quod requiritur ad scientiam.

3. Per se autem voco quæcumque insunt in attributione declarante quid est, ut triangulo inest linea et lineæ punctum ; essentia namque ipsorum ex his est, atque hæc insunt in oratione dicente quid sit.

4. Item ea quæ attributis suis insunt in oratione declarante quid sit, ut rectum et curvum inest lineæ, et impar ac par numero, nec non primum et compositum, item æquilaterum et altera parte longius. Atque his omnibus inest in oratione quid sit dicente, illic quidem linea, hic vero numerus. Similiter et in aliis ea quæ sunt ejusmodi, singulis per se inesse dico. Quæ vero neutro modo insunt, voco accidentia, ut musicum aut album inest animali.

5. Præterea per se appello quod non dicitur de ullo alio subjecto, ut ambulans, cum aliud quiddam sit, ambulans est et album. Substantia vero et quæcumque hoc aliquid significant, non aliud quiddam sunt, quam id quod sunt. Quæ igitur de subjecto non dicuntur, per se, quæ vero de subjecto dicuntur, accidentia voco.

6. Alio præterea modo, quod propter se inest unicuique, per se est, quod non propter se, accidens, ut si ambulante aliquo fulguravit, accidens est; non enim propter ambulationem fulguravit, sed dicimus, hoc accidit. Si vero propter se, per se inest. Ut si quis jugulatus interiit, et per jugulationem, quoniam ideo periit, quia jugulatus est, non autem accidit jugulatum interire.

3. *Per se* dicuntur quadrupliciter. Primo dicuntur *per se* de subjecto, quæ includuntur in definitione subjecti; ex. gr., animal per se dicitur de homine, quia includitur in definitione hominis. Si enim quæratur : *quid est homo?* respondetur, *quod est animal rationale;* similiter linea *per se* dicitur de triangulo, quia si quæratur : *quid est triangulum?* respondetur, quod *est figura constans ex tribus tantum lineis rectis;* punctum per se dicitur de linea, quia si quæratur : *quid est linea?* respondetur, quod est *longitudo latitudinis expers, cujus partes punctis terminantur et copulantur.*

4. Secundo *per se* dicuntur de subjecto illa, in quorum definitione includitur subjectum; ex. gr., rectum et curvum per se dicuntur de linea, quia linea inest in definitione recti et curvi. Rectum enim est *linea, cujus medium non exit ab extremis;* curvum est *linea, cujus medium exit ab extremis.* Similiter par et impar, primum et compositum per se dicuntur de numero, quia numerus includitur in definitione ipsorum. Par enim est *numerus divisibilis bifariam;* impar est *numerus non divisibilis bifariam.* Primum in numeris est *numerus, qui non mensuratur alio numero, sed sola unitate,* ut binarius, ternarius etc.; compositum in numeris est *numerus, qui mensuratur alio numero,* ut quaternarius, qui mensuratur binario, novenarius, qui mensuratur ternario. Proportionaliter æquilaterum et altera parte longius *per se* dicuntur de figura, quia in eorum definitione includitur figura. Æquilaterum enim est *figura constans ex omnibus lateribus æqualibus ;* altera parte longius est *figura, cujus unum latus longius est aliis.* Quæ igitur vel includuntur in definitione subjecti, vel includunt subjectum in sua definitione, dicuntur per se, primo aut secundo modo; quæ neque includunt subjectum in sua definitione,

neque includuntur in definitione subjecti, dicuntur de subjecto per accidens. Ex. gr., per accidens dicitur de animali, quod sit album vel musicum; nam neque includuntur in definitione animalis, neque animal includitur in definitione ipsorum.

5. Tertio *per se* dicuntur, quæ non dicuntur de ullo, ut de subjecto, quod sit aliud ab ipsis; cujusmodi sunt substantiæ; accidentia vero sunt, quæ dicuntur de alio, ut de subjecto, quod sit aliud ab ipsis. Ex. gr., Socrates, Plato, etc., homo, equus, etc., sunt substantiæ et entia per se, quia vel nullo modo dicuntur de subjecto, ut Socrates, Plato, et alia individua; vel si dicuntur de subjecto, non dicuntur ut de alio ab ipsis; ex. gr., *homo* dicitur de Platone, sed non tanquam de alio ab homine. E converso ambulans significat accidens, quia dicitur de Petro vel alio ambulante, cui aliud est *esse Petrum*, aliud *esse ambulantem*.

6. Quarto *per se* dicitur, quod convenit subjecto propter ipsum; ex. gr., per se dicitur, quod *jugulatus interiit*, quia ideo interiit, quia jugulatus; at non per se dicitur, quod *ambulante coruscavit*, quia non ideo coruscavit, quia ambulabat, sed dum ambularet, ex aliis causis accidit coruscatio. Ratio istorum modorum fusius explicabitur lib. V. Metaph. cap. XVIII.

7. Quæ igitur in iis quæ simpliciter cadunt sub scientiam, dicuntur per se, ita ut ipsa insint attributis aut ipsis attributa, cum propter se sunt, tum ex necessitate.

8. Non enim accidit non inesse aut simpliciter aut opposita, ut lineæ rectum vel inflexum, et numero impar vel par. Nam contrarium est aut privatio aut contradictio in eodem genere, ut par est quod non est impar, in numeris qua consequitur. Quare si necesse est affirmare vel negare, necesse est etiam ea quæ sunt per se, inesse. Ergo de omni et per se definita sint hoc modo.

7. Explicatis modis dicendi *per se*, ostendit Aristoteles, quo pacto illis utatur demonstrans. Demonstrans utitur secundo et primo. Cum enim in conclusione scientifica prima passio ostendatur de subjecto, conclusio scientifica est *per se* secundo modo; proprium enim subjectum includitur in definitione suæ passionis. Cum rursus definitio subjecti sit medium ad demonstrandam primam passionem de subjecto, minor est per se primo modo, cum in minori definitio prædicetur de subjecto, ut patet in hac demonstratione : *omne animal rationale est disciplinabile; omnis homo est animal rationale; ergo omnis homo est disciplinabilis;* conclusio est in secundo modo, minor in primo. Poterat Aristoteles addere, majorem esse in quarto modo. Nam *disciplinabile* dicitur de animali rationali, quatenus animal rationale est. In demonstratione vera, in qua secunda passio demonstratur de subjecto per primam; ex. gr. : *omne admirativum est risibile; omnis homo est admirativus; ergo omnis homo est risibilis*, conclusio et minor sunt in secundo modo, major in quarto.

8. Addit Aristoteles, passiones, quæ de subjectis probantur in talibus demonstrationibus, necessario inesse subjectis. Probat; nam non possunt non inesse, saltem disjunctim; ergo necessario insunt. Probat antecedens; quædam enim non possunt non inesse determinate; ex. gr., *risibile* non potest non inesse homini; *habere tres angulos æquales duobus rectis*, non potest non inesse triangulo; quædam non possunt non inesse disjunctim; ex. gr., numero non potest non inesse *par* vel *impar*; lineæ non potest non inesse *rectum* aut *curvum*. Ratio est, quia rectum et curvum respectu subjecti determinati, hoc est lineæ, licet opponantur privative vel contrarie, tamen se habent sicut affirmatio ac negatio; sed necesse est, ut de quocumque verificetur affirmatio vel negatio; ergo necesse est, ut de quocumque verificetur rectum aut curvum; et ex eadem ratione necesse est, ut in genere numeri verificetur par aut impar.

9. Universale autem voco quod et omni inest, et per se, et qua id ipsum est.

10. Apparet igitur, quæcumque sunt universalia, necessario inesse rebus.

11. Per se autem et qua ipsum idem sunt. Utputa per se lineæ inest punctum et rectum, quia inest, qua linea est. Item triangulo, qua est triangulum, insunt duo recti, quia per se triangulum est æquale duobus rectis.

12. Jam vero universale tunc inest, cum de quovis et primo demonstratur. Exempli causa, duos rectos habere, nec figuræ inest universaliter, quanquam licet de figura demonstrare, quod duos rectos habet, sed non de quavis figura; nec utitur quavis figura is qui demonstrat. Nam quadratum est quidem figura, non tamen habet angulos æquales duobus rectis. Quodlibet vero isosceles habet angulos æquales duobus rectis, sed non primum, cum triangulum prius id habeat.

13. Quod igitur omne et primum ostenditur duos angulos rectos aut quodvis aliud habere, huic primo inest universaliter; ac demonstratio

per se est hujus universalis; aliorum autem modo quodam, non per se; neque isoscelis est universaliter, sed latius patet quam isosceles.

9. *Quoad quartum : dici universaliter* de subjecto est *convenire omni, per se, et quatenus ipsum*. Convenire subjecto *quatenus ipsum*, est illi convenire primo ratione sui; quod vero convenit subjecto ratione alterius, non convenit ipsi, in *quantum est ipsum*; ex. gr., sensitivum non dicitur de homine, in quantum est homo, quia licet necessario dicatur de homine, non convenit homini primo, sed primo convenit animali; homini vero convenit in quantum animal est. E converso, rationale dicitur de homine in quantum est homo, quia dicitur de homine primo ratione sui et non ratione alterius.

10. Ex dictis infertur primo, quod omne, quod dicitur universaliter, dicitur necessario. Probatur; nam omne, quod dicitur per se, dicitur necessario; sed omne, quod dicitur universaliter, dicitur per se; ergo, etc.

11. Secundo infertur, quod *esse per se*, et *esse universaliter*, sunt idem non convertibiliter, eo pacto, quo *esse hominem* et *esse animal*, sunt idem non convertibiliter. Sicut enim eo ipso, quod aliquid est homo, est animal, et non e converso; sic eo ipso, quod aliquid inest universaliter et secundum quod ipsum, inest per se, et non e converso; ex. gr., eo ipso, quod triangulo, in quantum triangulus est, convenit *habere tres angulos æquales duobus rectis*, per se convenit *habere tres angulos æquales* etc. Similiter eo ipso, quod linea, in quantum est linea. vel est recta vel curva et terminatur punctis, per se terminatur punctis, et vel est recta vel curva.

12. Infertur tertio, quod *dici universaliter* addit supra *dici per se*, quod dicatur non solum de omni, sed primo. Ex defectu primæ conditionis, quæ est *dici de omni*, non universaliter convenit figuræ, *habere tres angulos æquales duobus rectis*, quia non convenit omni figuræ, sed solum triangulari. Ex defectu secundæ conditionis non convenit universaliter triangulo isosceli *habere tres angulos æquales duobus rectis*. quia non convenit isosceli primo ratione sui, sed in quantum est triangulus.

13. Concludit Aristoteles, quod demonstratio per se est de subjecto, cui primo convenit prædicatum; de subjecto vero, cui primo non convenit prædicatum, quodammodo non est demonstratio per se. Ex. gr., hoc prædicatum et hæc passio habendi tres angulos æquales duobus rectis, per se demonstratur de triangulo *ut sic*; de isoscele vero non per se demonstratur, sed in quantum continetur in triangulo.

CAPUT V

DE MODIS, QUIBUS ERRATUR CIRCA PRÆDICATUM UNIVERSALE.

1. [5] Non est autem ignorandum, sæpe accidere ut peccetur, nec sit, quod demonstratur, primum universale. qua videtur demonstrari universale primum.

2. Sic autem fallimur, cum aut nihil licet accipere superius præter singulare vel singularia.

3. Aut licet quidem, sed id nomine caret in rebus specie differentibus;

1. Postquam Aristoteles explicavit, quid sit *dici universaliter*, declarat, quo pacto et quot modis in demonstrationibus erretur, sumendo ut universaliter demonstratum id, quod vere non est vniversaliter demonstratum.

2. Primus modus est, cum quia sub aliqua ratione superiori non datur, nisi unum inferius, putamus, quod id, quod primo convenit superiori, conveniat primo illi inferiori; ex. gr., si non daretur aliud animal, quam homo, putaret quis, omnes proprietates, quæ primo conveniunt animali, in quantum animal est, primo convenire homini, in quantum homo est, et in hac opinione falleretur.

3. Secundus modus est, cum in aliquo genere superiori dantur plures species, sed genus superius est innominatum, potest quis putare, proprietates, quæ primo conveniunt generi innominato, primo convenire speciebus; ex. gr., quia genus commune equo, asino et mulo est innominatum, potest quis putare proprietates talis generis primo convenire equo vel asino, et in hoc errare.

4. aut est ut in parte totum in quo demonstratur; particularibus enim inerit demonstratio, et erit de omni, non tamen erit demonstratio hujus primi universalis. Dico autem demonstrationem esse hujus primi qua est hoc, quando est hujus primi universalis. Si quis igitur ostenderit rectas non concurrere, videri possit hujus esse demonstratio propria, quoniam hæc affectio est in omnibus rectis. Non est autem proprie de-

monstratio, siquidem id fit, non quia sunt ita æquales, sed qua sunt quomodocumque æquales. Et si aliud triangulum non esset quam isosceles, qua isosceles, videretur inesse. Et proportio commutata videbatur inesse qua sunt numeri et qua lineæ et qua solida et qua tempora, sicut ostendebatur aliquando separatim, cum de omnibus una demonstratione probari possit. Sed quoniam hæc omnia, numeri, longitudines, tempora, solida, ita sunt unum ut nominatum quidpiam non sint, ac specie differunt inter se, idcirco separatim accipiebantur. Nunc vero universaliter demonstratur. Non enim hæc affectio inest lineis qua sunt lineæ, et numeris qua sunt numeri, sed qua sunt hoc quod supponunt esse universale.

4. Tertius modus est, cum totum seu ratio superior et communis, cui primo convenit prædicatum, explicatur per quamdam habitudinem ad partem seu determinatam speciem inferiorem, tum potest quis putare, prædicatum primo convenire illi parti et speciei, et in hoc errabit. Ex. gr., (et est exemplum ab Aristotele allatum, qui primo affert exemplum tertii modi; secundo affert exemplum primi, tertio demum affert exemplum secundi modi). — Exemplum igitur tertii modi, qui est obscurissimus, desumitur ex propositione XXIX, lib. I, Euclidis, in qua ostenditur, quod si linea recta incidens in duas lineas rectas jacentes in eodem plano, fecerit angulos internos ad easdem partes æquales duobus rectis, erunt parallelæ et nunquam concurrent. Subjectum, de quo primo demonstratur prædicatum paralleli, sunt duæ lineæ, in quas tertia incidens linea facit duos angulos internos ad easdem partes duobus rectis æquales. Hoc subjectum est genus continens sub se duas species. Prima est linearum, in quas tertia linea incidens faciat duos dictos angulos rectos, adeoque duobus rectis æquales. Secunda species est linearum, in quas tertia linea incidens faciat duos dictos angulos, non quidem rectos, sed æquales duobus rectis; ergo subjectum talis passionis est genus commune, quod habet habitudinem ad unam speciem inferiorem, hoc est ad lineas facientes cum linea incidente duos angulos rectos. Quia ergo subjectum, cui primo convenit proprietas paralleli est genus commune, explicatum per habitudinem ad hanc speciem linearum facientium cum linea incidente duos angulos rectos, posset quis errare existimando, proprietatem illam non concurrendi, primo demonstrari de duabus lineis facientibus cum tertia linea incidente duos angulos rectos, cum talis proprietas sit primo demonstranda de duabus lineis facientibus cum tertia linea duos angulos duobus rectis quomodolibet æquales, etiamsi ipsi non sint recti. Exemplum primi modi ab Aristotele allatum est: si non daretur alius triangulus, quam isosceles, posset quis putare, proprietatem habendi tres angulos æquales duobus rectis primo convenire isosceli. Ut intelligatur exemplum secundi modi, advertendum est, quod proportio est *habitudo duarum quantitatum*; ex. gr. proportio duorum ad unum dicitur proportio dupla. Proportionalitas est *habitudo duarum proportionum*, quæ si sint disjunctæ, habent quatuor terminos, si conjunctæ tres, ita tamen ut unus terminus sumatur bis loco duorum; ex. gr., proportionalitas est, *sicut se habent octo ad quatuor, ita sex se habent ad tria;* tam enim octo habent ad quatuor proportionem duplam, quam sex ad tria. Ex his terminis duo se habent ut antecedentes, illi nempe, quibus alii comparantur; duo ut consequentes, hoc est illi, qui comparantur aliis. Permutata propositio *est, cum antecedentia invicem conferuntur et similiter consequentia;* ex. gr., sicut se habent 8, ad 4, sic 6, ad 3; ergo sicut 8, se habent ad 6, sic quatuor ad 3; nam et 8, excedunt sex per quartam partem sui, et 4 excedunt 3, per quartam partem sui. Hoc posito, *esse proportionale commutabiliter* convenit numeris, lineis, solidis ac temporibus; et tamen, quia non datur nomen significans genus commune his omnibus, olim seorsim de singulis demonstrabatur, et putabatur primo convenire singulis, et in hoc errabatur.

5. Proinde et si quis singillatim ostenderit una aut altera demonstratione, unumquodque triangulum habere duos rectos, æquilaterum inquam separatim et scalenum et isosceles, is nondum novit ipsum triangulum esse æquale duobus rectis, nisi sophistico modo; nec universaliter triangulum, licet nullum, præter hæc sit aliud triangulum. Non enim qua triangulum, novit; nec omne triangulum, nisi secundum numerum, secundum formam vero non omne, etsi nullum est quod non cognoscat. Quando igitur non novit vniversaliter, et quando novit simpliciter? Manifestum est quod, si eadem sit essentia trianguli et æquilateri aut cuiusvis aut omnium, universaliter novit; si vero non idem sint sed diversa, et insit illa affectio triangulo qua est triangulum, non novit.

6. Utrum autem inest qua triangulum an qua isosceles? Et quando ratione hujus primi

inest aliis? Et universaliter cujusnam est demonstratio? Tunc sane cum aliis ablatis nihilominus inerit huic primo de quo demonstratum est. Ut isosceli æneo triangulo inerunt duo recti; sed et his ablatis æneum esse et isosceles esse, nihilominus inerit eadem affectio. Atqui non inerit sublata figura vel termino. Sed non his primis sublatis tollitur. Quo igitur primo sublato affectio tollitur? Siquidem triangulo, ratione hujus inest etiam aliis, et hujus universaliter est demonstratio.

5. Semper igitur peccatur, cum passio, quæ primo convenit rationi superiori, demonstratur de inferioribus, sive seorsim, sive simul etiam enumerando omnia inferiora; ex. gr., si prædicatum habendi tres angulos æquales duobus rectis demonstretur de equilatero, isoscele et scaleno, peccatur. Quamvis enim quis per talem demonstrationem sciat, passionem habendi tres angulos etc., convenire omni triangulo, non tamen scit simpliciter et *per se*, sed per accidens et sophistico modo, in quantum scilicet illi tres sunt omnes trianguli, non autem scit per se de propria ratione trianguli. Si eadem esset ratio trianguli et illorum trium, tum sciret per se; sed quia diversa est ratio, non scit, neque demonstrat per se, sed per accidens.

6. Concludit Aristoteles afferendo regulam ad dignoscendum, quandonam prædicatum aliquod primo conveniat alicui subjecto, quæ regula est : cum ratio, quæ ponitur ut subjectum, talis est, ut illa remanente et ablatis aliis, adhuc prædicatum conveniret, illa vero dempta non conveniret, tum prædicatum primo convenit subjecto. Ex. gr., quæritur, utrum prædicatum habendi tres angulos æquales duobus rectis, primo conveniat triangulo, vel isosceli, vel figuræ, probatur, quod non primo convenit isosceli, quia ablato isoscele et remanente triangulo, convenit; nec primo convenit figuræ, quia remanente figura et ablato triangulo non convenit; ergo primo convenit triangulo; quia nisi remaneat triangulum, non convenit figuræ; et si auferatur isosceles, adhuc convenit triangulo, isosceli vero et figuræ convenit ratione trianguli.

CAPUT VI

OSTENDITUR, DEMONSTRATIONEM CONSTARE DEBERE EX PROPOSITIONIBUS SEU PRÆMISSIS NECESSARIIS ET PER SE.

1. [6] Si igitur est demonstrativa scientia ex necessariis principiis (quod enim scitur, non potest aliter se habere), quæ autem per se rebus insunt, necessaria sunt (alia namque insunt in attributione quid est; alia vero sunt, in quorum quidditate insunt subjecta, quibus ita attribuuntur, ut necesse sit alterum oppositorum inesse), perspicuum est demonstrativum syllogismum ex hujucemodi propositionibus constare. Quidvis enim vel ita inest vel ex accidenti, accidentia vero non sunt necessaria.

Postquam Aristoteles explicavit, quid sit *dici de omni, per se*, et *universaliter*, procedit ad ostendendum, quod demonstratio debet constare ex propositionibus necessariis et *per se*. Et primo quidem obiter proponit syllogismum, in quo ex eo, quod demonstratio debet constare ex propositionibus necessariis, infert, quod debet etiam constare ex propositionibus *per se;* secundo multipliciter probat assumptum, quod nimirum demonstratio constare debeat ex præmissis necessariis; tertio concludit, demonstrationem constare debere ex propositionibus, non per accidens, sed *per se*.

1. *Quoad primum* igitur, proponit talem syllogismum, per quem ex eo, quod demonstratio constare debet ex necessariis, probat constare etiam debere ex propositionibus *per se*. Per demonstrativam scientiam infertur, quod conclusio non potest aliter se habere; neque enim scit, qui non cognoscit, quod res aliter se habere non potest; sed non potest per scientiam inferri, quod conclusio non potest aliter se habere, nisi demonstratio seu syllogismus causans talem scientiam constet ex propositionibus seu principiis et præmissis necessariis; ergo demonstratio debet constare ex præmissis necessariis; solæ propositiones *per se* sunt necessariæ; ergo demonstratio constare debet ex propositionibus *per se*. Antecedens subsumptum duas habet partes : prima est, quod propositiones *per se* sunt necessariæ; secunda est, quod solæ propositiones *per se* sunt necessariæ. Probat Aristoteles utramque partem; et primo, quod propositiones *per se* primo et secundo modo, sint necessariæ, ostendit sic. In primo modo dicendi *per se*, prædicatum includitur in definitione subjecti; sed quod includitur in definitione, necessario convenit, cum definitio non possit non convenire; ergo propositiones *per se* primo modo sunt necessariæ. In secundo modo *per se* prædicatum includit subjectum in sua definitione; sed cum prædicatum includit subjectum in sua definitione, necessario con-

venit subjecto, saltem disjunctim, eo pacto quo numerus necessario est vel par vel impar, ut explicatum est c. IV, n. 8; ergo etiam propositiones *per se* secundo modo sunt necessariæ. Hinc jam probat secundam partem antecedentis, quod solæ propositiones *per se* sunt necessariæ; omne enim prædicatum, vel convenit subjecto *per se* vel per accidens; sed quod per accidens convenit, non necessario convenit, cum possit non convenire; ergo sola prædicata *per se* necessario conveniunt.

2. Aut igitur ita dicendum est, aut hoc principio posito demonstrationem esse rem necessariam, etsi demonstratum est, non posse rem aliter se habere; ex necessariis igitur oportet esse syllogismum illum. Nam ex veris fieri potest ut etiam non demonstrans ratiocinetur; ex necessariis autem non potest quispiam ratiocinari præter eum qui demonstrat; hoc enim jam demonstrationis est proprium.

3. Hoc autem signum ostendit, demonstrationem constare ex propositionibus necessariis, quoniam adversus eos qui se demonstrare putant, ita objicimus, non esse necesse, sive existimemus fieri posse ut res aliter se habeat, sive disputationis causa. Ex his constat stultos esse eos, qui putant se recte accipere principia, si propositio sit probabilis et vera; ut sophistæ hanc propositionem accipiunt, scire est scientiam habere. Non enim id est principium, quod est probabile, aut non probabile, sed quod est primum ex eo genere, de quo demonstratur; nec proprium est quidquid verum est.

4. Quod autem syllogismum illum oporteat esse ex necessariis, hinc etiam apparet. Nam si ignorans rationem cur res sit, cum sit ejus rei demonstratio, non est sciens, fac τὸ α de γ necessario dici, τὸ β autem, medium per quod demonstratum fuit, non esse ex necessitate; certe non novit cur res sit, quoniam hoc non est propter illud medium, quandoquidem accidit illud non esse, conclusio vero est necessaria.

5. Præterea si quis nunc non novit, cum rationem habeat sitque salvus re salva, nec sit oblitus, is ne antea quidem cognoscebat. Sed interire medium potest, si necessarium non sit. Quare habebit rationem, et erit salvus re salva, nec tamen novit. Ergo ne antea quidem cognoscebat. Quodsi medium non interiit, sed fieri potest ut intereat, id quod accidit, erit possibile et contingens. Sed fieri nequit ut qui ita affectus est cognoscat.

2. *Quoad secundum:* quia poterat videri non satis adhuc probatum, quod demonstratio debeat constare ex propositionibus necessariis, regrediens Aristoteles ad id probandum, dicit, quod aut concedatur totum, quod nimirum demonstratio constare debet ex propositionibus necessariis et *per se*, aut si id negetur, statuatur tanquam principium ad id probandum, quod demonstratio, cum faciat scire, infert conclusionem necessariam, per quam cognoscitur, quod objectum non potest aliter se habere, ut dictum est cap. II, in definitione scientiæ; sed conclusio necessaria non potest sciri, nisi ex principiis necessariis; ergo demonstratio constare debet ex præmissis necessariis, ac proinde in hoc syllogismus demonstrativus differt a dialectico, quod syllogismus dialecticus ac mere probabilis potest procedere ex propositionibus non necessariis; at impossibile est, ut syllogismus procedens ex non necessariis sit demonstrativus, et quod e converso syllogismus procedens ex necessariis non sit demonstrativus.

3. Confirmatur primo ex signo, quia cum per instantiam ostendimus, præmissas assumptas in aliquo syllogismo non esse necessario veras, putamus nos probare talem syllogismum non esse demonstrativum, nec conclusionem esse necessariam; ergo censemus ad syllogismum demonstrativum, qui inferat conclusionem necessariam, requiri, ut constet ex præmissis necessario veris. Hinc patet, stultos esse illos sophistas, qui putant, propositiones probabiles esse principia idonea ad inferendam conclusionem scientificam. Unaquæque enim conclusio debet inferri ex principiis primis propriis ejusdem generis; sed conclusio scientifica debet esse in genere propositionis necessariæ, cum per illam cognosci debeat, quod objectum aliter se habere non potest; ergo principia, ex quibus infertur, debent esse in eodem genere, adeoque debent esse necessaria, nec sufficit, quod sint probabilia vel quomodocumque vera.

4. Confirmatur secundo, quia non scit conclusionem, qui non cognoscit rationem et causam, propter quam conclusio est necessario vera; sed qui cognoscit conclusionem per principia non necessaria, non cognoscit rationem et causam, propter quam conclusio est necessario vera; ergo non scit conclusionem. *Probatur minor;* nullum enim contingens potest esse causa alicujus necessarii; necessarium enim non potest non esse; contingens potest non esse; sed quod potest non esse, non est causa ejus, quod non potest non esse; ergo, etc. Probatur minor; quia nihil est causa ejus, quod co-

dem pacto se habet, sive illud sit, sive non sit; sed necessarium eodem pacto se habet, seu contingens sit, seu non sit; ergo contingens non potest esse causa necessarii, ac proinde conclusio necessaria sciri non potest per præmissas non necessarias. Explicatur; sit enim conclusio, quod *A necessario convenit C;* et præmissæ sint, quod *A convenit B, et B convenit C;* si tales præmissæ sint contingentes, ita *A convenit B, et B convenit C,* ut possint non convenire; ergo ratio, cur *A conveniat C,* non est, quia *A convenit B, et B convenit C,* nam sive hoc sit verum, sive non, adhuc *A necessario convenit C;* ergo conclusio non cognoscitur per causam, adeoque non scitur; ergo ut conclusio sciatur, præmissæ, ex quibus infertur debent esse necessariæ.

5. Confirmatur tertio, quia qui nunc nescit conclusionem. et tamen et conclusio nunc remanet vera sicut prius, et ipse salvus est, et neque est oblitus conclusionis neque rationis, qua conclusionem ante probavit, is profecto nec ante sciebat conclusionem; scientia enim non potest amitti, nisi aut ex hoc, quod pereat ille, qui est subjectum sciens, aut ex hoc, quod salvo subjecto pereat veritas scita, aut ex hoc, quod salvo subjecto et veritate scita, qui sciebat, obliviscatur veritatis scitæ, aut ex hoc, quod licet non obliviscatur veritatis scitæ, obliviscatur rationis ac medii, per quod illam veritatem sciebat; sed si conclusio necessaria cognosceretur per medium contingens, et medium corrumperetur, omnia dicta salvarentur, et tamen cognoscens conclusionem per medium corruptum adeoque falsum, non sciret conclusionem; ergo nec ante sciebat; ergo conclusio necessaria non potest sciri ex præmissis non necessariis. Etiamsi vero medium contingens non corrumpatur, potest corrumpi, alioquin non esset contingens; sed ex possibili nullum sequitur impossibile; ex eo autem, quod medium conclusionis scitæ sit contingens et corrumpatur, sequitur impossibile jam explicatum, quod nimirum, quis amitteret scientiam salvis omnibus illis; ergo medium, per quod scitur veritas necessaria, non potest esse contingens. Breviter, qui ex falsis infert verum, non scit; ergo neque qui ex contingenti infert necessarium.

6. Cum igitur conclusio est necessaria, nihil prohibet, quominus non necessarium sit medium per quod demonstratum est, quia necessarium potest etiam ex non necessariis concludi, quemadmodum et verum ex non veris.

7. Cum autem medium est necessarium, etiam conclusio est necessaria, sicut ex veris verum semper colligitur. Dicatur enim necessario τὸ α de β, atque hoc de γ : necesse est igitur etiam τὸ α τῷ γ inesse.

8. Cum autem non necessaria est conclusio, fieri nequit ut medium sit necessarium. Finge namque τό α τῷ γ non ex necessitate inesse, verum τῷ β, atque hoc τῷ γ inesse ex necessitate. Ergo etiam τό α τῷ γ ex necessitate inerit; sed non ita esse supponebatur.

9. Quoniam igitur quod per demonstrationem quispiam scit, necessario inesse oportet, per medium quoque necessarium demonstrationem haberi oportere constat. Alioquin neque sciet, cur nec quod necesse sit illud esse ; sed vel putabit se scire, cum nesciat, nempe si acceperit quasi necessarium, quod non est necessarium ; aut ne putabit quidem scire, sive per media sciat quod est, sive per immediata sciat quamobrem sit.

10. Accidentium vero quæ non sunt per se, quomodo definita fuerunt ea quæ sunt per se, non est scientia demonstrativa, quia non potest necessario probari conclusio, quandoquidem accidens potest non inesse ; de tali enim accidente loquor.

6. Ex dictis Aristoteles infert *quinque corollaria.* Primum est : non repugnat, necessarium sequi ex non necessariis, sicut non repugnat, verum sequi ex falsis; sed sicut cum verum colligitur ex falsis, non scitur, sic cum necessarium infertur ex non necessariis, non scitur, ac proinde syllogismus ex non necessariis non potest esse demonstrativus.

7. Secundum est : sicut conclusio, quæ sequitur ex præmissis veris, eo ipso est vera, quia ex vero non potest sequi falsum ; sic conclusio, quæ sequitur ex necessariis, est necessaria, quia ex necessariis non potest sequi non necessarium ; ex. gr., *si omne rationale necessario est admirativum; et omnis homo necessario est rationalis; omnis homo necessario est admirativus.*

8. Tertium est : si conclusio non est necessario vera, nec præmissæ necessario sunt veræ ; ex præmissis enim necessariis sequitur conclusio necessaria, ut dictum est in secundo corollario; ergo si conclusio non est necessaria, nec præmissæ. Ex. gr., ponatur, quod *homo ita sit risibilis, ut possit non esse risibilis;* ex eo, quod *rationale necessario sit risibile, et homo sit necessario rationalis ;*

sequitur, *quod homo sit necessario risibilis;* ergo si homo non est necessario risibilis, altera saltem ex dictis præmissis non est necessaria.

9. Quartum est : etiam medium demonstrationis debet esse necessarium. Ratio est, quia per medium demonstrationis sciri debet conclusio necessaria ; sed necessarium per medium contingens non potest sciri, neque quoad *esse*, neque quoad *propter quid;* non quoad *propter quid*, quia contingens non potest esse causa necessarii ; neque quoad *esse*, quia necessarium non potest sciri per contingens ; ergo medium demonstrationis non debet esse contingens, adeoque debet esse necessarium; ergo qui cognoscit necessarium per contingens, vel arbitrabitur se scire id, quod non scit, si putaverit præmissas, quæ vere non sunt necssariæ, esse necessarias, vel neque sciet, neque putabit se scire. Hoc vero est intelligendum tam de scientia *quia*, quam de scientia *propter quid*.

10. Quintum est : per scientiam demonstrativam non possunt sciri de subjecto accidentia, quæ non per se conveniunt tali subjecto. Ratio est, quia per scientiam demonstrativam debet concludi, quod prædicatum necessario conveniat subjecto; sed accidentia, quæ non per se competunt subjecto, hoc est non includunt subjectum in sua definitione, non necessario conveniunt, sed possunt non convenire; ergo accidentia non per se, non possunt sciri de subjecto.

11. Atqui dubitabit fortasse quispiam, quare hæc interrogare de his oporteat, nisi necesse sit conclusionem esse ; nihil enim refert, si quis, cum quævis interrogaverit, postea dicat conclusionem. Sed oportet interrogare non quasi hoc quod concluditur, necessarium sit propter ea quæ interrogata fuerunt, sed quia necesse est ut hoc quoque dicat, qui illa dicit, et vere dicat, si ea vera sint.

11. Contra hactenus dicta, quod nimirum conclusiones non possunt sciri per præmissas contingentes, proponit Aristoteles dubitationem. Si conclusiones non possunt sciri ex contingentibus, cur Dialectici interrogant indifferenter de propositionibus contingentibus, et ex iis, quæ conceduntur, inferunt conclusiones? Respondet Aristoteles, quod argumentantur ex contingentibus, non quia per contingentia possint sciri conclusiones necessariæ, sed quia interrogatus concesso antecedenti debet etiam concedere consequentiam. Dialecticus igitur non curat, utrum conclusio sit necessaria necessitate consequentis, sed solum utrum sit necessaria necessitate consequentiæ; cum demonstrans quærat etiam necessitatem consequentis, sine qua non potest haberi scientia.

CAPUT VII

OSTENDITUR, DEMONSTRATIONEM CONSTARE DEBERE EX PRINCIPIIS PROPRIIS ET EJUSDEM GENERIS.

1. Quia vero necessario insunt in unoquoque genere quæcumque insunt per se, et qua est unumquodque, apparet de his quæ per se insunt, atque ex his esse demonstrationes, quæ scientiam pariunt. Accidentia namque non sunt necessaria. Quocirca non necesse est scire, cur sit res, quæ concluditur, ne tum quidem si illa semper sit, non autem per se. Cujusmodi sunt syllogismi a signis ducti. Nam quod est per se, non per se sciet, nec quamobrem sit. Scire autem quomobrem res sit, nihil aliud est quam per causam scire. Per se igitur oportet et medium tertio et primum medio inesse.

1. Postquam Aristoteles ostendit, demonstrationem constare ex principiis et propositionibus necessariis, concludit quod debet etiam constare ex præmissis per se. Sic igitur argumentatur, demonstratio non solum debet inferre conclusionem necessariam, sed etiam debet constare ex præmissis necessariis ; sed ea solum necessario competunt subjecto, quæ conveniunt per se; quæ vero conveniunt per accidens, non necessario conveniunt, cum possint non convenire ; ergo demonstratio debet etiam constare ex præmissis per se. Addit, quod etiamsi præmissæ necessario inferant conclusionem, adhuc si non sint per se, non causant scientiam conclusionis, ut patet in argumentationibus a signo, qualis est hæc: *omne quod senescit est corruptibile; omne mistum senescit; ergo omne mistum est corruptibile.* Licet enim conclusio sit per se, et necessario sequatur ex præmissis, adhuc non scitur, quia præmissæ non sunt per se, neque explicant causam corruptibilitatis. Causa enim corruptibilitatis non est *senescere*, sed *componi ex contrariis* adeoque conclusio per se, cum non cognoscatur per propositiones per se, non scitur scientia perfecta et a priori, de qua hic agitur; ergo necesse est, ut in præmissis cognos-

catur, quod prædicatum conclusionis per se inest medio, et medium per se inest subjecto conclusionis, ut ex hoc inferatur, quod prædicatum per se inest subjecto.

2. [7] Non licet igitur ex alio genere in aliud migrantem demonstrare. Utputa non licet Arithmeticæ probare problema geometricum.

3. Tria namque sunt quæ in demonstrationibus spectantur. Primum conclusio quæ demonstratur, id est quod alicui generi per se inest. Alterum axiomata; axiomata autem sunt ex quibus demonstratio conficitur. Tertium est genus subjectum, cujus affectiones et per se accidentia demonstratio declarat.

4. Ex quibus igitur demonstratio constat, ea possunt eadem esse; quarum autem scientiarum genus est diversum, ut Arithmeticæ et Geometriæ, in his non licet arithmeticam demonstrationem accommodare ad ea quæ magnitudinibus accidunt, nisi magnitudines numeri sint. Hoc autem quomodo accidat in quibusdam, postea dicitur. Sed arithmetica demonstratio semper habet genus, circa quod demonstratio versatur; et aliæ similiter. Quare aut simpliciter necesse est idem esse genus, aut quodam modo, si futurum est ut demonstratio transferatur. Alioquin id fieri non posse constat, quoniam ex eodem genere necesse est et extrema et media esse,

5. quandoquidem, nisi sint per se, accidentia erunt.

2. Procedit deinde Aristoteles ad ostendendum, quod demonstratio debet etiam constare ex principiis propriis, non autem extraneis ac spectantibus ad aliam scientiam. Ponit ergo conclusionem, quæ est : non potest conclusio spectans ad unam scientiam, sciri per principia extranea ac spectantia ad aliam scientiam; ex. gr., conclusio geometrica de quantitate continua, ut de subjecto, non potest probari ex principiis arithmeticis de numeris, hoc est de quantitate discreta; et universim conclusio spectans ad unam scientiam et unum subjectum genus, non potest sciri ac demonstrari per principia spectantia ad aliam scientiam et aliud subjectum genus.

3. Ut conclusionem explicet ac probet, duo præmittit. Primum est : in demonstrationibus cujuscumque scientiæ tria debent considerari : primum est genus subjectum, de quo demonstrantur aliquæ passiones per se competentes tali generi; secundum sunt passiones per se convenientes tali generi subjecto; tertium sunt dignitates et principia, ex quibus de subjecto passiones demonstrantur. Ex. gr. in demonstrationibus geometricis datur subjectum, quod continet quantitates continuas, quarum per se passiones demonstrantur; dantur passiones, quæ demonstrantur; et dantur dignitates seu principia, ex quibus demonstrantur. Secundum, quod Aristoteles præmittit obiter et obscure, est, quod scientiæ, aut habent subjecta omnino diversa et adæquate distincta, ita ut subjectum unius non includatur in subjecto alterius, quales sunt Geometria et Arithmetica; subjectum enim Geometriæ est quantitas continua, quæ distinguitur adæquate a quantitate discreta seu numeris, qui sunt subjectum Arithmeticæ nisi partes continuæ sumantur ut numeri; aut habent subjecta inadæquate distincta, ita ut subjectum unius sit directe et per se inferius subjecto alterius, ut scientia de animali et de homine, de figuris et de triangulo; aut habent subjecta inadæquate distincta, ita ut subjectum unius sit accidentaliter inferius subjecto alterius, eo pacto, quo numerus sonorus, qui est subjectum Musicæ est inferius accidentaliter numero *ut sic*, qui est subjectum Arithmeticæ, eo quod numerus sonorus supra numerum ut sic addit differentiam accidentalem sonori; et eo pacto, quo linea visualis, quæ est subjectum Perspectivæ, est inferior accidentaliter linea *ut sic*, quæ est subjectum Geometriæ.

4. His præmissis, probat Aristoteles, quod in scientiis, quarum subjecta sunt adæquate distincta, conclusiones unius non possunt sciri per principia alterius; at in scientiis, quarum subjecta non sunt adæquate distincta, possunt conclusiones inferioris demonstrari per principia superioris. Ratio ab Aristotele satis obscure insinuata est, quia scientiæ, quæ non communicant in subjecto, nec possunt communicare in passionibus et principiis, ita ut conclusiones unius demonstrentur per principia alterius; sed scientiæ, quarum subjecta adæquate distinguuntur, non communicant in subjectis; ergo etc. *Probatur major*, quia in demonstratione extrema et medium debent esse ejusdem generis; sed alterum extremorum, hoc est subjectum conclusionis, est in genere subjecto scientiæ; ex. gr., subjectum conclusionis geometricæ est in genere quantitatis continuæ, et subjectum conclusionis arithmeticæ est in genere numeri, ergo etiam prædicatum conclusionis, quod est major extremitas, et medius terminus erit in genere talis scientiæ; ergo si sub-

jecta scientiarum adæquate distinguuntur, etiam prædicata, quæ demonstrantur, et media, per quæ demonstrantur, adæquate distinguuntur; sed si extrema et medium demonstrationum distinguuntur adæquate, etiam principia seu præmissæ talium demonstrationum distinguuntur adæquate, cum præmissæ componantur ex tribus terminis demonstrationis, duobus nimirum extremis et medio; ergo scientiæ, quæ adæquate distinguuntur secundum subjecta, adæquate distinguuntur etiam secundum principia, adeoque conclusiones unius non possunt demonstrari per principia alterius.

5. In hoc discursu sola illa major indiget probatione, quod extrema et medium demonstrationis debeant esse ejusdem generis. Probat igitur illam Aristoteles sic: ex dictis cap. 6. num. 1. tum conclusio tum præmissæ demonstrationis debent esse propositiones *per se*, in quibus prædicatum per se dicatur de subjecto; sed si prædicatum per se dicitur de subjecto, sunt ejusdem generis; ergo majus et minus extremum, hoc est prædicatum et subjectum conclusionis sunt ejusdem generis, alioquin conclusio non esset per se; et ex eadem ratione medius terminus ac subjectum conclusionis debent esse ejusdem generis, alioquin minor, in qua medius terminus prædicatur de subjecto conclusionis, non esset per se; ergo cum et prædicatum conclusionis et medium sint ejusdem generis cum subjecto, omnes termini demonstrationis sunt ejusdem generis inter se. Minor, quod nimirum prædicatum, si per se dicitur de subjecto, sit ejusdem generis, probatur; prædicatum enim esse ejusdem generis cum subjecto est, quod tale prædicatum non possit per se convenire alteri generi; ex. gr., omnia illa prædicata, quæ per se conveniunt solis quantitatibus continuis, sunt de genere quantitatis continuæ; omnia, quæ per se conveniunt solis numeris, sunt de genere numerorum; sed prædicata, quæ per se conveniunt uni generi, illi soli per se conveniunt, nec possunt convenire per se alteri generi; ergo omnia prædicata per se convenientia alicui subjecto sunt ejusdem generis cum subjecto. Probatur minor, quia prædicata per se convenientia numeris, ut *par* et *impar*, non possunt per se convenire lineis, sed solum per accidens, in quantum numeri accidunt lineis, eo quod lineæ sint tres vel quatuor; similiter prædicata per se convenientia lineis, ut *rectum* et *curvum*, non possunt per se convenire numeris, sed solum per accidens, eo quod tria vel quatuor sint lineæ; ergo prædicata per se convenientia uni generi, illi solum per se conveniunt, adeoque sunt ejusdem generis cum ipso.

6. Idcirco Geometriæ non licet demonstrare, contrariorum unam esse scientiam, sed nec duos cubos cubum facere. Nec ulli alii scientiæ licet demonstrare problema alterius scientiæ, iis exceptis quæ ita sunt affecta inter se ut alterum sub altero contineatur, quomodo optica problemata ad Geometriam et harmonica ad Arithmeticam referuntur.

7. Ne id quidem ad Geometriam pertinet, si quid inest lineis non qua lineæ sunt, et qua ex propriis principiis constant, veluti si linea recta sit linearum pulcherrima aut circumductæ contraria. Non enim proprii generis, sed communis cujusdam ratione, lineis hæc insunt.

6. Ex dictis infertur *primo*, quod nulla scientia demonstrat quidpiam de subjecto scientiæ communioris aut disparatæ; potest tamen scientia communior demonstrare aliquid de subjecto scientiæ inferioris; ex. gr., Geometria non demonstrat, contrariorum unam esse scientiam, quia contraria continentur in subjecto scientiæ communioris, hoc est Metaphysicæ vel Dialecticæ; nec demonstrat, quod numerus cubicus multiplicatus per alium numerum cubicum semper facit numerum cubicum, ut videre est apud Euclidem, lib. IX, propos. IV, quia numeri sunt subjectum Arithmeticæ, quæ est scientia disparata a Geometria. Scientia tamen superior potest demonstrare conclusiones inferioris, eo pacto, quo conclusiones Musicæ demonstrantur in Arithmetica; conclusiones Perspectivæ demonstrantur in Geometria.

7. Infertur *secundo*, quod non potest scientia demonstrare de suo subjecto primo prædicata communiora ipso, quæque proinde non per se competunt ipsi, sed alicui superiori; ex. gr. non potest Geometria de linea circulari demonstrare, quod sit pulcherrima linearum, neque de linea recta, quod sit contraria lineæ circulari. Ratio est, quia prædicata pulchri et contrarii non per se conveniunt quantitati continuæ, ut quantitas continua est, sed per se conveniunt alicui superiori; ergo sunt per se demonstranda de eo sub-

jecto ac genere superiori ab ea scientia, quæ agit de eo subjecto ac genere superiori.

CAPUT VIII

OSTENDITUR, DEMONSTRATIONEM DEBERE ESSE DE PERPETUIS AC NON DE CORRUPTIBILIBUS

1. [8] Perspicuum quoque est, si propositiones sunt universales, ex quibus syllogismus ille constat, necesse esse ut æterna sit etiam conclusio hujuscemodi demonstrationis, et ut simpliciter dicam, ipsius demonstrationis. Non est igitur demonstratio rerum caducarum, nec scientia absolute, sed tanquam per accidens, quia non est ipsius universalis, sed interdum et quodam modo. Cum autem talis sit, necesse est saltem alteram propositionem non universalem esse et caducam; caducam quidem, quia conclusio quoque erit, si sit utraque propositio; non universalem autem, quoniam aliud erit aliud non erit ex iis de quibus dicitur. Quare non licet concludere universaliter, sed quod nunc ita res se habeat.

2. Similiter se res habet in definitionibus, quia definito vel est principium demonstrationis, vel demonstratio positione terminorum differens, vel conclusio quædam demonstrationis.

3. Eorum autem quæ sæpe fiunt, demonstrationes et scientias, ut lunæ defectionis, perspicuum est, qua tales sunt, semper esse; qua vero non semper sunt, in parte esse. Quod autem de lunæ defectione dixi, idem in cæteris similibus rebus intelligi debet.

1. Postquam Aristoteles ostendit, conclusiones scientiarum debere demonstrari ex propriis, ac non posse demonstrari ex extraneis, descendit ad probandum, quod non potest proprie sciri conclusio corruptibilis, neque potest demonstrari ex principiis corruptibilibus. *Probatur;* ex dictis enim præmissæ demonstrationis debent esse per se ac necessariæ, adeoque *de omni* posterioristice, ita ut semper sint veræ; sed ex præmissis *de omni* posterioristice ac semper veris, sequitur conclusio semper vera; ergo ex præmissis demonstrationis sequitur conclusio semper vera ac *de omni* posterioristice; sed conclusio corruptibilis non semper est vera, sed aliquando est vera, aliquando falsa; ergo si conclusio est corruptibilis, aliqua præmissarum est corruptibilis adeoque non est *de omni* posterioristice; sed principia, quæ non sunt *de omni* posterioristice, non sunt idonea ad demonstrationem; ergo conclusio corruptibilis non potest proprie demonstrari ac sciri scientia perfecta, de qua sola hic loquimur, sed solum potest sciri per accidens.

2. Ex dictis infertur, quod etiam definitio non potest esse corruptibilium. Probatur, quia vel definitio est principium demonstrationis, vel conclusio demonstrationis, vel demonstratio positione differens; sed neque conclusio demonstrationis, neque principium, neque demonstratio potest esse corruptibilium; ergo, etc.

Pro intelligentia adverte, definitionem explicare causas rei; sed causæ sunt plures et ordinatæ; ergo definitiones possunt esse plures et ordinatæ. Prima causarum est finis, qui movet agentem; secunda est efficiens, quæ assimilat sibi passum in forma; tertia est forma, in ordine ad quam disponitur materia; quarta est materia; ergo definitio, quæ desumitur ex fine, est ratio, per quam probantur aliæ definitiones, adeoque est principium ad illas demonstrandas; aliæ definitiones sunt conclusiones demonstrabiles ex definitione per finem; definitio vero per finem simul et alias causas est demonstratio positione differens. In quantum enim est per causas alias a finali, est conclusio demonstrabilis; in quantum est per causam finalem, est principium et medium demonstrationis.

Exemplo res explicabitur. Domus potest per causam finalem definiri: *operimentum defendens homines a pluviis, calore, frigore,* etc. Potest per causam materialem et formalem definiri: *operimentum constitutum ex lapidibus, cæmentis,* etc., *sic ordinatis ac dispositis.* Ratio, cur sit operimentum ex tali materia, etc., est, quia alioquin non defenderet a pluviis, etc. Ratio, quare illa materia debeat esse sic disposita est eadem, adeoque ratio materiæ et formæ desumitur ex fine; ergo ex definitione per causam finalem tanquam ex principio potest demonstrari definitio per causam materialem et formalem, dicendo: *operimentum defendens a pluvia,* etc., *debet constare ex tali materia et forma; domus est tale operimentum; ergo domus debet constare ex tali materia et forma;* ergo definitio per causam finalem est principium demonstrationis; definitio per causam materialem et formalem est conclusio demonstrationis. Si vero afferatur definitio domus complectens omnes dictas causas, ac dicatur: *domus est operimentum constans ex lapidibus et cæmentis sic ordinatis ad ar-*

cendas pluvias, etc., talis definitio erit demonstratio sola positione differens, utpote continens principium et conclusionem demonstrationis, licet non disposita in figura et modo syllogistico. Cum ergo neque conclusio demonstrationis, neque principium, neque demonstratio possit esse corruptibilium, neque definitio potest esse corruptibilium.

3. Potest objici : eclypses solis et lunæ et alia ejusmodi sunt scibilia ac demonstrabilia; sed non sunt semper, sed aliquando; ergo, etc. Respondet Aristoteles, quod hæc semper sunt per comparationem ad causam, ex. gr., semper luna eclypsatur, cum terra interponitur; ergo sunt veritates perpetuæ, quantum sufficit ad demonstrationem. Quæ vero non sunt semper, etiam in ordine ad causam, eo pacto, quo ab homine non semper generatur homo, demonstrari possunt restringendo propositionem et concludendo, quod semper homo generat hominem, nisi quid per accidens impediat. Si vero demonstrationes non ponantur hoc pacto, conclusio non erit universalis, sed particularis, sicut est conclusio particularis, qua demonstratur eclypsis futura tali die et anno.

CAPUT IX

OSTENDITUR, DEMONSTRATIONEM NON CONSTARE EX COMMUNIBUS.

1. [9] Cum autem perspicuum sit, fieri non posse ut unumquodque demonstretur nisi ex suis principiis, si res quæ probatur subjecto insit, qua subjectum est illud ipsum quod est, certe eam rem scire non est hoc, si ex veris et indemonstrabilibus atque immediatis probatum fuerit. Fieri enim potest, ut ita probetur, quemadmodum Bryso tetragonismum. Etenim hujuscemodi rationes probant per commune quidpiam, quod et alteri rei inerit. Idcirco aliis quoque non ejusdem generis rebus hæ rationes aptantur. Itaque non qua est illud scit. sed ex accidenti ; alioqui demonstratio non aptaretur etiam alii generi. Unumquodque autem scimus non ex accidente, cum secundum illud cognoscimus, secundum quod inest, ex principiis, quæ illius, qua illud ipsum est, principia sunt. Exempli causa, duobus rectis æquales angulos habere tunc scimus, quando, cui per se inest quod dictum est, cognoscimus ex principiis hujus.

2. Quare si et illud per se inest ei cui inest, necesse est medium in eadem syngenia esse.

1. Postquam Aristoteles ostendit, demonstrationem non posse constare ex principiis extraneis et corruptibilibus, probat, quod neque potest constare ex communibus. Dicit ergo patere ex dictis, conclusionem, in qua de subjecto affirmetur aliquod prædicatum *per se*, non posse demonstrari, nisi ex propriis principiis, propter quæ tale prædicatum convenit subjecto; sed potest contingere, ut conclusio, in qua affirmetur prædicatum per se conveniens subjecto, inferatur ex propositionibus veris, indemonstrabilibus et immediatis, quæ tamen non sint propria principia, propter quæ prædicatum convenit subjecto, sed sint principia communia etiam rebus diversi generis ; ergo potest contingere, ut conclusio inferatur ex veris, indemonstrabilibus et immediatis, et tamen non demonstretur. Probat minorem adducens exemplum Brysonis, qui ut demonstraret, quadraturam circuli, sic est argumentatus. In quocumque genere datur majus et minus aliquo, datur etiam æquale illi ; sed in genere quadratorum datur quadratum majus et quadratum minus, quocumque circulo dato ; ergo datur etiam quadratum æquale. Probabat minorem ; dato enim circulo describebat duplex quadratum, alterum internum, alterum externum, et argumentabatur : quadratum externum est majus, utpote includens, quadratum internum est minus, utpote inclusum ; ergo, etc. Hæc demonstratio, ut patet, procedit ex principio non proprio geometriæ, sed communi geometriæ et arithmeticæ. Illud enim principium, quod in quocumque genere datur majus et minus, datur etiam æquale, est commune quatitati tum continuæ tum discretæ, adeoque tum geometriæ tum arithmeticæ; sed principium commune non est propria ratio et causa, cur circulus sit quadrabilis ; ergo non affert propriam rationem et causam, propter quam circulus est quadrabilis ; ergo etiamsi admittatur, principium assumptum esse verum, adhuc non demonstrat quadrabilitatem circuli, sed facit illam scire solum per accidens. Ut demonstratio faceret per se scire quadraturam circuli, deberet ostendere, dato circulo tale quadratum esse æquale secundum aream ex propriis principiis, propter quæ sequitur talis æqualitas, eo pacto, quo demonstratur, trianguli tres angulos esse æquales duobus rectis, ex propriis principiis trianguli, quia nimirum angulus externus æqualis est utrique interno et opposito,

ut videri potest lib. I. Euclidis propositione 32.

2. Ut igitur prædicatum *per se* demonstretur de subjecto, demonstrari debet per medium *per se* conveniens subjecto, adeoque ejusdem generis, cum termini demonstrationis debeant esse ejusdem generis, principia debeant esse propria generis, quod est subjectum proprium scientiæ; ergo non potest conclusio demonstrari per principia communia.

3. Sin minus, at certe ita erit, ut cum probantur problemata harmonica per principium arithmeticum. Quæ autem sunt ejusmodi, etsi itidem demonstrantur, tamen differunt. Quod enim sit, est alterius scientiæ, quia subjectum genus est diversum, cur autem sit, est scientiæ superioris, cujus per se affectiones sunt. Quare ex his etiam perspicuum est, non posse demonstrari unumquodque simpliciter, nisi ex propriis principiis. Sed harum principia habent aliquid commune.

4. Quod si perspicuum hoc est, perspicuum quoque est, non posse cujusque propria principia demonstrari, quoniam illa erunt omnium principia et eorum scientia erit omnium domina. Etenim magis scit qui ex superioribus causis novit; ex prioribus enim novit, cum ex iis novit, quæ non sunt effecta, sed tantum causæ. Quare si magis novit, etiam maxime. Et si scientia illa sit, et magis et maxime scientia est. Demonstratio vero non aptatur ad aliud genus, nisi, ut dictum est, geometricæ ad opticas vel mechanicas et arithmeticæ ad harmonicas.

5. Difficile autem est cognoscere, an quispiam norit necne; difficile enim est cognoscere, utrum ex cujusque rei principiis sciamus an non. Putamus autem scire, si modo ex veris et primis quibusdam propositionibus habeamus syllogismum. Sed non ita est, verum syngenea primis esse oportet.

3. Insinuat Aristoteles objectionem: nam per eadem principia demonstrantur conclusiones tum arithmeticæ tum musicæ; ergo potest aliqua conclusio demonstrari per principia communia pluribus scientiis. Respondet Aristoteles, scientiam subalternatam in hoc differre a subalternante, quod scientia subalternata de conclusionibus cognoscit solum, quod sunt veræ, non autem *propter quid* sunt veræ; scientia vero subalternans scit *propter quid* sunt veræ. Ex. gr., musica cognoscit per experientiam, quod soni habentes proportionem talium numerorum, faciunt consonantiam, at nescit, cur faciant consonantiam; e converso arithmetica cognoscit, cur faciant consonantiam; ergo dum scientia superior descendit ad demonstrandam conclusionem scientiæ inferioris, procedit ex principiis propriis scientiæ superioris, a quibus post demonstratas conclusiones per se scientiæ superioris, potest descendi ad demonstrandas conclusiones scientiæ inferioris, quæ continentur in conclusionibus scientiæ superioris, sicut conclusiones minus universales in magis universalibus, et sicut hæc conclusio, quod isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis, in hac universaliori, quod triangulus habet tres angulos æquales duobus; ergo patet omnem conclusionem debere demonstrari ex principiis propriis, licet deinde a conclusione universaliori possit descendi ad minus universalem in illa contentam, ut explicatum est.

4. Ex dictis infert Aristoteles, quod nulla scientia non habens communissimum subjectum, probat propria principia; metaphysica vero, quæ habet communissimum subjectum, hoc est ens ut ens, probat principia omnium aliarum scientiarum, ideoque est præstantissima inter scientias. Quod scientiæ, quæ non habent communissimum subjectum, non probent sua principia, patet; nam ex dictis considerant principia communissima suo subjecto; sed prima principia scientiarum solum possunt probari per principia universaliora de ente, ut ens est, qualia sunt, quod *non potest idem esse et non esse;* ergo scientiæ non habentes pro subjecto ens ut ens, non probant sua principia, sed ex illis probant conclusiones. At metaphysica, quæ considerat ens ut ens, quod est subjectum communissimum, considerat principia communissima, ex iisque potest descendere ad probanda principia minus communia, proportionaliter ac arithmetica, quæ considerat subjectum communius subjecto musicæ, descendit ad probanda principia musicæ. Hæc autem scientia communissima, quia considerat principia omnium prima, quæ, cum non habeant supra se alia principia, sunt maxime principia, est maxime scientia, et facit maxime scire, ideoque est scientiarum præstantissima. Demonstratio vero propria unius generis non potest transferri ad aliud genus, sed solum potest ex conclusione superiori de universaliori subjecto, descendi ad demonstrandam conclusionem minus universalem de subjecto minus universali, eo pacto, quo ex geometrica conclusione universaliori

de lineis aut solidis, descenditur ad conclusiones minus universales perspectivæ et mechanicæ de lineis visualibus ac de machinis solidis, et a conclusionibus arithmeticæ de numeris, descenditur ad conclusiones minus universales musicæ de numeris sonoris.

5. Concludit Aristoteles difficile admodum unumquemque discernere, utrum sciat conclusiones, an non; difficile enim discernitur, an principia sint propria vel communia. Multi præterea decipiuntur putantes sufficere ad scientiam cognoscere conclusiones ex veris atque immediatis, etiamsi propria non sint, quod tamen est falsum.

CAPUT X

DE DIVISIONE PRINCIPIORUM IN COMMUNIA ET PROPRIA; QUID SINT, ET QUOMODO ILLIS UTANTUR SCIENTIÆ.

1. [10] Principia vero in quoque genere appello ea, quæ quod sint probari nequit. Quid igitur significent et prima, et quæ ex his concluduntur, sumitur. Quod autem principia sint, sumere, quod alia sint, probare neccesse est. Veluti quid sit unitas, aut quid rectum et triangulum. Sed etiam unitatem et magnitudinem esse sumere oportet, reliqua vero probare.

Postquam Aristoteles ostendit, demonstrationem non procedere ex principiis communibus, sed ex propriis, definit ac dividit principia tum communia tum propria, et explicat, quo pacto iis utantur scientiæ. Primo ergo definit principia in genere, et explicat convenientiam ac disconvenientiam eorum ab iis, quæ principia non sunt; secundo dividit principia in propria et communia, et ex eorum differentiis ostendit, quo pacto scientiæ utantur principiis tum propriis tum communibus; tertio dividit principia in complexa et incomplexa, et declarat, quo pacto scientiæ considerent tum principia complexa tum incomplexa.

1. *Quoad primum :* principia sunt, quæ in quocumque genere demonstrari non possunt. Conveniunt igitur principia cum iis, quæ non sunt principia in hoc, quod de utrisque debet sumi, quid significent; differunt in hoc, quod principia sunt, de quibus non solum sumitur, *quid significent,* sed etiam, *quod sunt;* de non principiis vero sumitur solum, *quid significent;* quod autem *sint,* et reliqua debent demonstrari. Ex. gr., unitas est principium in arithmetica, linea est principium in geometria, quia non solum sumitur, quid sit unitas aut linea, sed etiam *quod est;* at rectum aut triangulus non sunt principium, quia solum in geometria sumitur *quid sint;* at vero angulum rectum constitui ad datum punctum lineæ rectæ, et datum triangulum constitui ad datam lineam rectam, demonstratur, ut patet ex propositione prima et octava lib. I Euclidis.

2. Ex iis autem quibus utuntur in demonstrativis scientiis, alia sunt propria cujusque scientiæ, alia communia. Communia inquam secundum proportionem, quoniam unumquodque utile est, in quantum est in genere sub scientiam subjecto. Propria sunt, ut lineam esse ejusmodi, et rectum esse ejusmodi. Communia, ut ab æqualibus æqualia si auferas, quæ relinquuntur, esse æqualia. Sufficit autem horum unumquodque, in quantum est in genere scientiæ subjecto. Idem enim faciet etiamsi non de omnibus geometra sumpserit, sed in magnitudinibus solis. Arithmetico vero sufficiet, si accipiatur in solis numeris.

3. Sunt autem propria et quæ sumuntur esse, circà quæ scientia considerat ea quæ insunt per se. Verbi causa unitates esse arithmetica sumit, geometria vero puncta et lineas. Nam hæc sumunt esse et esse hoc. Quæ vero sunt horum affectiones per se, quid earum unaquæque significet, accipiunt, ut arithmetica quid impar vel par vel quadratum vel cubus, geometria quid irrationale aut quid inflecti aut concurrere. Quod autem sit, demonstrant per communia et per ea quæ demonstrata fuerunt. Itidemque facit astrologia.

2. *Quoad secundum :* principia, quibus ad demonstrandum utuntur scientiæ, dividuntur in communia et propria. Communia sunt, quibus licet scientiæ utantur ut restrictis ad proprium subjectum, possunt tamen proportionaliter applicari subjectis aliarum scientiarum; ex. gr., hoc principium : *si ab æqualibus æqualia demas,* etc., est commune, licet geometra restringat illud ad magnitudines dicendo : *si ab æqualibus magnitudinibus æquales demas magnitudines, quæ remanent sunt æqualia;* arithmeticus restringat ad numeros dicendo : *si ab æqualibus numeris,* etc. Hinc patet Aristotelem non contradicere sibi, dum supra dixit demonstrationem non posse procedere ex communibus, hic dicit, scientias uti principiis communibus. Ibi enim docet, ex principiis communibus non restrictis ad genus subjectum scientiæ non posse conclusio-

nem sciri; hic docet, posse conclusionem sciri ex principiis communibus restrictis ad proprium subjectum ac determinatis per principia propria. Sicut enim causæ universales prout determinatæ per causas speciales, concurrunt ad effectus speciales, sic principia communia prout determinata per principia propria, causant conclusiones proprias scientiarum.

3. Principia propria scientiarum sunt, per quæ supponitur et explicatur *quid sint* subjecta, de quibus agunt scientiæ, et passiones, quæ demonstrari debent de subjectis. Ex. gr., principia propria geometriæ sunt suppositiones, quibus explicatur, quid sit linea recta vel circularis, quæ sunt partialia subjecta geometriæ; quid sit angulus rectus, acutus aut obtusus, quæ sunt passiones de lineis demonstrandæ. Subjecta etiam, de quibus scientiæ demonstrant passiones, et de quibus non solum supponunt *quid sint*, sed etiam *quod sint*, habent rationem principiorum incomplexorum. Ex. gr., lineæ, de quibus geometria non solum supponit *quid sint*, sed etiam *quod sint*, sunt subjecta partialia geometriæ.

4. Omnis enim demonstrativa scientia circa tria est. Horum duo sunt, quæ ponuntur esse, nempe genus, cujus per se affectiones scientia contemplatur, et communia illa quæ vocamus axiomata, ex quibus primis demonstrant. Tertium est affectiones; quarum quid quæque significet, demonstrator accipit.

5. Sane scientiæ nonnullæ, quominus ex his quædam despiciant, nihil vetat. Utputa aliqua scientia non supponat genus esse, si liquido constet illud esse (non enim æque manifestum est, numerum esse atque calidum et frigidum), neque accipiat quid affectiones significent, si sint manifestæ, quemadmodum ne communia quidem accipit quid significent, veluti quid significet æqualia ab æqualibus auferre, quia notum est. Sed nihilominus natura tria hæc sunt, id est circa quod demonstrat, et quæ demonstrat, et ex quibus.

4. *Quoad tertium :* tria sunt in scientia : subjectum, de quo demonstrantur passiones; passiones, quæ de subjectis demonstrantur; et dignitates communes, ex quibus passiones demonstrantur de subjectis. Dignitates communes sunt principia communia; suppositiones, quibus supponitur de subjecto, *quod sit*, et *quid sit*, et ex quibus de passionibus supponitur, *quid sint*, sunt principia propria. Ex. gr., principia propria arithmeticæ sunt, quibus in arithmetica supponitur, quid sit par, quid impar; quid quadratum, quid cubus; principia propria geometriæ sunt, quibus supponitur, quid sit proportio irrationalis, quid sit fractio linearum, quid linearum concursus. Idem dic de Astrologia et cæteris scientiis.

5. Addit Aristoteles posse aliquas ex dictis suppositionibus omitti in scientiis, cum sunt per se manifestæ; ex. gr., in physica non solet poni expressa suppositio, quod dentur calida et frigida, sicut in arithmetica ponitur expressa suppositio, quod dentur numeri. Ratio est, quia per sensum est manifestum dari calida et frigida; at non ita est statim manifestum dari numeros. Ex eadem ratione possunt omitti descriptiones, quibus explicatur, quid sint passiones de subjecto demonstrandæ, cum id est omnibus manifestum, sicut omittitur explicatio principiorum manifestorum, quale est illud : *si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent sunt æqualia*, licet explicatio principiorum non ita manifestorum non omittatur. Licet igitur tales suppositiones omittantur, tamen subintelliguntur. Ex natura igitur rei in scientia dantur tria hæc : subjectum, de quo supponitur *esse*, et *quid sit;* passio, de qua supponitur, *quid sit;* et communes dignitates, de quibus supponitur, *quod sint veræ*, et ex quibus, addendo alias suppositiones, demonstrantur passiones de subjectis.

CAPUT XI

QUID SINT DIGNITATES, SUPPOSITIONES, PETITIONES AC DEFINITIONES; ET QUOMODO INVICEM DIFFERANT.

1. Non est autem suppositio nec postulatum, id quod necesse est esse per se, et videri necesse est. Non enim ad externum sermonem demonstratio pertinet, sed ad eum qui est in anima, quia nec syllogismus ad illum, sed ad hunc pertinet. Semper enim licet objicere adversus sermonem externum, sed adversus internum sermonem non semper licet.

2. Quæcumque igitur, cum probari possint, sumit ipse demonstrator sine probatione, hæc si accipiat probabilia discenti, supponit; et est non simpliciter suppositio, sed ad illud solum. Si vero cum nulla insit opinio, aut etiam cum contraria insit, demonstrator sumat, idem postulat. Eoque differunt suppositio, quæ Græco vocabulo hypothesis appellatur, et postulatum. Est enim postulatum, quod est subcontrarium discentis opinioni, quod, cum sit demonstrabile, aliquis sumit, eoque utitur non probato.

3. Definitiones igitur non sunt suppositiones, quia non dicunt esse aut non esse. Verum in propositionibus suppositiones continentur. Definitiones vero tantum intelligi oportet. Hoc autem non est suppositio, nisi quis et verbum audire suppositionem esse dixerit. Sed illæ sunt suppositiones, quibus positis, quia illæ sunt, efficitur conclusio.

1. Postquam Aristoteles distinxit principia propria a communibus, distinguit inter se dignitates seu communes conceptiones a suppositionibus, easque definit. Dignitates differunt a suppositionibus per hoc, quod dignitas est principium, quod non solum per se ipsum necesse est esse, sed etiam videri; ex. gr.: *non potest idem esse et non esse; omne totum est majus sua parte*. At suppositio est, quam necesse est quidem esse, sed non necesse est videri; potest enim contingere, quod alicui non satis penetranti terminos, non appareat vera. Hinc patet dignitatem et suppositionem convenire in hoc, quod propter se necesse est eas esse; differre vero in hoc, quod dignitates necesse est etiam videri, secus suppositiones. Et quia contra definitionem dignitatis posset opponi, quod potest aliquis negare dignitates; ergo non necesse est dignitates videri veras, — respondet Aristoteles, quod potest quis dignitates negare ore, non autem mente; at dignitates dicuntur ex eo quod non possint negari mente, sicut demonstratio est, quæ ita convincit, ut non possit negari mente; et syllogismus est, cujus conclusio negari mente non potest, concessis præmissis, licet ore possit quis negare demonstrationem et conclusionem syllogismi, præmissis concessis.

2. Præter suppositiones late sumptas, quas jam definivimus, dantur etiam suppositiones stricte sumptæ et petitiones. Suppositio stricte sumpta ac petitio conveniunt in hoc, quod sunt demonstrabiles, saltem in scientia superiore, et tamen sumuntur sine demonstratione; ex. gr., principia perspectivæ, licet sint demonstrabilia in geometria, sumuntur in perspectiva sine demonstratione. Differunt in hoc, quod principia demonstrabilia ac sumpta sine demonstratione, quando videntur vera discenti, cum quo agitur, tum mere supponuntur, etiam ex opinione discentis; quando vero discenti neque videntur falsa neque vera, tunc sunt petitiones, quia petitur a discente, ut illa admittat; quando autem videntur falsa discenti, tunc neque sunt suppositio neque petitio, sed sunt quæstio, quia de illis oritur disputatio, utrum sint vera vel falsa.

3. Explicato discrimine inter suppositionem et petitionem, explicat Aristoteles differentiam horum a definitionibus. Prima differentia est : omnis suppositio est propositio, atque adeo est oratio affirmativa vel negativa; at definitio non est propositio, cum neque sit oratio affirmativa neque negativa, sed solum sit oratio explicans rem. Secunda differentia est : suppositio non consistit solum in hoc, quod suppositum intelligatur, sed in hoc, quod judicetur esse verum; alioquin si intelligere quod dicitur, esset supponere, etiam audire quod dicitur, esset supponere, quod est absurdum. Suppositiones igitur sunt, quibus admissis necessario sequitur conclusio, eo quod illa sint admissa; sed ad definitionem sufficit, ut per ipsam res intelligatur. Tertia differentia, quam Aristoteles affert, soluta quadam dubitatione, cujus solutionem nos commodius paulo post afferemus, est : omnis suppositio est propositio vel universalis vel particularis; sed definitio neque est universalis neque particularis; ex. gr., definitio hominis est : *animal rationale;* absurde vero diceretur, quod definitio hominis est *omne vel aliquod animal rationale.*

4. Neque geometra falsa supponit, ut nonnulli asserunt, qui non oportere inquiunt falso principio uti, geometram vero mentiri, dum pedalem ait esse lineam, quæ non est pedalis, aut rectam eam quam descripsit, quæ non est recta. At geometra nihil concludit ex eo quod sit hæc linea, quam ipse protulit, sed quod sunt ea quæ hisce notis declarantur. Præterea postulatum suppositioque omnis vel est ut totum vel ut in parte; definitiones autem neutrum horum sunt.

5. [11] Species igitur esse aut unum quidpiam præter multa non necesse est, si demonstratio fuerit. Sed necesse est ut vere dicatur esse unum de multis, quia non erit universale, nisi hoc sit; quod si universale non sit, medium non erit, proinde nec demonstratio. Oportet igitur aliquid unum et idem in pluribus esse non homonymum.

4. His explicatis proponit Aristoteles ac solvit duas dubitationes. Prima est : demonstrans non debet uti falsis suppositionibus; sed mathematici utuntur falsis suppositionibus; descripta enim aliqua linea, supponunt illam esse pedalem vel rectam, licet illa linea neque sit pedalis et fortasse neque sit recta; ergo, etc. Re-

spondet Aristoteles, quod mathematici non demonstrant conclusiones de lineis descriptis, sed de aliis lineis, quæ per descriptas significantur et intelliguntur, et quæ vere sunt pedales et rectæ; ergo nihil falsum supponunt.

5. Secunda dubitatio, quia ex eo, quod, ut dictum est cap. VIII, num. 1, demonstratio debeat esse de universalibus et sempiternis, videtur, quod debeant dari universalia sempiterna, adeoque formæ et ideæ, quas Plato admittebat. Respondet Aristoteles, quod universale, de quo agit scientia, est unum de multis non solum communi nomine prædicandum; sed ad hoc, ut sit unum de multis prædicandum, debet esse in multis, hoc est in singularibus, non autem præter multa, hoc est præter singularia, ut ponebat Plato; si enim esset extra singularia, non posset de singularibus prædicari; ergo ad scientias non requiritur universale Platonicum, sed requiritur aliud universale existens in singularibus fundamentaliter, et formaliter constitutum universale, per operationem mentis. Quod autem hoc universale requiratur ad demonstrationem, patet, quia medium debet esse unum, quod de pluribus prædicetur non æquivoce, sed secundum rationem ac definitionem eamdem.

CAPUT XI. — ART II

QUO PACTO SCIENTIÆ UTANTUR PRINCIPIIS DE CONTRADICTORIIS

6. Fieri autem non posse ut idem simul affirmetur et negetur, nulla sumit demonstratio, nisi oporteat etiam conclusionem sic probare. Probatur autem, cum sumptum fuerit primum de medio vere affirmari, non vere negari. Medium autem sumere esse et non esse nihil refert; itidemque tertium. Nam si concessum fuerit, de quo homo vere dicitur, quamvis non homo vere dicatur, si modo tamen homo vere dicitur, eum esse animal, non autem non animal, profecto vere dicetur Calliam, etiamsi non sit Callias, tamen esse animal, non autem non animal. Hujus autem rei causa est, quia primum non solum de medio dicitur, sed etiam de alio, quippe quod est in multis. Quocirca si medium et id ipsum est et non id ipsum, ad conclusionem nihil attinet.

7. De quavis autem re affirmationem aut negationem veram esse, ea demonstratio sumit, quæ ducit ad impossibile. Atque hæc axiomata non sumuntur semper universaliter, sed in quantum sufficit. Sufficit autem quod sumitur in genere subjecto. Dico autem in genere subjecto, ut circa quod genus demonstrationes affert, quemadmodum antea quoque dictum fuit.

Postquam Aristoteles distinxit varia genera principiorum, et explicavit, quo pacto scientiæ utantur principiis tum propriis tum communibus, explicat, quo pacto scientiæ utantur duobus communissimis principiis, quæ sunt : *non potest idem esse et non esse; quodlibet vel est vel non est.*

6. Docet igitur *primo* Aristoteles, quod nulla scientia utitur ut præmissa demonstrationis illo principio, *non potest idem simul esse et non esse, affirmari ac negari.* Probatur; si enim uteretur, vel poneret illud ex parte primi, hoc est majoris extremi, vel ex parte medii, vel ex parte ultimi seu minoris extremi; nullum ex his dici potest : ergo, etc. Probatur minor, quia ex parte majoris extremi non debet poni, nisi forte contra protervum; ex. gr., ad demonstrandum, quod *Callias est animal*, sufficit dicere : *omnis homo est animal; Callias est homo; ergo Callias est animal,* — si vero protervus diceret, *Calliam esse animal et non animal*, tum deberemus illo principio uti ex parte majoris extremi, dicendo : *omnis homo est animal, et non est non animal; Callias est homo; ergo Callias est animal, et non est non animal.* Ex parte medii poni non debet; ex. gr., dum dicitur : *omnis homo est animal; Callias est homo,* — non debet addi : *omnis homo est animal, et non homo non est animal.* Ratio est, quia cum majus extremum possit esse superius et communius medio, sicut in exemplo posito *animal* est superius *homine,* potest contingere, ut majus extremum prædicetur de medio et de ejus contradictorio, sicut *animal* non solum prædicatur de *homine*, sed etiam de *non homine,* ex gr., de *equo;* ergo non debet poni ex parte medii; argumentum enim eodem pacto procedit, etiamsi majus extremum prædicetur de medio et de ejus contradictorio. Ex eadem ratione neque debet poni ex parte minoris extremi; ex. gr., in argumento posito : *omnis homo est animal; Callias est homo,* — non debet addi : *Callias est homo, et non Callias non est homo,* quia cum medium possit esse superius et communius minori extremo, sicut in exemplo posito *homo* est superior *Callia*, nihil refert ad conclusionem, quod Callias et etiam non

Callias sit homo. Quod si contra protervum deberet inferri : *Callias est animal, et non est non animal,* adhuc nihil referret, quod poneretur ex parte medii vel minoris extremi, dummodo poneretur ex parte majoris extremi. Ex. gr., ad inferendum : *Callias est animal, et non est non animal,* sufficit dicere : *omnis homo est animal, et non est non animal; Callias est homo; ergo Callias est animal, et non est non animal,* — nec debet addi : *omnis homo est animal, et non est non animal, et non homo non est animal;* ergo per se illud principium, *non potest idem,* etc., non debet poni formaliter in demonstratione, nisi forte contra protervum, ut explicatum est. Hic est sensus Aristotelis obscurissime expressus in textu, præsertim propter imperfectionem versionum latinarum.

7. Docet *secundo,* quod scientiæ in demonstratione ad impossibile utuntur illo alio principio : *quodlibet vel est vel non est.* Per demonstrationem enim ad impossibile, sic argumentamur : *si hoc non esset verum, contradictorium esset verum;* necesse est enim, ut vera sit affirmatio vel negatio : *contradictorium non est verum, sed falsum : ergo,* etc. Non est tamen necesse, ut scientiæ sumant illud principium universaliter, sed sufficit, ut sumant illud prout restrictum ad genus vel subjectum ipsarum; ex. gr., sufficit, ut geometria sumat, quod *linea vel est recta vel non est recta; falsum est, quod non sit recta; ergo est recta.*

CAPUT XII — ART. I

QUO PACTO SCIENTIÆ AC PRÆSERTIM DIALECTICA ET METAPHYSICA UTANTUR ALIIS PRINCIPIIS COMMUNIBUS.

1. Communicant autem inter se omnes scientiæ secundum communia. Communia vero appello ea quibus utuntur tanquam ex his demonstrantes, non ea de quibus demonstrant, nec quod demonstrant.

2. Ac dialectica omnibus scientiis communis est. Et si qua scientia universaliter conatur probare communia principia, veluti de quacumque re veram esse affirmationem vel negationem, aut esse æqualia quæ relinquuntur, cum ab æqualibus æqualia dempta fuerint, aut alia ejusmodi. Dialectica vero non est ita definitorum quorumdam, neque unius cujusdam generis. Alioqui non interrogaret ; demonstranti namque non licet interrogare, quia ex oppositis non probatur idem, ut probatum fuit in libris de syllogismo.

Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto scientiæ utantur duobus principiis communissimis de contradictoriis, explicat, quo pacto utantur aliis principiis communibus, ex. gr., illo : *omne totum est majus sua parte.*

1. Docet igitur *primo,* quod scientiæ non communes utuntur principiis communibus sicut principiis, ex quibus demonstrant, non autem sicut subjecto, de quo aliquid demonstrant, vel sicut passionibus, quas de subjecto demonstrant; ex. gr., geometria nihil demonstrat de hoc principio : *quodlibet vel est vel non est,* neque illud demonstrat ut passionem de ullo subjecto.

2. Docet *secundo,* quod duæ scientiæ communes, hoc est metaphysica et dialectica non solum utuntur principiis ad demonstrandum, sed etiam considerant illa ut subjecta, de quibus aliquid demonstrent, et ut passiones, quas demonstrant de aliquo subjecto; ex. gr., metaphysica demonstrat de his principiis : *non potest idem esse et non esse* etc. quod nullus potest illa negare mente, sed solum ore. Præterea metaphysica demonstrat principia communia, cujusmodi sunt : *non potest idem esse et non esse; si ab æqualibus æqualia demas, quæ remanent, sunt æqualia,* contra protervos demonstratione non ostensiva, sed redargutiva, ut explicatur IV Metaph. text. VII et sequentibus. De iisdem etiam principiis agit dialectica, sed aliter ac metaphysica. Neque enim dialectica procedit ex principiis certis, sed ex probabilibus in utramque partem ; ideoque dialecticus interrogat paratus probare utramlibet partem contradictionis, cum utraque possit esse probabilis. Demonstrator e converso non interrogat paratus demonstrare utramlibet partem contradictionis (cum enim non possit utraque pars contradictionis esse vera, non potest utraque demonstrari), sed demonstrat illam partem contradictionis, quæ est vera. Similiter demonstrator non sumit principia interrogando, paratus probare conclusionem ex eo, quod admittitur, sed sumit illam partem contradictionis, quæ est vera, et ex ea demonstrat conclusionem. Cujus ratio est, quia non potest demonstrari nisi verum et ex veris, ut dictum est cap. VI, num. 5. Differentia vero demonstratoris a dialectico explicata est lib. I Prior. cap. I.

CAPUT XII — ART. II

OSTENDITUR IN SCIENTIIS DARI PROPRIAS INTERROGATIONES, RESPONSIONES, DISPUTATIONES, DECEPTIONES ET IGNORANTIAS, SIVE ERRORES.

3. [12] Si vero idem est interrogatio syllogistica et propositio, quæ est altera pars contradictionis, propositiones autem sunt in quaque scientia, ex quibus constat syllogismus ille, qui in quaque scientia efficitur, erit utique interrogatio quædam scientialis de his, ex quibus fit syllogismus in quaque scientia proprius. Constat igitur non omnem interrogationem esse geometricam aut medicam. Similiter autem se res habet etiam in aliis.

4. Sed eæ demum sunt interrogationes geometricæ, ex quibus vel probatur eorum quidpiam, de quibus est geometria, vel quæ ex iisdem principiis probantur, ex quibus geometria, cujusmodi sunt optica problemata. Similiterque res se habet in aliis. Ac de his quidem etiam disceptatio subeunda est ex geometricis principiis et conclusionibus. De principiis autem disceptatio subeunda non est geometræ qua est geometra. Similiterque se res habet in aliis scientiis.

Postquam Aristoteles ostendit, quod in scientiis præter principia communia dantur etiam principia propria, proprium subjectum et propriæ passiones, procedit ad ostendendum, quod dantur etiam propriæ interrogationes, responsiones, disputationes, deceptiones, ignorantiæ et errores. Primo ergo ostendit, quod in qualibet scientia dantur propriæ interrogationes, et explicat quæ sint; secundo probat dari etiam proprias responsiones et disputationes; tertio proponit ac solvit tres quæstiones circa deceptiones et ignorantias proprias scientiarum, et ostendit, quod in scientiis demonstrativis ac præsertim in Mathematicis, aut nunquam aut raro fiunt paralogismi, tum ex fallaciis in dictione, tum ex fallaciis extra dictionem.

3. *Quoad primum*, primo sic probat dari interrogationes proprias scientiarum. Propositio syllogistica, in qua sumitur determinata pars contradictionis, secundum substantiam non differt ab interrogatione syllogistica. Idem enim in quantum ponitur ut præmissa syllogismi, est propositio; in quantum ponitur ut consequentia illata, est conclusio; in quantum interrogatur et petitur, est interrogatio seu petitio. Ex. gr., in quantum Mathematicus quærit : *nonne a puncto ad punctum potest duci linea? nonne in spatio dato potest describi circulus?* etc. sunt interrogationes seu petitiones; in quantum vero in syllogismo assumit : *a puncto ad punctum potest duci linea,* etc. sunt propositiones; sed in scientiis dantur propriæ conclusiones demonstrandæ et propriæ propositiones assumendæ tanquam præmissæ demonstrationum, ut probatum est; ergo dantur etiam propriæ interrogationes; ergo non omnes interrogationes sunt geometricæ, nec omnes medicæ, sed multæ interrogationes sunt alienæ a geometria et a medicina; ex. gr., hæc interrogatio : *nonne linea circularis est pulcherrima inter lineas?* est aliena a geometria.

4. Secundo explicat, quæ sint interrogationes propriæ scientiarum, ac docet interrogationes proprias scientiarum esse de principiis propriis, ex quibus demonstrantur conclusiones propriæ talium scientiarum, vel scientiarum subalternatarum, et de conclusionibus propriis demonstrandis a scientia; ex. gr., interrogationes propriæ geometriæ sunt vel de principiis propriis, ex quibus demonstrantur conclusiones geometriæ et scientiarum subalternatarum, quarum proinde conclusiones demonstrantur ex principiis geometricis, cujusmodi est perspectiva, et de conclusionibus demonstrandis in geometria. Addit, quod si interrogatio est de conclusionibus, reddenda est ratio illarum in scientia; at si interrogatio est de principiis, non est de iis reddenda ratio in scientia, quia scientiæ non reddunt rationem de propriis principiis, nisi forte per accidens; ex. gr., geometra, ut geometra non probat a puncto ad punctum posse duci lineam, nisi forte per accidens, in quantum idem est geometra simul et metaphysicus.

5. Neque igitur omni interrogatione quisque sciens est interrogandus, nec ad omnem interrogationem respondere oportet de quavis re, sed ad ea quæ illius scientiæ, quam quisque tenet, finibus continentur. Si quis vero sic disputet cum geometra qua geometra est, apparet eum recte disputare, si ex his quidpiam probet; sin minus, non recte. Sed et manifestum est eum non redarguere geometram, nisi per accidens. Quocirca apud geometriæ imperitos non est de geometria disserendum; latebit enim vitiose disserens. Similiter autem res se habet etiam in aliis scientiis.

5. *Quoad secundum*, sic probat Aristoteles, quod sicut in scientiis dantur propriæ interrogationes, sic dantur propriæ

responsiones: ad eamdem scientiam spectat interrogare et respondere; sed non ad omnem scientiam spectat quælibet interrogare; ergo non ad omnem scientiam spectat ad quamlibet interrogationem respondere. Et quia ex interrogationibus et responsionibus oritur disputatio, ideo non ad omnem scientiam spectat de quibuslibet disputare. Ex. gr., non spectat ad geometram respondere ad interrogationem : *utrum linea circularis sit pulcherrima linearum?* neque de hoc disputare. Ille ergo bene disputat in geometria, qui et interrogat interrogationes geometricas, et respondet geometricas responsiones, et argumentatur ex principiis geometricis. Qui vero non hoc disputat modo, male disputat; et qui redarguit eum, cum quo disputat ex principiis non geometricis, non redarguit geometram per se et ut geometra est, sed solum per accidens, in quantum accidit, ut is, qui redarguit non geometrice, sit geometra. Hinc Aristoteles infert, quod de rebus geometricis non est disputandum inter ignaros geometriæ, quia non possunt dijudicare, utrum bene vel male disputetur: et ex eadem ratione de propriis scientiarum et artium non est disputandum coram ignaris talium scientiarum atque artium.

6. Quia vero sunt quædam geometricæ interrogationes, suntne etiam non geometricæ? et in quaque scientia, quæ sunt secundum ignorantiam, secundum qualem sunt geometricæ vel non geometricæ? et utrum syllogismus secundum ignorantiam est syllogismus constans ex oppositis, an paralogismus,

7. secundum geometriam tamen? an ex alia arte, ut interrogatio musica est non geometrica de geometria; putare autem æquidistantes concurrere geometricum est quodammodo, et non geometricum alio modo? duplex enim hoc est, quemadmodum arrhythmum; et alterum quidem est non geometricum, quia non habet sicut arrhythmum, alterum vero, quia prave habet.

8. Atque hæc ignorantia, quæ est ex hujusmodi principiis, est contraria scientiæ.

9. In mathematicis autem non æque atque in disputationibus est paralogismus, quia medium semper est duplex. Etenim aliud de hoc omni, et hoc de alio omni dicitur. Attributum vero non dicitur omne. Hæc autem licet quasi videre intelligentia. In disputationibus vero latet, an omnis circulus sit figura. Quodsi descripserit, manifestum est. Quid autem? carmina sunt circulus? apparet non esse.

6. *Quoad tertium*, proponit Aristoteles tres quæstiones. Prima est, an sicut dantur interrogationes geometricæ, hoc est propriæ geometriæ, sic dentur interrogationes ageometricæ, hoc est contrariæ geometriæ; et utrum universim sicut dantur interrogationes propriæ cujuscumque facultatis, sic dentur interrogationes contrariæ? Secunda est, utrum interrogationes procedentes ex ignorantia pravæ dispositionis circa geometriam, sint geometricæ; et universaliter, utrum interrogationes procedentes ex ignorantia pravæ dispositionis in qualibet scientia, sint propriæ illius scientiæ? (vide cap. xv n. 1). Tertia est, utrum syllogismus ignorantiæ in scientiis sit syllogismus procedens ex falsis et erroneis contra talem scientiam, adeoque peccans in materia, non autem in forma syllogistica, an potius sit paralogismus, hoc est syllogismus peccans in forma syllogistica?

7. Ad primam quæstionem respondet, quod sicut dantur interrogationes geometricæ, sic dantur interrogationes ageometricæ. Possunt autem interrogationes dici ageometricæ dupliciter : primo, quia interrogant de aliquo non spectante ad geometriam,sed ad aliam facultatem; ex. gr., ad musicam, cujusmodi esset interrogatio, qua aliquis in geometria quæreret, utrum tonus possit dividi in duos semitonos? Secundo interrogationes possunt dici ageometricæ, quia interrogant quidem de re geometrica, sed supponendo principia contraria geometriæ; ex. gr., si quis quæreret, in quo puncto concurrant lineæ parallelæ? Quæreret de aliquo geometrico, sed supponens principium contrarium geometriæ, quod nimirum parallelæ concurrant. Explicatur exemplo. Potest aliquid dici innumerosum dupliciter, primo, quia omnino caret numero; secundo, quia habet quidem numerum, sed malum; ergo proportionaliter interrogatio potest dici ageometrica, vel quia interrogat de re non geometrica, vel quia supponit principia contraria geometriæ. Idem dic de cæteris scientiis.

8. Hinc patet solutio ad secundam quæstionem, utrum nimirum interrogationes contrariæ principiis geometriæ sint geometricæ? Dicendum, quod in aliquo sensu sunt geometricæ, in alio ageometricæ. Sunt geometricæ, in quantum versantur circa materiam geometricam; at sunt ageometricæ, in quantum supponunt principia contraria geometriæ.

9. Ad tertiam quæstionem respondet

Aristoteles syllogismos ignorantiæ in scientiis demonstrativis ac præsertim in in mathematicis solere peccare in materia, eo quod assumant aliquid falsum, quod videtur verum, non vero in forma. Quod autem in mathematicis difficile peccetur in forma, probatur, quia cum syllogismus peccat in forma, vel fallacia est in dictione, eo quod medius terminus ex. gr., sumitur æquivoce etc., vel est extra dictionem, eo quod medius terminus non distribuatur etc.; sed in demonstrativis ac præsertim in mathematicis, neque facile incurritur in fallaciam dictionis neque in fallaciam extra dictionem; ergo etc. Probatur minor, et primo quoad *primam partem*, quod non incurratur in fallaciam dictionis; præcipua enim fallacia dictionis, ad quam aliæ reducuntur, est fallacia æquivocationis; in hanc non incurritur; ergo etc. Probatur minor, quia tum incurritur in fallaciam æquivocationis, cum ponuntur termini, non ponendo eorum definitionem; definitio enim tollit æquivocationem terminorum; sed in mathematicis non ponuntur termini, nisi per definitionem illos ponendo ob oculos mentis, et per descriptionem figurarum ponendo etiam ob oculos corporis, ergo etc. Explicatur exemplo: in dialecticis enim facile committitur hæc æquivocatio: *omnis circulus est figura*: *aliquod genus carminis apud Homerum est circulus; ergo aliquod genus carminis, in quo idem est principium et finis, est figura;* dialecticus enim dum loquitur de circulo, neque per definitionem ponit illum ob oculos mentis, neque per descriptionem ante oculos corporis; at hæc æquivocatio in geometria evanescit, quia geometra agens de circulo, prius per definitionem ponit illum ante oculos mentis, deinde per descriptionem ante oculos corporis. Si ergo posita majori: *omnis circulus est figura;* subsumatur minor: *tale genus carminis est circulus,* — statim potest minor instari ostendendo, quod tale genus carminis non est circulus secundum allatam definitionem circuli.

10. Non oportet autem adversus id objicere, si sit propositio inductiva. Nam quemadmodum non est propositio, quæ non est in pluribus, quia non erit in omnibus (ex universalibus autem propositionibus syllogismus ille constat), ita nec objectionem esse constat. Eædem enim sunt propositiones et objectiones. Quam enim objectionem quispiam affert, hæc potest fieri propositio vel demonstrativa vel dialectica.

11. Accidit autem ut nonnulli vitiose concludant, quoniam accipiunt ea quæ ambobus extremis consequentia sunt, ut et Cæneus facit concludens, ignem gigni multiplici proportione, quia et ignis celeriter gignitur, ut ipse ait, et hæc proportio. Sic autem non est syllogismus, sed si celerrimæ proportioni consequens sit multiplex, ignique celerrima in motione proportio. Interdum igitur non accidit, ut concludatur ex iis quæ sumpta fuerunt; interdum vero contingit, sed non videtur.

10. Quia vero Aristoteles fecit mentionem de instantia, explicat differentiam instantiæ demonstrativæ a dialectica. Instantia est *propositio propositioni contraria;* ex. gr., si aliquis assumat: *omne animal respirat,* instantia est, si quis assumat oppositum, quod *non omne animal respirat*, et probet, quia animalia carentia pulmonibus non respirant. Instantia demonstrativa est propositio propositioni contraria, quæ ponitur ut demonstranda. Instantia dialectica est propositio propositioni contraria, quæ ponitur ut probabiliter probanda. Hoc posito, quia Dialectica non solum probat propositiones universales et *de omni,* sed etiam particulares, instantia dialectica potest esse particularis; at quia propositiones demonstrandæ debent esse universales et *de omni,* ut dictum est supra cap. IV, num. 1, instantia demonstrativa debet esse propositio universalis.

11. Probatur jam minor quoad *secundam partem*, quod nimirum in mathematicis difficile incurritur in fallaciam extra dictionem. Si enim in aliquam fallaciam incurreretur, maxime in fallaciam consequentis; sed in hanc non facile incurritur; ergo etc. Probatur major, quia fallacia extra dictionem vel est fallacia accidentis, vel fallacia secundum quid et simpliciter, vel fallacia consequentis; in fallaciam accidentis non incurritur, quia sumuntur propositiones per se et non per accidens; in fallaciam *secundum quid et simpliciter* non incurritur, quia sumuntur propositiones *de omni et semper*, ergo deberet incurri in fallaciam consequentis. Probatur ergo minor, quod neque incurratur in fallaciam consequentis. In fallaciam enim consequentis præcipue incurritur, quando sumitur medium communius et superius utroque extremo, et sic fit argumentum in secunda figura ex puris affirmativis, quale fecit Cæneus, sic probans, quod ignis generatur in multiplicata proportione, hoc est ita, ut

quando aliquid mutatur in ignem, rarefiat ac crescat materia, sicut accidit in pulvere tormentario, dum ignescit : *quod generatur in multiplicata proportione celerrime gignitur; sed ignis celerrime gignitur; ergo ignis generatur in multiplicata proportione.* Hoc argumentum Cænei non concludit; ut autem concluderet deberet verificari conversa majoris, nimirum, quod *omne, quod celerrime gignitur, generatur in multiplicata proportione*, quod tamen est falsum; aliquando enim celerrime ex vapore fit aqua, et tamen tum materia condensatur, adeoque non fit generatio in multiplicata, sed in diminuta proportione. Jam argumentum in secunda figura ex puris affirmativis, aliquando concludit, aliquando non concludit. Concludit ratione materiæ, cum medius terminus est convertibilis; cum medius terminus est communior majori extremo, non concludit. Ex. gr., hoc argumentum : *omne rationale est risibile; omnis homo est risibilis; ergo omnis homo est rationalis,* concludit ratione materiæ, quia cum risibile convertatur cum rationali, valet : *omne risibile est rationale; omnis homo est risibilis ; ergo omnis homo est rationalis.* E converso hoc argumentum : *omnis homo est animal ; omnis equus est animal; ergo omnis equus est homo*,, non concludit, quia animal, quod est medius terminus, est superius homine, qui est majus extremum. Subjungit Aristoteles rationem, cur difficile discernatur an valeat conversio, quam rationem nos commodius explicabimus paulo post num. 12. Jam in mathematicis medius terminus solet esse definitio subjecti, vel saltem non accidens, sed passio subjecti; sed definitio et etiam passio est convertibilis cum subiecto, ergo in mathematicis etiam argumentum ex puris affirmativis plerumque concludit, adeoque difficile et raro incurritur in fallaciam consequentis; cum ex opposita ratione facile et sæpe in eam fallaciam incurratur in Dialectica.

12. Quod si non posset ex falsis verum probari, facilis esset resolutio, quia necessario converteretur. ponatur enim esse τὸ α ; cum autem hoc sit, hæc quoque sunt quæ esse novi, veluti τὸ β. Ex his igitur ostendam illud esse. Magis autem convertuntur quæ traduntur in mathematicis, quia nullum accidens accipiunt (immo hoc differunt ab iis, de quibus disseritur) sed definitiones.

13. Augentur autem non per media, sed quia assumunt alia, ut τὸ α de β et hoc de γ, rursus hoc de δ, et hoc in infinitum. Et in transversum, veluti τὸ α et de γ et de ε. Utputa est numerus tantus vel infinitus ; hoc, ubi α ; impar numerus tantus, ubi β ; numerus impar, ubi γ ; est igitur τὸ α de γ. Atque est par tantus numerus, ubi δ ; par numerus, ubi ε ; est igitur τὸ α de ε.

12. Quia vero Aristoteles dixit, aliquos terminos esse convertibiles, aliquos non, explicat, cur difficile advertatur, an valeat conversio vel non. Dicit rationem esse, quia verum potest etiam sequi ex falso. Si verum non posset sequi ex falso, eo ipso, quod videremus, quod aliquod consequens sequitur ex aliquo antecedenti, et quod consequens est verum, possemus inferre etiam antecedens esse verum; ex. gr., valeret : *si asinus est homo, est animal ; sed est verum, quod asinus est animal, et verum non potest sequi ex falso ; ergo verum est etiam, quod asinus est homo.* Sed quia verum potest sequi ex falso, ideo difficile est resolvere et videre, utrum antecedens, ex quo sequitur consequens verum, sit verum an falsum.

13. Ex eo, quod scientiæ mathematicæ assumant ut medium definitionem subjecti vel passionem convertibilem cum subjecto, dialectica vero assumat accidentia subjecti, sequitur, ut diverso modo crescant et augeantur scientiæ mathematicæ, multiplicando demonstrationes, ac crescat dialectica, multiplicando syllogismos dialecticos. Quia enim dialectica probat conclusionem per medium accidentale et non per propriam causam, sequitur, quod possit eamdem conclusionem probare per plura media, cum accidentia possint multiplicari in infinitum, et sic, quod dialectica possit augeri multiplicando plura media ad probandas easdem conclusiones. At vero scientia perfecta, cum demonstret per propriam causam, propria vero causa sit unica, demonstrat per unicum medium, adeoque non augetur multiplicando media ad probandam eamdem conclusionem. Augentur igitur scientiæ mathematicæ aliæque demonstrativæ alio duplici modo excellentiore. Primo augentur secundum quamdam longitudinem, probando primam passionem subjecti ex definitione, et deinde secundam passionem ex prima, tertiam ex secunda, et sic in infinitum, ut patet in demonstrationibus Euclidis. Secundo augentur secundum quamdam latitudinem, probando per idem medium passionem de pluribus subjectis. Ex. gr., po-

sita sit hæc demonstratio : *omnis numerus quantus est finitus vel infinitus; omnis numerus impar est quantus; ergo omnis numerus impar est finitus vel infinitus;* medius terminus est *numerus quantus.* Potest igitur augeri scientia demonstrando eamdem passionem de alio subjecto, hoc est de numero pari ac dicendo : *omnis numerus quantus, vel est finitus vel infinitus; omnis numerus par est quantus; ergo* etc. Patet igitur, quod diverso modo augentur scientiæ demonstrativæ, ac augeatur dialectica.

CAPUT XIII

DE DEMONSTRATIONE *quia* EJUSQUE SPECIEBUS, AC DE DIFFERENTIA DEMONSTRATIONIS *quia* ET *propter quid*, TUM IN EADEM TUM IN DIVERSA SCIENTIA.

1. [13] Scire autem quod sit et cur sit, differunt, primum quidem in eadem scientia. Atque in hac bifariam, uno modo, si non ex immediatis efficiatur syllogismus, quia non accipitur prima causa ; scientia vero, cur res sit, per primam causam habetur. Alio modo, si fiat quidem ex immediatis, at non ex causa, sed ex eo quod inter ea quæ reciprocantur notius est. Nihil enim prohibet, quominus inter ea quæ sibi invicem attribuuntur, notius sit interdum id quod non est causa. Itaque ex hoc erit demonstratio.

2. Veluti quod planetæ prope sunt ex eo demonstratur, quod non scintillant. Esto, ubi γ, planetæ; ubi β, non scintillare; ubi α, prope esse. Vere igitur τὸ β dicitur de γ, quia planetæ non scintillant. Sed et τὸ α de β, quia quod non scintillat, prope est. Hoc autem sumptum sit per inductionem aut per sensum. Necesse est igitur τὸ α τῷ γ inesse. Quare demonstratum est, quod planetæ prope sunt. Hic igitur syllogismus non ostendit, cur res sit, sed quod sit. Non enim, quia scintillant, sunt prope, sed quia prope sunt, non scintillant. Accidit etiam, ut alterum per alterum probetur; et erit demonstratio docens, cur res sit. Utputa esto τὸ γ planetæ; ubi β, prope esse; τὸ α non scintillare. Inest igitur et τὸ β τῷ γ, et τὸ α, (id est non scintillare) τῷ β. Quare etiam τὸ α inest τῷ γ. Et est syllogismus ostendens, cur res sit, quia sumpta fuit prima causa.

3. Rursus ut ostendunt, lunam esse globosam per accretiones. Etenim si quod ita augetur, est globosum, augetur autem luna, perspicuum est quod est globosa. Sic igitur factus est syllogismus ostendens quod res sit. At si e contrario ponatur medium, erit syllogismus ostendens cur sit, quia non propter accretiones luna est globosa; sed quia est globosa, idcirco suscipit accretiones hujusmodi. Sit luna, ubi γ; globosum, ubi β; accretio, ubi α.

4. In quibus autem media non reciprocantur, idque est notius, quod non est causa, ostenditur quod sit, non cur sit.

Sicut rectum est regula sui et obliqui, sic perfectum est regula sui et imperfecti. Aristoteles igitur, postquam egit de perfecta demonstratione, in qua conclusio demonstratur per causam propriam et immediatam, quæ idcirco vocatur demonstratio *propter quid*, descendit ad agendum de demonstratione imperfecta, quæ dicitur demonstratio *quia est*, eo quod per eam solum ostenditur veritas conclusionis, non explicando causam immediatam, propter quam conclusio est vera. Et quia demonstratio *quia* et propter *quid* differre possunt ad invicem tum in eadem tum in diversa scientia, explicat differentiam earum tum in eadem tum in diversa scientia. Primo ergo proponit duos modos, quibus demonstrationes *quia* differunt a demonstrationibus *propter quid* in eadem scientia; secundo explicat secundum modum per duo exempla, et ex iisdem exemplis ostendit, quo pacto demonstratio *quia* possit converti in demonstrationem *propter quid;* et quoniam non semper fieri potest talis conversio, tradit regulam ad discernendum, utrum possit fieri vel non possit; tertio explicat primum modum etiam per exempla, docetque demonstrationem *quia* negativam commodius fieri in secunda figura, quam in prima; quarto demum explicat, quo pacto demonstratio *quia* differat a demonstratione *propter quid* in diversis scientiis, tum subalternatis tum non subalternatis.

1. *Quoad primum :* scientia perfecta et *propter quid* est, in qua conclusio scitur per causam proximam et immediatam ; ergo scientia imperfecta erit, in qua vel conclusio scitur quidem per causam, sed mediatam non immediatam; vel etiamsi sciatur per aliquid immediate connexum cum conclusione, illud tamen non est causa conclusionis, sed potius ejus effectus aut signum cum conclusione connexum, nobis tamen magis notum quam conclusio.

2. *Quoad secundum :* plura secundi modi exempla possunt afferri. Primum est, quo demonstratur de planetis, quod propiores nobis sint quam stellæ fixæ, eo, quia planetæ non scintillant, formando tale argumentum : *omnes stellæ non scintillantes sunt prope nos; planetæ non scintillant; ergo planetæ sunt prope nos.* In

hac demonstratione scitur, quod planetæ sunt prope nos, sed non scitur per causam, sed per effectum, si quidem *non scintillatio* non est causa, sed effectus propinquitatis. Ideo vero stellæ errantes non scintillant, quia propter majorem propinquitatem mittunt lumen validius, cum e converso stellæ fixæ scintillent, quia propter majorem distantiam mittunt imbecillius. Veritas vero majoris et minoris innotescit nobis per experientias sensibiles. Nam experimur luminosa distantiora scintillare, propinquiora non scintillare; et rursus experimur planetas non scintillare, ideoque demonstratio procedit ex notioribus nobis. Si vero majus extremum allatæ demonstrationis mutetur in medium terminum, et medius terminus mutetur in majus extremum, tum demonstratio *quia* mutabitur in demonstrationem *propter quid,* qualis est hæc : *omnes stellæ, quæ sunt prope nos, non scintillant; sed planetæ sunt prope nos; ergo planetæ non scintillant.* Demonstratur enim *non scintillatio* per suam causam, hoc est per propinquitatem.

3. Secundum exemplum est, in quo demonstratur lunam esse rotundam ex eo, quia circulariter illuminatur, ideoque videtur crescere circulariter, dicendo : *omne corpus, quod quando magis et magis illuminatur, crescit in lumine circulariter, est rotundum; luna est hujusmodi;* ergo etc. In hac demonstratione probatur rotunditas lunæ ex modo illuminationis et incrementi, qui modus non est causa, sed effectus rotunditatis. Neque enim luna est rotunda, quia sic illuminatur, sed potius ideo sic illuminatur et crescit, quia est rotunda. Si vero etiam in hac demonstratione majus extremum mutetur in medium, et medium mutetur in minus extremum, demonstratio *quia* mutabitur in sequentem demonstrationem *propter quid: omne rotundum illuminatur circulariter; luna est rotunda ; ergo,* etc. Hæc est demonstratio *propter quid,* quia in ea modus illuminationis, qui est effectus, probatur per suam causam, hoc est per rotunditatem corporis illuminati.

Quia tamen non semper demonstratio *quia* potest converti in demonstrationem *propter quid,* nec e converso semper demonstratio *propter quid* potest converti in demonstrationem *quia,* tradit vel potius insinuat Aristoteles duas regulas ad id dijudicandum, ex quibus etiam potest colligi tertia regula.

Pro intelligentia est advertendum, quod causa et effectus possunt tripliciter comparari. Primo, causa et effectus possuut mutuo adæquari et converti, ita ut nunquam sit causa, quin sit effectus, et nunquam sit effectus, quin sit a tali causa; ex. gr., interpositio terræ et eclypsis lunæ convertuntur, quia nunquam datur interpositio terræ, quin causet eclypsim lunæ, et nunquam datur eclypsis lunæ, quin causetur ab interpositione terræ. Secundo potest causa excedere effectum, ita ut nunquam sit effectus, quin sit a tali causa, sed aliquando sit causa, quin effectus sequatur; ex. gr., animal ita est causa motus progressivi, ut excedat. Licet enim nihil moveatur motu progressivo, quin sit animal, tamen zoophyta sunt animalia, et non moventur motu progressivo. Tertio potest effectus excedere causam, ita ut nunquam detur causa, quin sequatur effectus, sed aliquando detur effectus, qui non sit a tali causa, sed ab alia; ex. gr., *nutriri* excedit animal, quia licet nunquam detur animal, quin nutriatur, tamen nutritio datur etiam in plantis, quæ non sunt animalia.

4. Ex hac doctrina inferuntur tres regulæ. *Prima regula* est : cum causa et effectus sunt mutuo convertibiles, etiam demonstratio *quia et propter quid* sunt mutuo convertibiles, adeoque potest fieri utraque demonstratio ; ex. gr., potest fieri demonstratio *propter quid* de eclypsi lunæ, dicendo : *quotiescumque terra interponitur, luna eclypsatur ; certis temporibus terra interponitur; ergo* etc. Potest etiam fieri demonstratio *quia* de interpositione terræ, dicendo: *quotiescumque luna eclypsatur, terra interponitur; sed tali tempore luna eclypsatur;* ergo, etc. Ratio est, quia cum causa et effectus mutuam habeant connexionem, potest et ex causa probari effectus, et ex effectu causa.

Secunda regula est : cum causa excedit effectum, si effectus sit notior, solum potest fieri demonstratio *quia* non convertibilis in demonstrationem *propter quid;* ex. gr., quia animal excedit motum progressivum, potest quidem fieri demonstratio *quia,* dicendo : *omne, quod movetur progressive est animal ; sed equus movetur progressive; ergo,* etc., At non potest allata demonstratio converti in demonstrationem *propter quid,* dicendo : *omne animal movetur motu progressivo; equus est animal; ergo,* etc., major enim est falsa.

Tertia regula est : cum effectus exce-

dit causam, potest quidem fieri demonstratio *propter quid*, sed hæc non est convertibilis in demonstrationem *quia;* ex. gr., quia effectus nutritionis excedit animal, potest quidem ex animali probari nutritio, dicendo : *omne animal nutritur; omnis equus est animal; ergo omnis equus nutritur;* at non potest per nutritionem probari animal, dicendo : *omne quod nutritur, est animal; omnis equus nutritur; ergo,* etc.

5. Item in quibus medium extrinsecus ponitur. In his enim demonstratur quod sit, non cur sit, quia non dicitur causa. Veluti cur non respirat paries? quia non est animal. Etenim si hæc esset causa non respirandi, oporteret animal esse causam respirandi, ut si negatio est causa cur non insit, affirmatio est causa cur insit. Veluti si intemperies calidorum et frigidorum est causa non bene valendi, eorumdem temperies est causa bene valendi. Similiterque si affirmatio est causa cur insit, negatio est causa cur non insit. In iis vero quæ sic explicata sunt, non accidit quod dictum est; non enim omne animal respirat.

6. Fit autem syllogismus hujusmodi causæ in media figura. Ut esto τὸ α animal; ubi β, respirare; ubi γ, paries. Omni igitur β inest τὸ α; quidquid enim respirat, est animal; nulli autem γ; quare etiam τὸ β inest nulli γ. Non igitur respirat paries.

7. Assimilantur autem hujuscemodi causæ iis quæ dicuntur per hyperbolen, id est superlationem. Hoc autem est abscedendo medium illud dicere, quod latius patet quam causa. Quale est illud Anacharsidis, apud Scythas non esse tibicines, quia nec vites illic sint.

5. *Quoad tertium :* postquam Aristoteles explicavit secundum modum demonstrationis *quia,* explicat primum, qui contingit, cum effectus demonstratur quidem per causam, non tamen proximam, sed remotam. Docet ergo, quod, cum ad probandam conclusionem accipitur pro medio causa remota effectus, quam vocat extrapositam seu distantem ab effectu, tum conclusio demonstratur demonstratione *quia,* non autem *propter quid;* ex. gr., *non esse animal* est quidem causa non respirandi, sed remota non proxima. Ratio est, quia cum negatio sequitur ex negatione, tanquam ex propria et necessaria causa, tum ex affirmatione sequitur etiam affirmatio; ex. gr., quia *habere humores non bene attemperatos* est proxima causa, ut animal non sit sanum, *habere humores bene attemperatos* est causa, ut animal sit sanum. E converso etiam cum affirmatio est proxima et necessaria causa affirmationis, negatio est proxima et necessaria causa negationis; ex. gr., quia interpositio terræ est proxima causa, cur luna eclypsetur, non interpositio est causa, cur non eclypsetur; sed causa proxima respirandi non est *esse animal,* sed *habere pulmones,* ideoque animalia non habentia pulmones, non respirant; ergo causa proxima non respirandi est *non habere pulmones;* ergo si probetur, quod paries non respirat, quia non est animal, non probatur per causam proximam, sed remotam; ergo nôn demonstratur demonstratione *propter quid,* sed demonstratione *quia.*

6. Addit Aristoteles, quod demonstratio negativa per causam remotam, non commode fit in prima figura, sed in secunda; ex. gr., ad probandum, quod nullus paries respirat, ex eo quod nullus paries est animal, fieri debet hic syllogismus in Camestres : *omne, quod respirat, est animal; nullus paries est animal; ergo nullus paries respirat.* Et quia causa remota excedit effectum, ideo non potest fieri conversio ad probandam talem causam remotam per effectum; neque enim valet : *omne animal respirat; nullus paries respirat; ergo nullus paries est animal.* Nam major est falsa, cum animalia carentia pulmonibus non respirent. Posset tamen fieri conversio, si demonstratio negativa esset per causam proximam adeoque convertibilem cum effectu; ex. gr., valet : *omne, quod respirat, habet pulmones; nullus paries habet pulmones; ergo nullus paries respirat,* — quæ est demonstratio *propter quid* a negatione causæ ad negationem effectus. Valet e converso : *omne habens pulmones respirat; nullus paries respirat; ergo nullus paries habet pulmones,* quæ est demonstratio *quia* a negatione effectus ad negationem causæ.

7. Subjungit Aristoteles, quod cum redditur ratio effectus per causam valde distantem, tum videtur quædam hyperboles fidem superans. Exemplum desumit ex quodam dicto Anacharsidis Scythæ, qui cum Athenis interesset convivio, ubi mulieres inter fæcundos calices modulis canentes saltabant, interrogatus, an apud Scythas essent tales mulieres modulatrices? respondit non esse, et rationem reddidit, quia apud Scythas non sunt vites. Acute enim insinuavit mulieres græcas excitari ad saltandum calore vini; et quia in Scythia non erant vites, ac proinde nec vinum nec calor excitans ad saltandum, nec erant tales mulieres saltatrices.

8. Ergo in eadem scientia et secundum mediorum positionem hæ differentiæ sunt syllogismi docentis quod sit, et syllogismi docentis cur sit. Alio autem modo differunt cur sit et quod sit, quia in diversis scientiis spectantur. Ejusmodi vero sunt, quæ ita sunt inter se affecta, ut alterum sit sub altero. Quemadmodum optica problemata affecta sunt ad geometriam, et mechanica ad stereometriam, et musica ad arithmeticam, et phænomena, id est apparentia, ad astrologiam. Fere autem synonymæ sunt harum scientiarum nonnullæ, ut astrologia dicitur et mathematica et nautica. Item musica vocatur tam mathematica quam ea quæ spectatur secundum auditum.

9. Hic enim scire quod sit, proprium est eorum, qui sensus rationem habent, scire autem cur sit, mathematicorum. Hi namque habent causarum demonstrationes, ac sæpe ignorant quod res sit, quemadmodum qui universale contemplantur, sæpe quædam particularia ignorant, quia non animadvertunt.

10. Hæc autem sunt, quæcumque cum aliud sint secundum essentiam, utuntur formis. Etenim scientiæ mathematicæ circa formas versantur, quia res mathematicæ non sunt in ullo subjecto. Quamvis enim res geometricæ in quopiam subjecto sint, non tamen qua geometricæ, in subjecto sunt. Ut autem opticæ ad geometriam, sic ad opticem affecta est alia scientia, veluti quod tractatur de iride. Scire enim quod sit, proprium est physici, cur sit, optici aut simpliciter aut ratione scientiæ mathematicæ. Ex iis quoque scientiis, quarum una non collocatur sub altera, multæ sic se habent, veluti medicina sic affecta est ad geometriam. Scire enim quod vulnera orbicularia tardius sanantur, proprium est medici; cur vero tardius sanentur, geometræ.

8. *Quoad quartum* : explicata differentia demonstrationis *quia* et *propter quid* in eadem scientia, explicat Aristoteles earum differentiam in scientiis diversis. Aliquando igitur demonstratio *propter quid* spectat ad scientiam subalternantem, quæ considerat subjectum sub ratione communi, demonstratio *quia* spectat ad subalternatam, quæ considerat subjectum ut restrictum et affectum aliqua qualitate sensibili. Ex, gr., geometria est subalternans respectu peripectivæ sive opticæ, quia geometria considerat ut subjectum lineas *ut sic*, perspectiva considerat lineas, ut visuales. Ex eadem ratione arithmetica est subalternans respectu musicæ; stereometria seu scientia de solidis respectu mechanicae; astrologia speculativa respectu practicæ, in qua includitur nautica ; nam arithmetica considerat numeros *ut sic*, musica considerat numeros ut sonoros; stereometria considerat solida *ut sic*, mechanica considerat solida ut ponderosa; astrologia considerat corpora cœlestia *ut sic* speculative, nautica considerat eadem corpora practice et in ordine ad navigandum. Nihil autem refert, utrum scientia subalternata diversum habeat nomen a subalternante, ut accidit musicæ respectu arithmeticæ, an habeat idem nomen, ut accidit astrologiæ præcticæ respectu speculativæ, et musicæ practicæ respectu musicæ speculativæ, quæ est una ex scientiis mathematicis.

9. Scientiæ igitur subalternatæ, quæ utuntur sensuum judicio, solent cognoscere *quod res est*; scientiæ subalternantes et abstrahentes a sensibilibus solent cognoscere *propter quid ;* ex, gr., musica practica optime scit, quinam soni faciant consonantiam, sed nescit *propter quid ;* e converso arithmetica cognoscit *propter quid*, sed cum abstrahat a sensibilibus, fortasse non descendit ad advertendum, quod tales voces sensibiles faciant consonantiam, ideoque hoc arithmeticus discit a musico; musicus e converso discit ab arithmetico causam, propter quam tales et tales soni faciunt consonantiam vel non faciunt.

10. Quod autem scientiæ mathematicæ ac præsertim geometria et arithmetica abstrahant a sensilibus, patet; nam considerant formas, quæ, licet non inveniantur nisi in materia sensibili, tamen considerantur ita, ut abstrahantur a materia sensibili. Sicut vero optica sive perspectiva subalternatur geometriæ, sic scientia de iride, quæ est pars physicæ, subalternatur opticæ. Physicus enim cognoscit de iride per sensibiles experientias, quod ita se habet; cur autem sic se habeat, discit ab optica, ex cujus principiis redditur ratio eorum, quæ apparent in iride. Jam potest etiam accidere, ut ex scientiis, quarum neutra alteri subalternatur, una sciat per experientiam, *quod ita res est*, altera sciat causam, *propter quam* ita est; ex. gr., medicina per experientiam deprehendit vulnera rotunda difficilius ac tardius sanari; *propter quid*, difficilius sanentur, ignorat, ac proinde discere debet a geometria, quæ reddit rationem ex eo, quia cum partes circuli magis distent, difficilius conjunguntur.

CAPUT XIV

OSTENDITUR PRIMAM FIGURAM ESSE APTISSIMAM AD DEMONSTRATIONEM ; ET EXPLICATUR, QUO PACTO PROPOSITIONES NEGATIVÆ POSSINT ESSE MEDIATÆ VEL IMMEDIATÆ.

1. [14] Ex figuris autem prima est ad scientiam gignendam aptissima. Nam mathematicæ scientiæ per hanc figuram demonstrationes afferunt, ut arithmetica et geometria et optice, et pæne dixerim quæcumque considerant cur res sit. Nam aut omnino aut plerumque et in plerisque scientiis per hanc figuram efficitur syllogismus docens cur res sit Ideoque ob hoc etiam est ad scientiam gignendam hæc figura accommodatissima ; maxime enim ipsius scire proprium est, causam cur res sit contemplari.

2. Deinde scientia qua quid res sit cognoscitur, per hanc solam figuram pôtest investigari, quoniam in media figura non fit attributivus syllogismus, scientia vero qua quid res sit cognoscitur, est scientia affirmationis. In ultima autem figura fit quidem syllogismus attributivus, at non universalis; ipsum vero quid est, in rerum universalium est numero. Non enim homo est quadantenus animal bipes.

3. Insuper hæc figura illis non indiget; illæ autem per hanc densantur et augentur, donec ad immediata ventum sit. Perspicuum igitur est primam figuram esse maxime propriam et accommodatam scientiæ.

Postquam Aristoteles egit de materia demonstrationis, breviter agit de forma ; et quia omnia, quæ spectant ad formam syllogisticam in genere, explicata sunt in libris Priorum, solum hic examinat, quænam figura sit ad demonstrandum aptissima. Primo igitur docet ac tripliciter probat, primam figuram esse aptissimam ad demonstrandum ; secundo quia in prima figura concludi potest etiam negative, propositiones vero negativæ mediatæ reduci debent ad propositiones negativas immediatas, explicat, quandonam propositiones negativæ sint mediatæ, quando immediatæ.

1. *Quoad primum :* prima ratio probans primam figuram esse aptissimam ad demonstrandum est, quia illa figura est ad demonstrandum aptissima, in qua pæne semper fieri debent demonstrationes potissimæ et *propter quid ;* sed demonstrationes *propter quid* pæne semper fiunt in prima figura; ergo etc. Minor probatur, quia scientiæ, quæ demonstrant proprias passiones de subjectis per suas causas, quales sunt arithmetica, geometria, perspectiva, etc., pæne semper procedunt per primam figuram, ut patet evolventi demonstrationes earum ; ex. gr., hæc conclusio geometrica : *cujuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis,* demonstratur per primam figuram, cum sit universalis affirmativa, ac proinde non inferibilis nisi in Barbara, idemque dic de aliis ; ergo, etc. Ratio, cur demonstratio *propter quid* pæne semper debeat formari in prima figura est, quia in demonstratione *propter quid* prædicatum conclusionis debet probari convenire vel non convenire subjecto per suam causam ; sed si prædicatum conclusionis convenit vel disconvenit subjecto mediate, ut supponitur (si enim conveniret vel disconveniret immediate, conclusio esset propositio immediata, adeoque non demonstrabilis) si inquam prædicatum convenit vel disconvenit subjecto mediate, ratio et causa, cur conveniat aut disconveniat, est, quia inter prædicatum et subjectum aliquid mediat, cui conveniat aut disconveniat immediate prædicatum conclusionis, ipsum vero conveniat immediate subjecto conclusionis ; ergo medium debet esse aliquid, quod conveniat subjecto conclusionis, et cui conveniat vel disconveniat prædicatum conclusionis ; sed hoc solum contingit in prima figura; in illa enim sola prædicatum conclusionis prædicatur de medio in majori, quod medium prædicatur de subjecto conclusionis in minori; ergo demonstratio *propter quid* formari debet in prima figura. Explicatur exemplis, tum in conclusionibus affirmativis tum in negativis. Hæc propositio affirmativa : *omnis homo est risibilis,* est mediata, quia prædicatum *risibilis* non immediate convenit *homini,* sed illi convenit propter aliquod medium inter hominem et risibile, quod medium est *rationale,* cui rationali ita immediate convenit risibile, ut ipsum rationale immediate conveniat homini ; ergo ut demonstretur risibile de homine, debet risibile in majori prædicari de rationali, et rationale in minori prædicari de homine, adeoque debet fieri talis syllogismus primæ figuræ : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis ; ergo omnis homo est risibilis.* Proportionaliter hæc propositio negativa : *nullus homo est hinnibilis,* est mediata, quia prædicatum *hinnibilis* non immediate disconvenit homini; ergo mediat aliquid inter hominem et hinnibile, quod immediate convenit homini et cui immediate disconvenit hinnibile, quod medium est rationale; ergo ut demon-

stretur, quod homo non est hinnibilis, debet de hoc medio negari hinnibile, ipsum vero debet affirmari de homine, adeoque formari debet talis syllogismus primæ figuræ : *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis ; ergo nullus homo est hinnibilis.*

Secunda ratio ad probandum, quod prima figura est aptissima ad demonstrandum est, quia una ex potissimis demonstrationibus est, in qua ex definitione per causam finalem infertur definitio per alias causas, ac præsertim per materialem et formalem, ut dictum est cap. VIII, num. 2 ; sed definitio non potest inferri nisi per primam figuram; ergo prima figura est ad demonstrandum aptissima. Minor probatur, quia definitio prædicatur de definito affirmative et universaliter; ex. gr., animal rationale vel animal bipes universaliter prædicatur de homine; sed universalis affirmativa potest inferri solum in Barbara, qui est modus primæ figuræ, cum secunda figura concludat solum negative, tertia concludat solum particulariter ; ergo, etc.

3. Tertia ratio est : illa figura est aptior ad demonstrandum, quæ non indiget aliis figuris, cum aliæ indigeant ipsa, sed omnes aliæ figuræ indigent prima, cum prima non indigeat ulla alia; ergo etc. Probatur minor, quia cum major et minor secundæ figuræ sunt mediatæ, ideoque debent resolvi ad propositiones immediatas, non possunt resolvi in secunda figura ; nam altera præmissarum est affirmativa, in secunda vero figura probari non potest conclusio affirmativa, sed solum negativa. Similiter in tertia figura non possunt probari omnes præmissæ, quarum una est universalis, ac proinde probari non potest in tertia figura, quæ concludit solum particulariter; ergo sola prima figura sibi sufficit, cum possint in illa probari omnes præmissæ, tum affirmativæ tum negativæ, tum universales tum particulares. Notandus est autem modus loquendi Aristotelis acutus et ingeniosus. Dicit quod, cum probantur præmissæ demonstrationis, fit quædam densatio et accretio, interponendo media, donec perveniatur ad immediata. Ratio est, quia termini propositionis mediatæ sunt quodammodo distantes; ergo ut probentur, debent interponi media propinquiora et propinquiora, donec perveniatur ad terminos immediatos. In hac autem interpositione fit quædam densatio mediorum, donec omnia quodammodo concrescant et conjungantur.

4. Ut autem contingebat τὸ α τῷ β inesse individue, sic etiam accidit non inesse. Dico autem individue inesse aut non inesse, quia non est inter ipsa ullum medium. Sic enim non continget, ut secundum aliud insit vel non insit.

5. Cum igitur vel τὸ α vel τὸ β in toto aliquo est, vel etiam ambo, fieri non potest, ut τὸ α τῷ β primum non insit. Sit enim τὸ α in toto γ. Ergo si τὸ β non est in toto γ (fieri enim potest ut τὸ α sit in aliquo toto, τὸ β autem in eo non sit), syllogismus erit, quo concludetur non inesse τὸ α τῷ β. Nam si omni α inest τὸ γ ac nulli β, consequens est, ut nulli β insit τὸ α. Similis ratio est, si τὸ β sit in toto aliquo, velut in δ. Etenim τὸ δ omni β, nulli autem α inest. Quare τὸ τὸ α nulli β inerit, ut per syllogismum concluditur. Eodem modo probabitur, si ambo in toto aliquo sint. Posse autem fieri, ut in quo toto est τὸ α, non sit τὸ β, et rursus, in quo toto est τὸ β, non sit τὸ α, perspicuum est ex rerum classibus, quæ inter se non permiscentur. Nam si nihil eorum quæ sunt in classe α γ δ, attribuitur ulli eorum quæ sunt in classe β ε ζ, τὸ α autem est in toto θ, re ejusdem classis, perspicuum est, τὸ β non esse in θ ; alioquin permiscerentur classes. Similis est ratio, si τὸ β in toto aliquo sit.

6. Quodsi neutrum sit in ullo toto, ac τὸ α non insit τῷ β, necesse est ut individue non insit. Nam si quod medium sit, necesse erit alterum eorum in toto aliquo esse. Aut enim in prima figura aut in media erit syllogismus. Si igitur sit in prima, τὸ β erit in toto aliquo, quoniam affirmativam effici oportet propositionem, in qua ipsum continetur. Si vero syllogismus sit in media figura, utrumvis poterit esse in toto, quoniam utrivis jungatur privatio, fit syllogismus. At si utræque propositiones sint negativæ, non erit syllogismus. Perspicuum igitur est fieri posse, ut individue aliud alii non insit; et quando quomodoque id fieri possit, jam diximus.

4. *Quoad secundum :* quia Aristoteles fecit mentionem de reductione propositionum mediatarum ad immediatas, supra vero egit de propositionibus affirmativis immediatis, hic agit de propositionibus negativis immediatis. *Primo* igitur docet, quod sicut dantur propositiones affirmativæ immediatæ, in quibus prædicatum convenit subjecto individue, ita ut non dividantur per aliquod medium inter illa, sic dantur propositiones negativæ immediatæ, in quibus prædicatum individue disconvenit subjecto, et non per medium dividens.

5. *Secundo* explicat, quo modo propositio negativa sit mediata, ita ut prædicatum disconveniat subjecto propter aliquod medium. Si prædicatum et subjectum

sint in aliquo toto seu genere diverso, vel alterum eorum sit in genere, alterum in nullo sit genere, tum propositio negativa prædicati de subjecto semper est mediata. Exemplum, in quo prædicatum sit in genere, subjectum non sit in genere, est hæc propositio : *nulla quantitas est homo; homo* siquidem est in genere et prædicamento substantiæ, *quantitas* vero cum sit summum genus, non continetur in ullo genere. Medium ad illam demonstrandam est substantia, per quam sic probari potest in secunda figura et in Camestres : *omnis homo est substantia; nulla quantitas est substantia ; ergo nulla quantitas est homo.* Exemplum propositionis, in qua subjectum sit in genere, prædicatum non sit in genere, est hæc : *nulla linea est substantia; linea* siquidem, quæ est subjectum, est in genere quantitatis ; substantia non est in genere, cum sit summum genus. Potest igitur dicta propositio demonstrari in Celarent sic : *nulla quantitas est substantia ; omnis linea est quantitas ; ergo nulla linea est substantia.* Exemplum propositionis, in qua prædicatum et subjectum sunt sub duobus generibus diversis, est hæc : *nulla albedo est substantia.* Albedo enim est in genere qualitatis, linea in genere quantitatis, ideoque dicta propositio poterit in prima figura demonstrari sic : *nulla qualitas est linea* ; *omnis albedo est qualitas ; ergo nulla albedo est linea.* Quod vero termini propositionis possint sumi tribus prædictis modis, patet ex coordinationibus prædicamentorum, quæ sunt ita impermixtæ, ut quod est in una coordinatione, non sit in alia, ex, gr., quod est in coordinatione prædicamenti substantiæ, non est in coordinatione prædicamenti quantitatis etc. ; ergo si sumantur duo ex diversis prædicamentis, ex. gr., homo et linea, utrumque erit sub genere, sed diverso; si vero sumatur ex aliquo prædicamento supremum genus, ex altero autem aliquid, quod non est supremum genus, ex. gr., ex prædicamento quantitatis *quantitas,* ex prædicamento qualitatis *albedo,* alterum erit sub genere, alterum sub nullo erit genere, et valebunt prædictæ demonstrationes.

6. Tertio demum explicat Aristoteles, quandonam propositio negativa sit immediata, ita ut nullum sit medium, propter quod prædicatum disconveniat subjecto. Quando neque prædicatum, neque subjectum est in genere ullo, tum propositio negativa est immediata, ex. gr., hæc : *nulla substantia est quantitas.* Ratio est, quia si esset demonstrabilis, vel esset demonstrabilis in prima figura, vel in secunda, vel in tertia; in nulla ex his est demonstrabilis; ergo etc. Probatur minor et primo, quod non in tertia; propositio enim negativa immediata debet esse universalis; si enim prædicatum repugnat subjecto immediate, hoc est ratione ipsius subjecti, semper et universaliter repugnat; sed tertia figura non concludit universaliter, sed particulariter; ergo propositio negativa immediata non potest demonstrari in tertia figura. Secundo probatur, quod non in prima figura; si enim prædicatum repugnat subjecto non immediate et primo, repugnat ratione alicujus, quod sit prius subjecto; sed nihil aliud est prius subjecto, quam genus et differentia ac definitio; accidentia enim tum propria tum communia sunt posteriora subjecto; ergo subjectum jam habet genus; definitio enim ac differentia dari non possunt sine genere; ergo si subjectum non est in genere, universalis negativa demonstrari non potest in prima figura. In secunda figura altera præmissarum debet esse affirmativa, hoc est vel major vel minor; ergo ratio, cur prædicatum et subjectum conclusionis repugnant invicem, debet esse, quia repugnant alicui medio, quod est prius prædicato vel subjecto, de quo medium prædicatur in præmissa affirmativa; sed nihil est prius prædicato vel subjecto, nisi genus, definitio vel differentia; ergo jam alterum extremum habet genus, ut paulo ante concludebatur; ergo si neutrum extremorum est sub genere, propositio negativa non est demonstrabilis per medium prius; ergo est immediata.

Hinc patet responsio ad objectionem, qua aliqui opponunt, quod prædicatum conclusionis posset demonstrari per medium convertibile cum altero extremorum, licet neutrum extremorum haberet genus. Ad demonstrationem enim *propter quid* non sufficit medium utcumque convertibile, sed tale medium debet esse prius; sed ex convertibilibus sola definitio vel differentia est prior, passiones enim sunt posteriores; ergo medium convertibile debet esse definitio vel differentia; sed neque definitio neque differentia potest dari sine genere; ergo alterum saltem extremum debet esse sub genere. Advertit S. Thomas, quod etiam propositiones negativæ de differentiis ex æquo dividentibus

idem genus, sunt immediatæ; qualis est hæc : *nullum rationale est hinnibile.*

CAPUT XV. ART. I.

EXPLICATUR, QUO PACTO IGORANTIA PRAVÆ DISPOSITIONIS CIRCA PROPOSITIONES IMMEDIATAS AFFIRMATIVAS AC NEGATIVAS, CAUSETUR PER SYLLOGISMUM.

1. [16] Ignorantia vero, quæ non secundum negationem, sed secundum dispositionem dicitur, est deceptio, quæ per logismum efficitur.

2. Hæc autem in iis quæ primum insunt vel non insunt, bifariam accidit, nempe aut cum simpliciter existimaverit quispiam inesse vel non inesse, aut cum per syllogismum ad existimandum adductus fuerit. Simplicis igitur existimationis simplex est deceptio, ejus autem quæ fit per syllogismum, plures. Non insit enim τὸ α τῷ β individue. Ergo si concludat inesse τὸ α τῷ β, medium accipiens τὸ γ, deceptus erit per syllogismum. Fieri igitur potest ut ambæ propositiones sint falsæ; fieri etiam potest ut altera tantum sit falsa.

1. Postquam Aristoteles egit de demonstratione, agit de syllogismo opposito demonstrationi; et quia demonstratio est syllogismus, quo acquiritur scientia, demonstrationi opponitur syllogismus causans errorem oppositum scientiæ. de hoc syllogismo acturus præmittit vel potius supponit ignorantiam alteram esse puræ negationis, alteram pravæ dispositionis. Ignorantia puræ negationis est, qua solum ignoratur verum, sed non creditur falsum: ex. gr., rustici habent ignorantiam puræ negationis circa veritates mathematicas, puta circa hanc : *cujuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis,* quia ita ignorant hanc et alias similes veritates, ut neque habeant errorem contrarium. Ignorantia pravæ dispositionis est, per quam creditur falsum, ut si quis crederet posse tres angulos trianguli esse majores aut minores duobus rectis. Ignorantia pravæ dispositionis, vel causatur sine syllogismo, non tam ex discursu quam ex defectu discursus, vel causatur per syllogismum. Ignorantia pravæ dispositionis, quæ causatur per syllogismum, vel est circa propositiones immediatas vel circa mediatas, vel circa affirmativas vel circa negativas. Aristoteles igitur primo agit de ignorantia pravæ dispositionis, quæ causatur per syllogismum circa propositiones immediatas; secundo agit de ea, quæ per syllogismum causatur circa propositiones mediatas; tertio de ignorantia puræ negationis.

2. Ignorantia deceptionis circa propositiones immediatas duplex est : altera, qua concluditur esse quod non est, ex. gr., si concludatur, quod *omnis qualitas est substantia,* cum sit propositio vera et immediata, quod *nulla qualitas est substantia;* altera, qua concluditur non esse quod est, ex. gr., si concludatur, quod *nullum corpus est substantia,* cum sit propositio vera et immediata, quod omne corpus est substantia. Propositio falsa non potest concludi, nisi ex præmissis falsis, (si modo syllogismus non peccat in forma, de quo defectu non agimus hic); ergo vel potest concludi ex utraque præmissa falsa, vel ex altera tantum falsa, altera vera. Si utraque est falsa, vel est falsa totaliter, ita ut contraria sit vera; vel est falsa solum partialiter, ita ut non sit vera contraria, sed contradictoria.

3. Nam si neque τὸ α ulli γ inest, neque τὸ γ ulli β, sumpta autem fuit utraque propositio e contrario, ambæ falsæ erunt.

4. Fieri autem potest ut ita affectum sit τὸ γ ad α et ad β, ut neque sit sub α neque universaliter attribuatur τῷ β, quia τὸ β non potest esse in toto aliquo; dicebatur enim ei primum τὸ α non inesse. Non est autem necesse ut τὸ α omnibus rebus attribuatur universaliter. Quare ambæ propositiones falsæ erunt.

5. Accidit etiam ut altera propositio vera accipiatur, non tamen utravis, sed propositio α γ. Nam propositio γ β semper falsa erit, quia in nullo est τὸ β. At propositio α γ vera esse potest, veluti si τὸ α et τῷ γ et τῷ β inest individue. Quando enim idem pluribus primum attribuitur, neutrum alteri attribuetur. Nec quidquam refert, si insit non individue.

6. Deceptio igitur qua existimatur inesse, per hæc atque hoc modo solum fit, quia non erat in alia figura syllogismus quo concluderetur inesse.

3. His præmissis, incipit Aristoteles explicare, quo pacto possit inferri conclusio affirmativa falsa contraria negativæ veræ et immediatæ. Hæc negativa : *nulla quantitas est substantia,* est vera et immediata; ergo si probetur per aliquod medium hæc affirmativa : *omnis quantitas est substantia,* fiet syllogismus concludens falsam contrariam negativæ veræ et immediatæ. Hic syllogismus primo potest fieri ex utraque præmissa totaliter falsa. Sumatur enim pro medio aliquid, de quo substantia sit universaliter negabilis, et quod sit universaliter negabile de quantitate, quod medium sit qualitas : tum affir-

mando in majori universaliter substantiam de qualitate, et qualitatem in minori affirmando universaliter de quantitate, fit syllogismus concludens positam conclusionem falsam ex utraque præmissa totaliter falsa, ita ut contraria sit vera; sic : *omnis qualitas est substantia; omnis quantitas est qualitas; ergo omnis quantitas est substantia.*

4. Secundo potest fieri syllogismus concludens positam conclusionem falsam ex utraque præmissa partialiter falsa, ita ut non contrariæ, sed contradictoriæ præmissarum sint veræ. Sumatur enim pro medio aliquid, de quo substantia sit solum partialiter affirmabilis, ipsum vero sit solum partialiter affirmabile de quantitate, quod medium sit perfectum : de hoc medio in majori universaliter affirmetur substantia, ipsum vero in minori universaliter affirmetur de quantitate, — fiet sequens syllogismus : *omne perfectum est substantia; omnis quantitas est perfecta; ergo omnis quantitas est substantia,* in quo utraque præmissa est falsa solum partialiter, ita ut contradictoriæ, non contrariæ sint veræ; neque enim est verum, quod *nullum perfectum est substantia,* et quod *nulla quantitas est perfecta,* sed solum est verum, quod *aliquod perfectum non est substantia,* et quod *aliqua quantitas non est perfecta.*

5. Tertio potest fieri syllogismus concludens positam conclusionem falsam ex altera præmissa vera, altera falsa. Non tamen utralibet præmissa potest esse vera, sed sola major, minor vero semper est falsa. Major potest esse vera, quia potest sumi pro medio aliquid inferius substantia, quæ est majus extremum, quod medium sit homo, de quo proinde substantia potest universaliter et vere affirmari, dicendo : *omnis homo est substantia;* sed homo falso affirmatur de quantitate in minori, si quidem quod est in uno prædicamento, non potest affirmari de altero prædicamento, ergo fiet hic syllogismus : *omnis homo est substantia; omnis quantitas est homo; ergo omnis quantitas est substantia,* in quo major est vera, minor falsa. E converso minor non potest esse vera. Ut enim esset vera veritate requisita ad demonstrationem (agendo enim de syllogismo opposito demonstrationi, dum dicitur, quod aliqua præmissa est vera, intelligitur, quod sit vera, prout requiritur in demonstratione) ut inquam minor sit vera veritate requisita ad demonstrationem, debet de minori extremo affirmari medium, quod sit definitio subjecti, siquidem medium demonstrationis est definitio subjecti seu minoris extremi; sed subjectum, hoc est quantitas, non habet definitionem ; ergo etc. Probatur minor ; supponitur enim, quod hæc propositio affirmativa : *omnis quantitas est substantia,* est contraria huic negativæ veræ et immediatæ : *nulla quantitas est substantia;* sed eo ipso, quod hæc est immediata, substantia negatur de quantitate ratione sui, adeoque quantitas non habet genus superius; alioquin substantia negaretur de quantitate ratione talis generis prioris, et sic illa propositio non esset immediata sed mediata ; ergo quantitas non habet genus, adeoque non habet definitionem, quæ non potest dari sine genere.

6. Concludit Aristoteles deceptionem circa affirmativam contrariam negationi immediatæ non posse contingere, nisi per syllogismum primæ figuræ. Ratio est, quia secunda figura concludit solum negative, tertia solum particulariter ; sed agimus de deceptione ex syllogismo opposito demonstrationi ; ergo sicut demonstratio non concludit particulariter, sed universaliter, sic syllogismus oppositus concludit universaliter, adeoque in prima figura, et in Barbara.

7. Ea vero qua existimatur non inesse, fit et in prima et in media figura. Primum itaque dicamus, quot modis in prima figura fiat, et quomodo habentibus propositionibus.

8. Fieri igitur potest, cum ambæ propositiones sint falsæ, veluti si τὸ α et τῷ γ et τῷ β inest individue. Nam si sumptum fuerit τὸ α nulli γ, τὸ γ vero omni β inesse, falsæ erunt propositiones.

9. Fieri etiam potest, cum altera propositio sit falsa, et quidem utravis. Fieri enim potest ut propositio α γ sit vera, sed γ β falsa, α γ vera, quia non omnibus rebus inest τὸ α, γ β falsa, quia non potest inesse τῷ β τὸ γ, cui nulli inest τὸ α ; alioqui non erit amplius vera propositio α γ. Item si sint ambæ veræ, etiam conclusio erit vera. Accidit etiam ut propositio γ β sit vera, cum altera sit falsa, veluti si τὸ β est et in γ et in α ; necesse est enim alterum sub altero esse. Quare si acceperit τὸ α nulli γ inesse, falsa erit propositio. Perspicuum igitur est, et cum altera propositio sit falsa et cum ambæ, falsum syllogismum fore.

7. Postquam Aristoteles explicavit, quo pacto per syllogismum concludatur affirmativa falsa, contraria negativæ veræ et immediatæ, explicat, quo pacto con-

cludatur negativa falsa, contraria affirmativæ veræ et immediatæ. Propositio negativa universalis falsa, contraria affirmativæ veræ et immediatæ, potest concludi tum in prima figura, tum in secunda, non vero in tertia, quæ concludit solum particulariter.

8. In prima figura potest *primo* concludi ex utraque falsa. Ex. gr., hæc propositio: *omnis albedo est color*, est immediata, quia in ea genus proximum prædicatur de specie; genus vero proximum dicitur de specie per se primo, quia includitur in definitione speciei: ergo hæc negativa: *nulla albedo est color*, est falsa, contraria propositioni immediatæ. Primo igitur potest in prima figura concludi ex utraque præmissa falsa. Si enim sumatur pro medio aliquid, de quo majus extremum, hoc est color dicatur æque immediate ac de albedine, quæ est minus extremum, quod medium sit nigredo, fiet sequens syllogismus : *nulla nigredo est color ; omnis albedo est nigredo ; ergo nulla albedo est color*, in quo utraque præmissa est totaliter falsa.

9. *Secundo* potest eadem conclusio inferri ex una tantum præmissa falsa, seu sit major seu minor. Ex majori vera et minori falsa potest concludi, quod *nulla albedo est color*. Cum enim color non omnibus insit, potest sumi pro medio aliquid, cui universaliter non insit, puta scientia, et non erit vera major, quod *nulla scientia est color;* minor vero, quod *omnis albedo est scientia*, erit falsa, tum quia eo ipso, quod color negatur universaliter de scientia, scientia negatur universaliter de colore ac de omnibus, quæ continentur sub colore, qualis est albedo, ac proinde falsum est, quod *omnis albedo est scientia ;* tum quia, si majore existente vera, etiam minor esset vera, conclusio esset vera, et non posset esse falsa, cum falsum non possit sequi ex vero. Potest etiam esse vera minor, majori existente falsa. Minus enim extremum ; ex. gr., albedo, sicut continetur immediate in colore, sic contineri potest mediate in aliquo superiore, puta in qualitate; si ergo illud superius, hoc est qualitas, sumatur pro medio, fiet sequens syllogismus : *nulla qualitas est color; omnis albedo est qualitas ; ergo nulla albedo est color;* in quo posita conclusio sequitur ex majori falsa et minori vera.

10. In media vero figura fieri non potest ut ambæ propositiones sint in totum falsæ. Cum enim τὸ α omni β inest, nihil licebit accipere quod alteri omni alteri nulli insit. Oportet autem ita sumere propositiones, ut medius terminus alteri extremo insit, alteri non insit, siquidem futurus est syllogismus. Si igitur ita acceptæ sunt falsæ, manifestum est contrario modo acceptas vice versa se habituras. Hoc autem est impossibile.

11. At ex parte utramque falsam esse nihil vetat. Veluti si τὸ γ et τῷ α et τῷ β cuidam inest. Nam si sumptum fuerit omni α, nulli autem β inesse, falsæ erunt ambæ propositiones, non quidem totæ, sed ex parte. Itidemque fiet, si commutato ordine pronuntiatum privativum positum fuerit.

12. Fieri autem potest ut altera et quidem utravis falsa sit. Quod enim inest omni α, etiam τῷ β inerit. Si igitur sumptum fuerit toti α inesse τὸ γ, toti autem β non inesse, certe propositio γ α vera erit, β γ falsa. Rursus quod nulli β inest, omni α non inerit. Nam si τῷ α, etiam τῷ β inesset ; atqui non inerat. Si igitur sumptum fuerit τὸ γ toti α inesse et nulli β, propositio γ β vera erit, altera vero falsa. Similiter fiet transposito pronuntiato privativo. Quod enim inest nulli α, etiam nulli β inerit. Si igitur sumptum fuerit τὸ γ toti α non inesse, toti autem β inesse, certe propositio α γ vera erit, altera vero falsa. Ac rursus quod omni β inest, falso accipitur nulli α inesse, quia necesse est, si omni β inest, ut etiam cuidam α insit. Si igitur sumptum fuerit omni β inesse τὸ γ, nulli autem α, propositio quidem γ β vera erit, sed γ α falsa. Perspicuum igitur est, et cum ambæ propositiones sint falsæ et cum altera tantum, fore syllogismum deceptivum in iis, quæ sunt individua.

10. In secunda figura potest propositio falsa ex. gr., hæc: *nulla albedo est color*, inferri ex duabus præmissis, quarum utraque sit falsa, ut patet in sequenti syllogismo : *nullus color est nigredo ; omnis albedo est nigredo ; ergo nulla albedo est color ;* at non potest concludi ex duabus præmissis totaliter falsis, ideoque in syllogismo posito, licet minor sit totaliter falsa, tamen illa major : *nullus color est nigredo,* non est falsa totaliter sed partialiter, quia non est vera contraria, quod *omnis color sit nigredo,* sed sola contradictoria, quod *aliquis color est nigredo.* Ratio autem universalis, cur in secunda figura conclusio negativa falsa, opposita propositioni veræ et immediatæ, non possit inferri ex duabus præmissis totaliter falsis, est, quia propositio negativa falsa, opposita veræ et immediatæ est totaliter falsa, ita ut ejus contraria sit vera, eo pacto, quo propositio illa: *nulla albedo est color*, ita est falsa, ut ejus contraria : *omnis albedo est color*, sit vera; sed propositio

negativa totaliter falsa non potest inferri in secunda figura ex duabus præmissis totaliter falsis; ergo etc. Probatur major, quia eo ipso, quod hæc propositio: *albedo est color*, sit immediata, prædicatum convenit subjecto per se, omni et semper, prout requiritur ad propositionem immediatam; ergo eo ipso est verum, quod *omnis albedo est color*; ergo hæc negativa, quod *nulla albedo est color*, eo ipso quod opponitur veræ immediatæ, est falsa totaliter. Probatur jam minor; quia si propositio falsa totaliter: ex. gr., hæc, *nulla albedo est color*, inferretur in secunda figura ex duabus præmissis totaliter falsis, deberet inferri per medium, quod universaliter affirmaretur de omni albedine, universaliter negaretur de omni colore, vel e converso, dicendo vel in Celare : *nullus color est C; omnis albedo est C; ergo nulla albedo est color*; vel in Camestres : *omnis color est C; nulla albedo est C; ergo nulla albedo est color;* sed si medium C hoc pacto se habet, impossibile est, ut et major et minor sint totaliter falsæ, ita ut contrariæ sint veræ; ergo propositio negativa totaliter falsa non potest in secunda figura inferri ex duabus præmissis totaliter falsis. Probatur minor, quia si illæ præmissæ : *nullus color est C; omnis albedo est C*, sunt totaliter falsæ, contrariæ, quæ sunt : *omnis color est C; nulla albedo est C*, sunt veræ; sed ex his sequitur in Camestres eadem conclusio; *ergo nulla albedo est color*, quæ conclusio supponitur falsa; ergo ex duabus præmissis veris sequitur conclusio falsa, quod est impossibile, quia falsum non sequitur ex vero. Si autem illæ præmissæ: *omnis color est C; nulla albedo est C*, sunt totaliter falsæ, sunt veræ contrariæ : *nullus color est C; omnis albedo est C*, ex quibus sequitur in Cesare hæc conclusio, quæ supponitur falsa : *nulla albedo est color*; quod est absurdum, quia ex vero non potest sequi falsum; ergo impossibile est, ut conclusio negativa totaliter falsa inferatur in secunda figura ex utraque præmissa totaliter falsa.

11. At vero non repugnat, quod inferatur ex ambabus præmissis partialiter falsis. Potest enim sumi medium, quod particulariter solum insit utrique extremo, hoc est et colori et albedini, quod medium sit *intensum ut octo*. Si ergo hoc medium de altero extremo universaliter affirmetur, de altero negetur, fient syllogismi sequentes in Cesare vel in Camestres, in quibus utraque præmissa erit partaliter falsa, dicendo in Camestres : *omnis color est intensus ut octo; nulla albedo est intensa ut octo; ergo nulla albedo est color;* vel dicendo in Cesare : *nullus color est intensus ut octo; omnis albedo est intensa ut octo; ergo nulla albedo est color.*

12. Demum potest conclusio negativa falsa, contraria propositioni veræ immediatæ, ex. gr., hæc : *nulla albedo est color*, inferri in secunda figura ex duabus præmissis, quarum altera sit falsa, altera sit vera. Id vero necessario accidit, si sumatur medium, vel universaliter negabile de majori extremo, vel universaliter de illo affirmabile. Sumatur enim pro medio *substantia* universaliter negabilis de colore; ergo cum omnis albedo sit color, substantia est etiam universaliter negabilis de albedine; ergo si substantia universaliter negetur de colore, et universaliter affirmetur de albedine, fiet sequens argumentum in Cesare : *nullus color est substantia; omnis albedo est substantia; ergo nulla albedo est color*, in quo major est vera, minor est falsa. Si vero substantia universaliter affirmetur de colore, et universaliter negetur de albedine, fiet sequens argumentum in Camestres : *omnis color est substantia; nulla albedo est substantia; ergo nulla albedo est color*, in quo major est falsa, minor est vera. Idem accidit, si sumatur medium universaliter affirmabile de majori extremo, hoc est de colore, quod medium sit qualitas. Eo enim ipso, cum omnis albedo sit color, qualitas erit universaliter affirmabilis etiam de albedine; ergo si qualitas universaliter negetur de colore, et universaliter affirmetur de albedine, fiet sequens syllogismus in Cesare : *nullus color est qualitas; omnis albedo est qualitas; ergo nulla albedo est color*. Si vero qualitas universaliter affirmetur de colore, et universaliter negetur de albedine, fiet syllogismus sequens in Camestres : *omnis color est qualitas; nulla albedo est qualitas; ergo nulla albedo est color*. Tot igitur modis conclusio negativa falsa, opposita affirmativæ veræ potest inferri in secunda figura, vel ex utraque præmissa falsa, vel ex altera falsa, altera vera.

CAPUT XV. ART. II.

DE MODIS, QUIBUS CONCLUSIO FALSA AFFIRMATIVA VEL NEGATIVA, CONTRARIA PROPOSITIONIBUS VERIS MEDIATIS INFERTUR PER SYLLOGISMUM; ET DE IGNORANTIA PURÆ NEGATIONIS.

13. [17] In iis autem quæ non individue insunt aut non insunt, cum per proprium medium fit syllogismus falsi, non possunt ambæ propositiones falsæ esse, sed ea tantum, in qua continetur majus extremum. Proprium medium id appello, per quod fit syllogismus contradictionis. Insit enim τὸ α τῷ β per medium γ. Cum igitur necesse sit ut propositio γ β sumatur affirmativa, si fit syllogismus, manifestum est hanc propositionem semper fore veram, quia non convertitur, propositionem autem α γ falsam, quoniam hac conversa syllogismus contrarius efficitur.

14. Similiter fiet, etsi ex alia classe medium sumptum fuerit, ut τὸ δ si et in toto α est et omni β attribuitur. Necesse enim est ut propositio δ β maneat, altera vero convertatur. Quapropter altera semper vera erit, altera semper falsa. Ac fere hujusmodi deceptio eadem est atque ea, quæ fit per proprium medium.

Postquam Aristoteles docuit, quo pacto per syllogismum causetur deceptio contraria propositionibus immediatis, docet quo pacto causetur deceptio contraria propositionibus mediatis. Primo ergo explicat, quo pacto causetur circa negativas falsas, oppositas affirmativis veris mediatis, ex. gr., circa hanc : *nullus homo est risibilis*, quæ opponitur huic veræ mediatæ: *omnis homo est risibilis;* secundo explicat, quo pacto causetur circa affirmativas falsas, oppositas negativis veris mediatis, ex. gr., circa hanc : *omnis homo est quantitas*, quæ opponitur huic veræ mediatæ : *nullus homo est quantitas;* tertio agit de ignorantia puræ negationis.

Quoad primum : propositio negativa universalis falsa, opposita veræ mediatæ, potest solum inferri in prima et secunda figura, non autem in tertia, quæ concludit solum particulariter. In prima figura potest inferri vel per medium proprium, ex quo infertur vera; vel per medium non proprium, ex quo tamen bene probetur vera; vel per medium extraneum, ex quo non bene potest probari vera.

13. Si inferatur per medium proprium, unicus est modus, ut minor sit vera, major falsa. Proposito exemplo res explicabitur ac demonstrabitur. Medium proprium ad demonstrandam hanc veram : *omnis homo est risibilis*, est rationale, quod est causa, ut homo sit risibilis, et ex quo sic demonstratur omnem hominem esse risibilem : *omne rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis.* Ut igitur hæc negativa falsa : *nullus homo est risibilis*, concludatur in prima figura per medium proprium, debet concludi per rationale; sed non potest aliter concludi per rationale, nisi mutando majorem demonstrationis veræ in suam contrariam universalem negativam, et relinquendo minorem, quæ minor mutari non potest, quia in prima figura ad concludendam directe universalem negativam, minor debet esse universalis affirmativa, in eaque medium debet affirmari de minori extremo; ergo sola major debet esse falsa, minor debet esse vera, ac formari debet sequens syllogismus : *nullum rationale est risibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est risibilis.*

14. Ex eadem ratione per medium non proprium, ex quo tamen bene probetur propositio vera, non potest in prima figura aliter inferri negativa falsa, quam ex majori falsa et minori vera. Explicatur et demonstratur exemplo proposito. Hæc universalis affirmativa : *omnis homo est risibilis*, potest bene probari per multa media, quæ non sint causa risibilitatis in homine, adeoque non sint propria, ex. gr., per animal capax felicitatis, per flebile, etc., formando hos syllogismos : *omne capax felicitatis est risibile; omnis homo est capax felicitatis; ergo omnis homo est risibilis; omne flebile est risibile; omnis homo est flebilis; ergo*, etc. Si igitur hæc negativa falsa : *nullus homo est risibilis*, concludatur per eadem media, concludetur per media non propria, sed quasi propria; sed non potest per dicta media aliter concludi in prima figura, nisi reliquendo minores, in quibus in prima figura medium semper debet affirmari de minori extremo, ac transmutando majorem in suam contrariam, adeoque faciendo sequentes syllogismos : *nullum animal capax felicitatis vel flebile est risibile; omnis homo est capax felicitatis, vel est flebilis; ergo nullus homo est risibilis*, etc., ergo in prima figura conclusio negativa universalis falsa per media, per quæ bene probatur vera, seu sint propria seu non propria, non potest, nisi unico modo concludi, in quo nimirum major sit falsa, minor vera.

15. Quodsi non per proprium medium fiat

syllogismus, sane cum sub α est medium, nulli autem β inest, necesse est falsas esse ambas propositiones. Sumendæ enim sunt propositiones contrario modo, quam revera habeant, si futurus est syllogismus. Cum autem ita sumuntur, ambæ efficiuntur falsæ, veluti si τὸ α toti δ inest, τὸ δ autem nulli β. His enim conversis erit syllogismus, et propositiones ambæ falsæ.

16. Cum vero sub α non est medium, veluti τὸ δ, propositio quidem α δ vera erit, propositio autem δ β falsa. Erit enim α δ vera, quia non erat in α τὸ δ. At δ β falsa, quia si vera esset, etiam conclusio esset vera ; sed erat falsa.

17. Quando autem per mediam figuram fit deceptio, fieri nequit ut ambæ propositiones sint totæ falsæ. Cum enim τὸ β est sub α, nihil est quod possit alteri omni, alteri nulli inesse, ut antea quoque dictum fuit. Potest autem esse altera falsa et quidem utravis. Nam si τὸ γ et τῷ α et τῷ β insit, si sumptum fuerit τῷ α inesse, sed τῷ β non inesse, propositio α γ vera erit, altera vero falsa. Rursus si sumptum fuerit τὸ γ inesse τῷ β, nulli autem α, propositio quidem γ β vera erit, altera autem falsa. Si igitur privativus sit syllogismus deceptionis, dictum est quando et per quæ erit deceptio.

15. Si negativa falsa inferatur in prima figura per medium extraneum, per quod nimirum non potest bene probari opposita vera, quando medium est universaliter negabile de minori extremo, majus vero extremum est affirmabile de ipso, tum et major et minor sunt totaliter falsæ. Explicatur ac probatur proposito exemplo. Sit hæc negativa falsa : *nullus homo est vivens*, opposita huic veræ mediatæ : *omnis homo est vivens*, quæ est demonstrabilis per animal, tanquam per medium proprium. Sumatur arbor, quæ est medium extraneum universaliter negabile de homine, quod est minus extremum, si quidem *nullus homo est arbor*, et de quo universaliter est affirmabile vivens, quod est majus extremum, nam *omnis arbor est vivens*. Dico, quod, si per tale medium probetur negativa falsa in prima figura, utraque præmissa erit totaliter falsa, et fiet sequens syllogismus in Celarent : *nulla arbor est vivens; omnis homo est arbor; ergo nullus homo est vivens*. Ratio est, quia in prima figura ad concludendam directe universalem negativam, in majori debet de medio universaliter negari majus extremum ; sed ex suppositione sumitur medium, de quo majus extremum est universaliter affirmabile ; ergo major est totaliter falsa, ita ut contraria sit vera. Rursus in minori debet medium universaliter affirmari de minori extremo; sed ex suppositione sumitur medium universaliter negabile de minori extremo; ergo etiam minor est totaliter falsa, ita ut contraria sit vera.

16. Demum si negativa falsa inferatur in prima figura per medium extraneum, de quo majus extremum sit universaliter negabile, sola minor erit falsa. Explicatur ac demonstratur proposito exemplo. Ad inferendam hanc negativam falsam : *nullus homo est vivens*, sumatur medium extraneum, de quo vivens sit universaliter negabile, ex. gr., lapis; major, quæ necessario est negativa, erit vera, puta hæc : *nullus lapis est vivens ;* sed non potest conclusio falsa inferri ex utraque præmissa vera; ergo minor erit falsa, et fiet sequens syllogismus in Celarent : *nullus lapis est vivens ; omnis homo est lapis; ergo nullus homo est vivens*.

17. In secunda figura negativa falsa non potest inferri ex utraque præmissa totaliter falsa. Si enim prædicatum est universaliter affirmabile de subjecto; ergo nihil datur universaliter affirmabile de uno, universaliter negabile de altero, ut dictum est num. 10 agendo de propositionibus negativis falsis, oppositis veris immediatis. Potest igitur solum negativa falsa inferri ex altera præmissa totaliter falsa, sive sit major sive minor. Explicatur ac demonstratur proposito exemplo. Sit enim negativa : *nullus homo est risibilis*, sumatur medium universaliter affirmabile tum de homine tum de risibili, ex. gr., animal, — potest per hoc medium inferri posita conclusio, vel in Cæsare negando illud universaliter de risibili et affirmando de homine ac dicendo : *nullum risibile est animal; omnis homo est animal; ergo nullus homo est risibilis;* vel in Camestres affirmando illud universaliter de risibili ac negando de homine ac dicendo : *omne risibile est animal; nullus homo est animal; ergo nullus homo est risibilis*. In primo casu major est totaliter falsa, minor vera ; in secundo major est vera, minor est falsa totaliter; ergo non potest conclusio negativa falsa concludi in secunda figura ex utralibet præmissa totaliter falsa, sumendo medium universaliter affirmabile de utroque extremo. Explicatum igitur est, quot modis negativa falsa mediata concludi possit, tum in prima tum in secunda figura.

18. Si vero sit affirmativus, cum est per proprium medium, impossibile est ambas propositiones esse falsas ; necesse est enim propositionem γ β manere, si futurus est syllogismus, ut

antea quoque dictum fuit. Quare propositio γ α semper erit falsa; hæc enim est quæ convertitur. Similis ratio est, si ex alia classe sumatur medium, ut dictum fuit etiam in privativa deceptione, quia necesse est ut propositio δ β maneat, α δ vero convertatur. Ac deceptio eadem est cum priore.

19. Cum autem non per proprium medium exstruitur syllogismus, si quidem sit τὸ δ sub α, hæc erit vera, altera falsa. Potest enim τὸ α pluribus inesse, quorum alia sub aliis non sint collocata.

20. Quodsi τὸ δ non sit sub α, hanc quidem semper constat esse falsam, quia sumitur affirmativa. Sed δ β tam vera quam falsa esse potest; nihil enim prohibet, quominus τὸ α nulli δ insit, τὸ δ autem omni β, ut animal inest nulli scientiæ, scientia omni musicæ. Rursus nihil prohibet, quominus τὸ α nulli δ ac τὸ δ nulli β insit. Perspicuum igitur est, cum medium non est sub α, et ambas propositiones falsas esse posse et alterutram. Quotupliciter igitur et per quæ possint effici deceptiones syllogisticæ, tam in immediatis quam in iis, quæ per demonstrationem probantur, perspicuum est.

18. *Quoad secundum :* postquam Aristeles explicavit, quo pacto possit concludi universalis negativa falsa, explicat, quo pacto possit concludi universalis affirmativa falsa. Universalis affirmativa falsa, opposita negativæ veræ mediatæ, non potest inferri in secunda figura, quia secunda figura concludit solum negative; nec potest inferri in tertia, quia tertia figura concludit solum particulariter; ergo potest solum concludi in prima figura et in Barbara. Per medium proprium, per quod bene probetur opposita negativa vera, non potest concludi, nisi unico modo, ita ut scilicet sola major sit falsa. Probatur et explicatur proposito exemplo. Sit hæc falsa mediata : *omnis color est substantia.* Medium proprium ad demonstrandam oppositam negativam veram est qualitas, ex qua sic demonstratur : *nulla qualitas est substantia; omnis color est qualitas; ergo nullus color est substantia.* Si per tale medium debeat inferri affirmativa falsa, quod omnis color est substantia, minor affirmativa, in qua qualitas, quæ est medium, prædicatur de colore, quod est minus extremum, debet manere eadem, ac sola major debet mutari in contrariam universalem negativam juxta dicta supra num. 13. Debet igitur fieri sequens syllogismus : *omnis qualitas est substantia; omnis color est qualitas; ergo omnis color est substantia,* in quo sola major est falsa, minor est vera. Eadem demonstratio fieri potest ad ostendendum, quod, si medium non est proprium, dummodo per illud possit probari opposita vera, sola major debet esse falsa.

19. Cum sumitur medium extraneum, de quo majus extremum sit universaliter prædicabile, tum affirmativa universalis falsa infertur ex majori vera, minori falsa. Explicatur ac demonstratur exemplo. Sit hæc falsa mediata : *omne animal est scientia,* sumatur medium extraneum, de quo scientia prædicetur universaliter, ex. gr., musica : major, in qua majus extremum prædicatur de tali medio, necessario erit vera; ergo sola minor erit falsa, et fiet sequens syllogismus : *omnis musica est scientia; omne animal est musica; ergo omne animal est scientia.*

20. Si vero sumatur medium, de quo majus extremum universaliter negetur, major, in qua majus extremum universaliter prædicatur de medio, semper erit falsa, minor vero aliquando erit vera, aliquando falsa. Explicatur ac demonstratur proposito exemplo. Ad concludendam hanc : *omne animal est scientia,* potest sumi medium, de quo nec scientia negetur universaliter, nec ipsum prædicetur universaliter de animali, ex. gr., habitus; potest etiam sumi medium, de quo ita scientia non negetur universaliter, ut ipsum prædicetur universaliter de animali, ex. gr., substantia; sed in primo casu utraque præmissa erit falsa, et fiet sequens syllogismus : *omnis habitus est scientia; omne animal est habitus; ergo omne animal est scientia;* in secundo casu falsa erit sola major, et fiet sequens syllogismus : *omnis substantia est scientia; omne animal est substantia; ergo omne animal est scientia.* Explicatum igitur est, quot modis possit concludi affirmativa falsa, opposita veræ mediatæ.

21. [18] Perspicuum etiam est, si quis sensus desit, necesse esse ut aliqua scientia desit, quam impossibile est percipere, siquidem discimus aut inductione aut demonstratione, est autem demonstratio ex universalibus, inductio vero ex particularibus; impossibile vero est universalia contemplari nisi per inductionem, quoniam et ea quæ abstracta dicuntur, erunt per inductionem nota, si quis declarare velit quædam cuique generi inesse, quamvis non separabilia sint, quatenus unumquodque est hoc tale. Ut autem inducant qui sensu carent, fieri nequit, quia singularium est sensus. Non enim potest accipi ipsorum scientia, quia nec ex universalibus accipi potest sine inductione, nec per inductionem sine sensu.

21. *Quoad tertium :* postquam Aristoteles egit de ignorantia pravæ dispositionis, quæ fit per syllogismum, agit de ignorantia puræ negationis, quæ fit absque syllogismo. Docet igitur necesse esse, ut qui a nativitate caret aliquo sensu, careat scientia sensibilium propriorum talis sensus; ex. gr., qui cæcus est a nativitate, caret scientia colorum, qui surdus est a nativitate caret scientia sonorum, etc. *Probatur ;* non enim possumus aliter addiscere, quam per inductionem vel per demonstrationem. Acquirimus nimirum scientiam conclusionum per demonstrationem ex universalibus; intellectum vero principiorum acquirimus per inductionem ex singularibus. Et licet aliqua principia sint abstracta a materia sensibili, cujusmodi sunt principia metaphysicæ et mathematicæ, ut *omne totum est majus parte*, etc., tamen ipsas rationes totius et partis, entis, etc., debemus primo abstrahere ab aliquo individuo sensato, adeoque etiam talia principia colligimus per inductionem; sed inductionem ex singularibus facere non possumus sine sensu, cum sensus sit potentia primo cognoscitiva singularium; ergo qui caret aliquo sensu, non potest per inductionem colligere principia de sensibilibus propriis talis sensus; sed si non potest colligere principia propriorum sensibilium, nec potest ex principiis procedere ad scientiam conclusionum; ergo qui caret aliquo sensu non potest obtinere scientiam de propriis sensibilibus. *Explicatur ;* qui caret visu non potest percipere rationem propriam albedinis, nigredinis, coloris, lucis, etc.; ergo neque potest colligere principia propria circa albedinem, nigredinem, etc., hoc est eorum definitionem propriam; sed ex principiis propriis, ac præsertim ex definitione inferuntur proprietates; ergo non potest obtinere scientiam proprietatum. Non tamen repugnat, ut carens aliquo sensu habeat aliqualem scientiam proprietatum sensibilium secundum rationes communes abstrahibiles per alios sensus, et secundum aliquas proportiones et similitudines.

CAPUT XVI.

PROPONITUR QUÆSTIO, AN DEMONSTRATIONES POSSINT IN INFINITUM PROCEDERE SURSUM, DEORSUM, VEL QUOAD MEDIA.

1. [19] Omnis autem syllogismus ex tribus terminis constat.

2. Et alius quidem vim habet probandi inesse τὸ α τῷ γ, quia inest τῷ β atque hoc τῷ γ, alius vero est privativus, alteram propositionem habens, qua significatur inesse quidpiam aliud alii, alteram, qua significatur non inesse.

3. Perspicuum igitur est, hæc esse principia, et quæ vocantur suppositiones. His enim ita acceptis necesse est probare, veluti τὸ α τῷ γ inesse per β, rursus τὸ α τῷ β per aliud medium, itidemque τὸ β τῷ γ.

4. Constat igitur eos, qui probabiliter tantum ac dialectice argumentantur, hoc solum respicere debere, an ex propositionibus, quoad ejus fieri potest, quam maxime probabilibus efficiatur syllogismus. Quocirca etsi revera est aliquid medium inter α et β, sed videtur non esse, qui per hoc argumentatur, dialectice argumentatur. Cum autem ad veritatem probationes diriguntur, ex iis quæ insunt considerare oportet. Ideo autem quædam sic se habent,

5. quia in unoquoque genere reperitur, quod alii attribuitur non ex accidenti. Dico autem ex accidenti ; veluti album illud interdum dicimus esse hominem, cum non similiter dicamus etiam hominem esse album. Hic enim, cum non sit aliud quiddam, est albus; album autem dicitur homo, quia accidit homini, ut sit albus. Sunt igitur nonnulla ejusmodi ut per se attribuantur.

Postquam Aristoteles egit de demonstratione, ipsius materia et forma, ac de de syllogismo deceptionis, opposito demonstrationi, procedit ac inquirendum, utrum demonstrationes possint procedere in infinitum, sursum, deorsum, vel quoad media; et primo quidem præmittit quædam necessaria ad intelligendum statum quæstionis; secundo proponit varias dubitationes ad quæstionem pertinentes.

1. *Quoad primum,* pro quæstionis intelligentia quædam sunt præmittenda. Primum est : demonstratio et universim omnis syllogismus constare debet ex tribus terminis, majori nimirum extremo, quod est prædicatum conclusionis ; minori extremo, quod est subjectum conclusionis; et medio termino.

2. Secundum est : demonstratio dividitur in affirmativam et negativam. Affirmativa probat prædicatum conclusionis convenire subjecto ex eo, quod conveniat universaliter alicui medio, quod universaliter prædicatur de subjecto conclusio-

nis. Hæc demonstratio potest solum fieri in prima figura, in qua sola potest inferri universalis affirmativa, quæ potissimum quæritur in scientiis. Demonstratio negativa debet constare ex duabus præmissis, altera affirmativa, altera negativa, diversimode dispositis terminis in prima vel in secunda figura, ut dictum est in libris Priorum.

3. Tertium est : quandoquidem demonstratio constare debet ex tribus terminis ac duabus propositionibus dispositis modo prædicto, tales propositiones sunt principia et suppositiones demonstrationis, quibus suppositis necessario sequitur conclusio. Demonstrator enim demonstrat prædicatum de subjecto conclusionis per aliquod medium; et si rursus debeat demonstrare aliquam ex præmissis, demonstrat per aliud medium, et rursus per aliud, donec perveniatur ad immediata, ex quibus suppositis cætera necessario sequuntur.

4. Quartum est : licet demonstrator et dialecticus conveniant in hoc, quod uterque probat conclusiones intentas ex quibusdam suppositionibus, differunt tamen per hoc, quod dialecticus, cum pervenerit ad aliquas propositiones, quæ, licet non sint immediatæ, probabiliter videntur immediatæ, sistit in illis, ac non probat ulterius; at demonstrator non sistit in propositionibus, quæ videntur veræ et immediatæ, sed solum in propositionibus, quæ sunt veræ et immediatæ ac medio carentes. Ratio discriminis est, quia dialecticus quærit solum probabilitatem et apparentiam, ideoque procedit ex principiis probabilibus et apparentibus, at demonstrator quærit scientiam veritatis, ideoque procedit ex principiis, quæ non solum videntur, sed sunt.

5. Rursus demonstrator non sumit principia vera solum per accidens, sed vera per se. Propositio per accidens, duplex est. Prima est, in qua subjectum prædicatur de accidente, ut cum dicitur : *album est homo*. Neque enim homo dicitur de albo, eo quod homo accidat alteri, sed eo quod album accidit homini. Secunda est, in qua accidens prædicatur de subjecto, ut cum dicitur : *homo est albus*. Albedo enim accidit homini, cum neque albedo includatur in definitione hominis, neque homo includatur in definitione albedinis. Has propositiones per accidens sumit ut principia dialecticus, non autem demonstrator, qui solum sumit propositiones per se, in quibus nimirum vel prædicatum includitur in definitione subjecti, vel subjectum includitur in definitione prædicati, ut magis explicatum est cap. v, num. 4.

6. Esto igitur τὸ γ ejusmodi, quod alii non insit, huic vero primo insit τὸ β, nec sit aliud interjectum, itidemque rursus τὸ ε insit τῷ ζ, atque hoc τῷ β. Utrum igitur necesse est hoc consistere, an potest in infinitum progredi?

7. Ac rursus si τῷ α nihil attribuitur per se, τὸ α vero τῷ θ inest primo, interjecto autem nulli priori, item τὸ θ inest τῷ η, atque hoc τῷ β, utrum hoc quoque necesse est consistere, an et hoc potest in infinitum progredi? Differt autem hoc quæsitum a priori, quoniam illo modo quæritur incipiendo ab eo quod nulli alii inest, cum aliud ipsi insit, utrum liceat sursum versus in infinitum progredi; hoc autem modo quæritur, sumpto initio ab eo quod alii attribuitur et nulli subjicitur, utrum deorsum versus liceat in infinitum progredi.

8. Præterea terminatis extremis possuntne media esse infinita? Verbi gratia si τὸ α inest τῷ γ, medium autem eorum est τὸ β, τοῦ β vero et τοῦ α sunt alia media, atque horum alia, utrum hæc quoque in infinitum possunt progredi, an non possunt? Hoc autem considerare nihil aliud est quam quærere, utrum demonstrationes in infinitum progrediantur, et utrum omnium sit demonstratio, an extrema se invicem terminent.

6. *Quoad secundum :* his præmissis proponit Aristoteles tres quæstiones circa tres terminos demonstrationis. *Prima quæstio* circa majus extremum est, utrum supposito aliquo ultimo et individuo subjecto, quod non habeat sub se subjectum inferius, possit dari processus in infinitum in prædicatis universalioribus et universalioribus sine termino, an vero debeat tandem sisti in aliquo prædicato universalissimo, quod non habeat supra se prædicatum universalius. Ex. gr., *Petrus* est aliquod subjectum ultimum, quod non potest prædicari de subjecto inferiori; de *Petro* prædicatur immediate et ut quid superius *homo*, qui est species infima; de homine prædicatur immediate *animal;* de animali vivens; de vivente corpus, etc. Quæritur, utrum possit procedi in infinitum in prædicatis immediatis superioribus et superioribus; an potius debeat sisti in aliquo supremo et universalissimo prædicato, quod non habeat supra se aliquod aliud prædicatum.

7. *Secunda quæstio* circa minus extremum, hoc est circa subjectum conclusionis est, utrum supposito, quod detur aliquod prædicatum supremum et universalissimum, ita ut nihil detur superius et

universalius ipso, possit dari processus in infinitum in subjectis inferioribus, hoc est minus et minus universalibus sine termino, an vero debeat sisti in aliquo subjecto ultimo, quod non habeat sub se aliud subjectum. Ex. gr., intelligibile est universalissimum prædicatum, quod immediate prædicatur de ente, ut de subjecto inferiori, quod ens prædicatur immediate de substantia, quæ substantia prædicatur immediate de corpore. Quæritur, utrum possit procedi in infinitum sine termino, an debeat sisti in aliquo subjecto infimo, quod non habeat sub se aliud subjectum inferius. In prima igitur quæstione quæritur, utrum incipiendo ab infimo dari possit processus in infinitum, ascendendo sursum ad superiora. In secunda quæritur, utrum incipiendo a supremo, dari possit processus in infinitum descendendo deorsum ad inferiora.

8. *Tertia quæstio* circa medium est, utrum supposito supremo et universalissimo prædicato, et infimo ac particularissimo subjecto, possint inter ipsa dari infinita media; ex. gr., supposito quod Petrus sit infimum subjectum, et intelligibile sit supremum prædicatum, quæritur, utrum inter Petrum et intelligibile dari possint infinita media, ita ut inter intelligibile et Petrum detur medium, et inter intelligibile et medium detur aliud medium, et sic sine termino. In his porro quæstionibus quæritur, utrum detur processus in infinitum in demonstrationibus ascendendo, descendendo, et per media. Si enim dato ultimo subjecto, sunt possibilia plura et plura prædicata universaliora et universaliora sine termino, possunt de tali subjecto demonstrari ascendendo prædicata universaliora et universaliora sine termino; ex. gr., de Petro per hominem poterit demonstrari animal, dicendo : *omnis homo est animal; Petrus est homo; ergo Petrus est animal;* rursus per *animal* poterit demonstrari *vivens*, per *vivens corpus*, per *corpus substantia*, et sic in infinitum ascendendo semper ad prædicata universaliora et universaliora. Similiter si dato primo et universalissimo prædicato sunt possibilia subjecta particulariora et particulariora sine termino, poterit tale prædicatum demonstrari per infinitas demonstrationes de subjectis particularioribus et particularioribus descendendo; ex. gr., poterit *intelligibile* demonstrari de *substantia* per *ens* dicendo : *omne ens est intelligibile; omnis substantia est ens; ergo omnis substantia est intelligibilis;* poterit rursus per *substantiam* demonstrari de *corpore*, per *corpus* de *vivente*, per *vivens* de *homine*, et sic in infinitum descendendo ad subjecta particulariora et particulariora. Demum si posito supremo et universalissimo prædicato, et infimo ac particularissimo subjecto, dentur infinita media, omnes propositiones seu præmissæ erunt demonstrabiles, nec pervenietur ad propositiones immediatas. Ex. gr., inter Petrum et intelligibile mediat corpus; ergo per corpus potest demonstrari, quod Petrus est intelligibilis dicendo : *omne corpus est intelligibile; Petrus est corpus; ergo Petrus est intelligibilis;* inter corpus et intelligibile mediat aliud medium, et similiter inter Petrum et corpus mediat aliud medium; ergo major et minor sunt demonstrabiles, adeoque omnes propositiones seu præmissæ sunt demonstrabiles, qui est error rejectus supra, cap. III.

9. Similiter dico quærendum esse de privativis syllogismis et propositionibus, veluti τὸ α nulline β insit primo, an sit aliquid medium, cui priori non insit; veluti an medium sit τὸ η, quod insit omni β, et rursus an hoc alii priori τὸ α non insit, veluti an medium sit τὸ θ, quod omni η insit. Etenim in his quoque aut infinita sunt ea, quibus prioribus non inest, aut consistunt.

10. In iis vero quæ reciprocantur, non similiter se res habet, quoniam in iis quæ sibi invicem attribuuntur, nihil est cui primo vel postremo attribuatur. Omnia namque ad omnia, quantum ad hoc, similiter affecta sunt, sive sint infinita, quæ eidem attribuuntur, sive ambo illa, de quibus dubitatur, sint infinita ; præterquam si non similiter fiat reciprocatio, sed alterum sit ut accidens, alterum vero ut attributio.

9. Quæstiones explicatæ procedunt proportionaliter de propositionibus negativis. Sit enim propositio negativa : *Petrus non est qualitas*, vel qualitas primo negatur de Petro, vel prius negatur de aliquo priori et universaliori, quod est affirmabile de Petro, puta de homine, ita ut per hominem possit negari de Petro, dicendo : *nullus homo est qualitas; Petrus est homo; ergo Petrus non est qualitas;* et rursus qualitas negaturne primo de homine, an prius de animali, quod est superius homine? et adhuc prius negatur de vivente, et prius de corpore, et sic in infinitum? vel potius finita solum sunt illa, de quibus qualitas negatur prius quam de Petro, et invenitur aliquid, de quo primo negetur qualitas? Similiter si qualitas primo negatur de substantia et media substantia

de corpore, medio corpore de vivente, suntne infinita subjecta particulariora et particulariora, de quibus qualitas potest negari descendendo; an potius sistitur in aliquo ultimo et particularissimo subjecto?

10. Non tamen procedunt istæ quæstiones de prædicatis convertibilibus, cujusmodi sunt propriæ passiones. Nam ex prædicatis convertibilibus, seu sint infinita seu finita, nullum est prius altero, nullum posterius, nullum est primum vel ultimum prioritate, de qua loquimur, quæ est prioritas a subsistendi consequentia; ex. gr., sive prædicata convertibilia cum homine, cujusmodi sunt rationale, admirativum, risibile, flebile, etc., sint finita sive infinita, eodem pacto convertuntur, ita ut sicut *omnis homo est admirativus, sic omne admirativum sit homo*, adeoque nullam habent prioritatem vel posterioritatem a subsistendi consequentia. Possunt tamen habere aliquam aliam prioritatem causalitatis, per quam rationale sit causa admirativi, admirativum risibilis, etc., ex qua prioritate oritur, ut propositio, in qua effectus prædicatur de causa, sit naturalis et per se; propositio, in qua causa prædicatur de effectu, sit innaturalis et per accidens; ex gr., hæc propositio : *omne rationale est admirativum* est per se, quia admirativum, quod est effectus, prædicatur de rationali, quod est causa; at hæc : *omne admirativum est rationale*, est innaturalis et per accidens ex opposita ratione. Ex hoc vero oritur rursus, ut prædicatum, quod est causa, debeat assumi ut medium ad demonstrandum id, quod est effectus. Et quia essentia ac definitio est causa cæterorum convertibilium, ideo definitio est primum medium demonstrationis. Sed de hac prioritate et posterioritate convertibilium non agimus in præsentia.

CAPUT XVI. ART. II.

OSTENDITUR, NON POSSE PROCEDI IN INFINITUM IN MEDIIS, NISI PROCEDATUR IN INFINITUM IN EXTREMIS; AC NON POSSE PROCEDI IN INFINITUM IN NEGATIVIS, NISI PROCEDATUR IN INFINITUM IN AFFIRMATIVIS.

11. [20] Media autem non posse esse infinita, si tam deorsum quam sursum versus attributiones consistant, manifestum est. (Voco autem attributionem sursum versus eam, quæ progreditur ad magis universale, deorsum versus eam, quæ progreditur ad particulare).

12. Nam si, cum τὸ α attribuatur τῷ ζ, infinita sunt media, ubi β, constat accidere posse ut ab α deorsum versus alterum alteri attribuatur in infinitum, quia priusquam perveniatur ad ζ, infinita sunt media, et a ζ sursum versus sint infinita attributa, priusquam perveniatur ad α. Quare si hæc sunt impossibilia, etiam τοῦ α et τοῦ ζ impossibile est infinita esse media.

13. Nec enim quidquam refert, si quis dicat quædam τοῖς α β invicem hærere, adeo ut nihil sit interjectum, alia vero non posse accipi. Quodcumque enim sumpsero τῶν β, media, vel ad α relatione habita vel ad ζ, aut erunt infinita aut non. A quo autem primum incipiant esse infinita, sive statim sive non statim, nihil refert; nam quæ sunt post hæc, infinita sunt.

Propositis quæstionibus, antequam Aristoteles illas ultimo decidat, probat primo, quod tertia quæstio de mediis pendet a prima et secunda quæstione de extremis, ita ut si non potest dari processus in infinitum in extremis, nec possit dari processus in infinitum in mediis; secundo ostendit, quod quæstio de demonstrationibus negativis pendet a questione de affirmativis, ita ut si non potest dari processus in infinitum in demonstrationibus affirmativis, nec possit dari in negativis.

11. *Quoad primum :* Si non potest procedi in infinitum sursum in prædicatis universalioribus et universalioribus, neque deorsum in subjectis particularioribus et particularioribus, sed debet dari supremum et universalissimum prædicatum, et infimum ac particularissimum subjectum, nec possunt dari infinita media; ergo quæstio de mediis pendet a quæstionibus de extremis.

12. Probatur antecedens : sit enim infimum subjectum *Petrus*, et supremum prædicatum *intelligibile;* si inter Petrum et intelligibile sunt infinita media universaliora et universaliora Petro; ergo datur infinitum sursum in prædicatis universalioribus et universalioribus; et si sunt infinita media particulariora et particulariora intelligibili; ergo datur infinitum deorsum in subjectis particularioribus et particularioribus; ergo si neque dari potest infinitum sursum, neque infinitum deorsum, sequitur, quod neque possit dari processus in infinitum in mediis. Non enim agimus de mediis convertibilibus, sed de mediis universalioribus minori extremo, ac minus universalibus majori extremo.

13. Quia vero posset aliquis respondere, hanc rationem valere solum de mediis habitis sive hærentibus, non autem

de mediis non hærentibus, inter quæ nimirum aliquid mediat, eo pacto, quo inter punctum et punctum semper mediat linea, ideo Aristoteles probat, rationem allatam æque valere, seu media hæreant, seu non hæreant. Sit enim Petrus et intelligibile, inter quæ mediet F, sive hærens sive non hærens; adhuc inter F et intelligibile mediet aliud, quod vocetur C universalius quam F, et minus universale quam intelligibile; et adhuc inter C et intelligibile mediet D, et sic in infinitum; ergo ascenditur sursum per infinita prædicata universaliora et universaliora, sive hæreant, sive non hæreant; ergo si impossibilis est infinitus ascensus sursum, impossibile est, ut dentur infinita media, sive hærentia sive non hærentia. Similiter inter intelligibile et Petrum mediet B, sive hærens sive non hærens; et inter B et Petrum mediet C, minus universale quam B, et magis universale quam Petrus, et sic in infinitum; ergo descenditur deorsum per subjecta minus et minus universalia in infinitum; ergo si est impossibilis talis descensus, est impossibile, ut sint infinita media; ergo tertia quæstio de mediis pendet a prima et a secunda de extremis.

14. [21] Perspicuum autem est, etiam in privativa demonstratione fore terminum, in quo consistatur, siquidem in attributiva consistitur ex utraque parte. Ponatur namque fieri non posse, ut progressus sit infinitus tam ab ultimo sursum versus (ultimum appello, quod nulli alii inest, cum ipsi aliud insit, ut τὸ ζ) quam a primo ad ultimum (voco autem primum, quod de alio dicitur, cum de eo nihil aliud dicatur). Si igitur hæc sunt, constat etiam in negatione fore terminum, in quo consistatur. Tripliciter enim probatur non inesse. Aut enim cui inest τὸ γ, ei omni inest τὸ β, cui vero inest τὸ β, nulli inest τὸ α. Ergo in pronuntiati β γ atque adeo semper alterius intervalli probatione necesse est progredi ad principia medio vacantia, quoniam hoc intervallum est attributivum. Alterum autem si alii priori non inest, veluti τῷ δ, opus erit ut hoc omni β insit. Et si rursus alii priori ipso δ non insit, opus erit ut illud omni δ insit. Quocirca cum progressus deorsum versus consistat, etiam sursum versus consistet, atque erit aliquid primum, cui non insit.

14. *Quoad secundum* probat Aristoteles, quod si non potest dari processus in infinitum in demonstrationibus affirmativis, neque possit dari processus in infinitum in negativis. Supponatur enim, quod a subjecto ultimo non possit demonstrando sursum procedi in infinitum ad prædicata universaliora et universaliora, ita ut de Petro, ex. gr., per hominem, demonstretur animal, dicendo : *omnis homo est animal; Petrus est homo; ergo Petrus est animal,* — per animal demonstretur vivens, per vivens corpus, per corpus substantia, et sic in infinitum. Supponatur rursus, quod non possit ab universalissimo prædicato dari processus in infinitum deorsum ad prædicata minus et minus universalia, ita ut intelligibile affirmetur de ente, et per ens de substantia, dicendo : *omne ens est intelligibile; omnis substantia est ens; ergo omnis substantia est intelligibilis;* et per substantiam de corpore, per corpus de vivente, per vivens de animali, per animal de homine, et sic in infinitumi;—sinquam non possit procedi in demonstrationibus affirmativis in infinitum sursum neque deorsum, neque potest procedi in infinitum in negativis. Probatur, quia conclusio negativa potest demonstrari vel in prima figura, vel in secunda, vel in tertia; in nulla potest procedi in infinitum, si non potest in affirmativis; ergo, etc. *Probatur minor,* et primo quoad *primam partem,* quod nimirum in prima figura procedi non possit in infinitum. In prima enim figura concluditur prædicatum non convenire subjecto, quia prius non convenit medio, quod universaliter prædicatur de subjecto conclusionis; ex. gr., in Celarent : *nullum animal est quantitas ; omnis homo est animal; ergo nullus homo est quantitas,* — concluditur, quod quantitas non convenit homini, quia prius non convenit animali, quod universaliter dicitur de homine. Jam si minor : *omnis homo est animal,* est mediata, cum sit affirmativa, non possunt homo et animal ita esse distracta, ut interponantur infinita media, ut supponitur; sed neque si major : *nullum animal est quantitas,* sit mediata, possunt interponi infinita media; ergo neque ex parte majoris neque ex parte minoris potest procedi in infinitum. Probatur minor ; si enim hæc : *nullum animal est quantitas,* sit mediata, probari debet ex eo, quod quantitas priusquam de animali negetur, negatur universaliter de aliquo universaliori, quod affirmetur universaliter de animali, et per consequens de homine, ex. gr., de vivente, dicendo : *nullum vivens est quantitas; omne animal est vivens; ergo nullum animal est quantitas,* — et si iterum major : *nullum vivens est quantitas* sit mediata, quantitas debet

prius negari de aliquo universaliori, quod universaliter affirmetur de vivente, et per consequens de animali ac de homime, ex. gr., de corpore, dicendo : *nullum corpus est quantitas; omne vivens est corpus; ergo*, etc.— si rursus major: *omne corpus est quantitas* sit mediata, quantitas debet prius negari de aliquo universaliori, quod universaliter prædicetur de corpore, vivente, animali et homine, ex. gr., de substantia; sed in prædicatis universalioribus et universalioribus Petro, qui positus est ut ultimum subjectum, non potest procedi in infinitum; ergo deveniendum est ad aliquod universalissimum, de quo immediate negetur quantitas, ita ut nihil mediet, quale subjectum est substantia; est enim immediata hæc negativa : *nulla substantia est quantitas;* ergo si non potest procedi in infinitum in prædicatis universalioribus et universalioribus per demonstrationes affirmativas, nec potest procedi in infinitum in demonstrationibus negativis in prima figura, sed deveniendum est ad negativas immediatas.

15. Rursus si τὸ β omni α, nulli autem γ, τὸ α nulli γ inest. Si rursus hoc probare oportet, manifestum est, vel superiori modo probatum iri, vel hoc, vel tertio. De primo igitur dictum est, secundus autem ostendetur. Sic vero probaret, veluti quia τὸ δ omni β inest, nulli autem γ, si necesse est inesse quidpiam τῷ β. Ac rursus si hoc τῷ γ non inerit, aliud τῷ δ inest, quod τῷ γ non inest. Itaque cum inesse semper superiori sistatur, sistetur etiam noninesse.

15. Probatur jam *secunda pars* minoris, quod nimirum neque in secunda figura possit procedi in infinitum in demonstrationibus negativis. Hæc negativa, ex. gr., *nullus homo est albedo*, demonstratur ex eo, quod medium universaliter de altero extremorum affirmetur, de altero negetur, dicendo in Camestres : *omnis albedo est color*; *nullus homo est color; ergo nullus homo est albedo;* sed neque in probatione majoris affirmativæ potest procedi in infinitum, ut supponitur, neque in probatione minoris negativæ; ergo, etc. Probatur minor, quia vel minor negativa probatur per primam figuram, vel per secundam, vel per tertiam; si per primam, non potest procedi in infinitum, ut jam probatum est; neque si per secundam et tertiam; ergo etc. Probatur minor et primo, quod non possit procedi in infinitum, probando illam negativam : *nullus homo est color* in secunda figura. Deberet enim probari per hoc quod aliud medium, ex. gr., qualitas, affirmaretur universaliter de colore, et negaretur universaliter de homine, dicendo : *omnis color est qualitas; nullus homo est qualitas*: *ergo nullus homo est color;* et si minor negativa sit mediata, deberet inveniri aliud medium affirmabile universaliter de qualitate, et negabile de homine, et sic in infinitum; ergo deberent inveniri media universaliora et universaliora (de mediis enim convertibilibus non agimus), quorum primum, hoc est color, affirmaretur universaliter de albedine, secundum, hoc est qualitas, affirmaretur universaliter de colore, tertium affirmaretur universaliter de qualitate, et sic in infinitum; sed non possunt dari infinita media affirmabilia universaliora et universaliora, ut supponitur; ergo etc. Idem dic, si procedatur in Cesare, ita ut minor sit affirmativa ; deberent enim inveniri infinita media affirmabilia universaliora et universaliora minori extremo, sicut procedendo in Camestres deberent inveniri infinita media universaliora et universaliora majori extremo, ut explicatum est. Si vero dicatur, quod aliquando procedetur in Cesare, aliquando in Camestres, hoc rejicietur ab Aristotele paulo post ; ergo non potest procedi in infinitum, neque in prima neque in secunda figura.

16. Tertius autem modus erat : si τὸ α omni β inest, τὸ γ autem non inest, non omni α inest τὸ γ. Rursus autem hoc vel per supra dictos modos vel similiter probabitur. Illis igitur modis consistitur. Si vero sic probetur, rursus accipietur τὸ β τῷ ε inesse, cui τὸ γ non omni inest. Et hoc rursus similiter probabitur. Cum autem supponatur deorsum versus stari, manifestum est, fore ut consistat etiam τὸ γ negatum.

17. Perspicuum autem est, et si non una via probetur sed omnibus, id est modo ex prima figura, modo ex secunda vel tertia, hoc etiam pacto fore terminum, in quo consistatur. Finitæ namque sunt viæ; ac necesse est ut finita finities accepta sint finita universa. Stari igitur in negatione, siquidem et in affirmatione, manifestum est.

16. Probatur jam *tertia pars* minoris, quod nimirum neque in tertia figura procedi possit in infinitum. Concludatur enim hæc negativa : *aliquid vivens non est intellectivum* in Felapton, dicendo : *nulla planta est intellectiva ; omnis planta est vivens; ergo aliquod vivens non est intellectivum ;* neque potest procedi in infi-

nitum in probatione minoris affirmativæ, neque in probatione majoris negativæ; ergo etc. Probatur antecedens; si enim posset procedi in infinitum in probatione majoris negativæ, vel procederetur in infinitum in prima figura, vel in secunda, vel in tertia; non in prima, neque in secunda, ut jam probatum est, neque in tertia, ergo etc. Probatur, quod non in tertia, primo, quia illa universalis negativa : *nulla planta est intellectiva,* non potest probari in tertia figura, quæ solum concludit particulariter. Secundo si dicatur, quod sufficit probare particularem, quod *aliqua planta non est intellectiva,* (æque enim valet ad probandam dictam conclusionem hic syllogismus in Boccardo : *aliqua planta non est intellectiva; omnis planta est vivens; ergo aliquod vivens non est in intellectivum,* ac allatus syllogismus in Felapton) — si inquam hoc dicatur, contra est, quia ad probandam illam particularem : *aliqua planta non est intellectiva,* debet sumi medium, de quo majus extremum negetur, minus extremum, hoc est planta, affirmetur (in tertia enim figura medium semper est subjectum, et minor semper est affirmativa); hoc igitur medium sit arbor, et dicatur : *aliqua arbor non est intellectiva; omnis arbor est planta; ergo aliqua planta non est intellectiva;* et si rursus sit probanda major negativa, debet sumi medium, de quo in minori prædicetur arbor, ex. gr., quercus; et si rursus major negativa sit probanda, debet sumi medium, de quo in minori affirmetur quercus etc.; ergo si procedatur in infinitum, debebunt sumi infinita media, quorum primum sit subjectum respectu minoris extremi, secundum sit subjectum respectu primi medii, adeoque etiam respectu minoris extremi; tertium sit subjectum respectu secundi medii, adeoque etiam respectu primi medii et minoris extremi, et sic in infinitum; ergo daretur processus in infinitum in subjectis minus et minus universalibus (subjecta enim convertibilia cum prædicatis jam exclusimus, et præterea subjecta non possunt essse universaliora prædicatis in propositione naturali); ergo si est impossibilis processus in infinitum deorsum, versus subjecta minus et minus universalia, ut supponitur, est etiam impossibilis processus in infinitum in demonstrationibus negativis in tertia figura; ergo universim est impossibilis processus in infinitum in demonstrationibus negativis, si est impossibilis in affirmativis.

17. Posset aliquis respondere, quod debet sisti in demonstrationibus negativis, si in probatione præmissarum semper procedatur per eamdem figuram; si vero modo procedatur per unam figuram, modo per aliam, vel modo per unum modum ejusd m figuræ, modo per alium, non debet sisti, sed potest procedi in infinitum. Rejicit hanc responsionem Aristoteles, quia figuræ et modi sunt solum finiti; sed per finita finities sumpta non potest procedi in infinitum; ergo ut procedatur in infinitum, necesse est, ut vel omnis figura, vel aliqua sumatur infinities; sed in nulla figura procedi potest in infinitum, probando propositiones negativas, si non potest procedi in infinitum ascendendo vel descendendo in prædicatis affirmativis, ut ostensum est; ergo neque variando figuras ac modos, potest procedi in infinitum in propositionibus negativis, si non potest procedi in infinitum in affirmativis; ergo tota quæstio pendet ab ea, an possit procedi in infinitum in prædicatis affirmativis universalioribus et universalioribus ascendendo et in subjectis particularioribus et particularioribus descendendo.

CAPUT XVI. ART. III

RESOLVITUR QUÆSTIO ET OSTENDITUR, NON POSSE DARI PROCESSUM IN INFINITUM, NEQUE IN PRÆDICATIS SUPERIORIBUS ET SUPERIORIBUS, NEQUE IN SUBJECTIS INFERIORIBUS ET INFERIORIBUS.

18. [22] Stari autem in illis, logice considerantibus ita perspicuum erit. Sane in iis quæ attribuuntur in quæstione quid est, hoc est manifestum. Nam si licet definire, vel si cognosci potest quid res sit, infinita vero percurrere non licet, necesse est ea esse finita, quæ attribuuntur in quæstione quid est.

Accedit tandem Aristoteles ad resolvendam quæstionem principalem, a qua pendent aliæ, et ad probandum, non posse procedi in infinitum, neque in prædicatis universalioribus et universalioribus, neque in subjectis particularioribus et particularioribus; et primo probat rationibus dialecticis atque ex communibus; secundo rationibus resolutivis atque ex propriis demonstrationis.

18. Prima igitur ratio dialectica seu logica est : si daretur processus in infinitum sursum ac deorsum in prædicatis

quidditativis et essentialibus, res non possent definiri, vel saltem definitiones non possent innotescere; consequens est inconveniens; ergo saltem in prædicatis quidditativis et essentialibus non potest dari processus in infinitum. Probatur sequela; ut enim cognoscatur definitio rei, debent cognosci omnia prædicata quidditativa ipsius, ex. gr., ut cognoscatur, quid sit homo; debent cognosci omnia prædicata quidditativa hominis; sed infinita prædicata cognosci atque intellectu pertransiri non possunt; ergo etc. Ut igitur dentur definitiones et possint innotescere, necesse est, ut in prædicatis non possit procedi in infinitum, neque sursum neque deorsum, sed ut perveniatur ad universalissimum ac primum prædicatum et ad particularissimum atque ultimum subjectum.

19. Universaliter autem sic dicamus. Potest enim vere dici album ambulare et magnum illud esse lignum, et rursus lignum esse magnum et hominem ambulare. Differunt igitur hoc modo dicere et illo modo. Cum enim dico album esse lignum, tunc dico id cui accidit ut sit album, esse lignum. Sed album non est tanquam subjectum ligno, quia neque cum esset album neque cum esset species albi, factum est lignum; proinde non est lignum nisi per accidens. Cum autem lignum album esse dico, non dico aliud quiddam esse album, eique accidere ut sit lignum (quemadmodum cum dico musicum esse album; tunc enim dico hominem esse album, cui accidit ut sit musicus), sed lignum est subjectum, quod factum est album, cum aliud quid non esset quam ipsum lignum aut lignum quoddam. Quod si nomina ponere licet, hoc modo dicere esto attribuere; illo autem modo aut nullo modo attribuere, aut attribuere quidem, non tamen simpliciter, sed per accidens attribuere. Esto autem attributum, ut album; id vero cui attribuitur, ut lignum. Supponatur igitur attributum attribui semper ei, cui attribuitur, simpliciter, non per accidens. Sic enim demonstrationes demonstrant.

20. Itaque attribuitur vel in quæstione quid est, vel quia est quale aut quantum aut relatum ad aliquid aut faciens aut patiens aut ubi aut quando; nimirum cum unum uni attributum fuerit.

21. Præterea quæ significant essentiam, significant id, cui attribuuntur, nihil aliud esse quam illud ipsum, quod attribuitur, aut partem ejus. Quæ vero non essentiam significant, sed dicuntur de alio subjecto, quod nec est illud ipsum attributum nec pars ejus, sunt accidentia, ut homini attribuitur album. Homo namque nec est ipsum album nec ipsum quiddam album. Sed fortasse animal; homo enim est ipsum quiddam animal. Quæ vero non essentiam significant, oportet alicui subjecto attribui; nec esse album quoddam, quod, cum non sit aliud quidpiam, album sit. Valeant enim ideæ, quia sunt teretismata; et si revera sint, nihil tamen ad hunc sermonem pertinent; non enim demonstrationes de rebus hujusmodi sunt.

22. Præterea si non est hoc hujusce qualitas et illud hujus, nec qualitatis qualitas, fieri non potest ut ita invicem attribuatur; sed vere quidem dici potest, invicem autem attribui vere non potest.

19. Ut proponat Aristoteles secundam rationem, qua ostendatur universaliter, non posse procedi in infinitum, non solum in prædicatis quidditativis, sed neque in aliis, præmittit quatuor. Primum est: ea, quæ prædicantur, vel prædicantur absolute et simpliciter, vel prædicantur solum per accidens. Explicatur; tripliciter potest unum dici de altero; primo ut accidens de accidente, ut cum dico: *album ambulat*, sive *est ambulans*; secundo ut subjectum de accidente, ut cum dicimus: *illud album vel illud magnum est lignum;* tertio ut accidens de subjecto, vel quomodocumque ut attributum de subjecto, cui convenit, ut cum dicimus: *lignum est album.* Differentia inter has prædicationes est, quod cum prædico accidens de subjecto, significo illud esse subjectum, cui convenit tale accidens vel prædicatum; ex. gr., cum dico: *lignum est album,* significo, lignum esse subjectum, cui convenit *esse album.* Lignum enim est aliquid per se subsistens, cui accidit, ut fiat et sit album. At cum dico: *album est lignum,* non significo, album esse aliquod subjectum per se subsistens, cui accidat esse lignum; neque enim datur album, quod sit subjectum potens fieri et esse lignum; solum igitur significo, quod lignum est subjectum, cui accidit *esse album.* Cum vero dico: *album est ambulans,* neque significo, album esse subjectum, cui accidat *ambulare,* neque significo, ambulans esse subjectum, cui accidat esse album, sed solum significo, dari subjectum commune, puta hominem, cui simul accidat ambulare et esse album. Posito hoc, si liceat imponere nomina ad distinguenda hæc tria genera prædicatorum, prædicata simpliciter voco, quæ ita comparantur ad subjectum, de quo dicuntur, sicut album ad lignum; nam ea solum vere insunt ei, de quo dicuntur. Illa vero prædicata, quæ comparantur ad subjectum, sicut lignum ad album, vel sicut album ad ambulans, non voco prædicata simpliciter, sed solum præ-

dicata secundum quid et per accidens, cum vere non insint iis, de quibus dicuntur, ut explicatum est. Ratio est, quia scientiæ demonstrativæ, de quibus loquimur, non considerant de subjectis, nisi illa prædicata, quæ vere insunt.

20. Secundum est : prædicata simpliciter, aut significant quid res sit, sive essentiam subjecti; aut significant quantum sit, aut quale, aut ad aliquid, aut facere, aut pati, aut in loco, aut in tempore, vel universaliter aliquod prædicatum, ut explicatum est fuse in libro Prædicamentorum.

21. Tertium est : prædicata, quæ significant, quid res sit, sive essentiam subjecti, per hoc differunt a prædicatis, quæ non significant essentiam subjecti, quod, quæ significant essentiam subjecti, significant subjectum esse illud ipsum, quod subjecto attribuitur, vel ejus partem seu speciem; at prædicata, quæ non significant essentiam subjecti, non significant subjectum esse id ipsum, quod subjecto attribuitur, vel ejus partem aut speciem, cum subjectum sit aliquid aliud, cui accidit tale prædicatum; ex. gr., animal est prædicatum quidditativum hominis, quia non solum homo est animal, sed idem est *esse hominem*, ac *esse animal*, cum homo nihil aliud sit, quam animal quoddam, hoc est animal rationale; at *album* non est prædicatum quidditativum, sed accidentale hominis, quia licet homo sit albus, tamen non idem est *esse hominem*, ac *esse album*, vel esse tale album. Hinc sequitur, quod talia prædicata semper sint in subjecto; album enim non est per se existens, sed semper alicui singulari accidit *esse album*. Et quia Plato ponebat ideas per es existentes, ex. gr., *per se hominem*, *per se album*, Aristoteles valere jubet tales ideas, quia vel non dantur, vel sunt veluti teretismata, hoc est illæ fidium attrectationes, quæ nihil conferunt ad musicam. Nam etiamsi dentur ideæ, adhuc scientiæ demonstrant de subjectis sensibilibus, non ideas separatas et per se existentes, sed prædicata, quæ vere insunt subjectis.

22. Quartum est : in prædicationibus simpliciter non potest dari conversio, per quam subjectum prædicetur vicissim de suo prædicato. Ratio est, quia subjectum prædicationis simpliciter, de qua sola loquimur, est id, cui prædicatum inest; sed est impossibile, ut id, cui aliud inest, vicissim insit eidem, et quod unum sit qualitas alterius, illudque vicissim sit qualitas suæ qualitatis; ergo prædicationes simpliciter, licet possint converti, ita ut et conversa et convertens sit vera, non tamen possunt ita converti, ut in utraque serventur leges prædicationis simpliciter. Ex. gr., licet hæc propositio : *homo est risibilis*, possit vere converti in hanc : *risibile est homo*, ita ut utraque sit vera, tamen non ita potest converti, ut utraque sit prædicatio simpliciter; nam hæc convertens : *risibile est homo*, non est prædicatio simpliciter, quia homo non inest risibili ut subjecto. Idem proportionaliter dic de prædicatis essentialibus. Universalius enim ita est prædicatum, ut non possit naturaliter constitui subjectum, cum subjectum naturale debeat esse minus universale prædicato.

23. Quid enim? attribueturne ut substantia? veluti si sit genus aut differentia generis attributi. Atqui ostensum est hæc non fore infinita, nec deorsum nec sursum versus. Veluti homo est bipes ; hoc est animal ; hoc autem est aliud. Nec progressu infinito animal dicetur de homine, hoc de Callia, hoc de alio, in quæstione quid est. Omnem enim hujusmodi substantiam licet definire ; infinita vero non possunt intelligentia percurri. Quocirca nec sursum nec deorsum versus sunt infinita, quandoquidem eam definire non licet, cui infinita attribuuntur. Sane ut genera, non sibi mutuo ac reciproce attribuentur ; alioquin genus erit pars sui ipsius.

24. Sed nec quale nec aliquod aliud accidens invicem attribuitur, nisi per accidens; hæc enim omnia accidunt et substantiis attribuuntur. At vero nec sursum versus infinita erunt. Nam unicuique rei attribuitur quod significat vel quale quiddam vel quantum quiddam vel tale quidpiam, vel quæ sunt in rei essentia; hæc autem finita sunt, ac genera categoriarum finita sunt; aut enim est quale aut quantum aut ad aliquid aut faciens aut patiens aut ubi aut quando. Supponitur autem unum uni attribui. Quæ autem non significant quid est, ipsa sibi non attribui, quoniam omnia sunt accidentia. Sed alia per se, alia secundum alium modum. Hæc vero omnia dicimus alicui subjecto attribui; accidens autem non esse subjectum quoddam. Nullam enim ejusmodi rem ponimus esse, quæ cum non sit aliud quidpiam, dicatur id quod dicitur; sed ipsum alii dicimus attribui, et alia quædam alii. Itaque nec sursum nec deorsum versus unum uni inesse dicetur. De quibus enim dicuntur accidentia, sunt ea quæ continentur in cujusque rei essentia; atque hæc non sunt infinita. Sursum vero sunt et hæc et accidentia; ambo autem non infinita sunt. Necesse est igitur esse aliquid, cui primum quidpiam attribuatur, et huic aliud; atque hoc

consistere, et esse aliquid quod nec alii priori attribuatur nec alii priori subjiciatur. Expositus igitur est hic demonstrationis modus.

23. His quatuor suppositis, sic Aristoteles probat non posse procedi in infinitum in prædicatis. Si posset procedi in infinitum in prædicatis, vel posset procedi in infinitum in prædicatis essentialibus vel in accidentalibus; neutrum dici potest; ergo etc. *Probatur minor,* et primo de prædicatis essentialibus. Nam prædicata essentialia, generica ac differentialia sunt finita tantum, tum sursum tum deorsum, cum debeant omnia definitione explicari, quæ definitio non potest pertransire infinita; ergo est impossibile, ut in Petro ex. gr., dentur infinita prædicata essentialia, ita ut sit homo, bipes, animal, et sic sine termino procedendo per prædicata non ordinata, vel procedendo per ordinata sursum aut deorsum, ita ut animal dicatur de homine, homo de Petro, Petrus de aliquo alio subjecto inferiore etc., vel e converso de Petro dicatur homo, de homine animal, de animali vivens, et sic sine termino. Quod si etiam velimus procedere innaturaliter per prædicationes indirectas, dicendo : *animal quoddam est homo; homo est bipes; bipes est Petrus* etc., adhuc, si procedamus per prædicata essentialia, quæ sunt tantum finita, non possumus procedere in infinitum. Cæterum repugnat, quod superiora et inferiora mutuo prædicentur æqualiter, hoc est per prædicationes utrique universales, dicendo ex. gr. : *omnis homo est animal; omne animal est homo,* quia cum superius comparetur ad inferius, sicut continens ad contentum, et sicut totum ad partem, totum et pars, continens et contentum deberent adæquari, quod est impossibile.

24. Probatur jam secunda pars minoris, quod neque possit procedi in infinitum in prædicatis accidentalibus. Vel enim procederetur in infinitum in prædicatis accidentalibus, in quibus accidens prædicatur de accidente, vel in quibus accidens prædicatur de subjecto; neutrum dici potest; ergo etc. Probatur prima pars minoris; accidens enim prædicatur de accidente, in quantum utrumque inest eidem subjecto, quod est substantia; ex. gr., dicitur : *musicum est album,* in quantum eidem homini inest albedo et musica; ergo si non possunt eidem subjecto inesse infinita accidentia, neque potest procedi in infinitum in prædicationibus, in quibus accidens prædicatur de accidente, ac proinde prima pars minoris pendet a secunda. Probatur jam secunda pars minoris, quod non possit procedi in infinitum in prædicationibus, in quibus accidens prædicatur de subjecto. Accidentia enim reducuntur ad genera finita, hoc est ad novem prædicamenta accidentium, quæ sunt : *quale, quantum* etc., sed in unoquoque prædicamento procedi non potest in infinitum sursum aut deorsum, ita ut quale prædicetur de colorato, coloratum de albo, album de hoc albo, et sic in infinitum descendendo ad subjecta inferiora et inferiora; neque ita, ut de hoc albo prædicetur album, de albo coloratum, de colorato quale, et sic in infinitum ascendendo ad prædicata superiora et superiora. Cum enim hæc omnia prædicata debeant poni in definitione accidentium, non possunt esse infinita; ergo in prædicationibus, in quibus unum prædicatur de uno, et non congeruntur prædicata plurium prædicamentorum, ut cum dicitur : *Petrus est homo albus,* non potest procedi in infinitum; sed de accidentibus non possunt prædicari nisi prædicata eorum essentialia (accidentia enim prædicantur de subjecto, cui insunt, solum per accidens); ergo in prædicatis accidentalibus, dum dicuntur de subjecto, hoc est de substantia, non potest procedi in infinitum ascendendo vel descendendo; ergo cum in prædicatis, quæ dicuntur essentialiter de subjecto, non possit procedi in infinitum, neque in iis, quæ accidentaliter dicuntur de substantia ut de subjecto, possit procedi in infinitum, et cum accidens non possit prædicari de accidente, nisi in quantum utrumque accidit subjecto, ac de eo dicitur accidentaliter, sequitur quod in nullo genere possit procedi in infinitum ascendendo vel descendendo, sed in unoquoque sit ultimum subjectum, quod non dicitur de alio subjecto inferiori, et supremum prædicatum, de quo non dicitur aliud prædicatum superius. Ex. gr., in genere substantiæ primum subjectum est *Petrus,* de quo dicitur homo, de quo animal, et sic ascendendo ad supremum genus; de hoc genere dicuntur alia genera. De *Petro* enim dicitur *albus,* de *albo, coloratum,* de *colorato, quale,* et sic ascendendo usque ad suprema genera in singulis prædicamentis; ergo in nullo genere prædicatorum potest procedi in infinitum ascendendo vel descendendo. Et hic est primus modus probandi per rationes communes

omnibus prædicationibus scientificis ac non scientificis, conclusionem intentam.

25. Præterea vero est alius modus, si eorum est demonstratio, quibus aliqua prius attribuuntur.

26. Ad ea vero quorum est demonstratio, non potest quispiam melius affectus esse, quam si ea cognoscat; nec potest ea cognoscere sine demonstratione. Quodsi hoc per hæc notum fit, hæc autem non novimus, nec ad ea melius affecti sumus, quam si cognosceremus, ne id quidem sciemus, quod per hæc notum fieri debet.

27. Si igitur licet aliquid scire per demonstrationem simpliciter, non ex quibusdam nec sub conditione, necesse est attributiones interjectas consistere, quia nisi consistant, sed sit semper aliquid supra id quod sumptum fuit, omnium erit demonstratio. Quare si infinita percurri nequeunt, quorum est demonstratio, ea non cognoscemus per demonstrationem. Si igitur nec melius ad ea sumus affecti, quam si cognosceremus, non licet quidpiam per demonstrationem scire simpliciter, sed sub conditione.

25. Ut proponat Aristoteles tertiam rationem pariter logicam et ex communibus, præmittit quædam. Primum est : omnis propositio, in qua prædicatum ita dicitur de subjecto, ut illud prædicatum prius conveniat alicui priori et universaliori, est demonstrabilis; ex. gr., hæc propositio : *homo est substantia*, est demonstrabilis per *animal*, dicendo : *omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia*, quia substantia prius dicitur de animali, quam de homine.

26. Secundum est : impossibile est, ut demonstrabilia sciantur, nisi per demonstrationem, vel quod illa non scientes, simus perfectius circa illa dispositi, quam si sciremus; ex. gr., quia hæc propositio : *cujuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis* est demonstrabilis, non potest sciri, nisi per demonstrationem, nec possumus, si illam non sciamus, melius circa ipsam disponi, quam si sciremus.

Tertium est : si aliquid nobis innotescat ex principiis, quæ nec scimus, nec sumus circa illa melius dispositi, quam si sciremus, impossibile est, ut illud sciamus, ex. gr., si aliquid nobis innotescat ex eo, quia *cujuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis*; quod vero *tres anguli* etc., non scimus, neque sumus circa illud melius dispositi, quam si sciremus, nec illud, quod ex hoc cognoscimus, scimus.

27. Ex his suppositis infertur, quod ut habeamus scientiam absolute et simpliciter, et non solum ex suppositione, de aliqua conclusione, necesse est, ut stetur in aliquibus præmissis, in quibus prædicatum conveniat subjecto primo, ita ut non prius conveniat alicui priori. Probatur; nam si omnes præmissæ essent de prædicato convenienti subjecto non primo, omnes essent demonstrabiles; ergo sine demonstratione non possent sciri vel melius cognosci, quam si scirentur; ergo sine demonstratione ipsarum omnium non posset sciri conclusio; sed non posset omnium haberi demonstratio, si procederetur in infinitum, cum infinitum pertransiri nequeat; ergo non posset per ipsas sciri conclusio absolute, sed solum conditionate, cognoscendo nimirum, quod conclusio est vera, si præmissæ sunt veræ; ergo ut possit aliqua conclusio sciri absolute, non omnia prædicata conveniunt subjecto non primo, sed aliqua primo conveniunt subjecto, ita ut non prius conveniant alteri priori.

28. Logice igitur ex his fides fieri potest de eo quod dictum fuit. Analytice vero per hæc brevius probabitur, nec sursum nec deorsum versus infinita esse posse attributa in demonstrativis scientiis, de quibus consideratio instituta est. Nam demonstratio est eorum, quæ per se insunt rebus. Per se autem dicuntur bifariam, nempe quæ illis insunt in attributione declarante quid est, et quibus subjecta insunt in attributione declarante quid est, Ut numero attribuitur impar, quod quidem numero inest, sed ipse numerus inest in ejus definitione. Rursusque multitudo aut divisibile in definitione numeri inest. Horum autem neutra possunt esse infinita; nec ut impar attribuitur numero; rursus enim in impari aliud esset, cui cum esset in impari, impar inesset. Quod si est, primum numerus inerit iis, quæ ipsi insunt. Si igitur infinita ejusmodi non possunt uni inessse, certe nec sursum versus erunt infinita. At vero necesse est omnia inesse primo ut numero, et illis numerum. Proinde reciprocabuntur nec latius patebunt.

29. Sed nec ea sunt infinita, quæ insunt in attributione declarante quid est; alioqui nihil posset definiri. Quare si omnia attributa dicuntur per se, hæc autem non sunt infinita, utique consistent quæ sunt sursum versus; proinde et deorsum. Quod si ita est, ea quoque finita erunt, quæ sunt duobus terminis interjecta. Si autem hoc verum est, jam patet necesse esse, ut sint demonstrationum principia, neque sit omnium rerum demonstratio, quod initio diximus quosdam asserere. Etenim si sint principia, nec omnia sunt demonstrabilia, nec in infinitum iri potest.

30. Esse enim horum utrumlibet nihil aliud

est, quam nullum esse intervallum immediatum et individuum, sed omnia esse dividua, quoniam ob terminum intrinsecus immissum, non extrinsecus assumptum demonstratur id quod demonstratur. Quare si hoc in infinitum abire potest, fieri etiam potest ut infinita sint media duobus terminis interjecta. Sed hoc est impossibile, si attributiones consistunt sursum et deorsum versus. Consistere autem antea logice, nunc vero analytice ostensum fuit.

28. Probatur demum resolutive et ex propriis demonstrationis, quod in scientiis demonstrativis non potest procedi in infinitum in prædicatis sursum neque deorsum. Prima ratio est : demonstratio ostendit de subjecto prædicata per se; sed in prædicatis per se non potest procedi in infinitum; ergo in demonstrationibus non potest procedi in infinitum. *Probatur minor;* prædicata enim per se sunt, quæ vel includuntur in definitione subjecti, eo pacto quo multitudo per se dicitur de numero, quia includitur in definitione numeri; vel includunt subjectum in sua definitione, eo pacto quo par et impar per se dicuntur de numero, quia includunt numerum in sua definitione; sed neque potest procedi in infinitum in iis, quæ includuntur in definitione subjecti, neque in iis, quæ includunt subjectum in sua definitione; ergo, etc. Probatur minor, primo quoad ea, quæ includunt subjectum in sua definitione; primo, quia si *risibile* ita dicitur de homine, ut includat hominem in sua definitione, et aliud, quod vocetur B, ita dicitur de risibili, ut includat risibile in sua definitione, sequitur, quod homo includatur etiam in definitione B; quod enim includit risibile in sua definitione, includit etiam omnia, quæ includuntur in definitione risibilis; sed B includit risibile in sua definitione; ergo includit etiam hominem, qui includitur in definitione risibilis; ergo si de B dicitur C, quod includit B in sua definitione, *homo* includitur etiam in definitione C; ergo si procedatur in infinitum, homo includetur in definitione infinitorum; sed est impossibile, ut subjectum includatur in definitione infinitorum attributorum, sicut est impossibile, ut subjectum in sua definitione includat infinita attributa; ergo in prædicatis *per se* secundo modo, hoc est includentibus subjectum in sua definitione, non potest procedi in infinitum sursum. Secundo ea, quæ prædicantur per se de subjecto, ita ut includant subjectum in sua definitione, non possunt convenire alteri subjecto; sicut enim non possunt esse sine sua definitione, sic non possunt esse sine subjecto, per quod definiuntur; sed si non possunt convenire alteri subjecto, non sunt prædicata superiora subjecto, sed æqualia et cum subjecto convertibilia; ergo etiamsi posset procedi in infinitum in talibus prædicatis, posset solum procedi in infinitum in prædicatis æqualibus et convertibilibus, de quibus non agimus, non vero in prædicatis universalioribus et universalioribus, et in subjectis particularioribus et particularioribus, de quibus solis procedit quæstio, ut supra dictum est.

29. Jam probatur minor quoad secundam partem, quod nimirum non possit procedi in infinitum in prædicatis per se primo modo, quæ nimirum includuntur in definitione subjecti; si enim procederetur in infinitum in prædicatis, quæ includuntur in definitione subjecti, subjectum includeret in sua definitione infinita prædicata; sed est impossibile, ut subjectum includat in sua definitione infinita prædicata; eo enim ipso tale subjectum non posset definiri ; ergo non potest procedi in infinitum sursum et deorsum in prædicatis, quæ includuntur in definitione subjecti; ergo in nullis; sed si non potest dari processus in infinitum in extremis, non potest dari in mediis, ut ostensum est num. 11; ergo neque potest dari processus in infinitum in mediis; sed ex hoc sequitur, quod dentur prima principia demonstrationum, quæ sint indemonstrabilia, et quod non omnia sunt demonstrabilia, ut quidam dixerunt relati cap. III; ergo dantur prima principia indemonstrabilia demonstrationum, et non omnia sunt demonstrabilia.

30. Confirmatur, quia idem est omnia esse demonstrabilia, ac non dari terminos immediatos, inter quos nihil mediet, sed inter omnes terminos aliquid mediare. Ut enim unus terminus de alio demonstretur, debet sumi medium non extraneum, sed comprehensum inter tales terminos; sed ostensum est, in mediis non posse procedi in infinitum, si non proceditur in infinitum in extremis, sed debere perveniri ad terminos immediatos; ostensum est etiam, in extremis per se non posse procedi in infinitum sursum aut deorsum; ergo ostensum est, non omnia esse demonstrabilia, sed dari propositiones indemonstrabiles et immediatas, quod est dari prima principia demonstrationis, et hoc

ostensum est tum dialectice et ex communibus, tum resolutorie et ex propriis demonstrationis.

CAPUT XVII

EXPLICATUR, QUO PACTO PROPOSITIONES MEDIATÆ POSSINT RESOLVI AD IMMEDIATAS, ET QUALE MEDIUM SIT AD DEMONSTRATIONEM SUMENDUM.

1. [23] His autem probatis perspicuum est, si unum quidpiam duobus insit, veluti τὸ α τῷ γ et τῷ δ, cum alterum alteri aut nullo modo aut non omni attribuatur, non semper secundum aliquid commune inesse. Utputa isosceli et scaleno hæc affectio, duobus rectis æquales angulos habere, secundum commune quiddam inest; inest enim qua est figura quædam, non qua est aliud. Hoc vero non semper ita se habet.

2. Esto namque τὸ β, secundum quod τὸ α τῷ γ δ inest. Constat igitur etiam τὸ β τῷ γ et τῷ δ inesse secundum aliud commune, et illud secundum aliud. Quare inter duos terminos infiniti esse termini poterunt. Quod tamen est impossibile. Non est igitur necesse, ut semper idem multis insit secundum commune quidpiam, quandoquidem erunt immediata intervalla. Porro necesse est terminos esse in eodem genere et ex eisdem tomis, siquidem commune illud est ex iis quæ per se insunt. Non enim licebat ex uno genere in aliud genus transferre ea quæ demonstrantur.

Ostenso, quod non possit procedi in infinitum in terminis et in demonstrationibus, infert Aristoteles quasdam conclusiones, per quas explicat, quo pacto propositiones mediatæ resolvi possint ad immediatas, et quale medium sit ad demonstrationem sumendum.

1. *Prima conclusio* est: licet aliquando prædicatum, quod convenit duobus aut pluribus adæquate vel inadæquate distinctis, conveniat illis ratione alterius utrique communis, tamen non semper convenit ratione alterius, sed aliquando convenit utrique immediate. Probatur et explicatur. Isosceles et scalenum sunt duo adæquate distincta; nam nullum isosceles, hoc est duorum æqualium laterum est scalenum, hoc est trium inæqualium laterum, et nullum scalenum est isosceles. At isosceles et æquilaterum possunt sumi tanquam inadæquate distincta; nam licet omne trium æqualium laterum sit etiam duorum æqualium laterum, non tamen omne duorum laterum æqualium, est etiam trium æqualium laterum. His omnibus convenit hoc prædicatum commune habendi tres angulos æquales duobus rectis, et convenit ratione alterius communis prædicati, in quo conveniunt, hoc est ratione trianguli. At non omnia prædicata communiter illis convenientia conveniunt illis ratione alterius prædicati communis; alioquin cum prædicatum trianguli sit illis commune, conveniret illis ratione alterius prædicati communis, et hoc ratione alterius, et sic in infinitum; sed hoc est impossibile; ergo, etc.

2. Probatur minor; si enim *habere tres angulos æquales*, conveniret isosceli ratione trianguli, et *esse triangulum*, ratione alterius, et illud ratione alterius, inter hoc, quod est *triangulum isoscelem habere tres angulos æquales*, interponerentur infinita media, nimirum ratio communis trianguli, et alia ratio communis, et sic in infinitum; sed ostensum est non posse inter duos terminos interponi infinita media; ergo potest prædicatum commune pluribus dici de singulis eorum immediate, et hoc pacto genus dicitur immediate de immediatis speciebus, ex. gr., triangulum dicitur immediate de triangulo isoscele, et scaleno. Quia vero dixit Aristoteles posse prædicatum demonstrari de subjectis contradistinctis per medium commune, eo pacto quo *habere tres angulos æquales duobus rectis* demonstratur de isoscele et scaleno per rationem communem trianguli, advertit, quod, ad hoc, ut de subjectis contradistinctis possit prædicatum demonstrari per medium commune, debent talia subjecta esse ejusdem generis, eo pacto quo triangulus, isosceles et scalenus sunt in eodem genere quantitatis. Ratio est, quia medium illud commune debet per se convenire utrique subjecto, cum præmissæ demonstrationis debeant esse per se, ut dictum est cap. VI, num. 10, sed medium non potest per se dici de subjectis, quæ non sunt ejusdem generis, ut dictum est cap. VII, ergo illa subjecta debent esse ejusdem generis.

3. Perspicuum quoque est, quando τὸ α τῷ β inest, si est quoddam medium, demonstrari posse quod τὸ α τῷ β inest. Atque hujus elementa sunt hæc, et quæcumque sunt media. Nam immediatæ propositiones sunt elementa, vel omnes vel eæ quæ sunt universales.

4. At si non est ullum medium, non est amplius demonstratio, sed ad principia via hæc est.

5. Similiter si τὸ α τῷ β non insit, siquidem est quoddam vel medium vel prius cui non insit, est demonstratio. Sin minus, non est. Sed principia et elementa tot sunt quot sunt termini. Ex

iis enim constitutæ propositiones sunt principia demonstrationis. Et quemadmodum quædam principia sunt indemonstrabilia, quibus affirmatur hoc esse hoc et hoc inesse huic, ita etiam sunt quædam indemonstrabilia, quibus pronuntiatur hoc non esse hoc aut hoc non inesse huic. Quapropter alia erunt principia, quæ significabunt esse quidpiam, alia, quæ significabunt non esse quidpiam.

3. *Secunda conclusio* est : quando inter terminos, qui affirmantur et negantur in aliqua propositione, datur medium, talis propositio est demonstrabilis, et tot requiruntur demonstrationes, quot inter terminos dantur media, quæ demonstrationes sunt elementa, ex quibus quodammodo componitur talis demonstratio; prima vero elementa sunt propositiones immediatæ et carentes medio, vel omnes vel universales; propositiones enim singulares, licet sint immediatæ, adhuc non [illegible] elementa; ex. gr., hæc propositio : [illegible]*es est homo*, est immediata, et ta[illegible]uia est singularis, non est elemen[illegible]eque principium. Cum enim sola universalia sint demonstrabilia, solæ propositiones universales sunt principia et elementa demonstrationum.

4. Probatur et explicatur conclusio, primo in affirmativis, secundo in negativis. Hæc propositio affirmativa : *omnis homo est corpus*, est mediata, ita ut medient inter hominem et corpus duo media, *vivens* nimirum atque *animal*. Corpus enim dicitur immediate de vivente, quod vivens dicitur immediate de animali, quod animal dicitur immediate de homine; ergo inter corpus et hominem mediat animal et vivens; ergo ad illam demonstrandam requiruntur duæ demonstrationes elementares. Prima est : *omne animal est corpus ; omnis homo est animal; ergo omnis homo est corpus*. Minor est immediata, quia inter hominem et animal nihil mediat. Major est mediata, quia inter animal et corpus mediat vivens. ideoque ad illam majorem demonstrandam sufficit unica demonstratio, quæ est : *omne vivens est corpus; omne animal est vivens; ergo omne animal est corpus*. Istæ duæ demonstrationes constant ex tribus propositionibus immediatis, et ex duabus mediatis. Immediatæ sunt : *omne vivens est corpus ; omne animal est vivens; omnis homo est animal*. Istæ tres propositiones immediatæ sunt prima principia et prima elementa. Propositiones mediatæ sunt : *omnis homo est corpus*, inter cujus propositionis terminos intercipiuntur duo media, ideoque ad illam demonstrandam requiruntur duo syllogismi ; et *omne animal est corpus*, inter cujus terminos unicum intercipitur medium, ideoque ad illam demonstrandam sufficit unicus syllogismus.

5. Proportionaliter hæc propositio negativa : *nullus homo est quantitas*, est mediata, ita ut inter quantitatem et hominem intercipiantur quatuor media, quæ sunt *substantia, corpus, vivens, animal*. Quantitas enim primo et immediate negatur de substantia, per substantiam negatur de corpore, per corpus de vivente, per vivens de animali, per animal de homine; ergo ad illam demonstrandam requiruntur quatuor demonstrationes elementares. Prima est : *nullum animal est quantitas; omnis homo est animal : ergo nullus homo est quantitas*. Minor est immediata adeoque indemonstrabilis. Secunda demonstratio est, qua sic demonstratur major, quæ est mediata : *nullum vivens est quantitas; omne animal est vivens : ergo nullum animal est quantitas*. Et quia minor est immediata, major mediata, ideo ad demonstrandam majorem requiritur tertia demonstratio, quæ est : *nullum corpus est quantitas; omne vivens est corpus : ergo nullum vivens est quantitas*. Quia demum minor est immediata, major mediata, quarta demonstratio, quæ requiritur ad demonstrandam majorem est : *nulla substantia est quantitas; omne corpus est substantia; ergo nullum corpus est quantitas*. In toto hoc processu dantur quinque propositiones immediatæ, et tres mediatæ. Immediatæ sunt : *nulla substantia est quantitas; omnis homo est animal; omne animal est vivens; omne vivens est corpus; omne corpus est substantia*. Mediatæ sunt : *nullum animal est quantitas ; nullum vivens est quantitas; nullum corpus est quantitas*. Hinc patet, quod sicut dantur propositiones immediatæ et prima principia affirmativa, sic dantur propositiones immediatæ et prima principia negativa. Sicut enim illæ affirmativæ : *omnis homo est animal; omne animal est vivens*, sunt immediatæ, quia in iis genera prædicantur de suis proximis speciebus, sic illa negativa : *nulla substantia est quantitas*, est immediata, quia in illa unum supremum genus negatur de alio.

6. Cum autem aliquid probare oportet, sumendum est id, quod τῷ β primum attribuitur.

Sit τὸ γ, et huic similiter attribuatur τὸ α. Atque ita semper progrediendo, nunquam extrinsecus accipitur propositio, nec sumitur quod inest τῷ α in probatione facienda; sed semper medium densatur, donec indivisibilia facta sint et unum. Est autem unum, cum factum est immediatum, et una propositio simpliciter, nimirum immediata. Et ut in aliis rebus, ita in demonstrationibus principium est res simplex. Hoc autem non ubique est idem, sed in pondere mina, in concentu diesis, aliud vero in alia re. Sic in syllogismo unum illud est propositio immediata, in demonstratione autem et scientia est intelligentia.

6. *Tertia conclusio* est : ut resolvatur propositio mediata ad immediatam, hac arte utendum est. Sumendum est medium, quod immediate prædicetur de minori extremo, et de quo majus extremum universaliter prædicetur; et si major sit mediata, sumendum est aliud medium, quod immediate prædicetur de primo medio, et de quo pariter majus extremum universaliter prædicetur, et sic inter majus extremum et minus extremum interponenda sunt ac densanda media, donec nihil amplius mediet, adeoque perveniatur ad propositiones immediatas. Ex. gr., resolvenda sit hæc propositio mediata : *omnis homo est substantia*, — sumendum est medium, quod immediate prædicetur de minori extremo, hoc est de homine, et de quo universaliter prædicetur majus extremum, hoc est substantia, et formandus sequens syllogismus : *omne animal est substantia; omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia*. Minor est immediata, siquidem sumptum est medium, quod immediate prædicatur de homine. Probetur major, quæ est mediata, sumendo aliud medium, quod immediate prædicetur de primo medio, hoc est de animali, ac de quo universaliter prædicetur substantia, ac dicendum : *omne vivens est substantia; omne animal est vivens; ergo omne animal est substantia*. Minor est immediata; ut probetur major, sumatur aliud medium, quod immediate prædicetur de vivente, et de quo universaliter prædicetur substantia, quod medium sit corpus, et dicatur : *omne corpus est substantia; omne vivens est corpus: ergo omne vivens est substantia*. In hoc processu interponendo tria media inter hominem et substantiam, quæ sunt *animal, vivens, corpus*, nullum remanet spatium. Nam homini est immediatum animal, animali vivens, viventi corpus, corpori substantia; ergo jam propositio mediata resoluta est ad propositiones immediatas. Et quia de omnibus his mediis interceptis inter hominem et substantiam prædicari debet majus extremum, ex. gr., substantia in exemplo posito, ideo nullum medium debet sumi extra majus extremum, hoc est quod non contineatur in majori extremo. Nam prædicatum non potest universaliter prædicari de subjecto, quod excedit prædicatum, eo pacto quo substantia non potest universaliter prædicari de ente, quod ens excedit substantiam. Hinc est, quod sicut in aliis generibus, quod est maxime simplex et indivisibile, est mensura cæterorum, eo pacto quo in genere ponderum uncia est principium et mensura, in melodiis primus tonus, etc., — sic in genere propositionis, propositiones maxime simplices et indivisibiles, hoc est inter quarum terminos non datur medium, sunt principium et mensura cæterarum. Principium vero scientiæ est intellectus, qui assentitur propositionibus maxime simplicibus et indivisibilibus medioque carentibus.

7. In syllogismis igitur, quibus inesse ostenditur, nullum medium extra cadit.

8. In privativis autem, hic quidem nihil cadit extra id quod inesse non oportet, veluti si τὸ α τῷ β per γ non inest; nam si omni β inest τὸ γ, nulli autem γ τὸ α, rursus si oporteat probare τὸ α nulli γ inesse, medium sumendum est τὸ α et γ. Atque ita semper progredietur.

9. Quod si oporteat probare τὸ δ τῷ ε non inesse, quia τὸ γ inest omni δ et nulli aut non omni ε, nunquam medium cadet extra ε; hoc autem est id cui non oportet inesse.

10. In tertio autem modo nunquam progredietur extra id, a quo vel quod privare oportet.

7. Quarta conclusio continet quatuor regulas, quibus explicatur, quale medium sumendum sit ad demonstrandum in singulis figuris. *Prima regula* est : medium in demonstrationibus affirmativis, quæ solum possunt fieri in prima figura, non potest cadere extra majus extremum, sed vel debet esse inferius majori extremo, vel debet esse convertibile cum illo. Ratio est, quia in prima figura majus extremum universaliter prædicatur de medio; sed nihil potest universaliter prædicari, nisi de inferiori aut æquali; ergo medium debet esse vel inferius vel æquale. Ex gr. ad probandum, quod *omnis homo est substantia*, sumitur ut medium animal, quod est inferius substantia, ac dicitur : *omne*

animal est substantia ; omnis homo est animal; ergo omnis homo est substantia; — ad demonstrandum vero, quod *omnis homo est risibilis,* sumitur ut medium rationale, quod est convertibile cum risibili, et dicitur : *omne rationale est risibile ; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est risibilis.* Non potest vero sumi medium superius risibili, puta intellectuale; major enim : *omne intellectuale est risibile,* esset falsa, quia intellectuale invenitur extra risibile, puta in Angelis, qui sunt intellectuales, et non sunt risibiles.

8. *Secunda regula* est : in demonstrationibus negativis primæ figuræ medium debet esse tale, ut minus extremum non inveniatur extra ipsum, sed vel sit inferius medio, vel sit convertibile cum medio. Ratio est, quia in prima figura minor debet esse affirmativa, in eaque medium debet universaliter prædicari de minori extremo; sed nihil universaliter prædicatur nisi de inferiori vel æquali seu convertibili; ergo medium debet esse tale, ut minus extremum non cadat extra ipsum, sed vel sit inferius vel æquale. Ex. gr. si sit probandum, quod *nullus homo est quantitas,* sumatur ut medium *animal,* quod est superius homine; et si rursus sit probandum, quod *nullum animal est quantitas,* sumatur ut medium *vivens,* quod est superius animali et homine, et sic deinceps. Rursus si sit demonstrandum, quod *nullus homo est hinnibilis,* sumatur ut medium rationale, quod est æquale homini. Debet tamen medium cadere extra majus extremum, cum majus extremum in majori sit negandum de medio. Ex. gr. ad probandum, quod *nullus homo est hinnibilis,* sumitur ut medium rationale, quod cadit extra hinnibile, cum hinnibile debeat in majori negari de rationali.

9. *Tertia regula* est : in secunda figura medium non debet cadere supra illam extremitatem, seu majorem seu minorem, de qua negatur, ita ut sit illa superius. Ratio est, quia superius non potest negari de inferiore, neque universaliter neque particulariter ; ex. gr., animal non potest neque universaliter neque particulariter negari de homine, dicendo : *nullus homo est animal, vel aliquis homo non est animal;* ergo medium non potest esse superius illa extremitate, de qua negatur. Et quia in Camestres et Barocco medium negatur de minori extremo, in Cesare et Festino de majori extremo, ideo in Camestres et Barocco medium non potest esse superius minori extremo, in Cesare et Festino medium non potest esse superius majori extremo. Ex. gr., ad ostendendum, quod *nullus homo est hinnibilis,* in Camestres debet sumi ut medium equus, qui non est superior homine, et dici : *omnis equus est hinnibilis ; nullus homo est hinnibilis ; ergo nullus homo est equus*; in Cesare potest sumi pro medio intellectuale, quod est superius minori extremo, hoc est *homine,* sed non majori, hoc est *hinnibili,* ac dici : *nullum hinnibile est intellectuale ; omnis homo est intellectualis; ergo nullus homo est hinnibilis.*

10. *Quarta regula* est : in tertia figura medium non potest cadere supra ullum extremum, hoc est non potest esse superius ullo extremo. Probatur, nam medium in tertia figura debet esse subjectum in utraque præmissa; sed subjectum non potest esse superius prædicato, alioquin prædicatio esset indirecta ; ergo etc. Ex. gr., ad probandam hanc negativam : *aliquod animal non est lapis,* sumitur ut medium homo, ac dicitur : *nullus homo est lapis ; omnis homo est animal; ergo aliquod animal non est lapis ;* homo vero neque est superior lapide neque animali.

CAPUT XVIII

UTRUM DEMONSTRATIO UNIVERSALIS SIT PRÆSTANTIOR PARTICULARI.

1. [24] Cum autem alia sit demonstratio universalis alia particularis, et alia attributiva alia privativa, ambigitur utra sit melior. Idem quæritur de ea demonstratione, quæ dicitur directo demonstrare, et de ea quæ ducit ad impossibile. Primum igitur tractemus de universali et particulari; atque hoc exposito de ea quoque dicamus quæ directo probare dicitur, et de ea quæ ducit ad impossibile.

2. Videri igitur fortasse possit quibusdam ita considerantibus particularis esse melior. Nam si ea demonstratio melior est, secundum quam demonstrationem magis scimus (hæc enim est virtus demonstrationis); magis autem scimus unumquodque, cum id cognoscimus per se, quam cum per aliud, ut Coriscum esse musicum magis scimus, cum Coriscum esse musicum cognoscimus, quam cum cognoscimus hominem esse musicum (similiter dicendum est etiam in aliis); universalis autem demonstratio quod aliud, non quod ipsum sit demonstrat, veluti quod isosceles, non quia est isosceles, sed quia est triangulum, habeat tres angulos æquales duobus rectis; particularis vero demonstratio quod ipsum sit ; si

igitur melior demonstratio est, quæ demonstrat per se, talis autem est particularis potius quam universalis, etiam melior est particularis demonstratio.

3. Præterea si universale non est quidpiam præter singularia, demonstratio vero eam opinionem inducit, ut aliquid esse putemus id secundum quod demonstrat, et ejusmodi quamdam naturam in rebus exstare, veluti trianguli præter particularia triangula, et figuræ præter particulares figuras, et numeri præter particulares numeros; melior autem est demonstratio de eo quod est, quam de eo quod non est; et ea per quam non decipietur, quam ea per quam decipietur; universalis autem est ejusmodi (procedentes enim demonstrant, quemadmodum de eo quod, est analogum; veluti quod est ejusmodi ut neque sit linea neque numerus neque solidum neque planum, sed aliquid præter hæc, id fore analogum).

1. Postquam Aristoteles egit de demonstratione absolute, agit de eadem comparative, et comparat inter se varia genera demonstrationum; et primo quidem comparat demonstrationem universalem cum particulari, et quærit, utra sit præstantior. Sensus autem quæstionis est, utrum præstantior sit demonstratio, qua proprietas conveniens universaliter alicui rationi communi demonstratur de illa ratione communi, an vero demonstratio, qua talis proprietas demonstratur de aliquo inferiori contento in illa ratione communi. Ex. gr., hæc proprietas habendi tres angulos æquales duobus rectis, convenit omni triangulo, Quæritur igitur, utrum præstantior sit demonstratio, qua ostenditur, quod *omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis*, an demonstratio, qua ostenditur, quod *isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis*. Similiter *esse risibile* convenit omni homini. Quæritur ergo, utrum præstantior sit demonstratio, qua ostenditur quod *omnis homo est risibilis*, an qua ostenditur quod *Socrates est risibilis*. Ut hanc quæstionem resolvat Aristoteles, primo proponit duas rationes, quibus potest suaderi, quod demonstratio particularis sit præstantior universali; secundo solvit ac retorquet dictas rationes; tertio quæstionem resolvit ac septem rationibus ostendit demonstrationem universalem esse præstantiorem particulari.

2. *Quoad primum:* prima ratio, qua videtur ostendi, quod demonstratio particularis sit præstantior universali est, quia quod ordinatur ad aliquem finem, eo est præstantius, quo majorem habet virtutem causandi talem finem; ex. gr., quod ordinatur ad finem illuminandi, eo est præstantius, quo majorem habet virtutem illuminandi; sed demonstratio ordinatur ad hunc finem, ut faciat nos scire; ergo illa demonstratio est præstantior, quæ magis facit, ut sciamus; sed demonstratio particularis magis facit, ut sciamus, quam universalis; ergo demonstratio particularis est præstantior universali. Probatur assumptum; illud quod scimus in se ipso, magis scimus, quam illud, quod scimus in alio; ex. gr., magis scit Coriscum esse musicum, qui id scit de ipso Corisco cognito ut Corisco, quam qui scit hominem esse musicum, et quia Coriscus est homo, scit quodammodo Coriscum esse musicum; sed per demonstrationem particularem, ex. gr., qua cognoscimus isoscelem habere tres angulos æquales duobus rectis, cognoscimus hanc proprietatem habendi tres angulos æquales duobus rectis de isoscele in se ipso; per demonstrationem universalem, qua cognoscimus, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, eam proprietatem non cognoscimus de isoscele in se ipso, sed solum de isoscele cognito sub conceptu communi trianguli; ergo magis scimus per demonstrationem particularem, quam per universalem, adeoque demonstratio particularis facit nos magis scire et est præstantior.

3. Secunda ratio est: illa demonstratio, quæ facit cognoscere id, quod magis est, et prout est, ac non disponit ad errorem, præstantior est quam illa, quæ facit cognoscere quod minus est, et non prout est, ac disponit ad errorem; sed demonstratio universalis facit cognoscere universalia abstracta a singularibus, quæ non dantur a parte rei, ac per hoc disponit ad errandum, existimando, quod universalia separata dentur a parte rei; demonstratio vero particularis versatur circa singularia, quæ dantur a parte rei, adeoque non disponit ad errandum; ergo, etc. Minor probatur et explicatur exemplis. Demonstratio enim, qua ostenditur triangulum *ut sic* habere tres angulos æquales duobus rectis, cognoscit triangulum *ut sic* abstractum ab isoscele et ab aliis inferioribus, adeoque disponit ad opinandum, quod detur triangulus separatus; et similiter demonstrationes de numeris *ut sic* disponunt ad opinandum, quod dentur numeri separati; demonstrationes, quibus commutata proportio ostenditur de quan-

titate proportionabili *ut sic,* abstrahendo a discreta et continua disponunt ad opinandum, quod detur talis quantitas ut sic.

4. Si igitur hæc est magis universalis, minus autem versatur in eo quod est universalis demonstratio quam particularis, et falsam opinionem gignit, deterior utique est universalis particulari. An primum quidem altera ratio non magis in universali quam in particulari locum habet? Nam si hæc affectio, habere tres angulos æquales duobus rectis, inest non qua isosceles, sed qua triangulum, qui novit isosceles affectione illa præditum esse, minus novit per se, quam qui novit triangulum eam affectionem habere. Et omnino si non sit qua triangulum, et id ostendat, non erit demonstratio. At si sit, profecto qui quamque rem, qua res quæque est, novit, magis novit. Si igitur triangulum latius patet quam isosceles, et est eadem definitio, nec secundum homonymiam dicitur triangulum, atque inest omni triangulo affectio illa, habere tres angulos æquales duobus rectis, certe non triangulum qua isosceles, sed isosceles qua triangulum, habet hujuscemodi angulos. Quocirca qui universale novit, magis novit qua inest, quam qui particulare. Melior igitur est demonstratio universalis quam particularis.

5. Præterea si sit una quædam definitio, nec sit homonymia, universale nihilominus erit quam nonnulla particularia; immo magis, quatenus incorruptibilia in illis sunt, particularia vero sunt magis corruptibilia. Præterea nulla necessitas nos cogit ut existimemus hoc esse aliquid præter hæc singularia, quia unam rem significat, non magis quam in aliis, quæ non significant quid, sed vel quale, vel ad aliquid vel facere. Si quis vero id existimet, non demonstratio est hujus erroris causa, sed is qui audit.

4. *Quoad secundum :* propositis rationibus dubitandi, Aristoteles illas solvit ac retorquet. Prima ergo ratio desumpta ex eo, quod demonstratio, quæ facit magis scire, est perfectior, retorquetur ad probandum, quod demonstratio universalis sit perfectior, cum faciat magis scire. Qui enim cognoscit passionem de subjecto, cui primo et per se convenit, magis scit, quam qui eamdem passionem cognoscit de subjecto, cui non convenit primo et per se; sed passio habendi tres angulos, etc., primo et per se convenit triangulo, isosceli vero non convenit in quantum isosceli, sed in quantum triangulo; ergo qui passionem illam cognoscit de triangulo per demonstrationem universalem, magis scit, quam qui illam cognoscit de isoscele per d monstrationem particularem, ac proinde demonstratio universalis præstantior est particulari. *Probatur minor* : nam tum illa passio conveniret triangulo primo et per se, isosceli vero in quantum est triangulus, quando triangulus esset quid superius respectu isoscelis, diceretur secundum rationem unam et non æquivoce, et illi universaliter ac semper conveniret habere tres angulos æquales duobus rectis; sed de triangulo verificantur hæc omnia; ergo, etc. Non igitur obstat, quod illam passionem demonstrans de isoscele, cognoscat illam de isoscele in se, demonstrans vero de triangulo cognoscat de isoscele in triangulo. Nam etiam qui demonstrat de triangulo habere tres angulos æquales duobus rectis, cognoscit talem passionem de triangulo in se, demonstrans de isoscele non cognoscit de triangulo in se; ergo quoad hoc præcise pares sunt utraque demonstratio. Differentia vero est, quod universalis demonstrat eam passionem in se de triangulo, cui primo et per se convenit; particularis demonstrat de isoscele, cui convenit ratione trianguli; ergo demonstratio universalis omnibus pensatis est præstantior particulari.

5. Ad secundam rationem respondet Aristoteles negando rationes universales minus esse quam particulares. Licet enim rationes universales non dentur extra singularia, tamen dantur in singularibus; et quia sunt perpetuæ, cum singularia oriantur et occidant, magis sunt quam rationes singulares; ex. gr., ratio lineæ magis est, quam ratio hujus lineæ, quia pereunte hac linea, ratio univoca lineæ salvatur in aliis lineis. Similiter negat Aristoteles demonstrationes universales disponere ad errandum et ad censendum, quod dentur universalia separata. Si enim demonstrationes universales de substantiis, ex. gr., de homine, disponerent ad ponendas ideas separatas substantiarum, etiam demonstrationes de accidentibus, ex. gr., de albedine, disponerent ad ponendas ideas separatas accidentium; sed adhuc Platonici negarunt ideas separatas accidentium; ergo etiam potuerunt negare ideas substantiarum; ergo non inciderunt in eum errorem propter demonstrationes universales, sed propter alias causas.

6. Præterea si demonstratio est syllogismus ostendens causam et cur res sit, universale autem est magis causa ; id enim cui quidpiam per se inest, ipsum sibi est causa ; universale autem

est primum; universale igitur est causa. Quare demonstratio quoque est melior, quoniam magis ostendit causam et cur res sit.

7. Præterea eousque quærimus cur res sit, ac tunc putamus cognoscere, quando non ideo quod aliud fiat vel sit, hoc fit vel est. Sic enim jam est finis et terminus ultimus. Utputa: cujus causa venit? Ut pecuniam acciperet. Hoc vero, ut redderet quod debebat. Hoc autem, ne injuste agat. Atque ita progredientes, quando non est amplius propter aliud neque alius rei causa, dicimus propter hoc, tanquam finem, venisse et esse et fieri, tuncque maxime scire cur venerit. Si igitur similiter res se habet in omnibus causis et quæstionibus cur sit, in iis autem, quæ sic sunt causæ ut id cujus gratia, ita maxime cognoscimus, etiam in aliis tunc maxime cognoscimus, cum non amplius sit hoc quia aliud. Cum igitur cognoscimus angulos externos esse æquales quatuor rectis, quia est isosceles, adhuc desideratur quamobrem isosceles habeat hanc affectionem, quia scilicet triangulum eam habet; et hoc, quia figura rectilinea eandem habet. Quodsi hæc non amplius propter aliud habet, tunc maxime scimus. Atqui tunc universaliter scimus. Ergo universalis demonstratio melior est quam particularis.

8. Præterea quo magis particularia sunt, eo magis ad infinita declinant; qua vero sunt universalia, ad simplex et terminum accedunt. Sed qua sunt infinita, sciri nequeunt; qua vero sunt finita, sciri possunt. Qua igitur sunt universalia magis sciri possunt quam qua particularia. Ergo universalia sunt magis demonstrabilia. Eorum autem quæ sunt magis demonstrabilia, magis est demonstratio: simul enim sunt magis quæ referuntur ad aliquid. Melior igitur est demonstratio magis universalis, siquidem est etiam magis demonstratio.

6. *Quoad tertium:* propositis ac solutis rationibus, quibus potest suaderi, quod demonstratio particularis sit præstantior universali, probat Aristoteles septem rationibus demonstrationem universalem esse præstantiorem particulari.

Prima ratio est: demonstratio est syllogismus faciens, ut passio cognoscatur de subjecto per suam causam; ergo illa demonstratio est præstantior, quæ magis facit, ut cognoscatur passio de subjecto per suam causam; sed magis id facit demonstratio ostendens passionem de subjecto universali, quam ostendens de particulari, ex. gr., quæ ostendit habere tres angulos æquales duobus rectis de triangulo, quam quæ de isoscele; ergo etc. Probatur assumptum; causa passionis magis est subjectum, cui primo et per se convenit, quam subjectum, cui non convenit primo; sed habere tres angulos primo et per se convenit triangulo, isosceli non convenit primo, sed ratione trianguli; ergo demonstratio ostendens talem passionem de triangulo magis explicat causam, quam quæ demonstrat eamdem passionem de isoscele, et universim demonstratio universalis magis explicat causam, quam particularis.

7. Secunda ratio est: magis scimus rem per causam priorem, quam per posteriorem, et per causam primam, cujus non est quærenda ulterior causa, quam per causam non primam, cujus ulterior causa est quærenda. Ex. gr., in genere causæ finalis, si quæratur: *cur venit?* et respondeatur: *ut accipiat argentum;* et rursus quæratur: *cur recepit argentum?* et respondeatur: *ut mutuum redderet; cur mutuum reddidit? ne faceret injuriam non reddens* etc., magis scitur, cur venerit, dum scitur causa ulterior et ulterior; et cum scitur causa, de qua non amplius quæri potest « *cur* », tum perfecte scitur; idemque valet in omnibus generibus causarum; sed in demonstratione universali scitur conclusio per causam priorem, quam in particulari; ergo etc. Probatur et explicatur minor exemplo; cum enim scit quis isoscelem habere tres angulos æquales duobus rectis, adhuc potest quærere: *cur habent?* et debet reddi pro ratione: *quia est triangulus*, et de triangulo redditur pro ratione ipsa definitio trianguli, quæ est prima causa et ratio habendi tres angulos æquales duobus rectis.

8. Tertia ratio est: quia quod est magis simplex et unum, magis est scibile, quam quod est minus simplex et minus unum; sed universalia magis accedunt ad unitatem et simplicitatem, particularia magis accedunt ad multitudinem et infinitatem, ideoque singularia sunt infinita, infinitum vero non est scibile; ergo universalia sunt magis scibilia; ergo demonstratio de universali est de magis scibili, adeoque de magis demonstrabili; ergo est præstantior.

9. Præterea optabilior est ea demonstratio, secundum quam hoc et aliud novit, quam ea secundum quam hoc solum novit; qui vero habet universale, novit etiam particulare, hic autem non novit universale. Quare etiam ita efficitur, ut demonstratio universalis sit optabilior.

10. Præterea sic idem probatur. Universale enim magis nosse licet, quia demonstratur per medium propinquius principio. Proximum autem est quod est immediatum; atque hoc est principium. Si igitur demonstratio ex principio exqui-

sitior est ea demonstratione, quæ non est ex principio, certe quæ magis est ex principio, exquisitior demonstratio est, quam ea quæ minus est ex principio. Ejusmodi autem est quæ est magis universalis. Melior igitur est quæ est universalis. Veluti si oporteat demonstrare τὸ α de δ, media autem sint ubi β γ. Superius igitur est τὸ β. Quocirca demonstratio, quæ per hoc efficitur, est magis universalis. Sed ex dictis argumentis quædam logica sunt.

11. Maxime autem patet universalem demonstrationem esse præstantiorem, quia duarum propositionum priorem habentes etiam posteriorem quodammodo cognoscimus et habemus potestate; veluti si quis novit omne triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, quodammodo novit etiam isosceles habere tres angulos æquales duobus rectis, potestate scilicet, etiamsi non noverit esse triangulum; qui vero hanc propositionem habet, nullo modo novit universale, id est nec potestate nec actu.

12. Et universalis quidem propositio est intelligibilis, particularis vero in sensum desinit. Quod igitur demonstratio universalis sit melior particulari, tot a nobis dicta sunto.

9. Quarta ratio est: illa demonstratio est perfectior, quæ facit scire totum id, quod facit scire alia demonstratio, et præterea aliquid aliud; sed demonstratio universalis facit scire totum id, quod particularis, et aliquid aliud; ex. gr., demonstratio, quæ facit, ut sciatur, quod *quilibet triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis,* facit etiam, ut sciatur, quod *isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis;* et præterea facit, ut id sciatur etiam de cæteris triangulis; ergo etc.

10. Quinta ratio est: demonstratio est, qua conclusiones ostenduntur per sua principia et per propositiones immediatas; ergo illa demonstratio, quæ procedit per medium, quod magis sit principium vel sit propinquius principio, est præstantior; sed demonstratio universalis procedit per medium propinquius principio, quam particularis; ergo etc. *Probatur assumptum;* medium enim superius et universalius est propinquius principio; sed demonstratio, qua ostenditur isosceles habere tres angulos æquales duobus rectis procedit per rationem isoscelis, demonstratio, qua idem ostenditur de triangulo procedit pér rationem trianguli, quæ est superior ratione isoscelis; ergo etc. Addit Aristoteles aliquas ex dictis rationibus esse logicas et per communia, quod præcipue verificatur de tertia et quarta, quæ accipiunt pro medio aliquid commune cuilibet cognitioni, cum aliæ tres rationes procedant ex propriis demonstrationis.

11. Sexta ratio est: illa demonstratio, quæ continet aliam in potentia, præstantior est; sed demonstratio universalis continet in potentia particularem; qui enim scit actu quod *omnis triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis,* scit potentia, quod *isosceles habet tres angulos æquales duobus rectis;* e converso demonstratio particularis non continet universalem in potentia; nam qui scit *isoscelem habere tres angulos æquales duobus rectis,* neque potentia scit *omnem triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis;* ergo etc.

12. Septima demum et ultima ratio est: præstantior est demonstratio, quæ terminatur ad magis intelligibile, quam quæ terminatur ad magis sensibile; sed universale magis est intelligibile, singulare magis est sensibile; ergo præstantior est demonstratio universalis quam particularis.

CAPUT XIX

UTRUM DEMONSTRATIO AFFIRMATIVA PRÆSTANTIOR SIT QUAM NEGATIVA.

1. [25] Quod autem ostensiva sit melior quam privativa, hinc manifestum erit.

2. Esto namque ea demonstratio melior, cum cetera eadem sint, quæ ex paucioribus postulatis vel hypothesibus vel propositionibus constat. Nam si propositiones æque notæ sunt, celerius cognitio per has acquiretur; hoc autem est optabilius. Ratio autem hujus propositionis, quod melior sit demonstratio quæ est ex paucioribus, sed universalis, ratio (inquam) hæc est, nam si æque nota sint media, sed priora sint notiora, esto per media β γ δ demonstratio, qua probetur τὸ α τῷ ε inesse; demonstratio vero per ζ η, qua probetur τὸ α inesse τῷ ε. Hæc autem similiter se habent τὸ α τῷ δ inesse et τὸ α τῷ ε. Quod autem τὸ α insit τῷ δ, prius et notius est quam quod τὸ α insit τῷ ε, quoniam hoc per illud demonstratur. Credibilius autem est id per quod demonstratur, quam quod demonstratur. Demonstratio igitur, quæ per pauciora absolvitur, melior est, si cetera eadem sint.

3. Itaque ambæ per tres terminos et duas propositiones demonstrant; sed altera sumit esse quidpiam, altera vero et esse et non esse quidpiam. Per plura igitur fit. Proinde est deterior.

4. Præterea quia probatum est non posse, cum ambæ propositiones sint privativæ fieri syl-

logismum, sed opus esse ut altera sit ejusmodi, altera vero significet inesse.

1. Postquam Aristoteles comparavit demonstrationem universalem cum particulari, comparat affirmativam cum negativa. Ponit ergo conclusionem : *demonstratio affirmativa est præstantior quam negativa.*

2. Probat conclusionem quinque rationibus. Prima ratio est : demonstratio procedens ex paucioribus principiis et suppositionibus, si cætera sint paria, est præstantior, quam demonstratio procedens ex pluribus principiis et suppositionibus; sed demonstratio affirmativa procedit et constat ex paucioribus principiis et suppositionibus, quam negativa ; ergo etc. Probatur major primo, quia demonstratio, per quam citius et facilius pervenitur ad scientiam conclusionis præstantior est, cum sit per se expetibile citissime obtinere finem; sed citius et facilius pervenitur ad scientiam conclusionis per pauciores propositiones, quam per plures; ergo etc. Secundo probatur eadem major ; demonstratio procedens per medium magis notum est notior ac proinde præstantior; sed demonstratio procedens per pauciores suppositiones procedit per medium magis notum ergo etc. Probatur minor; nam licet media ejusdem ordinis sint æque nota, tamen media priora sunt notiora; sed demonstratio procedens per pauciores suppositiones procedit per media priora; ergo etc. Probantur simul et explicantur major et minor exemplo. Sit hæc conclusio : *omnis homo est risibilis,* ad quam demonstrandam requiruntur duo media : *admirativum, quod* est immediata causa risibilis, et *rationale,* quod est immediata causa admirativi, ac proinde requiruntur duo syllogismi, quorum primus sit : *omne admirativum est risibile ; omnis homo est admirativus ; ergo omnis homo est risibilis;* et quia minor non est immediata, secundus syllogismus ad illam probandam sit : *omne rationale est admirativum; omnis homo est rationalis; ergo omnis homo est admirativus* — manifestum est quod medium *rationale,* per quod probatur admirativum, quia est prius, est etiam notius; nam conclusiones probantur ex prioribus et notioribus; sed demonstratio, quæ est per medium prius ac notius, est præstantior; ergo demonstratio, in qua per rationale probatur admirativum, præstantior est, quam demonstratio, in qua per admirativum probatur risibile ; sed omnes demonstrationes, quæ absolvuntur unico medio et unico syllogismo, adeoque duabus tantum propositionibus, procedunt per medium primum, non probatum per aliud medium ; demonstrationes, quæ conficiuntur pluribus, quam uno syllogismo, adeoque pluribus quam duabus propositionibus, procedunt per medium posterius et probatum per aliud medium; et demonstrationes, quæ conficiuntur pluribus et pluribus syllogismis ac suppositionibus, procedunt per medium posterius et posterius; ergo demonstrationes, quæ requirunt plures suppositiones, semper procedunt per medium minus notum ; ergo cæteris paribus minus notificant conclusionem, adeoque sunt minus præstantes.

3. Probatur ergo minor, quod nimirum demonstratio affirmativa procedat per pauciores suppositiones quam negativa. Affirmativa enim procedit ex solis propositionibus affirmativis, adeoque ex uno genere suppositionum; sed demonstratio negativa procedit ex altera præmissa negativa, altera affirmativa; ergo procedit ex duplici genere propositionum; ergo procedit ex pluribus suppositionibus, saltem genere.

4. Secunda ratio, quæ primam confirmat, est : demonstratio procedens ex principiis efficacioribus ad causandam scientiam est præstantior; sed demonstratio affirmativa procedit ex solis affirmativis, negativa procedit ex altero principio affirmativo, altero negativo; principia vero affirmativa sunt efficaciora quam negativa; ergo, etc. Probatur minor; principia affirmativa se solis possunt causare scientiam, principia negativa non possunt se solis causare scientiam, quia ex puris negativis nihil sequitur; sed princia, quæ se solis sufficiunt, sunt efficaciora iis, quæ se solis non sufficiunt; ergo, etc.

5. Hoc insuper sumere oportet; attributivas enim aucta demonstratione necesse est fieri plures ; privativas autem impossibile est esse plures una in omni syllogismo. Pone enim τὸ α nulli ex iis inesse, quibus inest τὸ β, omni autem γ inesse τὸ β. Si rursus oporteat augere propositiones, medium interjiciendum est. τοῦ α β medium esto τὸ δ, τοῦ β γ τὸ ε. Perspicuum igitur est, τὸ ε esse attributivam, τὸ δ vero ad β referri attributive, ad α privative. Etenim opus est ut τὸ δ omni β, τὸ α autem nulli δ insit. Fit igitur una privativa propositio, nempe α δ. Idem est modus etiam

in aliis syllogismis. Semper enim medium terminorum attributivorum est attributivum ab utraque parte. Privativi autem intervalli necesse est ut medium sit ex altera parte privativum. Quocirca hæc una propositio fit ejusmodi, aliæ vero sunt attributivæ. Si igitur notius et credibilius est id, per quod probatur, probatur autem demonstratio privativa per attributivam, hæc vero per illam non probatur, hæc cum sit prior et notior et credibilior, utique melior est.

6. Præterea quia principium syllogismi est universalis propositio immediata, universalis autem propositio in ostensiva demonstratione affirmat, in privativa negat; affirmans autem negante prior et melior est, quia per affirmationem negatio fit nota; et prior est affirmatio, sicut esse est prius quam non esse; quare melius est principium demonstrationis ostensivæ quam privativæ. Quæ vero utitur melioribus principiis est melior.

7. Quin etiam ad principii naturam magis accedit, quia privativa non est sine ostensiva.

5. Tertia ratio est, quia illa demonstratio, quæ constat ex propositionibus ex suo genere prioribus ac notioribus, est præstantior; sed propositiones affirmativæ ex suo genere sunt priores ac notiores negativis; ergo demonstratio affirmativa ex suo genere præstantior est, quam negativa. Probatur minor; illæ propositiones sunt ex suo genere priores ac credibiliores, per quas aliæ possunt innotescere, cum illæ non possint innotescere per ipsas; sed per propositiones affirmativas multo magis, quam per negativas, innotescunt propositiones negativæ; propositiones affirmativæ non possunt innotescere per negativas, cum ad concludendam propositionem affirmativam omnes præmissæ debeant esse affirmativæ; ergo, etc. Probatur prima pars minoris, quod propositiones negativæ magis innotescant per affirmativas, quam per negativas. Si enim propositio negativa debeat probari, altera saltem præmissarum debet esse affirmativa; si vero demonstratio debeat augeri probando utramque præmissam, præmissa affirmativa debet probari per duas affirmativas, negativa debet probari per alteram affirmativam alteram negativam; ergo ex quatuor propositionibus tres debent esse affirmativæ; ergo propositiones negativæ magis innotescunt per affirmativas, quam per negativas.

6. Quarta ratio est : principium proprium demonstrationis affirmativæ est propositio universalis affirmativa, principium proprium demonstrationis negativæ est propositio universalis negativa; sed propositio affirmativa est prior ac nobilior, quam negativa; ergo demonstratio affirmativa est prior ac nobilior quam negativa. Probatur minor primo, quia per affirmativam probatur negativa, et non e converso; secundo, quia affirmatio præcedit negationem, sicut *non esse* præcedit *esse*.

7. Quinta ratio est : demonstratio, quæ est magis independens, est nobilior; sed demonstratio negativa pendet ab affirmativa, et non e converso; ergo, etc. Probatur minor; nam si præmissa affirmativa demonstrationis negativæ demonstranda sit, demonstrari debet per demonstrationem affirmativam; at nulla præmissarum demonstrationis affirmativæ demonstrari potest, nisi demonstratione affirmativa, cum omnes sint affirmativæ, propositiones vero affirmativæ demonstrari non possunt, nisi demonstratione affirmativa.

CAPUT XX

UTRUM DEMONSTRATIO OSTENSIVA SIT PRÆSTANTIOR DEMONSTRATIONE PER IMPOSSIBILE.

1. [26] Cum autem attributiva demonstratio sit melior privativa, constat eam esse meliorem etiam ducente ad impossibile.

2. Oportet autem cognoscere, quæ sit ipsarum differentia. Ponatur igitur τὸ α inesse nulli β, omni autem γ τὸ β; ergo necesse est nulli γ inesse τὸ α. Terminis igitur ita sumptis, demonstratio privativa probans τὸ α τῷ γ non inesse erit ostensiva. Demonstratio vero ducens ad impossibile sic habet. Si probare oporteat τὸ α τῷ β non inesse, sumendum est inesse, nec non τὸ β τῷ γ. Quapropter accidit ut τὸ α τῷ γ insit. Hoc autem esse impossibile notum sit et confessum. Non igitur potest τὸ α τῷ β inesse. Itaque si conceditur τὸ β τῷ γ inesse, impossibile est τὸ α τῷ β inesse.

3. Termini igitur similiter collocantur. Interest autem, utra privativa propositio sit notior, id est utrum τὸ α τῷ β non inesse, an τὸ α τῷ γ. Cum igitur notius est conclusionem non esse, fit demonstratio ducens ad impossibile; cum autem negatio, quæ est in syllogismo, est notior, fit probatio demonstrativa.

1. Postquam Aristoteles ostendit demonstrationem universalem esse præstantiorem particulari, et demonstrationem affirmativam esse præstantiorem negativa, ostendit demonstrationem ostensivam esse præstantiorem demonstratione ad impossibile.

2. Ut id probet, explicat, quid sit demonstratio directa et ostensiva, quid demonstratio ducens ad impossibile, et in quo conveniant ac differant. Demonstratio directa est, in qua directe per syllogismum concluditur conclusio vera et intenta; ex. gr., hæc negativa: *nullum C est A*, demonstratur ostensive arguendo in Celarent : *nullum B est A; omne C est B; ergo nullum C est A*, vel in terminis veris : *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis; ergo nullus homo est hinnibilis*. Demonstratio ducens ad impossibile est, in qua ex opposito conclusionis veræ et intentæ infertur conclusio, quam manifestum et in confesso est esse falsam et impossibilem, et ex eo quia impossibile et falsum non sequitur nisi ex falso, infertur oppositum conclusionis intentæ esse falsum et imimpossibile, adeoque conclusionem intentam esse veram. Ex. gr., conclusio intenta sit : *nullus homo est hinnibilis*, ut demonstretur ducendo ad impossibile, sumenda est ut vera ejus opposita; et quia in materia necessaria, circa quam versatur demonstratio, si una contrariarum propositionum est falsa, altera est vera, potest contra asserentem falsam esse conclusionem intentam, sumi ut vera ejus contraria : *omnis homo est hinnibilis;* subsumenda minor, quam manifestum et in confesso sit esse veram, et arguendum : *omnis homo est hinnibilis; omne rationale est homo; ergo omne rationale est hinnibile; sed manifestum et in confesso est, impossibile esse, ut rationale sit hinnibile; ergo impossibile est, ut homo sit hinnibilis, adeoque nullus homo sit hinnibilis*.

3. Conveniunt utraque demonstratio in dispositione terminorum, in figura et modo juxta regulas traditas lib. II. Priorum cap. XI, n. 2, licet in casu præsenti demonstratio ostensiva sit in Celarent, demonstratio per impossibile in Barbara. Differunt, quod cum notior est præmissa negativa, per quam conclusio infertur directe in Celarent, quam conclusio, fit demonstratio directa in Celarent; si vero notius est oppositum ejus, quod ex opposito conclusionis intentæ sequitur in Barbara, quam conclusio intenta, tum conclusio intenta infertur per impossibile in Barbara. Ex. gr., in casu posito ex opposito hujus : *nullus homo est hinnibilis*, sequitur hæc conclusio : *omne rationale est hinnibile*, cujus oppositum : *nullum rationale est hinnibile*, notius est, quam hæc : *nullus homo est hinnibilis*, ideoque ex opposito ejus, quod sequitur, infertur oppositum ejus, ex quo sequitur. Quod exemplificatum est in Celarent et Barbara, potest exemplificari in aliis modis, licet in materia necessaria procedatur ex modis dictis.

4. Natura vero prior est hæc negatio, τὸ α τῷ β non inesse, quam τὸ α τῷ γ, quoniam conclusione priora sunt ea, ex quibus colligitur conclusio ; et hæc quidem negatio, τὸ α τῷ γ non inesse, est conclusio, τὸ α autem τῷ β non inesse est id, ex quo colligitur conclusio.

5. Non enim si quid refelli potest, continuo hoc est conclusio; illa vero per quæ refellitur, sunt ea ex quibus concluditur. Sed id ex quo conclusio colligitur est syllogismus, qui ita habet ut altera propositio erga alteram affecta sit vel ut totum ad partem vel ut pars ad totum ; illæ autem propositiones α γ et α β, non sunt ita inter se affectæ. Si igitur demonstratio, quæ est ex notoribus et prioribus est præstantior, ambæ autem ex eo quod quidpiam non est, fidem faciunt sed altera ex priori, altera ex posteriori, profecto demonstratio privativa est simpliciter melior quam ducens ad impossibile. Quocirca si hac melior est attributiva, patet eam etiam ducente ad impossibile esse meliorem.

4. His explicatis, probat Aristoteles conclusionem, quod demonstratio negativa directa sit præstantior ducente ad impossibile. Illa demonstratio, quæ procedit ex prioribus et notioribus secundum naturam est præstantior; sed demonstratio negativa directa procedit ex prioribus et notioribus secundum naturam, quam demonstratio ducens ad impossibile ; ergo, etc. Probatur minor, quia id, ex quo alterum sequitur tanquam conclusio, prius est eo, quod sequitur tanquam conclusio; sed per demonstrationem negativam directam conclusio demonstratur ex principio negativo, ex quo sequitur; ex. gr., demonstratur, *nullum hominem esse hinnibilem*, ex eo quod *nullum rationale est hinnibile*, dicendo : *nullum rationale est hinnibile; omnis homo est rationalis ; ergo nullus homo est hinnibile ;* — e converso in demonstratione ad impossibile conclusio demonstratur ex eo, quod sequitur ex opposito ipsius; ex. gr., demonstratur, *hominem non esse hinnibilem*, ex eo, quod ex opposito talis conclusionis sequitur aliquid falsum et impossibile ; ergo demonstratio directa procedit ex prioribus et notioribus, quam ducens ad impossibile, siquidem directa procedit ex eo, ex quo conclusio sequitur, ducens

ad impossibile procedit ex eo, quod sequitur ex opposito conclusionis.

5. Potest opponi, quod demonstratio ad impossibile procedit non ex eo, quod sequitur ex opposito conclusionis, sed ex opposito ejus, quod sequitur ex opposito conclusionis, et ex quo sequitur conclusio; ex. gr. cum demonstratur *hominem non esse hinnibilem*, quia ex eo, quod *homo sit hinnibilis*, sequitur rationale esse hinnibile, quod est impossibile, concluditur hominem non esse hinnibilem, ex eo quod rationale non sit hinnibile; sed rationale non esse hinnibile est principium, ex quo sequitur hominem non esse hinnibilem; ergo hominem non esse hinnibilem demonstratur ex principio, ex quo sequitur.

Respondet Aristoteles, quod in demonstratione ad impossibile hæc conclusio : *ergo nullus homo est hinnibilis*, non demonstratur ex hac negativa : *nullum rationale est hinnibile*, tanquam ex principio, ex quo sequatur, et in quo contineatur ut pars in toto, sed solum ex opposito ejus, quod sequitur ex eo, quod homo sit hinnibilis. Cum ergo in demonstratione ad impossibile conclusio demonstretur non ex principio, ex quo sequitur conclusio, sed ex opposito ejus, quod sequitur ex opposito conclusionis, in demonstratione vero directa demonstretur ex principio, ex quo sequitur conclusio, demonstratio directa, etiam negativa procedit ex prioribus et notioribus, adeoque est præstantior demonstratione ad impossibile; sed demonstratio affirmativa adhuc est præstantior negativa, ut probatum est, capite superiore; ergo demonstratio affirmativa multo est præstantior demonstratione ducente ad impossibile.

CAPUT XXI

DE CERTITUDINE, UNITATE AC DIVERSITATE SCIENTIARUM INVICEM COMPARATARUM.

1. [27] Est autem scientia exquisitior et prior quam alia scientia, nempe ea qua percipitur quod sit et cur sit, non seorsum quod sit, quam scientia tantum cur sit.

2. Et quæ non est de subjecto, quam ea quæ est de subjecto, ut arithmetica quam musica.

3. Et quæ est ex paucioribus, quam ea quæ est ex adjectione, ut arithmetica quam geometria. Dico autem ex adjectione, veluti unitas est substantia absque situ, punctum vero est substantia non sine situ ; hanc voco ex adjectione.

Postquam Aristoteles comparavit invicem demonstrationes, comparat invicem scientias, quæ per demonstrationem acquiruntur. Ac primo quidem comparat scientias secundum certitudinem, atque explicat tres modos, quibus una scientia est certior altera; secundo comparat scientias secundum unitatem ac diversitatem, et ostendit unde desumatur unitas ac diversitas scientiarum.

1. *Quoad primum*, enumerat Aristoteles tres modos, quibus una scientia certior est altera. Primus modus est : scientia, per quam non solum cognoscimus de conclusione, quod est, sed etiam *propter quid* est, certior est altera, per quam solum cognoscitur *quod est;* ex. gr., scientia, qua non solum cognoscitur, quod luna eclypsatur, sed etiam, quod causa, cur eclypsetur, est interpositio terræ, est certior scientia, qua de luna solum cognoscitur, quod eclypsatur, sed ignoratur causa, *propter quam* eclypsatur. Et quia scientiæ subalternatæ non cognoscunt *propter quid* suarum conclusionum, ideo scientiæ subalternatæ sunt minus certæ, quam subalternantes.

2. Secundus modus est: scientiæ, quæ non sunt de subjecto ut sensibili, certiores sunt scientiis, quæ sunt de subjecto ut sensibili; ex. gr., arithmetica, quæ considerat numeros abstrahendo ab eorum sensibilitate, certior est musica, quæ considerat numeros ut sonoros, adeoque ut sensibiles per auditum; ac similiter Geometria, quæ considerat lineas abstrahendo ab earum sensibilitate, certior est perspectiva, quæ considerat lineas, ut visuales; et universim scientiæ pure mathematicæ certiores sunt physico-mathematicis. Ratio est, quia incertitudo oritur ex mutabilitate materiæ sensibilis; ergo quanto magis abstrahitur a mutabilitate et sensibilitate, tanto major est certitudo.

3. Tertius modus est : scientia, quæ considerat objectum ut simplicius, certior est ea, quæ considerat objectum ut magis compositum; ex. gr., arithmetica est certior geometria, quia unitas ac numeri sunt quid simplicius punctis ac quantitatibus continuis. Unitas enim est id, quod caret partibus præscindendo ab hoc, quod habeat situm in continuo, vel non habeat situm in continuo. At punctum est, quod ita caret partibus, ut habeat situm in continuo. Numeri dicunt multitudinem entium, præscindendo a situatione et continuitate. Quantitates conti-

nuæ dicunt multitudinem partium in continuo situatarum. Ratio est, quia quod est magis unum, est magis scibile; sed quod est simplicius et abstractius, est magis unum; ergo est magis scibile; ergo scientia de subjecto simpliciori ex sua natura est certior.

4. [28] Una scientia, quæ scilicet est unius generis, est eorum quæ ex primis componuntur et partes sunt aut affectiones horum per se.

5. Diversæ scientiæ sunt eorum, quorum principia nec ex eisdem principiis oriuntur nec altera ex alteris.

6. Hujus rei signum est, cum quis ad indemonstrabilia pervenerit. Oportet enim ea esse in eodem genere, in quo sunt conclusiones demonstratæ. Signum quoque hujus rei est, cum ea quæ monstrantur sunt in eodem genere et syngenea.

7. [29] Fieri autem potest ut ejusdem conclusionis sint plures demonstrationes, non solum ex eadem classe sumpto termino non continenter cohærente, veluti si terminorum α β sumatur medium γ et δ et ζ, sed etiam ex diversis classibus. Utputa esto τὸ α mutari; ubi δ, moveri; τὸ β autem voluptate affici. et rursus τὸ η tranquillari; vere igitur et τὸ δ τῷ β et τὸ α τῷ δ attribuitur; etenim qui voluptate afficitur, movetur, et quod movetur, mutatur. Rursus τὸ α τῷ η ac τὸ η τῷ β vere attribuitur; quicumque enim voluptate afficitur, tranquillatur; et qui tranquillatur, mutatur. Quare per diversa media et non ex eadem classe conficitur syllogismus. Non ita tamen ut neutrum medium de altero dicatur, quia necesse est ut ambo alicui eidem insint. Considerare autem oportet quoties etiam per alias figuras syllogismus fieri possit ejusdem conclusionis.

4. *Quoad secundum:* scientia una est, quæ est contemplativa subjecti, quod sit unum genere, et habeat principia intra idem genus, partes subjectivas seu species, in quas dividatur, et passiones per se convenientes tali generi atque inferioribus speciebus. Ex. gr. physica est una scientia, quia contemplatur ut subjectum ens naturale, quod est unum genere, quod ens naturale habet principia propria, partes subjectivas, in quas dividitur, quæ partes sunt corpus simplex et mixtum, animatum et inanimatum; et præterea habet passiones per se convenientes tum corpori naturali, tum singulis speciebus corporum naturalium; aliæ enim sunt passiones corporum simplicium, aliæ mixtorum, aliæ animatorum, aliæ inanimatorum, etc. Quod ad unitatem scientiæ requiratur unitas saltem generica subjecti, probatur, quia motus habet unitatem præcipue a termino *ad quem;* sed scientia est quidam motus intelligibilis ad subjectum; ergo una scientia est de uno subjecto; et quia scientia demonstrat de subjecto ac de ejus partibus subjectivis passiones *per se* per principia propria, ideo subjectum debet habere principia propria, partes subjectivas ac passiones *per se.*

5. Diversæ scientiæ sunt, quæ procedunt per principia diversa. Ut autem prima principia propria duarum scientiarum sint diversa, neque principia unius scientiæ debent derivari ex principiis alterius, neque principia utriusque scientiæ derivari debent ex iisdem prioribus principiis. Ex defectu harum conditionum scientiæ de triangulo et de quadrato non sunt diversæ, quia principia tum trianguli tum quadrati derivantur ex principiis de figura, et scientia de isoscele non est diversa a scientia de triangulo, quia principia de isoscele derivantur ex principiis de triangulo. Si vero quæratur, quid requiratur ad hoc, ut prima principia propria sint diversa, dicendum ex doctrina Aristotelis 6 Metaph. text. 2, et 2. Physic., text. 18, quod cum prima principia propria sint definitiones, requiritur, ut sit diversus modus definiendi, adeoque subjectum sit diversimode definibile; et quia quædam non possunt esse neque definiri sine materia sensibili, ut naturalia; quædam non possunt esse, sed possunt definiri sine materia sensibili, ut mathematica; quædam possunt esse ac definiri sine materia sensibili, ut metaphysica; ideo definitiones ac prima principia sunt triplicis generis, ac proinde sunt tres scientiæ reales primo diversæ, physica, mathematica ac metaphysica, et tria sunt genera rerum ac subjectorum differentia in ratione scibilis ac definibilis; naturalia, mathematica ac metaphysica, ut magis explicabitur in Metaphysica lib. VI, text. II et seq.

6. Quod vero scientiarum diversitas desumatur ex diversitate principiorum modo explicato, probat Aristoteles ex signo, quia demonstrationes uniuscujusque scientiæ resolvi debent ad prima principia propria talis scientiæ, et ejusdem generis cum subjecto et passione, quæ demonstratur; neque enim potest fieri transitus de genere in genus, ut dictum est supra cap. VII, num. 4 et 5. Ex. gr., demonstrationes physicæ debent resolvi ad definitiones rerum, quæ non possunt

esse neque definiri sine materia; demonstrationes mathematicæ debent resolvi ad definitiones rerum, quæ non possunt esse, sed possunt definiri sine materia; ergo signum est, quod scientiarum differentia desumitur ex diversitate principiorum correspondentium diversitati subjectorum definibilium, adeoque quod scientiæ diversæ differunt in subjectis, passionibus atque principiis.

7. Addit Aristoteles, posse eamdem conclusionem demonstrari per plura media non solum subordinata et sumpta ex eodem genere, sed etiam non subordinata ac non sumpta ex eodem genere. Exemplum conclusionis demonstrabilis per media subordinata atque ejusdem generis est hæc : *omnis homo est substantia*, quæ potest demonstrari et per animal et per vivens, ex eo quod *omne animal et omne vivens est substantia ; omnis homo est animal et vivens; ergo omnis homo est substantia.* Sunt autem animal et vivens media subordinata, quia vivens est superius respectu animalis; et sunt desumpta ex eodem genere seu prædicamento substantiæ, quia tum animal tum vivens directe sunt in prædicamento substantiæ; utrumque vero medium non immediate cohæret majori extremo, hoc est substantiæ, quia inter substantiam et vivens mediat corpus, inter substantiam et animal mediat corpus et vivens. Si vero sumeretur pro medio corpus, tale medium cohæreret immediate majori extremo , quia inter substantiam et corpus nihil mediat; at non cohæreret immediate homini, qui est minus extremum, quia inter hominem et corpus mediat animal et vivens. Exemplum conclusionis demonstrabilis per media non subordinata neque sumpta ex eadem serie est hæc : *omne quod delectatur transmutatur*, quæ potest probari tum ex motu tum ex quiete, quæ sunt media non subordinata, imo opposita. Ex quiete probatur sic : *omne quod quiescit est, transmutabile,* cum quies sit privatio motus in subjecto mobili; *sed omne, quod delectatur, quiescit , cum delectatio causetur a quiete in bono desiderato; ergo omne quod delectatur, est transmutabile.* Ex motu probatur sic : *omne quod movetur, est transmutabile; omne quod delectatur, movetur, cum delectatio sit quidam motus potentiæ appetitivæ; ergo omne quod delectatur, est transmutabile.* Hinc sequitur, quod possit eadem conclusio demonstrari tum per plura media subordinata ac spectantia ad eamdem scientiam, ut cum hominem esse substantiam, demonstratur ex animali et vivente, quæ media sunt subordinata et spectantia ad eamdem physicam; tum per media non subordinata ac spectantia ad diversas scientias. Licet enim in exemplo posito motus et quies, cum sint contraria, spectent ad eamdem disciplinam, tamen potest eadem conclusio demonstrari per media spectantia ad diversas scientias; ex. gr., hæc conclusio, *quod terra sit rotunda,* potest demonstrari vel per medium astronomicum, ex eo quod in eclypsi lunæ umbra terræ sit rotunda, vel per medium physicum, ex eo quod omnia gravia moventur versus idem centrum. Addit Aristoteles, media ad demonstrandam eamdem conclusionem non posse ita esse diversa, ut sint mutuo negabilia universaliter. Cum enim possint prædicari de eodem subjecto conclusionis, possunt etiam aliqualiter prædicari ad invicem, eo pacto quo potest dici, quod id quod movetur, etiam aliquando quiescit, et quod id quod projicit umbram circularem, constat ex partibus, quæ moventur versus idem centrum.

CAPUT XXII

QUO PACTO SCIENTIA VERSETUR CIRCA FORTUITA ET SENSIBILIA ; ET QUO PACTO DIFFERAT A SENSU.

1. [30] Fortuitæ autem rei non est scientia per demonstrationem. Fortuitum enim nec est necessarium nec plerumque evenit, sed est id quod præter hæc fit; demonstratio vero est horum alterius. Omnis enim syllogismus efficitur vel per necessarias propositiones vel per eas quæ plerumque veræ sunt. Et siquidem propositiones sint necessariæ, etiam conclusio est necessaria ; sin autem plerumque sunt veræ, etiam conclusio est hujusmodi. Quocirca si fortuitum nec plerumque est nec necessarium, non potest esse ejus demonstratio.

2. [31] Nec per sensum fit ut sciamus. Nam etsi sensus est rei talis ac non hujus alicujus, tamen necesse est sentire hoc aliquid et alicubi et nunc. Quod autem est universale et in omnibus, sentiri nequit, quia non est hoc aliquid neque nunc ; alioqui non esset universale ; quod enim est semper et ubique, id dicimus esse universale. Quoniam igitur demonstrationes sunt universales, universalia vero non licet sentire, perspicuum est non fieri per sensum ut sciamus.

Quia Aristoteles docuit scientiam demonstrare de subjecto passiones per propria principia, procedit ad explicanda

quædam, quæ spectant ad passiones, quæ demonstrantur de subjectis; ad subjecta, de quibus demonstrantur passiones; et ad principia, per quæ passiones demonstrantur de subjectis.

1. Circa passiones ponit hanc conclusionem : ea, quæ eveniunt fortuito et casualiter, non possunt de subjecto sciri per demonstrationem. Probat, quia præmissæ demonstrationis vel debent esse necessario veræ, vel plerumque veræ; sed ex præmissis veris necessario vel plerumque, non potest sequi nisi conclusio vera necessario vel plerumque: ergo conclusio per demonstrationem scibilis debet esse vera necessario vel plerumque; sed quæ eveniunt fortuito et casualiter neque sunt vera necessario neque plerumque, sed raro, ut dictum est 2. Physic. text. 58; ergo quæ eveniunt fortuito et casualiter, non sunt per demonstrationem scibilia.

2. Circa subjectum ponit hanc conclusionem: sensibilia non sunt scibilia, adeoque per sensum non possumus scire. Probat, quia sensus non cognoscit *hoc*, sed *tale*, id est non cognoscit substantiam, quæ sola est hoc, sed aliquam sensibilem qualitatem, puta calorem, frigus, etc.; sed sensibiles qualitates non possunt sentiri, nisi prout sunt in aliquo singulari demonstrabili in certo loco ac tempore determinato; ergo sensibilia sunt singularia demonstrabilia existentia in certo loco ac tempore determinato; sed demonstratio ac scientia est de universalibus, quæ sunt semper et ubique, quæ universalia sentiri nequeunt; ergo scientia non est de sensibilibus, ac proinde scientia non est sensus, cum sensus solum sit de sensibilibus.

3. Immo planum est, etiamsi sensu percipi posset triangulum duobus rectis æquales angulos habere, nos esse requisituros demonstrationem; nec enim, ut quidam inquiunt, sciremus. Necesse est enim sentire particulare; scientia vero est quia universale cognoscitur. Idcirco si supra lunam essemus et videremus oppositam esse terram, nondum cognosceremus causam defectionis. Sentiremus enim lunam nunc deficere, non quamobrem omnino deficiat, quia sensus non est rei universalis. Verumtamen ex eo quod videremus sæpe hoc accidere, universali investigato demonstrationem haberemus; ex pluribus enim particularibus universale manifestum fit. Universale autem est magni faciendum, quia patefacit causam. Quocirca ejusmodi rerum, quarum alia est causa, universalis cognitio est præstantior sensuum perceptionibus et intelligentia. Primorum autem principiorum alia est ratio. Perspicuum igitur est fieri non posse ut sentiendo sciatur aliquid demonstrabile, nisi quis sentire hoc appellet, scientiam habere per demonstrationem.

4. Sunt vero nonnulla quæ ob sensus defectum referuntur inter problemata. Quædam enim si videremus, non quæreremus, non quasi scientes eo ipso quod videremus, sed tanquam habentes universale ex eo, quod oculis cerneremus. Veluti si videremus vitrum perforatum et lumen pertransiens, manifestum esset etiam, cur illuminet, quia videremus quidem seorsum in singulis vitris, simul autem intelligeremus rem ita se habere in omnibus.

3. Hinc rejicitur error eorum, qui ut dicitur 4. Metaph., dicebant, intellectum non distingui a sensu, adeoque scientiam et demonstrationem esse quoddam sentire. Nam etsi sentiremus, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, adhuc non haberemus scientiam, sed ad obtinendam scientiam deberemus quærere demonstrationem; ergo scire non est sentire. Probatur antecedens; nam ad scientiam debemus cognoscere, quod omnis triangulus ubique et semper habet tres angulos æquales duobus rectis; sed per sensum non possumus cognoscere de triangulo in universali, quod semper habet tres angulos æquales duobus rectis, sed ad summum possumus id cognoscere de triangulo in singulari; ergo ut sciamus non sufficit, ut sentiamus, sed requiritur, ut ex singularibus sensatis abstrahamus universale. Idcirco si quis positus in luna videret lunam eclypsari ex interpositione terræ, adhuc non sciret causam universalem, propter quam necessario certis temporibus luna eclypsatur, sed ad hoc, ut sciret causam universalem, deberet illam colligere per inductionem ex pluribus singularibus sensibilibus. Porro cognitio de universali nobilior est, quam cognitio de singularibus; sed scientia est de universali, sensus de singularibus; ergo scientia nobilior est sensu. Probatur major; nam cognitio cognoscens per se causam rei, quæ causam habet, est nobilior cognitione, quæ non cognoscit causam per se, licet cognitio cognoscens non per causam prima principia, quæ causam non habent, sit nobilior cognitione cognoscente conclusiones per causam; sed causa per se est universalis, ex. gr., causa universalis eclypsis est interpositio terræ; ergo cognitio de universali perfectior est, quam cognitio de singulari.

4. Licet igitur aliquando ex defectu sensus sequatur defectus scientiæ, adhuc

scientia non consistit in sensu, sed solum prærequiritur sensus singularium, ut colligatur scientia de universalibus, ideoque deficiente sensu deficit scientia. Ex. gr., si videremus oculis vitrum esse perforatum, ita ut lumen transeat per poros, non dubitaremus de causa, propter quam lumen transit per vitrum; nam ex sensu colligeremus causam universalem transitus per poros existentes in vitro. Adhuc tamen scientia non consisteret in illa sensatione, per quam videremus lumen hic et nunc transire per poros, sed in cognitione universali, qua ex variis sensationibus colligeremus causam universalem transitus esse, quia vitrum est porosum. Dicit autem hoc Aristoteles, non ex propria sententia, sed ex sententia antiquorum, qui dicebant lumen non esse qualitatem, sed esse effluvium corpusculorum.

CAPUT XXIII

DE PRINCIPIIS SYLLOGISMORUM AC DEMONSTRATIONUM.

1. [32] Fieri autem nequit, ut eadem principia sint omnium syllogismorum. Ac primum logice considerantibus hoc verum esse patebit. Syllogismorum enim alii sunt veri alii falsi.

2. Nam etsi licet verum ex falsis concludere, tamen hoc semel fit, veluti si τὸ α de γ verum est, medium autem τὸ β est falsum; neque enim τὸ α τῷ β inest neque τὸ β τῷ γ. Sed si harum propositionum media accipiantur, falsæ erunt propositiones prosyllogismorum, quia omnis conclusio falsa ex falsis principiis efficitur, veræ autem ex veris. Differunt autem falsa et vera.

3. Deinde nec falsæ conclusiones ex eisdem principiis colliguntur. Etenim sibi invicem falso attribuuntur et contraria et quæ non possunt simul esse, veluti justitiam esse injustitiam aut ignaviam, et hominem esse equum aut bovem et æquale esse majus vel minus.

Postquam Aristoteles quædam determinavit de passionibus, quas scientia demonstrat, ac de subjectis, de quibus demonstrat, agit de principiis, per quæ scientia demonstrat, ac probat non eadem esse principia omnium syllogismorum, neque omnium demonstrationum. Ponit igitur quatuor conclusiones.

1. *Prima conclusio* est : non eadem sunt principia syllogismorum, in quibus infertur conclusio vera, ac syllogismorum, in quibus infertur conclusio falsa. Probat, nam conclusio vera infertur ex principiis veris, conclusio falsa infertur ex principiis falsis; sed principia falsa non sunt eadem ac principia vera; ergo, etc.

2. Potest opponi, quod conclusio vera potest etiam inferri ex præmisssis falsis, eo pacto quo hæc conclusio vera : *omnis homo est animal,* potest inferri ex his præmissis falsis : *omnis lapis est animal; omnis homo est lapis; ergo omnis homo est animal;* ergo ex iisdem principiis falsis possunt inferri tum conclusiones falsæ tum veræ.

Respondet Aristoteles, quod unico syllogismo conclusio vera sequitur ex præmissis falsis, ut patet in exemplo posito; si autem debeant multiplicari syllogismi ad probandas præmissas falsas, quales sunt, quod *omnis lapis est animal, et omnis homo est lapis,* non possunt inferri, nisi ex præmissis falsis, quia falsum non potest sequi, nisi ex falso.

3. *Secunda conclusio* est : neque sunt eadem principia omnium syllogismorum, in quibus inferuntur conclusiones falsæ. Probatur, quia multæ conclusiones falsæ sunt contrariæ ac simul incompossibiles, ex. gr., istæ : *justitia est injustitia ; justitia est fortitudo,* sunt incompossibiles, quia non potest idem esse injustitia et fortitudo; similiter istæ : *homo est equus, homo est bos ; æquale est majus, æquale est minus,* sunt incompossibiles ex eadem ratione; sed principia, ex quibus sequuntur conclusiones incompossibiles sunt incompossibilia atque adeo diversa; ergo multa principia conclusionum falsarum sunt diversa; ergo non eadem sunt principia conclusionum falsarum.

4. Ex iis autem quæ posita sunt, ita probari potest, quia nec omnium verarum conclusionum eadem sunt principia. Multarum enim principia genere differunt, nec aptari quibusvis possunt. Utputa unitates punctis non aptantur, quoniam illæ non habent situm, hæc vero habent. Necesse est autem vel ad media loca aptare terminos, vel supra, vel infra; vel alios terminos intra, alios extra extrema.

5. Sed nec principiorum communium quædam esse possunt, ex quibus omnia ostendantur. Dico autem communia ut illud, quodvis affirmare aut negare licet. Genera enim entium sunt diversa; et alia quantis, alia qualibus solis insunt, quibuscum demonstrantur ex principiis communibus.

6. Præterea principia non multo pauciora sunt quam conclusiones. Principia namque sunt ipsæ propositiones; propositiones autem vel assumpto vel interjecto termino fiunt. Præterea conclusiones sunt infinitæ, termini vero finiti.

7. Præterea principiorum alia sunt ex neces-

sitate alia contingentia. Sic igitur considerantibus apparebit fieri non posse ut eadem sint principia finita, cum infinitæ sint conclusiones.

4. *Tertia conclusio* est : neque eadem sunt principia omnium syllogismorum, in quibus inferuntur conclusiones veræ. Probatur conclusio quatuor rationibus. Prima ratio est, quia multi syllogismi veri affirmativi constant ex principiis seu terminis incomplexis genere diversis; ex. gr., multi syllogismi habent pro terminis numeros, unitates et eorum proprietates; alii habent pro terminis lineas, puncta atque ipsorum proprietates; puncta autem ac lineæ genere differunt a numeris et unitatibus, quia puncta et lineæ habent positionem in continuo, numeri et unitates non habent positionem in continuo; sed syllogismi constantes ex terminis incomplexis genere diversis non possunt convenire in eisdem principiis incomplexis, adeoque neque in complexis, quæ componuntur ex incomplexis; ergo multi syllogismi veri non conveniunt in iisdem principiis.—Probatur minor, quia si resolverentur in eadem principia, vel hoc fieret probando præmissas talium syllogismorum, assumendo medium inter utrumque extremum, quod medium subjiceretur majori extremitati et prædicaretur de minori extremitate; et contra est, quia tale medium debet esse intra idem genus cum extremitatibus, et in eadem categoria; ergo cum termini alterius syllogismi sint genere diversi, nunquam poterunt assumi ut principia; ex. gr., ad probandum, quod *omnis homo est vivens*, non potest assumi ut medium *qualitas*, quæ genere differt ab homine et a vivente, sed debet assumi aliquid intra idem genus et in eadem categoria, puta *animal*, quod subjicitur viventi et prædicatur de homine, ac fieri debet sequens syllogismus : *omne animal est vivens; omnis homo est animal; ergo omnis homo est vivens;* vel resolverentur in eadem principia, ascendendo a terminis unius syllogismi ad terminos ac propositiones alterius, vel descendendo : ascendendo quidem eo pacto quo ab hoc syllogismo : *omne animal est vivens ; omnis homo est animal ; ergo omnis homo est vivens*, sumendo pro medio majorem extremitatem, potest ascendi ad probandas has propositiones : *omne animal est corpus ; omne vivens est substantia*, sic arguendo : *omne vivens est corpus ; omne animal est vivens; ergo omne animal est corpus ; omne corpus est substantia; omne vivens est corpus; ergo omne vivens est substantia :* descendendo vero, sumendo pro medio minorem extremitatem, eo pacto quo ex hoc syllogismo : *omne corpus est substantia : omne vivens est corpus; ergo omne vivens est substantia*, sumendo pro medio *vivens*, potest descendi ad ostendendum quod *omne animal et omnis homo est substantia*, sic arguendo : *omne vivens est substantia ; omne animal est vivens: ergo omne animal est substantia ; omne animal est substantia; omnis homo est animal : ergo omnis homo est substantia*, etc.; sed nullo ex his modis possunt assumi principia ac termini diversi generis ac categoriæ, ut patet, sed semper sunt assumendi termini, vel intra extrema vel extra, superius aut inferius, sed intra idem genus; ergo syllogismi ac propositiones constantes ex terminis ac principiis complexis genere diversis, non possunt resolvi in eadem principia incomplexa; ergo nec in eadem principia complexa, quæ componuntur ex incomplexis.

5. Secunda ratio est : si eadem principia sufficerent ad omnes syllogismos, maxime sufficerent principia communia, ex. gr., hoc, *de quolibet est vera affirmatio aut negatio;* sed principia communia non sufficiunt sine propriis; ergo, etc. Probatur minor, quia ad probandas per illud principium istas duas conclusiones : *punctum non est linea; unitas non est numerus*, debent assumi duo principia propria, alterum de puncto et linea, alterum de unitate et numero, ac debet sic argui : *de quocumque vel est vera affirmatio vel negatio ; sed non est vera hæc affirmatio, punctum est linea : ergo est vera hæc negatio, punctum non est linea ;* ac similiter : *non est vera hæc affirmatio : unitas est numerus; ergo est vera hæc negatio : unitas non est numerus.*

6. Tertia ratio est : principia non multo sunt pauciora conclusionibus; sed conclusiones sunt innumerabiles ac quodammodo infinitæ; licet enim termini sint finiti sursum ac deorsum, ut dictum est cap. XVII, adhuc tales termini possunt innumeris modis invicem comparari, affirmando ac negando per propositiones, seu naturales ac directas, seu innaturales atque indirectas; ergo etiam principia sunt innumerabilia ac quodammodo infinita; ergo non eadem sunt principia omnium conclusionum neque omnium

syllogismorum verorum. Probatur major, quod principia non sint multo pauciora conclusionibus; licet enim ex una parte, cum conclusio probetur ex duabus præmissis, videatur, quod principia sint plura; ex alia parte, cum ex iisdem principiis possint probari plures conclusiones, principia sunt pauciora; sed non sunt multo pauciora, quia cum ex iisdem principiis probantur plures conclusiones, adduntur etiam alia principia, licet coassumantur etiam plures conclusiones, ut patet in mathematicis. Novæ enim conclusiones probantur addendo partim nova principia, partim conclusiones jam probatas.

7. Quarta ratio est : conclusiones necessariæ vere syllogizantur ex solis neces[illegible] conclusiones contingentes syllo[illegible]tur ex solis contingentibus; ergo [illegible]a sunt principia syllogismorum ne[illegible]iorum, diversa syllogismorum contingentium, cum illa sint necessaria, hæc sint contingentia; ergo non omnium syllogismorum sunt eadem principia.

8. Quod si alio quodam modo dicat aliquis eadem esse principia, veluti quia hæc sunt geometriæ, illa numerorum, alia medicinæ, hoc quid aliud est quam esse principia scientiarum? Ridiculum autem est, si quis dicat eadem esse, quia ipsa a se ipsis non discrepant ; sic enim omnia fient eadem.

9. At vero neque hoc, ex omnibus demonstrari quodvis, est quærere omnium esse eadem principia. Hoc enim est valde ineptum. Neque enim in manifestis disciplinis hoc fit, nec in resolutione fieri potest, quoniam immediatæ propositiones sunt principia, alia vero conclusio fit assumpta propositione immediata.

10. Si quis autem dicat primas immediatas propositiones esse principia eadem, una in quoque genere est. Quod si nec fieri potest ut ex omnibus sicut oportet demonstretur quodvis, nec ut principia sint ita diversa, ut singularum scientiarum sint diversa, relinquitur ut ejusdem generis sint omnium principia, sed ex his hæc, ex illis illa demonstrentur. Sed et hoc accidere non posse constat ; quippe ostensum est, diversa genere principia esse eorum, quæ genere differunt. Nam principia duplicia sunt, id est, ex quibus et circa quod. Principia igitur ex quibus, sunt communia, principia vero circa quæ, sunt propria, ut numerus, magnitudo.

8. *Quarta conclusio* est : neque eadem sunt principia omnium demonstrationum. Probatur hæc ultima conclusio analytice, et ex propriis demonstrationis, sicut tres primæ conclusiones probatæ sunt dialectice et ex communibus syllogismorum.

Prima ratio est : alia sunt principia propria arithmeticæ, alia geometriæ, alia medicinæ; ergo non eadem sunt principia omnium demonstrationum, sed diversa demonstrationum spectantium ad scientias diversas. Si quis vero dixerit principia demonstrationum esse eadem, quia principia arithmeticæ sunt eadem cum principiis arithmeticæ, principia geometriæ sunt eadem cum principiis geometriæ, patet hoc esse ridiculum. Non enim quæritur, utrum principia cujuscumque scientiæ sint eadem cum principiis talis scientiæ, sed utrum principia unius scientiæ sint eadem cum principiis aliarum scientiarum, adeoque omnes scientiæ conveniant in principiis.

9. Secunda ratio est : si eadem essent principia omnium conclusionum, quodlibet demonstraretur ex quolibet; sed stulte asseritur, quodlibet demonstrari ex quolibet; ergo, etc. Probatur minor; patet enim quod diversæ conclusiones demonstrantur ex diversis principiis immediatis, et cum conclusiones demonstrantur per præmissas mediatas, adeoque resolvendas ad principia immediata, non resolvuntur ad eadem, sed ad diversa principia immediata. Si vero quis dicat prima principia non esse quaslibet propositiones immediatas, sed propositiones immediatas de communissimis terminis, puta de ente et non ente, toto et parte, contra est, quia ad demonstrandas conclusiones de particularibus generibus, non solum sunt coassumendæ propositiones immediatæ de terminis communibus, sed etiam de propriis, puta de lineis, figuris, etc.; ergo non quodlibet demonstratur ex quolibet, sed diversa ex diversis, ita tamen, ut sicut propria principia diversorum generum sunt genere diversa, sic propria principia ejusdem generis sint eadem genere.

10. Tertia ratio est : principia propria sunt ejusdem generis cum subjecto cujuslibet scientiæ, ut dictum est cap. VII; sed subjecta scientiarum sunt genere diversa; ergo etiam principia propria scientiarum sunt genere diversa. Licet igitur principia, ex quibus procedunt demonstrationes, hoc est dignitates, possint esse communia pluribus scientiis, tamen principia, circa quæ versantur demonstrationes, hoc est subjecta scientiarum et definitiones subjectorum, non sunt communia pluribus scientiis, sed propria, ex. gr., principia propria arithmeticæ sunt numeri et eorum definitiones; principia propria geo-

metriæ sunt magnitudines et figuræ; ergo sicut numeri differunt a magnitudinibus et figuris, sic principia propria arithmeticæ differunt a principiis geometriæ.

CAPUT XXIV

DE DIFFERENTIA SCIENTIÆ AB OPINIONE, ET DE SOLERTIA.

1. [33] Id vero quod sub scientiam cadit et scientia differunt ab opinabili et opinione, quia scientia est universalis et ex necessariis, necessarium autem non potest aliter se habere. Quædam autem sunt vera et sunt, sed possunt etiam aliter se habere, constat igitur circa hæc non esse scientiam ; alioquin non possent aliter se habere, quæ possunt aliter se habere. Sed neque intelligentiam (voco enim intelligentiam principium scientiæ) nec scientiam indemonstrabilem ; hæc autem est existimatio propositionis immediatæ. Atqui vera est intelligentia et scientia et opinio, et quod per hæc dicitur. Quamobrem restat, ut opinio sit circa id, quod est quidem verum aut falsum, sed potest etiam aliter se habere. Hoc autem est existimatio immediatæ propositionis et non necessariæ.

2. Atque hoc est consentaneum iis quæ apparent ; nam opinio est res inconstans, et natura ejus est ejusmodi. Præterea nemo putat se opinari, sed scire, cum putat, rem non posse aliter se habere. Cum autem putat rem ita esse, verum aliter quoque esse posse, tunc nihil prohibet quominus opinetur, quasi talis rei sit opinio

Postquam Aristoteles comparavit ad invicem varias scientias, comparat scientiam cum habitibus, qui non sunt scientia, ac præsertim cum opinione. Primo ergo explicat differentiam scientiæ ab opinione, ac scibilis ab opinabili; secundo proponit ac solvit duo dubia; tertio rejiciens in alium locum comparationem scientiæ cum aliis habitibus intellectualibus, breviter explicat, quid sit solertia, ac concludit librum primum.

1. *Quoad primum :* scientia duas requirit conditiones. Prima est, ut sit de universalibus; secunda, ut sit per necessaria, hoc est per ea, quæ aliter se habere non possunt; sed dantur aliqua, quæ ita sunt vera, ut possint aliter se habere; ergo circa hæc non versatur scientia, alioquin cum scientia sit de iis, quæ aliter se habere non possunt, sequeretur, quod ea, quæ non possunt aliter se habere, possent aliter se habere, quod implicat; sed intellectus, hoc est habitus principiorum, est principium scientiæ seu scientia quædam indemonstrabilis, quia versatur circa propositiones immediatas ac per se notas; ergo cum principia, per quæ scientia demonstrat conclusiones, debeant esse necessaria, ita ut aliter se habere non possint, intellectus versatur circa veritates necessarias, ac quæ non possunt aliter se habere; ergo intellectus non versatur circa ea, quæ possunt aliter se habere; ergo cum intellectus, scientia et opinio conveniant in hoc, quod versentur circa vera, intellectus autem ac scientia versentur circa ea, quæ ita sunt vera, ut non possint aliter se habere, sequitur, quod opinio versetur circa ea vera vel falsa, quæ possunt etiam aliter se habere. Sicut igitur intellectus est assensus propositionis immediatæ ac necessariæ, sic opinio, quæ correspondet intellectui, est assensus propositionis immediatæ, non necessariæ ; sicut scientia est assensus propositionis mediatæ ac necessariæ, sic opinio correspondens scientiæ est assensus propositionis mediatæ, non necessariæ. Scientia igitur et opinio differunt in hoc, quod scientia est de necessariis, quæ non possunt aliter se habere, opinio est de non necessariis, quæ possunt aliter se habere.

2. Confirmat Aristoteles hanc esse differentiam inter scientiam et opinionem ex sensu communi; primo, quia communiter homines existimant opinionem esse incertam, et in hac ipsa incertitudine consistere ejus essentiam; sed incertitudo consistit in hoc, ut intellectus existimet objectum posse aliter se habere; ergo opinio versatur circa ea, quæ possunt aliter se habere ; — secundo, quia communiter homines, quando ita assentiuntur alicui propositioni, ut existiment illam non posse aliter se habere, putant se non habere opinionem, sed scientiam; cum autem existimant quidem propositionem esse veram, sed posse aliter se habere, tum putant se habere opinionem; ergo ex communi sensu scientia est existimatio, qua putatur rem non posse aliter se habere, opinio est existimatio, qua putatur rem posse aliter se habere.

3. necessariæ vero scientia. Quomodo igitur non licet idem opinari et scire ?

4. Et cur opinio non est scientia, si quis posuerit, quodcumque novit, de eo opinionem haberi posse ? Persequetur enim media et qui scit et qui opinatur, donec ad immediata pervenerit. Quare si ille novit, etiam quia opinatur, novit. Ut enim licet opinari quod sit, ita etiam cur sit. Hoc autem est medium.

5. An si ita existimabit quæ non possunt aliter se habere, ut existimet se habere definitiones, per quas demonstrationes conficiuntur, non opinabitur, sed sciet? Si vero existimabit vera quidem esse, non tamen hæc ipsis inesse secundum essentiam et secundum formam, vere opinabitur, non autem sciet, et quod sit, et cur sit, si per immediata opinatus fuerit? Si vero non per immediata, opinabitur solum quod sit?

3. *Quoad secundum* proponit Aristoteles duo dubia. Primum dubium est : si scientia versatur circa id, quod non potest aliter se habere, quo pacto fieri potest, ut de eodem objecto unus habeat scientiam, alius opinionem? Videtur enim sequi, quod idem et possit aliter se habere, et non possit aliter se habere; sed videmus quod de eodem objecto sæpe unus habet scientiam, alius opinionem; ergo etc.

4. Secundum dubium est : si circa eamdem veritatem, puta incommensurabilitatem diametri, potest versari scientia et opinio, quomodo talis opinio differet a scientia? præsertim cum eadem media, quæ sciens percurrit, usque dum perveniat ad propositiones immediatas, possit etiam percurrere opinans, usque dum perveniat ad propositiones immediatas. Explicatur difficultas. Possunt ex duobus alter scire, quod luna eclypsatur propter interpositionem terræ, alter hoc totum opinari; ergo primus non solum sciet de luna, quod eclypsatur, sed etiam *propter quid* eclypsatur; secundus utrumque opinabitur, quod nimirum luna eclypsatur, et quod propter interpositionem terræ eclypsatur. Quomodo ergo different talis scientia et opinio, cum versentur circa eamdem conclusionem, quod luna eclypsatur, et circa idem medium, easdemque præmissas, quod *quando terra interponitur, luna eclypsatur; sed terra interponitur; ergo luna eclypsatur?*

5. Respondet Aristoteles primo ad secundum dubium, quod quando non solum cognoscimus prædicatum convenire subjecto, sed penetramus tale prædicatum convenire subjecto necessario et ita, ut non possit non convenire, eo pacto quo homini necessario convenit *esse animal rationale*, aliæque definitiones conveniunt suis definitis, tum tales propositiones non opinamur, sed scimus; cum vero putamus quidem, prædicatum convenire subjecto, sed non penetramus, quod convenit necessario et essentialiter, hoc est ratione essentiæ ac formæ, tum tales propositiones solum opinamur, non autem scimus. Ex. gr., qui non solum cognoscit, quod quando terra *interponitur, luna eclypsatur*, sed videt hoc esse omnino necessarium, tum non solum opinatur, sed scit talem veritatem. E converso qui putat, quod quando terra interponitur, luna eclypsatur, sed non penetrat necessariam connexionem inter interpositionem atque eclypsationem, solum opinatur, non autem scit eamdem veritatem. Porro si quis modo explicato non solum opinetur veram esse conclusionem, sed etiam principia immediata, opinabitur non solum quod conclusio sit vera, sed etiam *propter quid* sit vera; si autem opinetur solum veram esse conclusionem, opinabitur solum, quod conclusio sit vera, non autem *propter quid* sit vera.

6. Ejusdem autem rei opinio et scientia non omnino sunt. Sed quemadmodum et falsa et vera opinio sunt aliquo modo ejusdem rei, ita etiam scientia et opinio sunt ejusdem rei. Si quis enim dicat et opinionem veram et falsam, ut scilicet nonnulli asserunt, ejusdem rei esse, accidit ut absurda probet cum alia, tum hoc, non opinari quempiam id, quod opinatur falso.

7. Quia vero idem dicitur multis modis, alio modo possunt esse ejusdem rei, alio modo non possunt. Vere enim opinari dimetienti esse communem mensuram cum latere, absurdum est. Sed quia dimentiens, circa quam opiniones versantur, est una et eadem, ita opiniones sunt ejusdem rei. Utriusque vero essentia, quæ in definitione ponitur, non est eadem.

8. Similiter autem et scientia et opinio sunt ejusdem rei. Altera namque ita est de animali, ut non possit non esse animal, altera vero ut possit. Veluti si altera sit de eo, quod est id ipsum quod homo; altera vero sit quidem de homine, non tamen de eo, quod est id ipsum quod homo. Eadem enim res, homo scilicet, non eodem modo accipitur.

9. Ex his autem perspicuum est, fieri non posse ut eamdem rem simul opinetur quispiam et sciat ; alioquin existimaret eamdem rem aliter se habere posse et non aliter se habere posse, quod fieri nequit. In alio vero et alio homine utrumque esse potest de eadem re, ut dictum fuit, in eodem vero non est ita possibile. Alioquin simul existimabit, exempli causa, hominem esse id ipsum quod animal (hoc enim est non posse esse non animal,

6. Hinc ad primum dubium, in quo quærebatur, utrum opinio et scientia possint versari circa idem objectum, respondet Aristoteles, quod possunt versari circa idem aliquo pacto, sed non possunt versari circa idem omnino, proportionaliter ac opinio vera et opinio falsa possunt esse de eodem aliquo pacto, non possunt esse

de eodem omnino. Quod opinio vera et falsa non possint esse de eodem omnino, patet, quia si possent esse de eodem omnino, sequerentur multa absurda ac præsertim. quod quis non opinaretur id. quod falso opinatur ; ergo etc. Probatur antecedens ; verum est Petrum currere; ergo si quis opinatur Petrum currere, ejus opinio non est falsa, sed vera; ergo si opinio opinans hoc idem, est falsa, non opinatur Petrum currere, adeoque non opinatur id, quod opinatur ; ergo opinio vera et falsa non possunt versari circa idem omnino.

7. Ut igitur explicetur, quo pacto opinio vera et falsa, ac similiter scientia et opinio non possint versari circa idem omnino, notandum, quod ly *idem* potest sumi multipliciter; primo, ut significet idem subjectum; secundo, ut significet eamdem rationem et complexionem. Circa idem subjectum potest versari opinio vera et falsa; ex. gr., circa eamdem diametrum quadrati potest versari tum opinio vera, qua quis existimet *diametrum esse incommensurabilem costæ*, tum opinio falsa, qua quis existimet *diametrum esse commensurabilem costæ* ; at circa eamdem complexionem et rationem non potest versari opinio vera et falsa. Impossibile enim est ut unus vere opinetur diametrum esse incommensurabilem, alter hoc ipsum falso opinetur.

8. Proportionaliter circa idem subjectum potest versari scientia et opinio ; ex. gr., de homine potest unus scire, quod est animal, si ita cognoscat *hominem esse animal*, ut videat id homini convenire essentialiter, ita ut non possit non convenire ; et potest alter opinari de eodem homine, quod est animal, si putet ita hominem esse animal, ut non sit animal essentialiter, sed possit non esse animal; at non potest unus scire, quod homo essentialiter est animal, alius hoc ipsum opinari. Eo enim ipso, quod opinabitur, putabit hominem ita esse animal, ut possit non esse animal, adeoque putabit hominem non esse animal essentialiter.

9. Hinc Aristoteles infert non posse eumdem hominem eodem tempore idem scire et opinari. Scire enim est cognoscere, quod ita res est, ut non possit aliter se habere; opinari est cognoscere, quod ita res est, ut possit aliter se habere; sed non potest idem eodem tempore de eodem existimare, quod possit et non possit aliter se habere, alioquin existimaret contradictoria esse vera; ergo non potest idem eodem tempore de eodem habere scientiam simul et opinionem, sed diverso tempore potest.

10. Reliqua, id est quomodo distinguere oporteat dianoeam et intelligentiam, et scientiam et artem, et prudentiam et sapientiam, partim ad naturalem, partim ad moralem contemplationem magis pertinet.

11. [34] Sagacitas autem est bona quædam medii conjectatio brevissimo tempore, veluti si quis videns lunam semper solem versus splendere, confestim intelligat cur hoc sit, nempe quia illustratur a sole ; aut videns colloquentem cum divite, cognoscat eum ideo colloqui, quia pecuniam mutuatur; aut sciat cur duo aliqui sint amici, quia scilicet sunt ejusdem inimici. Omnes enim medias causas perspectis extremis cognovit. Esto solem versus splendere, ubi α; illustrari a sole β; luna τὸ γ. Inest igitur lunæ τῷ γ, τὸ β, id est illustrari a sole; τῷ β autem τὸ α, hoc est illud versus splendere, a quo illustratur. Quare etiam τῷ γ τὸ α inest per β.

10. *Quoad tertium :* postquam Aristoteles explicavit differentiam inter scientiam et opinionem, dicit, quod divisio, in qua explicatur, quo pacto differant ratio, intellectus, scientia, sapientia, prudentia et ars spectat ad physicam et moralem, ideoque de illa non est agendum hic. Concludit igitur librum explicando, quid sit solertia.

11. Solertia est perspicacia quædam, per quam cognita re statim vel pœne statim conjicimus ejus medium et causam; ex. gr., advertit quis lunam esse luminosam ex ea parte, qua est obversa soli; hinc conjicit causam, cur luna sit luminosa, esse, quia illuminatur a sole; videt quis aliquem colloquentem cum divite, conjicit statim causam, propter quam alloquitur divitem, esse, ut petat mutuum; videt quis, inter duos contractam esse de novo amicitiam, conjicit causam contrahendæ novæ amicitiæ esse, quia sunt ejusdem inimici. Est autem utilis solertia ad conjectandum medium et causam, tum in physicis tum in moralibus, ut patet ex allatis exemplis. Qui vero conjecit causam et medium rei, statim per talem causam potest unum extremum demonstrare de altero ; ex. gr., qui cognovit causam, cur luna splendeat, esse quia illuminatur a sole, potest sic probare, quod luna ut splendeat, debet esse obversa soli. *Quod enim splendet, quia illuminatur ab alio, debet esse obversum illi ; sed luna splendet, quia illuminatur a sole ; ergo luna debet esse obversa soli.* Et per hæc Aristoteles concludit librum primum Posteriorum.

POSTERIORUM ANALYTICORUM

HOC EST

RESOLUTORIORUM

LIBER II

CAPUT I.

OSTENDITUR QUATUOR ESSE QUÆSTIONES, ET PER OMNES QUÆRI MEDIUM ET CAUSAM REI.

1. [1] Quæ quæruntur, tot numero sunt quot sunt ea quæ scimus. Quærimus autem quatuor : quod sit, cur sit, an sit, et quid sit.

2. Cum enim utrum sit hoc an hoc quærimus, plura complectentes, veluti utrum sol deficiat an non, tunc quærimus quod sit. Hujus autem rei signum est, quia cum invenimus quod sol deficit, desinimus quærere; et si ab initio cognosceremus quod deficit, non quæreremus an deficiat. Cum autem cognoscimus quod sit, tunc quærimus cur sit. Veluti cum novimus quod sol deficit et quod terra movetur, tunc quærimus cur deficiat vel cur moveatur. Hæc quidem ita quærimus. Quædam vero alio modo quærimus, veluti an sit necne Centaurus vel deus. Dico autem an sit necne simpliciter, non an sit albus necne. Cum autem novimus rem esse, quærimus quid sit, veluti quid igitur est deus? aut quid est homo? Quæ igitur quærimus et quæ inventa cognoscimus, hæc et tot sunt.

Postquam Aristoteles libro primo egit de demonstratione, libro secundo agit de principiis demonstrationis. Et quia medium est principium incomplexum demonstrationis, propositiones autem immediatæ sunt principia complexa, ideo primo agit de medio ; secundo de propositionibus immediatis. Quia rursus medium demonstrationis est causa, ex causis autem præcipua est definitio, quæ reducitur ad causam formalem, ideo præcipue agit de definitione ac de modo definitionem investigandi ; deinde agit de cæteris causis. Demum, quia medium in demonstrationibus assumitur ad probandam aliquam propositionem, de qua possit esse quæstio, ideo primo explicat numerum quæstionum; secundo ostendit, quod in omnibus quæstionibus quæritur medium.

1. *Quoad primum* igitur de numero quæstionum: tot sunt genera quæribilium, quot scibilium. Ratio est, quia scientia est cognitio per demonstrationem acquisita; sed per demonstrationem acquirimus scientiam eorum, quæ ante ignorabamus; ergo scientia est cognitio eorum, quæ ante ignorabamus ; sed de iis, quæ ignoramus, possumus instituere quæstionem; ergo de scibilibus possumus instituere quæstionem ; ergo numerus quæstionum et quæribilium proportionatur numero scibilium, ac proinde tot sunt quæribilia quot scibilia; sed quatuor possumus quærere, nimirum *utrum res talis sit? propter quid talis ? sit an sit? et quid sit ?* — ergo hæc eadem possumus scire.

2. Probatur et explicatur assumptum, quod nimirum quatuor possimus quærere. Duæ enim sunt quæstiones complexæ, seu de tertio adjacente. Prima est, qua de subjecto quærimus, *utrum sit tale.* Ut cum quærimus de sole, *utrum deficiat*, seu *utrum sit deficiens, an non ;* et per istam quæstionem quærimus scientiam de defectu, vel de negatione defectus,

ideoque, cum quis invenit solem deficere, cessat quærere, an deficiat; et si ante scivisset solem deficere, non movisset quæstionem. Secunda quæstio est, per quam scientes rem esse talem, quærimus *propter quid* sit talis; ex. gr., cum quis sciens solem deficere et eclypsari, quærit, propter quam causam eclypsatur; et cum quis videns terram in terræmotu moveri, quærit propter quam causam movetur. Duæ aliæ sunt quæstiones incomplexæ, sive de secundo adjacente. Prima est, qua non quærimus utrum subjectum sit tale, sed utrum simpliciter sit; ut cum quærimus, utrum sit Centaurus vel deus. Secunda est, qua scientes de subjecto, *quod est*, quærimus ulterius quid sit. Ex. gr., qua scientes deum esse, quærimus quid sit deus? Ergo hæc quatuor sunt, quæ, cum ignoramus, quærimus, cum invenerimus, scimus.

3 [2]. Cum autem quærimus quod sit, aut an sit simpliciter, tum quærimus utrum sit medium ipsius, an non sit. Cum autem cognoscentes vel quod sit vel an sit, sive in parte sive simpliciter, rursus quærimus cur sit aut quid sit, tunc quærimus quodnam sit medium. (Sic autem intelligo quod sit vel an sit, in parte et simpliciter : in parte quidem, veluti deficitne luna? vel augeturne? etenim sitne aliquid necne, huismodi quæstionibus quærimus. Simpliciter autem, veluti an sit necne luna vel nox).

4. In omnibus igitur quæstionibus accidit, ut quæratur vel an sit medium vel quod sit medium. Nam causa est medium, in omnibus autem hæc quæritur, veluti deficitne? estne causa aliqua, an non? Post hæc, cum cognovimus esse aliquam causam, quærimus quænam hæc sit.

3. *Quoad secundum* docet Aristoteles, quod in omnibus dictis quæstionibus, quæritur saltem aequivalenter medium. Probat primo inductione; nam in quæstionibus, in quibus vel quæritur simpliciter, an subjectum sit, vel an sit tale, quæritur an detur medium; in quæstionibus, in quibus supponendo, quod subjectum est, vel quod tale est, quæritur, quid sit, vel propter quid sit, quæritur quod sit medium, ergo in omnibus dictis quæstionibus saltem æquivalenter fit quæstio de medio. Probatur antecedens quoad primam partem, quod nimirum, dum quæro *an res sit*, vel an *talis sit*, ex. gr., dum quaero an luna sit, vel an luna eclypsetur, quæram æquivalenter, an detur medium, Nemo enim movet quæstionem de propositionibus immediatis ac per se notis, sed solum de mediatis; ergo cum quis quærit an luna sit, vel an eclypsetur, quærit æquivalenter, an detur medium ad demonstrandas has propositiones mediatas: *luna est, luna eclypsatur;* et quia medium demonstrationis est causa, quærit causam seu rationem, propter quam luna est vel eclypsatur.

4. Probatur jam secunda pars antecedentis, quod nimirum, dum cognoscens lunam esse, quæro quid sit; et dum cognoscens lunam eclypsari, quæro propter quid eclypsatur, quæram quod sit medium. Qui enim cognoscit rem esse, jam cognoscit illam habere quidditatem; sed quidditas est causa formalis rei ut sit, cum unumquodque sit per quidditatem; ergo qui cognoscit lunam esse, jam scit dari medium et causam, propter quam est; ergo dum procedit ad inquirendum, quid sit luna, quærit, quæ sit quidditas lunæ, adeoque quod sit medium. Similiter qui cognoscens lunam eclypsari, quærit propter quid eclypsetur, jam cognoscit dari medium seu rationem et causam, propter quam eclypsatur; ergo dum quærit propter quid luna eclypsatur, quærit quænam sit causa, propter quam eclypsatur; ergo quærit, quodnam sit medium. Ergo patet inductione, quod in quæstionibus, in quibus quæritur an res sit vel an talis sit, quæritur, utrum detur medium; in quæstionibus, quibus quæritur, quid res sit vel propter quid talis sit, quæritur, quod sit medium, adeoque, quod in omnibus quæstionibus quæritur medium.

5. Nam causa cur sit non hoc vel illud, sed simpliciter essentia, vel non simpliciter, sed aliquid ex iis quæ insunt per se aut per accidens, nihil aliud est quam medium. Dico autem simpliciter esse ipsum subjectum, ut lunam vel terram vel solem vel triangulum, esse autem aliquid, ut eclipsim, æqualitatem, inæqualitatem, an sit in medio necne. In iis enim omnibus perspicuum est, idem esse quid est et quamobrem est. Quid est eclipsis? Privatio luminis in luna ob terræ oppositionem. Cur est eclipsis? aut cur deficit luna? Propterea quod eam lumen deficit terra opposita. Quid est concentus? Ratio numerorum in acuto et gravi. Cur concinunt acutum et grave? Quia numerorum rationem habent acutum et grave. Concinuntne acutum et grave? hoc est estne in numeris ratio eorum? Cum vero accepimus quod est, tum quærimus quænam igitur est ratio illa?

6. Quod autem medii sit omnis quæstio, ea declarant quorum medium est sensibile. Quærimus enim non percepta per sensum (exempli causa) eclipsi, an sit necne. Quodsi essemus

supra lunam, non quæreremus an fiat, neque cur fiat, sed confestim manifestum esset, quoniam ex sensu fieret ut etiam universale cognosceremus. Sensus enim percipit terram nunc opponi, quia constat lunam nunc deficere; ex hoc autem fieret universale. Quemadmodum igitur diximus, nosse quid sit, idem est atque nosse cur sit. Hoc autem vel simpliciter, non eorum quidpiam, quidpiam quæ insunt, vel eorum quidpiam cujusmodi sunt habere duos angulos rectos, aut esse majus vel minus. Esse igitur in omnibus quæsitis quæstionem medii, manifestum est. [3] Quomodo autem probetur quid sit, et quis sit modus reductionis, et quid ac quorum sit definitio, dicamus, cum prius de his dubitaverimus.

5. Secundo probat hoc idem Aristoteles ratione. Medium, quo demonstratur propositio mediata, est causa, ut supra dictum est; sed in omnibus quæstionibus de propositionibus mediatis, quæritur causa; ergo in omnibus quæstionibus quæritur medium. Probatur minor; cum enim sit quæstio simplex, *an luna sit, an sol sit, an terra sit, an triagulus sit*, quæritur, an hæc habeant aliquam quidditatem, quæ sit illis causa essendi. Cum fit quæstio composita, *an luna vel sol eclypsetur, an terra sit in centro, an trianguli tres anguli sint æquales duobus rectis*, quæritur, an sit ulla causa, propter quam luna ac sol debeant eclypsari, terra debeat esse in centro, triangulum debeat habere tres angulos æquales duobus rectis. Cum quæritur, *quid res sit*, vel propter quid sit, quæritur, quæ sit causa, propter quam res est, vel talis est; ideoque explicando, quæ sit talis causa, satisfit utrique quæstioni. Ex. gr., si quæratur, *quid est eclypsis lunæ*, respondetur : *est defectus luminis in luna ex interpositione terræ*. Si quæratur, *propter quid luna eclypsetur*, respondetur : *quia deficit lunæ lumen ex interpositione terræ*. Si quæratur : quid est consonantia? respondetur : *est proportio numerorum inter acutum et grave*. Si quæratur, *cur inter istas voces detur consonantia*, respondetur : *quia sunt acutæ et graves, ita ut detur inter ipsas proportio numerorum;* ergo in omnibus quæstionibus quæritur causa; ergo in omnibus quæritur medium.

6. Tertio probat Aristoteles conclusionem ex signo; qui enim sensu percipit, quæ sit causa passionis, neque quærit, *an passio sit*, neque *an conveniat subjecto*, neque *propter quid conveniat*, neque *quid sit;* ergo signum est, quod per omnes istas quæstiones ultimo quæritur, quæ sit causa et medium rei. Probatur antecedens; si quis enim existeret in luna, et videret lunam eclypsari terra interposita, non quæreret, an sit eclypsis, quia eclypsim videret; nec quæreret, an luna eclypsetur, quia videret lunam eclypsari; non quæreret, propter quid luna eclypsetur, quia videret lunam eclypsari propter interpositionem terræ; demum neque quæreret, quid sit eclypsis lunæ, quia videret eclypsim lunæ esse defectum luminis in luna propter interpositionem terræ; ergo cum cognitio causæ solvat omnes quæstiones, per omnes quæstiones quæritur cognitio causæ ac medii, adeoque omnes quæstiones reducuntur ad unicam, quæ est quæstio causæ. Neque vero dicas eum, qui videret causam singularem, adhuc moturum quæstionem de causa universali; nam contra est, quia visa causa singulari, statim intellectus abstraheret causam universalem; ergo neque de causa universali remaneret quæstio. Cum igitur cognoscatur per causam rem esse vel simpliciter vel talem, cognoscatur etiam, quid sit, et propter quid sit, patet in omnibus quæstionibus quæri causam; et cum medium demonstrationis sit causa, patet, quod cum in omnibus quæstionibus quæratur causa, quæritur medium demonstrationis.

CAPUT II

DISPUTATUR, UTRUM EJUSDEM SECUNDUM IDEM POSSIT ESSE DEFINITIO AC DEMONSTRATIO.

1. Initium autem futurorum esto, quod est maxime proprium sequentium sermonum. Dubitare enim aliquis possit an idem et secundum idem definitione sciri possit, et demonstratione.

2. An hoc est impossibile? Nam definitio videtur explicare quid res sit; quidquid autem significat quid res sit, est universale et attributivum; syllogismorum vero quidam sunt privativi, quidam non universales, veluti qui exstruuntur in secunda figura, omnes sunt privativi, qui vero in tertia, non universales.

3. Deinde non omnium affirmationum, quæ probantur in prima figura, est definitio, veluti hujus, omne triangulum duobus rectis æquales angulos habere. Hujus rei ratio est, quia scire rem demonstrabilem, est habere demonstrationem. Quare si hujusmodi rerum est demonstratio, perspicuum est, non posse eorumdem esse etiam definitionem; alioquin sciret quispiam etiam ratione definitionis, non habens demonstratio-

nem; nihil enim prohibet, quominus non simul habeat demonstrationem.

4. Satis autem fidem facit etiam inductio; nihil enim unquam definientes novimus ex iis, quæ vel per se insunt vel accidentia sunt. Præterea si definitio est essentiæ notificatio quædam, ejusmodi certe res constat non esse essentias. Patet igitur non omnium rerum esse definitionem, quarum est demonstratio.

1. Postquam Aristoteles ostendit, quod omnis quæstio quodammodo est quæstio medii, procedit ad explicandum, quo pacto medium nobis innotescat; et quia medium demonstrationis est definitio, investigat, quo pacto innotescat definitio. Primo ergo disputat, utrum ejusdem secundum idem possit esse definitio ac demonstratio. Et quia tripliciter potest intelligi, quod ejusdem secundum idem sit definitio ac demonstratio : primo ex eo, quod omne demonstrabile sit definibile; secundo ex eo, quod omne definibile sit demonstrabile; tertio ex eo, quod saltem aliquid idem secundum eamdem rationem sit simul definibile ac demonstrabile; — ideo primo Aristoteles proponit rationes, quibus videtur ostendi, non omne demonstrabile esse definibile; secundo proponit rationes, quibus videtur ostendi non omne definibile esse demonstrabile; tertio demum proponit rationes, quibus videtur ostendi, quod neque aliquid idem secundum eamdem rationem est simul definibile ac demonstrabile.

2. *Quoad primum* proponit Aristoteles tres rationes ad ostendendum, quod non omne demonstrabile est definibile. Prima ratio est : definitio est solum de quidditate, quæ de subjecto prædicatur universaliter et affirmative; sed demonstratio est etiam de iis, quæ prædicantur negative et particulariter, immo demonstratio in secunda figura est solum de negativis, in tertia figura est solum de particularibus; ergo multorum datur demonstratio, quorum dari non potest definitio.

3. Secunda ratio est : neque omnium, quæ demonstrari possunt universaliter affirmative in prima figura, potest dari definitio; ergo, etc. Probatur antecedens; hæc enim propositio : *omne triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis*, est demonstrabilis affirmative in prima figura; sed hæc propositio aliæque similes, non possunt sciri per definitionem; ergo, etc. Probatur minor, quia nihil aliud est scire veritatem demonstrabilem, quam ejus demonstrationem habere, sed si tales veritates scire possemus per definitionem, possemus illas scire, non habendo earum demonstrationem; definitio enim potest haberi sine demonstratione; ergo tales veritates non possunt sciri per definitionem.

4. Tertia ratio est : per demonstrationem plerumque demonstramus de subjecto passiones, quæ subjecto insunt per se, vel etiam prædicata, quæ subjecto insunt per accidens; sed per definitionem cognoscimus de subjecto solam quidditatem et essentiam, non autem passiones et prædicata accidentalia, quæ non spectant ad essentiam subjecti; ergo non omnium, quorum est demonstratio, est definitio.

5. Quid autem? quarum rerum est definitio, estne omnium demonstratio? an non? Sane una ratio etiam ad hoc quæsitum pertinet. Unius enim, qua unum est, una est scientia. Quapropter si rem demonstrabilem scire est habere scientiam, eveniet aliquid impossibile, quia definitionem habens sine demonstratione sciet.

6. Præterea principia demonstrationum sunt definitiones; quorum principiorum non esse demonstrationes, antea probatum fuit. Aut enim principia erunt demonstrabilia, necnon principiorum principia, et hoc in infinitum procedet; aut prima principia erunt definitiones indemonstrabiles.

5. *Quoad secundum* proponit Aristoteles duas rationes ad ostendendum, quod neque omnium, quorum est definitio, est demonstratio. Prima ratio est, quia, ut ante dicebatur, unum secundum eamdem rationem uno modo est scibile; ergo quod est scibile per demonstrationem, sine demonstratione non potest sciri, sed si omne definibile esset demonstrabile, posset etiam sciri per definitionem sine demonstratione; ergo non omne definibile est demonstrabile.

6. Secunda ratio est : definitiones sunt principia demonstrationum; sed non omnia principia sunt demonstrabilia, alioquin procederetur in infinitum in demonstrationibus; ergo pervenitur tandem ad aliquas primas definitiones indemonstrabiles, ac proinde non omne definibile est demonstrabile.

7. Numquid igitur, si non omnium, saltem quarundam rerum simul est definitio et demonstratio? an hoc quoque est impossibile? quia non est demonstratio ejus rei, cujus est definitio, quandoquidem definitio explicat quid res sit, et essentiam, demonstrationes autem omnes videntur supponere et sumere quid sit, veluti mathe-

maticæ, quid unitas et quid impar, et aliæ similiter.

8. Præterea omnis demonstratio probat aliquid de aliquo, veluti esse aut non esse; in definitione vero alterum alteri non attribuitur, utputa neque animal dicitur de bipede, neque hoc de animali; sed neque de plano figura, quia nec planum est figura nec figura est planum.

9. Præterea aliud est probare quid sit et probare quod sit. Definitio igitur declarat quid sit, demonstratio vero, quod hoc de hoc est aut non est.

10. Rei autem diversæ diversa est demonstratio, nisi sit ut pars quædam totius. Hoc autem ideo dico, quia probatum fuit isosceles habere tres angulos æquales duobus rectis, si probatum fuit triangulum eos habere; illud enim est pars, hoc vero est totum. Sed hæc non sunt ita inter se affecta, quod sit et quid sit, quia non est alterum alterius pars. Perspicuum igitur est, neque cujus rei est definitio, ejus omnino esse demonstrationem; neque cujus est demonstratio, ejus esse omnino definitionem; neque ullius prorsus rei posse utraque haberi. Quare constat definitionem et demonstrationem neque idem esse, nec alterum sub altero contineri; nam alioqui etiam subjecta similiter se haberent. De his igitur hactenus dubitatum esto.

7. *Quoad tertium* subjungit Aristoteles tres alias rationes ad ostendendum, quod neque aliquid idem secundum idem sit simul definibile ac demonstrabile. Prima ratio est : omnis definitio est de essentia rei, ac explicat, *quid res sit*; sed nulla demonstratio demonstrat de re, quid sit, sed supponens, *quid sit,* demonstrat passiones et proprietates; ergo nulla definitio ac demonstratio est de eodem, sed definitio est de essentia, demonstratio de passionibus. Minor probatur inductione; nam in mathematicis supponitur, quid sit unitas, quid impar, quid circulus, quid triangulus, iisque suppositis passiones demonstrantur.

8. Secunda ratio est : in omni demonstratione unum prædicatur de altero; sed in nulla definitione unum prædicatur de altero; ergo etc. Probatur minor, quia in definitione hominis, quæ sit *animal bipes, vel animal rationale,* neque animal prædicatur de bipede, neque bipes de animali, cum desit verbum *est,* quod est nota prædicationis. Rursus si aliquid definiatur *figura plana,* neque planum prædicatur de figura, neque figura de plano.

9. Tertia ratio est : aliud est, *quid res sit,* aliud, *qualis sit;* sed omnis definitio ostendit solum, *quid res sit,* ex. gr., *quod homo est animal rationale;* omnis demonstratio ostendit, qualis sit res, ex. gr., *quod homo sit risibilis;* ergo nulla definitio ac demonstratio sunt de eodem.

10. Quarta ratio est : diversorum, quorum nullum continetur in altero, sicut pars in toto, diversus est modus manifestationis; sed *quid sit res, et qualis sit res,* diversa sunt, nec alterum continetur in altero, sicut pars in toto et sicut isosceles in triangulo; ergo definitio ac demonstratio, per quarum alteram ostenditur, *quid res sit,* per alteram, *qualis sit.* diversæ sunt manifestationes, licet manifestatio, qua ostenditur, triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, non sit diversa a manifestatione, qua idem ostenditur de isoscele; ergo et definitio ita differt a demonstratione, ut neutra se habeat ad alteram, sicut pars ad totum; et definibile, hoc est, *quid sit res,* ita se habet ad demonstrabile, hoc est, *qualis sit res,* ut neutrum se habeat ad alterum, sicut pars ad totum; ergo nec omne definibile est demonstrabile, nec omne demonstrabile est definibile, quia eo ipso alterum se haberet ad alterum, sicut pars ad totum; immo, cum *quid res sit, et qualis sit,* semper mutuo differant, definibile et demonstrabile semper mutuo differunt; ergo idem secundum eamdem rationem non est definibile ac demonstrabile; est enim definibile, in quantum habet prædicata quidditativa; est demonstrabile, in quantum habet prædicata non quidditativa.

CAPUT III

DISPUTATUR, UTRUM POSSIT DEMONSTRARI, QUID SIT RES, SEU DEFINITIO REI?

1. [4]. Quid autem res sit, utrum explicatur syllogismo et demonstratione, an non explicatur, sicut præsens disputatio supponebat?

2. Syllogismus enim aliquid de aliquo probat per medium; quidditas autem est propria, et attribuitur in quæstione quid est. Hæc autem reciprocari necesse est. Nam si τὸ α est proprium τοῦ γ, constat id esse proprium etiam τοῦ β, atque hoc τοῦ γ, ; proinde omnia vicissim reciprocari.

3. Atqui si τὸ α inest omni β in quæstione quid est, et universaliter τὸ β dicitur de omni γ in quæstione quid est, necesse est etiam τὸ α dici de γ in quæstione quid est. Si quis vero sine hac geminatione sumpserit principia, non necesse erit ut τὸ α τῷ γ attribuatur in quæstione quid est.

4. Etiam si τὸ α de β dicatur in quæstione quid est, non autem τὸ β de quibus dicitur, de

iis dicatur in quæstione quid est. Ergo quid res sit, ambo hæc significabunt. Itaque etiam τὸ β significabit quid sit τὸ γ. Si igitur quid sit et quidditatem ambo significant, in medio termino ante conclusionem continebatur quid res sit.

5. Et omnino si licet probare quid sit homo, esto τὸ γ homo, τὸ α quid sit, sive animal bipes sive aliud quidpiam, si igitur concludetur, necesse est ut τὸ α attribuatur omni β. Hujus autem erit alia definitio media. Quapropter hæc quoque significabit quid sit homo. Sumit igitur quod probare oportet, quoniam τὸ β significat quid sit homo.

6. Oportet autem in duabus propositionibus et in primis atque immediatis principiis hoc considerare, maxime enim perspicuum fiet quod dicimus. Qui igitur propter reciprocationem ostendunt quid sit anima aut quid sit homo aut quævis alia res, postulant id quod ab initio quæsitum fuit, veluti si quis sibi concedi postulet animam esse id quod sibi est causa vivendi, hoc autem esse numerum se ipsum moventem. Necesse est enim ut postulet animam esse ipsissimum numerum se ipsum moventem, adeo ut idem sint. Non enim si consequens est τὸ α τῷ β atque hoc τῷ γ, propterea τὸ α erit quidditas τοῦ γ, sed tantum licebit dicere id esse verum; ne tum quidem si τὸ α ita dicatur de omni β, ut τὸ β sit id ipsum quod τὸ α. Etenim animal esse attribuitur τῷ hominem esse. Hoc enim effatum verum est, quidquid est hominem esse, est animal esse, quemadmodum et omnis homo est animal; sed non ita ut sint unum. Si quis igitur non ita sumpserit propositiones, non concludetur τὸ α esse quidditatem et essentiam τοῦ γ. Si vero ita sumpserit, ante conclusionem sumet τὸ β esse quidditatem τοῦ γ. Quare non fuit demonstratum, quia sumpsit id quod in principio quæsitum fuit.

1. Postquam Aristoteles disputavit, utrum ejusdem secundum idem sit definitio ac demonstratio, disputat utrum saltem possit demonstrari vel per syllogismum probari. quid sit res seu definitio rei. Proponit igitur duas rationes ad ostendendum, quod non possit demonstrari, quid sit res.

2. Prima ratio est: ad demonstrandum, *quid sit* subjectum, non sufficit ostendere quod subjectum est hoc, sed requiruntur ulterius duæ conditiones. Prima conditio est, ut *esse hoc* sit proprium subjecti et cum illo convertibile; quidditas enim ac definitio rei est propria ac convertibilis cum re. Secunda est, ut dicatur de subjecto quidditative, cum quidditas et definitio quidditative dicatur de subjecto ac definito. Si igitur demonstretur subjectum *esse hoc* quidditative, sed non convertibiliter, non demonstratur *quid sit subjectum,* ideoque ostendendo hominem esse animal quidditative, non demonstratur, *quid sit homo,* quia animal non dicitur de homine convertibiliter. Ex eadem ratione si demonstretur subjectum esse hoc convertibiliter, sed non quidditative, non demonstratur, *quid sit* subjectum, ideoque ostendendo hominem *esse risibilem* convertibiliter, non demonstratur *quid sit homo,* quia risibile non dicitur de homine quidditative; sed non potest de subjecto demonstrari vel per syllogismum probari, ipsum esse hoc convertibiliter et quidditative; ergo non potest de subjecto demonstrari vel per syllogismum probari, *quid sit.* — Probatur minor; ut enim de subjecto, ex. gr., de homine probetur, quod sit hoc, puta *animal rationale* convertibiliter et quidditative, debet probari per medium, puta *potens sentire et discurrere* quod medium dicatur de subjecto, hoc est de homine convertibiliter ac quidditative, et de quo medio dicatur majus extremum, hoc est *animal rationale* convertibiliter et quidditative formando talem syllogismum: *omne potens sentire et discurrere est animal rationale convertibiliter et quidditative; sed omnis homo est potens sentire et discurrere convertibiliter et quidditative; ergo omnis homo est animal rationale convertibiliter et quidditative.* Si vero vel in majori majus extremum dicatur de medio non convertibiliter et quidditative, vel in minori medium dicatur de minori extremo non convertibiliter et quidditative, non sequitur conclusio, in qua prædicatum seu majus extremum dicatur de subjecto, hoc est de minori extremo convertibiliter et quidditative.

3. Probatur et explicatur per exempla. In hoc syllogismo: *omne animal est vivens sensitivum convertibiliter et quidditative; omnis homo est animal.* — non sequitur: *ergo omnis homo est vivens sensitivum convertibiliter et quidditative,* quia licet in majori majus extremum, hoc est *vivens sensitivum,* dicatur de medio, hoc est de animali convertibiliter et quidditative, tamen in minori animal, quod est medium, dicitur de homine, quod est minus extremum, non convertibiliter, ideoque sequitur quidem conclusio: *ergo omnis homo est vivens sensitivum.* — sed non sequitur: *ergo omnis homo est vivens sensitivum convertibiliter,* cum de facto *vivens sensitivum* non sit convertibile cum homine. Similiter in hoc syllogismo: *omne animal rationale est vivens; omnis homo est animal rationale convertibiliter*

et quidditative, non sequitur : *ergo omnis homo est vivens convertibiliter et quidditative,* quia licet in minori medium, quod est *animal rationale,* prædicetur de homine, quod est minus extremum, convertibiliter et quidditative, tamen in majori vivens, quod est majus extremum, non prædicatur de medio, quod est *animal rationale,* convertibiliter.

4. Hoc posito ad concludendum, quid sit homo convertibiliter et quidditative, debet assumi medium, quod in minori prædicetur de homine convertibiliter et quidditative, formando hunc syllogismum : *omne potens sentire et discurrere est animal rationale convertibiliter et quidditative; omnis homo est potens sentire et discurrere convertibiliter et quidditative; ergo omnis homo est animal rationale convertibiliter et quidditative;* sed si in minori medium prædicatur de homine convertibiliter et quidditative, jam medium est definitio hominis, adeoque in minori assumitur, *quid sit homo;* ergo ad demonstrandum, quid sit homo, debet in minori assumi, quid sit homo, adeoque debet peti principium; ergo demonstrari non potest, quid sit homo et quid universim sit res, sine petitione principii; ergo simpliciter demonstrari non potest, quid sit res.

5. Confirmatur primo, quia si illa minor : *omnis homo est potens sentire ac discurrere convertibiliter ac quidditative,* deberet probari per aliud medium, quod vocetur D, in minori illud medium deberet prædicari de homine convertibiliter et quidditative; ergo ad probandum, quid sit homo, rursus assumi deberet, quid sit homo; ergo non potest absolute demonstrari, quid res sit.

6. Confirmatur secundo ponendo exemplum. Sit demonstrandum de anima quod sit causa se ipsam movendi convertibiliter et quidditative; assumatur ut medium *numerus seu substantia se ipsam movens,* juxta Platonicos, qui substantias vocabant numeros, et formetur sequens syllogismus : *omnis numerus seu substantia se ipsam movens est sibi causa vivendi convertibiliter et quidditative ; omnis anima est numerus seu substantia se ipsam movens; ergo omnis anima est sibi causa vivendi convertibiliter et quidditative,* — patet, quod ad demonstrandam definitionem explicantem, quid sit anima, assumitur in minori definitio explicans, quid sit anima; et si rursus probanda esset illa minor, deberet assumi minor explicans, quid sit anima, et sic in infinitum.

7. [5] Neque vero via illa concludit, quæ per divisiones absolvitur, sicut in resolutione ad figuras syllogismorum pertinente dictum fuit.

8. Nunquam enim necesse est ut, cum hæc sint, res illa sit, quemadmodum nec inducens demonstrat ; non debet enim conclusio interrogari, nec ideo esse, quia concessa fuerit ; sed necessario est, cum illa sint, etiam si non fateatur qui respondet. Homo estne animal an inanimum ? tunc sumpsit esse animal, non conclusit. Rursus omne animal aut est pedestre aut aquatile. Sumpsit hominem esse pedestre. Et hominem esse totum illud, animal pedestre, non necesse est ex iis quæ dicta fuerunt, sed hoc quoque sumit. Nihil autem refert utrum in multis an in paucis ita fiat ; idem namque est. Iis igitur qui ita progrediuntur, ineptus fit usus divisionis vel ad ea concludenda quæ alias syllogismo concludi possunt.

9. Quid enim prohibet, quominus totum hoc vere dicatur de homine, non tamen significet quid sit et quidditatem ?

10. Præterea quid vetat vel adjicere quidpiam vel detrahere vel transilire, ad essentiam pertinens ?

7. Posset aliquis dicere non posse quidem demonstrari de subjecto, *quid sit,* per medium convertibile, posse tamen demonstrari per viam divisionis, incipiendo a supremo genere ac descendendo usque ad ultimam differentiam, et sic ex. gr., argumentando : *homo vel est substantia vel accidens ; non est accidens; ergo est substantia. Rursus vel est substantia corporea vel incorporea; non est substantia incorporea ; ergo est substantia corporea,* et sic deinceps usque dum concludatur, quod homo est animal rationale.

8. Contra hunc modum dicendi proponit Aristoteles secundam rationem, qua ostendit neque posse per viam divisionis demonstrari *quid sit res.* Ut enim dictum est primo Priorum sect. II, cap. XXIX, per viam divisionis nunquam potest fieri syllogismus, in quo positis præmissis necessario sequatur conclusio; sed ad demonstrationem requiritur, ut ex positis præmissis necessario sequatur conclusio; ergo per viam divisionis non potest demonstrari, *quid sit res.*—Probatur major; vel enim divisio est per membra contradictoria, ut cum animal dividitur in rationale et irrationale; vel non est per membra contradictoria, ut cum animal dividitur in rationale, hinnibile, rugi-

bile etc.; si divisio fit per membra contradictoria, petitur principium; si non fit per membra contradictoria, nisi petatur principium, conclusio non sequitur necessario ex præmissis; ergo, etc.—Probatur prima pars minoris; dum enim arguimus : *homo vel est rationalis vel irrationalis; non est irrationalis; ergo est rationalis;* — si irrationale contradictorie opponitur rationali, idem est *non esse irrationale ac esse rationale,* cum duæ negationes affirment, atque idem sit auferre unam partem contradictionis, et ponere aliam partem contradictionis; ergo si argumentamur per divisionem ex membris contradictoriis, petimus principium et probamus unam partem contradictionis per negationem alterius, quod est probare idem per idem. — Probatur jam secunda pars minoris; si enim argumentamur ex divisione per membra non contradictoria, ex tali divisione non constat membra enumerata esse omnia; sed si membra enumerata non sunt omnia, non sequitur ex necessitate conclusio. Ergo non sequitur : *homo vel est animal rationale vel rugibile; sed non est animal rugibile; ergo est animal rationale,* quia in divisione posita in majori non sunt enumeratæ omnes species animalis; ergo si argumentemur per membra non contradictoria, conclusio non sequitur ex necessitate. Explicatur exemplo inductionis. Inductio enim non necessario ex singularibus concludit universale, quia inducendo non manifestatur, utrum singularia sint omnia; ex. gr., dicendo : *hic ignis calefacit; hic calefacit* etc., non manifestatur ignes inductos esse omnes, ideoque non sequitur ex necessitate : *ergo omnis ignis calefacit;* si vero assumatur in antecedente : *et sic de aliis,* petitur principium. Proportionaliter in divisione alicujus universalis in suas partes subjectivas per membra non contradictoria, non manifestatur quod tales partes sint omnes; ergo ex negatione aliarum partium enumeratarum non sequitur affirmatio partis reliquæ; si vero in minori assumatur : *et sic de reliquis,* petitur principium. Ex. gr., si quis arguit : *omne animal vel est rationale vel hinnibile vel rugibile, vel in aliqua alia specie; sed homo est animal, non rugibile, non hinnibile, nec in ulla alia specie a rationali,* — jam petit ut concedatur hominem esse animal, et non in ulla alia specie a rationali, quod est hominem esse animal rationale, adeoque petitur principium, et probatur idem per idem; ergo argumentum ex divisione vel non necessario concludit, vel petit principium; ergo non potest demonstrari, quid sit res, per viam divisionis.

9. Confirmatur, quia licet per viam divisionis probari posset hominem vere esse animal rationale, adhuc non probaretur hominem esse animal rationale quidditative; sed ad demonstrandum, *quid sit res,* non sufficit ostendere, quod res sit hoc, sed debet etiam ostendi, quod res sit hoc quidditative; ergo etiamsi argumentum ex divisione concluderet necessario, adhuc non demonstraret, *quid sit res.*

10. Confirmatur secundo, quia ad cognoscendum, quid sit res, debent de re cognosci omnia et sola prædicata quidditativa; sed etiamsi per viam divisionis demonstraretur subjectum *esse hoc,* adhuc non ostenderetur hoc continere omnia et sola prædicata quidditativa rei, ita ut nullum sit omissum prædicatum quidditativum, nullum sit additum prædicatum non quidditatium, ergo, etc.

11. Hæc igitur vitia committuntur quidem, vitari tamem possunt, si accipiantur omnia attributa in quæstione quid est; et primo postulato, divisione constituatur ordo eorum quæ deinceps in definitione poni debent; ac nihil prætermittatur. Hoc autem necessarium est, si omnia in divisionem cadunt et nihil deest; jam enim individuum esse oportet.

12. Verumtamen syllogismus non est; sed si notum facit, alio modo notum facit. Atque hoc non est absurdum, quia fortasse nec inducens demonstrat, aliquid tamen declarat. Per syllogismum autem non colligit, qui ex divisione eligit definitionem.

13. Ut enim in conclusionibus, quæ sine mediis inferuntur, si quis dicat his positis necesse esse ut hoc sit, potest interrogari et quæri quamobrem, sic etiam fieri potest in definitionibus, quæ per divisionem probantur. Quid est homo? animal mortale, pedes habens, bipes, pennis carens. Quid ita? secundum quamque adjectionem. Dicet enim et ostendet divisione, ut putat, quia omne animal est vel mortale vel immortale. Tota autem hæc oratio non est definitio. Quare etiam si demonstretur divisione, tamen definitio non efficitur syllogismo.

11. Posset his rationibus responderi, quod argumentans per viam divisionis poterit incipere a supremo genere, atque illud dividere per immediatas differentias quidditativas, et sic descendere usque ad ultimam differentiam quidditativam, sumendo solas differentias quidditativas

et nullam omittendo; sed procedendo hoc pacto de specie ultima atque indivisibili in alias species, concluderet *quid sit*, explicando omnia et sola prædicata quidditativa ipsius; ergo procedendo hoc pacto poterit per viam divisionis concludi, quid sit res, explicando omnia et sola prædicata quidditativa rei. — Declaratur quod dictum est posito exemplo. Ut quis ostenderet, quid sit homo, posset sumere substantiam, quæ est supremum genus hominis, atque illam per immediatas differentias quidditativas dividendo in corpoream et in incorpoream sic argumentari: *omnis substantia vel est corporea vel incorporea; homo est substantia, et non incorporea; ergo homo est substantia corporea sive corpus; omne corpus vel est animatum seu vivens vel inanimatum; homo est corpus et non inanimatum; ergo homo est corpus animatum seu vivens; omne vivens vel est sensitivum vel insensitivum; homo est vivens, et non insensitivum; ergo homo est vivens sensitivum sive animal; omne animal vel est rationale vel irrationale; homo est animal et non irrationale; ergo homo est animal rationale;*—et quia animal rationale non potest ulterius dividi in animalia rationalia diversæ speciei, ideo animal rationale est tota quidditas hominis, qui est species infima atque indivisibilis in alias species. Quia ergo sumpta sunt per divisionem omnia et sola prædicata quidditativa hominis, demonstratum est, *quid sit homo*, per adæquatam definitionem quidditativam.

12. Impugnat Aristoteles hanc responsionem, quia licet posset quis modo explicato per viam divisionis descendere ad cognoscendum, quid sit res, non tamen ex præmissis syllogizaret quid sit res, sicut cum quis per inductionem ex singularibus ascendit ad cognitionem universalis, non tamen syllogistice ex præmissis singularibus concludit universale; sed ad demonstrandum *quid sit res* debet concludi syllogistice ac necessario ex præmissis, *quid sit res*; ergo per viam divisionis non demonstratur, *quid sit res.*

13. Confirmatur, quia sicut cum per enthymema vel alium modum argumentandi, in quo medius terminus et extrema non disponuntur syllogistice, infertur conclusio, potest quæri, cur ex tali antecedenti sequatur conclusio, sic cum per divisionem infertur definitio, potest quæri, cur id, quod per talem definitionem infertur, sit definitio adæquata rei; sed ad hoc, ut definitio sit demonstrata de subjecto, debet ex vi præmissarum esse manifestum, *propter quid* illa sit definitio adæquata subjecti, cum demonstratio debeat manifestare *propter quid;* ergo licet per viam divisionis assequeretur quis definitionem adæquatam subjecti, adhuc non demonstraret definitionem de subjecto. Ex. gr., in exemplo posito, licet per divisionem quis assequeretur, quod homo est animal rationale, adhuc non demonstraret, quod definitio adæquata hominis est, *esse animal rationale,* cum per divisionem non manifestetur ex præmissis, propter quid *animal rationale* sit definitio adæquata hominis. Quod nos exemplificavimus de vera definitione hominis, quæ est, *animal rationale,* exemplificat Aristoteles de alia definitione supposititia, per quam homo definiebatur a Platonicis: *animal mortale, implume, bipes.*

CAPUT IV

DISPUTATUR, UTRUM DEMONSTRARI POSSIT, QUID SIT RES EX IPSA DEFINITIONE DEFINITIONIS VEL EX DEFINITIONE CONTRARII.

1. [6] Sed numquid potest ex hypothesi demonstrari quid res sit secundum essentiam, his propositionibus sumptis, quidditatem nihil aliud esse quam id quod constat ex attributis in quæstione quid est, et est rei proprium; hæc vero in quæstione quid est, sola attribui, et totum esse rei proprium? Hæc enim est ejus essentia.

2. An rursus in hac quoque probatione sumpsit quidditatem? Necesse est enim per medium probare.

3. Præterea quemadmodum in ratiocinatione non sumitur quid sit ratiocinari, quia semper propositio est vel totum vel pars, ex quibus constat ratiocinatio, ita etiam quid res sit non debet esse in syllogismo, sed seorsum ab iis quæ posita sunt. Et adversus dubitantem utrum hoc conclusum sit an non, occurrendum est conclusum esse, quia hoc erat syllogismus Et adversus dicentem non fuisse conclusum quid sit, asserendum est id fuisse conclusum, quia hoc a nobis positum fuerat esse quid res sit. Quare necesse est ut conclusum quidpiam sit sine definitione syllogismi vel ipsius quid est.

1. Posset aliquis existimare, demonstrari posse, quid sit res, ex ipsa definitione quidditatis ac definitionis, supponendo illam ut præmissam demonstrationis ac sic argumentando : quidditas ac definitio rei est, quæ ita est propria rei, ut de ipsa dicatur quidditative; sed

animal rationale ita est proprium hominis, ut de homine dicatur quidditative; ergo animal rationale est quidditas ac definitio hominis.

2. Contra hunc modum dicendi disputat Aristoteles ac proponit duas rationes. Prima ratio est, quia etiam in hac argumentatione ad probandum, *quid sit res*, sumitur, *quid sit res*, adeoque probatur idem per idem ac petitur principium; ergo etc.— Probatur antecedens; sumitur enim in minori, quod *esse animal rationale*, ita est proprium hominis, ut dicatur de homine quidditative; sed hoc ipsum est animal rationale esse quidditatem hominis; ergo sumitur quidditas hominis, cum ad demonstrandum, quid sit homo, non deberet assumi ut medium, quod *esse animal rationale* sit proprium hominis, ita ut de homine dicatur quidditative, sed hoc ipsum deberet probari per aliud medium, quod ostensum est supra, fieri non posse sine petitione principii.

3. Secunda ratio est, quia sicut cum argumentamur syllogizando, non assumimus ut præmissam definitionem syllogismi, sed assumimus solum ut præmissas duas propositiones, quarum altera, quæ est major, se habet ad minorem sicut totum ad partem, eo quod major regulariter sit universalior minore; sic cum syllogizamus *quid sit res*, non debet assumi ut præmissa definitio definitionis. Verumtamen et dum syllogizamus, debemus habere in mente definitionem syllogismi, ut si quis neget ratiocinationem factam esse syllogismum, possimus probare illam esse syllogismum, ex eo quod ipsi conveniat definitio syllogismi, et dum syllogizamus, *quid sit res*, debemus habere in mente definitionem definitionis, ut si quis neget syllogizatam esse definitionem, possimus id probare ex definitione definitionis.

4. Idem est, etsi quis ex hypothesi ostendat; veluti si essentia mali est esse dividuum, contrarii vero est essentia contraria, contrarii inquam quibuscumque est aliquid contrarium; bonum autem malo est contrarium et individuum dividuo; est igitur boni essentia, esse individuum.

4. Nam hic quoque probat, cum sumpserit quidditatem; eam autem sumit ut probet quid sit. Atqui hæc diversa sunt. Esto. Etenim in demonstrationibus sumitur hoc dici de hoc; non tamen id ipsum quod demonstrari debet, neque id cujus est eadem ratio et quod reciprocatur,

6. Jam vero adversus utrosque, id est et adversus eum qui per divisionem probat et adversus syllogismun ita exstructum, eadem est dubitatio, cur homo erit animal bipes pedestre non animal et pedestre. Ex iis enim quæ sumpta fuerunt, nulla necessitas cogit, ut quod attribuitur fiat unum; sed fortasse perinde erit, ut idem homo est et musicus et grammaticus.

7. [7] Quomodo igitur definiens probabit essentiam vel quid sit? Non enim planum faciet ut demonstrans ex iis quæ esse conceduntur, quia necesse est, cum illa sint, aliud quiddam esse; demonstratio namque hoc est. Nec ut inducens ex singularibus notis, quod omne ita se habet, quia nullum aliter se habet. Inductio namque non probat quid sit, sed quod sit vel non sit. Quis igitur alius modus reliquus est? Non enim sane ostendet sensu vel digito.

4. Dici posset, definitionem unius rei demonstrari posse, supponendo ut præmissam definitionem alterius rei; ex. gr., posse definitionem unius contrarii demonstrari ex definitione alterius contrarii, sic argumentando: contrariorum essentia ac definitio est contraria; sed essentia mali, quod est contrarium bono, consistit in divisione ac divisibilitate, ideoque quodlibet refugit divisionem sui ut malum; ergo essentia boni consistit in indivisibilitate et unitate contraria divisibilitati, ideoque quodlibet conservat suam unitatem tanquam bonum suum.

5. Contra hunc modum dicendi disputat Aristoteles, primo, quia etiam in hac argumentatione ad probandum *quid*, assumitur *quid;* ergo etiam in hac argumentatione petitur principium, et probatur idem per idem. Neque dicas, quod ad probandum, *quid sit* unum, assumitur, *quid sit* aliud, quod sine vitio fieri potest. Nam in demonstratione non solum non debet assumi idem, sed neque debet assumi aliud ejusdem rationis, et non magis notum, quam conclusio probanda, et quod sit tale, ut posset ipsum æque bene probari per conclusionem, ac conclusio probetur per ipsum; sed quod malum consistat in divisibilitate et bonum in indivisibilitate, sunt ejusdem rationis, æque nota, ac potest utrumlibet eodem jure probari per aliud; ergo, etc.

6. Secundo arguit Aristoteles ratione communi contra eos, qui dicunt posse demonstrari *quid sit res*, vel per viam divisionis, vel per definitionem definitionis, vel per definitionem contrarii; quia ad demonstrandum, *quid sit res*, non sufficit ostendere, quod res sit hoc vel illud, sed ulterius est ostendendum, quod omnia prædicata sunt unum, et faciunt unam

quamdam naturam. Ex. gr., ad demonstrandum, *quid sit homo*, non solum ostendi debet, hominem esse animal rationale, sed etiam animal et rationale unum esse, cum quidditas debeat esse una; sed hoc neque demonstratur per viam divisionis, neque per viam suppositionis; ergo, etc. —Probatur minor; quia juxta dictas vias nihil assumitur in præmissis, ex quo necessario sequatur animal et rationale esse unum, magis quam musicus et grammaticus sint unum.

7. Ex his epilogat Aristoteles argumenta allata et concludit, nullo pacto posse demonstrari *quid sit res*. Si enim posset demonstrari, vel posset demonstrari per syllogismum, vel per inductionem; non potest demonstrari per syllogismum, ut hactenus ostensum est, neque per inductionem; ergo, etc. Probatur secunda pars minoris, quia per inductionem potest solum ex eo, quod aliquod prædicatum conveniat vel non conveniat singularibus, ostendi, quod convenit vel non convenit universali; quod vero tale prædicatum sit quidditas universalis, ostendi non potest. Ex. gr., potest per inductionem ex eo, quod hic et ille homo sit animal rationale, ostendi, quod *omnis homo est animal rationale*, quod vero *animal rationale* sit quidditas hominis, ostendi non potest; ergo cum neque per syllogismum neque per inductionem possit demonstrari, *quid sit res*, non potest simpliciter demonstrari, *quid sit res*. Non enim superest alius modus demonstrationis. Demonstratione enim digitali, qua demonstrantur sensibilia, profecto quidditas, quæ non est sensibilis, demonstrari nequit.

8. Præterea quomodo ostendet quid sit homo? Necesse enim est ut qui cognoscit quid sit homo aut quidvis aliud, cognoscat etiam quod sit. Quod enim non est, nemo novit quid sit, sed quid significet oratio vel nomen, ut cum dico hircocervus. Quid autem sit hircocervus, cognosci non potest. At vero, si ostendet quid sit et quod sit, quomodo eadem oratione utrumque ostendet? Nam definitio unum quid declarat, nec non demonstratio ; quid autem sit homo, et esse hominem, differunt.

9. Deinde necessarium esse dicimus, ut per demonstrationem quidvis probetur esse, nisi sit essentia. Esse autem nullius reî essentia est, quandoquidem ens non est genus. Demonstratione igitur probabitur esse

10. Quod quidem etiam scientiæ nunc faciunt. Quid enim triangulum significet, geometra sumpsit ; quod autem sit, probat. Quid igitur probabit definiens quid sit? An triangulum ? Cognoscens igitur quispiam definitione quid sit, ignorabit an sit. Sed hoc est impossibile.

11. Perspicuum autem est, etiam secundum modos definitionum, qui nunc observantur, definientes non probare quod sit. Nam etsi est æqualitas linearum ex medio ductarum, tamen cur est ipsum definitum ? et cur hoc est circulus ? Nam dici etiam poterit orichalci esse eamdem definitionem, quandoquidem definitiones neque declarant esse posse id quod dicitur, nec esse illud cujus aiunt esse definitionem. Sed semper licet dicere quamobrem?

8. Postquam Aristoteles disputavit contra varios modos, quibus videbatur posse demonstrari, *quid sit res*, probat universim rationibus communibus non posse demonstrari, *quid sit res*. Prima ratio est, quia impossibile est, ut sciamus, *quid sit homo*, vel quodlibet aliud, nisi sciamus illud esse possibile. Quod enim non est possibile, nullam habet quidditatem, adeoque non potest de ipso sciri, *quid sit*, seu quam habeat quidditatem, sed solum potest cognosci, quid significet nomen, eo pacto quo cognoscitur, quid significet hoc nomen *hircocervus;* ergo si per demonstrationem ostenditur, *quid sit res*, per eamdem manifestatur illam esse; sed non potest una et eadem definitione vel demonstratione ostendi *quid res sit*, et rem esse; ergo non potest per demonstrationem ostendi *quid res sit*. Probatur antecedens assumptum. Una enim definitio est unius definibilis, et una demonstratio unius est demonstrabilis; sed in creaturis *esse* et *quid est* non sunt unum et idem, ex. gr., non idem est quidditas hominis, et hominem esse; ergo non potest una et eadem definitione ostendi *rem esse*, et *quid sit*.

9. Secunda ratio est, quia per definitionem solum cognoscitur quidditas atque essentia rei; ergo quando *esse* non est quidditas rei, non cognoscitur definitione, sed demonstratione; sed *esse* non est essentia et quidditas ullius creati; ergo rem esse non ostenditur definitione, vel ulla ratione explicante, *quid sit res*, sed ostenditur demonstratione, quæ distinguitur a definitione, et universim nunquam eadem ratione ostenditur, *quid res sit*, et *quod est*. Quod vero *esse* non sit quidditas ullius creati, probatur, quia si *esse* esset quidditas ac prædicatum quidditativum, ens, quod significat *esse*, esset genus, ac significaret quidditatem, ac prædicaretur *in quid*, quod est falsum.

10. Tertia ratio est, quia scientiæ de

facto supponunt, quid res sit, seu quid significet nomen, et procedunt ad demonstrandum id, quod significat nomen. Ex. gr., geometra supponit, quid significet triangulum, ac demonstrat triangulum dari seu posse construi; ergo non eadem ratione ostenditur *esse* et *quid est;* ergo posset accidere, ut quis demonstrans, *quid res sit,* adhuc nesciret illam esse, quod est impossibile. Ut enim jam dictum est, qui ignorat an aliquid sit, saltem in virtute causarum, non potest sciri, *quid sit.*

11. Quarta ratio est, quia definitiones, quæ de facto assignantur in scientiis, non ostendunt rem esse. Ex. gr., definitio geometrica, qua circulus definitur: *figura, intra quam est punctum, a quo omnes lineæ rectæ ad circumferentiam ductæ, sunt æquales,* non ostendit circulum esse, neque *propter quid* circulus tale quid sit. Posset enim quispiam dicere tales definitiones dari posse etiam de aliquo impossibili, ex. gr., de Orichalco, quod hic ab Aristotele sumitur pro monte æneo, cum tales definitiones non manifestent possibile esse id, quod per illas describitur, neque quod tales definitiones sint potius hujus quam alterius, sed semper remaneat quærendum *propter quid* est possibile id, quod definitur, et propter quid habet illam quidditatem, quæ de ipso dicitur. Ergo constat non posse per eamdem rationem ostendi rem esse, et quid sit.

12. Si igitur definiens probat, vel quid sit vel quid nomen significet, si nullo modo significet quid res sit,

13. definitio erit oratio idem significans quod nomen. Atqui hoc absurdum est. Primum enim esset etiam non substantiarum et non entium, quoniam etiam non entia possunt aliquid significare.

14. Præterea omnes orationes possent esse definitiones ; licet enim nomen imponere cuivis orationi. Quare omnes disceptationes essent definitiones, et Ilias esset definitio.

15. Præterea nulla scientia demonstrat hoc nomen hanc rem significare ; ergo nec definitiones hoc declarant.

16. Ex his igitur nec definitio et syllogismus videntur idem esse, neque ejusdem rei esse syllogismus et definitio. Insuper dicendum videtur definitionem nec demonstrare nec probare ullam rem ; et quid res sit, nec definitione nec demonstratione cognosci posse.

12. Posset responderi quod quandoquidem definitio ex una parte non potest ostendere, quid res sit, nisi ostendat rem esse, ex alia vero parte propter rationes allatas non potest una et eadem ratio simul de re ostendere, quod est, et quid est, definitio non est ratio ostendens, quid res sit, sed solum quid significet nomen.

13. Impugnat Aristoteles hanc responsionem ; absurdum est enim definitionem esse rationem explicantem, quid significat nomen; ergo etc. Probatur antecedens tripliciter; primo, quia sequeretur, quod posset etiam dari definitio impossibilium, quæ nullam habent essentiam, nec sunt a parte rei, neque in seipsis, neque in causis; nam etiam impossibili potest nomen imponi, eo pacto quo impositum est nomen hircocervo, chimeræ etc.

14. Secundo, quia sequeretur, quod omnes orationes essent definitiones; cuivis enim orationi potest imponi unum nomen ; ergo quandoquidem talis oratio est oratio explicans, quid tale nomen significet, erit definitio; ergo dici potest, quod quidquid loquimur, est definitio ; et quia etiam Ilias est oratio, quam significat hoc nomen Ilias, poterit dici, quod etiam Ilias est definitio.

15. Tertio, scientia non ostendit, quid significent nomina, quibus utitur in conclusione, sed supponens significationem talium nominum, demonstrat verum esse quod iis nominibus significatur ; ergo definitio non ostendit, quid significet nomen, sed supponens significationem nominis, explicat, quæ sit natura rei significatæ.

16. Ex dictis cap. II, III, et IV, concludit Aristoteles verisimile videri, quod neque idem sunt definitio ac demonstratio, neque definitio demonstrat, *quid sit res,* immo impossibile est, ut *quid sit res,* demonstratione simul ac definitione demonstretur.

CAPUT V

RESOLVITUR QUÆSTIO ET EXPLICATUR, AN ET QUOMODO POSSIT MANIFESTARI DEMONSTRATIONE VEL DEFINITIONE, *quid sit res* ; ET QUO PACTO DEFINITIO SE HABEAT AD DEMONSTRATIONEM

1. [8] Rursus autem considerandum est, quid horum dicatur recte, quid non recte, et quid sit definitio ; et quidditatis utrum aliquo modo sit demonstratio et definitio, an nullo modo.

2. Quoniam igitur idem est, ut supra diximus, nosse quid sit, et nosse causam ipsius quid sit ; oratio autem hujus est, quia est aliqua causa ;

atque hæc vel eadem vel alia ; et si sit alia, vel est demonstrabilis vel indemonstrabilis : ergo si causa est alia et potest demonstrari, necesse est ut causa illa sit medium,

3. et in prima figura probetur. Quod enim probatur, est universale et attributivum. Unus igitur modus est is, quem nunc inquisivimus, nempe ut per aliud probetur quid sit. Etenim ad probandum quid sit, pro medio sumitur quid sit ; et ad probanda propria proprium. Quare ex duabus quidditatibus ejusdem rei alteram probabit, alteram non probabit. Hunc igitur [illegible]um non esse demonstrationem antea dictum [illegible], sed est logicus syllogismus ipsius quid sit.

1. Præmissa disputatione, in qua Aristoteles disputavit, an possit idem ostendi definitione ac demonstratione, et an possit demonstrari, quid sit res, accedit ad resolvendam quæstionem et ad determinandum, quid in rationibus allatis bene vel male dictum sit. Primo igitur examinat, an et quomodo possit manifestari demonstratione vel definitione, *quid res sit*, an potius nullo modo possit id ostendi ; secundo examinat, quid sit definitio, et quo pacto se habeat ad demonstrationem.

2. *Quoad primum* ponit Aristoteles tres conclusiones. Prima conclusio est : potest unum *quid est* rei, ostendi per aliud *quid est* ejusdem. Probatur ; ut enim supra dictum est, *quid est* seu quidditas est quædam causa essendi rei, ideoque cum scimus *quid res sit*, scimus causam, propter quam ; sed sæpe eadem res præter causas intrinsecas, hoc est materiam et formam, habet etiam causas extrinsecas, hoc est efficientem et finalem, et sæpe causæ intrinsecæ sunt demonstrabiles per extrinsecas, tanquam per causas priores, eo pacto quo materia et forma sunt demonstrabiles per causam finalem ; ergo tum sicut una causa potest ostendi per aliam priorem, sic *quid est* explicans unam causam, poterit ostendi per *quid est* explicans aliam causam. Ex. gr., *quid est* explicans materiam et formam, quæ sunt causæ intrinsecæ et posteriores, poterit explicari per *quid est* explicans causam finalem, quæ est causa extrinseca et prior.

3. Explicatur exemplo. *Quid est* serræ est causa essendi serræ, sed serra et habet causas intrinsecas, hoc est materiam et formam, et priorem causam extrinsecam, hoc est finem ; ergo serra et habet quidditatem explicantem causas intrinsecas, qualis quidditas est, ut serra sit ferrum dentatum, et habet quidditatem priorem explicantem finem, quæ quidditas est, ut serra sit instrumentum aptum ad secandum ; sed ratio, quare serra secundum materiam debet esse ferrea, secundum formam dentata, est, ut sit apta ad secandum ; ergo quidditas, quæ desumitur ex fine, est ratio quidditatis, quae desumitur ex materia et forma ; sed quod est ratio alterius, potest assumi ut medium ad illud ostendendum ; ergo quod serra sit instrumentum aptum ad secandum, potest assumi ut medium ad ostendendum, quod serra sit ferrum dentatum, ac potest fieri sequens syllogismus demonstrativus : *omne instrumentum aptum ad secandum est ferrum dentatum; sed serra est instrumentum aptum ad secandum ; ergo serra est ferrum dentatum ;* ergo potest de subjecto una definitio ostendi ex alia definitione priori. Et quia definitio dicitur de subjecto universaliter affirmative, quod vero dicitur de subjecto universaliter affirmative, non potest concludi, nisi in primo modo primæ figuræ, hoc est in Barbara, ideo definitio non potest de subjecto ostendi, nisi per syllogismum in Barbara. Porro illa definitio, quæ cum explicet primam causam, non habet definitionem priorem, concludi hoc pacto non potest. Proprium enim non potest concludi, nisi ex proprio, ac definitio non potest concludi, nisi ex definitione ; sed prima definitio non habet ante se definitionem priorem ; ergo prima definitio non potest concludi. Addit Aristoteles, quod licet hoc modo non demonstretur *quid sit res*, ut probatum est supra, cap. IV, adhuc dialectice ostenditur *quid sit res*.

4. Quo autem modo fieri hoc possit, repetito initio dicamus. Ut namque quærimus cur sit, cum scimus quod sit, interdum vero ambo simul manifesta fiunt, sed non prius cognosci potest cur sit quam quod sit, ita plane quid sit, cognosci non potest sine cognitione quod sit. Fieri enim nequit ut qui ignorant an sit, cognoscant quid sit.

5. An autem sit, interdum per accidens cognoscimus, interdum cognoscentes aliquid ipsius rei, veluti esse tonitruum, quia est sonus quidam nubium, et esse eclipsin, quia est privatio luminis, et esse hominem, quia est animal quiddam, et esse animam, quia est quod se ipsum movet.

6. Quæcumque igitur per accidens novimus quod sint, ad cognoscendum quid ea sint, necesse est ut nullo modo simus comparati, quia ne quod sint quidem novimus ; quærere autem quid sit, cum ignoretur quod sit, profecto est

nihil quærere. Quarum autem rerum aliquid cognoscimus, facile est quærere quid eæ sint. Quocirca ut cognoscimus quod sit, ita sumus apti ad cognoscendum etiam quid sit.

4. Secunda conclusio est : potest, *quid res sit,* aliquando elici ex demonstratione. Ut conclusionem probet, tria præmittit. Primum est : sicut possumus quidem scire rem esse talem, ex. gr., lunam eclypsari, et adhuc quærere adeoque ignorare, *propter quid sit talis,* ex. gr., *propter quid luna eclypsatur;* rursus possumus simul cognoscere rem esse talem, et propter quid sit talis, ex. gr., lunam eclypsari, et propter quid eclypsetur; at non possumus scire propter quid res sit talis, et simul ignorare rem esse talem, ex. gr., non possumus scire, propter quid luna eclypsatur, et simul ignorare, an eclypsetur; — sic proportionaliter possumus scire rem esse, et ignorare, *quid sit;* possumus rursus simul scire rem esse, et quid sit; at non possumus quærere et cognoscere *quid sit res,* nisi cognoscamus illam esse.

5. Secundum est : dupliciter possumus cognoscere rem esse, ita ut ignoremus *quid sit.* Primo ita, ut cognoscamus illam esse solum secundum aliquod prædicatum conveniens illi per accidens, ita ut posset non convenire; secundo, ut cognoscamus rem esse secundum aliquid ipsius, hoc est secundum aliquid essentiale rei. Primo modo qui videt lunam moveri, cognoscit dari motorem lunæ sub hoc prædicato *motoris,* quod fortasse convenit illi solum per accidens; secundo modo, qui audit tonitruum, cognoscit tonitruum esse sub hoc prædicato, quod est *esse sonum quemdam in nube,* quod prædicatum est essentiale tonitruo, licet non sit tota essentia tonitrui; et qui videt eclypsim, scit eclypsim esse sub prædicato *privationis luminis,* quod est essentiale eclypsi; et scimus esse hominem sub prædicato cujusdam animalis, quod est de essentia hominis; et scimus esse animam sub prædicato *moventis se,* quod est de essentia animæ. In omnibus igitur exemplis explicatis ita cognoscimus rem esse, ut cognoscamus partialiter, *quid sit,* licet adhuc ignoremus quid sit adæquate et totaliter.

6. Tertium est : cum cognoscimus rem esse solum per accidens, adhuc non sumus satis dispositi ad quærendum et inveniendum, *quid sit;* cum autem cognoscimus rem esse secundum aliquid ipsius, tum sumus dispositi ad quærendum et inveniendum, *quid sit.* Ratio est, quia de illo possumus vere quærere et invenire, *quid sit,* de quo vere et proprie scimus, *quod est;* sed cum scimus rem esse solum per accidens, non tam scimus rem esse, quam esse accidens talis rei; ex. gr., dum scimus dari motorem lunæ, cum hoc, quod est *esse motorem,* accidat ei substantiæ, quæ movet, non tam scimus dari illam substantiam, quam hoc accidens movendi convenire alicui substantiæ; ergo non tam sumus dispositi ad quærendum et inveniendum, *quid sit res,* quam ad quærendum et inveniendum *quid sit* id, quod accidit rei. E converso cum scimus rem esse secundum aliquid ipsius, proprie scimus illam esse; ergo tum sumus dispositi ad quærendum et inveniendum *quid sit.*

7. Quorum igitur aliquid cognoscimus pertinens ad essentiam, primum esto hoc exemplum. Eclipsis, ubi α; luna, ubi γ; oppositio terræ, ubi β. Quærere igitur utrum luna deficiat an non, nihil aliud est quam quærere an τὸ β sit necne. Quod perinde est ac si quæratur an sit ejus ratio. Et si sit hoc, illud quoque dicimus esse. Vel ut alterum exemplum proponam, quærimus utrius contradictionis ratio sit, utrum habendi duos angulos rectos an non habendi. Cum autem invenimus, simul cognoscimus quod sit et cur sit, si per media demonstratum sit. Sin minus, cognoscimus tantum quod sit, non cur sit. Luna sit γ, eclipsis α; in plenilunio umbram non posse facere, cum nihil inter nos interjectum appareat, ubi β. Si igitur τῷ γ inest τὸ β, id est non posse umbram facere, cum nihil sit nobis interjectum, atque huic τὸ α, nempe deficere, certe quod deficiat manifestum est, cur autem deficiat, nondum constat; et quod sit eclipsis, cognoscimus, quid autem sit non cognoscimus. Cum autem manifestum est τὸ α τῷ γ inesse, quærere cur insit nihil aliud est, quam quærere quid sit τὸ β, utrum oppositio terræ, an conversio lunæ, an lucis exstinctio. Hæc autem est definitio alterius extremi, ut in his exemplis est definitio τοῦ α; eclipsis enim est oppostio terræ. Quid est tonitruum? Ignis exstinctio in nube. Cur tonat? Quia exstinguitur ignis in nube. Nubes γ, tonitruum α, extinctio ignis τὸ β. Ergo τῷ γ, id est nubi, inest τὸ α, quoniam in ea extingitur ignis. Huic autem inest τὸ α, id est sonus. Ac τὸ β est definitio τοῦ α primi extremi. Quod si rursus sit hujus aliud medium, id erit ex reliquis definitionibus.

8. Dictum igitur est quomodo sumatur et notum fiat quid sit. Quare ipsius quid sit non fit quidem syllogismus aut demonstratio ; manifestum tamen fit per syllogismum et per de-

monstrationem. Itaque nec sine demonstratione licet cognoscere quidditatem, cujus est alia causa; nec est ejus demonstratio, ut in dubitationibus diximus.

7. His præmissis, probatur et explicatur exemplis, quo pacto ex demonstratione eorum, quæ cognoscimus esse, secundum aliquid spectans ad quidditatem ipsorum, possit elici, quid adæquate sint. Eclypsis sit A, hoc est majus extremum demonstrandum de C, hoc est de luna ut de minori extremo, adeoque sit demonstranda hæc conclusio, quod *luna certis temporibus necessario eclypsatur*; medium ad id demonstrandum sit B, hoc est interpositio terræ inter solem et lunam. Manifestum est ex dictis cap. I, num. 3, quod quærere *an luna certis temporibus necessario eclypsetur*, est quærere, an detur medium B ad demonstrandum, quod luna eclypsatur; sed quærere an detur tale medium, est quærere, an detur causa et ratio eclypsis; ergo quærere, an luna eclypsetur, est quærere, an detur causa et ratio eclypsis. Similiter quærere, an triangulo conveniat hæc passio *habendi tres angulos æquales duobus rectis*, est quærere, an in rerum natura detur ratio et causa, propter quam debeat verificari affirmativa vel negativa pars contradictionis, quod nimirum triangulus habeat vel non habeat tres angulos æquales duobus rectis. Si fuerit inventa hæc ratio et hoc medium, quod sit propria causa rei, tum per illud cognoscimus et demonstramus, et quod passio convenit subjecto, et propter quid convenit, et etiam possumus elicere, quid sit passio, quæ convenit. Si vero fuerit inventa ratio et medium, quod non sit propria causa rei, tum solum cognoscimus, quod passio inest subjecto; propter quid vero insit, et quid sit talis passio, adhuc non assequimur. Ex. gr., si proposita quæstio, an luna eclypsetur, solvatur per medium B, quod non sit causa, sed effectus et indicium eclypsis, quod medium sit, quia *cum luna sit plena, et non detur obstaculum, adhuc umbram non projicit*, per tale medium cognoscimus, quod luna eclypsatur, et quod datur eclypsis, sic argumentando: *quoties luna, cum plena sit, et nullum opponitur obstaculum inter nos et ipsam, non projicit umbram, eclypsatur; sed de facto luna, cum plena sit, et nullum interponatur corpus, non projicit umbram; ergo eclypsatur;* at *propter quid* detur eclypsis, et *quid sit* eclypsis, adhuc ignoramus, ideoque adhuc quærendum remanet, propter quid detur eclypsis, seu quidnam est B, quod est causa, ut detur eclypsis; estne interpositio terræ inter solem et lunam? estne conversio, per quam luna obvertit nobis partem aliquam tenebrosam sui? estne extinctio luminis? hoc vero est simul quærere, quid sit eclypsis, quæ est majus extremum demonstrationis allatæ. Invento autem hoc medio, quod sit causa eclypsis, innotescit, propter quid luna eclypsatur, quod nimirum eclypsatur propter interpositionem terræ; et innotescit, quid sit eclypsis, quod nimirum est privatio *luminis* in luna, non qualiscunque (privatio enim, qua luna, quia substat soli, privatur lumine in parte nobis obversa, non est eclypsis), sed est privatio luminis in luna ex interpositione terræ, et hæc est integra definitio eclypsis. Similiter proposita quæstio, an sit tonitruum, seu an sit sonus in nube, si solvatur per proprium medium, hoc est per causam, quæ supponitur esse *extinctio ignis in nube*, et fiat sequens syllogismus: *cum ignis in nube extinguitur, necesse est fieri tonitruum, seu sonum in nube; sed de facto in nube ignis extinguitur; ergo necesse est fieri tonitruum, hoc est sonum in nube*, — si inquam ea quæstio solvatur per tale medium, non solum scitur, an sit tonitruum, sed etiam propter quid sit, et quid sit. Si enim quæratur: *propter quid est tonitruum?* respondetur: *quia ignis extinguitur in nube;* et si quæratur rursus: *quid est tonitruum?* respondetur: *est sonus in nube, non qualiscumque*, neque enim sonus in nube ex concussione ventorum est tonitruum, sed *tonitruum est sonus in nube ex extinctione ignis*, et hæc est integra definitio tonitrui; ergo patet, quod medium additum majori extremo constituit integram definitionem illius. Majus enim extremum est *sonus in nube;* addendo medium, quod est: *quia ignis extinguitur*, fit integra definitio tonitrui. Similiter in demonstratione eclypsis majus extremum est *privatio luminis;* addendo *ex interpositione terræ*, quod est medium, fit integra definitio eclypsis. Si vero medium deberet ulterius probari, deberet probari per aliam causam priorem, ex. gr., per causam finalem (quæ causa non datur respectu eclypsis, tonitrui et aliorum similium, quæ accidunt præter intentionem naturæ); et tum una definitio posset probari per aliam, ut explicatum est conclusione prima.

8. Addit Aristoteles epilogando utramque conclusionem, quod patet non syllogizari neque demonstrari, *quid sit res,* quia non probatur, hanc esse definitionem, ut dictum est cap. III, num. 2, sed ex syllogismo et demonstratione innotescere, *quid sit res,* ita ut licet quidditas, cujus alia est causa, proprie non demonstretur, adhuc non innotescat sine demonstratione.

9. [9] Jam vero quorumdam est alia causa, quorumdam non est. Quare patet etiam quidditatum quasdam esse immediatas et principia ; quas et esse, et quid sint, supponere oportet, aut alio modo manifestas facere.

10. Quod quidem arithmeticus facit : nam et quid sit unitas supponit, et quod sit. Eas vero quidditates, quæ medium habent, et quarum est aliqua diversa causa essentiæ, licet per demonstrationem, ut diximus, declarare, non demonstrando quid sit.

9. Tertia conclusio est : non semper, *quid sit res,* innotescit per demonstrationem, sed aliquando est primum principium. Probatur et explicatur, quia in omnibus generibus causarum debet perveniri ad primas causas; ergo etiam in genere quidditatum; ergo dantur quædam quidditates, quarum in tali genere non est altera causa; ergo tales quidditates non cognoscuntur per demonstrationem, sed accipiuntur et supponuntur ut prima principia demonstrationum.

10. Confirmatur; nam mathematici de quibusdam ante omnem demonstrationem supponunt *quod sint,* et *quid sint;* ex. gr., Arithmetica de unitate supponit *quod est,* et *quid est;* ergo solum de illis rebus colligitur ex demonstratione, *quid sint,* quarum *quid est* habet aliam causam, ut explicatum est de eclypsi, etc.

11. [10] Quia vero definitio dicitur esse oratio explicans quid sit, profecto quædam est oratio declarans quid significet nomen sive oratio altera nominalis, veluti quid significat, seu quid est qua triangulum vocatur. Quod cum scimus esse, quærimus cur sit. Difficile autem est sic accipere quæ non novimus esse. Ac difficultatis causa fuit ante exposita, quia ne sit quidem necne scimus, nisi per accidens. Oratio vero una est bifariam, altera conjunctione, ut Ilias, altera, quia unum de uno significat non per accidens. Una igitur definitionis definitio est, quam dixi.

12. Alia vero definitio est oratio declarans cur sit. Quocirca prior significat quidem, non tamen probat ; posteriorem autem apparet esse quasi demonstrationem probantem quid sit, terminorum situ differentem a demonstratione.

13. Differt enim dicere, cur tonat? et quid est tonitrus? Ad illam enim quæstionem sic respondebit, quia exstinguitur ignis in nubibus. Quid autem est tonitrus? Sonus exstincti ignis in nubibus.

14. Quare eadem oratio alio atque alio modo effertur ; et eo quidem modo est demonstratio continua, hoc autem modo est definitio. Præterea est definitio tonitrui sonus in nubibus. Hæc autem est conclusio demonstrationis probantis quid sit. Immediatorum autem definitio est thesis indemonstrabilis constituens quid sit.

11. *Quoad secundum:* postquam Aristoteles egit de quidditate, agit de definitione, quæ est oratio significans, *quid sit res.* Ex eo, quod definitio sit oratio significans, *quid sit res,* colligitur duplicem esse definitionem. Prima, quæ vocatur definitio *quid nominis* est, quæ solum significat, quid sit id, quod per nomen significatur, sed non explicat naturam illius; et hæc potest vocari explicatio nominis. Talis definitio esset, qua diceretur triangulum esse figuram illam, quæ habet tres angulos, non explicando ulterius, quam naturam et quidditatem habeat talis figura; ideoque postquam scimus dari talem figuram, adhuc quærere ulterius possumus, quid sit triangulum, et quam habeat naturam et quidditatem, quod est quærere definitionem, *quid rei,* quæ est oratio non solum explicans, quid significet nomen, sed declarans, quam naturam et essentiam habeat id, quod significat nomen; ex. gr., quam naturam et essentiam habeat triangulum; licet difficile possimus assequi, quam naturam habeant res, quas cognoscimus esse solum per accidens ex ratione supra allata, quia cum non tam sciamus rem esse, quam esse accidens rei, non possumus assequi, *quid sit,* et quam habeat naturam. Porro una ex differentiis inter definitionem explicantem, quid significet nomen, et definitionem explicantem, quid sit res, est, quod definitio explicans, quid significet nomen, potest esse una conjunctione tantum, eo pacto quo etiam Ilias est oratio una. Potest enim definitio explicans, quid significet nomen, describere rem per accidentia, quæ sunt unum solum per accidens. At definitio explicans, *quid sit res,* debet esse una ex eo, quod significet unam quamdam naturam, eo pacto quo animal rationale est una oratio, quia significat unam naturam.

12. Definitio *quid rei,* hoc est explicans,

quam res habeat naturam, duplex est. Altera est definitio rei, cujus natura consistit in hoc, ut talis res sit a certa causa, et hæc est definitio explicans *propter quid res sit;* altera est definitio rei, cujus natura non consistit in hoc, ut habeat certam causam, et hæc solum explicat, *quid res sit* propter se ipsam, et non propter causam. Definitio explicans, quid res sit propter se ipsam, non continet demonstrationem rei; at definitio explicans, propter quid res sit, continet demonstrationem rei, immo est demonstratio situ differens.

13. Explicatur propositis exemplis. Quia natura eclypsis consistit in hoc, ut non sit qualiscumque privatio luminis in luna, sed ut sit privatio causata ab interpositione terræ, definitur eclypsis: *privatio luminis in luna, interposita terra.* Quia natura tonitrui est, ut sit non qualiscumque sonus in nube, sed sonus causatus ab extinctione ignis, definitur tonitruum: *sonus ignis extincti in nube.* Utraque definitio continet omnes terminos et omnes propositiones demonstrationis, atque a demonstratione differt solum, quod termini et propositiones non sunt situati, collocati ac dispositi in figura ac modo syllogistico, ideoque utraque definitio est demonstratio solo situ ac collocatione differens. Patet; nam definitio, qua eclypsis definitur: *privatio luminis in luna terra interposita,* continet majus extremum, quod est *privari lumine,* minus extremum, quod est *luna,* et medium seu causam, cur luna privetur lumine, quod est *interpositio terræ,* ex quibus terminis potest de luna sic demonstrari eclypsis: *necesse est, ut cum terra interponitur inter solem et lunam, luna privetur lumine; sed necesse est, ut certis temporibus terra interponatur inter solem et lunam; ergo necesse est, ut certis temporibus luna privetur lumine.* Definitio etiam, qua tonitruum definitur: *sonus ignis extincti in nube,* continet majus extremum demonstrationis, quod est *sonus,* minus extremum, quod est *nubes,* et medium, quod est *extinctio ignis,* ex quibus potest construi talis demonstratio: *extincto igne in nube necesse est nubem sonare; sed necesse est sæpe ignem extingui in nube; ergo necesse est sæpe nubem sonare.*

14. Quia ergo talis definitio est demonstratio solo situ differens, ad quæstionem autem *quid est,* respondetur per definitionem, ad quæstionem *propter quid,* respondetur per demonstrationem continuam, hoc est non distinctam in tres propositiones; — ideo ad quæstiones: *quid est eclypsis lunæ? et propter quid luna eclypsatur? quid est tonitruum? et propter quid nubes tonat?* affertur responsio solo situ differens. Ad quæstionem enim: *propter quid luna eclypsatur?* respondetur: *luna eclypsatur propter interpositionem terræ;* hæc autem est demonstratio quædam continua, hoc est non distincta in tres propositiones; ad quæstionem: *quid est eclypsis?* respondetur: *est privatio luminis in luna terra interposita,* quæ responsio idem dicit ac prima, et differt solo situ et forma, in quantum in prima responsione dicitur, quod *luna eclypsatur propter interpositionem terræ;* in secunda dicitur, quod *eclypsis est privatio luminis terra interposita,* non exprimendo ly *propter.* Similiter ad quæstionem: *propter quid nubes tonat?* respondetur: *propter extinctionem ignis;* ad quæstionem: *quid est tonitruum?* respondetur: *est sonus ignis extincti in nube,* quæ responsiones differunt solo situ.

15. Definitionum igitur alia est oratio declarans quid sit, indemonstrabilis; alia vero est syllogismus probans quid sit, casu differens a demonstratione; tertia vero est conclusio demonstrationis probantis quid sit.

16. Ex dictis igitur perspicuum est quomodo sit et quomodo non sit demonstratio ipsius quid sit; nec non quorum sit et quorum non sit; præterea quot modis definitio dicatur, et quomodo probet quid sit, et quomodo non probet; item quorum sit et quorum non sit. Præterea quomodo affecta sit ad demonstrationem, et quomodo possit esse ejusdem rei, et quomodo non possit.

15. Ex dictis infert Aristoteles, quo pacto definitio se habeat ad demonstrationem. Definitio eorum, quæ sunt id, quod sunt propter se ipsa, est principium demonstrationis ac positio quædam indemonstrabilis, ex. gr., definitio, qua homo definitur *animal rationale,* est principium demonstrationum, per quas de homine demonstrantur passiones. Definitio eorum, quæ sunt id, quod sunt, propter causam, exprimens talem causam, est demonstratio solo situ differens, ut explicatum est de definitionibus eclypsis et tonitrui; idemque valet de definitionibus passionum, in quibus poni debet proprium subjectum, quod est causa passionum. Definitio eorum, quæ sunt id, quod sunt

propter causam, sed non exprimens talem causam, est conclusio demonstrationis; ex. gr., in hac demonstratione : *cum ignis intra nubem extinguitur, datur sonus in nube; necesse est sæpe ignem intra nubem extingui; ergo necesse est dari sonum in nube;* conclusio est definitio exprimens, *quid sit* tonitruum, sed non *propter quid* sit.

16. Concludit Aristoteles hanc longam disputationem de quidditate ac definitione epilogando dicta. Primo explicatum est, quo pacto detur demonstratio de quidditate, quo pacto non detur. Dictum est enim, non posse demonstrari *quid sit res*, posse tamen ex demonstratione colligi, *quid sit res*. Secundo explicatum est, quarum quidditatum detur demonstratio, quarum non detur. Dictum est enim non dari demonstrationem quidditatum, quæ conveniunt subjecto propter se et non propter causam; at posse dari demonstrationem quidditatum, quæ conveniunt subjecto propter causam. Tertio explicatum est, quot modis dicatur definitio. Dictum est enim, quod aliqua definitio explicat solum *quid res sit*, alia *propter quid sit*. Quarto explicatum est, quo pacto demonstretur quidditas ac definitio. Dictum est enim, quod in quantum in quidditate sumitur solum *quid res sit*, et non *propter quid*, potest quidditas ac definitio esse conclusio demonstrationis; in quantum vero sumitur etiam *propter quid sit*, est demonstratio solo situ differens. Quinto explicatum est, quo pacto quidditas ac definitio se habeat ad demonstrationem. Dictum est enim, quod aliqua definitio est principium demonstrationis, alia est conclusio demonstrationis; alia est demonstratio solo situ differens. Sexto explicatum est, quo pacto definitio ac demonstratio sint ejusdem, vel non sint ejusdem ; sunt enim ejusdem, sed diverso modo, ideoque definitio differt a demonstratione situ et collocatione terminorum.

CAPUT VI

EXPLICATUR, QUO PACTO DEMONSTRATIO POSSIT FIERI, ASSUMENDO MEDIUM EX QUOLIBET GENERE CAUSARUM.

1. [11]. Cum autem putemus tunc scire quando causam cognoscimus, causæ vero quatuor sint, una quæ explicat quid res sit, altera quam, si quædam sint, necesse est esse; tertia quæ primum movit; quarta id cujus gratia omnes hæ per medium ostenduntur. Etenim hæc argumentatio « cum illud sit, necesse est hoc esse » una propositione sumpta nulla est ; at duobus minimum sumptis valet, nempe cum duæ illæ propositiones unum medium habent. Hoc igitur uno sumpto necessse est conclusionem esse.

2. Sed et hoc modo idem manifestum fiet. Cur rectus est angulus, qui est descriptus in semicirculo? Aut quo posito necesse est ut rectus sit? Esto igitur rectus, ubi α; dimidium duorum rectorum, ubi β; angulus, qui est in semicirculo, ubi γ. Cur igitur τὸ α, id est rectus, insit τῷ γ, id est angulo. qui est in semicirculo, causa est τὸ β. Hic enim angulus est æqualis τῷ α. Angulus autem τὸ γ est æqualis τῷ β, quia est dimidium duorum angulorum rectorum. Si igitur sit τὸ β, id est dimidium duorum rectorum angulorum, τὸ α τῷ γ inest ; hoc autem erat, angulum descriptum in semicirculo rectum esse. Hoc autem est idem quod quidditas, quia hanc significat definitio. Sed et quidditatem ostendimus esse causam mediam.

Sicut Aristoteles explicavit, quo pacto ad demonstrationem se habeat *quid*, sic explicat, quo pacto se habeat *propter quid*, quod significat causam, et ponit sequentem conclusionem. Medium demonstrationis desumi potest ex quolibet genere causarum. Probat, quia scire est cognoscere rem per causam, tanquam per medium; sed quatuor sunt genera causarum, forma nimirum seu quidditas; materia quæ, aliquando talis est, ut ea posita, necesse sit aliud esse, eo pacto quo positis partibus, quæ sunt causa materialis totius, necesse est esse totum; efficiens, quæ est primum principium motus ; ac demum finis, cujus gratia aliquid fit, ut ex professo dicetur secundo Physicorum text. 28 et 29; ergo per omnes dictas causas tanquam per medium potest sciri res, ac proinde medium demonstrationis potest sumi ex quolibet genere causarum.

2. Confirmatur et explicatur exemplis; ac primo ponitur exemplum, in quo medium desumitur ex causa materiali. Sit quæstio, *utrum omne animal sit corruptibile;* potest solvi quæstio, sumendo medium ex causa materiali, hoc est ex eo, quod *omne animal necessario constat ex contrariis*. Verum ad concludendum, quod animal est corruptibile, non sufficit assumere, quod constat ex contrariis, sed assumendum est ulterius, quod ad hoc, quod est *constare ex contrariis*, necessario sequitur *esse corruptibile*, et ita formanda est demonstratio : *omne, quod constat ex contrariis, necessario est corruptibile; sed omne animal necessario con-*

stat ex contrariis; ergo omne animal necessario est corruptibile. Aristoteles ponit exemplum desumptum ex libro tertio Euclidis, prop. 30, in qua probatur *omnem angulum descriptum in semicirculo esse rectum,* et assumitur medium ex causa materiali, sive ex ratione partis, ex eo, quod *angulus descriptus in semicirculo necessario est dimidium duorum angulorum rectorum*, ex quo sic demonstratur posita conclusio : *omnis angulus, qui est dimidius duorum rectorum, necessario est rectus; sed omnis angulus in semicirculo necessario est dimidius duorum rectorum; ergo omnis angulus in semicirculo est rectus.* Probatio minoris videri potest apud Euclidem, atque hic omittitur, quia non requiritur ad explicandum id, de quo agitur. In allata demonstratione quæstio proposita est, *propter quid angulus in semicirculo sit rectus.* seu *quid sit id, ex quo sequitur ex necessitate, quod angulus in semicirculo est rectus.* Solutio quæstionis est ex eo, quod angulus in semicirculo est dimidium duorum rectorum, ex quo sequitur ex necessitate, quod sit rectus. Ideo *angulus rectus* ponitur loco A, hoc est majoris extremi; *dimidium duorum rectorum* ponitur loco B, hoc est medii; *angulus in semicirculo* ponitur loco C, hoc est minoris extremi. Causa igitur, cur *esse rectum* necessario conveniat angulo semicirculi, est medium B, quod est dimidium duorum rectorum; nam *omnis angulus dimidius duorum rectorum est par angulo recto, adeoque rectus; sed omnis angulus in semicirculo est dimidius duorum rectorum; ergo omnis angulus in semicirculo est par recto, adeoque rectus;* ergo *esse dimidium duorum rectorum* est medium spectans ad causam materialem, quo existente necesse est angulum in semicirculo esse rectum. Addit Aristoteles, quod si hoc, quod est *esse dimidium duorum rectorum* sumatur, tanquam aliquid spectans ad quidditatem anguli recti, medium allatæ demonstrationis reducetur ad causam formalem, de qua causa formali Aristoteles non ponit aliud exemplum, quia jam supra ostendit ex professo, quo pacto quidditas, quæ est causa formalis, possit esse medium demonstrationis.

3. Cur autem Medi bellum gesserunt adversus Athenienses? Seu quæ est causa belli gerendi contra Athenienses? Quoniam Athenienses cum Eretriensibus in Sardeis incursionem fecerunt. Hoc enim primum movit. Esto bellum, ubi α; priores impetum fecisse β; Athenienses γ. Inest igitur τὸ β τῷ γ; id est, prius impetum fecisse attribuitur Atheniensibus. Sed et τὸ α inest τῷ β, quia bellum inferunt iis, qui prius injuria affecerunt. Inest igitur τῷ β τὸ α; id est, bellum inferri iis, qui lacessiverunt. Hoc autem τὸ β τῷ γ sive Atheniensibus, quia priores lacessiverunt. Ergo hic quoque causa, nempe primum movens, est medium.

4. Ex iis vero quorum causa est id cujus gratia; veluti cur deambulat? Ut bene valeat; cur domus est? Ut serventur suppellectilia; illud quidem est bene valendi gratia, hoc vero servandi gratia. Inter has autem interrogationes, cur post cœnam deambulare oportet? et cujus gratia oportet? nihil interest. Esto deambulatio post cœnam γ; non fluitare cibos, ubi β; valere, ubi α. Esto igitur deambulationem post cœnam efficere, ne cibi fluitent ad os ventriculi; atque hoc esto salubre. Videtur enim inesse deambulationi, τῷ γ scilicet, τὸ β, id est cibos non fluitare; huic autem τὸ α, nempe salubre. Quæ igitur est causa cur τῷ γ τὸ α insit, quod est id cujus gratia? τὸ β, hoc est cibos fluitare. Hoc autem est veluti ejus definitio; nam τὸ α sic explicabitur. Cur autem τὸ β τῷ γ? Quia valere est ita affectum esse.

3. Secundo ponit Aristoteles exemplum demonstrationis ex causa efficiente et movente. Proponatur quæstio : *propter quid Medi bellum gesserunt adversus Athenienses?* In hac quæstione quæritur causa belli Medorum adversus Athenienses. Hæc causa fuit, quia Athenienses una cum Eretriis intulerunt bellum Sardis amicis Medorum; hoc enim movit Medos ad inferendum bellum Atheniensibus. In demonstratione igitur majus extremum sit A, hoc est bellum a Medis illatum; medius terminus sit B, hoc est prius bellum amicis inferre; minus extremum sit C, hoc est Athenienses. Quia igitur Athenienses priores intulerunt bellum amicis Medorum, passi sunt bellum Medorum, et formari potest hæc demonstratio : *qui bellum prius infert amicis, æquum est, ut bellum patiatur; sed Athenienses priores intulerunt bellum amicis Medorum; ergo æquum fuit, ut Athenienses bellum paterentur a Medis.* In hac vero demonstratione medium reducitur ad causam moventem, ut patet.

4. Tertio proponit Aristoteles exemplum ex causa finali. Hæc quæstio : *cur post cœnam ambulamus?* quærit finem, ideoque responderi debet : *ut valeamus,* afferendo finem, cujus gratia ambulamus. Et similiter finem quærit hæc alia quæstio: *cur domos habemus*? ideoque per finem solvitur

dicendo : *ut servemus suppellectilem.* Ut igitur fiat demonstratio per causam finalem, *deambulatio post cœnam* sit minus extremum, quod vocetur C; *cibum descendere ad fundum ventriculi, ac non regurgitare ad os ventriculi,* sit medium B; *bene valere sit majus extremum A*; fiet sequens demonstratio : *quod cibus post cœnam descendat ad fundum stomachi, ac non regurgitet ad os ventriculi, facit ut bene valeamus; sed ambulatio post cœnam facit, ut cibus descendat ad fundum stomachi, ac non regurgitet ad os ventriculi; ergo ambulatio post cœnam facit, ut bene valeamus.* Quia igitur ambulatio facit, ut cibus non regurgitet; et *cibum non regurgitare* facit, ut valeamus; ambulatio facit, ut valeamus.

5. Oportet autem orationes commutare; atque ita singula magis apparebunt. Ortus autem vice versa se habent hic et in causis, quæ efficiunt per motum. Ibi namque opus est ut medium prius fiat; hic vero τὸ γ, quod est ultimum, prius fit, id vero cujus gratia, postremum fit.

6. Accidit autem ut idem sit et alicujus causa et ex necessitate. Veluti cur permeat et transmittitur lumen per laternam? Etenim ex necessitate transit, quod ex subtilioribus partibus constat, per majores meatus, siquidem lumen fit, quia permeat et transmittitur; item alicujus causa, videlicet ne offendamus. Itaque si accidit ut sit, accidit etiam ut fiat. Veluti si tonat exstincto igne, necesse est stridorem et sonitum fieri, et ut Pythagorei dicunt, minationis causa, ut terreantur qui sunt in Tartaro. Permulta vero sunt ejusmodi, præsertim in iis quæ secundum naturam constituuntur et constant. Alia namque natura alicujus gratia facit, alia ex necessitate. Necessitas autem duplex est : altera namque est secundum naturam et appetitionem, altera vero violenta, quæ est præter appetitionem. Ut lapis ex necessitate et sursum et deorsum fertur, sed non ob eamdem necessitatem. Ex iis autem quæ fiunt a ratione, alia nunquam sunt casu, ut domus vel statua, nec ex necessitate, sed alicujus gratia; alia vero sunt etiam a fortuna, ut sanitas vel salus. Maxime autem in iis quæ possunt ita et secus se habere, cum a fortuna non gignuntur, quorum finis bonus est, alicujus gratia fit; et vel natura fit vel arte. A fortuna vero nihil fit alicujus gratia.

5. Addit Aristoteles, in demonstratione per causam efficientem ac per causam finalem, terminos esse inverso modo disponendos. In demonstratione enim, qua ostensum est, æquum fuisse, ut Athenienses paterentur bellum a Medis, prima causa efficiens, ut Athenienses paterentur bellum a Medis, sumi debuit ut medium. At in demonstratione, qua ostenditur ambulandum, ut valeamus, primum efficiens sanitatem, quod est *ambulare,* est minus extremum; finis, quod est *valere,* est majus extremum; *cibum non regurgitare,* quod est effectus ambulationis ac proxima causa sanitatis, est medium; ideoque in priori demonstratione medium præcedit tempore, in posteriori minus extremum, quod est *ambulatio* præcedit tempore tum medium, quod est *cibum descendere,* tum majus extremum, quod est *valere.*

6. Quarto addit Aristoteles posse aliquando eumdem effectum probari, tum ex fine, tum ex necessitate materiæ vel efficientis. Ex. gr., duplex potest reddi ratio, propter quam lumen egrediatur ex laterna. Prima ratio juxta sententiam antiquorum ex necessitate materiæ est, quia cum cornu laternæ habeat poros majores lumine, quod est subtilissimum et velocissimi motus, necesse est ut lumen per poros egrediatur. Secunda ratio ex necessitate finis est, quia ut noctu possimus ambulare et simul custodire lumen clausum, necesse fuit, ut laternam faceremus ex materia, ex qua posset lumen egredi. Eodem pacto potest esse duplex causa eorum, quæ fiunt a natura. Ex. gr., tonitrua fiunt, tum ex necessitate efficientis, quia ignis, dum intra nubem extinguitur necessario edit sonum; tum propter finem, ut scilicet juxta opinionem Pythagoreorum per tonitrua terreantur impii, qui detinentur in tartaro. Porro plurima, præsertim ex iis, quæ natura fiunt aut constant, fiunt tum propter finem, tum ex necessitate. Ratio est, quia natura operatur propter finem, et etiam ex quadam necessitate; ex. gr., homini naturaliter nascuntur dentes, tum propter finem dividendi cibum, tum ex quadam necessitate. Duplex autem est necessitas : alia secundum naturam, juxta inclinationem rerum, quæ habent talem necessitatem; alia contra naturam et contra inclinationem rerum, quæ illam patiuntur. Ex. gr. lapis sibi relictus ex necessitate movetur deorsum; lapis projectus ex necessitate ascendit sursum; sed lapis descendit deorsum necessitate naturali ac juxta inclinationem suæ naturæ; at sursum ascendit necessitate violentiæ et contra inclinationem suæ naturæ. Facile autem discernitur, utrum effectus fiant necessario necessitate naturali vel violenta. Unus-

quisque enim advertet homini nasci dentes necessitate naturali, atque eumdem hominem multa pati necessitate violenta. Ex iis, quæ fiunt ab arte et electione, quædam sunt, quæ non possunt fieri casu, ut domus vel statua; quædam possunt etiam fieri casu. Ex. gr., sanitas et potest recuperari per artem medicam, et potest recuperari casu, ut cum ægrotus bibit multam aquam ad extinguendam sitim, et casu sanatur a febri; et cum quis ingreditur domum propter alium finem, et casu effugit e manibus hostium persequentium. Fortuita vero sunt ex earum rerum genere, quæ possunt fieri tum casu tum ex electione. Gratia finis et boni fiunt, quæ fiunt natura vel arte; quæ vero fiunt casu et fortuito, non fiunt gratia finis, sed accidunt præter intentionem agentis, ut magis explicabitur lib. II, Physicorum text. 27 et sequentibus.

CAPUT VII

EXPLICATUR QUOMODO DEMONSTRATIO FIERI POSSIT, TUM EX CAUSIS, QUÆ SUNT SIMUL CUM EFFECTIBUS, TUM EX CAUSIS, QUÆ NON SUNT SIMUL; TUM EX CAUSIS, QUÆ CAUSANT DIRECTE, TUM EX CAUSIS, QUÆ AGUNT CIRCULARITER; TUM EX CAUSIS, QUÆ CAUSANT SEMPER, TUM EX CAUSIS, QUÆ CAUSANT PLERUMQUE.

1. [12] Jam vero quæ causa est eorum quæ sunt, eadem est eorum quæ fiunt et quæ facta sunt et quæ futura sunt (nam medium est causa), præterquam quod est causa eorum quæ sunt, quod est; eorum quæ fiunt, quod fit; factorum factum, futurorum futurum.

2. Veluti, cur facta est eclipsis ? Quia interposita est terra ; fit autem, quia interponitur ; erit, quia interponetur ; et est, quia interpositio est. Quid est glacies? Sumatur esse aqua concreta. Esto aqua, ubi γ; concretum ubi α; causa media, ubi β totius caloris defectio. Inest igitur τῷ γ τὸ β ;huic autem τὸ α, id est esse concretum. Fit autem glacies, cum fit τὸ β; et facta est, cum factum est; et erit, cum erit. Quod igitur ita est causa, et id cujus est causa, simul fiunt cum fiunt ; et simul sunt, cum sunt; itidemque simul facta fuerunt et futura sunt.

Ex causis aliquæ sunt simul cum effectibus, aliquæ non sunt simul ; aliquæ causant directe, ita ut eædem specie non recausentur a suis effectibus, aliquæ causant circulariter, ita ut eædem specie recausentur a suis effectibus; aliquæ causant semper, aliquæ solum plerumque. Aristoteles igitur cum docuerit, quo pacto demonstrationes fieri possint ex omnibus quatuor generibus causarum, descendit ad explicandum, quo pacto demonstrationes fieri possint ex talibus causis, seu sint simul seu non sint simul cum effectibus; seu causent directe seu circulariter; seu causent semper seu frequenter. Ponit igitur quinque conclusiones.

1. *Prima conclusio* est : causæ, quæ sunt simul cum effectibus, possunt assumi ut medium, ex quo probetur, quod cum causa est, effectus est; cum causa fit, effectus fit; cum causa fuit, effectus fuit; cum erit, effectus erit, et sic proportionaliter.

2. Probatur et explicatur exemplis. Interpositio terræ inter solem et lunam, ita est causa eclypsis, ut sit simul cum eclypsi, ideo valet : *terra incipit interponi; ergo eclypsis incipit esse : terra jam est interposita; ergo eclypsis jam est : terra desinit interponi; ergo eclypsis desinit : fit interpositio; ergo fit eclypsis : heri terra fuit interposita; ergo heri fuit eclypsis : cras terra interponetur; ergo cras erit eclypsis.* Similiter quia glacies est aqua concreta ex totali defectu caloris, ut construatur demonstratio, *aqua* debet constitui minus extremum, quod vocetur C; *concreta* debet constitui majus extremum quod vocetur A; *defectus totalis caloris* debet constitui medium, quod vocetur B. Fit igitur demonstratio : *deficiente totaliter calore, aqua concrescit; deficit totaliter calor; ergo aqua concrescit;* et valet : *calor incipit totaliter deficere; ergo aqua incipit concrescere : calor cras totaliter deficiet; ergo aqua cras concrescet;* et sic proportionaliter.

3. In iis vero quæ non fiunt simul, possuntne in tempore continenti, sicut nobis videtur, alia aliorum causæ esse? Veluti, estne causa cur hoc fiat, aliud quod fit; et cur futurum sit, aliud futurum; et cur fuerit, aliquid quod paulo ante fuit?

4. Concluditur autem quod prius factum fuit ex eo quod posterius factum est. Horum vero principium sunt ea quæ facta sunt. Proinde et in his quæ fiunt, itidem ducendum est argumentum. Ex priori vero colligitur posterius.

5. Veluti quia illud factum est, hoc postea factum esse. Eadem est futurorum ratio.

6. Sive enim indefinitum sive definitum tempus accipiatur, non efficitur ut, quia illud vere dicitur factum fuisse, vere dicatur hoc, quod posterius est, factum esse, quoniam toto illo tempore interjecto falso dicetur hoc factum esse, cum jam alterum factum sit. Eadem est

ratio futuri. Nec quia illud factum est, hoc erit, quia medium simul genitum esse debet cum ea re, cujus est medium, adeo ut factorum medium sit quod factum est, futurorum futurum ; eorum quæ fiunt, quod fit ; eorum quæ sunt, quod est. Atqui quod factum est et quod est futurum, simul genita esse nequeunt. Præterea nec indefinitum potest esse tempus interjectum nec definitum ; falso enim dicetur toto illo tempore interjecto.

3. Ex dictis oritur quæstio, utrum causæ, quæ ita sunt necessariæ ad effectus, ut non sint simul cum effectibus, adhuc ita sint continuæ suis effectibus, ut ad eos effectus sequantur immediate, ac proinde *factum esse* effectus sequatur immediate ad *factum esse* causæ; *fieri* effectus sequatur immediate ad *fieri* causæ; *futurum esse* effectus sequatur immediate ad *futurum esse* causæ, et sic proportionaliter. Solutionem hujus quæstionis, quæ est mere occasionalis, afferet Aristoteles paulo post; interim ponit secundam conclusionem, quæ magis spectat ad materiam, de qua agimus.

4. *Secunda igitur conclusio* est : in iis, quæ non simul sunt et fiunt, sed necesse est unum esse ac fieri prius, ut aliud fiat posterius, id, quod fit posterius, debet sumi ut medium, ex quo concludatur prius, non autem prius debet sumi ut medium, ex quo concludatur posterius, adeoque valet : *factum est posterius ; ergo factum est prius : fit posterius ; ergo fiebat prius : fiet posterius; ergo fiet prius;* non autem valet : *factum est prius; ergo factum est posterius : fit prius; ergo fiet posterius : fiet prius; ergo fiet posterius.*

5. Probatur primo, quia illud est principium et medium ad aliud concludendum quod si est, necesse est aliud esse; sed cum duo ita se habent, ut necesse sit unum esse ac fieri prius, ut aliud sit ac fiat posterius, necesse est, ut si posterius fit vel factum est aut fiet, prius sit factum vel sit faciendum; non autem e converso necesse est, ut si prius sit factum aut faciendum, etiam posterius sit factum aut faciendum; ergo posterius debet sumi ut medium ad concludendum prius, et non e converso.

6. Secundo conclusio probatur et explicatur inducendo exempla. Valet : *est impossibile, ut nascatur frumentum, nisi prius fuerit seminatum; natum est frumentum ; ergo prius fuit seminatum;* at non valet : *est impossibile, ut nascatur frumentum ; nisi prius fuerit seminatum ; seminatum est frumentum ; ergo frumentum est natum.* Cum enim mediet tempus inter hoc, quod est *frumentum esse seminatum,* et hoc, quod est *esse natum,* toto illo tempore medio verum est, quod frumentum fuit seminatum, falsum est, quod fuerit natum. Et quia universim inter duo facta, quæ dantur in instanti indivisibili, mediat tempus divisibile, sive hoc tempus divisibile sit determinatum sive indeterminatum, non valet : *hoc prius factum est; ergo et hoc posterius factum est;* tempore enim medio inter prius *factum esse,* et secundum *factum esse,* verificatur factum esse prius, et simul falsificatur factum esse posterius ; ac proportionaliter non valebit in futuris : *tali tempore prius erit factum ; ergo et posterius erit factum,* ex eadem ratione, quia inter factum esse prioris et factum esse posterioris mediabit tempus, in quo prius jam erit factum, posterius adhuc non erit factum. Similiter valet : *est impossibile, ut frumentum nascatur, nisi fuerit seminatum ; sed frumentum nascitur; ergo frumentum fuit seminatum;* at non valet : *est impossibile, ut frumentum nascatur nisi prius fuerit seminatum; sed frumentum fuit seminatum ; ergo frumentum nascetur.* Ratio est, quia medium debet sumi ita connexum cum conclusione, ut non possit poni medium, quin ponatur conclusio; sed solum posterius est tale, ut non possit poni, quin positum sit prius, prius vero poni potest, quin sequatur posterius, eo pacto quo frumentum nasci non potest, nisi antea fuerit seminatum; at potest seminari, quin post nascatur; ergo posterius potest assumi ut medium ad concludendum, quod prius fuit; prius autem non potest assumi ut medium ad concludendum, quod posterius erit, non solum tempore determinato, sed etiam tempore indeterminato, cum possit posterius nunquam esse. Non tamen negat Aristoteles, posse aliquando ratione materiæ ex priori argui posterius. Ex. gr., ex eo, quod sol nunc sit in tali signo, potest argui, quod tali die erit in tali alio signo; et sic in pluribus aliis astronomicis, ac fortasse etiam in naturalibus; sed solum dicit, id non esse universale, licet in aliquibus valeat ratione materiæ particularis.

7. Considerandum autem est quid sit quod continet, ita ut post factum esse, insit fieri in ipsis rebus. An patet non cohærere ei quod factum est id quod fit, quia nec factum facto

cohæret. Sunt enim extremitates et individua.

8. Itaque ut puncta sibi in invicem non cohærent, sic facta non cohærent; ambo namque sunt individua. Ergo neque id quod fit, facto cohæret ob eamdem rationem, quia quod fit est divisibile, quod vero factum est, indivisibile. Ut igitur linea se habet ad punctum, ita etiam quod fit, ad id quod factum est; insunt enim facta infinita in eo quod fit. Sed de his dilucidius in libris universalibus de motu dicendum est.

7. Posita ac probata hac secunda conclusione, ut solvat Aristoteles quæstionem occasionalem propositam num. 3., utrum effectus sequatur immediate ad factum esse causæ, vel factum esse effectus sequatur immediate ad factum esse causæ, præmittit speculandum, per quid res ita continuentur, ut post factum esse sequatur fieri. Respondet manifestum esse, quod sicut unum factum esse non sequitur immediate ad aliud factum esse, ita fieri non ita sequitur ad factum esse, ut in ipso fieri non intercipiantur alia facta esse. Ratio, cur unum factum esse non sequatur immediate ad aliud factum esse est, quia facta esse sunt indivisibilia; sed unum indivisibile non sequitur immediate ad aliud indivisibile, sed mediat aliquid divisibile, in quo proinde includuntur alia indivisibilia, saltem potentialia; ergo unum factum esse non sequitur immediate ad aliud factum esse.

8. Confirmatur; sicut enim in linea post punctum non sequitur immediate punctum, sed inter duo puncta semper mediat pars lineæ, in qua sunt alia puncta, saltem potentialia; sic in successivis post unum *factum esse* indivisibile, non sequitur immediate aliud *factum esse* indivisibile, sed mediat fieri divisibile, quod ita se habet ad facta esse, sicut linea divisibilis se habet ad puncta. Cum ergo fieri sit divisibile in infinitum, adeoque contineat saltem in potentia infinita facta esse partium, non ita sequitur immediate post factum esse, quod est indivisibile, ut in fieri non contineantur infinita facta esse, inter quæ aliquid mediat. Sicut igitur se habet punctum ad lineam, ita se habet *factum esse* ad *fieri*; et sicut in linea continentur infinita puncta, sic in *fieri* continentur infinita *facta esse*, ut magis explicabitur lib. VI. Physicorum.

9. Quomodo igitur, cum deinceps aliæ res ex aliis gignuntur, se habeat causa media, eo usque sumptum sit. Necesse enim etiam in his est, ut primum et medium sint immediata.

10. Veluti τὸ α factum est, quia τὸ γ factum est. Posterius autem factum est τὸ γ, paulo prius τὸ α. Principium vero est τὸ γ, quia propius accedit ad instans, quod est principium temporis. τὸ γ vero factum est, si τὸ δ factum est. Si igitur τὸ δ factum sit, necesse est τὸ α factum esse. Causa vero est τὸ γ. Nam si τὸ δ factum sit, necesse est τὸ γ factum esse. Quodsi τὸ γ factum sit, necesse est ut prius τὸ α factum fuerit.

11. Sic autem accipiendo medium, consisteturne aliquando in immediato? an propter mediorum infinitatem semper medium incidet?

12. Quandoquidem factum facto non cohæret, ut dictum fuit. Verumtamen necesse est incipere a medio et ab instanti primo.

13. Similis est ratio futurorum. Nam si vere dicitur fore τὸ δ, necesse est ut prius vere dicatur fore τὸ α. Cujus rei causa est τὸ γ. Etenim si τὸ δ erit, prius τὸ γ erit; quod si τὸ γ erit, prius τὸ α erit. Similiter autem in his quoque infinita est divisio, quia futura sibi invicem non cohærent. Principium autem etiam in his sumi debet immediatum.

14. Sic autem se res habet in operibus. Veluti si facta est domus, necesse est cæsos fuisse lapides et factos esse. Quid ita? quia necesse est jacta esse fundamenta, si domus facta est. Quod si fundamenta jacta sunt, necesse est prius lapides factos fuisse. Rursus si erit domus, itidem prius erunt lapides. Ac probatur per medium similiter, quia prius erunt fundamenta.

9. Soluta quæstione occasionali, ponit Aristoteles *tertiam conclusionem*, quæ est: cum prius demonstratur per posterius, tanquam per medium, sisti tandem debet in aliquo primo et immediato, quod sumitur ut primum principium demonstrationis hoc autem primum, cum agimus de præteritis, est vel præsens nunc temporis, vel propinquius cæteris præsenti nunc temporis; cum agimus de futuris, est remotius cæteris a præsenti nunc temporis.

10. Probatur et explicatur primo in præteritis, secundo in futuris. — Ad demonstrandum, quod factum sit A, ex. gr., quod aliquis fuerit sectus, debet sumi ut medium, quia factum est C posterius, ex. gr., quia liberatus est a calculo lapideo, quo laborabat; et si rursus probandum est, quod factum sit C, hoc est, quod liberatus est a calculo lapideo, debet assumi ut medium D posterius, puta quia exercet operationes hominis perfecte sani, et sic deinceps usque dum perveniatur ad primum et immediatum medium; et quia ex præteritis, quæ facta sunt, posteriora et posteriora sunt, magis propinqua præsenti nunc temporis, ut dicetur 5.

Metaphys. cap. xi. debet sumi medium propinquius ac propinquius præsenti nunc temporis. Sic igitur formanda est demonstratio: *est impossibile, ut laborans calculo lapideo sanetur, nisi prius secetur; sed sanatus est: ergo prius sectus est.* Quod sanatus sit, demonstratur, quia *est impossibile, ut exerceat operationes hominis perfecte sani, nisi prius fuerit sanatus; sed exercet; ergo fuit sanatus;* et sic deinceps.

11. Potest opponi, quod cum non dentur duo facta esse, inter quæ non mediet aliud factum esse, nunquam poterimus probare unum factum fuisse prius per factum posterius, inter quæ non mediet aliud factum.

12. Respondet Aristoteles, quod licet inter duo facta medient infinita facta, adhuc illud factum, quod sumimus, est ultimum; ergo potest assumi ut primum médium ad probandum, quod factum fuerit prius, licet factum fuerit mediis aliis factis; ex. gr., licet inter hoc, quod est *sanatum esse et sectum esse* medient alia facta, esse, adhuc valet: *non potuit sanari, nisi prius secaretur et fierent omnia, quæ debent mediare inter sectionem et sanationem; sed sanatus est, ergo sectus est, et facta sunt omnia, quæ debuerunt mediare inter sectionem et sanationem;* ergo quod infinita medient, non impedit, quominus per ultimum factum possit probari prius.

13. Proportionaliter in futuris ad demonstrandum futurum esse aliquid prius, debet assumi ut medium, quod est futurum posterius; ex. gr., *non potest quis sanari ex calculo lapideo, nisi prius secetur; sanabitur; ergo prius secabitur;* et quod sanabitur, demonstratur, quia *non potest exercere operationes perfecte sani, nisi prius sanetur; exercebit; ergo prius sanabitur.* Porro sicut ex præteritis illud est posterius, quod est propinquius præsenti nunc, sic ex futuris illud est posterius, quod est remotius a præsenti nunc, ut dicetur 5. Metaphys. cap. I. Ad difficultatem ex eo, quod inter unum et aliud medient infinita, applicanda est solutio jam allata.

14. Confirmat Aristoteles totam hanc doctrinam exemplo deducto ex operibus artificialibus. Valet enim de præterito: *non potest domus lapidea construi, nisi prius excidantur lapides; sed domus jam est constructa; ergo prius excisi sunt lapides.* Si vero quæratur, *propter quid* majoris, hoc est propter quid non possit domus construi, nisi prius excidantur lapides, affertur ratio ad probandam illam majorem, quia *non potest domus construi, nisi prius jaciantur fundamenta; sed non possunt jaci fundamenta, nisi prius excisi sint lapides; ergo* etc. Proportionaliter valet de futuro: *non potest domus construi, nisi prius excidantur lapides; sed domus construetur: ergo prius lapides excidentur.* Major probatur eodem medio: *non enim potest domus construi, nisi jaciantur fundamenta; sed non possunt jaci fundamenta, nisi prius excidantur lapides: ergo non potest domus construi, nisi prius excidantur lapides.*

15. Quia vero in iis quæ fiunt, videmus circulo esse aliquam generationem, hoc tum accidit, cum sese mutuo consequuntur medium et termini extremi; in his enim est reciprocatio. Hoc autem in primis libris ostensum est, converti conclusiones, circulo autem probare hoc ipsum est. In ipsis autem naturæ operibus sic apparet. Madefacta terra necesse est vaporem fieri, hoc facto nubem, hac facta aquam, hac facta necesse est madefieri terram. Hoc autem erat quod ab initio sumptum fuit. Quocirca hæc in orbem redeunt; nam si quidvis horum sit, alterum est; et si illud, etiam aliud, et si hoc, etiam primum.

15. *Quarta conclusio* est: cum causæ causant generationes circulariter, ita ut causent effectus, ex quibus recausentur causæ similes in specie, etiam demonstratio potest procedere circulariter, ita ut ex præmissa probetur conclusio, et ipsa vicissim probetur ex conclusione. Probatur et explicatur; ex terra a pluviis madefacta necesse est, ut ascendant vapores, ex vaporibus elevatis necesse est, ut cogantur nubes; ex nubibus coactis necesse est, ut oriatur pluvia; ex pluvia necesse est, ut terra madefiat; ergo sicut terra madefacta est causa, ut eleventur vapores, sic vapores sunt causa, ut terra madefiat; adeoque in talibus causis datur circulus, per quem quadam conversione redeunt ad idem principium. Proportionaliter potest fieri demonstratio circularis, per quam sumatur ut principium, quod ést posterius, nimirum, quod terra fuerit madefacta, et ex hoc arguatur: *ergo prius cecidit pluvia; ergo prius coactæ sunt nubes; ergo prius ascendit vapor; ergo prius terra fuerat madefacta;* in quo processu ex primo medio, quod sumitur ut principium, nimirum quod terra fuerit madefacta, reditur ad concludendum, quod

terra fuerit madefacta alia madefactione. Neque vero sequitur, quod idem sit prius et posterius, magis ac minus notum secundum idem; sed solum sequitur, quod unum numero sit posterius ac notius, quam aliud numero atque idem specie sit prius ac minus notum, quod non repugnat.

16. Jam vero quædam fiunt universaliter, quia semper et in omnibus vel ita se habent vel fiunt; alia vero non semper, sed plerumque, veluti non omnes viri barbam emittunt, sed plerique. Eorum igitur quæ sunt ejusmodi, necesse est etiam medium plerumque esse.

17. Nam si τὸ α τῷ β universaliter attribuitur, atque hoc τῷ γ universaliter, necesse est ut etiam τὸ α τῷ γ semper et omni attribuatur; id enim est universale, quod inest et omni et semper. Sed supponebatur esse plerumque; necesse est igitur ut etiam medium, ubi τὸ β, plerumque sit. Itaque etiam conclusionum, quæ plerumque sunt, erunt principia medio vacantia, quæ plerumque ita sunt vel fiunt

16. *Quinta conclusio* est: conclusio, cujus prædicatum convenit omni subjecto et semper, probari debet per medium, quod conveniat eidem subjecto omni et semper; at conclusio, cujus prædicatum convenit subjecto solum plerumque, non autem semper, probari debet per medium, quod sit solum plerumque.

17. Explicatur et probatur; prædicatum risibilis convenit omni homini et semper; nullus *enim homo est, qui non sit risibilis, et nunquam homo est, quin sit risibilis;* ideo debet probari per præmissas, in quibus majus extremum dicatur de medio omni et semper, dicendo ex. gr., *omne rationale semper est risibile; omnis homo semper est rationalis; ergo omnis homo semper est risibilis.* Si vero vel risibile non diceretur de rationali omni et semper, vel rationale non diceretur de homine omni et semper, non sequeretur ex necessitate, quod risibile diceretur de homine omni et semper. E converso, quod masculus suo tempore emittat barbam, non verificatur de omni nec semper, sed solum plerumque; ideo debet probari per medium, de quo majus extremum, quod est emittere barbam, verificetur plerumque, non autem de omni et semper. Ratio est, quia si et majus extremum, quod vocetur A, dicitur de medio B omni et semper; et medium B dicitur de minori extremo C omni et semper; etiam majus extremum A dicitur de minori extremo C omni et semper; sed supponitur, quod A majus extremum non dicatur de C minori extremo omni et semper; ergo vel A majus extremum non dicitur de omni B medio, vel B medium non dicitur de omni C minori extremo. Ex. gr., ex eo, quod *omne rationale sit semper risibile;* et *omnis homo semper sit rationalis,* sequitur ex necessitate, quod *omnis homo sit risibilis;* ergo si supponatur, quod homo non semper, sed plerumque sit risibilis, hoc ipso, vel non omne rationale semper est risibile, vel non omnis homo semper est rationalis; ergo conclusio, quæ sit vera solum plerumque, resolvi debet in principia immediata, quæ sint vera solum plerumque.

CAPUT VIII

QUO PACTO POSSIMUS VENARI DEFINITIONEM EXPLICANTEM, QUID SIT RES.

1. [13] Quomodo igitur quid sit per definitiones explicetur, et quomodo ejus demonstratio vel definitio sit aut non sit, dictum antea fuit. Quomodo autem investigare oporteat, quæ attribuuntur in quæstione quid est, nunc dicamus. Eorum igitur quæ cuique rei semper insunt, quædam latius patent, non tamen extra genus comperiuntur. Dico autem latius patere quæ insunt cuique rei universaliter, sed et alii rei insunt. Exempli causa, est aliquid quod omni ternario inest, sed et non ternario, veluti ens inest ternario, sed et non numero. At impar inest omni ternario, et latius patet, quippe quod etiam quinario inest; sed non est extra genus, quandoquidem quinarius est numerus, nihil autem extra numeros est impar.

1. Docet jam Aristoteles, quo pacto possimus venari et invenire tum *quid res sit,* tum *propter quid sit.* Ut igitur explicet, quo pacto possimus venari, *quid res* sit, præmittit, ex prædicatis, quæ dicuntur semper et universaliter de aliquo subjecto, quædam ita latius patere, quam subjectum, ut conveniant etiam alteri generi ac prædicamento; quædam e converso latius quidem patere, quam subjectum, sed ita, ut non conveniant alteri generi ac prædicamento. Exemplum prædicatorum, quæ ita latius patent quam subjectum, ut conveniant alteri generi et prædicamento, est ens, quod ita dicitur universaliter de ternario, ut dicatur etiam de rebus, quæ sunt extra genus ternarii, quod genus est numerus, et extra prædicamentum ternarii, quod prædicamentum est quantitas. Exemplum prædicatorum,

quæ latius patent intra idem genus, est impar, quod ita dicitur de ternario et non ternario, ut non egrediatur genus numeri; de solo enim numero dicitur impar.

2. Quæ igitur sunt ejusmodi, sumi eo usque debent, donec tot sumantur primum, quorum unumquodque latius pateat, omnia vero simul accepta non latius pateant. Hanc enim necesse est esse rei essentiam. Verbi gratia, omni ternario inest numerus, impar, primum utroque modo, et quod eum numerus non metitur, et quod non componitur ex numeris. Jam igitur hoc est ipse ternarius, numerus impar, primus et ita primus. Horum enim alia omnibus imparibus insunt, ultimum vero etiam binario. At omnia simul nulli alii insunt quam ternario.

3. Quia vera declaratum est a nobis in superioribus, ea esse necessaria, quæ attribuuntur in quæstione quid est (sunt enim universalia, universalia vero sunt necessaria), quæ autem de triangulo aut quavis alia re ita sumuntur, insunt in attributione quid est ; ita fit ut ternarius necessario sit hæc. Quod autem hæc sit essentia ternarii, hinc manifestum est, quia necesse est, nisi hæc sit essentia ternarii, ut sit veluti genus quoddam aut nominatum aut nomine vacans. Latius igitur patebit quam ut soli ternario insit. Supponatur namque genus esse ejusmodi ut vi sua latius pateat. Ergo si nulli inest alii quam individuis ternariis, hæc erit essentia ternarii. Nam hoc quoque supponatur, ejusmodi, de individuis ultimam attributionem esse cujusque rei essentiam. Quare similiter cum quævis alia res ita demonstrabitur, ea erit illius essentia.

2. His præmissis ponit Aristoteles *primam regulam* ad venandam definitionem, quæ regula est : sumi debent prædicata communiora re, sed intra idem genus, quoadusque, licet singula conveniant aliis a re, omnia simul conveniant soli rei; in his enim prædicatis consistit essentia ac definitio rei. Ex. gr., ut inveniam definitionem ternarii, sumere debeo, quod ternarius sit numerus, quod sit impar, et quod sit primus utroque modo, ita ut non mensuretur ullo numero sæpius repetito, sed sola unitate, et non componatur ex numeris. Singula ex istis prædicatis conveniunt alteri a ternario ; omnia simul conveniunt soli ternario. *Esse numerum* est commune ternario cum omnibus numeris imparibus; *esse primum, ita ut non mensuretur ullo numero*, est commune ternario cum quinario, septenario, etc., qui non mensurantur ullo numero, sed sola unitate ; *esse primum, ita ut non componatur ex numeris*, est commune ternario cum binario; at *esse simul numerum, imparem, primum, ita ut neque mensuretur numero neque componatur ex numeris*, est proprium solius ternarii. Licet enim binarius sit numerus utroque modo primus, non est impar; et licet quinarius sit numerus impar primus uno modo, in quantum non mensuratur numero, adhuc non est primus secundo modo, ita ut non componatur ex numeris ; quinarius siquidem componitur ex ternario et binario; ergo solus ternarius est numerus, impar, primus utroque modo, et per hoc, quod sit *numerus primus utroque modo*, convenit cum binario, sed differt ab omnibus aliis numeris tum paribus tum imparibus; per hoc quod sit impar, convenit cum numeris imparibus et differt a binario, qui est numerus par primus utroque modo.

3. Jam quod hæc descriptio et necessario conveniat ternario, et explicet totam essentiam ternarii, probatur, quia prædicata quidditativa conveniunt subjecto necessario, hoc est universaliter et semper; sed ex suppositione sumpta fuerunt sola prædicata quidditativa; ergo allata descriptio convenit subjecto necessario. Rursus, quod dicitur de subjecto necessario et quidditative, vel dicitur ut genus, vel ut tota definitio ac tota essentia ; sed hæc descriptio non dicitur de ternario ut genus, alioquin latius pateret quam ternarium; supponitur enim genus latius patere ac potentia pluribus inesse; ergo hæc descriptio dicitur de ternario ut integra definitio, adeoque explicat totam essentiam ternarii. Illud enim explicat totam essentia rei, quod ita dicitur quidditative de re, ut illi soli conveniat ac solis individuis in illa contentis; sed allata descriptio dicitur de solo ternario ac de solis ternariis singularibus ; ergo allata descriptio explicat totam essentiam ternarii. Idem dic proportionaliter de aliis. Definitio enim binarii erit : *numerus par, primus utroque modo ;* et singulæ particulæ talis definitionis erunt communiores ternario; tota definitio non erit communior ternario.

4. Oportet autem, cum quis circa aliquod totum versatur, dividere genus in prima individua specie, verbi gratia numerum in ternarium et binarium. Sic deinde nitendum est ut horum definitiones sumantur,

5. veluti lineæ rectæ et circuli et anguli recti. Post ea sumendo quid sit genus, veluti utrum sit quantitas, an qualitas proprias affectiones contemplari per communia prima. Quæ namque compositis ex individuis accidunt, manifesta ex definitionibus erunt,

6. propterea quod definitio et simplex est principium omnium, et solis simplicibus per se insunt accidentia, ceteris autem ratione illorum.

4. Verum quia adhuc remanet dubium, qua methodo et ordine sint sumenda prædicata quidditativa communiora re, cujus quærimus definitionem, et quo pacto possimus vitare, ne prætermittamus aliquod ex prædicatis quidditativis, adeoque faciamus definitionem diminutam, ponit Aristoteles *secundam regulam*, quæ est : cum agimus de aliquo genere subjecto scientiæ, ut inveniamus definitiones eorum, quæ sub tali genere continentur, debemus illud genus dividere usque ad primas species atomas seu specialissimas; deinde vero debemus conari, ut inveniamus definitiones talium specierum, advertendo, in quo genere sint, et per proprietates specierum subalternarum, in quas dividitur supremum genus, investigando, in quibus speciebus subalternis sint species specialissimæ, quarum quærimus definitiones.

5. Probatur et explicatur exemplis. Arithmeticus, qui contemplatur numeros ut genus subjectum, ad investigandas definitiones numerorum, dividat genus, quod contemplatur, hoc est numerum usque ad primas species specialissimas, ternarium nimirum et binarium, etc., quæ sunt primæ species numerorum ; deinde investiget, quid sint tales species, puta quid sit ternarium, quid binarium. Proportionaliter geometra, qui contemplatur ut genus subjectum quantitatem continuam, dividat quantitatem continuam usque ad primas species specialissimas, quæ sunt linea recta et circulus ; angulus rectus, acutus et obtusus, etc. ; deinde vero investiget, quid sint tales species, quid angulus rectus, quid circulus, quid linea recta. Ut autem inveniat prædicata quidditativa talium specierum, sumat primo loco supremum genus seu prædicamentum, in quo sunt, ex. gr., sumat, quod circulus est in prædicamento quantitatis; deinde vero dividendo illud genus in species subalternas inferiores et inferiores, ex iis, quæ sunt propria talium specierum subalternarum communium, advertat, sub quibus membris divisionis comprehendatur species, cujus definitionem quærit. Ex. gr., dividens quantitatem in continuam et discretam, ex eo quod proprium quantitatis continuæ sit *habere partes copulatas termino communi*, advertet circulum contineri sub quantitate continua, cum circulus habeat partes copulatas termino communi; dividens quantitatem continuam in lineam, superficiem et solidum, ex eo quod linea sit longitudo carens latitudine, advertet, quod circulus continetur in linea, etc.; et sic ulterius dividendo poterit sumere alia prædicata communia, ex quibus constituatur definitio circuli.

6. Ratio vero, cur ex descriptionibus explicantibus propria rationum communium, debeat investigari, sub quibus rationibus communibus contineantur species atomæ, est, quia definitio seu descriptio simpliciorum est principium ad cognoscendum, utrum simplicia conveniant vel non conveniant speciebus, quæ componuntur ex iis simplicibus; ex. gr., descriptio animalis est principium ad investigandum, utrum homo sit animal vel non sit animal; sed species inferiores componuntur ex rationibus superioribus; ergo descriptiones propriæ rationum superiorum sumi debent ut principia ad ostendendum, quæ rationes superiores prædicentur vel non prædicentur de speciebus inferioribus, quarum definitiones quærimus. Tales vero descriptiones per se competunt rationibus superioribus, inferioribus vero conveniunt, in quantum continentur superioribus; ex. gr., *habere partes copulatas termino communi,* per se convenit continuo, circulo vero convenit, in quantum est quoddam continuum.

7. Porro divisiones, quæ per differentias fiunt, utiles sunt ad ita progrediendum.

8. Quatenus autem probent, dictum est supra ; sed utiles sic tantum esse possunt ad concludendum quid sit.

7. Contra allatam regulam quædam possunt opponi, ex quorum solutione utilitas regulæ magis elucescet. Primum est, quia sequitur, quod per divisionem possit demonstrari, *quid sit res;* hoc autem reprobatum est supra.

8. Responsionem indicat Aristoteles, dicendo, quod licet per divisionem ratiocinatione quadam investigemus, *quid sit res*, adhuc non demonstramus, *quid res sit,* ut probatum est supra cap. III, num. 7 et seq.

9. Atqui videntur utilitatis nihil afferre, sed statim omnia sumere, perinde ac si quis ab initio sumeret sine divisione.

10. Refert autem utrum aliquod attributum prius, an posterius attribuatur, veluti utrum dicatur animal mansuetum bipes, an bipes ani-

mal mansuetum. Nam si res omnis ex duobus constat, et animal mensuetum est unum quiddam; rursusque ex hoc et differentia fit homo, vel quodvis aliud est quod unum fit, necesse est dividendo petere. Præterea ut nihil eorum prætermittatur, quæ attribuuntur in quæstione quid est, hac tantum ratione contingit. Nam sumpto primo genere, si quis inferiorem aliquam divisionem accipiat, non omnia in illud cadent. Verbi gratia non omne animal aut continuas aut scissas alas habet, sed omne animal alatum; hujus enim hæc est differentia. Prima autem animalis differentia est, in quam omne animal cadit. Similiterque accipienda est prima divisio omnium aliorum generum, sive sint omnino diversa ab animali, sive sub eo contineantur, utputa volucris prima divisio est, in quam omnes volucres cadunt, et piscis, in quam omnes pisces. Sic igitur progrediens scire potest nihil esse prætermissum; alias autem et prætermitti aliquid interdum necesse est, et id ignorari.

9. Secunda objectio est : sine ulla divisione possumus sumere, quæ prædicata conveniant rei, cujus definitionem quærimus; ergo divisio nihil confert ad investigandam definitionem. Probatur antecedens. Sine ulla divisione quantitatis in continuam et discretam, ex. gr., possumus sumere, quod circulus sit quantitas continua indivisibilis secundum latitudinem, ac divisibilis secundum longitudinem, idemque dic de aliis; ergo, etc.

10. Respondet Aristoteles divisionem esse utilem propter duo : primo, ut prædicata quidditativa sumantur ordinate; secundo, ut nullum omittatur prædicatorum quidditativorum, adeoque definitio non sit diminuta. Explicatur. Primo possumus eadem prædicata quidditativa sumere vel uno ordine vel alio; ex. gr., vel possumus dicere, quod *homo est animal bipes mansuetum*, vel quod *homo est animal mansuetum bipes*. Differt autem valde, utrum prædicatum ponamus primo vel secundo loco. Cum enim quod definitur, debeat esse unum constitutum ex genere et differentia divisiva talis generis, si dicatur *animal mansuetum bipes*, significatur, quod genus est *animal mansuetum*, adeoque, quod *mansuetum* est differentia constitutiva generis, *bipes* vero est differentia divisiva generis, quod genus est *animal mansuetum*, et constitutiva unius speciei, quæ est *homo*, vel quodvis aliud unum; sed ad hoc, ut appareat, quo ordine debeant sumi prædicata, necesse est uti divisione, in qua exprimatur hic ordo et petatur, ut per divisionem satis apparens; ergo divisio confert ad hoc, ut definitio sit ordinata. Secundo confert divisio, ut definitio non sit diminuta, hoc est, ut nullum omittat ex prædicatis quidditativis. Si enim quis omittens differentias immediatas, dividat genus per differentias mediatas, statim apparebit defectus ex eo, quod genus non comprehendatur in divisione, nec sit adæquate divisum. Ex. gr., si quis dividat animal in id, quod habet alas continuas, ut vespertiliones, et in id, quod habet alas divisas in plures pennas, statim apparebit non omne animal comprehendi sub hac divisione, si quidem plura sunt animalia non alata, quæ neutro divisionis membro comprehenduntur; ergo statim apparet omissas esse differentias immediatas, per quas animal dividitur in alatum et non alatum; differentiæ enim immediatæ sunt, sub quibus comprehenditur totum divisum; ergo per divisionem patet nullam differentiam omissam esse, cum sine divisione necesse sit, multoties aliquam differentiam omitti; et etiam si contingat nullam differentiam omitti, necesse sit definientem ignorare, utrum omiserit.

11. Neque vero opus est ut definiens ac dividens cognoscat res omnes, quanquam nonnulli inquiunt, fieri non posse, ut quis cognoscat differentias, quibus res proposita a quaque re secernitur, nisi quamque rem cognoscat; sine differentiis autem non posse quamque rem cognosci; id enim a quo hoc non differt, idem cum hoc esse; id vero a quo differt, aliud esse ab hoc.

12. Primum igitur hoc falsum est. Non enim secundum quamvis differentiam est aliud, quandoquidem iis quæ sunt eadem specie, multæ differentiæ insunt, non tamen secundum essentiam nec per se.

13. Deinde cum quis sumpserit opposita et differentiam, et quodvis in hanc vel in illam partem cadere, ac sumpserit in altera parte esse id quod quæritur, idque cognoscit, nihil refert utrum sciat an ignoret quibus aliis attribuantur. Apparet enim, si ita progrediens pervenerit ad ea, quorum non est amplius differentia, eum habiturum esse definitionem.

11. Tertia objectio est : non possumus per viam divisionis definire aliquam rem, nisi sciamus, quid sint omnes aliæ res; sed non possumus scire, quid sint omnes aliæ res; ergo neque possumus per viam divisionis definire ullam rem. Probatur major; non possumus per viam divisionis cognoscere, quid sit res, nisi cognoscamus, per quam differentiam res differat ab aliis rebus; sed non possumus cognoscere, per quam differentiam res differat

ab alia re, nisi cognoscamus, quid sit illa res, a qua differt; ergo non possumus cognoscere, quid sit res, nisi cognoscamus, quid sint aliæ res.

12. Respondet Aristoteles dupliciter, primo, quod ad hoc, ut cognoscamus quid sit res, non debemus cognoscere omnes differentias accidentales rei, per quas res differt a se ipsa, et etiam ab aliis rebus, sed sufficit, ut cognoscamus differentias essentiales; ex. gr., ut cognoscamus, quid sit homo, non debemus cognoscere, utrum sit albus vel niger, calidus vel frigidus, quæ sunt differentiæ accidentales, per quas homo differt ab aliis rebus et etiam a se ipso, eo pacto quo per calorem differt a se ipso, quando est frigidus; ergo non est verum, quod ut cognoscamus, quid sit res, debemus cognoscere omnes differentias rei; nec est verum, quod res per omnes differentias constituitur altera et non eadem, cum possit eadem res nunc habere unam differentiam accidentalem, nunc aliam; nunc esse calida, nunc frigida, etc.

13. Secundo respondet, quod ad cognoscendum, quid res sit, sufficit dividere genus in duo opposita et cognoscere, quod definitum constituitur per alteram ex oppositis differentiis, ac per eam differt ab omnibus contentis in opposito membro divisionis, cognoscendo illa in communi et non in speciali; ergo ad cognoscendum, quid res sit, non requiritur, ut omnia, a quibus res differt, cognoscantur sub specialibus rationibus, sed sufficit, ut cognoscantur in communi. Ex. gr., ut cognoscam, *quid sit homo*, sufficit, ut dividam animal, quod est genus hominis, in rationale et irrationale, et ut cognoscam, quod homo est animal rationale, et per hoc differt ab animalibus irrationalibus at non requiritur, ut cognoscam, quod animal irrationale dividitur in rugibile; hinnibile etc. neque, quod cognoscam, quid sit equus, quid leo etc.; ergo ad cognoscendum, quid sit una res, non debet cognosci, quid sint aliæ res, nisi forte sub ratione communi.

14. Quodvis autem cadere in divisionem, si sint opposita medio carentia, non est postulatum.

15. Necesse est enim quodvis in altero eorum esse, si quidem illius differentia erit.

14. Quarta objectio est : in tantum per viam divisionis posset constare, quod in definitione sumuntur omnia prædicata quidditativa, in quantum posset constare, quod divisio est immediata et adæquata; sed non potest constare, quod divisio sit immediata et adæquata, sed debet id peti; ergo etc.

15. Respondet Aristoteles, quod si divisio fiat per opposita contradictorie, inter quæ non datur medium, eo ipso constat divisionem esse adæquatam; ex. gr., si dividatur numerus in parem et imparem, eo ipso est manifestum, quod omnis numerus vel est par vel impar.

16. Sed in conficienda per divisiones definitione tria observare oportet, nempe ut accipiantur attributa in quæstione quid est; et ut hæc ordine collocentur ut quidque est primum vel secundum; et ut hæc sint omnia.

17. Horum autem primum consequi possumus, quia sicut possumus de accidenti ratiocinari et concludere accidens inesse, ita etiam possumus per genus adstruere. Collocabuntur autem singula ut oportet, si quis primum sumpserit. Quod quidem fiet, si sumptum erit quod omnibus consequens est, cum ei non sint omnia consequentia. Necesse est enim esse tale quidpiam. Hoc autem sumpto jam in inferioribus idem modus servandus erit. Secundum enim erit, quod aliorum primum erit, et tertium, quod sequentium. Dempto enim superiori, id quod deinceps sequitur, erit aliorum primum. Similis est ceterorum ratio. Quod autem hæc sint omnia, perspicuum est, quia sumimus, quod est primum in divisione illa, omne est vel hoc vel hoc, inest autem hoc; rursusque hujus totius differentiam. Ultimi vero non est amplius differentia; aut confestim hoc sumptum cum ultima differentia a toto illo non differt. Constat enim neque plus quam oporteat adjectum esse (quæcunque enim sumpta sunt, attribuuntur in quæstione quid est), neque deesse quicduam ; aut enim genus aut differentia esset. Genus igitur est et illud primum et hoc cum differentiis assumptum. Differentiæ vero omnes hærent. Non est enim amplius ulla differentia posterior ; alioquin ultimum specie differret ; sed dictum fuit hoc non differre.

16. Proposita et explicata regula investigandi definitionem per viam divisionis, subdit Aristoteles tria præcepta in hoc negotio observanda. Primum est, ut sumantur prædicata quidditativa. Secundum, ut ita disponantur, ut primum ponatur primo loco, secundum secundo, et sic deinceps. Tertium, ut sumantur omnia prædicata quidditativa et nullum omittatur.

17. Addit tria documenta ad hæc præcepta servanda. Primum est : ut sumamus prædicata quidditativa, debemus per regulas de accidente examinare, utrum ta-

lia prædicata conveniant subjecto, et per regulas generis examinare, utrum de subjecto dicantur in quid, quæ regulæ traduntur in Topicis lib II, et IV. Secundum documentum est : ut ordinemus prædicata quidditativa; primo loco debemus ponere illud prædicatum, quod est prius cæteris a subsistendi consequentia, ita ut ex omnibus sequatur, cum cætera non sequantur ex illo; secundo loco debemus ponere prædicatum, quod sequitur ex cæteris, excepto primo, cum cætera a primo non sequantur ex ipso; tertio loco debemus ponere prædicatum, quod sequitur ex aliis excepto primo et secundo, et sic deinceps. Ex. gr., prædicata ista: animal, gressibile, bipes, debent ita ordinari, ut primo loco ponatur animal, secundo gressibile, tertio bipes; quia ex eo, quod aliquid sit animal, non sequitur, quod sit gressibile vel bipes; at ex eo, quod aliquid sit gressibile vel bipes, sequitur, quod sit animal; ergo animal est prædicatum primum a subsistendi consequentia ; gressibile est secundum, bipes est tertium, quia omne gressibile est bipes, non omne bipes est gressibile. Tertium documentum est: ut sumamus omnia prædicata quidditativa, debemus primum genus dividere adæquate usque ad ultimas species, quæ non sint divisibiles in alia specie diversa. Observatis his tribus documentis, habebimus sola prædicata quidditativa ex primo præcepto, recte ordinata ex secundo præcepto, et omnia ex tertio præcepto; nam habebimus primum genus et omnes differentias. Si enim aliqua superesset differentia, species, in qua sistimus, esset divisibilis in specie diversa; sed supponitur non esse divisibilis; ergo habemus omnes differentias; ergo habemus definitionem, cui nihil deest. Ex. gr., ad investigandum, quid sit homo, animal dividendum est in rationale et irrationale; rursus animal rationale dividendum ex sententia Platonicorum in mortale et immortale. Si animal rationale mortale non erit amplius divisibile in specie diversa, hæc erit integra definitio hominis, explicans genus et omnes differentias. Si enim aliqua superesset differentia specifica, posset per illam dividi animal rationale mortale in plura animalia rationalia mortalia specie diversa; sed supponitur non possse animal rationale mortale dividi in plura animalia rationalia mortalia specie diversa; ergo sumptæ sunt omnes differentiæ specificæ.

18. Quærere autem oportet, respiciendo ad ea quæ sunt similia nec differunt inter se, primum quid hæc omnia commune habent. Deinde rursus id quærendum est in aliis, quæ sunt in eodem cum illis genere, inter se autem si comparentur, sunt eadem specie, sed ab illis diversa. Cum autem in his sumptum fuerit quid sit cujus ratione omnia sunt unum et idem, et in aliis similiter, tunc in iis quæ sumpta fuerunt rursus considerare oportet, an aliquo modo idem sint, donec ad unam rationem perveniatur. Hæc enim erit rei definitio. Si vero non perveniatur ad unam rationem, sed ad duas vel plures, constat essentiam non posse esse unam, quæ quæritur, sed plures.


19. Verbi gratia, si quæramus quid sit magnanimitas, considerandum est in aliquibus magnanimis, quos novimus, quid omnes unum et commune habeant, qua sunt tales. Veluti si Alcibiades est magnanimus vel Achilles et Ajax, considerandum est, quid omnes unum et commune habeant, puta non perpeti contumeliam ; alius enim pugnavit, alius iratus est, alius sibi mortem conscivit. Rursus considerandum est in aliis, veluti in Lysandro aut Socrate. Si igitur hoc his commune sit, eodem modo in secundis et in adversis rebus se habere, his duobus acceptis considero, quid commune habeant, non moveri ab utraque fortuna et non perpeti contumeliam. Quod si nihil commune habeant, duæ utique species erunt magnanimitatis.

20. Omnis porro definitio semper est universalis; non enim medicus definit, quid sit cuidam oculo salubre, sed vel omni vel speciei. Ac facilius definitur singulare quam universale. Idcirco oportet a singularibus ad universalia transire. Etenim homonymiæ magis latent in universalibus quam in iis quæ non distinguuntur.

21. Ut autem in demonstrationibus oportet inesse vim concludendi, ita etiam in definitionibus perspicuitatem. Hæc autem inerit, si ex iis quæ singillatim dicuntur, seorsum definiatur id quod in quoque genere est, veluti simile non omne, sed quod est in coloribus et in figuris, et acutum, quod est in voce. Atque ita ad commune progredi oportet, cavendo ne incidat homonymia.

22. Quod si non est disserendum metaphoris, contat nec definiendum esse metaphoris, nec definienda esse ea quæ dicuntur per metaphoram ; alioqui necesse erit ut metaphoris disseratur.

18. Proposita et explicata regula venandi definitionem per descensum, incipiendo a genere universaliori ac illud dividendo, proponit Aristoteles aliam regulam venandi definitionem per ascensum, incipiendo ab inferioribus et ascendendo ad superius, cujus quærimus definitionem. *Tertia* igitur *regula* est : ad venandam definitionem communem alicujus, quod dicitur de pluribus, tum similibus,



tum dissimilibus, debemus considerare, in quo conveniant similia, et in quo conveniant dissimilia a primis, sed similia inter se; ac deinde ex duabus diversis rationibus abstrahere aliquam rationem unam utrisque communem. Si enim talis ratio detur, hæc erit definitio, quam quærimus; si non detur, nomen, cujus quærimus definitionem, non habebit definitionem unam, sed dicetur æquivoce de pluribus.

19. Affert Aristoteles exemplum ad id explicandum. Quærimus, quid sit magnanimitas. Ut venemur definitionem magnanimitatis considerare debemus homines singulares, qui dicti sunt magnanimi. Dividuntur isti in duas classes. In prima classe continentur : Alcibiades, Achilles et Ajax Telamonius, qui ita dicti sunt magnanimi, ut fuerint similes in hoc, quod ferre non potuerunt injurias. Alcibiades enim non ferens Athenis Lysiam sibi præferri, defecit ad Lacedæmonios, ac bellum intulit patriæ; Achilles ob raptam sibi ab Agamemnone Briseidem abstinuit bello; Ajax ob Ulyssem sibi prælatum in accipiendis armis Achillis se ipsum interfecit. In secunda classe sunt Socrates et Lysander, qui dicti sunt magnanimi, et tamen fuerunt tolerantes injuriarum, adeoque fuerunt dissimiles a primis tribus, sed fuerunt similes inter se in hoc, quod æquabiliter se habuerunt tum in rebus secundis tum in adversis. His positis, quærendum : *æquabilitas in adversis ac secundis et non tolerantia injuriarum conveniuntne in aliquo uno, an non.* Si non conveniunt; ergo duæ sunt species ac duæ definitiones magnanimitatis, ac proinde magnanimitas dicitur æquivoce. Si conveniunt, id erit definitio et quidditas magnanimitatis. Et quia magnanimi conveniunt in hoc, quod existimant se dignos magnis, ideoque quidam non ferunt contemptum et injurias, alii propter id ipsum æquanimiter se habent in adversis ac secundis, quæ despiciunt, utpote inferiora magnitudine sua, ideo definitio magnanimitatis est : *virtus, per quam quis se dignum existimat magnis.*

20. Quod autem hæc regula venandi definitiones universales ex singularibus seu inferioribus sit conveniens, probat Aristoteles, quia licet definitio proprie sit universalis, ut patet ex eo, quod non definitur salubre huic oculo, sed salubre oculo, adhuc tamen facilius cognoscitur, quid sit res, considerando illam in singulari vel in minus universali, quam considerando illam in universali, præsertim cum in universalibus latere soleant æquivocationes; ergo sicut ad venanda principia consideramus per inductionem singularia, et ex illis ascendimus ad universale; sic ad venandas definitiones, debemus considerare, quid sit res in singularibus, et sic ascendere ad definitionem universalis.

21. Confirmatur, quia sicut in demonstrationibus debet dari vis inferendi conclusiones, sic in definitionibus debet dari vis explicandi ac manifestandi definitum; sed hæc vis tum adest, cum genus commune explicamus, prius explicando inferiora, deinde ascendendo ad genus commune; ergo sic est faciendum. Probatur minor exemplis. Facilius intelligitur, quid sit simile in communi, si prius explicetur, quid sit simile in colore, quid simile in figuris, et deinde abstrahatur, quid sit simile *ut sic*. Rursus facilius intelligitur, quid sit acutum *ut sic*, si prius seorsim explicetur, quid sit acutum in voce, acutum in figura, et deinde abstrahatur, quid sit acutum *ut sic*, vitando æquivocationes ; ergo hoc pacto est procedendum.

22. Concludit Aristoteles addendo ultimum præceptum, quod, sicut disputans non debet uti locutionibus metaphoricis sed propriis, sic definiens non debet uti locutionibus metaphoricis, sed propriis ; ex. gr., non debet definire hominem *arborem inversam*. Cum enim definitiones sint principia ad disputandum, eo ipso, quod quis in definiendo utatur metaphoris, etiam in disputando uti debebit metaphoris.

CAPUT IX

EXPLICATUR, QUOMODO POSSIMUS PER DIVISIONEM VENARI PROPTER QUID, SEU MEDIA ET CAUSAS AD SOLVENDA PROBLEMATA.

1. [14] Ut autem habeamus problemata, seligere oportet sectiones et divisiones. Sic autem seligere, supposito genere communi omnium. Veluti si animalia considerentur, primum spectare oportet qualia omni animali insint, his autem sumptis, rursus ceterorum primo videndum est qualia omni sint consequentia, verbi gratia si hoc sit volucris, videndum est qualia sint omni volucri consequentia; atque ita semper videndum erit qualia proximo consequentia sint. Constat enim fore ut possimus dicere cur consequentia insint iis quæ sub communi continentur,

2*. veluti cur insint homini aut equo. Esto igitur animal, ubi α; τὸ β autem consequentia omni animali; ubi vero γ δ ε, animalia quædam. Patet igitur cur τὸ β insit τῷ δ; inest enim per α. Similiter autem et aliis inest. Ac semper in aliis est eadem ratio.

Quandoquidem Aristoteles ostendit viam divisionis esse utilem ad venandum, *quid sit res*, procedit ad ostendendum, quod etiam est utilis ad venandum, propter quid res sit; et quia *propter quid* est causa et medium demonstrationis, per quam demonstrative solvuntur quæstiones et problemata proposita, docet modum inveniendi medium ad demonstrative solvendas quæstiones et problemata proposita.

1. Ut igitur possimus solvere plurimas quæstiones et problemata circa aliquod subjectum, ex. gr., circa aquilam, vel vulturem, debemus considerare supremum genus talis subjecti, quod sit substantia, et videre, quæ passiones conveniant omni substantiæ, in quantum substantia est; deinde debemus dividere hoc genus in proximas species subalternas; ex. gr., substantiam in corpus et spiritum, et assumendo corpus, sub quo continentur *homo* et *equus*, debemus considerare, quænam aliæ passiones conveniant omni corpori, in quantum est corpus, ac similiter dividendo corpus in vivens et non vivens, debemus considerare, quænam passiones conveniant corpori viventi, in quantum est vivens; et subdividendo vivens in animal et plantam, debemus considerare, quænam passiones conveniant animali, in quantum est animal; et subdividendo animal in volucres et pisces etc. debemus considerare, quænam passiones conveniant volucri, in quantum est volucris etc. Hac via habemus media ad demonstrandum de aquila omnes passiones communes volucri, animali, etc. Si enim quæratur: *propter quid aquila habet talem passionem?* respondebimus: *quia volucris est. Propter quid hanc aliam?* respondebimus: quia *animal est;* ergo venabimur media ad demonstrandum demonstratione *propter quid* de aquila et de omnibus volucribus plurima prædicata.

2 Explicatur: genus commune sit *animal*, passio animalis sit *dormire vicissim et vigilare,* species contentæ sub animali sint *homo, equus, canis,* poterit de homine, equo et cane. ut de minori extremo demonstrari passio dormiendi et vigilandi ut majus extremum, per animal tanquam per medium sic: *omne animal vicissim dormit et vigilat; omnis homo, equus, canis est animal; ergo omnis, homo, equus; et canis vicissim dormit et vigilat.*

3. Nunc ergo secundum tradita communia nomina loquimur, oportet autem non in his tantum considerare, sed etiam accipere, si quid aliud visum fuerit commune esse, deinde quibus hoc consequens sit, et qualia sint huic consequentia. Veluti cornua habentibus consequentia esse habere omasum, non habere dentes in utraque maxilla. Rursus cornua habere quibus consequens sit. Patebit namque cur illis insit quod dictum est; nam ideo inerit, quod habent cornua.

4. Præterea alius modus est secundum analogiam eligere. Non licet enim unum et idem accipere, quo appellare oporteat sepium et spinam et os. Sunt autem et his consequentia quædam, quasi una quædam sit hujuscemodi natura.

3. Adhuc plura problemata solvemus, si non solum consideremus passiones generum nominatorum, sed etiam innominatorum, immo et quarumcumque rationum communium, etiam non quidditativarum. Ex. gr., bos, cervus et plura alia animalia conveniunt in hoc, quod sint cornigera, quæ ratio fortasse non est quidditativa, licet probabiliter sequatur ad aliquam rationem quidditativam innominatam. Debemus igitur considerare, quæ passiones conveniant omnibus cornigeris, et inveniemus, quod omnia cornigera carent dentibus in mandibula superiori, eo quod materia dentium convertatur in cornua, et habent omasum seu alium ventrem ad ruminandum. Poterunt igitur ex hoc solvi problemata: *cur bos habeat duos ventres, et cur careat dentibus ex parte superiori,* respondendo, quod *ideo caret dentibus ex parte superiori, et habet duos ventres, quia est cornigerum,* et construendo demonstrationem similem allatæ.

4. Adhuc plura problemata solvuntur, si consideremus passiones proportionaliter sequentes ad aliquid commune non univoce, sed analogice et proportionaliter. Ex. gr., ossa animalium terrestrium, spinæ piscium et sepium, seu quasi spina sepiarum non conveniunt univoce, sed secundum quamdam proportionem, in quantum sicut ossa se habent in animalibus terrestribus, sic spina se habet in piscibus et sepium in sepiis; ad hoc autem proportionale sequuntur aliquæ proprietates proportionales; ergo sumendo pro

medio hoc proportionale, possunt demonstrari de inferioribus omnes proprietates, quæ ad illud sequuntur.

5. [15] Porro alia problemata sunt eadem, quia idem medium habent, veluti quia omnia sunt antiperistasis. Horum autem nonnulla sunt genere eadem; quæ ideo differunt, quod aliorum vel aliter sunt, veluti cur fiat echo, aut cur appareat imago in speculo, et cur fiat iris. Hæc enim omnia sunt idem genere problema, quandoquidem omnia sunt reflexio; sed specie differunt.

6. Alia vero problemata eo differunt, quod alterum medium sub altero medio continetur, veluti cur Nilus extremo mense major et concitatior est? Quia extremus mensis est hibernior. Et cur extremus mensis est hibernior? quia luna deficit. Hæc enim ita se habent inter se.

5. Ulterius aliqua problemata sunt, quæ conveniunt in hoc, ut solvantur per medium idem genere, licet diversificetur specie vel ratione subjecti vel ratione modi. Ex. gr., multa problemata solvuntur, sumendo pro medio antiperistasim, plurima sumendo pro medio reflexionem; ex. gr., hæc tria problemata, *cur detur echo, cur videamus nos ipsos in speculo, cur detur iris,* — solvuntur per reflexionem, dicendo: *echo datur, quia vox reflectitur a locis concavis; videmus nos ipsos in speculo, quia species reflectuntur a speculo; iris fit, quia radii solares reflectuntur in nube*, supponendo illam sententiam, quod iris fiat per reflexionem, quidquid sit de ejus sententiæ veritate.

6. Demum quædam sunt problemata ita se habentia, ut medium, quo solvitur unum contineatur in medio, quo solvitur aliud, ideoque solutio unius pendeat a solutione alterius. Ex. gr., solutio hujus problematis: *cur Nilus decrescente mense et luna, majores ducit aquas?* pendet a solutione istius: *cur decrescente mense et luna fiunt majores pluviæ?* Respondetur enim, *quod Nilus ideo decrescente luna magis abundat aquis, quia decrescente luna fiunt majores pluviæ;* et decrescente luna fiunt majores pluviæ, quia luna dominatur corporibus humidis, ideoque cum deficit illi lumen, magis movet corpora humida.

CAPUT IX

UTRUM QUOTIESCUMQUE EST EFFECTUS, SIT CAUSA; ET UTRUM EJUSDEM EFFECTUS POSSINT ESSE PLURES CAUSÆ REMOTÆ VEL PROXIMÆ; ET QUOMODO INTER PRIMAM CAUSAM SEU MEDIUM EFFECTUM ET SUBJECTUM DETUR MUTUA CONVERTENTIA.

1. [16] De causa vero et eo cujus est causa, dubitare aliquis possit an cum inest effectus, etiam causa insit, veluti si arbor defrondescit vel luna deficit, an etiam causa sit, cur deficiat vel defrondescat. Verbi gratia, si hoc sit latis foliis constare, defectionis autem terræ interpositio;

2* nisi enim sit, alia quædam erit eorum causa. Sive causa sit, simul etiam erit effectus, veluti si terra est interposita, luna deficit; vel si latis foliis arbor constat, defrondescit.

3. Quod si ita sit, simul erunt et reciproce demonstrabuntur. Esto namque defrondescere, ubi α; latis foliis constans, ubi β; vitis. ubi γ. Si igitur τῷ β inest τὸ α (quidquid enim latis foliis constat, defrondescit), τῷ γ autem inest τὸ β, quoniam omnis vitis latis foliis constat, certe τὸ γ inest τὸ α, et omnis vitis defrondescit. Causa autem est τὸ β, quod est medium. Sed et latis foliis vitem constare, quia defrondescit, demonstrare licet. Esto enim τὸ δ latis foliis constans, τὸ ε autem defronsdecere, vitis vero, ubi ζ. Itaque τῷ ζ inest τὸ ε, quia vitis omnis defrondescit; τῷ ε autem τὸ δ; quicquid enim defrondescit, latis foliis constat. Omnis igitur vitis latis foliis constat. Causa autem est defrondescere.

4. At si non possunt sui invicem esse causæ (nam causa est prior eo cujus est causa), terræ quidem interpositio est causa defectionis, defectio vero non est causa interpositionis. Si igitur ea demonstratio, quæ probat per causam, probat cur sit, ea vero quæ non per causam, probat quod sit, sane quod terra sit interposita novit, cur autem sit interposita non novit. Quod autem defectio non sit causa interpositionis, sed hæc defectionis, perspicuum est, quoniam in definitione defectionis inest interpositio. Quare constat illud per hoc notificari, non contra hoc per illud.

Pro conclusione tractatus de *propter quid* seu causa et medio demonstrationis, movet Aristoteles duas quæstiones circa talem causam. Prima quæstio est, utrum semper, quando est effectus, sit vel fuerit causa, adeoque ex effectu possit semper inferri, quod est vel fuerit talis causa. Quia vero si effectus potest pendere disjunctive a pluribus causis, videtur, quod possit esse sine qualibet illarum, proponit secundam quæstionem, an possit idem effectus pendere disjunctivæ a pluribus

causis. Et quia solutio quæstionis est, quod potest effectus pendere a pluribus causis remotis, sed non a pluribus proximis, infert causam proximam esse unicam, adeoque unicum esse proprium medium demonstrationis convertibile cum extremis, quod medium est definitio passionis sive effectus, qui demonstratur de subjecto.

1. *Prima* igitur *quæstio* est, an cum est effectus, semper sit vel fuerit causa, seu talis causa sit simul cum effectu. seu præcedat effectum. Ex. gr., supposito, quod latitudo foliorum sit causa, cur folia decidant, licet talis causa præcedat effectum, necessene est, ut cum folia decidunt, sint lata? Similiter, necessene est, ut cum luna eclypsatur, terra interponatur, cum interpositio sit causa eclypsis, simul existens cum effectu, et non præcedens illum?

2. Rationes pro parte affirmativa duæ sunt. Prima ratio est : si non necesse est, ut quando effectus est, causa sit; ergo cum effectus non possit esse, nisi pendeat a causa, erit alia causa talis effectus, qua posita sequatur effectus, eo pacto, quo posita latitudine foliorum sequitur, ut decidant; posita interpositione terræ sequitur, ut luna eclypsetur.

3. Secunda ratio est : causa et effectus possunt mutuo demonstrari; sed si causa potest demonstrari per effectum, tanquam per medium, necessario sequitur ex effectu, cum conclusio demonstrationis sequatur necessario; ergo ex eo, quod sit effectus, necessario sequitur, ut sit causa, ac proinde effectus non potest esse sine causa. Major probatur et explicatur exemplo. Potest de vite demonstrari, quod habeat folia decidua per causam, ex eo, quod habeat folia lata; et potest vicissim de eadem vite demonstrari, quod habeat folia lata per effectum, ex eo, quod habeat folia decidua. In priori igitur demonstratione majus extremum, quod est *habere folia decidua* ex eo, quod universaliter dicatur de medio, quod est *habens folia lata*, demonstratur de *vite*, ut de minori extremo, sic : *omnis planta habens folia lata habet folia decidua; omnis vitis est planta habens folia lata; ergo omnis vitis habet folia decidua.* In posteriori demonstratione majus extremum, quod est *habere folia lata*, ex eo, quod universaliter dicatur de medio, quod est *habere folia decidua* demonstratur de eadem vite, ut de minori extremo, sic : *omnis planta habens folia decidua, habet folia lata; omnis vitis est planta habens folia decidua; ergo omnis vitis habet folia lata.*

4. Quia tamen est impossibile, ut duo sint sibi invicem causæ cum mutua prioritate, quandoquidem duo non possunt esse mutuo priora ; ideo cum duo invicem demonstrantur, unum per alterum et e converso, tum una demonstratio, quæ demonstrat effectum per causam, ostendit non solum effectum esse, sed etiam *propter quid sit*; altera vero, quæ probat causam per effectum, probat quidem causam esse, sed non ostendit *propter quid sit.* Ex. gr., demonstratio, qua ostenditur eclypsim esse ex eo, quod terra interponatur, non solum ostendit, quod eclypsis sit, sed etiam *propter quid sit*, quia terræ interpositio est causa eclypsis ; at demonstratio, qua ostenditur terram interponi ex eo, quod eclipsis sit, ostendit quidem dari interpositionem, sed non ostendit *propter quid detur.* Quod vero interpositio sit causa eclypsis, eclypsis non sit causa interpositionis, patet, quia in definitione eclypsis ponitur, quod sit *privatio luminis in luna ex interpositione terræ*; ergo eclypsis causatur ex interpositione, non e converso.

5. An contingit unius rei plures causas esse? Etenim si potest idem pluribus attribui primum, τὸ α τῷ β primo insit, et τῷ γ alii primo, atque hæc τοῖς δ ε. Inerit igitur τὸ α τοῖς δ ε. Causa autem cur insit τῷ δ, erit τὸ β, cur insit τῷ ε, τὸ γ. Quare si causa sit, necesse est rem esse. At si res sit, non necesse est omnem causam esse. Sane causam esse necesse est, non tamen omnem.

6. An si problema semper est universale, etiam causa est totum quiddam? Et id cujus est causa, est universale? Veluti defrondescere inest toti cuidam determinato, etiamsi ejus species sint; ac talibus inest universaliter, id est plantis vel talibus plantis. Quocirca in his et medium et id cujus est causa, æqualia esse oportet ac reciprocari ; veluti cur arbores defrondescunt? Si igitur defrondescunt propter concretionem humoris, sive arbor defrondescat, oportet inesse concretionem; sive concretio non cuivis rei sed arbori insit, defrondescere arborem necesse est.

5. Propositis rationibus pro parte affirmativa, ad quæstionem respondet Aristoteles cum distinctione, quod causa effectus potest ita assignari, ut possit esse effectus, quin sit talis causa; et potest ita assignari, ut non possit esse effectus, quin sit talis causa. Explicatur. Cum alicujus communis potest esse multiplex causa,

propter quam illud commune conveniat diversis, tum illud commune potest convenire subjecto, quin detur altera causa determinate accepta, licet non possit convenire, quin detur altera disjunctive, hæc vel illa. Ex. gr., potest esse duplex causa cur aliquis sit vituperabilis, quia nimirum excedit, et quia deficit; audax enim est vituperabilis propter excessum, timidus est vituperabilis propter defectum. Vituperabile igitur probatur de audaci per hanc causam et medium, quod est excessus, sic : *omnis excedens est vituperabilis; omnis audax est excedens; ergo omnis audax est vituperabilis;* et probatur de timido per hanc causam et medium, quod est defectus, sic : omnis deficiens est vituperabilis ; omnis timidus est deficiens; ergo omnis timidus est vituperabilis. Non potest autem e converso ex eo, quod aliquis sit vituperabilis, probari determinate, quod sit excedens, neque potest probari determinate, quod sit deficiens, sed solum potest colligi, quod vel deficit vel excedit.

6. Si tamen sicut effectus assignatur in universali, sic assignetur causa non in particulari, sed secundum illam rationem, in qua, quia conveniunt causæ particulares, ideo conveniunt in causando effectu, tum sicut non potest esse talis causa, quin sit effectus, ita nec potest esse effectus, quin sit causa. Ex. gr., causa cur et deficiens et excedens sit vituperabilis, est, quia et deficiens et excedens operantur præter rationem; ergo si causa vituperabilis assignetur, quia subjectum, quod est agens rationale, operatur præter rationem, sicut non potest esse operatio præter rationem, quin sit vituperabilis, ita non potest esse operatio vituperabilis, quin sit præter rationem, adeoque causa et effectus se mutuo consequuntur. Ad hoc idem explicandum ponit exemplum Aristoteles in hoc effectu, qui est, *plantas habere folia decidua.* Datur aliquod universale, in quo, quia conveniunt omnes arbores habentes folia decidua, ideo habent folia decidua, quod universale sit, *habere humorem frigore congelabilem.* Hæc causa universaliter assignata convertitur cum effectu, ita ut sicut omnis planta habens congelabilem illum humorem, quo folia adglutinantur extremitati ramorum, habet folia decidua, sic e converso omnis planta habens folia decidua, habeat congelabilem illum humorem, quo folia adglutinentur extremitati ramorum.

7. [17] Utrum autem potest ejusdem non eadem causa esse omnibus, sed diversa, an non?

8. An si per se demonstratum est, non per signum vel per accidens, id fieri nequit? Nam medium est definitio extremi. Si vero non ita demonstratum sit, fieri potest?

7. Hinc oritur secunda quæstio, per cujus solutionem magis declarabitur doctrina tradita. Quæritur enim, utrum et quomodo ejusdem effectus et prædicati possint esse diversæ causæ, ita ut tale prædicatum conveniat uni subjecto propter unam causam, alteri subjecto conveniat propter alteram causam, eo pacto, quo dictum est audacem esse vituperabilem propter excessum, timidum propter defectum.

8. Respondet Aristoteles, quod si causa effectus assignetur illa, quæ est per se medium demonstrationis, quod medium est definitio majoris extremi seu passionis, causa effectus est unica. Unius enim unica est definitio; sed causa per se est definitio; ergo est unica causa. At si assignetur pro causa aliquod accidens, sine quo possit esse definitio, vel aliquod signum, poterunt ejusdem effectus esse plures causæ. Ex. gr. causa per se, cur operatio sit vituperabilis, est quia est præter rationem ; sed esse præter rationem est definitio vituperabilis; ergo sicut non datur alia definitio vituperabilis, nisi hæc, sic non datur alia causa, cur quævis operatio sit vituperabilis, nisi quia est præter rationem. At vero accidit, ut id, quod fit præter rationem, vel fiat excedendo vel deficiendo, vel innumeris aliis modis; ergo non est per se causa, ut audax sit vituperabilis, quia excedit, sed hoc est quoddam accidens, et est quædam causa aliqualiter per accidens, adeoque tales causæ possunt esse plures ac pæne infinitæ, sicut etiam possunt esse plura signa operationis vituperabilis.

9. Licet autem et id cujus est causa et id cui est causa considerare per accidens ; sed non videntur esse problemata. Sin minus, similiter se habebit medium. Id est, si extrema sint homonyma, etiam medium erit homonymum. Si vero illa sint ut in genere, simile erit medium ;

10*. veluti quamobrem quibusdam insit proportio commutata ;

11*. quoniam alia causa est in lineis et alia in numeris. Atque idem medium, qua lineæ sunt in quibus spectatur, est diversum; qua vero habet ejusmodi incrementum, est idem. Ita se reshabet in omnibus.

12. Cur autem color colori et figura figuræ

similis sit, alia est alii subjecto causa. Nam simile in his est homonymum. Hic enim fortasse nihil aliud est quam latera habere proportionem et angulos esse æquales. In coloribus autem, unum esse sensum, aut ejusmodi aliud. Quæ vero secundum analogiam sunt eadem, etiam medium habebunt idem secundum analogiam.

9. Ut magis declaret doctrinam traditam, Aristoteles explicat, quo pacto causa per se, quæ est medium demonstrationis debeat proportionari extremitatibus. Licet tam majus extremum, cujus medium est causa, quam minus extremum, cui medium est causa; ut illi conveniat majus extremum, possint considerari per accidens, ut cum dicimus : *musicus ædificat*; tamen problemata, in quibus proponitur quæstio de iis, quæ sunt per accidens, ex. gr., *an musicus ædificet?* non sunt scientifica; ergo conclusio scientifica ac demonstrabilis est, in qua majus extremum per se convenit minori extremo. Si ergo problema sit de extremis per se et non per accidens, necesse est, ut ad minus extremum simili modo se habeat medium, ac se habet majus extremum. Si ergo majus extremum dicatur de iis, quæ se tenent ex parte minoris extremi æquivoce et secundum diversam rationem, etiam medium et causa, propter quam majus extremum dicitur de minori extremo, dicetur æquivoce et secundam diversam rationem; si majus extremum dicatur de iis, quæ se tenent ex parte minoris extremi, quasi generice et secundum rationem proportionaliter eamdem, etiam medium dicetur quasi generice et secundum rationem proportionaliter eamdem.

10. Ut proponatur exemplum problematis, in quo majus extremum dicitur de iis, quæ se tenent ex parte minoris extremi quasi generice, supponendum est ex Euclide, quod tam in numeris quam in magnitudinibus datur permutata proportio, ita ut si primus numerus eamdem habeat proportionem cum secundo, quam tertius habet cum quarto, primus habeat eamdem proportionem cum tertio, quam secundus cum quarto; idemque dic de magnitudinibus. Ex. gr., primus numerus sit novenarius, secundus ternarius, tertius duodenarius, quartus quaternarius. Si eamdem proportionem triplam, quam habet novenarius ad ternarium, habet duodenarius ad quaternarium, eamdem proportionem subsesquitertiam habebit novenarius ad duodenarium, quam habet ternarius ad quaternarium. Est autem proportio subsesquitertia, per quam unum continetur in altero secundum totum, et insuper secundum tertiam sui partem, eo pacto, quo novenarius continetur in duodenario secundum totum, et insuper secundum tria, quæ sunt tertia pars novenarii, et eo pacto, quo ternarius continetur in quaternario secundum totum, et insuper secundum unum, quod est tertia pars ternarii. Idem dic proportionaliter de quantitatibus continuis.

11. His præmissis, exemplum problematis, in quo majus extremum dicitur de iis, quæ sunt ex parte minoris extremi generice vel quasi generice est hoc : *propter quid in numeris et magnitudinibus datur permutata proportio?* Permutata enim proportio dicitur quasi generice de numeris et magnitudinibus. Sicut enim magnitudines specie differunt a numeris, sic permutata proportio numerorum specie differt a permutata proportione magnitudinum; et sicut numeri et magnitudines conveniunt quasi generice in hoc, quod sint quantitates proportionabiles, ita commutata proportio numerorum et magnitudinum est eadem quasi generice; ergo etiam causa et medium, propter quam permutata proportio convenit numeris et magnitudinibus, erit eadem quasi generice, et tamen alia specie erit in numeris, alia in magnitudinibus.

12. Exemplum majoris extremi, quod dicitur æquivoce de iis, quæ se tenent ex parte minoris extremi, est *simile*, quod æquivoce dicitur de figuris et coloribus. Figuræ enim dicuntur similes, eo quod habeant latera proportionalia et angulos æquales; at colores dicuntur similes, eo quod eodem modo movent sensum; ex. gr., omnia alba sunt similia, quia disgregant visum. Sicut igitur simile dicitur æquivoce de coloribus et figuris, ita causa, propter quam colores et figuræ sunt similes, dicitur æquivoce. Est enim talis causa definitio diversa ipsius similis. Si vero majus extremum dicatur de iis, quæ se tenent ex parte minoris extremi analogice et secundum quamdam proportionem, etiam causa dicetur analogice et secundum quamdam proportionem.

13. Sic autem se res habet, quia se mutuo consequuntur causa et id cujus est causa et id cui est causa. Singulatim autem accipiendo, id cujus est causa latius patet. Veluti quattuor angulis æquales esse angulos externos, latius, patet quam triangulum vel quadratum; omnibus

autem est par. Quæcunque enim quattuor angulis rectis æquales habent angulos externos, et medium similiter habent. Medium autem est definitio primi extremi.

14. Idcirco omnes scientiæ per definitionem comparantur. Veluti defrondescere simul consequens est viti et vitem excedit, necnon ficui, et ficum excedit ; sed non omnes excedit, immo est æquale. Si igitur sumpseris primum, medium est definitio hujus verbi defrondescere. Primum enim est alterutrius medium, quod omnia sunt talia; deinde hujus medium est, quod succus concrescit, vel ejusmodi aliud. Quid autem est defrondescere? Concrescere succum seminis, qui est in ea parte, ubi folium cum ramo conjungitur.

13. Potest quæri, cur sicut majus extremum se habet ad minus extremum, ita se habeat medium? Dicendum cum Aristotele, quod ratio hujus est, quia medium demonstrationis est causa, cur majus extremum, hoc est prædicatum conclusionis dicatur de minori extremo. hoc est de subjecto conclusionis; sed prima causa, id, cujus est causa, et id, cui est causa, si recte assignentur debent converti; ergo medium majus extremum et minus extremum debent converti. Probatur minor; si enim sumas hoc majus extremum et prædicatum, quod est *habere angulos externos æquales quatuor rectis;* et sumas, ut minus extremum aliquod tantum ex iis subjectis, quæ habent angulos externos æquales quatuor rectis, puta solum triangulum; majus extremum non adæquabitur minori extremo, sed excedet; nam *habere angulos externos æquales quatuor rectis,* convenit non solum triangulo, sed quadrangulo, immo omnibus figuris rectilineis, ut ex propositione 32, et 33. lib. I. Euclidis probat Clavius in commentario propositionis 32. At si abstrahas rationem communem omnibus subjectis, quibus convenit *habere angulos externos æquales quatuor rectis*, quæ ratio communis est *figura rectilinea*, hoc, quod est *habere angulos externos æquales quatuor rectis*, adæquabitur cum hoc subjecto, quod est *figura rectilinea;* nam omnes et solæ figuræ rectilineæ habent omnes angulos externos æquales quatuor rectis, adeoque hæc passio *habendi omnes angulos externos æquales quatuor rectis;* adæquatur cum primo suo subjecto; sed causa prima, cur hæc passio *habendi omnes angulos externos æquales quatuor rectis*, est definitio talis passionis; definitio autem adæquatur definito ; ergo a primo ad ultimum medium, quod est causa, ut majus extremum conveniat minori extremo, ipsum majus extremum et minus extremum adæquantur invicem, et sunt mutuo convertibilia ; si tamen et subjectum passionis sumatur universaliter, abstrahendo ab hoc et illo subjecto partiali, et causa passionis sumatur universaliter, abstrahendo a causa, propter quam passio convenit solum huic subjecto particulari.

14. Confirmatur, quia omnes scientiæ assumunt ut primum medium ad demonstrandum definitionem passionis, quæ si ulterius sit probanda, probatur per definitionem primi subjecti; sed definitio est convertibilis cum passione, et passio cum subjecto; ergo a primo ad ultimum omnes termini demonstrationis debent esse convertibiles. Quod vero scientiæ assumant ut primum medium definitionem passionis, ac proinde construant demonstrationem potissimam ex terminis convertibilibus, explicatur exemplo physico. Hæc passio *habendi folia decidua*, si comparetur cum vite, ita illi convenit, ut excedat, cum conveniat etiam ficui; si comparetur ficui, ita illi convenit, ut excedat, cum conveniat etiam viti et pluribus aliis plantis. Potest tamen ab omnibus plantis. quibus convenit passio *habendi folia decidua*, abstrahi aliquod genus commune, cui ita convenit habere folia decidua, ut non excedat, sed adæquet tale genus. Si vero quæratur, *propter quid hoc totum genus habeat frondes deciduas,* respondebitur, *quia habet congelabilem illum humorem, quo frondes adhærescunt extremitati ramorum, quæ vocatur arboris semen;* hæc vero causa est definitio passionis, quia si quæratur, *quid est habere frondes deciduas*? respondetur : *est habere congelabile illud humidum, quo folia adhærescunt semini arborum, ita ut ex tali congelatione frondes desinant adhærescere, ac proinde decidant ;* ergo causa et primum medium, *propter quod* certum genus plantarum habet frondes deciduas, est definitio hujus passionis, quæ est *habere frondes deciduas,* ac proinde convertitur cum passione, quæ convertitur cum primo subjecto; ergo tres termini præcipuæ ac fundamentalis demonstrationis convertuntur, et causa proxima atque immediata convertitur cum effectu et subjecto, licet causa remota et mediata possit non converti, eo pacto quo *habere folia lata* fortasse non convertitur cum passione *habendi folia decidua,* sed excedit talem

passionem; si quidem laurus habet folia lata, et tamen non habet folia decidua, quia propter caliditatem humidum, quo folia lauri adhærescunt, non est congelabile.

15. In figuris autem ita quispiam declarabit quærentibus consecutionem causæ et ejus cujus est causa. Insit τὸ α omni β, τὸ β autem unicuique τῶν δ, sed latius pateat. Τὸ β igitur est universale τοῖς δ. Id enin voco universale, quod non reciprocatur. Primum autem universale appello id, cum quo singula non reciprocantur, omnia vero simul sumpta reciprocantur, nec latius patet. Itaque cur τοῖς δ insit τὸ α, causa est τὸ β. Opus est igitur ut τὸ α latius pateat quam τὸ β: alioquin cur potius hoc erit causa quam illud? Si igitur omnibus ε inest τὸ α, erit aliquid diversum a β, cujus ratione ea omnia sint unum. Sin minus, cur dicere licebit, omni ε inesse τὸ α, non omni autem α τὸ ε? Cur enim non erit aliqua causa, sicut est aliqua causa cur τὸ α insit omnibus δ? Ergo etiam τὰ ε erunt unum quid. Considerare hoc oportet. Atque esto τὸ γ. Possunt igitur ejusdem esse plures causæ, non tamen iisdem specie. Veluti cur longævæ sint quadrupedes, causa est vacare bile. Cur volucres, causa est siccas esse vel aliud quidpiam. At si ad individuum non statim perveniunt, nec unum tantum est medium, sed plura, etiam causæ sunt plures.

16. [18] Utrum autem medium est causa singulis, idne quod ad primum universale, an quod ad singula magis accedit?

17. Constat igitur ea media esse causas, quæ sunt proxima cuique rei, cui causæ sunt. Cur enim primum sub universali contentum insit, hoc est causa, veluti cur τῷ δ insit τὸ β, causa est τὸ γ. Itaque cur τῷ δ insit τὸ α, causa est τὸ γ. Cur autem insit τῷ γ, causa est τὸ β. Huic vero ipsummet. De syllogismo igitur ac demonstratione, et quid utrumque sit et quomodo fiat, perspicuum est; simulque de scientia demonstrativa, quoniam idem est.

15. Addit Aristoteles exempla ad ostendendum, quo pacto possit effectus de subjectis partialibus demonstrari per plures causas remotas, quæ exceduntur ab effectu, et quo pacto resolvantur ultimo demonstrationes in causam primam, quæ adæquat effectum et ejus primum subjectum. Hæc passio *habendi vitam longam*, potest convenire variis animalibus ex duplici causa, aliquibus nimirum quadrupedibus, quia habent complexionem non nimis cholericam, volucribus quibusdam, quia habent complexionem siccam. Hoc posito passio *habendi vitam longam* sit majus extremum, quod dicatur universaliter tanquam de medio de B, hoc est de quadrupede non habente cholericam complexionem, sed ita, ut excedat tale medium; medium B, hoc est, *quadrupes habens complexionem non cholericam*, dicatur de elephanto, ita ut excedat. — sequitur quod passio *habendi vitam longam* insit elephanto, et possit sic demonstrari: *omne quadrupes habens complexionem non cholericam habet vitam longam; omnis elephas habet complexionem non cholericam; ergo omnis elephas habet vitam longam.* In hac demonstratione et effectus excedit causam, et causa excedit subjectum, adeoque a fortiori effectus excedit subjectum. Si ergo effectus *habendi longam vitam* excedit subjectum, quod est *elephas*, et causam, quæ est esse *quadrupes non cholericum*: ergo effectus habendi longam vitam poterit convenire alteri subjecto et ex alia causa, ex. gr., poterit convenire aquilæ ex eo, quod sit *volucris habens complexionem siccam*. Poterit igitur passio *habendi vitam longam* demonstrari de *aquila* per medium et causam, quæ est *esse volucrem siccæ complexionis*, sic: *omnis volucris siccæ complexionis habet longam vitam; omnis aquila est volucris siccæ complexionis; ergo omnis aquila habet longam vitam;* ergo patet, quod ejusdem effectus possunt esse plures causæ, at non in subjectis ejusdem speciei, sed in subjectis diversæ speciei. Ex. gr., in elephanto unica causa habendi longam vitam est *esse quadrupedem complexionis non cholericæ;* in aquila *esse volucrem complexionis siccæ;* at in omnibus elephantis causa est eadem, in omnibus aquilis est eadem. Si vero quæratur causa, cur totum genus animalium longævorum habeat longam vitam tum causa prima debebit assignari convertibilis cum effectu et cum toto genere subjecto, quæ causa erit definitio vitæ longævæ, quæ definitio sit: *habere vitam longævam est, habere humidum ita temperatum calido, ut lentissime humidum consumatur a calido, et calidum sero extinguatur ex defectu humidi,* in qua extinctione consistit mors naturalis. Per hanc vero definitionem respondetur quærenti, *cur quadrupedia non abundantia cholera sint vitælongævæ, cur volucres siccæ sint vitæ longævæ,* etc., adeoque omnes demonstrationes per causas remotas et non convertibiles, resolvuntur ultimo in demonstrationem per causam proximam et convertibilem, et per omnes terminos convertibiles.

16. Pro complemento hujus doctrinæ proponit Aristoteles dubium, utrum cum non statim pervenimus ad passionem de-

monstrandam de subjecto primo, sed de inferiori, medium, quo illam demonstramus de tali subjecto, debeat poni prima causa universalis, an causa particularis.

17. Respondet, quod debet sumi pro medio causa particularis. Ex. gr., cum quærimus *cur elephantus sit longævus*, debemus assignare pro causa, *quia caret cholera;* dum quæritur : *cur aquila sit longæva*, debemus assignare pro causa, *quia est complexionis siccæ ;* cum vero quæritur ulterius causa : *cur quadrupedes carentes cholera, et volucres siccæ sint longævæ,* debemus afferre primam causam ex definitione vitæ longævæ, per quam demonstratur longævitas de toto genere, cui primo et convertibiliter convenit, et tunc ultimo facta est resolutio demonstrationis in primam et convertibilem causam, et in primam demonstrationem constantem ex terminis convertibilibus.

CAPUT XI

EXPLICATUR, QUO PACTO PRINCIPIA IMMEDIATA INNOTESCANT EX INDUCTIONE SINGULARIUM.

1. [19] Quomodo autem principia nota fiant, et quis sit ea notificans habitus, hinc manifestum erit, cum prius dubitatum fuerit.

2. Non posse igitur quempiam scire per demonstrationem, nisi cognoscat prima principia immediata, dictum antea fuit. Utrum autem immediatorum eadem an diversa sit cognitio, dubitare aliquis possit; et sitne utriusque scientia, an neutrius, an alterius scientia, alterius diversum quoddam cognitionis genus; et utrum habitus, cum non insint, ingenerentur, an cum inessent, laterent.

3. Si igitur eos habemus, absurdum est. Accidit enim ut eos qui habent cognitiones exquisitiores demonstratione, lateat. Si vero eos accipimus, cum antea non haberemus, quomodo notum faceremus et disceremus ex non antecedente cognitione? Hoc enim est impossibile, ut etiam de demonstratione dicebamus. Perspicuum igitur, est neque haberi nec in ignorantibus ac nullo habitu præditis gigni posse.

1. Hactenus Aristoteles longissima disputatione explicavit, quo pacto possimus venari medium, quod est principium incomplexum demonstrationis, et reducitur ad *quid, et propter quid*. In hac ultima parte libri breviter ostendit, quo pacto et per quem habitum perveniamus ad cognoscenda principia complexa immediata, adeoque indemonstrabilia per medium, ad quæ principia ultimo resolvendæ sunt omnes conclusiones et omnia principia mediata. Est autem hæc quæstio necessario tractanda pro complemento doctrinæ de demonstratione. Est enim impossibile, ut quis de ullo objecto acquirat scientiam, nisi cognoscat principia prima et immediata; ergo ut sciamus, quo pacto possimus per demonstrationem acquirere scientiam, debemus etiam scire, quo pacto possimus cognoscere principia prima et immediata; et primo quidem debemus dubitationes proponere, deinde quæstionem solvere.

2. Tres ergo quæstiones circa principia immediata occurrunt examinandæ. Prima quæstio est, utrum omnium principiorum immediatorum habeamus cognitionem ejusdem generis. Secunda, utrum quædam principia immediata cognoscamus per scientiam, quædam non per scientiam, sed per aliud genus cognitionis. Tertia est, utrum habitus immediatorum principiorum fiant in nobis, ac de novo acquirantur, cum antea non fuerint, an potius sint nobis naturales et ingeniti, sed ita, ut primo lateant, ac deinde incipiant apparere, ut existimavit Plato.

3. Ex una parte videtur absurdum ac penitus impossibile, ut habeamus habitus primorum principiorum, et tamen ignoremus nos illos habere. Habitus enim primorum principiorum certior est habitu scientiæ; sed sciens atque habens habitum scientiæ non ignorat se scire, imo scit se scire; ergo impossibile est, ut habens habitum principiorum ignoret se habere talem habitum. Ex alia parte si illos habitus de novo acquireremus, deberemus acquirere ex aliqua præexistente cognitione, ut dictum est lib. I, cap. I; sed est impossibile, ut cognitionem primorum principiorum acquiramus ex præexistente cognitione; ergo, etc. — Probatur minor, quia cognitio præcedens, ex qua acquiritur alia cognitio, est certior cognitione, quæ acquiritur, eo pacto, quo cognitio principiorum est certior cognitione conclusionum; sed nulla cognitio potest esse certior cognitione primorum principiorum; ergo cognitio primorum principiorum non potest acquiri ex præexistente cognitione; ergo videtur impossibile, ut habeamus habitus principiorum insitos a natura, et tamen nos lateat, et ut de novo acquiramus illos, cum antea essemus omnino ignari, et nullam præhaberemus cognitionem.

4. Quare necesse est facultatem quamdam haberi, non tamen talem, quæ his præstantior sit quasi exquisitior.

5. Videtur autem hoc inesse omnibus animalibus; habent enim vim congenitam iudicativam, quam appellant sensum.

6. Cum autem sensus insit, in aliis animalibus res sensu percepta manet, in aliis non manet. In quibus igitur non manet, hæc aut omnino aut eorum quæ non manent, cognitio nem non habent extra quam cum sentiunt. Alia vero cum sentiunt, unum quid in anima retinent. Cum autem multa animalia hujusmodi sint, jam est discrimen quoddam, adeo ut in aliis ratio fiat ex hujuscemodi rerum memoria, in aliis non fiat. Ex sensu igitur fit memoria, quemadmodum dicimus. Ex memoria vero sæpe ejusdem rei facta fit experientia; multæ enim memoriæ numero, sunt una experientia. At vero ex experientia, sive ex omni et universali quiescente in anima, nimirum uno præter multa, quod in omnibus illis inest unum et idem, fit principium artis et scientiæ, artis, si pertineat ad generationem, scientiæ, si pertineat ad id quod est.

4. Propositis rationibus dubitandi, solvit Aristoteles tres quæstiones propositas, et primo solvit tertiam, deinde primam et secundam. Ut igitur solvat tertiam quæstionem, an habitus principiorum sint ingeniti, vel de novo acquirantur ex præexistente cognitione, ponit hanc conclusionem: habitus principiorum non sunt nobis naturaliter insiti, sed acquiruntur de novo ex præexistente cognitione alicujus potentiæ ac virtutis nobis naturaliter insitæ, quæ cognitio non est exactior neque certior cognitione principiorum.

5. Ut conclusionem probet, explicat, quæ sit potentia et virtus naturalis, per cujus cognitionem pervenimus ad cognoscenda prima principia. Communis ac naturaliter insita omnibus animalibus est virtus quædam discernendi sensibilia, quæ virtus vocatur sensus. Differunt tamen animalia perfecta ab imperfectis in hoc, quod in imperfectis non conservatur forma seu species sensibilium, nisi forte vehementissimorum, in perfectis conservatur. Animalia igitur, quæ non conservant species sensibilium, vel solum conservant sensibilium vehementissimorum, aut non possunt cognoscere ulla sensibilia, nisi cum illa sentiunt præsentia, vel non possunt cognoscere illa sensibilia, quorum speciem non conservant, nisi cum illa sentiunt ut præsentia; at animalia, quæ conservant speciem sensibilium, habere possunt cognitionem sensibilium, etiam cum illa non sentiunt ut præsentia.

6. Inter hæc animalia, in quibus propter conservationem specierum sensibilium, datur etiam cognitio objectorum non præsentium, quæ cognitio dicitur memoria, intercedit hæc differentia, quod in quibusdam ex multis memoriis oritur ratio, in quibusdam non oritur ratio. Ratio in hominibus seu animalibus rationalibus oritur hoc pacto. Ex sensu et ex sensationibus relinquitur memoria, ex pluribus memoriis oritur experientia, quæ experientia consistit in pluribus memoriis invicem comparatis per unum actum; ex experientia et ex quolibet universali, quod habet in anima esse quietum, in quantum cognoscitur abstrahendo a singularibus, quæ sunt subjectum motus, et propter eamdem abstractionem est unum præter multa, licet a parte rei insit illis multis, oritur principium omnis scientiæ et omnis artis. Si enim tale universale consideretur circa factibilia a nobis et circa generationes, ex. gr., quod *talis morbus est ita curandus*, etc., est principium artis; si vero consideretur universale circa entia, abstrahendo ab hoc, quod sint factibilia a nobis, ex. gr., quod *totum est majus parte*, est principium scientiæ.

7. Itaque nec insunt definiti habitus, nec fiunt ex aliis habitibus notioribus, sed ex sensu.

8 Ut in bello, postquam acies in fugam conversa est, uno stante alius stetit, deinde alius, donec ad principium pervenit. Anima vero talis est ut possit hoc pati. Quod autem antea dictum est, non tamen aperte dictum fuit, iterum explicemus. Stante enim uno indifferente, tunc primum in anima est universale.

9. Etenim sentitur quidem singulare, sed sensus est rei universalis, veluti hominis, non Calliæ hominis. Rursus, in his consistitur, donec impartibilia stent et universalia; veluti hujumodi animal est id in quo statur, donec animal in anima stet. Et in hoc itidem statur, donec aliud magis universale stet in anima. Patet igitur necesse esse ut prima nobis inductione nota fiant; nam et sensus ita efficit in anima universale.

7. Ex dictis patet conclusio posita, quod nimirum determinati habitus, quibus cognoscuntur principia scientiarum et artium, neque sunt nobis naturaliter insiti, sed acquiruntur ex præexistente cognitione, neque originem habent ex aliis habitibus certioribus, sed originem habent ex sensibus et ex cognitione sensibili.

8. Sed adhuc magis explicandum, quo pacto ex cognitione sensitiva singularium

possit oriri cognitio universalium, quæ est principium scientiarum et artium. Ad id explicandum affert Aristoteles exemplum ex pugna. Fusa acie et fugientibus militibus, aliquando revocatur agmen et rursus fit principium pugnæ. Accidit enim, ut unus ex fugientibus consistat paratus ad pugnandum, deinde consistit alius, atque adjungitur primo, deinde alius, donec fiat agmen, quod est principium pugnandi. Proportionaliter dum animus per sensum percipit sensibilia cognitionibus fluxis et delabentibus, sistit in animo per memoriam et speciem fixam sui, cognitio alicujus singularis sensibilis; deinde sistit et adjungitur cognitio et species alterius singularis sensibilis; deinde alterius, donec in animo sistat cognitio universalis, quæ est principium scientiarum et artium. Habet enim anima intellectum possibilem, qui potest recipere speciem universalem ab intellectu agente abstrahente talem speciem a pluribus singularibus sensibilibus. Sed hoc ipsum adhuc magis est explicandum, quo pacto nimirum acquiratur talis cognitio totius generis aut speciei, ex. gr., hominis et animalis.

9. Licet per sensus cognoscamus singularia, tamen in singularibus non solum percipimus ipsam rationem singularitatis, in qua differunt, sed etiam rationem universalem, in qua conveniunt; ex. gr., licet per sensum videamus albedinem A, albedinem B, hominem Socratem, hominem Calliam, etc., adhuc in albedine A et B percipimus albedinem; in Callia et Socrate percipimus hominem. Infigitur igitur animæ cognitio plurium singularium, ex. gr., plurium albedinum differentium, donec abstrahatur ratio simplex albedinis, in qua singulares albedines non differunt sed conveniunt; infigitur animo cognitio plurium hominum, donec abstrahatur ratio simplex hominis, in qua homines conveniunt; infigitur animo cognitio plurium animalium, donec abstrahatur ratio simplex animalis; idemque dic de aliis rationibus; ergo patet, quod cognitiones universalium et principia scientiarum acquiruntur per inductionem ex singularibus sensibilibus.

10. Quoniam autem habituum, qui in dinœa spectantur et veritatis sunt participes, alii semper veri sunt, alii vero falsitatem quoque suscipiunt, ut opinio et syllogismus; semper autem veri sunt scientia et intelligentia, ac nullum aliud cognitionis genus præter intelligentiam est exquisitius quam scientia; principia vero demonstrationum sunt notiora; omnis autem scientia cum ratione est : profecto principiorum scientia esse nequit. Quia vero nihil scientia verius esse potest præter intelligentiam, intelligentia utique erit principiorum.

11. Quod non solum ex his quæ dixi probatur, sed etiam quia demonstrationis principium non est demonstratio; quapropter nec scientiæ principium est scientia. Si igitur nullum aliud præter scientiam habemus verum habitus genus, sane intelligentia erit scientiæ principium. Et principium quidem scientiæ erit cognitio principii; omnis autem scientia seu cognitio similiter se habebit ad omnem rem.

10. Soluta tertia quæstione, solvit Aristoteles primam et secundam, in quibus quærebatur, utrum omnia principia immediata cognoscamus per cognitionem ejusdem generis, et utrum quædam principia cognoscamus per habitum scientiæ, quædam per aliud genus cognitionis.

Respondet, quod omnia principia immediata cognoscimus cognitione ejusdem generis et non per habitum scientiæ. Probat dupliciter. Prima ratio est : ex habitibus alii sunt, quibus semper verum anima dicit, ut intellectus et scientia; alii, quibus aliquando solum anima verum dicit, ut opinio immediata et ratiocinatio dialectica; sed habitus principiorum, cum semper verum dicat, non comprehenditur in opinione neque in ratiocinatione dialectica, et cum sit certior scientia omnibusque habitibus versantibus circa conclusiones, non comprehenditur scientia, neque ullo habitu versante circa conclusiones; ergo habitus principiorum est habitus intellectus, qui solus est certior scientia et omnibus habitibus discursivis.

11. Secunda ratio est : scientia solum habetur per demonstrationem; sed prima principia demonstrationis non sunt demonstrabilia, alioquin procederetur in infinitum in demonstrationibus; ergo de primis principiis demonstrationis non datur scientia; sed præter scientiam et habitus discursivos, nullus alius habitus datur, quo semper verum dicamus nisi intellectus ; ergo habitus principiorum est intellectus. Et quia habitus est principium actuum; actus autem intellectus sunt principia; ideo intellectus est principium principii; quia rursus hic habitus eodem pacto se habet ad omne genus principiorum, ideo est unicus circa omnia principia. Et per hæc Aristoteles concludit duos libros de Posteriori Resolutione.

IN OCTO LIBROS

TOPICORUM

PROOEMIUM

QUID SIT DIALECTICA, QUOD SIT EJUS SUBJECTUM, ET QUID SIT LOCUS

1. Quia hi libri inscribuntur Topicorum, hoc est de locis, a voce græca τόπος, quæ significat locum, in iis vero Aristoteles agit de syllogismo probabili seu dialectico ac tradit Dialecticam, ideo explicandum est: *primo*, quid sit Dialectica, quod sit ejus subjectum, et in quo Dialectica conveniat ac differat ab aliis facultatibus et præsertim a Metaphysica et Rhetorica, cum quibus habet affinitatem; *secundo* explicandum est, quid sit locus, a quo isti libri dicuntur topici; *tertio* demum per brevem synopsim ponenda est ob oculos doctrina horum librorum.

2. *Quoad primum :* Dialectica dicitur a διαλέγεσθαι, quod latine idem significat ac disserere seu disputare, adeoque est ars disputandi; sed ars disputandi consistit in eo, ut per ipsam possimus de quocunque proposito problemate syllogizare in utramque partem et utramlibet partem defendere; ergo Dialectica est ars syllogizandi de quocunque proposito problemate in utramque partem et utramlibet partem defendendi; sed ex duabus partibus problematis, utpote contradictorie oppositis, altera est falsa, falsum vero non potest probari neque defendi ex veris, sed solum ex probabilibus; ergo Dialectica est ars syllogizandi de quocunque proposito problemate in utramque partem atque utramlibet partem defendendi, non quidem ex veris, sed solum ex probabilibus.

3. Ex hac definitione *infertur primo,* Dialecticam et Rhetoricam non esse scientias, sed quasdam facultates et potentias. Ratio est, quia scientia non est de utraque parte contradictionis, sed solum de ea parte, quæ est vera, adeoque demonstrabilis; ex. gr., Geometria non æque se habet ad syllogizandum demonstrative, quod diameter quadrati est incommensurabilis, ac quod est commensurabilis, sed determinate syllogizat illam partem, quæ est vera, quod nimirum diameter est incommensurabilis, alteram vero partem falsam demonstrative syllogizare non potest; sed Dialectica et Rhetorica sunt de utraque parte contradictionis, et utramque probabiliter syllogizant; ergo Dialectica et Rhetorica non sunt scientiæ, sed sunt facultates et potentiæ quædam probabiliter syllogizandi utramque partem contradictionis; potentiæ enim proprie dicuntur, quæ æque se habent ad opposita.

4. *Infertur secundo,* quodnam sit subjectum Dialecticæ. Dico, quod subjectum Dialecticæ est syllogismus probabilis sive ens ut probabiliter syllogizabile. — Ratio est, quia ut dictum est, in proœmio ad Porphyrii Introductionem, Logica dividitur sicut dividuntur operationes intellectus; ergo sicut tres sunt operationes intellectus, sic tres sunt partes Logicæ, — Prima pars est, in qua agitur de sim-

plici apprehensione, seu de rebus, ut simpliciter apprehensis, quæ continetur in Porphyrii Introductione et in libro Prædicamentorum. — Secunda pars est, in qua agitur de secunda operatione et de rebus ut enuntiabilibus, quæ continetur in libris Perihermenias. — Tertia est, in qua agitur de tertia operatione seu de rebus ut syllogizabilibus, quæ continetur in cæteris Aristotelis libris. — Hæc porro tertia pars subdividitur in alias quatuor. Prima est, in qua agitur de syllogismo in genere seu de rebus ut syllogizabilibus, quæ continetur in libris Priorum. Secunda est, in qua agitur de syllogismo demonstrativo seu de rebus ut demonstrabilibus, quæ continetur in libris Posteriorum. Tertia est, in qua agitur de syllogismo probabili seu de rebus ut probabiliter syllogizabilibus, quæ continetur in libris Topicorum. Quarta demum est, in qua agitur de syllogismo sophistico, quæ continetur in libris Elenchorum. — Dialectica igitur, hoc est illa pars Logicæ, quæ continetur in libris Topicorum, habet pro subjecto syllogismum probabilem seu res ut probabiliter syllogizabiles. Aliquando tamen tota Logica vocatur Dialectica, et in hoc sensu subjectum Dialecticæ assignandum est illud idem, quod assignatur ut subjectum totius Logicæ.

5. *Infertur tertio*, in quo Dialectica conveniat ac disconveniat cum aliis partibus Logicæ ac præsertim cum demonstrativa. Dialectica convenit proportionaliter cum parte demonstrativa in hoc, quod sicut demonstrativa docet modum syllogizandi demonstrative, sic Dialectica docet modum syllogizandi probabiliter; at differunt, quia licet Logica demonstrativa doceat modum demonstrandi, non tamen ipsa demonstrat in omni materia, sed solum in propria materia, hoc est circa demonstrationem, syllogismum etc.; aliæ vero scientiæ utuntur præceptis logicis ad demonstrandum in propriis materiis; ex. gr., Geometria utitur præceptis logicis ad demonstrandum in materia geometrica; Physica utitur iisdem præceptis ad demonstrandum in materia physica. E converso Dialectica non solum docet modum probabiliter syllogizandi, sed etiam probabiliter syllogizat, non solum in propria materia, sed in materia omnium scientiarum. Tradit enim loca communia ad probabiliter syllogizandum de problematibus omnium scientiarum, et ex iis probabiliter syllogizat de omni materia et de omni problemate. Ratio est, quia sicut præter principia propria dantur etiam principia communia, sic præter scientias particulares, quæ considerant principia propria et ex iis syllogizant de propriis subjectis, debet etiam dari aliqua facultas communis, quæ consideret principia communia et syllogizet ex communibus; sed hæc facultas est Dialectica; ergo Dialectica ex principiis communibus probabiliter syllogizat de omni materia.

6. *Infertur quarto*, in quonam Dialectica conveniat ac disconveniat cum scientiis particularibus, hoc est cum Physica, Mathematica, etc. Convenit in hoc, quod de materia scientiarum particularium syllogizant tum ipsæ scientiæ particulares, tum Dialectica. At differunt, quod scientiæ particulares syllogizant de propriis materiis demonstrative et ex principiis propriis; Dialectica de iisdem syllogizat solum probabiliter et ex communibus; ex. gr., de hoc problemate physico : *utrum corpora constent ex materia et forma*, syllogizat tum Physica, tum Dialectica, sed Physica syllogizat ex propriis, Dialectica ex communibus.

7. *Infertur quinto*, in quo Dialectica conveniat ac disconveniat cum Metaphysica. Conveniunt in hoc, quod utraque syllogizat de omni ente, adeoque utraque est facultas quodammodo universalis. At differunt primo, quia Metaphysica syllogizat solum de omni ente in genere, non autem de omni ente in specie, adeoque non descendit ad syllogizandum de problematibus propriis scientiarum particularium; Dialectica e converso syllogizat probabiliter, et ex communibus etiam de problematibus propriis scientiarum particularium, ex. gr., de hoc problemate physico, *utrum elementa sint quatuor*. Secundo differunt, quia Metaphysica syllogizat solum pro una parte contradictionis, quæ est vera, de eaque syllogizat demonstrative et ex propriis; Dialectica syllogizat pro utraque parte contradictionis probabiliter et ex communibus.

8. *Infertur sexto*, in quo Dialectica conveniat et disconveniat cum Rhetorica. Conveniunt in hoc, quod utraque est facultas seu potentia syllogizans pro utraque parte problematis ex probabilibus et ex communibus, et utraque tradit loca quædam communia. Differunt primo in hoc, quod Dialectica syllogizat de omnibus, et præsertim de problematibus universalibus abstrahentibus a circum-

stantiis singularibus personarum, locorum, temporum, etc.; Rhetorica e converso syllogizat præsertim de materia morali et politica, et de problematibus restrictis ad singulares personas, loca, tempora, etc. Secundo differunt, quod Dialectica utitur forma argumentandi stricta et contracta; Rhetorica utitur forma argumentandi ampliori et dilatata, ideoque Zeno dixit Dialecticam et Rhetoricam differre, sicut manus in pugnum contracta differt a manu expansa. Tertio differunt, quod Rhetorica ad finem persuadendi excitat etiam affectus; Dialectica utitur solis rationibus. Sed hæc magis explicabuntur initio Rhetoricorum.

9. *Quoad secundum* : locus aliter videtur sumi a Rhetoribus cum Tullio in sua Topica, aliter ab Alexandro et a Dialecticis cum Aristotele in his libris Topicorum. Locus a Rhetoribus sumitur pro sede, in qua latent; et a quærentibus inveniuntur quædam propositiones universales, quibus uti possumus tanquam principiis syllogismi dialectici et rhetorici, ideoque locus definitur a Cicerone *sedes argumenti*, et a Quintiliano libro quinto Institutionum cap. X.: *sedes argumentorum, in quibus latent, et ex quibus sunt petenda.* Ex. gr., quia considerando contraria, conjugata, etc., possumus invenire propositiones universales ad argumentandum, ideo contraria, conjugata, et alia hujusmodi vocantur loca. E converso locus ab Alexandro et Dialecticis sumitur pro ipsis propositionibus universalibus, quæ latent in quibusdam sedibus, et quæ possunt assumi ut principia syllogismi dialectici. Ex. gr., quia considerando contraria, invenio hanc propositionem universalem: *quotiescumque unum contrariorum dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter,* et hac propositione possum uti ad probandum, quod acutum dicitur multipliciter, ex eo, quod grave dicitur multipliciter, in alio enim sensu pondus dicitur grave, in alio vox dicitur gravis, ideo hæc propositio universalis : *cum unum contrariorum dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter,* a Dialecticis dicitur locus. Locus igitur in hoc sensu ab Alexandro definitur : *principium et occasio syllogismi dialectici.*

10. Porro tales propositiones, quæ sunt principia syllogismi dialectici vocari solent maximæ sive axiomata et dignitates dialecticæ. Ex. gr., hæc propositio universalis : *si unum contrariorum dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter,* vocatur maxima et dignitas dialectica. Sicut vero Rhetores differe videntur ab Aristotele in acceptione loci, sic videntur differre in doctrina de locis. Rhetores enim toti sunt in assignandis et explicandis sedibus, in quibus latent argumenta et maximæ, at non assignant neque explicant maximas; Aristoteles e converso totus est in assignandis atque explicandis maximis seu principiis syllogismorum probabilium. Et quia multo facilius est assignatis maximis, ex ipsis conficere syllogismos probabiles, quam assignatis sedibus, in ipsis invenire maximas, ideo multo convenientius doctrinam de locis tradit Aristoteles in his libris Topicorum et in libris Rhetoricorum, quam talem doctrinam tradiderint rhetores.

11. Ex his infertur, cur Aristoteles hos libros, in quibus tradit Dialecticam, inscripserit *libros Topicorum*, hoc est eorum, quæ sedent in locis. Ratio est, quia cum Dialectica sit ars probabiliter syllogizandi de omni materia, non possimus autem syllogizare de omni materia, nisi sciamus quædam loca et quasdam maximas, quæ sunt principia probabiliter syllogizandi, Dialectica præcipue debet versari in tradendis et explicandis his locis et maximis, atque adeo a præcipua sui parte Dialectica dicitur Topica, et hi libri, in quibus traditur Dialectica, inscribuntur *libri Topicorum.*

12. *Quoad tertium :* hi libri, in quibus Aristoteles tradit Dialecticam sive artem disputandi, dividi possunt in quatuor partes. In prima parte, quæ continetur duobus primis capitibus libri primi, ponit procemium, in quo agit de scopo, utilitatibus et perfectione Dialecticæ.

13. In secunda parte, quæ continetur capite III, et sequentibus usque ad decimum inclusive, agit de rationibus dialecticis et earum partibus ac materia. Et quia rationes dialecticæ sunt syllogismus et inductio, syllogismus autem et inductio constant ex propositionibus, et versantur circa problemata; propositiones et problemata versantur circa quædam prædicata, tanquam circa propriam materiam; idcirco Aristoteles procedens ordine compositivo, hoc est a partibus ad totum, cap. III, docet materiam seu prædicata, circa quæ versantur propositiones et problemata dialectica, esse genus, proprium, definitionem et accidens; cap. IV, describit singula ex his ac docet problema differen-

tiæ reduci ad problema generis; problemata comparationum reduci ad problema identis; problemata, in quibus quæri- *utrum aliquid sit idem an diversum*, ci ad problema definitionis; cap. v, ndit genus, accidens et proprium quodammodo reduci ad definitionem, atque in definitione contineri; cap. VI, quia mentionem fecit *ejusdem* et *diversi*, explicat varios modos, quibus dicitur idem et diversum; cap. VII, probat omnem disputationem dialecticam versari circa aliquod, ex his quatuor prædicatis. Explicata materia, circa quam versantur propositiones et problemata dialectica, cap. VIII, et IX, explicat, quid sit propositio dialectica, et quid problema dialecticum, et quomodo differat a thesi; cap. demum X, agit de duabus speciebus rationum dialecticarum, quæ sunt syllogismus et inductio.

14. In tertia parte, quæ incipit a capite XI, libri primi et protenditur usque ad totum librum septimum inclusive, agit Aristoteles de inventione rationum dialecticarum, ac tradit artem inveniendi tales rationes. Et primo quidem a cap. XI, libri primi usque ad decimum quartum et ultimum ejusdem libri, tradit quatuor instrumenta generalia deservientia ad rationes probabiles promiscue pro omnibus quatuor generibus problematum, quæ instrumenta sunt, sumptio propositionum, ex quibus conficiuntur rationes; distinctio, qua explicatur, quot modis res dicatur; inventio differentiarum, per quas res differunt inter se; et inventio similitudinum, per quas res conveniunt; explicatis vero his quatuor instrumentis et eorum utilitatibus concludit librum primum.

15. Libro secundo et sequentibus usque ad septimum inclusive, tradit loca specialia et speciales maximas, ad conficiendas rationes constructivas ac destructivas quatuor assignatorum problematum in particulari. Libro igitur secundo tradit maximas pro problematibus accidentis; libro tertio tradit loca et maximas pro problematibus comparationum, quæ reducuntnr ad problema accidentis, ut dictum est num. 13; libro quarto tradit maximas pro problematibus generis ac differentiæ; libro quinto tradit maximas pro problematibus proprii; libro sexto tradit maximas pro problematibus definitionis; libro septimo tradit loca et maximas pro problematibus ejusdem ac diversi, quæ reducuntur ad problema definitionis, ut dictum est num. 13.

16. In quarta demum parte, quæ continetur libro VIII. agit Aristoteles de dispositione disputationum dialecticarum; et quia disputatio dialectica sit interrogando et respondendo, ideo tradit præcepta interrogandi et respondendi, et per hæc concludit hos libros.



TOPICORUM

LIBER I

CAPUT I

QUÆ FACULTAS SIT TRADENDA; QUID ET QUOTUPLEX SIT SYLLOGISMUS.

1. [1] Propositum hujus tractationis est invenire methodum, per quam possimus argumentari de omni proposito problemate ex probabilibus, et ipsi disputationem sustinentes nihil dicamus repugnans.

2. Primum igitur dicendum est quid sit syllogismus et quæ sint ejus differentiæ, ut sumatur syllogismus dialecticus; hunc enim quærimus secundum propositam tractationem.

3. Syllogimns igitur est oratio, in qua positis quibusdam aliud quiddam, diversum ab iis, quæ posita fuere, necessario accidit ob ea, quæ posita sunt. Demonstratio est, cum ex veris et primis syllogismus constat; vel ex ejusmodi quæ a quibusdam veris et primis sui cognitionis principium sumpserunt.

4. Dialecticus syllogismus est, qui ex probabilibus concludit. Sunt autem vera et prima ea, quæ non ab aliis, sed a se ipsis fidem habent.

5. Non debet enim de scientiarum principiis quæri, quamobrem sint; sed unumquodque principium per se ipsum debet esse fide dignum.

6. Probabilia autem sunt, quæ videntur omnibus vel plerisque vel sapientibus, atque his vel omnibus vel plerisque vel maxime notis et claris.

Qui tradit aliquam facultatem, ipso statim initio debet explicare, quam facultatem tradere intendat, quod sit ejus subjectum, quæ utilitates, et in quo consistat talis facultatis perfectio. Aristoteles igitur per duo prima capita procemialia hæc quatuor exponit, et capite primo explicat, quam facultatem tradere intendat, et quod sit ejus subjectum.

1. Initio docet propositum sibi in hoc opere esse invenire et tradere methodum sive artem, per quam possimus probabiliter argumentari de quocumque problemate seu quæstione proposita, ac possimus ipsi defendendo probabiliter sustinere id, quod propugnandum susceperimus, nihil repugnans dicendo; sed hæc methodus et ars est dialectica; ergo propositum Aristotelis in hoc opere est invenire ac tradere dialecticam.

2. Subjectum Dialecticæ est id, circa quod versatur; sed Dialectica versatur circa argumentationes probabiles, omnis autem argumentatio reducitur ad syllogismum, ut dictum est 2. Prior. cap. XXIX, et seq; ergo subjectum Dialecticæ est syllogismus probabilis; sed initio artis debet explicari ejus subjectum; ergo debet præmitti, quid et quotuplex sit syllogismus, ut syllogismus probabilis, qui est subjectum Dialecticæ, distingui possit ab aliis syllogismis.

3. Syllogismus, ut dictum est libro primo Priorum, cap. I, est *oratio, in qua quibusdam positis, aliud quid ab iis, quæ posita fuerunt, necessario accidit, ob ea quæ posita sunt.* Dividitur in demonstrativum, dialecticum, contentiosum et paralogismum scientiarum proprium, qui solet etiam vocari syllogismus pseudographus. Demonstratio, quæ spectat ad scientias, est *syllogismus constans ex præmissis veris et primis, vel ex præmissis, quæ sint probatæ per vera et prima,* ut dictum est libro primo Posteriorum cap. II.

4. Syllogismus dialecticus, qui est proprius hujus facultatis, est, *qui concludit propositam conclusionem ex propositionibus seu præmissis probabilibus.*

5. Vera et prima, ex quibus constat demonstratio sunt, *quæ non per aliud, sed*

per se ipsa sunt manifesta et credibilia; siquidem de principiis scientiarum non debet quæri, quomodo probetur, quod sint vera, sed debent esse manifesta et credibilia per se ipsa.

6. Probabilia, ex quibus constat syllogismus dialecticus, sunt, *quæ videntur vel omnibus vel plerisque, vel sapientibus atque his vel omnibus vel plerisque, vel maxime notis ac claris.*

7. Syllogismus contentiosus est, qui extruitur ex iis, quæ videntur probabilia, nec tamen sunt; et qui ex probabilibus, vel iis quæ videntur probabilia, esse nec est. Non enim quidquid videtur probabile, etiam est probabile. Nihil enim eorum quæ dicuntur esse probabilia, superficie tenus habet probabilitatis imaginem, quemadmodum in principiis rationum contentiosarum accidit. Confestim enim et plerumque iis, qui etiam parva contueri possunt, perspicua est falsi natura, quæ in ipsis reperitur. Prior igitur ex dictis contentiosis syllogismis etiam syllogismus appellatur; alter vero vocatur quidem contentiosus syllogismus, non tamen simpliciter syllogismus, quia etsi videtur concludere, revera tamen non concludit.

8. Insuper sunt præter dictos omnes syllogismos paralogismi, qui ex iis constant, quæ sunt aliquarum scientiarum propria, quemadmodum in Geometria et aliis id genus scientiis accidit. Videtur enim hic modus differre a dictis syllogismis, quoniam qui falsis descriptionibus utitur, nec ex veris et primis concludit nec ex probabilibus, quandoquidem in definitionem non cadit, quia nec ea sumit quæ omnibus videntur, nec quæ plerisque, nec quæ sapientibus, et his neque omnibus nec plerisque neque clarissimis; sed ex propriis scientiæ sumptionibus, non tamen veris, syllogismum efficit. Nam quia vel semicirculos describit, non ut oportet, vel lineas quasdam ducit, non quomodo duci debent, paralogismum facit.

9. Species igitur syllogismorum, ut eas typo complectar, eæ sunto quas dixi. Universaliter autem loquendo de omnibus tam dictis quam post hæc dicendis, eatenus nobis definitum esto, propterea quod de harum rerum nulla exquisitam rationem afferendi consilium cepimus, sed quatenus typo hæc percurrere volumus, omnino sufficere putantes secundum propositam methodum, si horum unumquodque possit quomodocumque notum fieri.

7. Syllogismus contentiosus, qui spectat ad Sophisticam est, *qui constat ex præmissis, quæ videntur probabiles, nec tamen sunt probabiles, vel qui videtur syllogismus constans ex probabilibus, vel ex iis, quæ videntur probabilia, nec tamen est syllogismus.* Ex hac definitione patet, duplicem esse syllogismum contentiosum, seu sophisticum. Primus est, qui peccat non in forma, sed in sola materia, eo quod assumat præmissas, quæ videntur probabiles, cum vere non sint probabiles. Notat autem Aristoteles, non quidquid videtur probabile vere esse probabile. Non enim sufficit ad probabilitatem, ut propositio habeat quamdam speciem et imaginem probabilitatis, sed requiritur ulterius, ut videatur vera plerisque vel sapientibus, ut explicatum est; ideoque propositiones, quæ habent talem speciem probabilitatis, ut facile advertatur earum falsitas, non videntur plerisque nec sapientibus veræ, ac proinde non sunt probabiles. Propositiones igitur, quæ cum probabiles non sint, habent quamdam speciem probabilitatis, sunt principia syllogismorum contentiosorum peccantium in materia. —Secundus syllogismus contentiosus est, qui peccat in forma, adeoque videtur concludere, cum vere non concludat. Syllogismus contentiosus peccans in sola materia vere est syllogismus, cum conveniat illi definitio syllogismi, quæ est, ut sit *oratio, in qua ex præmissis sequitur necessario conclusio;* at syllogismus contentiosus peccans in forma vere non est syllogismus, siquidem ex præmissis conclusio non sequitur necessario.

8. Paralogismus scientiarum proprius seu syllogismus pseudographus est, *qui constat ex præmissis scientiarum propriis, nec veris nec probabilibus,* eo quod propositiones, quas assumit, licet habeant quandam speciem probabilitatis, adhuc non videntur veræ plerisque neque sapientibus, adeoque non convenit illis definitio probabilis tradita num. VI. Ex. gr., si quis assumat, quod si diameter unius circuli est dupla diametri alterius, etiam circulus est duplus circuil, et ex hoc principio argumentetur, construet syllogismum pseudographum in materia geometrica, quia procedit ex propriis Geometriæ, et assumit propositionem nec veram nec probabilem, sed solum habentem quamdam speciem probabilitatis. Dicuntur autem hi syllogismi *pseudographi,* quia accidit illos fieri præsertim in geometricis ex eo, quod semicirculi, lineæ et figuræ male describantur.

9. Concludit Aristoteles, quod sufficiat hæc dixisse de speciebus syllogismorum. Neque enim in Dialectica debet de his atque aliis similibus exacte disputari, sed sufficit de iis superficialiter ac typo, id est pingui ac rudi Minerva agere.

CAPUT II

DE UTILITATIBUS AC DE PERFECTIONE DIALECTICÆ.

1. [2] His quæ dicta sunt consequens est ut dicamus, ad quot et quæ sit utilis haec tractatio. Est igitur utilis ad tria, ad exercitationem, ad congressus, ad philosophicas scientias.

2. Quod igitur ad exercitationem sit utilis, ex his perspicuum est, quoniam hanc methodum habentes facile de omni re proposita poterimus argumentari. Ad congressus autem, quia multorum opinionibus enumeratis, non ex alienis, sed ex propriis singulorum sententiis poterimus cum eis agere, refellentes quod non recte dicere nobis videbuntur. Ad philosophicas autem scientias, quia cum poterimus in utramque partem dubitare, facile in singulis perspiciemus verum et falsum. Prætera ad prima cujusqus scientiæ principia. De his enim ex propriis propositæ scientiæ principiis nihil dici potest, quia sunt prima omnium principia; sed ex iis quæ in singulis probabilia sunt, necesse est de iis dicere. Hoc autem vel est proprium vel maxime peculiare Dialecticæ. Cum enim sit indagatrix, ad omnium scientiarum principia viam continet.

3. [3] Habebimus autem perfecte hanc methodum, cum ita habebimus, ut in Rhetorica et Medicina et hujusmodi facultatibus accidit. Hoc autem est ex possibilibus efficere quæ præeligimus. Neque enim orator omni modo persuadebit, neque medicus sanabit. Sed si nihil eorum quæ adhiberi possunt prætermittat, sufficienter eum habere scientiam dicemus.

Aristoteles cap. I, explicavit, quam facultatem tradere intendat, et quid sit syllogismus dialecticus, qui est subjectum talis facultatis; cap. II, proponit Dialecticæ utilitates et declarat, in quo consistat ejus perfectio.

1. Dialectica est utilis præsertim ad tria. Primo est utilis ad exercitationem, hoc est ad disputationes, quæ exercitationis gratia fieri solent. Secundo est utilis ad congressus et colloquia, quæ in communi vita habentur. Tertio est utilis ad scientias philosophicas.

2. Est quidem utilis ad disputationes, quæ exercitationis gratia fieri solent, quia per ipsam habebimus methodum et artem argumentandi de quocunque problemate proposito. Est utilis ad congressus et colloquia, quia cum per Dialecticam sciamus, quæ opiniones receptæ sint a variis sectis, poterimus ex propriis et admissis a qualibet secta, agere cum professoribus talium sectarum, ipsosque ex eorum principiis redarguere in iis, quæ videbuntur non recte dicere. Demum est utilis ad scientias philosophicas ex duplici capite : primo, quia disputatio in utramque partem disponit ad inveniendam ac determinandam veritatem; sed per Dialecticam habemus facultatem disputandi in utramque partem; ergo per Dialecticam disponimur ad inveniendam veritatem ac demonstrationem, quæ causet scientiam quæstionis propositæ; secundo, quia prima principia scientiarum non possunt probari ex principiis talis scientiæ, cum sint prima, adeoque non dentur in scientia principia priora ipsis; ergo solum possunt ostendi probabiliter ex principiis dialecticis. Hoc autem munus probandi principia scientiarum est præcipuum et maxime proprium Dialecticæ, quia cum sit indigatrix, et tradat artem inventivam, docet modum inveniendi et venandi principia scientiarum philosophicarum.

3. Posset aliquis putare, quod ad hoc, ut aliquis perfecte fungatur munere dialectici, requiritur, ut persuadeat opinionem, quam intendit persuadere. Rejicit Aristoteles hunc errorem ac docet, quod sicut ad hoc, ut quis perfecte fungatur munere medici, non requiritur, ut sanet ægrotum, sed sufficit, si nihil omittat eorum, quæ possunt fieri ad sanandum ægrotum; sicut ad hoc, ut orator sit perfectus et perfecte fungatur munere suo, non requiritur, ut persuadeat, sed sufficit, ut dicat apte ad persuadendum, nihil omittens eorum, quæ possunt ad persuadendum conducere, sic, ut quis sit perfectus dialecticus et perfecte fungatur munere dialectici, non requiritur, ut persuadeat opinionem, pro qua disputat, sed sufficit, ut nihil omittat eorum, quæ conducere possunt ad reddendam illam probabilem et persuasibilem.

CAPUT III

QUOT ET QUÆ SINT PRÆDICATA, CIRCA QUÆ VERSANTUR RATIONES, PROPOSITIONES ET PROBLEMATA DIALECTICA.

1. [4] Primum igitur videndum est, ex quibus haec methodus constet. Si igitur sumpserimus, ad quot et quæ et ex quibus rationes exstruantur, et quomodo his abundabimus, satis id quod proposuimus consequemur.

2. Sunt autem numero paria et eadem ea ex quibus rationes constant, et ea de quibus syllogismi conficiuntur. Fiunt enim rationes ex propositionibus; ea vero de quibus fiunt syllogismi, sunt problemata. Omnis autem propositio et omne problema aut genus aut proprium aut

accidens declarat. Etenim differentia, cum sit generalis, una cum genere est collocanda. Quia vero proprium aliud est quod significat quid res sit, aliud quod non significat, dividatur proprium in has duas partes, voceturque id quod significat quid res sit definitio, alterum vero secundum appellationem communiter his attributam appelletur proprium. Ex dictis igitur patet secundum præsentem divisionem accidere, ut quatuor omnia fiant, id est vel proprium vel definitio vel genus vel accidens.

3. Nemo autem nos dicere existimet, horum unumquodque per se dictum esse propositionem aut problema, sed ex his problemata et propositiones fieri.

4. Jam vero propositio et problema differunt modo. Nam si ita dicatur : « nonne animal pedestre bipes est hominis definitio »? et « nonne animal est genus hominis? » Propositio efficitur. Si vero dicatur « utrum animal pedestre bipes est hominis definitio an non »? et « utrum animal est genus hominis an non »? problema efficitur. Similiterque dicendum est de aliis. Merito igitur paria numero sunt problemata et propositiones, quoniam ex omni propositione problema facies, si modum commutaveris.

1. Præmisa prima parte procemiali hujus operis, per tres alias partes Aristoteles Dialecticam tradit. Præmittit, quod quia ut dictum est cap. I., Dialectica est facultas probabiliter ratiocinandi, ut illam tradamus, primo debemus agere de ipsis rationibus probabilibus, explicando ex quot et quibus propositionibus constent; circa quot et quæ problemata versentur; et quot ac quæ sint prædicata, circa quæ, tanquam circa materiam, versantur propositiones et problemata, adeoque rationes dialecticæ; secundo debemus tradere artem inveniendi rationes dialecticas easque disponendi; his enim expeditis sufficienter erit tradita Dislectica.

2. Rationes dialecticæ constant ex propositionibus, et versantur circa problemata. Propositiones et problemata quærunt vel declarant de subjecto aliquod prædicatum, adeoque versantur circa prædicata, tanquam circa propriam materiam, et diversificantur secundum diversitatem prædicatorum; ergo totidem sunt et eadem sunt genera propositionum et problematum, desumpta ex generibus prædicatorum. Jam totidem sunt genera prædicatorum, quod sunt genera eorum, quæ per propositiones et problemata quæruntur aut declarantur de subjectis. Omnis autem propositio et omne problema de subjecto declarat aut genus, aut proprium, aut accidens. Nomine generis comprehendimus omnia prædicata quidditativa universaliora re; et quia differentiæ subalternæ sunt universaliores re; ideo nomine generis comprehendimus etiam differentias subalternas (de differentia infima Aristoteles hic non facit mentionem, quia cum sit ignota, non spectat ad Dialecticam, sed ad Metaphysicam). Proprium complectitur omnia prædicata convertibilia cum subjecto; et quia ex prædicatis convertibilibus quædam sunt quidditativa, et declarant ipsam essentiam rei, quædam sunt extra essentiam rei, ideo proprium complectitur definitionem et id, quod simpliciter dicitur proprium, cum sit extra essentiam rei. Accidens complectitur omnia prædicata, quæ neque sunt essentialia neque convertibilia. Quatuor igitur sunt genera prædicatorum, circa quæ versantur propositiones et problemata, nimirum definitio, proprium, genus et accidens, ut magis explicabitur et probabitur cap. VII; ergo quatuor etiam sunt genera propositionum ac problematum, quæ declarant hæc quatuor genera prædicatorum.

3. Addit Aristoteles, quod licet problemata et propositiones constituantur ex dictis prædicatis, non tamen consistunt solum in talibus prædicatis, sed addunt subjectum; ex. gr., hoc problema, *utrum homo sit animal rationale,* habet pro prædicato definitionem, sed supra definitionem addit ipsum subjectum definitum; hæc propositio : *homo est risibilis,* habet pro prædicato proprium, sed ultra proprium addit hominem, qui est subjectum proprii. Supponit autem Aristoteles, Dialecticam versari circa res omnes, tanquam circa subjectum, ac solum explicat prædicata, quæ de rebus declarat per propositiones et problemata.

4. Demum quia Aristoteles mentionem fecit propositionis et problematis, explicat discrimen inter propositionem et problema, ex eoque discrimine probat id, quod dictum est num. 2, quod totidem numero et eadem sunt genera propositionum et problematum. Propositio ac problema conveniunt in prædicato ac subjecto, ac differunt solum in forma ac modo proferendi. Propositio enim interrogando sumit unam solam partem contradictionis; problema interrogat de utraque; ex. gr., propositiones sunt, per quas interrogatur : *nonne animal rationale est definitio hominis? nonne animal est genus hominis*? At problemata sunt, per quæ in-

terrogatur: *animal rationale estne definitio hominis, an non? animal estne genus hominis, an non?* Cum igitur problema ac propositio differant solum ex modo ac forma proferendi, ac conveniant in materia, mutata forma omnis propositio mutari potest in problema et e converso, adeoque totidem numero atque eadem sunt genera propositionum ac problematum.

CAPUT IV

QUID SIT DEFINITIO, PROPRIUM, GENUS ET ACCIDENS

1. [5] Dicendum autem est quid sit definitio, quid genus, quid proprium, quid accidens.

2. Est autem definitio oratio, quæ significat quid res sit. Adhibetur autem aut oratio pro nomine aut oratio pro oratione. Possunt enim etiam nonnulla, quæ oratione significantur, definiri. Eos vero qui nomen adhibent, constat non adhibere rei definitionem, quoniam omnis definitio est oratio quædam.

3. Attamen hoc quoque ad definitionem referri debet, veluti honestum esse quod decet. Itemque hoc, utrum idem sit sensus et scientia an aliud. Cum enim circa definitiones versamur, plurimum studii in eo ponimus, utrum sit idem an diversum. Et ut absolute loquar, definitiva omnia vocentur, quæ sunt sub eadem methodo, sub qua est definitio. Omnia autem quæ nunc dixi esse ejusmodi, ex his patet. Cum enim poterimus quod idem sit et quod diversum disserendo probare, eodem modo abundabimus argumentis ad definitiones pertinentibus.

4. Ostendentes enim non idem esse, evertemus définitionem. Sed non convertitur quod nunc dixi. Non enim sufficit ad confirmandam definitionem, si ostendatur idem esse ; sed ad evertendam sufficit, si ostendatur non idem esse.

1. Assignatis quatuor generibus prædicatorum, descendit Aristoteles ad singula explicanda ac definienda.

2. Terminus seu definitio est *oratio significans, quid res sit, sive explicans quidditatem et essentiam rei.* Inter definitionem ac definitum hæc est differentia, quod definitum et potest esse aliquid explicatum simplici nomine, et potest esse aliquid explicatum oratione; ex. gr., cum dicitur, quod *homo est animal rationale,* definitum est *homo,* qui explicatur simplici nomine; cum vero dicitur, quod *non moveri fortuitis est res adversas forti et constanti animo, secundas vero æquo et moderato animo ferre,* definitur aliquid explicatum hac oratione, quæ est, *non moveri casibus fortuitis;* definitio e converso non potest esse unicum nomen, sed debet esse oratio composita ex pluribus nominibus explicantibus genus et differentiam rei. Hinc infertur, quod qui explicant unum nomen per aliud nomen clarius ac notius, non definiunt, ex. gr., qui dicit, quod honestum est decens, adhuc non definit honestum.

3. Licet explicationes, per quas unum nomen declaratur per aliud, non sint definitiones, adhuc reducuntur ad problema definitionis. Ad problema etiam definitionis reducuntur omnes quæstiones, quibus quæritur, *utrum aliquid sit idem, an diversum ab alio,* qualis ex. gr., est quæstio, qua quæritur, *utrum sensus et scientia sint idem an diversa.* Ratio est, quia ad problema definitionis reducuntur omnes quæstiones, quæ sunt examinandæ, ut statuatur, an aliqua sit definitio rei vel non; sed inter alia, quæ debent examinari ad statuendum, an aliqua sit definitio rei, est, an sit idem vel diversum; definitio enim objectiva debet esse idem cum definito; ergo quæstiones de eodem ac diverso reducuntur ad problema definitionis. Confirmatur, quia qui abundat argumentis ad probandum, quod aliquid sit idem vel diversum, abundat etiam argumentis ad probandum, quod aliquid sit definitio vel non sit definitio; ergo quæstiones de eodem ac diverso reducuntur ad problema definitionis.

4. Advertit Aristoteles, quod licet qui probat aliquid non esse idem, sed diversum a re, eo ipso probet, illud non esse definitionem rei, adeoque definitionem evertat, tamen non eo ipso, quod probat aliquid esse idem cum re, probat illud esse definitionem rei. Ratio est, quia ad definitionem non sufficit, ut sit idem cum re; nam gladius est idem cum ense, et tamen non est definitio ensis.

5. Proprium vero est, quod non declarat quitditatem, sed soli inest, et cum re reciprocatur. Ut proprium hominis est grammaticæ susceptivum esse, quia si homo est, grammaticæ susceptivus est, et retro si grammaticæ susceptivus est, homo est. Nemo enim proprium appellat id quod potest alii inesse, ut dormire homini, ne tum quidem si accidat aliquo tempore ut soli insit. Si quis itaque etiam tale quidpiam vocaverit proprium, non simpliciter sed aliquando aut per relationem ad aliquid appellabitur proprium. Nam esse a dextra aliquando proprium est; bipes autem per relationem ad aliquid vocatur proprium ut homini per relationem ad equum et canem. Nihil autem

eorum quæ et alii possunt inesse, reciproce attribui manifestum est ; non enim necesse est, si quid dormit, id hominem esse.

5. Proprium est, quod *non explicat quidditatem rei, sed soli inest ac conversim dicitur;* ex. gr., proprium hominis est *esse Grammaticæ susceptivum,* quia ex una parte essentia hominis non est *esse susceptivum grammaticæ,* sed *esse animal rationale,* ex alia parte *esse susceptivum Grammaticæ* convenit soli homini ac de homine dicitur convertibiliter. Porro quod ad proprium simpliciter requiratur, ut soli conveniat, patet, quia non dicitur esse proprium alicujus, quod est commune aliis et potest aliis convenire, etiamsi de facto non conveniat; ex. gr., quia dormire est commune omnibus animalibus, non dicitur hominis proprium, etiamsi contingat, ut de facto solus homo dormiat. Possunt tamen ea, quæ de possibili conveniunt, etiam aliis dici propria, non simpliciter, sed aliquando vel relate ad alia, quibus non possunt convenire; ex. gr., potest dici, quod *dormire aliquando* est proprium hominis, quia aliquando solus homo dormit ; et quod esse bipedem est proprium hominis relate ad equum, qui non est bipes. Cæterum manifestum est, quod quæ possunt etiam aliis convenire, non dicuntur ad convertentiam. Licet enim valeat: *est homo; ergo aliquando dormit;* non valet : *aliquando dormit; ergo est homo.*

6. Genus autem est, quod pluribus et differentibus specie attribuitur in quæstione quid est. In quæstione quid est, ea dicuntur attribui quæ apte respondentur, cum rogatur quid sit res proposita, ut ad interrogationem quid sit homo, apte respondetur, esse animal.

7. Generale est hoc quoque, utrum aliquid in eodem in quo aliud genere sit, an in diverso. Hoc enim sub eamdem methodum cadit, sub quam genus. Cum enim disserendo probaverimus, animal esse genus hominis, et similiter bovis, hæc in eodem genere collocari probaverimus. At si alterius esse genus, alterius non esse ostenderimus, non esse hæc in eodem genere probaverimus.

6. Genus est, quod *prædicatur de pluribus differentibus specie in eo, quod quid est.* Dicuntur prædicari *in eo, quod quid est* ea, per quæ apte respondetur ad quæstionem, qua quæritur, *quid res sit.* Ex. gr., quia ad quæstionem, qua quæritur : *quid est homo?* bene respondetur : *est animal,* dicitur *animal* prædicari de homine *in eo, quod quid est.*

7. Ad problema generis reducuntur etiam quæstiones, quibus quæritur, utrum aliquid sit in eodem vel in diverso genere. Ratio est, quia ad problema generis reducuntur quæstiones, quæ solvuntur iisdem argumentis, quibus solvitur quæstio generis; sed qui probat animal esse genus hominis et bovis, probat etiam, quod homo et bos sunt ejusdem generis; qui ostendit aliud esse genus hominis, aliud genus angeli, ostendit hominem et angelum non esse ejusdem generis; ergo, etc.

8. Accidens autem est, quod nihil horum est, id est nec definitio nec proprium nec genus, inest autem rei, et quod cuivis rei uni et eidem potest inesse et non inesse, ut sedere potest eidem alicui inesse et non inesse similiterque album ; nihil enim prohibet quominus idem modo sit album modo non album. Harum autem accidentis definitionum secunda est melior. Nam prima definitione allata necesse est, si quis est eam intellecturus, ut prius cognoscat quidnam sit definitio et genus et proprium. Secunda vero per se perfecta est et sufficiens ad notificandum quidnam sit id quod dicitur.

9. Adjungantur autem accidenti etiam mutuæ rerum collationes, quomodocumque ab accidente ductæ, veluti utrum bonum an utile sit magis eligendum, et utrum jucundior sit vita, quæ est secundnm virtutem, an quæ secundum fruitionem, et si quid aliud consimiliter dicitur. In his enim omnibus quæritur, utri magis attributum accidat.

10. Ex his autem patet, nihil prohibere quominus accidens interdum et per relationem ad aliquid proprium fiat; veluti sedere quod est accidens, cum quis solus sedet, tunc temporis proprium ejus erit, cum autem solus sedet, relatione habita ad non sedentes proprium est. Quocirca nihil vetat quominus accidens per relationem ad aliquid et interdum efficiatur proprium. Simpliciter autem non erit proprium.

8. Accidens est, *quod neque est definitio, neque proprium, neque genus, inest autem rei.* Potest etiam accidens definiri : *quod convenit rei, et eidem potest inesse et non inesse;* ex. gr., *sedere* est accidens quia qui sedet, potest non sedere; *esse album* est accidens, quia potest idem modo esse album, modo non esse album. Addit Aristoteles, quod hæc secunda definitio est melior quam prima. Ratio est, quia cum prima definitio definiat accidens per hoc, quod neque sit definitio, neque proprium, neque genus, non potest intelligi, nisi sciatur, quid sint hæc; at secunda

definitio est absoluta, adeoque per se sufficiens ad explicandum definitum.

9. Ad problema accidentis reducuntur etiam quæstiones, quibus fiunt comparationes ab accidente ductæ; ex. gr., quibus quæritur, *utrum honestum an utile sit magis eligendum; utrum jucundior sit vita secundum virtutem, an secundum voluptatem*, et aliæ similes. Ratio est, quia per has quæstiones quæritur, utri magis accidat prædicatum.

10. Addit Aristoteles accidens simpliciter posse aliquando et relate esse proprium; ex. gr., licet *sedere* simpliciter sit accidens sedentis, tamen cum quis solus sedet, tum *sedere* est proprium illius. Rursus *sedere* est proprium sedentis relate ad non sedentes. Non tamen potest accidens simpliciter esse simpliciter proprium.

CAPUT V

OSTENDITUR CÆTERA PRÆDICATA REDUCI AD DEFINITIONEM

1. [6] Nos autem hoc ne lateat, ea omnia quæ ad proprium et quæ ad genus et quæ ad accidens referuntur, etiam definitionibus aptari posse. Nam si ostenderimus non ei soli inesse quod est sub definitione, ut et in proprio fit; vel id quod in definitione assignatum est, non esse genus; vel eorum quidpiam quæ in definitione continentur non inesse, quemadmodum etiam in accidente dici posset, definitionem everterimus. Quare secundum rationem paulo ante adductam ea omnia quæ numeravimus, aliquo modo erunt definitiva.

2. Sed non propterea una in omnibus universalis methodus qnærenda est.

3. Neque enim hoc facile est inventu;et si fuerit inventum, talis methodus esset omnino obscura et inutilis ad propositam tractationem at si propria singulorum definitorum generum methodus explicabitur, facile erit, ex iis quæ cujusque rei propria sunt, de re proposita disserere. Quocirca universaliter ac typo, ut antea dictum fuit, dividendum est ; cæterorum autem quæ maxime singulis propria sunt, eis adjungi, et definitiva aut generalia appellari debent. Fere autem hæc, quæ nunc dixi, singulis adjuncta fuerunt.

1. Explicatis prædicatis, circa quæ versantur propositiones et problemata, ostendit Aristoteles argumenta, quibus utimur ad cætera problemata de genere, proprio et accidente, posse etiam applicari problemati definitionis. Probatur; nam primo argumentis ad evertendum proprium desumptis ex eo, quod prædicatum non conveniat soli, possumus etiam uti ad evertendam definitionem, cum etiam definitio debeat convenire soli. Secundo argumentis generis, quibus probamus aliquod prædicatum non esse genus, evertimus etiam definitionem, quæ debet constare ex genere et differentia. Tertio argumentis accidentis, quibus probamus aliquod prædicatum non convenire subjecto, adeoque evertimus accidens, possumus etiam evertere definitionem, quæ debet convenire subjecto; ergo universim omnia argumenta, quibus utimur ad cætera problemata, possunt etiam referri ad definitionem: sed ex dictis capite IV, num. 3, omnia, quæ possunt ad definitionem referri aliquo pacto sunt definitiva: ergo omnia problemata aliquo pacto sunt definitiva.

2. Hinc posset aliquis ulterius inferre, quod quandoquidem cætera problemata referri possunt ad definitionem, sufficeret tradere artem communem inveniendi argumenta, adeoque non oportet dividere quatuor genera problematum, ac singillatim tradere artem inveniendi rationes unicuique generi accommodatas.

3. Respondet Aristoteles, quod hæc ars communis non est facilis inventu, et inventa esset obscura ac parum utilis. E converso, si distinguantur problemata, et tradatur ars inveniendi rationes unicuique problematum generi accommodatas, facile erit ex iis, quæ sunt propria uniuscujusque generis, de re proposita disputare, ac facile etiam erit argumenta aliorum generum ad definitionem transferre. Sunt igitur dividenda problemata divisione quadam non omnino exacta, ac tradenda est ars inveniendi argumenta pro singulis generibus; quæ vero sunt unicuique generi affinia, reducenda sunt ad illud genus; ex. gr., quæstiones de eodem ac diverso, reducendæ sunt ad problema definitionis ac dicendæ sunt definitivæ; quæstiones, an aliqua sint in eodem vel in diverso genere, reducendæ sunt ad genus ac dicendæ sunt genericæ; idemque dic de aliis.

CAPUT VI

DE MODIS, QUIBUS DICITUR IDEM

1. [7] Primum autem omnium definiendum est quot modis idem dicatur.

2. Videri autem possit idem, ut typo explicem, tripertito distributum esse. Aut enim numero aut specie aut genere idem soliti sumus appellare. Numero quidem cum nomina sunt plura, res autem una, ut indumentum et vestimentum; specie vero eadem dicimus, quæ cum plura sint, specie non differunt, ut duos homines et duos equos; ea namque specie dicuntur eadem, quæ sub eadem, specie sunt. Similiterque genere eadem quæ sub eodem genere sunt, ut homo et equus.

3. Videri autem possit aquam, quæ ex eodem fonte manat, alio modo dici eamdem quam superiora. Verumtamen in iis numeranda est quæ sub eadem specie quoquo modo esse dicuntur. Hæc enim omnia syngenea et consimilia inter se videntur esse. Omnis enim aqua dicitur specie eadem cum omni aqua, quoniam habent inter se similitudinem quamdam. Aqua autem ex eodem fonte manans nulla alia ratione differt ab aliis aquis, quæ eædem dicuntur, nisi quod vehementior est similitudo. Proinde non sejungimus ab iis quæ quoquo modo secundum unam speciem dicuntur.

4. Maxime autem, ut in confesso est, quod est unum numero, videtur ab omnibus idem dici. Solet autem et hoc dici multis modis, sed maxime proprie et primum, quando nomine aut definitione eadem dicuntur, ut indumentum et vestimentum, necnon animal pedestre bipes et homo. Secundo loco cum proprio eadem dicuntur, ut scientiæ susceptivum et homo, item quod natura sursum fertur et ignis. Tertio loco cum ratione accidentium, ut sedens vel musicum et Socrates. Hæc enim omnia unum numero significant. Quod nunc dixi, verum esse, ex iis qui appellationes commutant maxime potest aliquis discere; sæpe enim jubentes nominatim vocari sedentium aliquem, commutamus appellationem, cum non intelligit is cui jubemus, quasi facilius ex accidente sit intellecturus; ac jubemus sedentem aut disputantem ad nos vocari, perspicue pro eodem accipientes, sive nomine sive accidente significetur. Idem igitur, ut dictum fuit, tripertito divisum esto.

1. Quia Aristoteles cap. IV, num. 3, docuit, ad problema de definitione reduci quæstionem, an aliquid sit idem vel diversum, explicat, quot modis dicatur idem. Primo igitur distinguit atque explicat tres modos, quibus aliquid dicitur idem numero, vel specie, vel genere; secundo proponit ac solvit quamdam dubitationem, per quam videtur, quod aliqua sint idem quarto genere identitatis; tertio demum comparans inter se modos, quibus dicitur idem, ostendit, quod idem numero maxime est idem, ac subdistinguit tres modos, quibus dicitur idem numero.

2. *Quoad primum :* considerando idem non omnino exacte, sed quantum spectat ad Dialecticam, videtur, quod dicatur tripliciter, hoc est idem numero, specie ac genere. Idem numero est, *cum nomina sunt plura, res autem una;* ex. gr., indumentum et vestimentum sunt idem numero, quia sunt una omnino res significata duobus nominibus. Specie idem sunt, *quæ cum sint plura, non differunt specie;* ex. gr., duo homines sunt unum in specie, quia continentur in eadem specie hominis; duo equi sunt unum in specie, quia continentur in eadem specie equi. Eadem genere sunt, quæ *sub eodem sunt genere;* ex. gr., equus et homo, quia continentur in genere animalis, sunt idem genere.

3. *Quoad secundum* videtur, quod aqua ex eodem fonte sit eadem, et tamen non sit eadem ullo ex tribus modis allatis, adeoque detur quartus modus ejusdem. Dicendum tamen, quod aqua ex eodem fonte est eadem secundo modo, adeoque est eadem specie. Ea enim dicuntur eadem specie, quæ habent quamdam congeneitatem et similitudinem in natura; et quia omnes aquæ habent quamdam congeneitatem et similitudinem in natura, ideo omnes aquæ sunt ejusdem speciei; sed aqua ex eodem fonte nihil aliud addit supra cæteras aquas, quam majorem quamdam congeneitatem ac similitudinem in natura; ergo aqua ex eodem fonte dicitur eadem, non alia identitate quam specifica.

4. *Quoad tertium:* quod est idem numero maxime ab omnibus censetur idem. Verum idem numero dicitur tripliciter. Primo et propriissime dicitur idem numero, *cum eadem res significatur diversis nominibus, vel nomine ac definitione*; ex. gr., indumentum et vestimentum dicitur idem numero, quia sunt eadem res significata duobus nominibus; similiter homo et animal rationale sunt idem numero, quia sunt eadem res significata nomine et definitione. Secundo idem numero sunt res et proprium rei; ex. gr., idem numero est homo ac disciplinæ susceptivum, quod est proprium hominis, idem numero est ignis et *quod fertur sursum,* quod est proprium ignis. Tertio idem numero sunt res et accidens rei; ex. gr., Socrates, qui est sedens, et musicus sunt idem numero. Quod autem nomen accidentis ac nomen rei habeant vim significandi idem numero, patet; nam sæpe cum quis non per-

cipit nomen rei, ad hoc, ut percipiat, subrogatur nomen accidentis; ex. gr., si Socrates sedeat cum pluribus aliis, et quis dicat servo: *voca Socratem*, si servus non percipiat, dicitur : *voca sedentem vel disputantem tali loco et ordine.*

CAPUT VII

OSTENDITUR, OMNEM DISPUTATIONEM DIALECTICAM VERSARI CIRCA ILLA QUATUOR PRÆDICATA, ET EXPLICATUR DIVISIO PRÆDICAMENTORUM.

1. [8] Quod autem ex supra dictis et per ea disputationes conficiantur et ad ea pertineant, prima fides est per inductionem.

2. Si quis enim consideret singulas propositiones et problemata, videbuntur utique aut ex definitione aut ex proprio aut ex genere aut ex accidente sumpta esse.

3. Altera fides est per syllogismum. Necesse est enim ut quidquid alicui attribuitur, vel reciprocetur cum re vel non reciprocetur. Et si quidem reciprocetur, erit definitio aut proprium. Nam si significet quidditatem, definitio, si vero id non significet, proprium erit ; id enim erat proprium, quod reciprocatur quidem, non tamen significat quidditatem. Quod si non reciprocetur cum re, aut est aliquid ex iis quæ dicuntur in definitione subjecti, aut non. Et si quid est ex iis quæ dicuntur in definitione, aut erit genus aut differentia, quoniam definitio ex genere et differentiis constat. Si vero non est ex iis quæ dicuntur in definitione, profecto erit accidens ; nam accidens vocabatur quod neque definitio neque genus neque proprium est, inest autem rei.

4. [9] Post hæc igitur oportet definire genera categoriarum, in quibus insunt dictæ quatuor differentiæ. Hæc autem sunt numero decem, quid est, quantum, quale, ad aliquid, ubi quando, situm esse, habere, facere, pati. Semper enim accidens et genus et proprium et definitio in una harum categoriarum reperientur. Omnes enim propositiones ab his sumptæ vel quid est vel quale vel quantum vel aliquam aliam categoriam significant.

5. Ex his autem constat, eum qui significat quid est, modo significare substantiam modo qualé modo aliquam aliam categoriam. Cum enim homine proposito ait id quod est propositum esse hominem aut animal, dicit quid est et significat substantiam. Cum autem colore albo proposito ait id quod est propositum esse album vel colorem, et dicit quid est et significat quale. Similiterque si proposita magnitudine unius cubiti dicat id quod propositum est esse magnitudinem unius cubiti, et dicit quid est et significat quantum. Similiter âutem dicendum est etiam in aliis. Horum enim unumquodque, sive ipsum de se ipso dicatur, sive de eo genus dicatur, significat quid est. Cum autem de alio dicitur, non significat quid est, sed vel quantum vel quale vel aliquam aliam categoriam.

6. Quare de quibus rationes et ex quibus constant, hæc et tot sunt. Quomodo autem hæc sumamus et per quæ nobis copia suppetat, post hæc dicendum est.

1. Quia Aristoteles docuit quidem cap. III, materiam, circa quam versantur disputationes dialecticæ esse definitionem, genus, proprium et accidens, sed id satis non probavit, ideo id ipsum hoc loco confirmat inductione et ratione sive syllogismo.

2. Probat igitur primo inductione. Si quis enim consideret singulas propositiones, ex quibus conficiuntur syllogismi dialectici, et singula problemata, circa quæ versantur, videbit, quod prædicatum ipsorum vel reducitur ad definitionem, vel ad proprium, vel ad genus, vel ad accidens.

3. Secundo probat id ipsum syllogismo. Omne enim prædicatum, vel convertitur cum subjecto, vel non convertitur : si convertitur, vel significat quidditatem, et est definitio; vel non significat quidditatem, et est proprium. Si non convertitur, vel spectat ad definitionem subjecti, et est vel genus vel differentia, siquidem definitio constat solum ex genere ac differentia; vel non spectat ad definitionem subjecti, et est accidens, siquidem accidens est, quod *neque est definitio, neque proprium, neque genus, inest autem rei.*

4. Quia quatuor prædicata, circa quæ versantur disputationes dialecticæ, semper sunt in aliqua categoria, explicat Aristoteles genera categoriarum seu prædicamentorum. Sunt igitur decem prædicamenta seu categoriæ: *quid est, quantum, quale, ad aliquid, ubi, quando, situm esse, habere, agere, pati.* Omnes igitur propositiones et omnia problemata sumunt prædicatum ex aliqua categoria, et significant vel *quid* res sit, vel *quanta* sit, vel *qualis* sit, etc.

5. Porro *quid est*, definitio nimirum et omnia prædicata essentialia, non solum dicuntur de substantia, sed etiam de qualitate, quantitate et aliis prædicamentis. Patet; si enim quis de homine dicat, quod est animal, et explicat quid sit homo, et significat substantiam; si vero de albedine dicat, quod est color, et explicat, quid sit albedo, et explicat quale; si dicat, quod cubitus est magnitudo, et

explicat, quid sit cubitus, et significat quantum, idemque dic de aliis prædicamentis; ergo universim, quid sit res, dici potest de rebus omnium prædicamentorum. Cum enim prædicata desumpta ex qualibet categoria dicuntur de se ipsis, ut de subjecto, ex. gr., cum definitio dicitur de definito in hac propositione : *albedo est color disgregans visum*, vel cum de ipsis dicitur genus, ut in hac propositione : *albedo est color*, significatur de subjecto *quid sit*. Cum vero prædicatum unius prædicamenti dicitur de subjecto alterius prædicamenti, tum non significatur, *quid subjectum sit*, sed *quale*, vel *quantum sit*. Ex. gr., cum album dicitur de homine, significatur qualis sit homo ; cum de homine dicitur tricubitus, significatur quantus sit homo, idemque dic de reliquis.

6. Concludit Aristoteles, quod cum hactenus sit explicatum circa quæ prædicata versentur rationes ac syllogismi dialectici, explicandum est, quo pacto possimus invenire talia prædicata, et ex ipsis conficere rationes dialecticas; sed præmittendum est, quid sit propositio dialectica et problema dialecticum.

CAPUT VIII

QUID SIT PROPOSITIO DIALECTICA.

1. [10] Primum igitur definiatur quid sit propositio dialectica, et quid sit problema dialecticum. Nec enim omnis propositio nec omne problema haberi debet pro dialectico. Nemo enim mentis compos pro principio sumet quod nemini videtur, nec pro quæstione ponet quod videtur omnibus aut plerisque, quoniam hæc dubitatione carent, illa vero nemo concesserit.

1. Hactenus Aristoteles egit de prædicatis, ex quibus componuntur, et circa quæ versantur propositiones et problemata dialectica; — descendit jam ad agendum de ipsa propositione ac problemate dialectico. Præmittit non omnem propositionem nec omne problema esse dialecticum. Nemo enim sanæ mentis sumet ut principium et propositionem probabilem aliquid, quod nemini videtur verum, ex. gr., quod astra sunt paria; nemo rursus proponet ut quæstionem disputabilem in utramque partem aliquid, quod omnibus videtur verum; siquidem quæ omnibus videntur vera non sunt dubia, adeoque non debent proponi ut quæstiones; quæ autem nemini videntur vera non admittuntur, adeoque non debent proponi ut propositiones et principia, Est igitur propositio dialectica, *interrogatio probabilis aut omnibus, aut plerisque, aut sapientibus, atque his aut omnibus, aut plerisque, aut clarissimis a communi opinione non abhorrins*. Ratio est, quia propositio dialectica est propositio, quæ est apta, ut ex concessione ejus, cum quo disputatur, sumatur tanquam principium ; sed quod videtur sapientibus et non abhorret a communi opinione, facile conceditur ab eo, cum quo disputatur, adeoque assumi potest ut principium ; ergo quod videtur sapientibus et non abhorret a communi opinione est propositio dialectica. Si vero aliquid videatur multis sapientibus, sed abhorreat a communi opinione, non facile concedetur, ideoque non est propositio dialectica; ex. gr., licet Pythagoricis, qui erant sapientissimi, videretur vera transmigratio animarum, quia tamen talis transmigratio abhorret a communi opinione, non potest sumi ut propositio dialectica.

Est autem propositio dialectica interrogatio probabilis aut omnibus aut plerisque aut sapientibus, atque his vel omnibus vel plurimis vel nobilissimis, a communi opinione non abhorrens ; concesserit enim quispiam quod videtur sapientibus, nisi contrarium sit opinionibus multorum.

2. Sunt autem propositiones dialectic æetiam ea quæ sunt probabilibus similia ; necnon contraria iis, quæ probabilia videntur per contradictionem proposita; et quæcumque opiniones sunt secundum artes inventas.

3. Nam si probabile sit, eamdem esse contrariorum scientiam, hoc quoque videbitur probabile, sensum eumdem esse, contrariorum ; et si unam numero grammaticam esse, tibiarum quoque artem unam esse probabile erit. Sin plures grammaticas etiam tibiarum artes plures. Hæc enim omnia similia et ejusdem generis videntur esse.

4. Similiter etiam quæ probabilibus sunt contraria, per contradictionem proposita videbuntur probabilia. Nam si probabile est oportere de amicis bene mereri, probabile etiam erit non oportere male mereri. Est autem contrarium oportere male mereri de amicis, per contradictionem vero non oportere male mereri. Similiterque si oportet de amicis bene mereri, de inimicis non oportet. Et autem hoc quoque per contradictionem contrariorum ; contrarium enim est oportere de inimicis bene mereri. Itidem dicendum est etiam in aliis. Probabile autem in comparatione videbitur etiam contrarium de contrario. Veluti si de amicis oportet bene mereri,

etiam de inimicis oportet male mereri. Videri autem possit hoc, de amicis bene mereri esse illi contrarium, de inimicis male mereri ; utrum autem revera ita habeat necne, in iis quæ de contrariis dicentur, explicabitur.

5. Constat autem et opiniones, quæcumque sunt secundum artes, esse dialecticas propositiones. Concesserit enim quispiam, quæ iis videntur, qui in hisce rebus, de quibus agitur versati sunt, veluti de rebus medicis ita sentiendum esse admittet, ut medicus docet, de geometricis ut geometra. Similis est aliorum ratio.

2. Proponit deinde Aristoteles, atque explicat alia tria genera propositionum dialecticarum. Primum genus complectitur propositiones, per quas enunciatur aliquid simile ei, quod judicatur probabile. Secundum genus continet propositiones, per quas per contradictionem enunciatur aliquid contrarium ei, quod judicatur probabile. Tertium genus continet propositiones, per quas aliquid enunciatur secundum opinionem peritorum in arte.

3. Explicatur. Primo enim si probabile est eamdem esse contrariorum disciplinam, probabile etiam videtur, quod idem sit sensus contrariorum, hoc enim videtur simile illi. Rursus si probabile est grammaticam esse artem unam, probabile est etiam, tibicinariam esse artem unam; si autem probabile est grammaticas esse plures, probabile est etiam esse plures tibicinarias.

4. Secundo si probabile est oportere de amicis bene mereri; huic autem est contrarium *de amicis male mereri,* proposita contradictione, probabile erit *non oportere de amicis male mereri.* Rursus quia huic, quod est *bene mereri de amicis,* videtur contrarium *bene mereri de inimicis,* videtur probabile, quod non oportet de inimicis bene mereri. Idem dic de aliis. Videtur item probabile contrarium comparatione contrarii ; ex. gr., amicis contrarii sunt inimici, et *bene mereri* contrarium est *male mereri;* ergo videtur, quod si oportet de amicis bene mereri, oporteat etiam de inimicis male mereri. Utrum autem hæc vera sint, explicabitur inferius, cum agetur de locis contrariorum.

5. Tertio sicut est probabile, quod videtur sapientibus, ita est probabile, quod videtur peritis in unaquaque arte. Unusquisque enim facile concedet, quod standum est peritis in arte, adeoque quod circa medicinalia sentiendum est, sicut medici sentiunt, circa geometrica sentiendum est cum geometris, idemque dic de aliis.

CAPUT IX

QUID SIT PROBLEMA DIALECTICUM ET THESIS.

1. [11] Problema vero dialecticum est contemplatio pertinens vel ad electionem et fugam, vel ad veritatem et cognitionem ; idque vel per se, vel quia adjumentum affert ad aliud quidpiam ejusmodi, de quo aut neutram in partem sentiunt, aut multi contra ac sapientes, aut sapientes contra ac multi, aut utrique dissentiunt ipsi inter se.

2. Quorumdam enim problematum cognitio utilis est ad eligendum aut fugiendum, veluti utrum voluptas sit bonum necne ; quorumdam vero ad cognoscendum duntaxat, veluti utrum mundus sit æternus an non. Quædam autem per se ad neutrum horum valent, ad eorum tamen aliqua conferunt ; multa enim sunt, quæ nolumus sui ipsorum causa, nota facere, sed aliorum causa, ut per hæc aliud quidpiam notum faciamus.

3. Sunt autem problemata et ea quorum sunt syllogismi contrarii,

4. quia dubitationem continent, utrum sic se habeant an secus, propterea quod in utramque partem sunt rationes probabiles. Et ea de quibus rationem non habemus, cum magna sint et ardua, putantes difficile esse, ut afferatur ratio, quamobrem ita sit, veluti utrum mundus sit æternus an non. Nam et quæ ejusmodi sunt, quærere aliquis potest. Problemata igitur et propositiones, ita ut dictum est, definita sunto.

Sicut Aristoteles egit de propositione dialectica, sic agit de problemate dialectico ac de thesi, quæ est quædam species problematis.

1. Definit Aristoteles problema definitione divisiva, qua simul explicat varias problematum species. Problema est *aliquid contemplationi et disquisitioni propositum, spectans vel ad electionem et fugam, vel ad veritatem et cognitionem, vel per se, vel quia adjumentum affert ad aliquid aliud, de quo aut nulla est opinio, aut contraria est opinio vulgi ac sapientum, aut contrariæ sunt opiniones vulgi, aut contrariæ sunt opiniones sapientum.*

2. In hac definitione continentur duæ divisiones problematis. Primo dividitur problema in speculativum et practicum. Practicum est, *cujus cognitio est utilis ad electionem vel fugam* ex. gr., hoc problema, quo quæritur, *utrum voluptas sit bonum,* est practicum, quia ejus cognitio conducit ad electionem vel fugam volup-

tatis. Speculativum est, *cujus cognitio est solum expetibilis gratia scientiæ;* ex. gr., hoc problema : *an mundus fuerit ab æterno,* est speculativum, quia ejus cognitio est expetibilis gratia solius scientiæ. Problema tum speculativum tum practicum potest subdividi in problema, quod per se expetimus scire, cujusmodi sunt duo jam proposita, et quod expetimus scire non propter se, sed quia ordinatur ad sciendum aliquid aliud, quod per se expetimus scire.

3. Secunda divisio problematis est : aliqua sunt problemata, de quibus nulla est opinio; aliqua, de quibus contrariæ sunt opiniones vulgi ac sapientum; aliqua, de quibus contrariæ sunt opiniones vulgi; aliqua, de quibus contrariæ sunt opiniones sapientum.

4. Subjicit Aristoteles tertiam divisionem : aliqua enim sunt problemata utrimque dubitabilia, quia sunt rationes ac syllogismi contrarii in utramque partem; aliqua sunt problemata magna et ardua, de quibus difficile affertur ratio in alterutram partem, quale est problema, *an mundus fuerit ab æterno.* Quod autem hæc omnia enumerata sint problemata, probat Aristoteles ex alia definitione problematis. Problema enim est, *quod potest proponi* ad quærendum; sed hæc omnia possunt *proponi ad quærendum;* ergo, etc.

5. Thesis autem est præter omnium opinionem, sententia alicujus nobilis philosophi, veluti non posse contradici, ut dicebat Antisthenes ; aut omnia moveri, secundum Heraclitum ; aut quodcumque est, esse unum, ut ait Melissus. Nam cujusvis contraria opinionibus pronuntiantis rationem habere amentia est.

6. Vel thesis sententia est de his quorum rationem habemus, cum sint opinionibus contraria, veluti non omne quod est, aut esse factum aut æternum, sicut sophistæ inquiunt. Nam qui est musicus, est grammaticus, cum nec factus nec æternus sit. Hoc enim, etsi alicui non videtur, tamen videri possit, quia rationem habet ad persuadendum idoneam.

7. Ergo et thesis est problema, non omne autem problema est thesis ; nam quædam problemata sunt ejusmodi, ut de eis in neutram partem sentiamus. Quod autem thesis quoque sit problema, manifestum est ; necesse enim est ex iis quæ dicta fuerunt, aut multos cum sapientibus de thesi contendere, aut utrosvis inter se, quoniam thesis est sententia quædam præter opinionem.

8. Sed fere nunc omnia dialectica problemata vocantur theses. Concedatur autem nihil referre, quocumque modo dicatur ; non enim quia velimus nomina condere, ideo hæc ita divisimus, sed ne nos lateat, quæ sint horum differentiæ.

5. Thesis est : *sententia communi opinioni contraria innixa vel auctoritate alicujus nobilis philosophi vel ratione.* Duplex ergo est thesis. Prima est *sententia paradoxica innixa auctoritate alicujus nobilis philosophi ;* ex. gr., quod non possit contradici, ut dicebat Antisthenes, vel quod omnia moventur, ut dicebat Heraclitus, vel quod omnia sunt unum, ut dicebat Melissus. Requiritur ad thesim, ut nitatur auctoritate alicujus clari philosophi. Nam thesis debet posse in disputationem vocari; est autem dementia, in disputationem vocare sententias cujusque contrarias opinionibus communibus; ergo non sufficit ad thesim, ut sit sententia cujusque, sed debet esse sententia alicujus clari philosophi.

6. Secunda thesis est *sententia contraria opinioni communi nixa ratione apparenti ;* ex. gr., communis opinio est, quod quodlibet vel fuit ab æterno, vel est factum. Sophistæ probant aliqua dari, quæ neque sint ab æterno, neque sint facta tali ratione. Musicus est grammaticus; sed musicus neque ab æterno fuit grammaticus, neque factus est grammaticus; ergo, etc.. Probant minorem; nam si musicus factus esset grammaticus, musicus esset subjectum grammatici; sed musicum non est subjectum grammatici, nam unum accidens non est subjectum alterius ; ergo, etc. Quod igitur detur aliquid, quod neque fuerit ab æterno, neque sit factum, potest esse thesis, quia licet nullius sit opinio, suadetur tamen ratione allata.

7. Ex dictis infertur thesim esse speciem problematis. Probatur. Omnis thesis est problema, non omne problema est thesis ; ergo, etc. Probatur secunda pars antecedentis, quod nimirum non omne problema sit thesis. Dantur enim problemata, de quibus in neutram partem opinamur ; sed hæc non sunt theses, quæ debent esse opiniones paradoxæ; ergo, etc. Probatur prima pars antecedentis, quod omnis thesis seu positio sit problema. Ut enim dictum est num. 2. *problema est aliquid contemplationi propositum, circa quod aut nulla est opinio, aut contrariæ sunt opiniones vulgi et sapientum,* etc., sed thesis eo ipso, quod est opinio paradoxica, est talis, ut circa illam contrariæ sint opiniones; ergo thesis seu positio comprehenditur in problemate.

8. Advertit tamen Aristoteles quod, licet thesis ac problema differant modo explicato, adhuc jam ex usu loquentium confunditur thesis cum problemate, adeoque omnia problemata dialectica vocantur theses. Adhuc tamen placuit notare discrimen inter thesim et problema, non ut novas nominum significationes effingentes, a communi loquendi modo recedamus, sed ne lateat tale discrimen.

9. Nec vero oportet omne problema aut omnem thesim in quæstionem revocare, sed eam de qua dubitare quispiam possit egens rationis, non pœnæ aut sensus. Nam qui ambigunt utrum oporteat deos colere et parentes diligere necne, pœna ; qui vero dubitant utrum nix sit alba necne, sensu indigent. Nec igitur de his disceptare oportet quorum in promptu est demonstratio, nec quorum est nimis remota, quoniam illa non habent dubitationem, hæc vero majorem habent quam gymnasticæ conveniat.

9. Non quodlibet problema, neque quælibet thesis vocanda est in disputationem dialecticam, sed illæ solæ, de quibus dubitantes indigent ratione, per quam de veritate instruantur, non autem illæ, de quibus dubitantes indigent pœna vel sensu; ex. gr., non est disputandum, *utrum oporteat deos honorare vel parentes diligere,* quia de his dubitantes, quæ sunt omnibus a natura insita, pœna sunt coercendi; rursus non est disputandum, *an nix sit alba,* quia de hoc dubitantes indigent sensu, cum videantur cæci. Rursus non sunt vocanda in disputationem dialecticam ea, quorum propinqua et obvia est demonstratio, neque quorum probatio est longissime petita, sed quæ medio modo se habent. Ratio est, quia, quæ vocantur in disputationem dialecticam, debent esse dubitabilia in utramque partem, ac debent posse probari ratione dialectica ; sed ea, quorum propinqua et obvia est demonstratio, non sunt dubitabilia in utramque partem; ea vero, quæ non possunt probari, nisi per rationes longissime petitas, cum tales rationes non sint dialecticæ, non possunt probari ratione dialectica ; ergo, etc.

CAPUT X

DE DUABUS SPECIEBUS DISSERENDI, QUÆ SUNT INDUCTIO ET SYLLOGISMUS.

1. [12] His autem definitis, distinguere oportet et explicare, quot sint rationum dialecticarum species.

2. Est autem unum inductio, alterum syllogismus. Ac syllogismus quidem quid sit, dictum antea fuit. Inductio vero est progressio a singularibus ad universale. Veluti si sciens gubernator est optimus, necnon auriga, omnino etiam et universaliter sciens in quaque re est optimus

3. Est autem inductio instrumentum aptius ad persuadendum et apertius et secundum sensum notius et multis commune; syllogismus vero instrumentum majori vi urgens, et adversus eos qui sunt ad contradicendum apti efficacius

[13] Genera igitur, de quibus et ex quibus rationes fiunt, ut paulo ante dictum fuit, definita sunto.

1. Explicatis propositionibus, ex quibus fiunt, ac problematibus, circa quæ versantur rationes dialecticæ, explicat Aristoteles species ipsas rationum dialecticarum, easque comparat inter se.

2. Duæ sunt species dialecticarum ratiocinationum, inductio nimirum et syllogismus. Quid sit syllogismus, explicatum est cap. II, ideoque nihil est addendum. Inductio est *argumentatio, per quam a singularibus procedimus ad universale.* Ex. gr., inductio est, qua sic argumentamur : qui est eruditus in arte gubernandi navim, est optimus gubernator navis; qui est eruditus in arte regendi currum, est optimus auriga, etc., ergo universim qui in unoquoque genere est eruditus, est optimus in eo genere.

3. Inductio et syllogismus se habent sicut excedens et excessum. Inductio enim est facilior, clarior et secundum sensum notior, ideoque pluribus communis, atque accommodatior multitudini; at syllogismus est validior et efficacior ad redarguendos eos, qui contradicunt.

CAPUT XI

DE QUATUOR INSTRUMENTIS, QUÆ SUPPEDITANT COPIAM RATIONUM DIALECTICARUM.

1. Instrumenta vero, per quæ nobis copia suppetet syllogismorum et inductionum, quatuor sunt. Unum est propositiones sumere; secundum, quot modis quidque dicatur, posse distinguere; tertium differentias invenire ; quartum similitudinis consideratio.

2. Sed et horum tria sunt quodammodo propositiones. Licet enim secundum unumquodque eorum facere propositionem, veluti eligendum esse quod est honestum, vel quod est jucundum, vel quod est utile ; et differre sensum a scientia, quod qui hanc amisit, potest iterum accipere,

illum vero non potest. Item quam rationem habet salubre ad sanitatem, eamdem habere quod firmam corporis constitutionem efficit ad firmam constitutionem. Est autem prima propositio ducta ab iis quæ multis modis dicuntur, secunda a differentiis, tertia a similibus.

Aristoteles in prima parte hujus operis ac primi libri egit de rationibus dialecticis; in secunda parte usque ad librum septimum inclusive tradit artem inveniendi tales rationes. Et primo quidem usque ad finem libri primi explicat instrumenta generalia inveniendi rationes pro omnibus quatuor generibus problematum; secundo sex libris sequentibus tradit loca specialia ad inveniendas rationes unicuique generi problematum accommodatas.

1. Quatuor sunt instrumenta generalia, quæ possunt suppeditare copiam syllogismorum et inductionum in quocumque problematum genere. Primum est sumptio propositionum, ex quibus tamquam ex præmissis et principiis, possint confici rationes. Secundum est distinctio, per quam explicatur, quot modis res dicantur. Tertium est consideratio et inventio differentiarum, per quas res differunt inter se. Quartum est consideratio et inventio similitudinum, convenientiarum et proportionum, per quas res invicem conveniunt.

2. Addit Aristoteles, quod ex his quatuor instrumentis, tria reliqua reduci possunt ad primum, hoc est ad sumptionem propositionum. Probatur et explicatur. Nam ex secundo instrumento, hoc est ex distinctione, per quam explicatur ex. gr., quod bonum dicitur tripliciter, honestum, jucundum atque utile, sumitur propositio, quod eligendum est id, quod vel est honestum, vel jucundum, vel utile; ex tertio instrumento, ex. gr., ex inventione differentiæ, per quam sensus differt a scientia, sumi potest hæc propositio, quod sensus in hoc differt a scientia, quod sensus amissus non potest recuperari, at scientia amissa potest recuperari; ex quarto instrumento, hoc est inventione similitudinum desumi potest hæc propositio, quod sicut salubre se habet ad sanitatem, sic id, quod efficit firmam corporis constitutionem, se habet ad firmam corporis constitutionem; ergo cum alia instrumenta ad id tandem conducant, ut sumantur propositiones, cætera instrumenta reducuntur ad primum, hoc est ad sumptionem propositionum.

CAPUT XII

DE PRIMO INSTRUMENTO, HOC EST DE SUMPTIONE PROPOSITIONUM.

1, [14] Propositiones igitur tot modis sunt eligendæ, quot modi positi sunt in definitione propositionis, adeo ut vel omnium opiniones seligamus vel plurimorum vel sapientum, atque horum vel omnium vel plurimorum vel nobilissimorum ; vel etiam contrarias his quæ videntur et opiniones illas, quæ secundum artem quampiam sunt. Oportet autem contrarias his quæ videntur proponere secundum contradictionem, ut supra dictum fuit. Utile etiam est eas efficere eligendo non solum eas quæ sunt probabiles, sed etiam eas quæ sunt his similes, veluti contrariorum eumdem esse sensum, quia est eadem scientia ; et nos videre recipientes quidpiam, non emittentes, quia in aliis quoque sensibus itidem res se habet : audimus enim recipientes quidpiam, non emittentes , atque eodem modo gustamus et olfacimus. Similis et aliorum ratio. Præterea quæcumque in omnibus aut plurimis apparent, sumenda sunt quasi principia et probabiles theses; hæc enim concedunt qui non vident aliqua in re non ita habere. Eligere etiam oportet ex sermonibus scriptis.

Descendit Aristoteles ad agendum de singulis instrumentis, ac primo agit de sumptione propositionum. Primo igitur explicat, quæ propositiones sint sumendæ; secundo explicat, unde sint sumendæ, et quo pacto sint colligendæ et ordinandæ per loca communia, ut dialecticus habeat quoddam veluti promptuarium, ex quo propositiones juxta opportunitatem desumat; tertio innuit ac solvit quamdam objectionem; quarto demum explicat, quo pacto propositiones per divisionem sint multiplicandæ.

1. *Quoad primum*, sumendæ sunt propositiones probabiles ; et quia, ut dictum est cap. VIII., propositiones probabiles sunt, quæ videntur veræ, omnibus, aut pluribus, aut sapientibus; et quæ videntur veræ vel omnibus sapientibus, vel plurimis, vel clarissimis ; et quæ videntur veræ peritis in qualibet arte, etiamsi primo aspectu videantur falsæ, ideo sumendæ sunt tales propositiones. Quia rursus, ut eodem capite est explicatum, probabiles sunt propositiones contrariæ probabilibus per contradictionem explicatæ, ideo sumendæ sunt etiam tales propositiones. Præterea sumendæ sunt propositiones similes probabilibus, cum etiam ipsæ sint probabiles, ut dictum est loco citato. Ex. gr., quia probabile est, quod contrariorum

est eadem scientia, sumendum est etiam, quod contrariorum idem est sensus; rursus, quia in aliis sensibus sensationes causantur per introsusceptionem, non per extramissionem, eo pacto, quo auditus audit per introsusceptionem soni, odoratus odoratur per introsusceptionem odoris, sumendum, quod etiam visus videt non per extramissionem, sed per introsusceptionem. Demum quando aliqua propositio plerumque est vera, sumenda est universaliter; ex. gr., quia matres plerumque amant filios, sumendum est universaliter, quod matres amant filios. Propositiones enim plerumque veras adversarius admittit, cum non occurrit instantia in contrarium.

2. Descriptiones autem faciendæ sunt de quoque genere separatim supposito, veluti de bono vel de animali, de bono (inquam) omni, incipiendo a quæstione quid est. Annotandæ autem sunt et singulorum opiniones, veluti Empedoclem dicere, quatuor esse corporum elementa ; facile enim quispiam concesserit quod a claro aliquo philosopho dictum est.

3. Sunt autem, ut typo complectar, propositionum et problematum partes tres. Nam aliæ propositiones sunt ethicæ, aliæ physicæ, aliæ logicæ. Ethicæ sunt ejusmodi, veluti utrum oporteat parentibus parere potius quam legibus, si discrepent; logicæ autem, veluti utrum contrariorum sit eadem scientia an non ; physicæ vero, veluti sitne mundus æternus necne. Similis est ratio problematum. Quales autem sint singulæ, quas dixi, definitione explicare non facile est ; sed ea quæ est per inductionem consuetudine nitendum est, ut earum quæque notæ fiant, ad prædicta exempla respiciendo.

2. *Quoad secundum*, propositiones probabiles sumendæ sunt ex disputationibus, etiam scriptis. Rursus describendæ sunt per quædam genera et capita sive loca communia; ex. gr., sub genere et sub titulo boni, ponendæ sunt omnes propositiones de bono ; sub genere et sub titulo animalis, ponendæ sunt propositiones, quæ spectant ad animalia. Debet autem incipi a genere seu prædicamento substantiæ, seu *quid est*, deinde vero procedendum per alia prædicamenta, et sic sub unoquoque prædicamento ordinandæ sunt propositiones ad ipsum pertinentes. Debent rursus adnotari singulorum opiniones; ex. gr., debet adnotari opinio Empedoclis, quod elementa sunt quatuor. Facile enim ii, cum quibus disputatur, admittunt ea, quæ dicta sunt ab aliquo probato auctore.

3. Ut autem rudi Minerva proponantur classes, ad quas reducuntur propositiones et problemata, videntur reduci ad tres classes. Quædam enim problemata sunt moralia; quædam naturalia; quædam rationalia. Exemplum problematum moralium est : *utrum parentibus sit potius obediendum an legibus, si parentes discordent a legibus*. Exemplum rationalium est : *utrum contrariorum sit eadem disciplina*. Exemplum naturalium est : *utrum mundus fuerit ab æterno*. Porro difficile est definitione universim explicare, quæ sint problemata moralia, quæ rationalia, quæ naturalia, ideoque debet quis conari, ut respiciens ad exempla allata assuescat advertere, an problemata, quæ in medium afferuntur, sint moralia, rationalia vel naturalia.

4. Quod igitur ad Philosophiam attinet, secundum veritatem de his tractandum est ; dialectice vero ad opinionem et probabilitatem omnis disputatio dirigi debet.

5. Omnes porro propositiones sumendæ sunt quam maxime universales ; et ex una multæ fieri debent, veluti oppositorum eamdem esse scientiam, deinde esse eamdem contrariorum et eamdem relatorum. Eodem modo et hæ rursus dividi debent, quamdiu possunt dividi, veluti eamdem esse scientiam boni et mali, necnon albi et nigri, item frigidi et calidi. Similiter fieri debet etiam in aliis. De propositionibus igitur sufficiant quæ jam dicta sunt.

4. *Quoad tertium :* ex eo, quod Dialectica consideret problemata tum moralia, tum rationalia, tum naturalia, videtur, quod confundatur cum Philosophia, in quantum dividitur in naturalem, moralem et rationalem, adeoque complectitur omnes scientias. Respondet Aristoteles Dialecticam distingui a Philosophia per hoc, quod licet dialecticus versetur circa res omnes et circa omnia problemata, sicut philosophus scientificus, adhuc differunt in modo considerandi. Philosophus enim non est contentus apparentia, sed examinat omnia secundum veritatem, ac quærit propria principia et proprias causas rerum; dialecticus e converso contentus est quadam apparentia veri et procedit ex communibus et probabilibus, quæ causant solam opinionem.

5. *Quoad quartum :* ut multas habeamus propositiones, sumendæ sunt propositiones maxime universales, ac deinde per divisiones ac subdivisiones sunt multiplicandæ. Ex. gr., sumendum est, quod oppositorum est eadem disciplina; deinde

dividendo opposita in contraria, relativa, privativa et contradictoria, sumendum est, quod eadem est disciplina contrariorum, relativorum, etc.; subdividendo contraria, relativa etc.; sumendum est, quod eadem est disciplina boni et mali, albi et nigri, calidi et frigidi, etc. Idem dic de aliis. Et hæc de primo instrumento dicta sufficiant.

CAPUT XIII

DE SECUNDO INSTRUMENTO, QUOD EST DISTINCTIO, PER QUAM EXPLICATUR, QUOT MODIS RES DICATUR.

1. [15] Quot modis autem quidque dicatur, ita tractandum est, ut non solum quæ alio atque alio modo dicuntur, sed etiam rationes eorum explicare conemur. Exempli gratia non solum explicari debet, alio modo bonum dici justitiam et fortitudinem, alio modo, quod ad firmam corporis constitutionem et quod ad sanitatem efficiendam valet; sed etiam ea dici bona, quia cujusdammodi sunt; hæc vero, quia sunt alicujus effectiva, non quod ipsa cujusdammodi sint. Itidemque in aliis intelligi debet.

Explicato primo instrumento, explicat Aristoteles secundum instrumentum, quod est *distinctio multiplicis*. Primo ergo explicat, quo pacto debeamus distinguere, quæ dicuntur multipliciter; secundo affert tredecim loca seu maximas, ex quibus possumus dignoscere, an aliquod nomen dicatur multipliciter, necne.

1. *Quoad primum :* si occurrat nomen, quod dicatur multipliciter, non sufficit advertere, quod tale nomen dicitur multipliciter, sed etiam conandum est, ut assignemus diversas rationes et significationes talis nominis; ex. gr., non sufficit dicere, quod nomen *bonum* in diversa significatione dicitur de justitia ac fortitudine ex una parte, et de habili ac salubri ex alia parte, sed ulterius est addendum, quod justitia et fortitudo dicuntur bona, quia per se ipsa sunt talia, at habile et salubre dicuntur bona, non quia sunt talia per se ipsa, sed quia sunt effectiva sanitatis ac bonæ habitudinis, quæ sunt bona per se ipsa. Idem dic de aliis.

2. Utrum autem specie multis modis, an uno modo quidpiam dicatur, ex his videndum est. Primum considerare oportet, an contrarium multis modis dicatur, sive specie sive etiam nomine distinguatur.

3. Quædam enim illico etiam nominibus differunt. Veluti acuto in voce contrarium est grave, in magnitudine obtusum. Constat igitur contrarium acuto multis modis dici. Quod si hoc, etiam acutum dicetur multis modis; contrarium enim horum utrique oppositum, aliud atque aliud erit, quia non idem acutum erit obtuso et gravi contrarium; atqui utrique acutum est contrarium. Rursum gravi in voce contrarium est acutum, in magnitudine leve. Quocirca grave multis modis dicitur, quandoquidem etiam contrarium. Similiter pulchro, quod est in animali, contrarium est turpe, ei vero quod est in domo, vitiosum. Quare pulchrum est verbum homonymum.

4. In quibusdam autem contrariis nulla est nominum differentia, sed specie statim apparet in eis differentia, ut in candido et fusco. Vox enim candida et fusca dicitur; similiter et color. Nominibus igitur non differunt, sed specie statim apparet in eis differentia; non enim simili ratione color candidus dicitur et vox condida. Hoc autem patet etiam ex sensu. Eorum enim quæ sunt eadem specie, idem est sensus. Candidum vero, quod in voce et quod in colore est, non eodem sensu judicamus, sed alterum visu alterum auditu. Similiter autem et acutum et obtusum in saporibus et in magnitudinibus non eodem sensu judicantur, sed alterum tactu alterum gustu. Hæc enim nominibus non discrepant, quia nec in ipsis est hæc differentia nec in contrariis; obtusum enim dicitur quod est contrarium utrique.

2. *Quoad secundum,* affert Aristoteles *tredecim loca,* ex quibus possumus dignoscere et arguere, an aliquod nomen dicatur multipliciter necne. *Primus locus* seu prima maxima desumitur ex contrario et est : cum aliquid habet contrarium, quod dicitur multipliciter, etiam ipsum dicitur multipliciter. Porro dupliciter potest contingere, ut contrarium alicujus dicatur multipliciter : primo nomine et significatione ; secundo sola significatione, non autem nomine.

3. Explicatur exemplis. Acutum dicitur de voce ac de magnitudine. Quæritur utrum dicatur multipliciter et in diversa significatione, an potius in eadem significatione. Considerandum est contrarium ; et quia invenimus, quod contrarium acuto in voce est grave, contrarium acuto in magnitudine est obtusum, grave autem et obtusum differunt non solum significatione, sed etiam voce, possumus inferre, quod acutum dicitur multipliciter, et in diversa significatione dicitur de voce ac dicatur de magnitudine. Similiter grave dicitur et de voce et de corpore; ostenditur, quod multipliciter et in diversa signi-

fcatione dicitur de voce ac de corpore ex eo, quod contrarium voci gravi, est vox acuta, contrarium corpori gravi est corpus leve; sed acutum et leve differunt non solum significatione sed etiam voce; ergo grave multipliciter et in diversa significatione dicitur de corpore ac de voce. Similiter et animal dicitur pulchrum, et domus dicitur pulchra; sed animali pulchro opponitur animal turpe, domui pulchræ opponitur domus vitiosa; ergo arguitur, quod pulchrum dicatur multipliciter.

4. Aliquando tamen contrarium alicujus videtur differre sola significatione, non autem nomine. Ex. gr., clarum dicitur de colore et de voce; nam et vox dicitur clara, et color dicitur clarus. Contrarium claro tum in voce tum in colore, vocatur eodem nomine et dicitur obscurum; contraria enim voci claræ est vox obscura; contrarius colori claro est color obscurus; adhuc tamen clarum et obscurum in voce differunt a claro et obscuro in colore. Eorum enim, quæ sunt eadem specie, est idem sensus; sed non ab eodem sensu percipitur clarum et obscurum in voce, ac clarum et obscurum in colore; sed clarum et obscurum in voce percipitur auditu, clarum et obscurum in colore percipitur visu; ergo clarum et obscurum in voce, et clarum atque obscurum in colore, licet conveniant nomine, differunt specie et significatione nominis. Similiter acutum et obtusum sunt contraria, et dicuntur tum de saporibus tum de magnitudinibus; sapori enim acuto contrarius est sapor obtusus, magnitudini acutæ contraria est magnitudo obtusa; adhuc tamen differunt specie et significatione, quia discernuntur diversis sensibus. Nam sapor acutus et obtusus discernuntur gustu; magnitudo acuta et obtusa discernuntur tactu.

5. Præterea videndum est sitne alteri aliquid contrarium, alteri nihil omnino. Veluti voluptati, quæ ex potu percipitur, contrarius est dolor, qui ex siti oritur ; ei vero voluptati, quam ex eo capimus, quod intelligimus, non esse communem mensuram dimetientis et lateris, nihil est contrarium ; quare multis modis voluptas dicitur. Item verbo amare secundum animum accepto, contrarium est odisse ; at secundum corporalem actionem accepto nihil est contrarium. Unde constat verbum amare esse homonymum.

6. Præterea spectari debent etiam media, nempe an quorumdam sit aliquod medium, aliorum vero nihil; vel an sit quidem amborum medium, non tamen idem, ut inter candidum et fuscum in coloribus pallidum, in voce vero nihil est interjectum, nisi forte raucum sit interjectum, sicut quidam ajunt raucam vocem mediam esse. Quare homonyma sunt candidum et fuscum. Præterea videndum est, an aliorum plura media sint, aliorum unum, ut in candido et fusco intelligere licet ; in coloribus enim multa sunt media, in voce vero unum, nempe raucum.

5. *Secundus locus* similiter ex contrariis est : id, quod in quantum dicitur de uno, habet contrarium, in quantum dicitur de altero, non habet contrarium, dicitur multipliciter; ex. gr., et qui bibit, delectatur, et qui speculatur, quod diameter est incommensurabilis costæ, delectatur; at delectationi ex potu contrarius est dolor ex siti, delectationi vero, quæ capitur ex cognitione, quod diameter est incommensurabilis, nihil est contrarium ; ergo delectari dicitur multipliciter. Similiter φιλεῖν, quod est *amare*, in quantum significat actum animi, habet contrarium, quod est *odisse;* in quantum refertur ad actionem corporis, non habet contrarium, ergo φιλεῖν, dicitur multipliciter.

6. *Tertius locus* ex contrariis et mediis est : si duo contraria, in quantum dicuntur de aliquibus, habent medium, in quantum dicuntur de aliis, vel non habent medium vel non habent idem medium, dicuntur multipliciter. Ex. gr., clarum et fuscum dicuntur et de coloribus et de vocibus; at inter clarum et fuscum, in quantum dicuntur de coloribus, datur medium, quod est pallidum; in quantum dicuntur de vocibus, vel non datur medium, vel medium ipsorum non est pallidum, sed raucum; ergo clarum et fuscum, in quantum dicuntur de coloribus et de vocibus, dicuntur multipliciter. Similiter si inter contraria, in quantum dicuntur de aliquibus, dantur plura media, in quantum dicuntur de aliis datur unicum medium, dicuntur multipliciter; ex. gr., inter colorem clarum et fuscum dantur plures colores medii; at inter vocem claram et fuscam datur unicum medium, quod est raucum; ergo etc.

7. Item in eo quod secundum contradictionem opponitur, considerandum est, an multis modis dicatur. Etenim si hoc multis modis dicatur, etiam ei oppositum multis modis dicetur. Veluti non cernere multis modis dicetur, uno, non habere facultatem videndi, altero, non uti facultate videndi. Quodsi hoc multis modis dicitur, necesse est ut etiam cernere multis modis

dicatur ; utrique enim significationi verbi « non cernere » opponitur aliquid, veluti illi, non habere facultatem videndi, opponitur habere ; huic vero, non uti faculate videndi, opponitur uti.

8. Præterea in iis quæ secundum privationem et habitum dicuntur, considerare oportet ; nam si unum multis modis dicitur, etiam alterum. Veluti si sentire multis modis dicitur, id est secundum animam et secundum corpus, etiam sensu carere dicetur multis modis, id est et secundum animam et secundum corpus. Secundum privationem autem et habitum opponi ea quæ nunc dixi, manifestum est, quia natura comparatum est ut animalia utrumque sensum habeant, id est et secundum animam et secundum corpus.

7. *Quartus locus* ex contradictoriis est, si quod opponitur contradictorie, dicitur multipliciter, etiam id, cui opponitur contradictorie, dicitur multipliciter; ex. gr., *videre* et *non videre* opponuntur contradictorie; sed dupliciter dicitur quis non videns, et ex eo, quod non habeat visum seu potentiam visivam, et ex eo, quod licet habeat visum, non actu exerceat actum videndi; ergo etiam dupliciter dicitur quis videns, et ex eo, quod habeat visum et ex eo, quod exerceat actum videndi.

8. *Quintus locus* ex oppositis privative est: si unum ex iis, quæ opponuntur ut habitus et privatio, dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter; ex. gr., sensatus et insensatus opponuntur privative; sed dicitur quis sensatus dupliciter, vel ex eo, quod vigeat aliquo sensu externo corporis, vel ex eo, quod vigeat aliquo sensu interiori animi; ergo etiam dupliciter dicitur quis insensatus, vel ex eo, quod careat sensibus corporis, vel ex eo, quod careat sensu animi, ideoque amentes dicuntur insensati.

9. Præterea in casibus hoc considerandum est. Nam si juste multis modis dicitur, etiam justum multis modis dicetur, quia secundum utrumque eorum, quæ juste fiunt, justum est. Veluti si juste dicitur et ex sententia sua judicare et ut oportet, similiter etiam justum his duobus modis dicetur. Itidemque si salubre multis modis dicitur, etiam salubriter multis modis dicetur. Veluti si salubre dicetur, quod sanitatis efficiendæ, quod conservandæ, quod indicandæ vim habet, etiam salubriter dicetur vel accommodate ad efficiendam vel ad conservandam vel ad indicandam sanitatem. Ac similiter in cæteris, quando ipsum nomen multis modis dicitur, etiam casus ab eo ductus multis modis dicetur ; et retro si casus multis modis dicatur, etiam ipsum nomen multis modis dicetur.

9. *Sextus locus* ex casibus est : si unum ex iis, quæ ab eodem denominantur et cadunt, dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter; ex. gr., *juste* et *justus* dicuntur denominative ab eadem justitia; sed juste dicitur dupliciter; dicitur enim quis juste judicare, vel ex eo, quod judicet ex propria sententia, vel ex eo, quod judicet quod re ipsa est rectum; ergo etiam dicitur quis dupliciter justus, vel ex eo, quod judicet secundum id, quod sentit, vel ex eo, quod judicet id, quod re ipsa est justum. Proportionaliter salubre et salubriter dicuntur ab eadem sanitate ; sed aliquid dicitur salubre, vel ex eo, quod sit effectivum sanitatis, vel ex eo, quod sit conservativum sanitatis, vel ex eo quod sit significativum sanitatis; ergo etiam salubriter dicitur totidem modis. Idem dic de aliis. Universim enim, si quod dicitur secundum unum casum, dicitur multipliciter et distinguitur in varia genera; etiam quod dicitur secundum alium casum dicitur multipliciter ac distinguitur in totidem genera.

10. Spectare etiam oportet genera categoriarum, quæ nomini conveniunt, an eadem sint in omnibus. Nisi enim sint eadem, patet homonymum esse id quod dicitur. Veluti bonum in cibis est quod est effectivum voluptatis, in medicina, quod est effectivum sanitatis, in anima qualem esse, ut temperantem vel fortem vel justam ; similiterque in homine. Interdum vero quando, ut bonum, quod positum est in occasione ; bonum enim dicitur quod in tempore fit. Sæpe autem bonum dicitur, quod est quantum, ut moderatum ; nam et quod moderatum est, bonum dicitur. Quocirca bonum est verbum homonymum. Itidem candidum in corpore est color, in voce quod facile exaudiri potest. Eadem est ratio acuti, quia non eodem modo in omnibus idem dicitur. Vox enim dicitur acuta, quæ est cita, ut ajunt musici qui circa numeros versantur ; angulus vero acutus, qui est minor recto, machæra autem, quæ acutum angulum habet.

10. *Septimus locus* ex genere generalissimo est : id, quod in quantum dicitur de pluribus, est in diverso prædicamento, dicitur multipliciter ; ex. gr., quia bonum in quantum dicitur de variis bonis, spectat ad diversa prædicamenta, dicitur multipliciter. Quod autem bonum spectet ad plura prædicamenta, probatur : nam cibi dicuntur boni, eo quod efficiant voluptatem; pharmaca dicuntur bona, eo quod efficiant sanitatem ; ergo bonum, in quantum dicitur de cibis et pharmacis est in prædicamento actionis. Anima dicitur bona, et homo dicitur bonus, eo quod sit

qualis, hoc est justus, castus etc.; ergo bonum in quantum dicitur de anima et de homine est in prædicamento qualitatis. Dicitur, quod operari tempore opportuno, bonum est; ergo bonum spectat etiam ad tempus. Dicitur bonum esse id, quod secundum quantitatem est mediocre; ergo bonum mediocris significat quantitatem. Cum igitur bonum significet diversa prædicamenta, dicitur multipliciter. Candidum etiam, prout dicitur de corpore et de voce, significat diversa prædicamenta. Nam corpus dicitur candidum propter colorem, adeoque candidum prout dicitur de corpore, significat qualitatem; vox dicitur candida, eo quod bene audiatur, et efficiat bonam auditionem, adeoque candidum, in quantum dicitur de voce, significat actionem; ergo candidum dicitur multipliciter. Rursus acutum in quantum dicitur de voce, angulo et gladio, significat diversa prædicamenta; nam vox dicitur acuta ex eo, quod sit velox, adeoque cito secet ac dividat, ut asserunt, qui agunt de numeris harmonicis ac profitentur musicam, ut Pythagorici; ergo acutum in quantum dicitur de voce significat actionem; angulus dicitur acutus, eo quod sit minor recto, adeoque acutum, in quantum dicitur de angulo significat relationem gladius dicitur acutus propter figuram desinentem in angulum acutum, adeoque cum figura spectet ad prædicamentum qualitatis, acutum, in quantum dicitur de gladio, significat prædicamentum qualitatis; ergo acutum dicitur multipliciter.

11. Considerare etiam oportet genera eorum quæ sub eodem nomine continentur, an sint diversa nec subalterna. Ut ὄνος dicitur et animal et vas ; diversa enim est horum definitio ad illud nomen accommodata ; alterum enim tale quoddam animal dicetur, alterum tale quoddam vas. Quod si genera sint subalterna, non est necesse diversas definitiones esse. Ut corvi et animal et avis genus est. Cum igitur dicimus, corvum esse avem, dicimus quoque eum esse tale quoddam animal; quapropter ambo genera ei attribuuntur. Similiter etiam cum dicimus corvum esse animal alatum bipes, dicimus eum esse avem ; ergo sic quoque ambo genera corvo attribuuntur, nec non eorum definitio. In generibus autem non subalternis hoc non contingit ; neque enim cum vas dicimus, animal dicimus, neque cum animal, vas. Considerare autem oportet non solum, an ejus, quod propositum est, diversa nec subalterna genera sint, sed etiam in contrario. Nam si contrarium multis modis dicitur, manifestum est etiam, id quod propositum fuit, multis modis dici.

11. *Octavus locus* ex genere non generalissimo est: id quod, in quantum dicitur de pluribus, est sub diversis generibus, quorum unum continetur in alio, dicitur multipliciter. Ex. gr., ὁ ὄνος græce significat et asinum, qui est sub genere animalis, et quoddam vas, quod est sub genere vasis, ideoque dicitur multipliciter, cum diversa sit definitio. Definitio enim τοῦ ὄνου, in quantum significat asinum, est, ut sit *animal rudibile*; definitio ὄνου, in quantum significat vas, est, ut sit *vas tale*. Si tamen aliquid sit sub diversis generibus, quorum unum contineatur in alio, non est necesse ut dicatur multipliciter, neque est necesse, ut ejus duplex sit ratio ac definitio; ex. gr., corvus, licet sit sub genere avis et sub genere animalis, adhuc non dicitur multipliciter, quia genus avis continetur in genere animalis, ideoque una definitio explicat utrumque genus. Si enim definiamus corvum per genus, avis ac dicamus quod corvus est talis avis, cum avis sit animal, explicamus etiam genus animalis; si rursus definiamus corvum per genus animalis, dicentes; corvum esse animal pennigerum, bipes, cum animal pennigerum sit avis, explicamus etiam genus avis; ergo una est definitio corvi, licet corvus sit sub duobus generibus, quorum unum continetur in altero. At vero eo ipso, quod aliquid contineatur sub diversis generibus, quorum neutrum continetur in altero, non potest definiri una definitione, eo pacto, quo, quia genus animalis ac genus vasis, sunt contradistincta, definitio dicens, quod ὁ ὄνος est animal rudibile, non explicat genus vasis, quod contradistinguitur ab animali; et ex eadem ratione definitio dicens, quod ὄνος est vas tale, non explicat genus animalis, quod contradistinguitur a vase. Addit Aristoteles, quod non solum potest ostendi aliquid dici multipliciter ex eo, quod ipsum sit sub diversis generibus, sed etiam ex eo, quod ejus contrarium sit sub diversis generibus, quorum neutrum continetur in altero. Si enim unum contrarium dicitur multipliciter, etiam aliud dicitur multipliciter; sed si unum contrarium sit sub diversis generibus, quorum neutrum continetur in altero, dicitur multipliciter; ergo etiam aliud contrarium dicitur multipliciter.

12. Utile est etiam ad compositi definitionem respicere, veluti candidi corporis et candidæ vocis. Sublato enim eo quod est proprium, oportet eamdem definitionem manere. Hoc vero non ac-

cidit in homonymis, ut in iis quæ nunc dixi. Illud enim, si definiatur, erit corpus talem colorem habens, hoc autem vox, quæ facile exauditur. Sublato igitur corpore et voce, non idem est in utraque definitione, quod relinquitur. Atqui oportebat, si candidum erat verbum synonymum, idem esse, quod in utraque definitione dicitur.

13. Saepe etiam in ipsis definitionibus latet consequens homonymia. Idcirco definitiones quoque considerandæ sunt. Veluti si quis significativum et effectivum sanitatis esse dicat quod symmetrωs affectum est ad sanitatem, non est desistendum, sed considerandum quid in utroque vocaverit symmetrωs, veluti si alterum ita vocaverit, quia tale est ut efficiat sanitatem, alterum vero, quia tale est ut indicet, qualis sit habitus.

12. *Nonus locus* ex definitione compositi est: cum dubitatur, utrum aliquod nomen, in quantum dicitur de pluribus, dicatur multipliciter, an non, definienda sunt composita. Si enim ablatis differentiis per quas differunt ea composita, remaneat eadem definitio, tale nomen non dicitur multipliciter; si remaneat diversa definitio, nomen dicitur multipliciter. Explicatur exemplis. Dubitatur, utrum candidum, in quantum dicitur de corpore et de voce dicatur multipliciter. Definienda sunt composita, quæ sunt *corpus candidum* et *vox candida*. Corpus candidum definietur: *corpus habens colorem disgregativum visus;* vox candida definietur: *vox bene audibilis*. Si auferantur differentiæ, quæ sunt *corpus* et *vox*, definitio candidi in quantum dicitur de corpore erit *habens colorem disgregativum visus;* definitio candidi, in quantum dicitur de voce erit *bene audibile;* sed istæ sunt diversæ definitiones; ergo candidum, in quantum dicitur de voce et de corpore, dicitur multipliciter. Similiter si dubitetur, utrum homo, in quantum dicitur de mare et de fæmina, dicatur multipliciter, definiendus est homo mas et homo fæmina. Homo mas definitur: *animal rationale habens potentiam generandi in alio;* homo femina definitur: *animal rationale habens potentiam, ut in eo aliud generet;* sed ablatis differentiis maris et feminæ, quæ sunt: *habens potentiam generandi in alio, habens potentiam ut in eo aliud generet,* remanet eadem definitio, qua homo definitur: *animal rationale;* ergo homo, in quantum dicitur de mare ac de femina, non dicitur multipliciter.

13. Addit Aristoteles quod, quia aliquando ipsa definitio, in quantum per eadem nomina dicitur de pluribus, dici potest multipliciter et in diversa significatione, examinandum est, an definitio de pluribus dicatur in eadem vel in diversa significatione. Ex. gr., sanum dicitur tum de sano effective, tum de sano indicative. Sanum effective definitur, quod est commensuratum ad sanitatem efficiendam; sanum indicative definitur, quod est commensuratum ad sanitatem indicandam. Si ex his definitionibus auferantur propria, remanet definitio communis sani, quæ definitio est, *quod est commensuratum ad sanitatem*, adeoque ex regula tradita videtur, quod sanum non dicatur multipliciter. Examinandum igitur est, quid significet ly *commensuratum ad sanitatem*, in quantum dicitur de effectivo et de indicativo; et quia inveniemus, quod, in quantum dicitur de effectivo, significat commensuratum secundum quantitatem; in quantum dicitur de indicativo, significat commensuratum secundum qualitatem, ideo dicendum, quod sanum, prout dicitur de effectivo et indicativo, dicitur multipliciter.

14. Præterea videndum est, an conferri nequeant ex majori vel similitudine, ut vox candida et candidum vestimentum, item acutus sapor et acuta vox. Hæc enim nec similiter dicuntur candida vel acuta, neque alterum magis altero. Quapropter et acutum et candidum est verbum homonymum; omne enim synonymum est comparabile, quia vel similiter dicetur; vel alterum magis altero.

15. Quia vero diversorum generum, quorum alterum sub altero non collocatur, diversæ specie differentiæ sunt, veluti animalis et scientiæ (diversæ enim sunt horum differentiæ), considerare oportet, an ea quæ sub eodem nomine continentur, diversorum generum non subalternorum differentiæ sint. Ut acutum est differentia vocis et magnitudinis; differt enim vox a voce, quod acuta sit; ac similiter magnitudo a magnitudine. Quare acutum est verbum homonymum, quia sunt hæ differentiæ diversorum generum non subalternorum.

14. *Decimus locus* est: quando aliquid unum ita dicitur de pluribus, ut illa non sint comparabilia in eo, quod per tale nomen significatur, tum tale nomen dicitur multipliciter. Ex. gr., clarum dicitur de voce et de veste, sed ita, ut vox et vestis non sint comparabiles in ratione clari; inepte enim diceretur, quod vox est æque clara ac vestis. Ideo clarum, in quantum dicitur de voce et de veste, dicitur multipliciter. Proportionaliter acutum dicitur de sapore et de voce, sed ita ut sapor et vox

non possint invicem comparari in ratione acuti; ideoque acutum, in quantum dicitur de sapore ac de voce, dicitur multipliciter. Ratio est, quia quod uno modo dicitur de pluribus, ita dicitur de illis, ut possint invicem comparari in significatione talis nominis; ex. gr., quia candidum eodem modo dicitur de corporibus, ideo omnia corpora vel sunt æque candida, vel unum est magis candidum quam aliud; ergo cum aliqua non sunt invicem comparabilia in significatione alicujus nominis, signum est, quod tale nomen dicitur de illis multipliciter et in diversa significatione.

15. *Undecimus locus* est : quando aliquod nomen, in quantum dicitur de pluribus, significat differentias diversorum generum ac non subalternatim positorum, tum tale nomen dicitur multipliciter. Ex. gr., quia acutum, in quantum dicitur de voce, significat differentiam, per quam vox acuta differt a gravi; in quantum dicitur de magnitudine, significat differentiam, per quam magnitudo acuta differt ab obtusa; vox autem et magnitudo sunt diversa genera non subalternatim posita; ideo acutum, in quantum dicitur de voce ac de magnitudine, dicitur multipliciter. Ratio regulæ est, quia, ut dictum est in Anteprædicamentis cap. III., diversorum generum ac non subalternatim positorum diversæ sunt differentiæ; ergo eo ipso, quod nomen significat differentias diversorum generum non subalternatim positorum, significat diversas differentias, adeoque dicitur multipliciter.

16. Rursus videndum est, an eorum quæ sub eodem nomine continentur diversæ sint differentiæ, ut chromatis, quod est in corporibus, et quod est in melodiis ; ejus enim quod est in corporibus, differentiæ sunt segregativum et congregativum aspectus; ejus vero quod est in melodiis, non sunt eædem differentiæ. Quare chroma est verbum homonymum, quoniam earundem rerum eadem sunt differentiæ.

17. Præterea quia species nulli est differentia (homo enim et bos non est differentia, sed utrumque est species), considerare oportet, an eorum quæ sub eodem nomine continentur, alterum sit species alterum differentia. Ut candidum, quod est in corpore, est species coloris, quod vero est in voce, est differentia ; differt enim vox a voce, quod candida sit. Quæ igitur multis modis dicuntur, ex his et talibus consideranda sunt.

16. *Duodecimus locus* est : quando aliquod nomen significat diversa genera, quorum diversæ sint differentiæ, tum tale nomen dicitur multipliciter. Ex. gr., χρῶμα, latine color, significat et colorem, qui datur in corporibus, et quoddam genus melodiæ; color autem, qui est in corporibus, habet differentias congregativi ac disgregativi visus; χρῶμα, quod est in melodiis, non habet has differentias; ergo χρῶμα dicitur multipliciter. Ratio regulæ est, quia eorumdem eædem sunt differentiæ.

17. *Tertius decimus* et ultimus locus est : quando aliquod nomen significat speciem simul et differentiam, dicitur multipliciter; ex. gr., candor significat speciem coloris; ac differentiam vocis, ideoque candor, in quantum dicitur de colore ac de voce, dicitur multipliciter. Ratio regulæ est, quia species non potest esse differentia ullius rei; ex. gr., quia bos est species animalis, non potest esse differentia ullius generis ; ergo cum idem non possit esse species ac differentia, eo ipso, quod nomen significat speciem et differentiam, significat diversa, adeoque dicitur multipliciter. Concludit Aristoteles, quod ex his et ex similibus, examinandum est, utrum aliquid dicatur multipliciter, an non.

CAPUT XIV

DE TERTIO ET QUARTO INSTRUMENTO, ET DE UTILITATIBUS INSTRUMENTORUM.

1. [16] Mutuas vero in eisdem generibus differentias contemplari oportet, veluti quid intersit inter justitiam et fortitudinem et inter prudentiam et temperantiam ; hæc enim omnia sunt ex eodem genere, nempe virtute. Item in diversis generibus, inter quæ non est permagna distantia, veluti quid intersit inter sensum et scientiam. Nam in iis quæ longe a se invicem distant, differentiæ sunt omnino conspicuæ.

2. [17] Similitudo vero consideranda est et in iis quæ sunt in diversis generibus, hoc modo : ut alterum ad alterum quidpiam, sic aliud ad aliud, veluti ut se habet scientia ad scibile, ita sensus ad sensibile. Item ut alterum in altero quopiam, sic aliud in alio, veluti ut visus est in oculo, ita mens in anima; et ut tranquillitas in mari, ita serenitas in aere ; utrumque enim est quies. Maxime autem in iis quæ longe inter se distant, exerceri oportet ; facile enim in reliquis poterimus similitudines perspicere. Consideranda autem sunt etiam ea quæ sunt in eodem genere, an idem quidpiam omnibus insit, ut homini et equo et cani ; nam quatenus in eis idem quidpiam inest, eatenus sunt similia.

Agit demum Aristoteles de tertio et quarto instrumento, quæ sunt inventio differentiarum et consideratio similitudinum, atque explicat, in quibus quærendæ sint differentiæ ac similitudines.

1. Differentiæ quærendæ sunt tum in iis rebus, quæ conveniunt in eodem genere proximo, tum in iis, quæ sunt in diversis generibus, sed ita, ut non multum differant inter se. Non autem est laborandum in inveniendis differentiis rerum valde diversarum, quia tales differentiæ sunt ex se manifestæ. Ex. gr., cum justitia, fortitudo, prudentia et temperantia sint in eodem genere virtutis, quærendum est, per quid differant inter se. Similiter, quia sensus et scientia, licet non sint in eodem genere, habent quandam affinitatem inter se, quærendum est, in quo differant.

2. Similitudo, quærenda est primo in iis, quæ licet sint in diversis generibus, adhuc conveniunt analogice et proportionaliter in hoc, quod sicut alterum se habet ad alterum, sic aliud ad aliud. Ex. gr., sensus et scientia differunt genere, at conveniunt analogice et proportionaliter, quia sicut scientia se habet ad scibile, sic sensus se habet ad sensibile. Similiter visus et mens differunt genere, et tamen conveniunt in hoc, quod sicut visus est in oculo, sic mens est in anima. Serenitas et tranquillitas conveniunt in hoc, quod sicut tranquillitas se habet ad mare, sic serenitas se habet ad aerem; nam et tranquillitas est quies in mari, et serenitas est quies in aere. Sicut autem dictum est, quod præcipue est laborandum in quærendis differentiis eorum, quæ valde conveniunt inter se, sic præcipue est laborandum in inveniendis convenientiis eorum, quæ valde differunt inter se. Secundo quærendum est, quid idem sit in iis, quæ sunt in eodem genere; ex. gr., quærendum, quid idem sit in homine, equo et cane; eo enim ipso, quod aliquid idem sit in omnibus his, hæc omnia similia sunt inter se.

3. [18] Considerare autem quot modis quidque dicatur, utile est ad perspicuitatem, facilius enim intelliget quispiam, quid ponat, si explanatum fuerit, quot modis dicatur. Ad id etiam conducit, ut syllogismi fiant adversus rem propositam, non adversus nomen Cum enim incertum est, quot modis dicatur, accidit ut non eodem cogitationem dirigat, qui respondet et qui interrogat. Cum autem explanatum fuerit, quot modis dicatur, et quo respiciat qui ponit, ridiculus videbitur qui interrogat, nisi adversus id argumentetur. Utile etiam est, ne paralogismo capiamur, et ut alium paralogismo fallamus. Nam si intelligamus, quot modis quidque dicatur, non decipiemur paralogismo, sed intelligemus, si forte non adversus idem argumentetur is qui interrogat; ipsi vero interrogantes poterimus paralogismo fallere, nisi respondens sciat, quot modis dicatur. Hoc autem non in omnibus semper fieri potest, sed quando eorum quæ multis modis dicuntur, alia sunt vera alia falsa. Sed hic modus non est proprius Dialecticæ. Itaque omnino hoc vitare dialectici debent, ne adversus nomen disserant, nisi quis aliter nequeat de re proposita disputare.

Explicatis quatuor instrumentis inventionis, agit Aristoteles de eorum utilitatibus ad disputationes dialecticas; et quia ex se manifesta est utilitas primi instrumenti, quod est sumptio propositionum, cum rationes dialecticæ debeant confici ex propositionibus, ideo explicat utilitates illorum trium instrumentorum.

3. Tres sunt præcipuæ utilitates secundi instrumenti, quod est distinctio multiplicis. Primo distinctio multiplicis est utilis ad perspicuitatem. Si enim quis distinxerit, quotupliciter aliquid dicatur, et in quo sensu sumatur, perspicuum ac dilucidum erit, quid dicatur. Secundo est utilis ad hoc, ut fiat quæstio ac disputatio de re ipsa, ac non de nomine. Nam si nomen dicatur multipliciter, et disputans non explicaverit, in quo sensu illud sumat, poterit accidere, ut interrogans ac respondens non idem intelligant per tale nomen, adeoque non discrepent in re ipsa, sed in acceptione nominis; at si explicatum fuerit, in quo sensu sumatur nomen, ridiculus videbitur interrogans vel respondens, si non sumat nomen in eo sensu. Tertio distinctio multiplicis est utilis ad hoc, ut nos non decipiamur falsa ratione, sed potius decipiamus adversarium. Scientes enim quotupliciter nomen possit sumi, si interrogans sumat id in diverso sensu, ac nos sumamus, id advertemus, adeoque non sinemus nos falsa ratione decipi, imo poterimus adversarium falsa et æquivoca ratione decipere, nisi is sciat quotupliciter nomen sumatur. Non tamen semper possumus ex nomine multiplici falsam rationem construere, sed tum solum, cum sumendo nomen in uno sensu, propositio est vera, sumendo in alio sensu est falsa. Addit Aristoteles hunc modum disputandi ex æquivocatione non spectare ad dialecticum, sed ad sophistam, ideoque vitandum esse in disputationibus

dialecticis, nisi tamen quis eo sit redactus, ut non possit aliter disputationem prosequi.

4. Differentias autem invenire utile est et ad syllogismos de eodem ac diverso exstruendos, et ad cognoscendum, quid quæque res sit. Ad syllogismos quidem de eodem ac diverso conficiendos utile esse constat : cum enim rerum propositarum quamlibet differentiam invenerimus, ostenderimus non idem esse. Ad cognoscendum autem quid sit, quia propriam cujusque rei definitionem propriis cujusque rei differentiis secernere solemus.

4. Inventio differentiarum est utilis præsertim ad duo: primo ad conficiendos syllogismos et rationes de eodem et diverso; secundo ad inveniendam definitionem explicantem, quid sit res. Quod inventio differentiarum sit utilis ad conficiendos syllogismos de eodem et diverso, patet ; nam eo ipso, quod inveniamus, in quo res differant, possumus ex tali differentia probare, quod tales res non sunt idem, sed sunt diversæ. Quod sit utilis ad inveniendam definitionem explicantem, quid sit res, patet ; nam definitiones explicantes, quid sint res, construuntur ex differentiis additis generi, in quo conveniunt.

5. Similitudinis autem contemplatio utilis est et ad inductivas rationes et ad syllogismos hypotheticos et ad afferendas definitiones. Ad inductivas rationes, quia similium particularium inductione universale concludi censemus : non enim facile possunt inducere qui similitudines ignorant. Ad syllogismos vero hypotheticos, quia probabile est, ut in uno eorum quæ similia sunt res habet, sic etiam in reliquis habere. Quocirca de quocumque eorum disserendi copia nobis suppetat, prius ex confesso accipiemus, ut in illis se res habet, sic et in eo quod propositum est, habere. Cum autem illud probaverimus, etiam propositum ex hypothesi probaverimus ; cum enim supposuerimus, ut in illis se res habet, ita etiam in eo quod propositum est habere, demonstrationem confecimus. Ad definitiones vero afferendas, quia si possimus perspicere, quid in quaque re idem sit, non dubitabimus, ad quod genus propositam rem, quam definiemus, referre debeamus : eorum enim quæ communia sunt, id quod maxime in quæstione quid est attribuitur, genus utique est. Similiter autem et in iis quæ longe inter se distant, utilis est ad definitiones explicandas similitudinis contemplatio. Ut idem esse tranquillitatem in mari et serenitatem in aere, quoniam utrumque est quies ; et idem esse punctum in linea atque unitatem in numero, quoniam utrumque est principium. Quare commune omnium genus afferentes videbimur non alienis verbis definire. Fere autem et qui definiunt, ita solent explicare ; nam et unitatem ajunt esse principium numeri, et punctum principium lineæ. Constat igitur eos ad commune utriusque genus referre. Instrumenta igitur per quæ syllogismi exstruuntur hæc sunt. Loci vero ad quos conferunt ea quæ diximus, hi sunt.

5. Consideratio similitudinum est utilis præsertim ad tria. Primo ad conficiendas rationes ex inductione ; secundo ad conficiendos syllogismos ex suppositione ; tertio ad construendas inductiones rerum. Quod sit utilis ad inductiones, probatur. Inductio enim sit ex singularibus similibus et convenientibus in aliquo prædicato communi; ergo si non possumus discernere illud, in quo singularia conveniunt ac sunt similia, non possumus facere inductionem. Quod fit utilis ad syllogismum ex suppositione, probatur ; nam syllogismus ex suppositione fit, supponendo probabile esse, quod sicut se habet in uno similium, sic se habet in aliis; ergo eo ipso, quod probaverimus, quod in uno sic se habet, et quod hoc est simile illi, concludemus, quod etiam in alio sic se habet; sed ad hoc utilis est consideratio similium ; ergo consideratio similium utilis est ad argumentum ex suppositione. Demum, quod consideratio similitudinum sit utilis ad definitiones construendas, probatur; nam ad definitiones debet inveniri genus ; sed genus est prædicatum commune, in quo plura conveniunt et sunt similia, ita ut de illis prædicetur *in quid;* ergo consideratio prædicatorum, in quibus plura conveniunt et sunt similia, est utilis ad assignandum genus, adeoque ad conficiendam definitionem.

6. Neque solum consideratio similium est utilis ad inveniendas definitiones eorum, quæ sunt in eodem genere, sed etiam ad inveniendas definitiones eorum, quæ sunt in diversis generibus et plurimum differunt; ex. gr., invenientes, quod tranquillitas et serenitas conveniunt in hoc, quod sint quies, habemus genus non extraneum ad ipsa definienda ; et invenientes, quod unitas et punctum conveniunt in hoc, quod sunt principium, habemus aliquod genus ad ipsa definienda ; siquidem tranquillitas definiri solet *quies in mari ;* serenitas *quies in aere ;* unitas definiri solet *principium numeri :* punctum *principium lineæ.* Concludit Aristoteles, hæc esse instrumenta, per quæ fiunt syllogismi dialectici, et quod hæc instrumenta sunt utilia ad dicta, et per hæc absolvit librum primum Topicorum.

TOPICORUM

LIBER II

SYNOPSIS LIBRI

Distinctis libro primo quatuor generibus problematum, et explicatis instrumentis generalibus ad inveniendas rationes pro singulis generibus, lib. II, et sequentibus Aristoteles proponit loca, per quæ possint inveniri rationes unicuique generi problematum accomodatæ. Libro igitur secundo agit de locis accidentis; et quia ad problemata accidentis reducuntur etiam comparationes, ut dictum est libro primo cap. IV, num. 9, ideo lib. III, agit etiam de locis comparationum; libro IV agit de locis generis; lib. V, de locis proprii; lib. VI, de locis definitionis. Et quia ad problema definitionis reducuntur etiam problemata de eodem et de diverso, ut dictum est eodem cap. IV, num. 3, ideo lib. VII, agit etiam de locis ejusdem ac diversi. Ratio, cur Aristoteles primo agat de locis accidentis, secundo de locis generis, tertio de locis proprii, quarto de locis definitionis, est, quia accidens est, quod solum inest, non autem prædicatur in quid, neque conversim; genus non solum inest, sed prædicatur in quid; proprium non solum inest, sed prædicatur conversim; definitio non solum inest, sed prædicatur in quid et conversim; ergo prius fuit agendum de locis, quibus ostenditur prædicatum mere inesse; secundo de locis, quibus ostenditur prædicatum non solum inesse, sed prædicari in quid; tertio de locis, quibus ostenditur prædicatum non solum inesse, sed prædicari conversim; quarto demum de locis, quibus ostenditur prædicatum non solum inesse, sed prædicari in quid et conversim; ergo prius agendum fuit de locis accidentis, secundo de locis generis, tertio de locis proprii, quarto de locis definitionis.

CAPUT I

QUOTUPLEX SIT PROBLEMA ACCIDENTIS; DE SPECIALI DIFFICULTATE ILLUD PROBANDI; ET DE PECCATIS, QUÆ IN PROBLEMATIBUS COMMITTUNTUR.

1. [1] Problematum autem alia sunt universalia alia particularia. Universalia sunt, ut omnis voluptas est bonum, et nulla voluptas est bonum; particularia vero, ut quædam voluptas est bonum, et quædam voluptas non est bonum.

2. Sunt autem utrique problematum generi communia ea quæ universaliter adstruendi vel evertendi vim habent; cum enim probaverimus omni inesse, etiam cuidam inesse probaverimus; similiterque si nulli inesse ostendemus, etiam non omni inesse ostendemus. Primum igitur de his quæ universaliter evertendi vim habent, dicendum est, cum quia quæ sunt ejusmodi, sunt communia universalibus et particularibus problematis, tum etiam quia theses afferunt potius ajentes quam negantes, quas qui disserunt refellunt.

1. Propositurus Aristoteles loca accidentis, præmittit primo quædam problemata accidentis esse universalia, quædam particulia. Exempla universalium sunt : *omnis voluptas est bonum; nulla voluptas est bonum;* exempla particularium sunt : *aliqua voluptas est bonum; aliqua voluptas non est bonum.*

2. Præmittit secundo loca, quibus probantur vel impugnantur, construuntur vel destruuntur problemata universalia, esse communia etiam ad probanda atque impugnanda problemata particularia; ex. gr., ex locis, ex quibus probatur, quod *omnis voluptas est bona*, probatur etiam, quod *aliqua voluptas est bona*, ex locis, ex quibus ostenditur quod *nulla voluptas est bona*, ostenditur etiam, quod *aliqua voluptas non est bona*. Hinc patet non esse assignanda specialia loca pro problematibus particularibus, si quidem sufficiunt loca pro universalibus. Patet rursus primo assignanda esse loca pro problematibus universalibus destructivis. Ratio est, quia proprium dialectici est, disputando impugnare quod ponitur; sed plerumque poni solent problemata et conclusiones affirmativæ; ex. gr., quod *omnis voluptas est bona*; ergo docendus est dialecticus primo de modo destruendi ac impugnandi, ostendendo quod accidens non inest.

3. Difficillime autem convertitur propria appellatio ab accidente ducta. Ex parte enim et non universaliter inesse, in solis accidentibus reperitur. Nam a proprio et a definitione et a genere ductam appellationem converti necesse est. Veluti si cui inest esse animal pedestre bipes, conversione facta vere dicetur : est animal pedestre bipes. Similis est ratio appellationis a genere sumptæ ; nam si cui inest esse animal, est animal. Eadem etiam in proprio locum habent; etenim si cui inest esse susceptivum grammaticæ, erit susceptivum grammaticæ. Nihil enim horum potest ex parte inesse aut non inesse, sed simpliciter vel inest vel non inest. Accidentia vero ex parte inesse nihil vetat. Veluti alborem aut justitiam. Quare non satis est probare inesse alborem aut justitiam, ut probetur esse albus vel justus ; habet enim dubitationem, quia fortasse ex parte albus vel justus est. Quapropter non est necessaria in accidentibus conversio.

4. Definire etiam oportet peccata, quæ in problematis reperiuntur. Quæ nimirum duo sunt; peccat enim quispiam vel quia mentitur, vel quia discedit a posita et usitata dictione. Mentientes enim, et quod non inest inesse alicui dicentes, peccant; item qui alienis nominibus res appellant, veluti qui platanum hominem appellant, a positis et receptis nominibus discedunt,

3. Præmittit tertio esse specialem difficultatem ad probandum, quod subjectum denominatur ab accidente, ex. gr., quod *homo est albus*. Ratio est, quia licet in aliis prædicatis valeat conversio, qua arguitur : *prædicatum inest tali subjecto; ergo subjectum denominatur a tali prædicato*, tamen talis conversio non valet in accidente, quia licet accidens insit subjecto, adhuc potest subjectum non denominari a tali accidente. Ratio est, quia cætera prædicata non possunt inesse *secundum quid*, accidens autem potest inesse secundum quid; sed si accidens insit subjecto *secundum quid*, subjectum non denominatur a tali accidente; ex. gr., si albedo insit homini solum secundum dentes, homo non denominatur albus; et si justitia insit alicui *secundum quid*, ille non denominatur justus; ergo in accidente non valet : *accidens inest subjecto; ergo subjectum denominatur ab accidente*. In aliis prædicatis valet; ex. gr., valet : *animal inest homini; ergo homo est animal; grammaticæ susceptivum inest homini; ergo homo est grammaticæ susceptivus;* ergo licet ad probandum, quod subjectum denominatur a cæteris prædicatis, sufficiat ostendere, quod talia prædicata insunt subjecto, cum in iis valeat conversio, adhuc ad probandum, quod subjectum denominatur ab accidente, non sufficit ostendere, quod accidens inest subjecto, quia in accidente non valet conversio, ut explicatum est.

4. Præmittit quarto, duo præsertim peccata posse committi in problematibus construendis. Primum consistit in eo, ut dicatur falsum; secundum consistit in eo, ut licet dicatur verum, dicatur locutione inusitata atque id non significante. Ex. gr., si quis dicat hominem esse arborem vel platanum inversam, si sumat arborem in propria significatione, falsum dicit; si vero sumat arborem in alio sensu vero, adhuc peccat, quia utitur locutione inusitata. Primum est peccatum quoad rem; secundum est peccatum quoad modum loquendi. Dialecticus igitur ostendendo, quod committitur alterutrum ex his peccatis, potest problema destruere et impugnare.

CAPUT II

DE UNO ET VIGINTI LOCIS ACCIDENTIS.

1. [2] Unus igitur locus est, ut videamus an quod alio quopiam modo dicitur, pro accidente acceperit. Maxime autem hoc peccatum admittitur circa genera, veluti si quis dixerit albo accidere ut sit color. Non enim accidit albo ut si color, sed color est ejus genus.

2. Accidit igitur ut is qui thesim constituit, nominatim definiat id esse accidens, veluti justitiæ accidere ut sit virtus.

3. Sed sæpenumero sine hac definitione manifestum est genus pro accidente sumptum esse, veluti si quis alborem esse coloratum dixerit aut incessum moveri, quoniam a nullo genere denominative attributio de specie dicitur, sed synonymos omnia genera speciebus attribuuntur. Etenim species et nomen et definitionem generum suscipiunt. Qui igitur dixit album esse coloratum, nec ut genus accepit, quia denominative dixit, nec ut proprium vel ut definitionem, quia definitio et proprium nulli alii rei insunt, multæ autem aliæ res sunt coloratæ, ut lignum. lapis, homo, equus. Patet igitur acceptum esse ut accidens.

His præmissis, proponit atque explicat Aristoteles quadraginta duos locos deservientes problematibus accidentis, ex quibus unus et viginti explicantur hoc capite; alii sex decim capite tertio ; capite demum quarto et ultimo adduntur alii quinque.

1. *Primus locus* ad destruendum problema accidentis est : qui assignavit ut accidens aliquod aliud prædicatum, puta genus, proprium vel definitionem, peccavit ac male assignavit accidens. Cum enim quod inest subjecto ut genus, vel ut proprium, vel ut definitio, non sit accidens subjecti, eo ipso quod probatur aliquid esse genus, proprium aut definitionem, infertur illud non esse accidens subjecti. Peccatur autem frequentius assignando ut accidens subjecti, quod est genus ipsius. Ex. gr., si quis dicat esse accidens albedinis, ut sit color, peccat, quia dicit colorem, qui est genus albedinis, esse accidens albedinis.

2. Addit Aristoteles dupliciter posse aliquem peccare, assignando genus ut accidens. Primo si nominatim dicat genus esse accidens subjecti, vel accidere subjecto, ut si dicat accidere justitiæ, ut sit virtus, cum virtus non sit accidens, sed genus justitiæ.

3. Secundo si licet non expresse dicat accidere subjecto id, quod est genus subjecti, adhuc prædicet genus de subjecto tali prædicatione, qua non potest prædicari nisi accidens; ex. gr., si prædicet genus denominative ac loco dicendi albedinem esse colorem, dicat albedinem esse coloratam, loco dicendi ambulationem esse motum, dicat ambulationem moveri. Cum enim genus non possit de specie prædicari denominative, sed debeat prædicari univoce secundum nomen et definitionem, eo ipso, quod dicit quis albedinem esse coloratam, indicat colorem non esse genus albedinis; sed patet, quod coloratum neque est proprium neque definitio albedinis, cum conveniat etiam aliis ab albedine, puta ligno, lapidi, etc., de quibus dicitur coloratum; ergo eo ipso assignavit colorem ut accidens albedinis, adeoque peccavit assignando genus ut accidens.

4. Alius locus est, respicere ad ea quibus omnibus vel multis inesse dictum est;

5. considerare autem singulas species, non infinita ; sic enim magis via progredietur et in paucioribus consistet consideratio. Oportet autem considerare et incipere a primis, postea deinceps progredi usque ad individua. Veluti si oppositorum eamdem scientiam esse dixerit, considerandum est, an relatorum et contrariorum, et eorum quæ secundum privationem et habitum, et eorum quæ secundum contradictionem opposita dicuntur, sit eadem scientia. Et si in his nondum appareat, rursus hæc sunt dividenda usque ad individua, veluti an justorum et injustorum, vel dupli et dimidii, vel cæcitatis et visus, vel ipsius esse et non esse, eadem sit scientia. Nam si cujus non eamdem esse probatum fuerit, confutatum erit problema. Similis ratio est, etsi nulli insit. Hic autem locus convertitur, id est et ad confirmandum et ad refutandum valet. Si enim prolata divisione in omnibus videatur aut in plerisque, postulandum est ut adversarius universaliter concedat vel objiciat et doceat, in quo non ita sit. Nam si neutrum horum faciat, ineptus videbitur, qui non concedat.

4. *Secundus locus* est : proposito problemate universali, ex. gr., quod omnium vel nullorum oppositorum est eadem disciplina, ad illud construendum vel destruendum, consideranda sunt inferiora, de quibus prædicatum universaliter affirmatur aut negatur; ex. gr., consideranda sunt opposita, quorum affirmatur aut negatur esse eadem disciplina. Si enim inveniantur aliqua opposita, quorum non est eadem disciplina, eversum erit problema universale affirmativum asserens, quod omnium est eadem disciplina ; si inveniantur aliqua opposita, quorum sit eadem disciplina, eversum erit problema negativum asserens, quod nullorum oppositorum est eadem disciplina.

5. Explicat deinde Aristoteles, quænam inferiora, et quo ordine ac modo sint consideranda. Ex inferioribus non sunt consideranda singularia, quæ sunt infinita, sed species, quæ sunt finitæ. Ratio est, tum quia certior est ratio et via considerandi species, quam considerandi singularia;

tum quia considerando species, procedimus per pauciora, considerando singularia procedimus per plura. Jam species ita sunt considerandæ, ut incipiamus a primis, universalioribus et propinquioribus generi diviso, ac deinde descendamus ad posteriores minus universales ac remotiores a genere diviso, donec perveniamus ad species specialissimas atque indivisibiles in alias species. Ex. gr., proposito problemate, an oppositorum sit eadem disciplina, — debemus primo dividere genus oppositi in primas species, quæ sunt relativa, contraria, privativa et contradictoria; et debemus considerare, utrum eadem sit disciplina relativorum, contrariorum, etc., et si in his non occurrat instantia, debemus rursus subdividere contraria, etc., donec perveniamus ad species ultimas; ac debemus considerare, utrum justi et injusti, quæ sunt contraria, sit eadem disciplina, an sit eadem disciplina dupli et dimidii, quæ sunt relativa; visus et cæcitatis, quæ opponuntur privative; entis et non entis, quæ opponuntur contradictorie. Et siquidem de aliqua specie oppositorum ostenderimus, quod eorum non sit eadem disciplina, evertemus problema universale affirmativum; si vero per divisionem ostenderimus nulla posse assignari opposita, quorum non sit eadem disciplina, construemus ac probabimus problema universale affirmativum asserens omnium oppositorum esse eamdem disciplinam. Si enim ostendamus, quod plurium et plurium oppositorum enumeratorum eadem est disciplina, jure possumus postulare ab adversario, ut vel concedat omnium oppositorum esse eamdem disciplinam, vel afferat instantiam in contrarium, quam si non afferat, absurde videbitur negare omnium oppositorum esse eamdem disciplinam. Patet igitur hunc locum esse utilem ad problema tum destruendum tum construendum.

6. Alius locus est, definire accidens et id cui accidit, vel utrumque per se vel alterum tantum; deinde considerare, an sumptum quidpiam sit quasi verum, quod in definitionibus non reperiatur verum. Veluti si problema sit, deus injuria potest affici, videndum est quid sit injuria afficere. Nam si sit nocere sponte, patet non posse deum affici injuria, quia deo noceri non potest. Item si ponatur vir bonus esse invidus, videndum est quis sit invidus et quid invidia. Nam si invidia est dolor ex eo perceptus quod bene cum aliquo viro probo agitur, manifestum est virum bonum non esse invidum, quoniam esset improbus. Et si is qui ad indignandum propensus est, ponatur esse invidus, definitione explicandum est, quis sit eorum uterque. Sic enim perspicuum erit, utrum verum an falsum sit, quod dictum est. Veluti si invidus est qui dolet rebus bonorum virorum secundis, ad indignandum autem propensus est, qui dolet rebus malorum hominum secundis, patet eum qui propensus est ad indignandum non esse invidum. Oportet etiam sumere definitiones pro nominibus positis in definitionibus; nec desistere donec ad notum perveniatur. Sæpe enim tota definitione tradita non apparet, quod quæritur; sed si pro aliquo nomine posito in definitione definitio dicta fuerit, perspicuum fit.

Tertius locus est : cum subjecto attribuitur aliquod accidens, definiendum est subiectum, vel accidens, vel utrumque, atque ex definitione examinandum, utrum aliquid falsum loco veri attributum sit subjecto. Ex. gr., si quis dixerit Deum injuriam facere, definiendum est, quid sit injuriam facere. Si enim injuriam facere est, sponte nocere, patet Deum, qui nemini nocere potest, non posse injuriam facere. Rursus, si quis dixerit virum probum aliquando esse invidum, definiendum, quid sit invidere. Cum enim invidere sit tristari ex prosperitatibus apparentibus alicujus viri probi, patet virum probum non invidere, alioquin eo ipso esset improbus. Si quis autem dixerit indignantem invidere, definiendum est, quid sit indignari et quid invidere. Cum igitur indignari sit tristari ex prosperitatibus malorum, invidere sit tristari ex prosperitatibus bonorum, patet, quod indignari non est invidere. Quod si allata definitione accidentis ac subjecti, adhuc non satis appareat quod quærimus, subdefinienda sunt nomina, ex quibus constant tales definitiones, nec desistendum, donec ad manifesta fuerit perventum. Sæpe enim accidit, ut cum ex definitione accidentis ac subjecti non sit manifestum quod quærimus, subdefiniendo aliquod nomen positum in talibus definitionibus, reddatur manifestum.

7. Præterea ex problemate propositione sibi facta objiciendum est, quoniam objectio erit argumentum contra thesim. Hic autem modus fere est idem atque ille, respicere ad ea quibus omnibus vel nullis inesse dictum est. Sed modo differt.

8. Præterea definire oportet qualia vocanda sint, ut multi vocant, qualia non. Hoc autem utile est et ad confirmandum et ad refellendum. Veluti quod iis nominibus res sunt appellandæ,

quibus multi utuntur; cum autem quæritur quales res sint, ejusmodi vel non ejusmodi, non est amplius sequenda multitudo. Exempli gratia salubre vocandum est, quod valet ad sanitatem efficiendam, ut multi vocant; an autem quod propositum est, ad sanitatem efficiendam valeat necne, non est amplius dicendum ut multi dicunt, sed ut medicus.

7. *Quartus locus* est: proposito problemate, debemus illud in propositionem mutare, ac deinde quærere instantiam contra talem propositionem. Ex. gr., proposito problemate, *utrum omnis virtus sit scientia;* debemus illud mutare in hanc propositionem: *nonne omnis virtus est scientia?* et debemus quærere instantiam ex aliqua virtute, quæ non sit scientia. Et quia invenimus, quod virtutes morales, utpote quæ sunt in parte appetitiva animæ, non sunt scientiæ, ideo habemus instantiam, ex qua possumus sic argumentari: virtutes morales non sunt scientiæ; ergo non omnis virtus est scientia. Addit Aristoteles hunc quartum locum fere coincidere cum secundo, ac solum ab illo differre ratione ac modo. Nam juxta secundum locum, problema non mutatur in propositionem, sed nulla facta mutatione, per divisionem quæritur instantia in subjectis speciebus; at juxta quartum locum problema mutatur in propositionem, ac deinde quæritur instantia.

8. *Quintus locus* est, ut determinemus, in quibus debeamus sequi multitudinem et vulgus, et in quibus debeamus sequi sapientes. In significatione nominum debemus sequi multitudinem et vulgus; in statuendo vero, utrum res tales sint vel non sint, — non debemus sequi vulgus, sed sapientes, ideoque communiter dicitur: *loquendum cum multis, sentiendum cum paucis.* Ex. gr., dicendum, quod salubre est effectivum sanitatis, quia vulgus id intelligit nomine salubris; at dum quæritur, utrum hoc vel illud sit salubre et effectivum sanitatis, an non, — non est standum judicio vulgi, sed judicio medicorum. Addit Aristoteles hunc locum esse utilem tum ad problemata destruenda, tum ad construenda. Ex. gr., ad destruendam sententiam Stoicorum, quod omnis sapiens sit dives, possumus argumentari, quia communiter homines nomine divitis intelligunt eum, qui multas possidet opes; sed non omnis sapiens multas possidet opes; ergo, etc. Si quis autem dicat felicitatem consistere in divitiis, eo quod vulgus sic existimet, instandum, quia in quæstione, in qua quæritur, in quo consistat felicitas, — non debemus sequi judicium vulgi sed sapientum. Possumus ex eodem loco construere problema, quod felicitas consistat in actione secundum virtutem, ex eo quod sic sentiant sapientes; et quod dives sit, qui multas habet opes, ex eo quod id vulgus intelligat nomine divitis.

9. [3] Præterea si quid multis modis dicatur, positum autem sit inesse vel non inesse, probare oportet alterum eorum, quæ multipliciter dicuntur, si ambo probari nequeant. Hoc autem loco utendum est in iis, quæ latent, quia si multis modis dici non lateat, objiciet non esse disputatum de eo, quod ipse in dubium vocavit, sed de altero.

10. Hic autem modus convertitur, id est et ad confirmandum et ad infirmandum valet. Confirmare enim volentes ostendemus alterum inesse, si ambo non possimus; infirmantes autem probabimus, alterum non inesse, si ambo non possimus. Verum infirmanti non opus est ex confessione disserere, nec si omni nec si nulli inesse dictum fuerit. Nam si ostendemus non inesse cuivis, refutatum erit problema asserens omni inesse; ac similiter si uni ostendemus inesse, evertemus problema asserens nulli inesse. Confirmantes autem prius ex confesso accipere debent, si cuivis insit, omni inesse, si verisimile sit hoc postulatum. Non enim satis est ad probandum omni inesse, de uno disserere, veluti si hominis anima sit immortalis, omnem quoque animam esse immortalem. Quocirca prius ex confesso sumere oportet, si quævis anima sit immortalis, omnem quoque esse immortalem. Hoc vero non semper faciendum est, sed quando non est nobis facultas asserendi communem unam rationem de omnibus, quemadmodum geometra una communi ratione probat triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis.

9. *Sextus locus* est: si aliquid multipliciter dicatur, assumptum autem sit sine distinctione, quod inest vel non inest, si non possumus id in omnibus sensibus et significationibus probare, conandum est, ut in aliquo saltem sensu probemus. Ex. gr., si dicatur: *oportet virum probum in negotiis reipublicæ versari,* ly *oportet* significat tum *esse honestum,* tum *esse necessarium.* Si ergo non possumus ostendere, quod honestum sit ac necessarium, ut vir probus in republica versetur, debemus conari, ut saltem alterutrum ostendamus. Addit Aristoteles, quod tum solum sufficit probare propositum in altero sensu, cum latet ambiguitas sensuum. Si enim ambiguitas sit manifesta, adversarius instabit, propositum

non esse probatum in eo sensu, in quo procedit quæstio, sed in alio.

10. Est autem hic locus utilis tum ad destruendum, tum ad construendum problema. Nam cum debemus probare, quod prædicatum inest, si non possumus ostendere, quod inest in utroque sensu, debemus probare, quod inest in altero; et cum debemus probare, quod prædicatum non inest, si non possumus probare, quod in neutro sensu inest, sufficit ut probemus, quod saltem non inest in altero. Attamen si adversarius dixerit, quod prædicatum omni vel nulli inest, nos autem debeamus impugnare ac destruere, quod dictum est, non indigemus ulla suppositione vel præconcessione, sed sufficit, ut probemus, quod alicui non inest; per hoc enim destruimus positionem universalem, quod omni inest; vel ut probemus, quod alicui inest; eo enim ipso destruimus positionem universalem, quod nulli inest. E converso si debeamus probare positionem universalem, quod omni inest, non sufficit ostendere, quod alicui inest, nisi præconcessum fuerit, quod *si alicui inest, omnibus inest, eo quod de omnibus sit eadem ratio.* Ex. gr., si præconcessum fuit, quod si aliqua anima est immortalis, omnis anima est immortalis, ad ostendendum, quod omnis anima est immortalis, sufficit ostendere, quod aliqua anima est immortalis; at si non fuerit id præconcessum, non sufficit. Non semper tamen debemus postulare talem præconcessionem, sed tum solum, cum non habemus rationem universalem ad demonstrandum universaliter propositum; cum autem habemus rationem universalem ad propositum demonstrandum, non debemus postulare talem præconcessionem. Ex. gr., quia geometra habet rationem universalem ad demonstrandum, quod *cujuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis,* non debet postulare, ut præconcedatur, quod si alicujus trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis, cujuscumque trianguli tres anguli sunt æquales duobus rectis.

11. Si vero multis modis dici non lateat, cum distinctum fuerit quot modis dicatur, et refellere et confirmare oportet. Veluti si quod decet, est utile vel honestum, conandum est ambo confirmare vel refellere de eo quod propositum est, velut id esse honestum et utile, aut nec honestum nec utile. Quod si nequeunt ambo probari, alterum probandum est, cum ante indicatum fuerit, alterum tale esse, alterum minime. Eadem ratio est, si plura sint, in quæ verbum multiplex dividatur.

11. *Septimus locus* est : cum manifesta est multiplicitas nominis, explicandum, quotupliciter nomen dicatur, et conandum, ut propositum in omni sensu probetur vel evertatur. Ex. gr., propositum sit, quod *decens est virum probum in publicis negotiis versari,* explicandum, quod decens est tum utile tum honestum, et si problema sit construendum, probandum, quod et utile et honestum est virum probum in publicis negotiis versari; si problema sit destruendum, probandum, quod neque honestum neque utile est virum probum in publicis negotiis versari. Si autem non possimus utrumque construere vel destruere, debemus saltem construere vel destruere alterum, advertendo tamen, quod propositum in altero sensu est admittendum ut verum, in altero est rejiciendum ut falsum. Idem dic, si propositum habeat plures sensus quam duos.

12. Rursus consideranda sunt, quæ multifariam dicuntur, non ut homonyma, sed alio modo. Veluti scientia una est multarum rerum, vel ut finis et ejus quod ad finem refertur, sicut medicina est scientia efficiendi sanitatem et præscribendi rationem victus ; vel ut duorum finium, ut contrariorum eadem scientia dicitur; alterum enim altero non est magis finis; vel ut ejus quod est per se et ejus quod est per accidens, ut per se scimus triangulum duobus rectis æquales habere tres angulos, per accidens autem æquilaterum ; nam quia triangulo æquilatero accidit ut triangulum sit, secundum hoc cognoscimus quod duobus rectis æquales habet angulos internos.

13. Si igitur nullo modo contingat eamdem esse multarum rerum scientiam, manifestum est omnino non contingere ut sit ; aut si quo modo contingit, manifestum est contingere. Dividere autem oportet, quotupliciter utile est. Ut si confirmare velimus, ea proferenda sunt, quæ contingit talia esse, qualia probare volumus, atque hæc dividenda sunt in ea tantum, quæ utilia sunt ad confirmandum. At si refutare velimus, ea sunt proferenda, quæ non contingit talia esse, reliqua vero prætermittenda. Et in his quoque hoc faciendum est, cum latet, quot modis dicantur. Quinetiam hoc hujus esse vel non esse, ex iisdem locis confirmandum est, veluti scientiam hanc hujus esse vel ut finis, vel ut eorum quæ pertinent ad finem, vel ut eorum quæ sciuntur per accidens; aut contra non esse quidpiam ullo modo eorum quos dixi. Eadem ratio est et cupiditatis et cæterorum omnium, quæ dicuntur esse multarum rerum. Est enim cupiditas hujus vel ut finis, veluti sanitatis, vel ut eorum quæ referuntur ad finem, veluti sumendi pharmaci, vel ut ejus quod desideratur per accidens, quem-

admodum is qui dulcedine delectatur, vinum expetit, non quia vinum, sed quia dulce est. Dulcedinem enim per se concupiscit, vinum autem per accidens, quia si austerum sit, non concupiscit amplius; per accidens igitur concupiscit vinum. Utilis autem est hic locus in iis quæ ad aliquid referuntur ; fere enim quæ sunt ejusmodi, in numero sunt eorum quæ ad aliquid referuntur.

12. Ut proponatur et explicetur octavus locus, notandum, quod aliquando multiplicitas significandi convenit nomini seorsim, et dicitur æquivocatio, aliquando convenit orationi, et dicitur amphibologia vel ambiguitas. Exemplum orationis ambiguæ et habentis plures sensus est, *una disciplina est plurium.* In triplici enim sensu potest una disciplina esse plurium. Primo potest una disciplina esse unius ut finis, aliorum ut mediorum conducentium ad finem. In hoc sensu medicina est scientia sanitatis, victus et medicamentorum; sanitatis quidem, ut finis; victus et medicamentorum, ut mediorum conducentium ad sanitatem. Secundo potest una disciplina esse plurium ut finium, eo pacto quo scientia de coloribus considerat ut finem tum album, tum nigrum. Neque enim est ratio, cur unum contrarium consideretur ut finis potius quam aliud. Tertio potest una disciplina esse unius per se, alterius per accidens; ex. gr., geometria per se demonstrat, quod triangulum habet tres angulos æquales duobus rectis, per accidens autem ostendit, quod triangulum æquilaterum habet tres angulos æquales duobus rectis, eo quod accidit triangulum esse æquilaterum.

13. *Octavus* igitur *locus* est, ut quando problema est ambiguum, advertamus, an in aliquo sensu verificetur vel in nullo. Si in nullo, possumus illud destruere. Si enim in nullo sensu verificatur, ex. gr., quod una disciplina est plurium, proculdubio falsum est, quod una disciplina est plurium. Si autem in aliquo sensu verificatur, quod una disciplina est plurium, verum est, quod una disciplina est plurium. Addit Aristoteles, quod ad construendum problema, debemus solum distinguere sensus, in quibus verificatur, omittendo sensus, in quibus falsificatur; ad problema autem destruendum, debemus distinguere solos sensus, in quibus falsificatur, alios omittendo; id vero est faciendum, cum latet multiplicitas sensuum. Possumus autem hoc loco uti, tum ad construendum tum ad destruendum. Ex. gr., ad probandum, quod una disciplina est plurium, debemus distinguere sensus problematis et ostendere, quod una disciplina et potest esse plurium, alterius ut finis, aliorum ut mediorum; et potest esse plurium ut finium; et potest esse plurium, aliorum per se, aliorum per accidens. Si vero velimus destruere, quod una disciplina sit plurium, distinctis iisdem sensibus problematis, debemus ostendere, quod in nullo eorum est plurium. Idem dic etiam de hoc problemate : *desiderium est plurium,* ac de aliis similibus. Desiderium enim potest esse plurium, alterius ut finis, alterius ut medii, eo pacto quo ægrotus desiderat sanitatem ut finem, medicamenta ut media; vel alterius per se, alterius per accidens, eo pacto, quo qui desiderat vinum, quia est dulce, desiderat dulce per se, vinum per accidens, ideoque vinum austerum non desiderat, dulce vero desiderat, etiam si non sit vinum. Concludit Aristoteles hunc locum esse etiam utilem ad problemata de relativis; nam relativa solent esse ambigua.

14. [4] Præterea utilis est commutatio in notius nomen, veluti si pro exquisito in existimatione dicatur perspicuum, et pro curiositate rerum studium et cura. Cum enim notius fit, quod dictum est, facilius contra thesim argumentari possumus. Est autem hic quoque locus communis, et ad ambo valet, id est et ad refutandum et ad confirmandum.

15. Ut autem probetur contraria eidem inesse, respicere oportet ad genus. Utputa si probare velimus, in sensu esse rectitudinem et peccatum, quia sentire est judicare, judicare autem licet recte et non recte, etiam in sensu erit rectitudo et peccatum. Nunc igitur ex genere demonstratio facta est de specie. Nam judicare est genus sentiendi ; qui enim sentit, judicat aliquo modo.

14. *Nonus locus* est : cum problema propositum est per nomina obscuriora, proponere illud debemus per nomina clariora; tum enim facilius construetur ac destruetur. Ex. gr., si propositum sit : *utrum exquisitum in opinione sit facile cognitu,* mutandum est nomen exquisiti ac proponendum: *utrum clarum sit facile cognitu,* et tunc problema facilius solvetur. Similiter si propositum sit : *utrum curiositas sit laudabilis,* mutando nomen curiositatis in nomina clariora ac proponendo : *utrum cupiditas superfluarum rerum sit laudabilis,* problema facilius solvetur. Addit Aristoteles, hunc locum esse utilem, tum ad construendum tum ad destruendum.

15. *Decimus locus* est : si ostendendum sit, quod contraria accidentia possint inesse speciei, considerandum est, an contraria accidentia possint inesse generi. Cum enim quotiescumque contraria accidentia possunt inesse generi, possint etiam inesse speciebus contentis sub tali genere, habemus argumentum ad probandum contraria accidentia posse inesse speciebus. Ex. gr., ad ostendendum, quod sensus sit capax rectitudinis et peccati, debemus considerare, an potentia judicativa, quæ est genus, sub quo continetur sensus seu potentia sensitiva, sit capax rectitudinis et peccati. Possumus igitur sic argumentari : potentia judicativa est capax rectitudinis ac peccati, cum possimus judicare recte et non recte; sed sensus est quædam potentia judicativa ; ergo etiam sensus est capax rectitudinis ac peccati, et possumus sentire recte et non recte.

16. Contra etiam ex specie probari potest inesse generi. Quæcumque enim speciei insunt, etiam generi insunt. Veluti si scientia est mala et bona, etiam affectio est mala et bona, quoniam affectio est genus scientiæ.

17. Ac prior quidem locus falsus est, si ad confirmandum adhibeatur; posterior autem est verus. Non enim necesse est ut, quæcumque generi insunt, etiam speciei insint ; etenim animal est alatum et quadrupes, homo non item. Quæcumque vero speciei insunt, necessario etiam generi insunt. Nam si est homo probus, etiam animal est probum. At si adhibeantur ad refutandum, prior locus est verus, posterior est falsus. Nam quæcunque generi non insunt, nec speciei insunt; quæ vero speciei non insunt, ut generi non insint, necesse non est.

16. *Undecimus locus* est : ad probandum aliquid de genere, debemus considerare, an illud conveniat speciei. Ex. gr., ad probandum, quod dispositio potest esse tum bona tum prava, debemus considerare. an disciplina, quæ est species dispositionis, possit esse tum bona tum prava, sic arguendo : disciplina potest esse tum bona tum prava; sed dispositio est genus disciplinæ; ergo etiam dispositio potest esse tum bona tum prava. Quæ enim conveniunt speciei, possunt etiam convenire generi.

17. Addit Aristoteles, quod a genere ad speciem valet argumentum destructivum, non autem constructivum; e converso a specie ad genus valet argumentum constructivum, non autem destructivum. Ratio est, quia licet quæ non conveniunt generi, non conveniant speciei, adeoque ex eo, quod aliquod prædicatum non conveniat generi, possit inferri, quod neque convenit speciei, tamen non est necesse, ut quod convenit generi, conveniat etiam speciei, adeoque ex eo, quod aliquod prædicatum conveniat generi, non potest inferri, quod conveniat etiam speciei ; ex. gr., animal potest esse tum volatile tum quadrupes, et tamen homo, qui est species animalis, nec potest esse volatilis neque quadrupes. E converso quæ conveniunt speciei conveniunt etiam generi. Si enim homo potest esse albus, etiam animal potest esse album; at quæ non conveniunt speciei, possunt convenire generi ; ex. gr., licet homo non possit esse quadrupes, adhuc animal potest esse quadrupes ; ergo a genere ad speciem valet argumentum destructivum, non constructivum; e converso a specie ad genus valet solum argumentum constructivum, non destructivum.

18. Quia vero necesse est, quibus genus attribuitur, etiam speciem aliquam att.ibui ; et quæcumque habent genus, vel denominative a genere dicuntur, etiam speciem aliquam habere necesse est, vel denominative ab aliqua specie dici, veluti si cui scientia attribuitur, etiam Grammatica vel Musica vel aliqua alia scientia attribuetur; et si quis habet scientiam, vel denominative a scientia dicitur, etiam Grammaticam habebit vel Musicam vel aliquam aliam scientiam, vel denominative ab aliqua earum dicetur, puta grammaticus vel musicus.

19. Si quid igitur positum fuerit, quod dicatur a genere quomodocumque, ut animam moveri, considerare oportet, an secundum aliquam speciem motus accidat animam moveri, veluti an accidat augeri vel minui vel corrumpi vel fieri vel alia motionis specie cieri. Si enim secundum nullam speciem id accidit, patet animam non moveri. Hic autem locus est communis, et ad ambo, id est et ad confirmandum et ad infirmandum, valet. Nam si secundum aliquam speciem movetur, procul dubio movetur ; et si secundum nullam speciem movetur, procul dubio non movetur.

20. Cui vero non suppetit argumentorum copia ad thesim pertinentium, is considerare et argumenta petere debet ex definitionibus, quæ sunt vel esse videntur rei propositæ. Et si ab una non possit, a pluribus petat. Iis enim qui rem definierint, facilius erit argumentari, qnippe cum adversus definitiones facilior sit argumentatio.

18. Ut proponat duodecimum locum, præmittit atque explicat Aristoteles quoddam axioma, quod est : necesse est, ut si

genus prædicatur essentialiter de aliquo subjecto, aliqua species talis generis prædicetur de eodem subjecto; rursus necesse est, ut quod habet genus vel denominatur a genere, habeat aliquam speciem talis generis, aut ab aliqua specie denominetur. Ex. gr., si de aliquo subjecto prædicatur essentialiter disciplina, de eo prædicabitur etiam aliqua species disciplinæ, ac proinde tale subjectum erit vel Grammatica vel Musica, vel aliqua alia disciplina. Similiter si verum est de aliquo, quod habet disciplinam, verum est, quod habet aliquam disciplinæ speciem, ac proinde vel habet Grammaticam vel Musicam, etc., et si quis a disciplina denominatur disciplinatus, denominatur etiam ab aliqua specie disciplinæ, et vel est grammaticus vel musicus, etc. Ratio est, quia genus non potest subsistere separatum ab omnibus speciebus.

19. Hoc posito, si de aliquo prædicatur genus vel essentialiter vel denominative vel quomodocumque, puta si dicatur, quod anima movetur, *duodecimus locus* ad tale problema probandum vel improbandum, est, videre, an de eo dicatur ulla species talis generis. Si enim ostendatur, quod anima non movetur ulla specie motus, eo quod neque generetur, neque corrumpatur, neque augeatur, neque minuatur, manifestum est, quod non movetur; si vero ostendatur, quod anima movetur aliqua specie motus, manifestum est, quod movetur. Hinc autem patet hunc locum esse utilem, tum ad problema construendum tum ad destruendum.

20. *Tertius decimus locus* est : si quis non abundet argumentis ad probandum, quod de aliquo subjecto dicantur species alicujus generis, debet definire ac describere tales species, afferendo plures descriptiones non solum veras, sed etiam verisimiles; nam facile deinde occurrent argumenta ad probandam de subjecto aliquam ex dictis speciebus.

21. Considerare autem oportet in eo quod propositum est, cui rei consequens sit, quod est propositum; vel quid necessario sit, si sit id quod est propositum. Confirmare igitur volenti considerandum est, cui rei necessario consequens sit, quod est propositum; nam si id probatum fuerit esse, id quoque quod est propositum probatum erit. Refellere autem volenti considerandum est quid sit, si quod est propositum sit ; si enim ostendemus, id quod est proposito consequens non esse, sublatum erit quod est propositum.

22. Præterea ad tempus respicere oportet, an alicubi discrepet. Veluti si quis dixerit id quod alitur, necessario augeri ; nam animalia semper aluntur, non tamen semper augentur. Itemque si quis dixerit, scire nihil aliud esse quam meminisse ; hoc enim est præteriti temporis, illud vero etiam præsentis et futuri, quandoquidem scire dicimur præsentia et futura, veluti solis defectionem fore, meminisse autem non possumus nisi quod præteritum est.

21. *Decimus quartus locus* est ex antecedentibus et consequentibus. Proposito problemate, consideranda sunt tum antecedentia, quibus positis necessario sequitur problema, tum consequentia, quæ necessario sequuntur posito problemate. Si enim demonstraverimus aliquod ex antecedentibus, eo ipso demonstrabimus problema positum, quandoquidem posito antecedenti, necessario sequitur consequens; si autem demonstraverimus non dari aliquod ex consequentibus, eo ipso destruemus problema, quandoquidem ablato consequente, necessario aufertur antecedens. Constructio igitur antecedentium est utilis ad problema construendum; destructio consequentium est utilis ad problema destruendum. Ex. gr., posito problemate : *utrum voluptas sit bonum*, ad illud construendum debemus invenire aliquod antecedens, ex quo necessario sequatur voluptatem esse bonam, quod antecedens sit, quod *voluptas est secundum naturam*. Si enim ostenderimus, quod omnis voluptas est secundum naturam, eo ipso ostendemus, quod *omnis voluptas est bona*. Ad idem problema destruendum debemus invenire aliquid, quod necessario sequatur ex eo, quod omnis voluptas sit bonum, quod consequens sit, quod nulla voluptas sit vituperabilis. Si enim ostenderimus falsum esse, quod nulla voluptas sit vituperabilis, eo ipso ostendemus falsum esse antecedens, quod omnis voluptas sit bonum, adeoque destruemus problema propositum.

22. *Decimus quintus locus* est, ut consideremus, an tempus discrepet. Ex. gr., si quis dixerit omne, quod nutritur, ex necessitate augeri, ex discrepantia temporis possumus arguere, quia animalia et plantæ semper nutriuntur; sed non semper augentur; ergo non est necessarium ut, quod nutritur, augeatur. Similiter si quis dixerit, quod scire est reminisci, possumus arguere, quia solius præteriti possumus reminisci; sed scire possumus

etiam præsentia et futura, ex. gr., scire possumus, quod erit eclypsis; ergo scire non est reminisci.

23. [5] Est præterea sophisticus modus, quo adversarium ducimus ad id, de quo argumentorum copia nobis suppetet. Hoc autem interdum necessarium est, interdum videtur necessarium, interdum nec videtur nec est necessarium. Necessarium est, cum negante eo qui respondet aliquid eorum quæ ad thesim pertinent, ad id rationes diriguntur; accidit autem ut id sit ejusmodi, ad quod argumentorum copia suppetat. Similiter etiam fit, cum quis ab eo quod positum est, ad aliquid abductione facta, id evertere tentat; eo namque everso etiam propositum evertitur. Videtur autem necessarium, cum ad thesim pertinere videtur, nec tamen pertinet, id ad quod rationes referuntur, sive negante eo qui disputationem sustinet, sive abductione probabili a thesi ad illud facta, id evertere conetur. Reliquum est, cum id ad quod rationes diriguntur, nec est necessarium nec esse videtur, sed aliter accidit ut parelencho respondens redarguatur. Horum quos dixi modorum ultimum vitare oportet, quoniam omnino remotus et alienus videtur esse a Dialectica. Quocirca debet etiam is qui respondet non difficilem et morosum se præbere, sed concedere quæ non pertinent ad thesim, significans quænam sibi non videantur, licet ea concedat. Plerumque enim accidit ut magis argumentorum inopia laborent ii, qui interrogant, cum omnia eis conceduntur quæ sunt ejusmodi, si non concludant.

23. *Decimus sextus locus* est, ut disputationem transferamus ad id, circa quod habemus copiam argumentorum. Hunc locum Aristoteles vocat sophisticum, quia sophistæ solent digredi ab eo, quod est propositum, ad alia, circa quæ abundant argumentis. Porro hæc digressio aliquando est necessaria, aliquando licet non sit necessaria, videtur necessaria, aliquando neque est neque videtur necessaria. Primo hæc digressio est necessaria, cum respondens negat aliquam propositionem utilem ad probandum intentum, immo etiam affert argumenta ad probandam falsitatem talis propositionis. Tum enim necesse est, ut disputans digrediatur ad probandam propositionem negatam, ad quam probandam contingit aliquando, ut habeat magnam copiam argumentorum. Similiter si disputans proponat aliquam inductionem ad probandum propositum, respondens vero per instantias, conetur destruere talem inductionem, necesse est, ut disputans digrediatur ad eam inductionem confirmandam. Ex. gr., si quis ad ostendendum, quod omnis voluptas est bona, assumat, quod omne id, quod est secundum naturam est bonum, et probet id inductione; respondens vero neget assumptum, atque inductionem infirmare conetur instantiis, quia nimirum mors est secundum naturam, et tamen non est bona, — necesse est, ut disputans digrediatur ad probandum, quod id, quod est secundum naturam est bonum, circa quod fortasse habebit copiam argumentorum. Secundo hæc digressio videtur necessaria, cum disputans ponit aliquam propositionem, quæ licet non sit utilis ad probandum intentum, adhuc videtur utilis, respondens vero negat propositionem positam, vel etiam per inductionem atque instantias conatur illam evertere. Tum enim videtur necessarium, ut disputans digrediatur ad probandam propositionem negatam. Tertio demum digressio nec est neque videtur necessaria, cum disputans ponit propositionem, quæ neque est neque videtur utilis ad probandum intentum, eaque negata, digreditur ad illam probandam, ut videatur redarguere respondentem. Addit Aristoteles hunc postremum modum digrediendi, utpote sophisticum, omnino vitandum esse a dialectico. Respondens præterea, ne fiat talis digressio, cum ponuntur propositiones inutiles ad probandum intentum, debet illas transmittere, significando se non ideo illas transmittere, quia putet veras, sed quia putet inutiles ad propositum evincendum. Solent enim magis confundi argumentantes, cum licet omnia hujusmodi fuerint transmissa, adhuc nihil possunt concludere.

24. Præterea quicumque quodvis dixit, quodammodo multa dixit, quia multa cuique rei necessario consequentia sunt, veluti qui dixit hominem esse, etiam animal esse dixit et animatum et bipedem et intelligentiæ scientiæque capacem. Quare quovis eorum quæ consequuntur sublato, tollitur etiam problema ab initio propositum. Sed cavere oportet, ne ad id quod sit difficilius, translatio fiat; interdum enim facilius est consequens evertere, interdum vero ipsum problema propositum.

25. [6]. Quibus autem in rebus necesse est alterum solum inesse vel non inesse, ut homini necesse est inesse vel morbum vel sanitatem, si de altero abundemus argumentis, quibus probemus inesse vel non inesse, etiam de altero abundabimus. Hoc autem convertitur et ad ambo valet. Nam si probaverimus alterum inesse, probatum erit reliquum non inesse; si vero probabimus non inesse, probatum erit reliquum inesse. Patet igitur ad ambo utilem esse hunc locum.

26. Insuper oportet argumentari translato nomine ad notationem, quasi sit magis consentaneum sic accipere, quam ut positum est nomen. Veluti εὔψυχον (id est bene animatum) non esse virum fortem, quemadmodum positum est, sed eum qui εὖ εὔ τήν ψυχήνὴ habet, id est bene est animo affectus, sicut εὔελπιν (id est bonæ spei plenum) eum qui bona exspectat, similiterque εὐδαίμονα (id est beatum) eum cujus dæmon est bonus, quemadmodum Xenocrates ait, εὐδαίμονα esse, cujus animus sit bonus ; hunc enim cuique esse dæmonem.

24. *Decimus septimus locus* est : quia qui dicit unum, dicit quodammodo multa, in quantum dicit omnia, quæ consequuntur ad illud unum, eo pacto quo qui dicit aliquem esse hominem, dicit illum esse animal, esse vivens, esse bipedem, esse artis ac disciplinæ susceptivum, idcirco ad evertendum positum, sufficit evertere, quodlibet ex consequentibus. Ex. gr., eo ipso quod ostendamus aliquem non esse disciplinæ susceptivum, quod sequitur ad hominem, ostendimus illum non esse hominem. Antequam autem ad evertendum antecedens, digrediamur ad evertendum consequens, considerandum est, an possimus facilius evertere consequens quam antecedens; nisi enim facilius sit evertere consequens, inutilis est talis digressio.

25. *Decimus octavus locus* est : cum duo ita se habent, ut necesse sit alterum subjecto convenire, alterum non convenire, eo pacto quo necesse est hominem vel esse sanum vel esse ægrotum, si possumus facile de altero ostendere, quod inest vel non inest, eo ipso possumus concludere de reliquo, quod inest vel non inest. Addit Aristoteles hunc locum esse utilem ad problema tum construendum tum destruendum. Ex. gr., quia necesse est, ut homo vel sit sanus vel ægrotus, si ostendamus, quod non est ægrotus, concludimus, quod est sanus; si ostendamus, quod est ægrotus, concludimus quod non est sanus.

26. *Decimus nonus locus* est ex nominis etymologia. Cum ad propositum probandum aptior est oratio explicans etymologiam nominis, quam ipsum nomen, debemus nomen mutare in orationem ex eaque arguere. Ex. gr., si quis velit ostendere, non solum fortem, sed omnem virtute præditum esse εὔψυχον, debet arguere, quia sicut εὔελπις est, qui bene sperat, sic εὔψυχος est, qui bene animo est affectus; sed non solum fortis, sed etiam justus, temperans, et universim quilibet virtute præditus, bene animo est affectus; ergo, etc. Similiter si quis velit ostendere, quod sapiens ex felix sive εὐδαίμων, debet argumentari, quia εὐδαίμων est, qui habet bonum dæmonem seu bonum genium; sed ut Xenocrates dicit, anima est genius ac dæmon uniuscujusque; ergo felix est, qui habet bonam animam; sed sapiens et virtute præditus bonam habet animam; ergo sapiens et virtute præditus est felix atque εὐδαίμων.

27. Quoniam autem rerum aliæ necessario sunt, aliæ plerumque, aliæ utrolibet modo ;

28* si id quod necessario est, plerumque accidere ponatur vel id quod plerumque est, eive contrarium ponatur esse necessario, semper locum præbet argumento. Nam si necessarium ut plerumque accidens posuerit, perspicuum est eum dicere, non omni inesse, cum omni insit; quare peccavit. Necnon si id quod plerumque dicitur necessario esse dixerit ; omni enim inesse ait, cum non insit omni. Similiterque si contrarium ei quod plerumque accidit, necessario esse dixerit ; semper enim in paucioribus dicitur, quod est plerumque accidenti contrarium, veluti si homines plerumque sunt improbi, raro sunt boni. Quapropter adhuc magis peccavit, si bonos necessario esse dixerit. Itidem et si id quod utrolibet modo æque accidit, necessario vel plerumque esse dixerit ; quod enim utrolibet modo accidit, nec necessario est nec plerumque. Sed et si quis non definierit, utrum plerumque an necessario esse dicat, res autem plerumque sit, disputari potest, quasi ille ex necessitate esse dixerit. Ut si exheredes dixerit pravos esse, nec definierit, disputari contra eum potest, quasi dixerit necessario pravos esse.

29. Præterea videndum est, an eamdem rem sibi accidere posuerit quasi diversam, propterea quod nomen diversum sit, quemadmodum Prodicus divisit voluptates in gaudium et jucunditatem et lætitiam. Hæc enim omnia ejusdem rei, id est voluptatis, nomina sunt. Si quis igitur gaudium lætitiæ dicat accidere, idem sibi accidere dicet.

27. Ut proponat *vigesimum locum*, præmittit Aristoteles quandam divisionem. Eorum, quæ sunt, quædam sunt semper et ex necessitate; quædam sunt plerumque; quædam sunt contingentia ad utrumlibet, ita ut æque se habeant ad essendum vel non essendum. Ex. gr., semper et ex necessitate homo est risibilis; at non semper, sed plerumque homo in senectute canescit; homini vero cuilibet contingens est, ut sedeat vel non sedeat.

28. Hoc posito, videndum est, utrum is, cum quo disputamus, confundat istos modos essendi, asserens ex. gr., id, quod

est ex necessitate, accidere plerumque, ut si dicat hominem plerumque esse risibilem; vel asserens id, quod accidit plerumque, ex necessitate evenire, ut si dicat hominem ex necessitate in senectute canescere; vel asserens id, quod accidit raro, evenire plerumque et ex necessitate. Quomodocunque enim confundat hos modos essendi, dat locum arguendi contra se. Si enim dicat id, quod accidit ex necessitate, accidere solum plerumque, manifeste dixit id, quod convenit omni et semper, non convenire omni et semper, adeoque peccavit. Si vero, quod est plerumque, dixit esse ex necessitate, manifeste dixit, omni convenire, quod non convenit omni, adeoque etiam peccavit, ac multo magis peccavit, si quod convenit raro, dixit convenire plerumque vel ex necessitate. Addit Aristoteles, quod quando quis profert aliquid simpliciter, nec determinat, an in pluribus vel ex necessitate, possumus contra ipsum arguere, ac si determinaverit, quod semper et ex necessitate. Ex. gr., si quis dixerit pravos esse exhæredandos, nec ullam apposuerit limitationem, possumus contra ipsum arguere, ac si dixisset pravos semper et ex necessitate esse exhæredandos.

29. *Vigesimus primus locus* est : si quis deceptus multitudine nominum idem significantium, affirmet, idem accidere sibi ipsi, potest redargui ex eo, quod nihil potest esse accidens sui. Ex. gr., quia Prodicus Stoicus dividebat voluptatem in gaudium, jucunditatem et lætitiam, quæ tria nomina significant eamdem voluptatem, posset quis dicere gaudio accidere lætitiam ; et tum deberet redargui ex eo, quia cum lætitia et gaudium sint idem omnino, asserit idem accidere sibi ipsi.

CAPUT III

DE ALIIS SEXDECIM LOCIS ACCIDENTIS

1. [7]. Quoniam autem contraria sex modis inter se conjunguntur, contrarietatem autem efficiunt quatuor modis conjuncta, oportet accipere contraria, prout expedit evertenti et adstruenti. Sex igitur modis ea conjungi manifestum est. Aut enim utrumque utrique contrariorum jungitur, atque hoc bifariam, ut de amicis bene mereri et de inimicis male, vel contra de amicis male et de inimicis bene. Aut ambo de uno, et hoc quoque bifariam, ut de amicis bene mereri et de amicis male, vel de inimicis bene mereri et de inimicis male. Aut unum de ambobus, et hoc quoque bifariam, ut de amicis bene et de inimicis bene, vel de amicis male et de inimicis male.

2. Primæ igitur duæ conjunctiones quas dixi, non faciunt contrarietatem ; de amicis enim bene mereri et de inimicis male, non sunt contraria, cum ambo sint optabilia et eorumdem morum effectus. Neque item contraria sunt, de amicis male et de inimicis bene mereri ; nam et hæc sunt ambo fugienda et eorumdem morum effectus. Non videtur autem fugiendum fugiendo contrarium esse, nisi alterum exsuperantiæ alterum defectus rationem habeat ; nam et exsuperantia in rerum fugiendarum numero esse videtur, et similiter quod est defectus. Reliqua autem quatuor omnia efficiunt contrarietatem. Nam de amicis bene mereri et de amicis male mereri contraria sunt, quia ex contrariis moribus proficiscuntur, et alterum est eligendum, alterum fugiendum. Itidem etiam in aliis se res habet, quoniam in singulis conjunctionibus alterum est eligendum alterum fugiendum, et alterum ex bonis moribus proficiscitur, alterum ex malis.

3. Constat igitur ex iis quæ dicta sunt accidere ut eidem plura contraria sint. Huic enim, de amicis bene mereri, illud contrarium est, de inimicis bene mereri; nec non illud est contrarium, de amicis male mereri. Similiter etiam aliorum cuique, si quis ea consideret eodem modo, videbuntur duo contraria esse.

4. Utrumvis igitur contrariorum utile sit ad thesim, illud sumi debet.

1. Ut proponat Aristoteles vigesimum secundum locum, qui est ex conjugationibus contrariorum, tria præmittit. Primum est : prædicata contraria possunt cum subjectis contrariis sex modis conjugari. Explicatur. Sint prædicata contraria *benefacere* et *malefacere*; subjecta contraria sint *amici* ac *inimici*; — dico quod hæc prædicata possunt sex modis conjugari cum positis subjectis. Vel enim unum prædicatum connectitur cum uno subjecto, alterum cum altero; vel utrumque prædicatum connectitur cum uno subjecto; vel unum prædicatum connectitur cum utroque subjecto. Juxta primum modum, quo unum prædicatum connectitur cum uno subjecto, alterum cum altero, possibiles sunt duæ conjugationes. Prima est, *amicis benefacere, inimicis malefacere ;* secunda opposita est, *amicis malefacere, inimicis benefacere.* Juxta secundum modum, quo utrumque prædicatum connectitur cum uno subjecto, possibiles sunt aliæ duæ conjungationes. Prima est, *amicis benefacere, amicis malefacere;* secunda est, *inimicis benefacere, inimicis malefacere.* Juxta tertium denique mo-

dum, quo unum prædicatum connectitur cum utroque subjecto, possibiles sunt aliæ duæ combinationes. Prima est, *amicis benefacere, inimicis benefacere;* secunda est, *amicis malefacere, inimicis malefacere.* Has autem combinationes sequens tabula exhibebit.

Unum de uno, alterum de altero.	1.	Amicis benefacit, inimicis malefacit.
	2.	Amicis malefacit, inimicis benefacit.
Utrumque de uno.	3.	Amicis benefacit, amicis malefacit.
	4.	Inimicis malefacit, inimicis benefacit.
Unum de utroque	5.	Amicis benefacit, inimicis benefacit.
	6.	Amicis malefacit, inimicis malefacit.

2. Secundum, quod Aristoteles præmittit est: ex sex allatis conjugationibus contrariorum, duæ primæ non continent contrarietatem, aliæ quatuor combinationes continent contrarietatem. Probatur; nam prima conjugatio est : *amicis benefacit, inimicis malefacit;* sed hoc, quod est *amicis benefacere,* non est contrarium huic, quod est. *inimicis malefacere,* cum utrumque sit honestum et eligendum, adeoque utrumque spectet ad virtutem, quæ autem spectant ad virtutem, non sunt contraria; ergo, etc. Rursus secunda conjugatio est : *amicis malefacit, inimicis benefacit;* sed hoc, quod est, *amicis malefacere,* non est contrarium huic, quod est, *inimicis benefacere,* cum utrumque sit inhonestum et fugiendum, unum autem fugiendum non sit contrarium alteri fugiendo, nisi unum consistat in defectu, alterum in excessu, ut contingit in avaritia et prodigalitate; ergo primæ duæ conjugationes non continent contrarietatem. At quatuor aliæ conjugationes continent contrarietatem, quia continent unum eligendum et honestum, alterum fugiendum et inhonestum. Nam in tertia conjugatione hoc, quod est, *amicis benefacere,* est honestum et eligendum; hoc quod est, *amicis malefacere,* est inhonestum ac fugiendum. Idem dic de tribus aliis conjugationibus.

3. Tertium, quod Aristoteles præmittit atque ex dictis infert, est, quod eidem plura possunt esse contraria. Patet : nam huic, quod est, *amicis benefacere,* non solum contrarium est hoc, quod est, *amicis malefacere,* sed etiam hoc, quod est, *inimicis benefacere.*

4. *Vigesimus secundus igitur locus* est : quandoquidem plura possunt esse eidem contraria, assumendum est illud, quod videbitur utile ad probandum propositum; ex. gr., si probandum sit, quod bonum sit amicis benefacere, possumus ex contrariis sic argumentari : ex iis, quæ opponuntur per excessum et defectum, alterum est bonum, alterum est malum; sed *amicis malefacere* est malum; ergo *amicis benefacere* est bonum.

5. Præterea si quid contrarium sit accidenti, considerandum est, an insit ei cui accidens inesse dictum est. Si enim hoc insit, illud non potest inesse, quoniam fieri nequit, ut contraria simul eidem subjecto insint.

6. Aut an tale quidpiam dictum sit de aliquo, quod si sit, necesse sit contraria in eodem subjecto inesse. Ut si quis ideas in nobis esse dixerit ; eas enim moveri et quiescere accidet, itemque sensibiles et intelligibiles esse. Videntur enim ideæ quiescere et immobiles et intelligibiles esse, ut placet iis qui ideas esse ponunt ; si vero in nobis sint, immobiles esse nequeunt, quia cum nos movemur, necesse est ut et quæ in nobis sunt omnia simul moveantur. Constat etiam eas esse sensibiles, si quidem in nobis sint, quia per oculorum sensum formam, quæ in quaque re est, cognoscimus.

7. Rursus si positum est accidens, cui sit aliquid contrarium, considerare oportet, an contrarii quoque sit susceptivum, quod est accidentis susceptivum; idem enim contrariorum est susceptivum. Veluti si odium iræ consequens esse dixerit, certe odium erit in parte animæ irascibili, quoniam ibi est ira. Videndum igitur est, an et contrarium sit in irascibili, nempe amicitia. Si enim amicitia non sit in irascibili, sed in concupiscibili, non potest odium iræ consequens esse. Similis ratio est, si partem animæ concupiscibilem ignorare dixerit ; nam erit apta ad suscipiendam scientiam, siquidem apta est ad suscipiendam ignorantiam. Quod quidem non videtur verum esse, nempe concupiscibilem animæ partem esse aptam ad suscipiendam scientiam. Qui igitur refellit, hoc loco, quemadmodum dictum est , uti debet. Confirmanti autem, ad probandum inesse accidens, non est utilis hic locus, sed ad probandum posse inesse utilis est. Cum enim probaverimus, non esse susceptivum contrarii, probatum erit neque inesse accidens neque posse inesse. At si probabimus contrarium inesse vel contrarii susceptivum esse, nondum probatum erit etiam accidens inesse, sed posse inesse tantummodo probatum erit.

5. *Vigesimus tertius locus* est : si positum sit aliquod accidens inesse subjecto, considerandum est, utrum tale accidens habeat contrarium, et utrum contrarium insit eidem subjecto. Cum enim impossi-

bile sit, contraria eidem inesse, si subjecto inest unum contrarium, impossibile est aliud inesse. Ex. gr., si quis dixerit aliquando injustitiam esse utilem injusto, possumus sic argumentari : impossibile est aliquid eidem esse simul utile et perniciosum; sed injustitia cum sit quædam ægritudo est perniciosa subjecto; ergo injustitia non est utilis subjecto.

6. *Vigesimus quartus locus* est : considerandum est, utrum ex positione adversarii sequatur eidem inesse contraria. Ex. gr., ad destruendam positionem Platonis, quod dentur ideæ, possumus arguere ex eo quod sequitur ideas simul moveri et quiescere atque esse immobiles; sub sensum cadere ac solo intellectu percipi. Quod quiescant, sint immobiles ac solo intellectu percipiantur, admittitur a Platonicis; quod moveantur, probatur, quia cum nos movemur, nobiscum moventur omnia, quæ sunt in nobis ; sed ideæ sunt in nobis; ergo, etc. Quod sensu percipiantur, probatur, quia per visum, quo aliquid videmus, percipimus formam ipsius, saltem per accidens; sed ideæ sunt formæ sensibilium; ergo per sensum visus percipimus ideas.

7. *Vigesimus quintus locus* est : si quis attribuerit alicui subjecto aliquod accidens habens contrarium, considerandum est, utrum tale subjectum sit susceptivum contrarii. Cum enim idem sit contrariorum susceptivum, si ostendatur, quod tale subjectum non est susceptivum contrarii, sequitur, quod neque sit susceptivum accidentis. Ex. gr., si quis dixerit, odium sequi iram, ita ut odium sit passio ejus animæ partis, cujus passio est ira, sequitur, quod sicut ira est passio irascibilis, sic odium sit passio irascibilis, adeoque irascibilis sit subjectum odii; sed amor est passio contraria odio, idem autem est subjectum susceptivum contrariorum; ergo sequitur, quod etiam amor sit passio irascibilis; sed amor non est passio irascibilis, sed concupiscibilis; ergo neque odium est passio irascibilis, adeoque male irascibilis fuit assignata ut subjectum odii. Similiter si quis dixerit, ignorantiam pravæ dispositionis esse in appetitiva animæ parte, sequitur, quod etiam scientia sit in appetitiva animæ parte; sed scientia non est in parte appetitiva, sed in intellectiva; ergo, etc. Addit Aristoteles, quod ex eo, quod subjectum non est susceptivum unius contrarii, ostenditur, quod aliud contrarium nec inest nec potest inesse tali subjecto; at ex eo, quod subjectum est susceptivum unius contrarii, non arguitur, quod aliud contrarium inest tali subjecto, sed solum arguitur, quod potest inesse. Ex. gr., ex eo, quod concupiscibilis sit susceptiva amoris, non sequitur, quod illi insit odium, sed solum quod potest inesse. Advertunt etiam interpretes, hunc locum valere solum de contrariis, quorum neutrum est connaturale subjecto. Si enim alterum contrariorum sit connaturale subjecto, non valet : *subjectum non est susceptivum unius contrarii; ergo nec alterum ipsi inest;* ex. gr., non valet : *nix non est susceptiva nigredinis; ergo nec albedo inest nivi.*

8. [8]. Quoniam autem oppositiones quatuor sunt, considerandum est, an argumentum duci possit ex contradictionibus inversa consecutione et in refellendo et in confirmando. Accipere autem hoc oportet per inductionem, veluti si homo est animal, quod non est animal, non est homo. Similiterque in aliis res se habet. Hic enim inversa est consecutio, quoniam homini animal est consequens, non homini autem non est consequens non animal, sed converso ordine non animali consequens est non homo.

9. In omnibus igitur ejusmodi axiomate utendum est; veluti si honestum est jucundum, etiam non jucundum non est honestum; quodsi hoc non est, ne illud quidem erit. Similiterque si non jucundum non est honestum, honestum est jucundum. Patet igitur ad ambo valere consecutionem quæ in contradictione fit, ordine commutato.

8. Ut proponatur *vigesimus sextus locus,* præmittendum est, quid sit consequentia e converso in contradictoriis. Consequentia e converso consistit in hoc, ut ex contradictorio prædicati inferatur contradictorium subjecti. Constat autem inductione hanc consequentiam esse infallibilem, ita ut quandocumque aliquod prædicatum vere affirmatur de subjecto, de contradictorio prædicati vere negetur subjectum, ac de illo vere affirmetur contradictorium subjecti; ex. gr., valet : *homo est animal; ergo quod non est animal non est homo;* valet rursus : *bonum est suave; ergo quod non est suave, non est bonum.* At ex contradictorio subjecti non valet consequentia ad contradictorium prædicati, nisi in convertibilibus; ex. gr., non valet : *homo est animal; ergo quod non est homo, non est animal,* siquidem equus non est homo, et tamen est animal. Porro hæc regula fere coincidit cum illa alia regula, quod ex contradictorio seu ex de-

structione consequentis sequatur contradictorium seu destructio antecedentis, non autem ex destructione antecedentis sequatur destructio consequentis.

9. Hoc præmisso, ex contradictorie oppositis habemus locum vigesimum sextum ad construendum vel destruendum problema. Ex. gr., si quis ponat, quod omne bonum est suave, possumus sic argumentari : si omne bonum esset suave, omne, quod non est suave, nec esset bonum ; sed hoc est falsum, si quidem multa, quæ non sunt suavia, adhuc sunt bona et eligenda; ergo, etc. Ad idem problema construendum, possumus sic arguere : omne, quod non est suave, non est bonum; ergo omne, quod est bonum, est suave.

10. In contrariis autem tam evertenti quam adstruenti considerandum est, an contrarium contrario sit consequens vel directo vel ordine inverso. Accipere autem et hæc oportet per inductionem, quatenus utile est. Directo fit consecutio, ut fortitudini et ignaviæ ; illi enim virtus consequens est, huic vero vitium; et illi quidem consequens est, eligendum, huic vero fugiendum. Directa igitur est et horum consecutio, quoniam eligendum est contrarium fugiendo. Similiterque fit in ceteris. Inverso autem ordine fit consecutio, ut bonæ corporis habitudini sanitas consequens est, malæ autem habitudini morbus non est consequens, sed morbo mala habitudo. Patet igitur mutato ordine in his fieri consecutionem. Raro autem hæc ordinis commutatio in contrariis accidit, sed in plurimis directa est consecutio.

11. Quod si, nec directo contrarium contrario consequens sit nec ordine inverso, manifestum est in iis quidem quæ dicta sunt, alterum alteri consequens esse. Si vero in contrariis, etiam in iis quæ dicta sunt, necesse est alterum alteri consequens esse.

10. Ut proponat vigesimum septimum locum ex contrariis, præmittit Aristoteles quamdam regulam, quæ est : si ad unum contrarium sequitur unum contrarium, ad aliud contrarium sequitur aliud contrarium, vel eodem ordine vel ordine commutato. Patet inductione, quia enim fortitudo et timiditas sunt contraria, ad fortitudinem autem sequitur, ut sit virtus, ad timiditatem sequetur, ut sit vitium, quod est contrarium virtuti. Aliquando tamen contraria sequuntur non eodem ordine, sed ordine commutato. Ex. gr., bona habitudo et mala habitudo sunt contraria; ad bonam habitudinem sequitur sanitas; qui enim habet bonam habitudinem est sanus; ad malam habitudinem non sequitur ægrotatio; multi enim licet habeant malam habitudinem, adhuc non ægrotant, sed e converso ad ægritudinem sequitur mala habitudo; qui enim ægrotat, malam habet habitudinem; ergo licet bona et mala habitudo sint contraria, adhuc ad illa non sequuntur sanitas et ægritudo eodem ordine, sed ordine commutato, ut explicatum est. Addit Aristoteles plerumque contraria sequi eodem ordine. Ut autem regula procedat, debet intelligi, cum unum contrarium sequitur ex altero tantum, non autem ex utroque. Ideo licet timiditas et audacia sint contraria, et ex timiditate sequatur, quod sit vitium, non tamen ex audacia sequitur, quod sit virtus, quia vitium sequitur ex utroque contrario.

11. Hoc posito, *vigesimus septimus locus* ad problema construendum ac destruendum est : si ad unum contrarium non sequitur contrarium, neque eodem ordine neque ordine commutato, neque ad alterum contrarium sequitur aliud, et sic evertitur problema ponens, quod ad unum contrarium sequatur alterum; si vero ad unum contrarium sequitur contrarium, etiam ad aliud sequetur, et sic construitur problema.

12. Ut autem in contrariis, sic in privationibus et habitibus considerandum est, præterquam quod in privationibus non est ordinis inversio, sed necesse est ut directo semper consecutio fiat. Quemadmodum aspectum sensus, cæcitatem privatio sensus sequitur. Sensus enim opponitur privationi sensus, ut habitus et privatio ; alterum enim eorum habitus, alterum privatio est.

13. Ut autem habitu et privatione, sic etiam relatis utendum est; directa enim est etiam horum consecutio. Veluti si triplum est multiplex, etiam subtriplum est submultiplex ; refertur enim triplum ad subtriplum et multiplex ad submultiplex. Rursus si scientia est existimatio, etiam scibile est existimabile, et si visio est sensus, etiam visibile est sensibile. Objectio proponi potest, non necesse esse ut in relatis consecutio fiat, sicut dictum est, quia sensile est scibile, sensus autem non est scientia. Non tamen hæc objectio videtur vera esse ; multi enim negant sensibilium scientiam esse. Præterea ad contrarium probandum non minus utile est quod dixi; veluti sensibile non esse scibile, quia nec sensus est scientia.

12. Ut proponat locum vigesimum octavum ex privativis, præmittit Aristoteles quamdam regulam de privativis, quæ est : si duo opponuntur ut habitus et

privatio, si ad habitum sequitur habitus, ad privationem sequitur privatio et semper eodem ordine, non autem diverso. Ex. gr., visus et cæcitas opponuntur ut habitus et privatio; visus autem est sensus; ergo cæcitas est quædam insensibilitas seu quædam privatio sensus. *Locus* igitur *vigesimus octavus* est, ut ex eo quod ex uno opposito privative sequatur unum ex oppositis privative, inferamus, quod ex altero sequitur alterum, et sic construamus problema ; ex eo autem, quod ex uno privative opposito non sequatur unum privative oppositum, inferamus, quod neque ex altero sequitur alterum, et sic destruamus problema.

13. Proportionalis est regula et proportionalis locus de oppositis relative. Si enim de uno oppositorum relative dicitur unum ex oppositis relative, de altero dicetur alterum. Ex. gr., duplum et subduplum opponuntur relative; sed duplum est multiplex: ergo subduplum est submultiplex. Rursus scientia et scibile opponuntur relative, ac similiter relative opponuntur opinio et opinabile; ergo si scientia est opinio, scibile est opinabile; opponuntur etiam relative visus et visibile, sensus, et sensibile; ergo si visus est sensus visibile est sensibile. Possumus hoc eodem loco uti ad destruendum. Valet enim : sensus non est scientia; ergo sensibile non est scibile. Hinc vero solvitur instantia, qua probatur hanc regulam in relativis non semper valere. Non enim valet : sensibile est scibile; ergo sensus est scientia; negandum est enim antecedens, cum sensibile non sit scibile, saltem formaliter.

14. [9]. Item consideranda sunt conjugata et casus et evertendo et adstruendo. Dicuntur autem conjugata, quæ sunt ejusmodi ut justa et justus cum justitia, et fortia et fortis cum fortitudine. Similiter etiam quæ vim habent efficiendi vel conservandi, conjugata eorum sunt quorum sunt conservantia vel efficientia, ut sanitatis salubria, et firmæ corporis constitutionis ea, quæ firmam corporis constitutionem efficiunt vel conservant, eodemque modo in cæteris se res habet, Conjugata igitur dici solent, quæ ejusmodi sunt, casus autem ut juste et fortiter et salubriter et apte ad firmam corporis constitutionem, et quæcuuque hoc modo dicuntur. Videntur autem et quæ secundum casus dicuntur esse conjugata, ut juste cum justitia et fortiter cum fortitudine. Conjugata autem dicuntur omnia, quæ sunt in eadem conjugatione seu classe, ut justitia, justus, justum, juste.

15. Patet igitur, si quid eorum quæ sunt in eadem classe probatum fuerit bonum esse aut laudabile, etiam reliqua omnia probata fore. Veluti si justitia sit in numero rerum laudabilium, etiam justus et justum et juste erit in eodem rerum laudabilium numero. Dicetur autem quod est juste, esse etiam laudabiliter eodem casu ; dicitur enim laudabiliter a laudabili ut juste a justitia.

14. Ut proponat Aristoteles locum vigesimum nonum ex conjugatis ac casibus, præmittit, quid sint conjugata et casus. Conjugata sunt nomina, quæ dicuntur ab eodem, eo pacto quo a justitia dicuntur justus, justum, etc., a fortitudine dicuntur fortis, forte, etc. Conjugata etiam sunt, quæ dicuntur ab aliquo, ut illius effectiva, vel conservativa; ex. gr., sanativum est conjugatum a sanitate; habituativum est conjugatum a bona habitudine. Casus sunt, qui dicuntur ab aliquo, eo pacto, quo juste dicitur a justitia, fortiter a fortitudine, sanative a sanitate. Conjugata igitur stricte sumpta sunt nomina et significant res; casus stricte sumpti sunt adverbia et significant modos actionum. Latius tamen sumendo nomen conjugati, etiam casus sunt conjugata, adeoque id, a quo aliqua dicuntur, et omnia, quæ ab eo dicuntur, sunt inter se conjugata ; ex. gr., juste, justus, justum, etc., sunt conjugata, tum inter se, tum cum justitia, etc.

15. *Locus* igitur *vigesimus nonus* est, ut ex uno eorum, quæ ex eadem sunt conjugatione, arguamus ad reliqua, dicendo ex. gr., justitia est laudabilis; ergo quod juste fit, laudabiliter fit; qui justus est, laudabilis est.

16. Considerare autem oportet non solum in eo quod dictum est, sed etiam in contrario contrarium. Veluti bonum non esse necessario jucundum, quia nec malum necessario est molestum; aut si hoc, etiam illud. Et si justitia sit scientia, etiam injustitiam esse ignorantiam. Et si quod fit juste, fit scienter et perite, id quod fit injuste, fieri inscite et imperite; aut si haec non ita fiunt, ne illa quidem, ut in eo quod modo dictum est. Potius enim videtur quod injuste fit, perite fieri quam imperite. Hic autem locus antea dictus fuit in contrariorum consecutionibus; nihil enim aliud in præsenstia constituimus quam contrario contrarium consequens esse.

17. Præterea ducenda sunt argumenta ab ortu et interitu et iis quæ faciendi vel corrumpendi vim habent, sive quis refellat sive confirmet. Quorum enim ortus sunt in numero bonorum, etiam ipsa sunt bona ; et si ipsa sunt bona, etiam ortus in bonis numerantur ; at si ortus in maloum numero sunt, ipsa quoque sunt in malorum numero. In corruptionibus autem e con-

trario arguendum est; nam si corruptiones sunt in numero bonorum, ipsa sunt in numero malorum; si vero corruptiones sunt in numero malorum, ipsa sunt in numero bonorum. Eadem ratio est et in iis quæ efficiendi vel corrumpendi vim habent; quorum enim efficientia sunt bona, etiam ipsa sunt in bonis; et quorum corruptiva sunt bona, ipsa sunt in malorum numero.

16. *Trigesimus locus*, qui est veluti ampliatio præcedentis, est, ut quia, ut dictum est loco vigesimo septimo, quando uni contrario inest aliud contrarium, etiam alteri inest alterum, vel eodem ordine vel ordine commutato, consideremus etiam conjugata contrarii, ex iisque argumentemur, dicendo ex. gr.: non omne malum est triste; ergo non omne bonum est suave; si justitia esset scientia, injustitia esset ignorantia; sed injustitia non est ignorantia, alioquin, quod injuste fit, ignoranter fieret, quod est falsum, quia ille est præcipue injustus, qui scienter facit injuriam; ergo neque justitia est scientia.

17. *Trigesimus primus locus* est ex generationibus et corruptionibus, ex effectivis et corruptivis. Est autem hic locus utilis ad construendum et destruendum. Ex generationibus quidem possumus argumentari; quia enim ea, quorum bona est generatio, etiam ipsa sunt bona, ea quorum mala est generatio, etiam ipsa sunt mala; ex eo, quod bona sit alicujus generatio, possumus probare, quod ipsum sit bonum, et sic problema construere; ex eo, quod generatio non sit bona, possumus probare, quod nec ipsum sit bonum, et sic problema destruere. Eodem pacto possumus argumentari ex effectivis. Nam ea, quorum effectiva sunt bona, etiam ipsa sunt bona, ea, quorum effectiva non sunt bona, nec ipsa sunt bona. Opposito modo arguendum est ex corruptione et ex corruptivis. Nam ea, quorum corruptio et quorum corruptiva sunt mala, ipsa sunt bona; ea, quorum corruptio et quorum corruptiva sunt bona, ipsa sunt mala. Ex eo igitur, quod aliquorum corruptio sit mala, possumus arguere, quod ipsa sunt bona, et sic problema construere: ex eo, quod aliquorum corruptio non sit mala, possumus arguere, quod ipsa non sint bona, et sic problema destruere.

CAPUT IV

DE SEX ALIIS LOCIS EX SIMILIS ET APPOSITIONE; MAGIS ET MINUS; SIMPLICITER ET SECUNDUM QUID.

1. [10] Item in similibus videndum est, an similiter se habeant, veluti si scientia una est multarum rerum, etiam una est opinio; et si visum habere est videre, etiam auditum habere est audire. Similis est et ceterorum ratio, tam quæ sunt, quam quæ esse videntur. Utilis autem est hic locus in utramque partem; nam si in simili quopiam ita res habet, etiam in aliis similibus ita habet; si vero in aliquo simili non ita, nec in ceteris similibus.

2. Considerare etiam oportet, an in uno et in multis similiter res se habeat, quoniam interdum discrepat. Veluti si scire est cogitare, etiam multa scire est multa cogitare. Hoc autem non est verum; multa enim sciri possunt, non item cogitari. Si igitur hoc non est, ne illud quidem est, quod in uno dictum fuit, nempe scire esse cogitare.

1. *Trigesimus secundus locus* a simili est: quæ similia sunt, eodem pacto se habent. Ex hoc loco possumus sic argumentari: ita se habet opinio ad opinabile, sicut scientia ad scibile; sed una scientia potest esse multorum scibilium; ergo una opinio potest esse multorum opinabilium. Rursus sicut se habet visio ad videre, ita se habet auditio ad audire; sed habere visionem est videre; ergo habere auditionem est audire. Idem dic de reliquis. Neque vero solum argumentum potest sumi ab iis, quæ vere sunt similia et eodem pacto se habent, sed etiam ex iis, quæ videntur similia et videntur eodem pacto se habere. Sicut enim a vere similibus, sumitur argumentum verum, sic ab iis, quæ videntur similia, sumitur argumentum probabile ac dialecticum. Hic autem locus valet non solum ad construendum, sed etiam ad destruendum. Ex. gr., valet: sicut se habet sensus ad sensibile, sic se habet scientia ad scibile; sed ablato sensibili, non potest remanere sensus; ergo ablato scibili, non potest remanere scientia, et universim quod non valet de uno simili, neque valet de alio simili.

2. *Trigesimus tertius locus* pariter a simili est: si similia eodem pacto se habent ad unum, etiam eodem pacto se habent ad multa, vel si non eodem pacto se habent ad multa, neque eodem pacto se habent ad unum. Ex. gr., si scire est co-

gitare, plura scire est plura cogitare; sed non possumus plura simul cogitare, licet possimus plura simul scire; ergo scire non est cogitare.

3. Præterea sumenda sunt argumenta ex eo quod est magis vel minus. Sunt autem ejus, quod magis vel minus est, loci quatuor. Unus est, si quod magis est, consequens est ei quod magis est. veluti si voluptas est bonum, etiam magis voluptas est magis bonum; et si iniuriam facere est malum, etiam magis injuriam facere est magis malum. Utilis autem in utramque partem est hic locus: nam si subjecti intentioni consequens sit accidentis intentio, sicut dictum est, manifestum est accidere, si vero consequens non sit, non accidere. Hoc autem inductione sumendum est.

4. Alius locus. Cum unum de duobus dicatur, si cui magis verisimile est inesse non inest, ne illi quidem cui minus; et si cui minus verisimile est inesse inest, etiam ei cui magis.

5. Item cum duo de uno dicuntur, si quod magis videtur inesse non inest, ne id quidem quod minus; sin quod minus videtur inesse inest, etiam id quod magis.

6. Præterea cum duo de duobus dicantur, si quod alteri magis videtur inesse non inest, ne reliquum quidem reliquo inerit; si vero quod minus videtur alteri inesse inest, etiam reliquum reliquo inerit.

3. Sequuntur quatuor loci a magis et minus. *Trigesimus quartus* igitur *locus* est: si ex tali sequitur tale, ex magis tali sequitur magis tale; ex. gr., si ex voluptate sequitur bonum, ex eo, quod voluptas sit major, sequitur, ut sit majus bonum. Est autem hic locus utilis tum ad construendum tum ad destruendum. Ex. gr., possumus sic ostendere, quod ad voluptatem sequatur bonum: si ad voluptatem non sequeretur bonum, esset impossibile, ut semper major voluptas esset majus bonum; sed major voluptas semper est majus bonum; ergo, etc. Rursus possumus idem problema sic destruere: si ad voluptatem sequeretur bonum, semper major voluptas esset majus bonum; sed non semper major voluptas est majus bonum; ergo, etc.

4. *Trigesimus quintus locus* est: si accidens non inest illi, cui magis videtur inesse, nec inest illi, cui minus videtur inesse; et si inest illi, cui minus videtur inesse, inest etiam illi, cui magis videtur inesse. Ex. gr., felicitas magis videtur consistere in voluptate, quæ est finis, quam in divitiis, quæ sunt media; sed non consistit in voluptate; ergo multo minus consistit in divitiis. Rursus improbus, cum prospera fortuna utitur, videtur minus miser, quam cum non utitur prospera fortuna; sed improbus, cum utitur prospera fortuna, est miser: ergo multo magis est miser, cum non utitur prospera fortuna.

5. *Trigesimus sextus locus* est: cum subjecto non inest id. quod magis videtur inesse, nec inest id, quod minus videtur inesse; et e converso, si quod minus videtur inesse, inest, multo magis inest, quod magis videtur inesse. Ex. gr., audax videtur magis esse fortis quam esse prudens; sed audax non est fortis; ergo neque est prudens. Rursus studium Grammaticæ videtur esse magis utile quam jucundum; sed est jucundum; ergo multo magis est utile.

6. *Trigesimus septimus locus* est: quando duo dicuntur de duobus, si, quod minus videtur inesse, inest, etiam quod magis videtur inesse, inest. Ex. gr., magis videtur, quod pauper sit miser, quam quod dives sit felix; sed pauper non est miser; ergo dives non est felix. Rursus minus videtur peccare contra liberalitatem qui dat plus, quam oportet, quam qui dat minus; sed qui dat plus, peccat; ergo etiam qui dat minus peccat.

7. Præterea ducendum est argumentum ex eo quod similiter inest aut videtur inesse, tribus modis, quemadmodum dicebatur in eo quod magis est seu videtur esse, in postremis scilicet tribus modis expositis. Cum enim unum quidpiam duobus similiter inest aut videtur inesse, si alteri non insit, ne alteri quidem inerit; quod si alteri insit, etiam reliquo inerit.

8. Cumque duo eidem similiter insunt aut videntur inesse, si alterum non insit, ne reliquum quidem inerit. At si alterum, etiam reliquum.

9. Eodem modo arguendum est etsi, duo duobus similiter insint; si enim alterum alteri non insit, ne reliquum quidem reliquo inerit; si vero insint alterum alteri, inerit etiam reliquum reliquo. Ex eo igitur quod magis vel minus vel similiter est aut esse videntur, tot modis licet argumentari.

7. Ex simili sunt tria alia loca proportionalia. *Trigesimus octavus* igitur locus est: quando unum accidens videtur similiter inesse duobus subjectis, si inest uni, etiam alteri inest; et si uni non inest, nec alteri. Ex. gr., similiter obtemperandum est parentibus ac legibus; sed legibus est obtemperandum; ergo etiam parentibus. Rursus similiter videtur felicitas consistere in honoribus ac in divitiis; sed non

consistit in honoribus; ergo neque in diviliis.

8. *Trigesimus nonus locus* est : quando duo accidentia videntur similiter inesse eidem subjecto, si unum non inest, nec alterum inest; et si unum inest, etiam alterum inest. Ex. gr., similiter spectat ad virtutem, non attolli in secundis ac non deprimi in adversis; sed ad virtutem spectat, non deprimi in adversis; ergo ad virtutem spectat etiam, non attolli in secundis. Rursus fortis sicut confidit, quando oportet, sic timet, quando oportet; sed audax non timet, quando oportet; ergo audax nec confidit, quando oportet.

9. *Quadragesimus locus* est : quando duo accidentia similiter videntur inesse duobus subjectis, si unum uni non inest, nec alterum inest alteri; et si unum inest uni, etiam alterum inest alteri. Ex. gr., similiter virtus est prosequenda ac vitium est fugiendum; sed virtus est prosequenda; ergo vitium est fugiendum. Rursus similiter videtur dives esse felix ac pauper esse infelix; sed pauper non est infelix; ergo neque dives est felix.

10. [11] Præterea sumpto arguemnto ab adjectione. Si alterum alteri adjectum, faciat bonum, aut album esse, cum antea non esset album aut bonum, certe quod est adjectum, erit album aut bonum, quale etiam totum fecit.

11. Præterea si ad id quod tale est, aliquid adjectum magis tale faciat quam ante erat, id quoque quod est adjectum tale erit. Similiter etiam in cæteris se res habet.

12. Non est autem in omnibus rebus utilis hic locus, sed in iis tantum quæ intentionem suscipiunt. Hic vero locus non convertitur, ut valeat etiam ad refellendum. Nam si quod est adjectum, non facit bonum nondum constat an ipsum non sit bonum, quia bonum, malo adjectum non facit necessario, ut totum sit bonum, nec album nigro adjectum necessario facit, ut totum sit album, nec dulce amaro adjectum facit, ut totum sit dulce.

13. Rursus si quid magis et minus dicitur, etiam simpliciter est. Quod enim non est bonum aut album non dicetur magis vel minus bonum aut album; quod enim malum est, nulla re magis vel minus bonum, sed magis vel minus malum dicetur. Sed neque hic locus convertitur, ut valeat ad refellendum. Multa enim, quæ non dicuntur magis esse, simpliciter sunt; nam homo non dicitur magis et minus, non tamen propterea non est homo.

10. Sequuntur duo loca ex appositione. *Quadragesimus* igitur *primus locus* est : quod additum alteri efficit illud tale, cum non esset tale, etiam ipsum est tale; ex. gr., quod additum alteri, quod non erat album neque bonum, efficit illud album vel bonum, etiam ipsum est album aut bonum. Ex hoc loco probat Plato animam vivere. Quod enim additum non viventi facit illud vivens, est vivens; sed anima addita corpori non viventi, efficit illud vivens; ergo anima est vivens.

11. *Quadragesimus secundus locus* est : quod additum alteri, quod erat tale, efficit illud magis tale, etiam illud est tale; ex. gr., quod additum albo facit illud magis album, etiam ipsum est album; et quod additum bono facit illud magis bonum, etiam ipsum est bonum.

12. Duo Aristoteles advertit spectantia ad hos locos. Primum est, quod hic locus quadragesimus secundus non valet in omnibus prædicamentis, sed solum in qualibus, quæ possunt fieri magis talia. Secundum est, quod locus quadragesimus primus ex appositione valet solum ad construendum, non autem ad destruendum. Licet enim id, quod additum non tali, efficit tale, sit tale, non tamen id, quod additum non tali, non efficit illud tale, non est tale. Bonum enim additum malo non efficit illud bonum; album additum nigro non facit illud album; et tamen neque sequitur, quod bonum non sit bonum, neque quod album non sit album.

13. *Quadragesimus tertius locus* est : quod est magis aut minus tale, etiam simpliciter est tale; ex. gr., quod est magis aut minus album, simpliciter est album. Ratio est, quia quod non est album, non est magis aut minus album; quod non est bonum, non est magis aut minus bonum. Malum enim, licet possit esse magis aut minus malum, adhuc non potest esse magis aut minus bonum. Non tamen hic locus valet ad destruendum. Neque enim sicut quod est magis aut minus tale, simpliciter est tale, sic quod non est magis aut minus tale, simpliciter non est tale. Multa enim, quæ non suscipiunt magis ac minus, adhuc sunt talia; ex. gr., licet homo non dicatur magis aut minus homo, adhuc est homo.

14. Eodem modo considerandum est in eo quod est quadam ex parte aut aliquando aut alicubi; nam si quadamtenus accidit, etiam simpliciter accidit. Similiterque quod aliquando aut alicubi est, etiam simpliciter est. Quod enim simpliciter est imposibile, nec ex parte nec alicubi nec aliquando accidit.

15. Objectio est, quia quadamtenus sunt natura probi, ut liberales aut temperati, simpli-

citer autem non sunt natura probi, quippe cum nemo sit natura prudens. Similiter aliquando potest aliquid corruptibile non corrumpi, simpliciter autem non potest non corrumpi. Eodem modo etiam alicubi prodest tali victus ratione uti, ut in locis insalubribus; simpliciter autem non prodest. Insuper ut alicubi unus tantum sit fieri potest, simpliciter autem fieri nequit, ut unus tantum sit. Eodem modo etiam alicubi honestum est patrem immolare, ut apud Triballos, simpliciter vero non est honestum. An hoc non alicubi significat, sed quibusdam? Nihil enim refert ubi sint, quoniam ubique id eis erit honestum, cum sint Triballi. Rursum aliquando prodest sumptio pharmaci, ut cum quis ægrotat, simpliciter autem non prodest. Anne hoc quidem significat aliquando. sed ei qui certo modo affectus est ? Nihil enim refert quando id fiat, si modo ita sit affectus.

16. Id autem simpliciter est, quod nulla re adjecta recte dices esse honestum vel contrarium. Ut patrem immolare non dices honestum esse, sed quibusdam honestum esse; non est igitur simpliciter honestum. At deos colere dices honestum esse nulla re adjecta ; simpliciter enim honestum est. Quare quodcunque nulla re adjecta videtur esse honestum vel turpe vel aliud quidpiam tale, simpliciter dicetur esse tale.

14. *Quadragesimus quartus locus* solum probabilis est : sicut quod est magis tale, est tale simpliciter. sic quod est tale secundum quid. puta in aliquo tempore vel loco, est tale simpliciter. Ex. gr., si Hippocentaurus est in aliquo loco vel tempore, simpliciter est; si vero non est in ullo loco vel tempore, simpliciter non est; cum repugnet ut id, quod est, non sit in ullo loco vel tempore.

15. Contra hunc locum opponit Aristoteles aliquas instantias. Nam aliqui naturaliter sunt virtuosi *secundum quid*, puta liberales, et tamen non sunt virtuosi simpliciter, quandoquidem nemo naturaliter est virtuosus. Rursus contingit corruptibile aliquando non corrumpi; at non contingit corruptibile non corrumpi simpliciter; expedit alicubi uti tali regula victus, puta in locis morbosis; simpliciter non expedit uti tali regula victus. Alicubi possibile est esse unum tantum hominem; simpliciter non est possibile esse unum tantum hominem; alicubi, ut in Triballis apud Thraces, laudabile existimatur patrem sacrificare; simpliciter non existimatur laudabile patrem sacrificare. Quamquam in hac ultima instantia ly *alicubi* non significat locum, sed populos; nam apud Triballos, ubi umque fuerint, laudabile ducitur patrem sacrificare. Demum aliquando expedit sumere medicamenta, nimirum cum quis ægrotat; simpliciter non expedit sumere medicamenta. Porro etiam in hac instantia, ly *aliquando* non significat tempus, sed dispositionem. Quocumque enim tempore expedit, ut ægrotans sumat medicamenta.

16. Propositis his instantiis, docet Aristoteles, quod tum solum valet argumentum a *secundum quid* ad *simpliciter*, quando ly *secundum quid* non limitat propositionem, sed solum designat partem, vel locum, vel tempus, quo est vera. Ex. gr., valet : *videt quis per oculos ; ergo simpliciter videt*, quia ly *per oculos* non limitat propositionem, sed solum designat partem, per quam quis videt; valet rursus : *Phœnix alicubi est; ergo simpliciter est.* At quando ly *secundum quid* limitat propositionem, tum non valet consequentia ad *simpliciter*. Quia ergo dum dicitur, quod aliqui ex naturali dispositione sunt liberales *secundum quid*, limitatur propositio, ideo valet : *ergo sunt liberales simpliciter*. Similiter dum dicitur, *patrem sacrificare bonum est apud Triballos*, limitatur propositio et sensus est, quod apud Triballos honestum judicatur patrem sacrificare, ideo non valet : ergo simpliciter honestum est patrem sacrificare. Et per hæc Aristoteles concludit librum secundum Topicorum.



TOPICORUM

LIBER III

CAPUT I

DE PRIMIS NOVEMDECIM LOCIS COMPARATIONUM.

1. [1] Duorum autem pluriumve utrum seu quodnam sit optabilius et melius, ex his considerandum est. Sed illud primum definiatur, nos sermonem instituere non de iis, quæ longe inter se distant et magnam inter se differentiam habent (nemo enim dubitat utrum beatitudo, an divitiæ sint magis eligendæ), sed de iis quæ vicina sunt, ac de quibus dubitamus, utri oporteat adjungi articulum *magis*, propterea quod nihil videmus, quo alterum alteri antecellat. Patet igitur in iis probata præstantia una vel pluribus, fore ut animus assentiatur et concedat, hoc esse magis eligendum, utrumvis eorum sit quod excellat.

2. Primum igitur quod est diuturnius et constantius, magis est eligendum, quam quod est minus tale.

3. Et quod potius eligat vir prudens aut bonus, aut lex recta, aut cujusque rei studiosi, qui in ejus lectione versantur, qua tales sunt, aut ii qui in uno quoque genere scientes sunt, aut quaecumque plures omnesve eligant, ut in arte medica aut fabrili quæ plures medici vel omnes eligant, aut quæcunque omnino plures vel omnes eligant aut omnia, ut bonum ; omnia namque bonum appetunt. Oportet autem quod dictum erit, ad id ducere quod utile sit.

1. Postquam Aristoteles lib. II egit de locis accidentis absolute, lib. III agit de locis accidentis comparative ; et quia præcipua comparatio est, qua unum comparatur cum alio in ratione boni atque eligibilis, ideo præcipue tradit loca, ex quibus potest dijudicari, utrum ex duobus sit melius et eligibilius. Antequam autem tradat locos comparationum, præmittit, circa quas comparationes soleant versari problemata dialectica. Per problemata dialectica non solent comparari ea, quæ valde distant inter se, habentque manifestam differentiam, sed ea solum, quæ sunt propinqua ac de quibus dubitatur, utrum eorum alteri præemineat, eo quod non sit manifesta eorum differentia. Ex. gr., nemo vocat in quæstionem, utrum felicitas sit melior quam divitiæ, quia manifestum est felicitatem præeminere divitiis; e converso vocamus in quæstionem, utrum eligibilior sit sensus visus, an sensus auditus, quia non est manifesta differentia, propter quam alter horum sensuum præstat alteri, ideoque potest de tali præeminentia dubitari. Si igitur quando dubitatur, utrum sit eligibilius, inveniat quis unam aut plures præeminentias, propter quas unum alteri præstat, potest ex talibus præeminentiis ostendere unum esse eligibilius altero. Hoc præmisso, descendit Aristoteles ad loca singillatim tradenda.

2. *Primus locus* seu prima maxima est : quod est diuturnius ac firmius, cæteris paribus est eligibilius; ex. gr., quia bona virtutis sunt diuturniora ac firmiora bonis fortunæ, sunt etiam eligibiliora. Si tamen cætera non sint paria, ex eo præcise, quod aliquid sit diuturnius ac firmius, non sequitur, quod sit eligibilius.

3. *Secundus locus* ex auctoritata est : quod eligitur a meliori est eligibilius; et quia prudentes sunt meliores imprudentibus, probi sunt meliores improbis, recta lex est melior lege non recta, ideo quæ præferuntur a prudentibus, probis et a recta lege, sunt eligibiliora, quam quæ præferuntur ab imprudentibus, improbis

et a lege non recta. Rursus eligibilius est quod præfertur a doctis et studiosis circa singula, quatenus talibus, et quod a peritis in artibus, quatenus talibus, et quod censent eligibilius plures vel omnes periti. Ex. gr., illa medicamenta sunt eligibiliora, quæ censentur eligibiliora ab omnibus vel pluribus medicis; ille modus ædificandi est eligibilior, quem censent eligendum omnes vel plures ædificandi periti. Demum eligibilius est quod eligunt plures, vel omnes, vel omnia; ex. gr., bonum est maxime eligibile, quia bonum omnia appetunt. Ex his locis ab auctoritate illa sunt eligenda, quæ sunt utilia ad propositum: demonstrandum ex. gr., quod voluptas sit eligibilior divitiis, probandum est ex electione vulgi; plerique enim ex vulgo eligunt voluptates. Quod vero virtus sit eligibilior voluptate, probandum est ex electione proborum; probi enim virtutem præferunt voluptati. Idem dic de reliquis.

4. Est autem simpliciter melius et optabilius quod est secundum meliorem scientiam. Veluti si melior scientia est philosophica quam ars fabrilis, etiam simpliciter, ea sunt optabiliora quæ sunt secundum Philosophiam, iis quæ sunt secundum artem fabrilem. At uni alicui optabilius est quod est secundum propriam scientiam.

5. Præterea optabilius est quod est in genere, eo quod non est in genere, ut justitia homine justo. Illa enim est in genere, nempe bono, hic vero non item; et illa quidem est id quod bonum, hic vero minime. Nihil enim quod in genere non sit, dicitur esse id quod genus, ut albus homo non est id quod color; similiterque dicendum est de aliis.

6. Et quod propter se est optabile, optabilius est eo quod est optabile propter alterum, ut bene valere est optabilius quam exerceri; illud enim est optabile propter se, hoc vero propter alterum.

7. Et quod est per se, potius eligendum est quam quod est per accidens, ut amicos justos esse potius quam inimicos. Illud enim per se est optabile, hoc vero per accidens; nam inimicos justos esse per accidens optamus, ne nobis noceant. Hoc autem est idem fere ac præcedens, sed modo differt; amicos enim justos esse, propter se optamus, etsi nihil nobis futurum sit, et si apud Indos sint; inimicos autem justos esse optamus propter aliud, id est ne nobis noceant.

4. *Tertius locus* seu tertia maxima desumitur ex comparatione disciplinarum. Simpliciter est melius et eligibilius, quod est secundum meliorem disciplinam et artem, quam quod est secundum deteriorem; respectu vero uniuscujusque eligibilius est, quod est secundum disciplinam propriam. Ex. gr., quia simpliciter melior est philosophia quam ædificatoria, simpliciter melius est philosophari quam ædificare. At ædificatori melius est ædificare quam philosophari; unicuique enim melius est exercere illam artem, in qua est peritus quam aliam, in qua non est peritus.

5. *Quartus locus* est: positis duobus bonis, quorum alterum sit in genere boni, alterum non, sed dicatur bonum, quia bonum habet, quod est in genere boni est melius atque eligibilius; ex. gr., quia justitia est in genere boni honesti, justus autem non est in genere boni honesti, sed dicitur justus, in quantum habet justitiam, ideo melior est justitia quam justus. Justitia enim ita est bonum honestum, ut sit species boni honesti; justus non est species boni honesti, sed dicitur bonus, quia habet justitiam. Porro justitia dicitur melior justo, quia justus melior est propter justitiam, quam propter reliqua, quæ non sunt bona honesta.

6. *Quintus locus* est: quod est eligendum propter se et in ratione finis, est melius eo, quod est eligendum propter aliud et in ratione medii; ex. gr., sanitas, quæ est eligibilis propter se et ut finis, melior est exercitio, quod est eligibile propter sanitatem.

7. *Sextus locus* est: quod est per se eligibile, est melius eo, quod est eligibile per accidens; ex. gr., unicuique magis est eligibile, ut ejus amici sint justi, quam ut ejus inimici sint justi. Nam ut amici sint justi, est eligibile per se etiam seclusa omni nostra utilitate, ideoque debemus optare, ut amici sint justi, etiam si sint apud Indos, adeoque nihil ex ipsis sperare possimus; at ut inimici sint justi, eligendum est, ne nobis noceant. Addit Aristoteles, quod hic locus coincidit cum superiore ac differt solum modo. Nam idem est *esse eligibile propter se*, ac *esse eligibile per se*; idem est *esse eligibile propter aliud*, ac *esse eligibile per accidens*.

8. Et quod per se est causa boni, optabilius est eo quod est causa per accidens, ut virtus fortuna; illa enim per se, hæc vero per accidens est causa bonorum; et si quid aliud est ejusmodi.

9. Similiter etiam in contrario se res habet. Quod enim per se est mali causa, magis est fugiendum quam id quod est causa per accidens, ut vitium quam fortuna; illud enim per se est malum, fortuna vero per accidens.

10. Et quod est simpliciter bonum, optabilius est quam alicui bonum, ut valere quam secari; illud enim est simpliciter bonum, hoc vero alicui, qui egeat sectione.

11. Et quod natura est bonum, melius est non naturali, ut justitia viro justo; illa enim est natura bonum, hic vero adscititie.

8. *Septimus locus* est : quod est causa boni per se, eligibilius est eo, quod est causa boni per accidens; ex. gr., eligibilior est virtus quam fortuna, quia virtus est per se causa boni, fortuna est causa boni solum per accidens.

9. *Octavus locus* est : quod est causa mali per se, fugibilius est eo, quod est causa mali solum per accidens; ex. gr., vitium fugibilius est fortuna, nam vitium est causa mali per se, fortuna solum per accidens.

10. *Nonus locus* est : quod simpliciter est bonum, eligibilius est eo, quod est bonum solum relate ad subjectum sic dispositum, ex. gr., *sanum esse* eligibilius est quam incidi, quia sanitas est bona simpliciter, incisio est bona ægrotanti, qui indiget incisione venæ.

11. *Decimus locus* est : quod est bonum ex sua natura, melius est eo, quod est bonum ex eo, quod bonum acquisierit; ex. gr., justitia melior est justo, quia justitia est bona ex sua natura, at justus non est bonus ex sua natura, sed ex eo, quod justitiam acquisiverit.

12. Et quod rei meliori ac majori honore dignæ inest, magis est eligendum, ut quod inest deo, magis quam quod inest homini; et quod inest animo, magis quam quod inest corpori.

13. Et quod melioris proprium, est melius quam quod deterioris, ut dei proprium melius est quam proprium hominis. Nam ratione eorum quæ sunt ambobus communia, nihil inter se differunt; iis vero quæ propria sunt, alterum ab altero differt.

14. Et quod est in melioribus vel prioribus vel majori honore dignis, melius est, ut sanitas robore et pulchritudine. Illa enim est in humidis et siccis et frigidis et calidis, et, ut simpliciter dicam, in iis ex quibus primis animal constat; hæc vero in posterioribus. Nam robur in nervis et ossibus consistit, pulchritudo autem videtur esse membrorum symmetria quædam.

15. Et finis iis quæ ad finem diriguntur, videtur esse optabilius. Ex duobus autem id quod ad finem propius accedit.

16 Et omnino quod ad vitæ finem refertur, optabilius est eo quod ad alium quempiam finem, ut quod ad beatitatem confert, eo quod ad prudentiam; quod enim ad beatitatem confert, optabilius est.

12. *Undecimus locus* est : bona, quæ insunt meliori et honorabiliori, sunt meliora et eligibiliora; ex. gr., bona Dei sunt meliora, quam bona hominum; bona animi sunt meliora bonis corporis. Hinc probatur virtutem et sapientiam esse meliores sanitate; virtus enim et sapientia sunt bona animi, sanitas est bonum corporis.

13. *Duodecimus locus* est : bona propria rei melioris eligibiliora sunt, quam bona propria rei deterioris, ex. gr., bona propria Dei meliora sunt bonis propriis hominum. Ratio est, quia cum meliora et deteriora conveniant in communibus, differunt in propriis; sed melius differt a deteriori, eo quod propria melioris præemineant, propriis deterioris; ergo bona propria melioris eligibiliora sunt, quam bona propria deterioris.

14. *Decimus tertius locus* est : quod est in melioribus, vel prioribus, vel honorabilioribus, est eligibilius, ex. gr., sanitas est eligibilior robore et pulchritudine, quia sanitas est in primis qualitatibus, humidis nimirum ac siccis, calidis ac frigidis, ex quibus primo corpora constituuntur; at robur est in nervis et ossibus; pulchritudo consistit in quadam commensuratione membrorum, quæ sunt posteriora primis qualitatibus.

15. *Decimus quartus locus* est : finis est eligibilior iis, quæ conducunt ad finem; ex iis autem, quæ conducunt ad finem, illud est eligibilius, quod est propinquius fini; ex. gr., felicitas, quæ est ultimus finis, est melior virtute, quæ conducit ad felicitatem; ex iis autem, quæ conducunt ad felicitatem, illa sunt meliora, quæ sunt propinquiora felicitati.

16. *Decimus quintus locus* est : quæ conducunt ad finem totius vitæ, eligibiliora sunt, quam quæ conducunt ad aliquem finem particularem; ex. gr., quæ conducunt ad acquirendam felicitatem, quæ est finis totius vitæ, eligibiliora sunt, quam quæ conducunt ad comparandam quamdam prudentiam, quæ non est finis totius vitæ.

17. Et possibile impossibili.

18. Præterea cum sint duo effectiva, cujus finis est melior, ipsum quoque melius est.

19. Cum autem alterum sit effectivum, alterum finis, ex proportione judicandum est, cum pluribus partibus finis finem superat, quam is causam suam efficientem. Veluti si beatitudo pluribus partibus superat sanitatem quam sani-

tas salubre, efficitur ut quod habet vim efficiendi beatitudinem, sit melius sanitate. Quanto enim beatitudo sanitati præstat, tanto etiam quod habet vim efficiendi beatitudinem, salubri præstat. Sanitas autem salubri minus præstabat quam beatitudo sanitati. Quocirca pluribus partibus salubri præstat, quod habet vim efficiendi beatitudinem, quam sanitas salubri. Patet igitur sanitate optabilius esse, quod habet vim efficiendi beatitudinem, quippe quod eidem pluribus partibus præstat.

20. Præterea optabilius est, quod est pulchrius per se et majori honore ac laude dignum, ut amicitia est anteponenda divitiis et justitia sanitati ac viribus corporis. Illa enim sunt per se in rebus honorabilibus et laudabilibus, hæc vero non per se, sed propter aliud. Nemo enim divitias propter se honore dignas censet, sed propter aliud ; amicitiam vero per se colimus, etiamsi nihil inde ad nos perventurum sit.

17. *Decimus sextus locus* est : possibile est eligibilius impossibili; ex. gr., unicuique eligibiliora sunt illa bona, quæ potest moraliter consequi, quam illa, quæ moraliter consequi non potest.

18. *Decimus septimus locus* est : quæ sunt effectiva finis melioris, sunt meliora; ex. gr., studia et exercitia animi meliora sunt studiis atque exercitiis corporis, quia studia animi effectiva sunt bonorum animi, puta sapientiæ et virtutis; studia vero corporis effectiva sunt bonorum corporis, puta sanitatis, bonæ habitudinis, etc.

19. *Decimus octavus locus* est : sint duo fines, puta felicitas et sanitas; et sint duo ipsorum effectiva, puta salubre, quod est effectivum sanitatis, et virtus, quæ est effectiva felicitatis; — dico, quod si finis melior magis excedat finem minus bonum, quam finis deterior excedat medium effectivum ipsius, etiam medium effectivum finis melioris excedit finem minus bonum. Ex. gr., si felicitas magis excedit sanitatem, quam sanitas excedat salubre, etiam virtus, quæ est effectiva felicitatis, excedit sanitatem et est eligibilior sanitate. Probatur; nam quantum felicitas excedit sanitatem, tantum effectivum felicitatis excedit salubre; sed ex posita suppositione felicitas magis excedit sanitatem, quam sanitas salubre; ergo effectivum felicitatis magis excedit salubre, quam sanitas salubre; ergo effectivum felicitatis magis excedit salubre, quam sanitas excedat ipsum salubre, ergo effectivum felicitatis est melius sanitate, cum magis excedat idem, hoc est salubre; ex duobus vero excedentibus idem bonum, illud est melius, quod magis excedit.

20. *Decimus nonus locus* est : quod propter se est laudabilius et honorabilius, est etiam melius et eligibilius; ex. gr., amicitia est eligibilior divitiis, justitia est eligibilior sanitate et robore. Ratio est, quia amicitia est honorabilis propter se, etiam si nullum aliud bonum debeat nobis ab ea existere; at divitiæ non sunt honorabiles propter se, sed propter virtutem.

CAPUT II

DE ALIIS VIGINTIQUINQUE LOCIS

1. [2] Præterea cum duo quædam sunt valde inter se similia, nec possumus ullam excellentiam perspicere, qua alterum alteri præstet, videre oportet, an ex consequentibus intelligi possit. Cui enim consequens est majus bonum, id est magis eligendum.

2. At si consequentia mala sint, cui minus malum est consequens, id est magis eligendum. Cum enim ambo sint eligenda, nihil prohibet quominus aliquid molestum consequens sit. Bifariam autem ex consecutione consideratur; nam et prius et posterius consequitur, ut discenti ignorantia prius, scientia posterius. Melius autem plerumque est, quod posterius consequitur. Consequentium igitur utrumvis utile sit, accipi debet.

3. Præterea plura bona paucioribus anteponenda sunt aut simpliciter aut quando altera in alteris insunt, nimirum pauciora in pluribus.

4. Objectio est, sicubi alterum alterius gratia sit ; non sunt enim ambo uno optabiliora, ut sanari et sanitas sanitate, quia sanari sanitatis causa eligimus.

5. Nihil etiam vetat quominus non bona, si una cum bonis accipiantur, sint bonis anteponenda, ut beatitudo et aliud quidpiam, quod non sit bonum, justitiæ et fortitudini.

1. *Vigesimus locus* ex consequentibus est : quando duo ita sunt inter se similia, ut non possimus determinare, utrum sit eligibilius, debemus considerare, quæ consequuntur ad ipsa ; illud enim, ex quo consequitur majus bonus, est eligibilius ac melius. Ex. gr., si quis dubitet, utrum melius sit discere, an sanari, debet considerare, quæ consequuntur ad ipsa ; et quia ad discere sequitur scire, ad sanari sequitur sanitas, scire autem est melius, quam *sanum esse*, ideo discere est melius et eligibilius, quam sanari.

2. *Vigesimus primus locus* est : ex bonis id, ad quod sequitur minus malum,

est eligibilius ; ex. gr., si dubitetur, utra ex duabus disciplinis sit melior, considerandum est, ad quam sequatur minor labor et molestia ; illa enim est melior. Advertit Aristoteles quod ad aliquid sequitur tum prius, tum posterius ; ex. gr., ad *discere* sequitur ignorasse, ut quid prius, et scire, ut quid posterius ; qui enim discit, ante ignorabat, et postea scit. Plerumque autem quod sequitur posterius, est melius eo, quod sequitur prius, eo pacto, quo *scire* est melius quam ignorare. Cum igitur aliquid sequitur prius, aliquid posterius, desumendum est argumentum, vel ex eo, quod sequitur prius, vel ex eo, quod sequitur posterius, prout videbitur magis utile ad propositum concludendum.

3. *Vigesimus secundus locus* desumitur ex multitudine bonorum. Plura bona sunt eligibiliora paucioribus, seu sint plura simpliciter, ita ut contradistinguantur a paucioribus, seu sint plura, ita ut comprehendant pauciora ; ex. gr., fortitudo, justitia et temperantia sunt eligibiliores, quam fortitudo et temperantia sola, quia hæc duo comprehenduntur in aliis tribus. Similiter fortitudo, justitia et prudentia, eligibiliora sunt, quam temperantia et mansuetudo, quæ sunt pauciora bona et non comprehenduntur in illis tribus.

4. Verumtamen contra utramque partem loci sunt aliquæ instantiæ. Contra primam partem loci, quod plura bona sunt eligibiliora paucioribus, quæ comprehenduntur in pluribus est, quia licet *sanari* et sanitas sint plura bona, quam sola sanitas, adhuc non est expetibilius *esse sanum* et *sanari*, quam solum *esse sanum*. Propter hanc instantiam limitandus est locus ac dicendum, quod tum plura bona non sunt eligibiliora paucioribus, quando alterum ex pluribus est solum eligibile gratia alterius, eo pacto, quo in posito exemplo *sanari* est solum eligibile gratia sanitatis.

5. Secunda instantia contra secundam partem regulæ est : felicitas, et aliud quoddam non bonum est eligibilior, quam justitia, temperantia et fortitudo ; ergo non semper plura bona contradistincta sunt eligibiliora paucioribus. Dicendum, quod, ut regula sit vera, limitanda est, ita ut tum plura bona sint eligibiliora paucioribus, cum inter pauciora non comprehenditur aliquod maximum bonum, qualis est felicitas, quæ est summum bonum.

6. Et eadem cum voluptate magis eligenda sunt quam sine voluptate. Et eadem cum indolentia magis quam cum dolore.

7. Et unumquodque quo tempore magis valet, eo tempore est magis eligendum, ut sine molestia in senectute vivere, magis quam in juventute, quia magis in senectute valet. Secundum hæc et prudentia in senectute est magis eligenda ; nemo namque adolescentes duces eligit, propterea quod pro prudentibus non habentur. Fortitudo vero contra habet, quoniam in juventute magis necessaria est operatio secundum fortitudinem. Similis est ratio temperantiæ ; magis enim adolescentes quam senes cupiditatibus afficiuntur.

8. Et quod omni tempore vel plerisque temporibus est utile, id utilius est, ut justitia et temperantia quam fortitudo ; illæ enim semper, hæc vero aliquando utilis est.

9. Et id quod si omnes habeant, altero non egemus, magis est eligendum quam id quod si omnes habeant, indigemus reliquo, ut in justitia et fortitudine videre licet. Nam si justi omnes sint, nihil prodest fortitudo ; at si omnes sint fortes, justitia est utilis.

10. Præterea ducenda sunt argumenta ex corruptionibus et abjectionibus et generationibus et acceptionibus et contrariis. Quorum enim corruptiones sunt magis fugiendæ, ea sunt magis eligenda. Similiter etiam in abjectionibus et contrariis accidit ; cujus enim abjectio vel contrarium est magis fugiendum, id est magis eligendum. Contra fit in generationibus et acceptionibus : quorum enim generationes et acceptiones sunt magis eligendæ, ipsa sunt magis eligenda.

6. *Vigesimus tertius locus* est : eadem cum voluptate sunt eligibiliora quam sine voluptate, et eadem cum indolentia sunt eligibiliora quam sine indolentia ; ex. gr., virtus cum voluptate ac sine dolore, eligibilior est, quam eadem virtus sine voluptate et cum dolore.

7. *Vigesimus quartus locus* est : unumquodque bonum eo tempore est eligibilius, quo plus potest, eo quod major sit usus ipsius ; ex. gr., indolentia est magis eligibilis pro tempore senectutis, quam pro tempore juventutis, quia cum juvenibus innata sit hilaritas, non adeo indigent indolentia, sicut senes, quibus innata est quædam tristitia. Similiter prudentia eligibilior est pro tempore senectutis, quam pro tempore inventutis, quia cum magistratus, imperia et alia munera, quæ indigent prudentia, non soleant demandari juvenibus, qui plerumque non vigent prudentia, sed senibus, qui solent esse prudentes, major est usus prudentiæ tempore senectutis quam juventutis. E converso fortitudo et temperantia sunt

magis necessariæ, adeoque magis eligibiles pro tempore juventutis quam senectutis, quia cum labores bellici et alii similes spectent ad juvenes, juvenes magis indigent fortitudine et robore quam senes; et cum juvenes soleant concupiscentiis vehementibus concuti, magis indigent temperantia ad illas refrenandas quam senes.

8. *Vigesimus quintus locus* est : quod est semper vel sæpius utile, eligibilius est eo, quod non semper vel raro est utile; ex. gr., justitia et temperantia sunt eligibiliores fortitudine, quia justitia et temperantia semper sunt utiles, fortitudo non semper, sed solum tempore belli.

9. *Vigesimus sextus locus* est : id, quod si omnes haberemus, non indigeremus alio, est eligibilius eo, quod etiamsi omnes haberemus, adhuc indigeremus alio; ex. gr., justitia est eligibilior fortitudine, quia si omnes essemus justi, non indigeremus fortitudine, utpote qua indigemus solum ad arcendas injurias; at si omnes essemus fortes, adhuc indigeremus justitia.

10. *Vigesimus septimus locus* ex corruptionibus atque abjectionibus, ex generationibus et sumptionibus, nec non ex contrariis est : ea sunt eligibiliora, quorum corruptiones, abjectiones et contraria sunt fugibiliora; ex. gr., quia pejor est corruptio et abjectio virtutis, quam corruptio et abjectio sanitatis, et quia vitium, quod est contrarium virtuti, pejus est ægritudine, quæ est contraria sanitati; ideo virtus est eligibilior sanitate. E converso ea sunt meliora et eligibiliora, quorum generatio et assumptio est melior; ex. gr., quia melior est generatio et assumptio virtutis quam sanitatis, ideo virtus est melior sanitate.

11. Alius locus. Quod est propinquius bono, est melius et optabilius.

12. Et quod est similius bono, ut justitia similior est bono quam homo justus.

13. Et quod utroque meliori similius est, quemadmodum ajunt nonnulli Ajacem Ulysse meliorem esse, quod similior sit Achilli. Objicitur, hoc non esse verum, quia nihil prohibet Ajacem, non qua Achilles optimus est, ei similiorem esse, cum alter sit quidem bonus, non tamen similis. Considerare etiam oportet, an in iis quæ sunt magis ridicula, simile sit, quemadmodum simia est homini similis, cum equus non sit similis; non enim simia est pulchrior, licet sit homini similior.

14. Rursus cum duo sunt, si alterum meliori alterum deteriori sit similius, melius erit quod est meliori similius. Sed et adversus hoc est objectio: nihil enim prohibet, quominus alterum meliori parum simile sit, alterum vero deteriori valde simile, veluti si Ajax Achilli parum, Ulysses autem Nestori valde similis sit. Et si quod est meliori simile, quantum ad deteriora similis sit, quod autem deteriori, quantum ad meliora, quemadmodum equus asino et simia homini.

11. *Vigesimus octavus locus* est : quod est propinquius summo bono est eligibilius; ex. gr., virtus est eligibilior divitiis, quia virtus est propinquior felicitati, quæ est summum bonum.

12. *Vigesimus nonus locus*, qui vel coincidit cum præcedente vel parum ab ipso differt, est : quod est similius summo bono, est eligibilius; ex. gr., quia qui benefacit similior est Deo, quam qui accipit beneficia, ideo eligibilius est beneficia facere quam accipere.

13. *Trigesimus locus* est : quod est similius meliori est melius; ex. gr., supponendo, quod Achilles sit melior Ajace et Ulysse, quia Ajax similior est Achilli, quam Ulysses, Ajax videtur esse melior Ulysse. Debet autem hic locus intelligi, quod tum qui similior est meliori sit melior, cum est similis in eo, in quo est melior; et quia fortasse Ajax fuit similior Achilli, non in eo, in quo Achilles erat melior, sed in iracundia, ideo non sequitur, quod Ajax sit melior Ulysse. Confirmatur, quia si quid similius sit meliori in ridiculis non est melius, eo pacto, quo licet simia sit similior homini, quam equus, adhuc simia non est melior equo, quia similior est solum in ridiculis.

14. *Trigesimus primus locus* est : quod est similius meliori, est melius, quam quod est similius deteriori; ex. gr., supponendo, quod Achilles sit melior Nestore, quia Ajax similior est Achilli, quam Ulysses Nestori, sequitur, quod Ajax sit melior Ulysse. Verum contra hunc locum duplex est instantia. Prima est, quia si unum sit parum simile meliori, alterum sit multum simile minus bono, potest, quod est simile minus bono, esse melius; ex. gr., quia Ajax fuit parum similis Achilli meliori, Ulysses fuit valde similis Nestori minus bono, potuit Ulysses esse melior Ajace. Secunda instantia est : quod est simile meliori in deterioribus potest esse deterius, quam quod est simile pejori in melioribus; ex. gr., quia Ajax fuit similis Achilli in iracundia, quæ est deterior, Ulysses fuit similis Nestori in prudentia, quæ est melior, Ajax

fuit deterior Ulysse. Rursus equus est similior asino in melioribus, simia est similior homini in deterioribus, ideo equus est melior quam simia.

15. Alius locus. Quod est magis insigne, optabilius est eo, quod est minus tale.

16. Et quod est difficilius ; carior enim nobis est eorum possessio, quæ non facile acquiri possunt.

17. Et magis proprium anteponitur magis communi.

18. Et quod magis a malis segregatum est ; magis enim eligendum est id cui nulla est molestia consequens, quam id, cui est consequens.

19. Præterea si hoc simpliciter illo est melius, etiam simpliciter horum optimum est melius illorum optimo, veluti si homo est melior equo, etiam optimus homo est melior optimo equo

20. Et si optimum optimo est melius, etiam simpliciter hoc est melius, ut si optimus homo optimo equo est melior, etiam simpliciter homo est simpliciter equo melior.

21. Præterea quæ licet communicare cum amicis, sunt magis eligenda, quam ea quæ non licet.

22. Et quæ erga amicum agere malumus, hæc sunt magis eligenda, quam quæ erga quemvis, ut juste agere et bene facere magis eligenda sunt quam videri; amicis enim bene facere malumus quam videri; quibuslibet autem e contrario.

15. *Trigesimus secundus locus* est : quod est nobilius est eligibilius; et quia nobilius est servire principi quam privato, ideo est eligibilius.

16. *Trigesimus tertius locus* est : quod est difficilius est eligibilius. Quod enim difficilius obtinetur, magis amatur obtentum.

17. *Trigesimus quartus locus* est : quod est magis proprium, eligibilius est eo, quod est communius; ex. gr., quia sapientia est hominis propria, sanitas est communis belluis, sapientia est eligibilior quam sanitas.

18. *Trigesimus quintus locus* est : quæ minus afferunt molestiæ sunt eligibiliora; ex. gr., quia vita privata minus affert molestiæ, est eligibilior quam publica.

19. *Trigesimus sextus locus* est : cum genus est melius genere, optimum generis melioris est melius optimo generis deterioris; ex. gr., quia homo est melior equo, optimus homo est melior optimo equo.

20. *Trigesimus spetimus locus*, qui convertit præcedentem, est : cum optimum unius generis est melius optimo alterius generis, etiam genus est melius genere; ex. gr., quia optimus homo est melior optimo equo, etiam homo est melior equo.

21. *Trigesimus octavus locus* est : quod est amicis communicabile est melius eo, quod non est communicabile ; ex. gr., quia sapientia est communicabilis amicis, sanitas non, ideo sapientia melior est sanitate.

22. *Trigesimus nonus locus* est : quæ quis vult facere amicis, meliora sunt, quam quæ vult facere non amicis; ex. gr., quia amicis volumus benefacere, aliis volumus videri benefacientes, ideo benefacere melius est, quam videri benefacere.

23. Et quæ ex abundanti, necessariis sunt meliora, interdum autem et magis eligenda. Melius enim quam vivere, est bene vivere. Bene autem vivere est ex abundanti ; at ipsum vivere est necessarium. Interdum vero quæ sunt meliora, non sunt etiam magis eligenda. Non enim si sunt meliora, idcirco necesse est ut sint magis eligenda. Nam philosophari melius est quam quæstum facere, sed ei non est magis eligendum, qui indiget rebus necessariis. Ex abundanti vero est, cum res necesariæ suppetunt et aliæ præterea quædam honestæ parantur. Ac fere est fortasse magis eligendum, quod est necesarium, melius autem quod est ex abundanti.

24. Et quod ab alio suppeditari non potest, melius est eo quod potest etiam ab alio suppeditari, quomodo affecta est justitia ad fortitudinem.

25. Et si hoc sine illo est eligendum, illud vero sine hoc non item, ut vis sine prudentia non est eligenda, prudentia vero sine vi est eligenda.

26. Et si duorum alterum negamus, ut reliquum videatur nobis inesse, illud est optabilius, quod videri volumus inesse; utputa laboriosos nos esse negamus, ut valere ingenio videamur.

27. Præterea cujus absentiam qui moleste ferunt, minus reprehendendi sunt, id est optabilius. Et cujus absentiam qui non ægre ferunt, magis reprehendendi sunt, id item est optabilius.

23. *Quadragesimus locus* est : non necessaria sunt meliora necessariis, et aliquando eligibiliora; ex. gr., *bene vivere* non est necessarium, *vivere* est necessarium, ideoque bene vivere est melius et eligibilius, quam vivere. Aliquando tamen non necessaria, licet sint meliora, sunt minus eligibilia. Ex. gr., philosophari melius est, quam lucrari, et tamen indigenti necessariis, eligibilius est lucrari quam philosophari. Plerumque igitur necessarium est eligibilius, non necessarium est melius.

24. *Quadragesimus primus locus* est : quæ non possunt suppleri ab aliis, meliora sunt, quam quæ possunt suppleri ; ex. gr., justitia est melior fortitudine, quia si quis non sit justus, nemo potest supplere pro illo ; at si quis non sit fortis, potest alter supplere defendens illum.

25. *Quadragesimus secundus locus* est: cum duo ita se habent, ut unum sit eligendum sine altero, non e converso, illud quod est eligendum sine altero, est melius ; ex. gr., quia potestas et prudentia ita se habent, ut potestas sine prudentia non sit eligibilis, prudentia sine potestate sit eligibilis, ideo prudentia est melior potestate.

26. *Quadragesimus tertius locus* est : cum duo ita se habent, ut dissimulemus nobis inesse unum, ad hoc, ut appareat inesse alterum, hoc secundum est eligibilius; ex. gr., quia homines sæpe negant, se esse laboriosos, ut appareant ingeniosi, esse ingeniosum est melius, quam esse laboriosum.

27. *Quadragesimus quartus locus* est : bona, quorum defectus est minus vituperabilis in iis, qui moleste ferunt se illis carere, sunt eligibiliora, quam bona, quorum defectus est vituperabilior in iis, qui moleste ferunt se illis carere; ex. gr., quia qui caret virtute, minus est vituperabilis, si moleste ferat talem carentiam ; qui caret divitiis, magis est vituperabilis, si moleste ferat talem carentiam, ideo virtus est eligibilior divitiis.

CAPUT III

DE ALIIS NOVEMDECIM LOCIS.

1. [3] Præterea eorum quæ sub eadem specie continentur, quod habet propriam virtutem, eo quod non habet, optabilius est.

2. Cum autem ambo habent, id est optabilius, quod magis habet.

3. Præterea si alterum bonam efficit rem, cui adest, alterum non efficit, id quod efficit est optabilius, quemadmodum calidius est quod calefacit, eo quod non calefacit.

4. Si vero ambo efficiant, id est optabilius, quod magis efficit ; aut quod rem, quæ melior et magis præcipua est, bonam facit, veluti si alterum animam bonam efficiat, alterum corpus.

5. Præterea singula confirmanda sunt a casibus et usibus et actionibus et operibus ; atque hæc ab illis a quibus orta sunt. Nam sese mutuo consequuntur, veluti si juste est optabilius quam fortiter, etiam justitia est optabilior fortitudine ; et retro si justitia est optabilior fortitudine, etiam juste est optabilius quam fortiter. Similis est aliorum ratio.

6. Præterea si eodem alterum sit majus bonum, alterum minus, id est optabilius, quod est majus. Aut si alterum sit majori majus.

1. *Quadragesimus quintus locus* est : quod habet propriam virtutem et perfectionem, eligibilius est eo, quod non habet; est autem propria virtus et perfectio uniuscujusque aptitudo ad finem. Ex. gr., ex duobus gladiis ille, qui est aptus ad finem gladii, qui est *pugnare*, est melior et eligibilior eo, qui est ineptus ad talem finem.

2. *Quadragesimus sextus locus est :* ex duobus ejusdem speciei, quorum utrumque habeat propriam virtutem, illud est eligibilius, quod magis habet; ex. gr. ex duobus gladiis, quorum uterque est aptus ad pugnandum, ille est eligibilior, qui est magis aptus.

3. *Quadragesimus septimus locus* est : ex duobus, quorum alterum faciat bonum habentem, alterum non, illud est eligibilius, quod facit bonum. Sicut enim quod calefacit est calidius, quam quod non calefacit, ita quod facit bonum habentem est melius, quam quod non facit; et quia virtus facit bonum habentem, voluptas non facit, ideo virtus est melior voluptate.

4. *Quadragesimus octavus locus* est : ex duobus, quorum utrumque facit bonum habentem, illud est melius, quod magis facit, vel quod bonum facit subjectum melius; ex. gr. quia virtus animæ facit bonam animam, virtus corporis facit bonum corpus, ideo virtus animæ est melior, quam virtus corporis.

5. *Quadragesimus nonus locus* ex casibus, usibus, actionibus et operibus est : si quod juste fit, eligibilius est, quam quod fortiter fit, justus est eligibilior forti, et justitia est eligibilior fortitudine, et e converso, idemque dic de aliis casibus. Rursus si usus justitiæ est melior usu fortitudinis, et actio atque opus justitiæ est melius, quam actio atque opus fortitudinis, etiam justitia est melior fortitudine.

6. *Quinquagesimus locus* est : si duo ita comparantur cum tertio, ut alterum sit melius tertio, alterum minus bonum, quod est melius tertio, est magis eligendum. Potest idem clarius explicari : quod est meliore melius, etiam est melius deteriore; ex. gr., si sapientia est

melior honoribus, honores meliores sunt divitiis, multo magis sapientia est melior divitiis.

7. Sed et si duo quædam sint aliqua re optabiliora, quod magis est ea re optabilius, eo quod est minus eadem re optabilius, optabilius est.

8. Præterea cujus exsuperantia est optabilior quam alterius exsuperantia; id quoque est optabilius, ut amicitia quam divitiæ, quoniam optabilior est exsuperantia amicitiæ quam divitiarum.

9. Et quod sibi quisque mavult per se parare quam quod per alium, illud est anteponendum, ut amici divitiis.

10. Præterea ex adjunctione arguendum est, si eidem rei quidpiam adjunctum faciat, ut totum sit optabilius. Sed cavere oportet, ne proponantur ea, in quibus altero eorum quæ adjunguntur, utatur id quod commune est, aut alio aliquo modo ab eo adjuvetur, reliquo autem nec utatur nec ab eo adjuvetur. Veluti si conjungas serram et falcem cum fabrica, optabilior est serra conjunctim accepta, simpliciter autem non est optabilior.

11. Præterea si minori adjunctum quidpiam efficiat, ut totum sit majus.

12. Similiter etiam arguendum erit ex detractione. Quo enim ab eadem re ablato, quod relinquitur, est minus, illud est majus, quandoquidem ablatum efficit, ut id quod relinquitur, minus sit.

7. *Quinquagesimus primus locus* est : si duo sint eligibiliora tertio, quod magis excedit tale tertium in eligibilitate illud est melius; ex gr. tum virtus tum honor sunt eligibiliores divitiis, sed virtus magis excedit divitias quam honor, ideoque virtus est eligibilior honore.

8. *Quinquagesimus secundus locus* est : id cujus excellentia anteponitur excellentiæ alterius, etiam ipsum est anteponendum alteri; ex. gr., quia excellentia amicitiæ præponitur excellentiæ divitiarum, etiam amicitia præponenda est divitiis.

9. *Quinquagesimus tertius locus* est : ea, quorum quis mavult esse sibi causa, meliora sunt illis, quæ mavult ab aliis accipere; ex. gr., quia unusquisque mavult eligere sibi amicos, quam accipere ab aliis; e converso mavult divitias accipere ab aliis, quam ipse acquirere ideo amici sunt eligibiliores.

10. *Quinquagesimus quartus locus* ex appositione est : ex duobus id, quod additum eidem tertio facit ipsum eligibilius est melius, quam id, quod additum eidem tertio facit id minus eligibile; ex. gr., si sanitati addantur divitiæ et virtus, eligibilior est sanitas cum virtute, quam cum divitiis, ideoque virtus est eligibilior divitiis. Advertit Aristoteles, quod quando id, quod additur tertio, facit ipsum melius, quia tertium ipso utitur, tum non concluditur illud esse melius altero, quo tertium non utitur. Ex. gr. si arti fabrili addatur serra vel falx, melior est ars fabrilis cum serra, quam cum falce, quia potest uti serra, non autem falce; et tamen non concluditur, quod serra sit melior falce; alioquin cum ars messoria sit melior cum falce, quam cum serra, posset inferri, quod serra et falx sunt mutuo meliores, quod implicat.

11. *Quinquagesimus quintus locus* affinis est : quod additum minori bono, facit melius, eligibilius est eo, quod additum majori bono facit id minus bonum; ex. gr., bonus habitus corporis est melior sanitate; et tamen si sanitati, quæ est minus bonum, addatur virtus, fit aliquid melius, quam si bono habitui addantur divitiæ; sanitas enim cum virtute est melior, quam bonus habitus cum divitiis; ergo virtus est melior divitiis.

12. *Quinquagesimus sextus locus* ex detractione est : id est majus, cujus detractione totum, quod remanet, fit minus; ex. gr., quia si auferantur ex numero denario quinque vel tria, quod remanet ablatis quinque est minus, quam quod remanet ablatis tribus, ideo numerus quinarius est major ternario. Proportionaliter in eligibilibus, quia ex toto conflato ex sanitate, pulchritudine et virtute, si auferatur virtus, quod remanet est minus bonum, quam si auferatur sanitas, ideo virtus est melior sanitate.

13. Et si alterum propter se, alterum propter gloriam sit eligendum, ut sanitas est optabilior pulchritudine. Definitio autem eius quod ad gloriam dirigitur, hæc est, quod nemine conscio non damus operam, ut insit.

14. Et si alterum propter se et propter gloriam sit eligendum, alterum vero propter eorum alterutrum duntaxat.

15. Et quod est magis propter se honorabile, hoc et melius et optabilius est. Honore autem dignius est per se, quod cum futurum non sit, ut ulla alia res insit, per se eligimus potius.

16. Præterea distinguere oportet, quot modis eligendum dicatur, et quorum gratia, ut utilitatis vel honestatis vel jucunditatis causa. Quod enim ad omnia vel ad plura utile est, eo est optabilius, quod non similiter est utile.

17. Cum autem eadem ambobus insunt, utri

magis insint, videndum est, veluti utrum sit jucundius aut honestius aut utilius.

18. Rursus quod est melioris causa, est optabilius, veluti quod est virtutis causa, est optabilius quam id quod est voluptatis causa.

19. Similis est ratio fugiendorum ; magis namque fugiendum est, quod magis impedit res eligendas, ut morbus deformitate, quia magis et voluptati et probitati morbus obstat.

20. Præterea potest ex eo argui, quod æque probare liceat id, quod est propositum, esse fugiendum et eligendum Quod enim est ejusmodi, ut æque aliquis eligat ac fugiat, minus est eligendum quam alterum, quod est tantummodo eligendum. Rerum igitur inter se comparationes, quemadmodum dictum est, fieri debent.

13. *Quinquagesimus septimus locus* est : quod est eligendum propter se, melius est eo, quod est eligendum propter gloriam; ex. gr., sanitas, quæ est eligibilis propter se, est melior pulchritudine, quæ eligibilis est propter gloriam. Eligibile vero propter gloriam definitur : id, de quo si nullus deberet esse conscius, nemo multum curaret; et quia nemo multum curaret de pulchritudine, si nullus deberet esse conscius, ideo pulchritudo est eligibilis propter gloriam.

14. *Quinquagesimus octavus locus* est : quod est eligibile et propter se et propter gloriam, magis est eligibile, quam quod solum propter alterutrum horum duorum; ex. gr., quia sapientia est eligibilis tum propter se tum propter gloriam, est melior sanitate, quæ solum est eligibilis propter se, et etiam est melior pulchritudine, quæ solum es eligibilis propter gloriam.

15. *Quinquagesimus nonus locus* est : id quod propter se est magis honorandum, est eligibilius eo, quod propter se est minus honorandum; et quia contemplatio propter se est magis honoranda quam actio, ideo contemplatio est eligibilior actione. Ex se autem honorabilius est, quod etiam secluso emolumento magis eligimus; ex. gr., quia seclusa utilitate magis eligimus contemplationem quam actionem, ideo contemplatio est honorabilior actione.

16. *Sexagesimus locus* desumitur ex divisione boni in honestum, utile et delectabile; quod enim habet vel omnia hæc, vel plura ex his, illud est melius; ex. gr., quod est simul honestum, utile et delectabile est melius, quam quod solum est honestum etc.

17. *Sexagesimus primus locus* est : ex duobus, quorum utrumque participat eamdem rationem boni, illud est melius, quod magis participat; ex. gr., justitia est melior modestia, quia justitia magis participat rationem boni honesti quam modestia.

18. *Sexagesimus secundus locus* est : quod est eligibile gratia melioris, est eligibilius; ex. gr., studium est eligibilius exercitatione corporea, quia studium est eligibile gratia sapientiæ, exercitatio est eligibilis gratia sanitatis et gratia bonæ habitudinis corporalis; sapientia autem est melior sanitate et bona habitudine corporali.

19. Addit Aristoteles, eamdem esse de fugibilibus rationem. Quod enim magis impedit virtutem et alia bona per se expetenda, est fugibilius; ex. gr., ægritudo est fugibilior turpitudine, quia ægritudo magis impedit virtutem et voluptatem, quæ sunt bona per se expetenda, quam turpitudo.

20. *Sexagesimus tertius locus* est; quod est solum eligibile, est magis eligendum, quam id, quod est simul eligibile et fugibile; ex. gr., sapientia est eligibilior magistratibus, quia sapientia est solum eligibilis; at magistratus sunt eligibiles et etiam fugibiles propter molestias, quas afferunt.

CAPUT IV. — ART. I.

OSTENDITUR LOCOS ASSIGNATOS VALERE ETIAM AD PROBANDUM ALIQUID ESSE ABSOLUTE ELIGENDUM ET FUGIENDUM, ET AD PROBANDUM ALIQUID UNIVERSIM ESSE MAGIS AUT MINUS TALE.

1. [4] Iidem loci utiles sunt etiam ad probandum, quamvis rem esse eligendam aut fugiendam. Detrahere namque solum oportet excellentiam, qua alterum alteri præstat. Nam si id quod est honore dignius, est optabilius, etiam quod honore est dignum, est optabile; et si id quod est utilius est optabilius, etiam id quod est utile, est optabile. Similis est ratio aliorum, quæ ita comparantur. In quorundam autem inter se comparatione statim utrumque aut alterum dicimus esse eligendum, veluti cum dicimus, alterum natura bonum esse, alterum, non natura ; quod enim est natura bonum, procul dubio est eligendum.

Propositis locis, quibus ostendi potest, aliquid esse eligibilius vel fugibilius altero, explicat Aristoteles primo, quo pacto ex iis dem locis potest ostendi, aliquid esse ab solute eligendum vel fugiendum, secundo explicat, quo pacto loca proposita possint ampliari ad probandum, ali-

quid universim esse magis tale quam aliud.

1. *Quoad primum* : ex iisdem ergo locis, ex quibus probatur, unum esse eligibilius altero, mutando comparativum in positivum, potest probari, quod illud idem est absolute eligibile. Ex. gr., sicut probatur, aliquid esse eligibilius ex eo, quod sit honorabilius, ita ex eo, quod sit honorabile, potest probari, quod absolute sit eligibile. Porro in aliquibus manifeste includitur ratio eligibilis. Ex. gr., in loco, in quo dicitur, quod id, quod ex natura sua est bonum eligibilius est eo, quod non est bonum, ex natura sua, manifeste includitur, quod sit eligibile. Ex se enim patet, id, quod ex natura sua est bonum, esse eligibile.

2. [5] Sumendi autem sunt loci de eo, quod magis vel majus est, quam maxime universales; sic enim sumpti ad plura problemata utiles erunt. Licet etiam nonnullos eorum, quos diximus, efficere magis universales, paulum immutata appellatione. Veluti quod est natura tale, eo quod non natura est tale, est magis tale. Et si alterum efficit, alterum non efficit rem, quæ illud habet talem, seu cui illud inest, magis tale est id quod interdum efficit quam, quod non efficit. Si vero ambo efficiunt, id quod magis efficit talem. Præterea si eadem re alterum sit magis, alterum minus tale; et si alterum tali re sit magis tale, alterum non sit tali re magis tale, manifestum est, primum esse magis tale. Præterea ducendum est argumentum ab adjunctione, si quid eidem rei adjunctum efficiat totum magis tale, aut si minus tali adjunctum efficiat totum magis tale. Similiter ex detractione : quo enim ablato reliquum est minus tale, id est magis tale. Et quæ sunt contrariis minus mixta, sunt magis talia, ut albius est, quod nigro est minus mixtum Insuper præter supra dicta, quod magis suscipit propriam rei propositæ definitione : veluti si albi definitio est color habens vim dispertiendi visum, id est albius, quod magis est color habens vim dispertiendi visum.

2. *Quoad secundum*: loci propositi, parum illos mutando, et loco terminorum minus universalium ponendo terminos universaliores, possunt adaptari ad solvenda omnia problemata comparativa. Explicatur exemplis. Locus quadragesimus septimus fuit : quod facit subjectum bonum, est melius et eligibilius eo, quod non facit subjectum bonum. Hic locus, si parum mutetur et sic proponatur : quod facit subjectum tale, est magis tale, quam id, quod non facit subjectum tale, ampliabitur ad resolvenda plura alia problemata comparativa. Similiter hic locus : quod aliquando facit bonum, est melius eo, quod nunquam facit bonum, potest ita proponi : quod aliquando facit tale, est magis tale, quam id, quod nunquam facit tale. Hic locus : quando utrumque facit bonum, id quod facit magis bonum, est melius et eligibilius, potest sic proponi : quando utrumque facit tale, id quod facit magis tale, est magis tale. Hic locus: si ex duobus bonis alterum sit melius tertio, alterum minus bonum, quod est melius tertio, est eligibilius: seu quod est meliore melius, est etiam melius et eligibilius deteriore, — potest sic proponi : si ex duobus alterum sit magis tale, alterum minus tale eodem tertio, illud primum est magis tale. Hic locus : ex duobus, quorum alterum sit melius tertio, alterum non sit melius, illud, quod est melius tertio, eligibilius est illo, quod non est melius, — potest sic proponi : ex duobus illud, quod est magis tale aliquo tertio, est magis tale quam aliud, quod non est magis tale eodem tertio. Hic locus ex additione : ex duobus id, quod additum eidem facit melius, est melius. — potest sic proponi : ex duobus, quod additum eidem facit totum magis tale, est magis tale quam aliud, quod facit totum minus tale. Hic locus : ex duobus, quorum alterum additum minori bono, facit totum melius quam aliud additum majori bono, illud est melius, — potest sic proponi : ex duobus id, quod additum minus tali, facit magis tale, quam alterum additum magis tali, illud est magis tale. Hic locus ex ablatione : ex duobus id est melius, quo ablato totum remanet minus bonum. — potest sic proponi : ex duobus, illud est magis tale, quo ablato totum remanens est minus tale. Hic locus ex contrariis : bonum minus mixtum malo, est melius.—potest sic proponi: id quod est minus mixtum cum contrario, est magis tale ; ex. gr., quod est minus mixtum cum nigro, est magis album. Addit demum Aristoteles alium locum ; quod magis suscipit definitionem, est magis tale; ex. gr., supponendo, quod album sit disgregativum visus, quod magis est disgregavum visus, est magis album.

CAPUT IV. — ART. II.

DE USU LOCORUM EXPLICATORUM CIRCA PROBLEMATA PARTICULARIA ACCIDENTIS.

3. [6] Si vero problema non universale, sed in parte positum fuerit, primum loci omnes universales, quos diximus valere ad confirmandum vel refellendum, utiles sunt. Cum namque

universaliter evertimus aut confirmamus, etiam in parte ostendimus; nam si omni insit, etiam alicui inest; et si nulli insit, ne alicui quidem inest.

4. Maxime autem apti et communes sunt loci, qui sumuntur ab oppositis et conjugatis et casibus. Aeque enim probabiliter postulatur, si omnis voluptas est in bonis, etiam omnem dolorem esse in malis; et si qua voluptas est in bonis, etiam dolorem quemdam esse in malis.

5 Præterea si quis sensus non est vis et facultas, etiam sensus privatio quædam non est imbecillitas; et si quid existimabile est scibile, etiam existimatio quædam est scientia. Rursus si quid injustum est bonum, etiam justum quidpiam est malum; et si quid injuste factum est malum, etiam aliquid juste factum est bonum.

6. Et si quid voluptuosum est fugiendum, etiam voluptas quædam est fugienda. Secundum hæc et si quid voluptuosum sit utile, etiam voluptas quædam est in bonis.

Explicatis locis deservientibus ad universalia problemata accidentis tum absoluta tum comparativa, Aristoteles primo declarat, quo pacto possimus uti dictis locis etiam ad problemata particularia construenda et destruenda; secundo explicat, quo pacto possint construi vel destrui problemata particularia tum definita tum indefinita; — tertio demum explicat, quo pacto problemata particularia possint construi, vel destrui ex locis a divisione.

3. *Quoad primum* præmittit Aristoteles, quod si proponantur problemata particularia, ex. gr., *utrum aliqua voluptas sit bonum*, omnes loci utiles ad construenda vel destruenda problemata universalia sunt etiam utiles ad construenda vel destruenda problemata particularia; ex. gr., per omnes locos, quibus construitur et probatur problema universale, quod omnis voluptas est bonum, construitur etiam et probatur problema particulare, quod aliqua voluptas est bonum; et per omnes locos, quibus idem problema universaliter destruitur, ostendendo, quod nulla voluptas est bonum, destuitur etiam problema particulare, ostendendo, quod aliqua voluptas non est bonum. Verum quia aliquando debemus probare vel destruere problema particulare, non probando neque destruendo universale; ex. gr., debemus probare, quod aliqua voluptas est bonum, non probando, quod omnis voluptas estbonum, explicat Aristoteles, quinam ex locis allatis pro problematibus universalibus, sint etiam utiles pro particularibus.

4. Primo ergo docet, locos ex oppositis, conjugatis et casibus esse maxime utiles et opportunos ad problemata particularia construenda vel destruenda. Explicatur exemplis, primo in loco ex contrariis, secundo in loco ex privativis, tertio in loco ex relativis, quarto in loco ex conjugatis, quinto in loco ex casibus. Locus seu maxima ex contrariis erat: si ad unum contrarium sequitur unum contrarium, ad aliud contrarium sequitur aliud contrarium; ex. gr., si omnis voluptas est bonum, omnis tristitia est malum. Proportionaliter, si ad unum contrarium sequitur particulariter unum contrarium, etiam ad aliud contrarium sequitur particulariter aliud contrarium, adeoque ex hoc loco possumus probare, quod aliqua tristitia est mala, sic: aliqua voluptas est bona; ergo aliqua tristitia est mala. Possumus etiam probare, quod aliqua voluptas non sit bona, sic: aliqua tristitia non est mala; ergo aliqua voluptas est bona.

5. Locus ex privativis erat: si ad habitum sequitur habitus, ad privationem sequitur privatio. Proportionaliter, si ad habitum sequitur particulariter habitus, ad privationem sequitur particulariter privatio. Ex hoc loco possumus probare, quod aliqua insensibilitas sit impotentia, sic: aliquis sensus est potentia; ergo aliqua insensibilitas est impotentia, vel aliquis sensus non est potentia; ergo aliqua insensibilitas non est impotentia. Locus ex relativis erat: si relativum inest relativo, correlativum inest correlativo. Sicut ex hoc loco potest probari problema universale sic: omne existimabile est scibile; ergo omnis existimatio est scientia; sic potest probari problema particulare sic: aliquod existimabile est scibile; ergo aliqua existimatio est scientia.

6. Loci ex conjugatis et casibus erant duo: si alicui ex conjugatis inest aliquod accidens, aliis quoque conjugatis subjecti inerunt conjugata ejusdem accidentis. Sicut ex hoc loco potest probari problema universale sic: omne delectabile est bonum; ergo omnis delectatio est bona; — sic potest probari problema particulare sic: aliquod delectabile est bonum; ergo aliqua delectatio est bona. Secundus locus erat: si aliquod accidens alicui inest, conjugatis contrarii subjecti insunt conjugata contrarii accidentis. Ex hoc loco potest probari problema particulare sic: aliquod justum est bonum; ergo aliquid, quod juste fit, bene fit; ergo aliquid, quod injuste fit, male fit.

7. Et in iis quæ corrumpendi vim habent, necnon in generationibus et corruptionibus itidem se res habet. Nam si quid, cum vim habeat corrumpendi voluptatem vel scientiam, est in bonis, certe quædam voluptas vel scientia erit in malis. Similiterque si corruptio quædam scientiæ est in bonis aut generatio quædam est in malis, erit scientia quædam in malis. Veluti si oblivio eorum, quæ turpiter egit, est in bonis aut reminiscentia est in malis, certe scientia eorum, quæ turpiter egit, erit in malis. Eadem est ratio aliorum ; in omnibus enim similiter est probabilitas.

7. Secundo docet Aristoteles, etiam loca ex corruptivis et effectivis, ex generationibus et corruptionibus posse applicari problematibus particularibus. Locus ex corruptionibus et corruptivis erat : cum corruptio et corruptivum est bonum, corruptum est malum et e converso. Ex hoc loco sic possumus problemata particularia construere : aliquod corruptivum et aliqua corruptio delectationis ac scientiæ est bona; ergo aliqua delectatio et aliqua scientia est mala. Aliqua corruptio delectationis est mala; ergo aliqua delectatio est bona. Locus ex generativis et generationibus erat : cum aliqua generatio est mala, id quod generatur, est malum. Hic etiam locus potest applicari ad problemata particularia sic : aliqua generatio scientiæ est mala, aliqua ejusdem corruptio est bona; ergo aliqua scientia seu cognitio est mala; ex. gr., mala est generatio scientiæ, qua quis recordatur malorum, quæ egit, bona est oblivio seu corruptio talis scientiæ; ergo mala est scientia, qua quis recordatur malorum, quæ egit.

8. Præterea ex eo quod magis et minus et similiter inest. Nam si quid eorum quæ sunt ex alio genere, sit magis tale, nullum tamen eorum sit tale, ne id quidem, quod dictum est, erit tale. Veluti si magis scientia quædam est in bonis, quam voluptas, nulla autem scientia est in bonis ne voluptas quidem in bonis erit. Atque ex eo quod est similiter, et ex eo quod minus, itidem arguitur. Licebit enim et infirmare et confirmare. Verum ex eo quod est similter, ambo facere licet : ex eo autem quod minus est, confirmare tantum licet, non infirmare. Nam si similter facultas quædam est in bonis et scientia, est autem facultas quædam in bonis, etiam scientia est in bonis. At si nulla facultas, ne scientia quidem. Si vero minus facultas quædam est in bonis quam scientia, est autem quædam facultas in bonis, est etiam scientia. At si nulla facultas est in bonis, non necesse est etiam scientiam nullam esse in bonis. Patet igitur, confirmari tantum posse ex eo, quod minus est. Non solum autem ex alio genere licet infirmare, sed etiam ex eodem, si sumatur quod est maxime tale. Veluti si positum sit scientiam quamdam esse in bonis, ostendatur autem, prudentiam non esse in bonis, ne alia quidem scientia erit in bonis, cum ea non sit, quæ maxime videtur esse.

8. Tertio docet, quod etiam loci ex *magis* et *minus* et ex *similibus*, sunt utiles ad problemata particularia. Ex *magis* sic potest destrui problema particulare : magis videtur tale aliquid alterius generis, quam aliquid hujus generis; sed nullum alterius generis est tale: ergo neque ullum hujus generis est tale; ex. gr., magis videtur, quod aliqua disciplina sit bona, quam quod aliqua voluptas sit bona; sed falsum est, quod aliqua disciplina sit bona ;ergo falsum est etiam, quod aliqua voluptas sit bona. Ex *minus* vel *similibus* possumus sic arguere : minus vel similiter videtur, quod aliqua voluptas sit honesta, quam quod aliqua scientia sit honesta; sed aliqua voluptas est honesta; ergo etiam aliqua scientia est honesta. Addit Aristoteles, quod ex *magis* possumus solum destruere ex, *minus* solum construere, ex *similibus* possumus tum construere tum destruere. Quod ex similibus possumus construere ac destruere patet. Si enim assumamus: *similiter aliqua facultas est bona ac aliqua scientia*, valet ad construendum ; possumus enim subsumere : *sed aliqua facultas est bona; ergo etiam aliqua scientia.* Valet etiam ad destruendum; possumus enim subsumere : *sed nulla facultas est bona ; ergo nulla scientia est bona.* Quod ex *minus* possimus solum construere, et non destruere, patet; si enim assumamus : *minus aliqua facultas est bona, quam aliqua cientias,* valet ; *sed aliqua facultas est bona; ergo etiam aliqua scientia non est bona.* At non valet ad destruendum : *sed aliqua facultas non est bona; ergo etiam aliqua scientia non est bona.* Demum quod locus ex *magis* valeat solum ad destruendum, patet; si enim assumamus : *magis prudentia videtur scientia, quam ulla alia virtus* valet ad destruendum : *sed prudentia non est scientia; ergo nulla alia virtus est scientia.* At non valet ad construendum : *sed prudentia est scientia; ergo etiam aliqua alia virtus est scientia.* Addit Aristoteles,quod non solum hæc argumenta a *majori, minori* et *simili* valent in his, quæ sunt diversi generis, sed etiam in his, quæ sunt ejusdem generis; ex. gr., valet : *ex disciplinis prudentia maxime*

videtur bona; sed prudentia non est bona; ergo nec ulla alia scientia est bona.

9. Præterea ex hypothesi idem efficitur, cum sit postulatum, si uni insit vel non insit, etiam omnibus similiter inesse vel non inesse. Veluti si hominis anima sit immortalis, etiam alias esse immortales; at si hæc non sit, ne alias quidem esse. Si igitur cuidam inesse positum sit, probandum est cuidam non inesse; consequetur enim propter hypothesim, ut nulli insit. At si cuidam non inesse positum sit, probandum est cuidam inesse; sic enim consequens erit ut omnibus insit. Manifestum autem est eum qui ita supponit, efficere problema universale, quod positum fuerat in parte. Nam æquum censet et postulat ut qui in parte concedit, universaliter concedat, quia si uni insit, etiam omnibus similiter inesse censet.

9. Quarto docet Aristoteles problemata particularia posse etiam construi vel destrui per loca ex suppositione. Si enim supponamus, quod omnes animæ, vel similiter sunt mortales, vel similiter sunt immortales, probando, quod una anima est immortalis, probatur, quod omnes aliæ sunt immortales, et ostendendo, quod aliqua anima est mortalis ostenditur, quod omnes sunt mortales. Igitur si quis ponat problema particulare affirmativum, quod accidens alicui inest, ad id destruendum sufficit, ut ostendatur, quod alicui non inest; supponitur enim, quod si alicui non inest, nulli inest. Si vero ponat quis, quod accidens alicui non inest, sufficit probare, quod alicui inest, siquidem supponitur, quod si alicui inest, omni inest. Patet ergo, quod qui facit tales suppositiones, proponit problema universale probandum solum particulariter; siquidem eo ipso, quod probet particulare, petit, ut ex vi suppositionis concedatur sibi universale.

10. Cum igitur problema est indefinitum, uno modo infirmari potest. Veluti si dixit voluptatem esse in bonis aut non esse in bonis, nec aliud quidquam definiendi causa adjecit. Nam si quamdam voluptatem dixit esse in bonis, probandum est universaliter nullam esse in bonis, si futurum est ut evertatur quod propositum fuit. Similiter autem, et si quamdam voluptatem dixerit non esse in bonis, probandum est universaliter omnem esse in bonis; aliter autem everti non potest. Nam si ostenderimus esse quamdam voluptatem non in bonis aut esse in bonis, nondum evertitur quod propositum fuit. Patet igitur uno quidem modo refelli posse, confirmari autem bifariam. Sive enim universaliter ostenderimus omnem voluptatem esse in bonis, sive esse quamdam voluptatem in bonis, probatum erit quod fuit propositum. Similiterque si disserendo probare oporteat esse quamdam voluptatem non in bonis, si ostenderimus nullam esse in bonis, vel quamdam non esse in bonis, probatum erit utroque modo tam universaliter quam in parte esse quamdam voluptatem non in bonis.

Quoad secundum explicat Aristoteles, quot modis possint construi vel destrui problemata particularia, tum definita, tum indefinita. Nomine particularium indefinitorum intelligit problemata, in quibus ita affirmatur veritas propositionis particularis, ut abstrahatur ab hoc, utrum etiam universalis sit vera, vel non sit vera; ex. gr., problema indefinitum est, quo ponitur, quod aliqua voluptas sit bona, abstrahendo ab hoc, quod aliqua solum vel etiam omnis voluptas sit bona. Nomine problematum definitorum intelligit ea, per quæ affirmatur veritas solius particularis, ut cum ponitur, *quod aliqua solum voluptas sit bona.*

10. *Prima ergo conclusio* est: problemata particularia indefinita possunt destrui unico modo, at possunt construi duobus modis. Probatur, quia si proponatur hoc problema: *aliqua voluptas est bona*, ut destruatur, debet ostendi propositio contradictoria ipsius; sed contradictoria est, quod nulla voluptas est bona; ergo debet probari, quod nulla voluptas est bona, non autem sufficit ostendere, quod aliqua voluptas non est bona; ergo problema positum unico modo potest destrui ostendendo, quod nulla voluptas est bona. Similiter hoc problema: *aliqua voluptas non est bona*, potest solum destrui ostendendo contradictorium, quod omnis voluptas est bona. At vero problema affirmativum, quod aliqua voluptas est bona, construitur tum concludendo, quod aliqua voluptas est bona, tum concludendo, quod omnis voluptas est bona; problema etiam negativum, quod aliqua voluptas non est bona, construitur, tum concludendo, quod aliqua voluptas non est bona, tum concludendo, quod nulla voluptas est bona. Similiter hoc problema de prædicato infinito: *aliqua voluptas est non bona*, construitur tum concludendo quod aliqua voluptas est non bona, tum concludendo, quod omnis voluptas est non bona.

11. Cum autem thesis est definita, bifariam evertere licebit. Veluti si positum fuerit cuidam voluptati bonum inesse, cuidam non inesse; sive enim probatum fuerit omnem voluptatem esse in bonis sive nullam, infirmatum erit quod fuit propositum.

12. At si unam tantum voluptatem posuit esse in bonis, tribus modis infirmari potest; nam si ostenderimus, omnem vel nullam vel plures una esse in bonis, infirmatum erit quod fuit propositum.

13. Cum autem thesis adhuc magis definita est, veluti prudentiam solam ex virtutibus esse scientiam, quatuor modis licet infirmare; nam si ostenderimus, omnem virtutem aut nullam aut etiam aliam quamdam, veluti justitiam esse scientiam, aut hanc, id est prudentiam, non esse scientiam, infirmatum erit quod propositum fuit.

11. *Secunda conclusio* est : problemata particularia definita possunt destrui duobus modis; ex. gr., hoc problema : *aliqua voluptas est bona, aliqua non est bona*, potest destrui ostendendo, vel quod nulla voluptas est bona, vel quod omnis voluptas est bona.


12. *Tertia conclusio* est : problema determinatum asserens ex. gr., quod una solum voluptas est bona, potest destrui tripliciter; primo ostendendo, quod omnis est bona; secundo ostendendo, quod nulla est bona; tertio ostendendo, quód plures quam una est bona.

13. *Quarta conclusio* est : problema adhuc magis determinatum; ex. gr., asserens, quod ex virtutibus sola prudentia est scientia, potest destrui quatuor modis; primo ostendendo, quod omnis virtus est scientia; secundo ostendendo, quod nulla virtus est scientia ; tertio ostendendo, quod quædam alia virtus, puta justitia est scientia; quarto ostendendo, quod prudentia non est scientia.

14. Prodest etiam respicere ad singularia, quibus inesse quidpiam vel non inesse dictum fuit, quemadmodum in universalibus problematis. Præterea genera sunt inspicienda ac dividenda secundum species usque ad individua, quemadmodum antea dictum fuit. Sive enim omni visum fuerit inesse sive nulli, cum multa prolata fuerint, postulandum est ut universaliter concedatur, aut objiciatur, qua in re non ita sit. Præterea in quibus licet vel specie vel numero distribuere accidens, considerandum est, an nullum horum insit. Veluti si probare velimus tempus non moveri nec esse motum, enumeratione docendum est quot sint species motionis ; nam si harum nulla insit tempori, manifestum est tempus nec moveri nec esse motum. Similiter etiam probabimus animam non esse numerum, facta divisione, omnem numerum esse aut imparem aut parem. Si namque anima neque sit impar neque par, patet eam non esse numerum. Ad confirmandum igitur vel refellendum accidens ex hujusmodi locis et ita arguendum est.

14. *Quoad tertium* : in hac demum postrema parte libri tertii docet Aristoteles quo pacto possimus uti ad problemata particularia locis a divisione traditis lib. II, cap. II, num. 4. Dictum est, quod ad problemata universalia construenda vel destruenda, debent considerari singularia, quæ sunt sub subjecto; ex. gr., ad construendum hoc problema: *omnis voluptas est bonum*, debent considerari singulares voluptates. Si enim inveniamus, quod multæ sunt bonæ, concludemus, quod omnes sunt bonæ. Respondens enim vel debet concedere consequentiam, vel debet afferre in contrarium instantiam alicujus voluptatis, quæ non sit bona. Proportionaliter ad ostendendum, quod nulla voluptas sit bona, debent afferri plures voluptates, quæ non sint bonæ, et concludi, quod nulla est bona. Eadem via debemus uti ad problemata particularia. Si enim probandum sit, quod aliqua voluptas sit bona, debemus considerare voluptates singulares; inventa enim aliqua voluptate, quæ sit bona, statim possumus concludere, quod aliqua voluptas sit bona. Si vero debeamus destruere tale problema, quod *aliqua voluptas sit bona*, debemus invenire plures voluptates non bonas, et sic cogere adversarium, vel ad admittendum, quod nulla voluptas est bona, vel ad afferendam instantiam in contrarium. Rursus sicut ad problemata universalia non solum debemus discurrere per singularia contenta sub subjecto, sed etiam per species, in quas immediate dividitur subjectum, et sic procedere usque ad species specialissimas, sic eadem divisione debemus uti ad problemata particularia. Ex. gr., debemus dividere voluptates insensibiles atque intelligibiles, etc., et sic discurrere. Demum non solum debemus per divisionem discurrere per species subjecti, sed etiam per species et per singularia prædicati seu accidentis, quod dicitur de subjecto. Ex. gr., si quis ponat problema, quod tempus vel movetur vel est motus, debemus argumentari, quia si tempus esset motus, vel esset generatio, vel corruptio, vel alteratio, vel augmentatio, vel diminutio, vel latio; sed tempus nullo ex his motibus movetur, nec est ullus ex dictis motibus; ergo tempus non est motus. Similiter si quis ponat problema, quod anima est numerus, possumus illud sic destruere : si anima esset numerus, vel esset par vel impar; neque est par neque impar :

ergo etc. Rursus si anima esset numerus par, vel esset binarius vel quaternarius etc.; non est binarius neque quaternarius etc. ; ergo non est numerus par. Concludit Aristoteles ex his locis esse argumentandum ad problemata de accidente tum absolute tum comparative considerato. Et per hæc concludit librum tertium.



TOPICORUM

LIBER IV

CAPUT I

DE DECEM PRIMIS LOCIS GENERIS.

1. Post hæc de his quæ ad genus et proprium pertinent videndum est. Hæc autem sunt elementa eorum quæ pertinent ad definitiones; de his autem ipsis raro quærunt qui disputant.

2. Si igitur positum fuerit esse alicujus rei genus, primum respicere oportet ad ea omnia, quæ sunt ejusdem generis, cujus ea res est, ut videamus, an alicui non attribuatur, quemadmodum in accidente fit. Veluti si bonum ponatur esse genus voluptatis, videndum est, an aliqua voluptas non sit in bonis; nam si hoc dici possit, manifestum est bonum non esse genus voluptatis, quia genus omnibus speciebus sub se contentis attribuitur.

1. Explicatis lib. II et III locis accidentis, lib. IV agit Aristoteles de locis generis, lib. V de locis proprii, lib. VI et VII de locis definitionis. Præmittit autem rationem, cur prius debeat agi de problematibus generis ac proprii, quam de problematibus definitionis, esse, quia, cum definitio debeat constare ex genere et differentia, et debeat esse propria definiti, genus et proprium sunt elementa ac principia definitionis, ideoque de iis prius est agendum quam de definitione. Addit disputationes dialecticas frequentius versari circa problemata de accidente, rarius circa problemata de genere, proprio ac definitione.

2. His præmissis, accedit ad loca tradenda. *Primus locus* est : proposito genere, videndum est, an dicatur de omni; si enim non dicatur de omni, sed de aliquo tantum, ut solet evenire in accidentibus, non est genus. Ex. gr. si quis genus voluptatis assignet bonum, examinandum est, an bonum dicatur de omni voluptate. Si enim aliqua voluptas est bona, aliqua non est bona, bonum non est genus voluptatis, cum genus debeat prædicari de omnibus speciebus et individuis ipsi subjectis.

3. Deinde videndum est, an non attribuatur in quæstione quid est, sed ut accidens, quemadmodum attribuitur nivi album, vel animæ id quod a se movetur. Neque enim nix est id quod album, proinde album non est genus nivis; nec anima est id quod movetur, sed ei accidit ut moveatur, quemadmodum et animali sæpe accidit ut ambulet et ambulans sit. Præterea genus illud quod movetur, non quid est, sed aliquid faciens vel patiens significare videtur. Similis est ratio albi; non enim quid sit nix, sed qualis sit, declarat. Quare neutrum eorum attribuitur in quæstione quid est.

4. Maxime autem oportet ad accidentis definitionem respicere, ac videre an aptetur ad id quod dictum est esse genus, ut aptatur ad ea quæ nunc dixi. Accidit enim ut aliquid seipsum moveat et non moveat, similiterque ut album sit et non sit. Quare neutrum eorum est genus, sed accidens, quoniam accidens vocabamus quod potest inesse alicui et non inesse.

3. *Secundus locus* est: considerandum, an prædicetur in eo, quod quid est, vel solum ut accidens; si enim non prædicatur in quid, non est genus. Ex. gr., *esse album* non est genus nivis, quia non prædicatur de nive *in quid*, cum *esse nivem* non sit *esse albam*. Ex eadem ratione, *moveri a seipso*, non est genus animæ, quia anima non est idem ac *moveri a seipsa*;

immo sicut animali accidit ambulare et *ambulans esse*, sic animæ accidit *moveri* et movens esse. Confirmatur, quia genus debet explicare, quid sit res; sed hoc, quod est *movere se ipsam*, non explicat, quid sit anima, sed quid anima agat vel patiatur; hoc, quod est *esse albam*, non explicat, quid sit nix, sed qualis sit; ergo etc.

4. *Tertius locus* est: considerandum, utrum ei, quod assignatur ut genus, conveniat definitio accidentis allata lib. I. cap. IV. num. 7, quæ est, accidens est, quod eidem contingit inesse et non inesse. Ex. gr., contingit, ut idem seipsum moveat vel non moveat; contingit ut idem sit album et non sit album; ergo huic, quod est *seipsum movere*, vel *esse album*, convenit definitio accidentis; sed id, cui convenit definitio accidentis, non est genus; ergo genus animæ non est *movere seipsam*, nec *esse albam* est genus nivis.

5. Præterea videndum est, an non in eadem divisione sint genus et species, sed alterum sit substantia alterum quale, vel alterum sit ad aliquid alterum quale. Veluti nix et cygnus est substantia, album vero non est substantia, sed quale : quapropter album non est genus nivis nec cygni. Rursus scientia est in eorum numero quæ ad aliquid referuntur, bonum autem et honestum est quale ; quare honestum vel bonum non est genus scientiæ, quandoquidem relatorum genera ipsa quoque relata esse oportet, quemadmodum in duplo perspicere licet; etenim multiplum cum sit genus dupli, ipsum quoque in relatorum numero est. Et ut universaliter dicam, sub eamdem divisionem oportet et genus et speciem cadere. Sive enim species sit substantia, etiam genus est substantia; sive species sit quale quidpiam, etiam genus est quale quidpiam. Veluti si album est quale quidpiam, etiam color. Similis est aliorum ratio.

6. Item considerandum est, an necesse sit vel an contingat, ejus quod in genere positum est, genus esse particeps. Definitio autem participandi est recipere ejus quod communicatur definitionem. Patet igitur species esse generum participes, genera vero specierum non item ; species enim recipit generis definitionem, genus autem non recipit definitionem speciei. Considerandum igitur est, an speciei particeps sit vel particeps esse posit genus propositum. Veluti si quis statuat, aliquid esse genus entis aut unius. Accidit enim ut genus sit particeps speciei, quoniam omnibus iis quæ sunt etens et unum attribuitur; proinde etiam eorum definitio.

5. *Quartus locus* est : considerandum, utrum genus assignatum sit in eadem categoria seu prædicamento cum eo, cujus dicitur genus. Genus enim et species debent esse in eodem prædicamento; ergo si non sint in eodem prædicamento, male fuit assignatum genus; ex. gr., male album assignatur ut genus nivis ac cygni, quia cygnus ac nix sunt in prædicamento substantiæ, album est in prædicamento qualitatis. Rursum male bonum ac pulchrum assignantur ut genera disciplinæ; nam disciplina est in prædicamento relationis, cum alicujus sit disciplina; bonum ac pulchrum sunt in prædicamento qualitatis; genus autem relativorum est relativum, eo pacto, quo genus duplicis est multiplex; et universim genus ac species debent esse in eadem categoria seu prædicamento.

6. Ut proponatur *quintus locus*, explicandum est, quid sit participare. Participare est suscipere definitionem alicujus; ex. gr., homo participat de animali, quia definitio animalis, quæ est *vivens sensitivum*, dicitur de homine. Quintus igitur locus est : considerandum, utrum genus participet de eo, cujus dicitur genus, ita ut ejus definitio dicatur de genere ; eo enim ipso male erit assignatum, quia definitio generis dicitur quidem de specie, at definitio speciei non dicitur de genere, eo pacto, quo de homine dicitur definitio animalis, at de animali non dicitur definitio hominis. Si ergo genus suscipit rationem ac definitionem ejus, cujus dicitur genus, male fuit assignatum. Ex. gr., si quis aliquid assignaverit ut genus entis vel unius, male assignavit. Cum enim ens et unum dicantur de omnibus, quæ sunt, etiam definitio entis et unius dicitur de omnibus, quæ sunt; ergo genus participabit definitionem speciei, quod est absurdum.

7. Præterea videndum est, an de aliquo tradita species vere dicatur, genus autem minime. Veluti si positum fuerit, ens aut scibile esse opinabilis genus, quoniam ei quod non est, opinabile attribuitur, quandoquidem multa eorum quæ non sunt, opinabilia sunt. Ens vero aut scibile non attribui ei quod non est, manifestum est. Quapropter neque ens neque scibile est genus opinabilis. Quibus enim species attribuitur, iis genus quoque attribui oportet.

8. Item videndum est, an nullius speciei particeps esse possit id quod positum est in genere. Fieri enim nequit ut generis sit particeps, quod nullius speciei est particeps, nisi forte sit aliqua earum specierum, quæ in prima divisione generis ponuntur ; hæc autem genus tantum participant. Si igitur positum fuerit motum esse ge-

nus voluptatis, considerandum est; an voluptas nec sit corruptio nec variatio nec ullus ex reliquis, qui dicuntur esse motus. Constat enim eam nullius speciei participem esse, proinde nec generis, quia necesse est ut id quod generis est particeps, etiam alicujus speciei sit particeps. Quocirca voluptas non est species motionis, nec unum ex individuis, nec exiis quæ sub specie motionis sunt. Nam individua quoque genus et speciem participant, ut quidam homo et hominis est particeps et animalis.

7. *Sextus locus* est: considerandum est, utrum species dicatur de aliquo, de quo genus non dicitur; eo enim ipso genus erit male assignatum, quia genus dicitur de omnibus, de quibus dicitur species. Ex. gr., si quis ens aut scibile assignet ut genus opinabilis, male assignat. Nam opinabile dicitur etiam de non ente; ens ac scibile dicitur de solis entibus; ergo opinabile, quod ponitur ut species, dicitur de aliquo, de quo non dicitur genus.

8. *Septimus locus* est: considerandum, an id, quod ponitur sub genere, participet de ulla specie talis generis. Impossibile enim est, ut sit sub genere, quod non participat de ulla specie talis generis; ex. gr., impossibile est, ut sit animal, quod non participat de ulla specie animalis, et neque est homo neque equus etc. Si igitur quis assignet motum ut genus voluptatis, videndum est, utrum voluptas sit generatio, vel corruptio, vel augmentatio, vel diminutio, vel alteratio, vel latio. Si enim nihil horum sit, non participabit ullam speciem motus, adeoque non erit in genere motus. Individua enim alicujus speciei participant et speciem et genus, eo pacto, quo Socrates participat et hominem et animal.

9. Præterea videndum est, an latius quam genus pateat id quod in genere positum est. Ut opinabile latius patet quam ens, quia et quod est et quod non est opinabile est. Quare opinabile non potest esse species entis, quia genus semper latius patet quam species.

10. Rursus an de totidem rebus genus et species dicatur. Veluti si eorum quæ omnibus consequentia sunt, alterum genus alterum species posita fuerit, utputa ens et unum. Omni enim rei ens et unum consequentia sunt. Quare neutrum est alterius genus, quia de totidem rebus ambo dicuntur. Similiter fit, si primum et principium alterum sub altero positum fuerit. Nam principium est primum, et primum est principium. Quare vel ambo quæ dixi idem sunt, vel neutrum est alterius genus. Elementum autem omnium ejusmodi locorum est, de pluribus dici genus quam speciem vel differentiam. Nam differentia quoque de paucioribus dicitur quam genus.

11. Videre etiam oportet, an id quod dictum est, non sit aut non videatur esse genus alicujus eorum, quæ specie non differunt. Sed is qui confirmat, videbit an alicujus eorum sit genus. Idem enim est eorum omnium quæ specie non differunt genus. Si igitur unius genus esse probatum fuerit, constat esse omnium; et si unius non esse probatum fuerit, constat esse nullius. Ut si quis individuas lineas ponens dixerit, insecabile esse earum genus. Linearum enim quæ dividi possunt, non est genus id quod dictum est, cum specie non differant, quandoquidem omnes rectæ lineæ specie inter se non discrepant.

9. *Octavus locus* est: considerandum est, an quod ponitur sub genere, dicatur de pluribus quam genus. Genus enim debet dici de pluribus quam species; ergo si dicitur de paucioribus, male fuit assignatum; ex. gr., ens male assignatur ut genus opinabilis, quia opinabile dicitur de ente et non ente, adeoque de pluribus quam ens.

10. *Nonus locus* est: considerandum, utrum id, quod assignatur ut genus, et id, quod assignatur ut species, dicantur de æqualibus. Ex. gr., si quis unum ex prædicatis transcendentibus assignet ut genus, alterum ut speciem, dicens, *ens esse genus unius*, peccat. Cum enim, sicut omne unum est ens, sic omne ens sit unum, ens et unum sunt prædicata æqualia, adeoque non se habent ut genus et species. Ex eadem ratione peccaret, qui diceret, *primum* esse genus principii vel e converso, quia cum omne principium sit primum, et omne primum sit principium, primum et principium non se habent sicut genus et species. Maxima autem, in qua fundantur omnia hæc ultima loca, est, quod genus dicitur de pluribus, quam species et differentia.

11. *Decimus locus* est: considerandum est, utrum quod assignatur ut genus alicujus, sit vel non sit genus alterius ex illis, quæ non differunt specie ab illo. Cum enim, quod est genus alicujus, sit genus omnium, quæ non differunt specie ab illo, habemus hinc locum ad construendum vel destruendum. Ex. gr., si quis dicat genus Æthyopis esse *nigrum*, potest destrui hoc problema, quia Æthyopes et Itali sunt ejusdem speciei; sed nigrum non est genus Itali; ergo neque Æthyopis. Si vero ponatur, quod aliquid est genus alicujus specie non differentis, potest eo ipso concludi quod

est genus omnium. Ex. gr., si quis ponens aliquas lineas rectas indivisibiles, dicat, earum genus esse *indivisibile*, potest redargui, quia omnes lineæ rectæ tum divisibiles tum indivisibiles sunt ejusdem speciei; sed indivisibile non est genus linearum divisibilium; ergo neque indivisibilium.

CAPUT II

DE ALIIS QUINDECIM LOCIS.

1. [2] Considerare etiam oportet, an aliquid aliud genus sit speciei propositæ, quod neque contineat propositum genus neque sub illo sit. Veluti si quis posuerit scientiam esse genus justitiæ. Nam et virtus est genus, et neutrum genus continet reliquum. Quare scientia non potest esse genus justitiæ. Videtur enim, cum una species sub duobus generibus est, alterum sub altero contineri.

2. Hoc autem in quibusdam dubitationem habet. Nonnullis enim videtur prudentia esse et virtus et justitia, et neutrum genus sub altero contineri.

3. Sed non ab omnibus conceditur prudentiam esse scientiam. Quod si quis concedat hoc verum esse, at certe videtur necesse esse ut quæ sunt ejusdem genera, vel sint subalterna vel ambo sint sub eodem genere, quemadmodum etiam in virtute et in scientia contingit; ambo enim sunt sub eodem genere, quia utrumque eorum est habitus et affectio. Considerandum igitur est, an neutrum insit proposito generi. Nam si nec subalterna genera sint nec sub eodem genere ambo collocentur, id quod propositum est non potest esse genus.

1. *Undecimus locus* est: considerandum an aliquid aliud sit genus speciei assignatæ, quod neque contineat genus assignatum, neque in illo contineatur. Est enim impossibile, ut species sit sub duplici genere, quorum neutrum contineatur in altero; sed si bene assignatum esset genus, species contineretur sub duplici genere, quorum neutrum contineretur in altero; ergo etc. Ex hoc loco possumus argumentari contra ponentem, quod genus justitiæ sit scientia. Genus enim justitiæ est virtus moralis; sed virtus moralis neque continetur sub scientia neque continet scientiam; ergo scientia, non est genus justitiæ, alioquin justitia esset sub duplici genere, quorum neutrum continet aliud.

2. Contra hunc locum potest opponi, quia aliqui cum Socrate docent prudentiam esse simul in genere virtutis ac scientiæ, licet neque scientia contineat virtutem neque virtus scientiam; ergo falsum est, quod non possit idem esse in duplici genere, quorum neutrum contineatur in altero.

3. Respondet primo Aristoteles, alios negare prudentiam esse in genere scientiæ; ergo contra hos non procedit argumentum. Respondet secundo, quod in ea sententia limitandum est principium, ita ut dicatur, tum esse impossibile, ut idem sit in duplici genere, quorum neutrum continetur in alio, cum illa duo genera neque continentur in genere superiori; et quia scientia et virtus continentur in generibus superioribus habitus ac dispositionis, ideo non repugnat, ut prudentia contineatur in duplici genere virtutis ac scientiæ, quorum neutrum continetur in alio. Considerandum igitur est, utrum species contineatur in alio genere, quod neque contineat genus positum, nec contineatur in illo, ita ut neque illa duo contineantur in genere communi, et ex hoc est argumentandum.

4. Considerare etiam oportet genus propositi generis, atque ita semper superiora genera, nempe an omnia attribuantur speciei, et an attribuantur in quæstione quid est. Opus enim est ut omne superius genus attribuatur speciei in quæstione quid est. Sicubi igitur discrepat, constat id quod propositum est non esse genus.

5. Rursus videndum est, an genus participet speciem, sive ipsum sive aliquod superiorum generum. Quod enim est superius, nullius eorum quæ infra sunt particeps est. Quid igitur refellit, ita ut dixi hoc loco uti debet. Ei vero qui confirmat, si concedatur genus propositum inesse speciei, ac dubitetur, an ut genus insit, satis est probare aliquod superiorum generum attribui speciei in quætione quid est. Nam si unum attribuatur in quæstione quid est, omnia quæ supra et quæ infra hoc sunt, siquidem attribuantur speciei, attribuentur in quæstione quid est. Quare etiam propositum genus attribuitur in quæstione quid est. Quod autem, si unum attribuatur in quæstione quid est, et reliqua omnia, si attribuantur, attribuentur in quæstione quid est, per inductionem sumi debet. Atsi simpliciter dubitetur, an propositum genus insit, non sufficit probare aliquod superiorum generum attribui speciei in quæstione quid est. Veluti si quis tradiderit lationem esse genus incessus, non sufficit probare incessum esse motionem, ad probandum esse lationem, quia sunt et aliæ motiones; sed simul demonstrandum est incessum nullius eorum quæ in eadem divisione ponuntur esse participem præterquam lationis. Necesse enim est ut id quod generis est particeps, etiam alicujus earum specierum,

quæ in prima generis divisione ponuntur, particeps sit. Si igitur incessus neque accretionis neque imminutionis nec aliarum motionum particeps sit, patet eum lationis esse participem. Quocirca latio erit genus incessus.

4. *Duodecimus locus* est : considerandum est, utrum genus generis assignati et alii gradus superiores prædicentur de specie *in quid*. Cum enim aliquid est genus respectu alicujus speciei, necesse est, ut omnia superiora genera prædicentur *in quid* de tali specie. Nam omnia superiora prædicantur *in quid* de eo, de quo inferius prædicatur *in quid;* ergo si aliquid ex superioribus non prædicatur *in quid,* male erit assignatum genus. Ex hoc loco potest ostendi, quod verecundia non est sub genere virtutis. Cum enim genus virtutis sit habitus, de verecundia deberet *in quid* prædicari habitus ; sed verecundia non est habitus, sed quædam passio; ergo genus verecundiæ non est virtus.

5. *Decimus tertius locus* est : considerandum est, utrum genus generis assignati, vel aliquod aliud prædicatum superius genere assignato, participet speciem. Sicut enim impossibile est, ut genus participet speciem, sic impossibile est, ut genus generis vel prædicata superiora genere participent speciem, ita ut de ipsis prædicetur *in quid* definitio speciei. Superiora enim non participant de inferioribus; ergo si aliquid superius participat speciem, male assignatum est genus. Ex hoc loco potest ostendi, quod avis male assignatur ut genus animalis. Genus enim et ea, quæ sunt superiora genere, non possunt participare de specie, ita ut de illo superiore species prædicetur in quid; sed animal, quod ponitur ut species avis, prædicatur in quid de ave ac de volatili, quod est superius ave; ergo avis male assignatur ut genus animalis. Addit Aristoteles, quod hoc loco non solum possumus uti ad destruendum, ostendendo, male fuisse assignatum genus, sed etiam ad construendum et ad probandum, quod genus bene fuit assignatum. Et quidem vel adversarius concedit genus proprium prædicari de specie, ac solum negat, id bene assignatum fuisse, quia non prædicatur *in quid;* vel negat id prædicari de specie. Si concedit genus positum prædicari de specie ac solum negat prædicari *in quid,* possumus ostendere, quod prædicatur *in quid,* quia cum prædicatur *in quid* superius, etiam inferius, si prædicatur, prædicatur *in quid,* ut patet inductione; eo enim ipso, quod vivens est superius animali, si vivens prædicatur *in quid* de homine et equo, etiam animal, si prædicatur de homine et equo, prædicatur *in quid;* sed prædicatur *in quid* aliquid superius, et ex concessis inferius prædicatur; ergo etiam genus positum prædicatur *in quid.* Ex hoc loco possumus probare, quod dispositio est genus virtutis. Cum enim omnis virtus sit dispositio, dispositio prædicatur de virtute; sed etiam prædicatur *in quid*; ergo, etc. — Minor probatur, quia qualitas, quæ est genus dispositionis, prædicatur *in quid* de dispositione ; sed cum de specie prædicatur *in quid* superius, etiam inferius, dummodo de tali specie prædicetur, prædicatur *in quid;* ergo etiam dispositio prædicatur *in quid* de virtute, adeoque est genus virtutis. Si vero adversarius neget assignatum genus prædicari de specie, non sufficit ostendere, quod aliquid superius prædicatur *in quid* de specie, sed debet ostendi, quod species non participat de ullo alio membro ex iis, in quæ dividitur illud superius. Ex. gr., si quis neget, lationem esse genus ambulationis, asserens lationem non prædicari de ambulatione, ad probandum, quod latio sit genus ambulationis, non sufficit ostendere, quod motus, qui est genus lationis, prædicetur in quid de ambulatione, sed debet ulterius ostendi, quod nulla alia species, in quas dividitur motus, prædicetur de ambulatione sic arguendo : motus prædicatur *in quid* de ambulatione ; sed est impossibile, ut ambulatio sit in genere motus, nisi aliqua species motus prædicetur *in quid* de ambulatione ; quod enim participat genus, participat de aliqua specie talis generis; ergo aliqua species motus prædicatur *in quid* de ambulatione; sed species motus sunt generatio, corruptio, augmentatio, diminutio, alteratio et latio, aliæ vero quinque species motus non prædicantur de ambulatione ; ergo latio prædicatur *in quid* de ambulatione, adeoque latio est genus ambulationis.

6. Rursus in quibus proposita species ut genus dicitur, considerare oportet, an etiam propositum genus in quæstione quid est iis ipsis attribuatur, quibus et species attribuitur ; similiterque an quæ sunt supra genus, omnia. Sicubi enim discrepat, patet id quod propositum fuit non esse genus, quia si esset genus, omnia quæ supra illud sunt, et ipsum illud in quæstione quid est attribueretur iis quibus et species in quæstione quid est attribuitur. Evertenti igi-

tur utile est, si genus iis non attribuatur in quæstione quid est, quibus species attribuitur, confirmanti autem utile est, si attribuatur in quæstione quid est. Accidet enim ut et genus et species eidem in quæstione quid est attribuantur. Quare idem sub duobus generibus constituitur. Necesse est igitur ut genera sint subalterna. Si igitur probatum fuerit id quod volumus genus constituere non esse sub specie, manifestum est speciem sub ipso esse. Quare probatum erit hoc esse genus.

7. Considerare etiam oportet definitiones generum, an aptentur speciei propositæ et iis quæ speciem participant. Necesse enim est ut generum definitiones attribuantur speciei et iis quæ participant speciem. Sicubi igitur discrepat, patet id quod propositum fuit, non esse genus.

6. *Decimus quartus locus* est : considerandum, an genus assignatum et superiora tali genere, prædicentur *in quid* de inferioribus, de quibus species assignata prædicatur. Si enim non prædicatur, male fuit assignatum. Ratio est, quia genus et superiora generis, prædicantur *in quid* non solum de specie, sed etiam de omnibus inferioribus, de quibus species prædicatur *in quid*; ergo si vel assignatum genus vel aliquid superius ipso, non prædicatur *in quid* de aliquo inferiori speciei assignatæ, male fuit assignatum. Hic locus est utilis ad destruendum et construendum. Ex. gr., possumus sic destruere problema ponens scientiam esse genus virtutis. Si scientia esset genus virtutis, scientia et superiora scientia, puta *habitus intellectus*, deberent prædicari de omnibus inferioribus virtutibus, hoc est de temperantia, justitia etc.; sed non prædicantur, cum temperantia, justitia etc., non sint scientiæ neque habitus intellectus; ergo etc. Ad construendum vero problema ponens, quod volatile sit genus avis, possumus sic arguméntari : volatile prædicatur *in quid* de omnibus inferioribus speciebus avis, puta de aquila cygno etc.; ergo est genus ipsarum, sed non possunt hæc esse sub duplici genere non subalterno; ergo avis et volatile sunt genera subalterna; sed avis non est genus volatilis, cum minus late pateat quam volatile; ergo volatile est genus avis.

7. *Decimus quintus locus* est : considerandum est, utrum definitiones generum conveniant speciei et inferioribus, quæ participant speciem. Cum enim definitiones generum debeant convenire speciebus et inferioribus, quæ participant species, si aliqua definitio non convenit, male fuit assignatum genus. Ex hoc loco potest ostendi, quod genus animæ non est numerus. Definitio enim numeri est *multitudo ex unitatibus composita;* sed hæc definitio non convenit animæ; ergo anima non est numerus.

8. Rursus animadvertendum est, an differentiam quasi genus adhibuerit, veluti an immortale posuerit quasi genus Dei. Immortale enim est differentia animalis, quoniam animalium alia mortalia sunt, alia immortalia. Patet igitur eum peccasse, quia differentia nullius rei genus est. Hoc autem verum esse constat, quia nulla differentia significat quid est, sed potius quale quid, quemadmodum terrestre et bipes.

9. Sed et illud videndum est, an differentiam in genere posuerit quasi speciem, veluti si dixerit impar esse id quod numerum. Impar enim est differentia, non species numeri. Nec videtur differentia esse particeps generis. Quidquid enim est generis particeps, aut est species aut individuum; differentia vero nec est species nec individuum ; patet igitur differentiam non esse generis participem. Quamobrem impar non potest esse species, sed differentia, quia non est particeps generis.

8. *Decimus sextus locus* est : considerandum est, an quod assignatur ut genus, sit differentia. Ex hoc loco posset redargui, qui diceret, genus hominis esse *mortale,* genus Dei sive Angeli esse *immortale,* juxta Platonicos, qui putabant hominem esse animal rationale mortale; Angelos esse animalia rationalia immortalia. Ratio est, quia mortale et immortale sunt differentiæ animalis; sed differentiæ non possunt esse genus; ergo, etc.—Probatur minor; nam differentia non tam prædicatur *in quid* quam in quale ; genus prædicatur *in quid;* ergo differentia non potest esse genus.

9. *Decimus septimus locus* est : debet considerari, an quod assignatur ut species alicujus generis, sit differentia. Ex. gr., si quis assignaret par et impar ut species numeri, peccaret, quia par et impar sunt differentiæ; sed quod est differentia non est species ; ergo, etc.—Probatur minor ; nam species debet participare genus, ita ut suscipiat definitionem generis; sed genus non prædicatur de differentiis, ita ut differentiæ suscipiant definitionem generis; ergo, etc.

10. Præterea videndum est, an genus in specie posuerit, veluti si contiguitatem esse id quod continuationem dixerit, aut mixtionem esse id quod temperationem, aut ut Plato defi-

nit, loci mutationem esse lationem. Non enim necesse est contiguitatem esse continuationem, sed contra continuationem esse contiguitatem, quia non quidquid aptatur, continuatur, sed quod continuatur, aptatur. Similiter fit et in cæteris. Neque enim omnis mixtio est temperatio, quia siccorum mixtio non est temperatio. Neque omnis loci mutatio est latio, quoniam incessus non videtur esse latio ; fere enim latio dicitur de iis quæ non sua sponte locum mutant, ut in rebus inanimis accidit. Constat autem latius patere speciem quam genus in iis quæ adducta fuerunt, cum contra fieri debeat.

10. *Decimus octavus locus* est : considerandum est, utrum loco generis assignata fuerit species. Ex. gr., qui diceret, contiguum esse speciem continui, peccaret, quia contiguum est genus continui non species ; omnia enim continua sunt contigua ; at non omnia contigua sunt continua. In idem vitium incideret, qui assignaret mistionem ut speciem temperamenti. Cum enim omne temperamentum sit mistio, non omnis mistio sit temperamentum, mistio non est species, sed genus temperamenti. Quod autem non omnis mistio sit temperamentum, patet, quia mistio siccorum non est temperamentum, sed sola mistio liquidorum. Demum videtur etiam, quod peccaret, qui diceret mutationem secundum locum esse speciem lationis. Neque enim est species, sed genus lationis, siquidem licet omnis latio sit mutatio secundum locum, non omnis mutatio secundum locum est latio ; nam ambulatio cum sit mutatio secundum locum, non videtur latio, quia nome lationis videtur significare motum non immediate spontaneum, quo quis defertur.

11. Rursus videndum est, an differentiam in specie posuerit, veluti immortale esse id quod Deum ; accidet enim de totidem vel de pluribus speciem dici ; semper enim differentia de totidem vel de pluribus dicitur quam species.

12. Præterea an genus in differentia posuerit, veluti colorem esse id quod congregativum, aut numerum esse id quod imparem.

13. Et an genus quasi differentiam dixerit ; fieri enim potest ut aliquis etiam ejusmodi thesim afferat, veluti mistionem esse differentiam temperationis aut loci mutationem lationis. Consideranda autem sunt, quæcumque sunt ejusmodi, ex iisdem locis seu fundamentis, quia communio quædam est inter locos ; nam et de pluribus genus quam differentia dici, nec differentiam participare debet. Genere autem ita ut in superioribus exemplis allato, neutrum eorum quæ dixi, contingere potest, quoniam et de paucioribus dicetur et participabit genus differentiam.

11. *Decimus nonus locus* est : si quis ponat differentiam in specie seu sub specie, ita ut assignet speciem ut genus differentiæ, peccat. Ex. gr., qui dicit Deum esse genus immortalis, aut hominem esse genus rationalis, peccat ; cum immortale sit differentia constitutiva Dei ; rationale sit differentia constitutiva hominis. Est autem impossibile, ut differentia constitutiva sit sub specie. Ratio est, quia differentia constitutiva prædicatur de æqualibus aut de pluribus quam species : de æqualibus quidem, si sit differentia propria ; de pluribus, si sit differentia subalterna ; sed quod est sub aliquo genere, non potest prædicari de æqualibus neque de pluribus quam illud ; ergo differentia non potest poni sub specie, assignando speciem ut genus illius.

12. *Vigesimus locus* est : si quis ponat genus in differentia seu sub differentia, peccat. Ex. gr., si quis ponat numerum sub pari vel impari, quæ sunt differentiæ divisivæ numeri, peccat ; et similiter peccat, qui ponit colorem sub congregativo visus, quæ est differentia coloris.

13. *Vigesimus primus locus* est : si quis ponat genus loco differentiæ, peccat. Ex. gr., peccaret qui diceret mistionem esse differentiam temperamenti, vel mutationem secundum locum esse differentiam lationis ; nam et mistio est genus temperamenti, et mutatio secundum locum est genus lationis. Addit Aristoteles rationem communem pro his tribus ultimis locis esse, quia genus dicitur de pluribus quam differentia, et non participat differentiam ; sed juxta factas assignationes sequitur, quod genus non dicatur de pluribus, sed de paucioribus quam differentia, et quod participet differentiam ; ergo, etc. — Probatur minor ; nam juxta 19um locum, species assignatur ut genus differentiæ ; sed species non prædicatur de pluribus quam differentia ; ergo assignatur ut genus, quod non prædicatur de pluribus quam differentia. Juxta 20um locum genus ponitur sub differentia ; sed inferius participat de superiore et prædicatur de paucioribus ; ergo genus participat differentiam et prædicatur de paucioribus ; juxta 21um locum genus ponitur ut differentia ; ergo non prædicatur de pluribus quam differentia.

14. Item si nulla ex generis differentiis attribuitur speciei propositæ, ne genus quidem attribuetur, ut animæ nec impar nec par attribuitur, proinde nec numerus.

15. Præterea si species sit natura prior et secum auferat genus, quia contrarium videtur verum esse, non potest esse genus.

16. Præterea si accidit ut species relinquat propositum genus vel differentiam, ut animam motio vel opinionem veritas et falsitas, neutrum eorum quæ dixi potest esse genus aut differentia ; videtur enim genus et differentia consequens esse, quam diu species est.

14. *Vigesimus secundus locus* est : quando nulla differentia divisiva generis prædicatur de specie, nec genus prædicatur de tali specie, adeoque illud genus male assignatur. Ex hoc loco potest ostendi, quod numerus non est genus animæ. Si enim numerus esset genus animæ, aliqua differentia numeri prædicaretur de anima; sed hoc est falsum ; ergo, etc.— Probatur minor ; differentiæ enim numeri sunt par et impar ; sed de anima neque prædicatur par neque impar ; ergo, etc.

15. *Vigesimus tertius locus* est : si quod assignatur ut species sit prius natura assignato genere, ita ut specie interempta, interimatur genus, male fuit assignatum, tale genus, cum potius genus debeat esse prius natura, seu a subsistendi consequentia quam species, ita ut genere interempto interimatur species, non e contra. Ex hoc loco potest ostendi, quod male contiguum assignatur ut species continui. Interempto enim contiguo, interimitur continuum, non e converso, cum valeat : *non sunt propinqua ; ergo neque continua ;* at non valeat : *non sunt continua; ergo neque propinqua seu contigua.*

16. *Vigesimus quartus locus* est : si quod assignatur ut genus vel differentia, sit tale, ut species possit esse sine illo, male fuit assignatum. Ex. gr., peccaret qui diceret : *moveri* esse genus aut differentiam animæ. Nam species non potest esse sine genere nec sine differentia ; sed anima potest esse, quin moveatur, ut cum quiescit ; ergo, etc. Similiter peccaret qui diceret differentiam opinionis esse, ut vel sit vera vel falsa. Nam opiniones de futuris contingentibus videntur nec esse determinate veræ nec determinate falsæ.

CAPUT III.

DE ALIIS LOCIS GENERIS.

1. [3] Considerare etiam oportet, an id quod in genere positum est, alicujus generis contrarii particeps sit vel particeps esse possit. Idem enim contrariorum simul particeps erit, quia nunquam species deserit genus, et particeps quoque est, vel particeps potest esse contrarii.

2. Præterea videndum est, an aliquid communicetur cum specie, quod omnino inesse nequeat iis quæ sunt sub genere. Veluti si anima est vitæ particeps, numerorum autem nullus vivere potest, certe anima non est species numeri.

3. Considerandum etiam est, an species et genus sint homonyma, utendo elementis quæ tradita sunt ad homonymiam investigandam, quoniam genus et species sunt synonyma.

4. Cum autem omnis generis sint plures species, considerare oportet, an altera species esse nequeat generis propositi. Nam si altera species non sit, patet non posse omnino genus esse id quod dictum est.

5. Considerare etiam oportet, an id quod per translationem dicitur, quasi genus proposuerit ; quale est si quis dixerit temperantiam esse concentum. Omne enim genus proprie speciebus attribuitur ; concentus vero temperantiæ non proprie, sed per translationem attribuitur, quandoquidem omnis concentus est in sonis.

1. *Vigesimus quintus locus* est : si species potest habere prædicatum contrarium generi, male illud fuit assignatum ut genus. Ratio est, quia species non potest esse, quin participet genus ; ergo si potest etiam participare prædicatum contrarium generi, poterit simul participare contraria. Ex hoc loco potest ostendi, quod verum non est genus opinionis. Potest enim opinio esse falsa ; sed si verum est genus opinionis, non potest esse opinio, quin sit vera ; ergo potest opinio esse simul vera et falsa, adeoque habere prædicata contraria, quod est absurdum.

2. *Vigesimus sextus locus* est : si species potest habere aliquod prædicatum, quod non potest convenire ulli ex iis, quæ continentur sub genere, male fuit assignatum genus. Ex hoc loco potest ostendi numerum non esse genus animæ. Nam anima potest vivere ; sed nullus numerus potest vivere, ergo etc .

3. *Vigesimus septimus locus* est : si genus æquivoce dicatur de specie, male fuit assignatum. Ratio est, quia genus debet univoce prædicari de suis inferioribus. Ex hoc loco potest ostendi, quod clarum non est genus commune voci claræ et colori claro. Nam clarum æquivoce dicitur de voce clara et de colore claro. Ad videndum autem, utrum genus prædicetur æquivoce, utendum est locis traditis lib. I. cap. XIII.

4. *Vigesimus octavus locus* est : si quod assignatur ut genus, non potest prædicari de alia specie, quam de assignata, male fuit assignatum. Ratio est, quia genus debet esse prædicabile de pluribus speciebus. Ex hoc loco posset redargui, qui diceret *animal rationale* esse genus hominis. Animal enim rationale non prædicatur nisi de homine (falsa enim est sententia Platonicorum, quod Angeli sint animalia rationalia) ergo animal rationale non est genus hominis.

5. *Vigesimus nonus locus* est : si genus assignatum dicitur metaphorice de specie, male fuit assignatum, quia genus debet dici proprie. Ex hoc loco posset redargui qui diceret consonantiam esse genus temperantiæ, nam temperantia solum metaphorice dicitur consonantia.

6. Præterea considerandum est, an contrarium quidpiam speciei sit. Est autem multiplex hæc consideratio. Primum videndum est, an in eodem genere sit etiam contrarium, cum nihil sit generi contrarium. Oportet enim contraria esse in eodem genere, si nihil contrarium generi sit.

7. At si sit aliquid contrarium generi, considerare oportet, an contrarium sit in contrario genere. Necesse est enim contrarium in contrario esse, si quid sit generi contrarium. Hoc autem unumquodque manifestum est per inductionem.

8. Rursus videndum est, an omnino in nullo genere sit id quod est speciei contrarium, sed ipsum sit genus, ut bonum. Si enim hoc non sit in genere, ne contrarium quidem ejus in genere erit, sed ipsum erit genus, quemadmodum in bono et malo accidit ; neutrum enim eorum est in genere, sed utrumque eorum est genus.

9. Præterea videndum est, an alicui contrarium sit tam genus quam species, et aliis quidem sit quidpiam interjectum, aliis vero minime. Nam si generibus est aliquid interjectum, etiam speciebus, et si speciebus, etiam generibus, quemadmodum in virtute et vitio, necnon justitia et injustitia contingit ; utrique enim est aliquid interjectum. Huic objicitur quod sanitati et morbo nihil est interjectum, malo autem et bono est aliquid interjectum.

10. Præterea videndum est, an sit quidem ambobus aliquid interjectum, nempe et speciebus et generibus, non tamen similiter, sed aliorum secundum negationem. Aliorum ut subjectum. Probabile enim est similiter esse ambobus medium interjectum quemadmodum in virtute et vitio, necnon justitia et injustitia perspici potest ; utrisque enim per negationem medium est interjectum.

6. Sequuntur alii loci ex contrariis. *Trigesimus* igitur *locus* est : si species habet contrarium, genus autem non habet contrarium, considerandum est, an contrarium speciei sit in eodem genere; si enim contrarium speciei non est in eodem genere, male fuit assignatum tale genus. Ratio est, quia ut dictum est in Prædicamentis, contraria vel sunt in eodem genere, vel sunt sub generibus contrariis, vel ipsa sunt prima genera ; sed supponitur, quod species assignata habeat genus, adeoque non sit primum genus ; rursus supponitur, quod genus non habeat contrarium , adeoque species et contrarium speciei non sint in contrariis generibus; ergo genus et contrarium speciei debent esse in eodem genere ; ergo male fuit assignatum genus speciei, si sub ipso non est contrarium talis speciei. Ex hoc loco potest probari, quod numerus non est genus viventis. Mortuum enim est contrarium viventi; sed numerus non habet contrarium, et non est genus mortui ; ergo numerus nec est genus viventis.

7. *Trigesimus primus* locus est : cum et species et genus habent contrarium, species et ejus contrarium debent esse in contrariis generibus, adeoque si contrarium speciei non est sub contrario generis, male fuit assignatum genus. Ex hoc loco potest probari inclinationem naturalem ad bonum non esse in genere virtutis. Virtuti enim est contrarium vitium; ergo si inclinatio naturalis ad bonum esset in genere virtutis, inclinatio naturalis ad malum esset in genere vitii; sed inclinatio naturalis ad malum non est in genere vitii; vitium siquidem non potest esse naturale ; ergo neque inclinatio naturalis ad bonum est in genere virtutis.

8. *Trigesimus secundus locus* est : si contrarium speciei, cujus genus assignatur, non sit sub genere, sed sit primum genus, etiam talis species non est sub genere, sed est primum genus, adeoque male assignatum fuit genus, sub quo sit talis species. Ex. gr., si quis assignaverit habitum ut genus mali, potest redargui, quia cum unum contrarium sub nullo est genere, sed est primum genus, etiam aliud contrarium sub nullo est genere, sed est primum genus; sed bonum, quod est contrarium malo, est primum genus, adeoque sub nullo est genere; ergo etiam malum sub nullo est genere, sed est primum genus; ergo male habitus fuit assignatus ut genus mali.

9. *Trigesimus tertius locus* ex medio contrariorum est : cum et species et genus habent contrarium, si datur medium inter contrarias species, datur etiam inter contraria genera; et si datur inter contraria genera, datur inter contrarias species. Ex. gr., quia virtus et vitium sunt contraria genera, justitia vero et injustitia sunt contrariæ species talium generum, sicut inter virtutem et vitium datur medium, quod neque est virtus neque vitium, sic inter justitiam et injustitiam datur medium, quod neque est justitia neque injustitia. Est tamen instantia, propter quam hic locus non necessario concludit. Nam malum et bonum sunt contraria genera; sanitas et ægritudo sunt contrariæ species talium generum et tamen, licet inter malum et bonum detur medium, inter sanitatem et ægritudinem non datur medium.

10. *Trigesimus quartus locus* est : si medium inter genera contraria est affirmativum, etiam medium inter species contrarias est affirmativum; si medium inter genera est negativum, etiam medium inter species est negativum. Ex. gr., quia medium inter virtutem et vitium designatur negatione dicendo, quod est id, quod neque est virtus neque vitium, etiam medium inter justitiam et injustitiam debet esse designabile negatione, dicendo, quod est id, quod neque est justitia ne que injustitia.

11. Præterea quando non est contrarium generi, considerare oportet, non solum an contrarium, sed etiam an medium sit in eodem genere. In quo enim genere sunt extrema, in eo et medium est, ut in albo et nigro videre licet ; color enim est genus et horum et interjectorum colorum omnium. Objectio est quod parum et nimium sunt in eodem genere ; ambo enim sunt in eo quod malum est; mediocre autem, quod est medium his interjectum, non est in eo quod est malum, sed in eo quod est bonum.

12. Considerare etiam oportet, an genus quidem sit contrarium alicui, species vero nulli. Nam si genus est alicui contrarium, etiam species, quemadmodum virtus et vitium, necnon justitia et injustitia. Similiterque si alia considerentur, hoc videri possit perspicuum esse. Objectio est in sanitate et morbo ; simpliciter enim sanitas est morbo contraria. ; quidam autem morbus, cum sit species morbi, nulli est contrarium, ut febris et oculorum dolor et singuli alii. Ac ei quidem qui refellit hæc tot modis consideranda sunt, quia nisi insint hæc quæ dicta sunt, patet id quod est propositum non esse genus.

13. Ei vero qui confirmat, tribus modis consideranda sunt. Primum quidem an id quod est speciei contrarium, sit in dicto genere, cum nihil sit contrarium generi ; si enim contrarium sit in hoc genere, patet in eodem genere esse etiam id quod est propositum.

14. Præterea an medium sit in dicto genere ; in quo enim sunt media, in eo sunt etiam extrema.

15. Rursus si quid sit contrarium generi, considerare oportet, an etiam contrarium sit in contrario ; si enim sit, patet etiam propositam speciem esse in proposito genere.

11. *Trigesimus quintus locus* est : quando species habet contrarium, genus autem non habet contrarium, considerandum est, an non solum contrarium speciei, sed etiam media sint in eodem genere. Nam non solum contrariæ species, sed etiam media debent esse in eodem genere, eo pacto, quo non solum albedo et nigredo, qui sunt colores contrarii, sed etiam rubedo et alii colores medii sunt in eodem genere coloris. Verum hic locus non necessario concludit. Est enim instantia in contrarium ; nam defectus et excessus sunt in eodem genere vitii, mediocre autem, quod est medium inter excessum et defectum, non est in genere vitii, sed in contrario genere virtutis. Adhuc tamen posset dici, quod vitium est genus habens contrarium; in loco autem posito dictum est, quod tum contraria et medium sunt in eodem genere, cum genus eorum non habet contrarium.

12. *Trigesimus sextus locus* est : si genus habet contrarium, etiam species habet contrarium; ex. gr., sicut virtus, quæ est genus justitiæ, habet contrarium vitium, sic justitia habet contrariam injustitiam. Si igitur genus habet contrarium, species non habet, male fuit assignatum tale genus. Verum etiam hic locus videtur habere instantiam. Nam ægritudo, quæ est genus, habet pro contrario sanitatem, et tamen species ægritudinis, ut *febris, ophthalmia,* nullum habent contrarium. Adhuc tamen posset dici quod assignatæ species ægritudinis habent contrarium, sed innominatum. Addit Aristoteles hæc loca ex contrariis non solum valere ad destruendum, sed etiam aliqua illorum valere ad construendum.

13. *Trigesimus* igitur *septimus locus* ad construendum est : cum genus non habet contrarium species contrariæ debent esse in eodem genere, ut est expli-

catum. Ex eo igitur, quod aliquid non habens contrarium sit genus unius contrarii, potest probari, quod sit genus alterius; ex. gr., ex eo, quod color, qui non habet contrarium, sit genus albedinis, potest probari, quod sit genus nigredinis.

14. *Trigesimus octavus locus* est : cum genus non habet contrarium, id quod est genus medii, est etiam genus contrariorum. Ex hoc loco potest probari colorem esse genus albedinis et nigredinis. Color enim non habet contrarium et est genus rubedinis, quæ est medium inter albedinem et nigredinem; ergo color est etiam genus albedinis et nigredinis.

15. *Trigesimus nonus locus* est : cum genus habet contrarium, contrariæ species debent esse sub contrario genere. Ex hoc loco potest probari genus injustitiæ esse vitium. Sicut enim injustitia est contraria justitiæ, sic vitium est contrarium virtuti ; sed virtus est genus justitiæ; ergo vitium est genus injustitiæ. Cum enim genera habent contrarium, contrariæ species debent esse sub contrariis generibus.

CAPUT IV

DE ALIIS LOCIS GENERIS.

1. [4] Item in casibus et conjugatis, an similiter consequantur, videndum est, sive refellatur sive confirmetur. Simul enim uni et omnibus inest vel non inest. Veluti si justitia est scientia quædam, etiam juste est scienter et justus est sciens. At si quid horum non ita sit, nec aliorum ullum est.

2. Item consideranda sunt quæ similiter sunt inter se affecta. Veluti jucundum eamdem rationem habet ad voluptatem et utile ad bonum ; utrumque enim utriusque est effectivum. Si igitur voluptas est id quod bonum, etiam jucundum erit id quod utile ; patet enim esse boni efficiens, quandòquidem voluptas est bonum.

3. Itidem fit etiam in generationibus et corruptionibus. Ut si ædificare est agere, ædificasse est egisse; et si discere est recordari, didicisse est recordatum esse; et si dissolvi est corrumpi, etiam dissolutum esse est corruptum esse, et dissolutio est corruptio quædam.

4. Itidem etiam in iis quæ gignendi aut corrumpendi vim habent, et in facultatibus et usibus, et omnino secundum quamcumque similitudinem, considerandum est, sive refellatur sive confirmetur, quemadmodum in generatione et corruptione dicebamus. Nam si corruptivum est dissolutivum, etiam corrumpi est dissolvi ; et si generativum est effectivum, etiam gigni est effici et generatio est effectio. Similiter fit in potestatibus et usibus. Et omnino si potestas est affectio, etiam posse est affectum esse ; et si cujus rei usus est actio, uti est agere et usum esse est egisse.

1. Sequuntur loci ex conjugatis, ex casibus ex similibus, ex generationibus et ex corruptionibus. *Quadragesimus* igitur *locus* ex conjugatis et casibus est : si in uno conjugatorum genus est bene assignatum, etiam in reliquis est bene assignatum ; si in uno est male assignatum, etiam in reliquis est male assignatum. Ex. gr., si genus *justitiæ* est *scientia*, genus *justi* est *sciens*, genus *juste* est *scienter* ; aut si alterum horum generum male assignatur, etiam reliqua male assignantur.

2. *Quadragesimus primus locus* ex iis, quæ habent ad invicem similitudinem proportionis est : ab uno similium valet argumentum ad aliud. Ex. gr., valet : sicut se habet delectabile ad voluptatem, sic utile se habet ad bonum; nam sicut delectablile est effectivum voluptatis, sic utile est effectivum boni; ergo si voluptas est quoddam bonum, delectabile erit quoddam utile; delectabile enim eo ipso, quod erit effectivum voluptatis, erit effectivum boni.

3. *Quadragesimus secundus locus* ex generationibus et corruptionibus est : si *ædificare* est quoddam *operari*, ita ut genus hujus, quod est *ædificare* sit operari, etiam *ædificasse* est *operatum esse* ac genus hujus, quod est *ædificasse* est *operatum esse*. Rursus si *discere* est *reminisci*, *didicisse* erit *recordatum esse;* si *dissolvi* est *corrumpi*, *dissolutum esse* est *corruptum esse*, *dissolutio* est quædam *corruptio*, ita ut genus *dissolutionis* sit *corruptio*.

4. *Quadragesimus tertius locus* est : idem dicendum proportionaliter est de corruptivis, generativis, potentiis et usibus. Ex. gr., si corruptivum est dissolutivum, *corrumpi* est *dissolvi*; si generativum est effectivum, *generare* est *facere*, *generatio* est *factio;* si potentia est dispositio, *posse* est *disponi;* si usus est actus, *uti* est *agere*, *usum esse* est *egisse*.

5. Si vero id quod speciei opponitur sit privatio, dupliciter licet refellere. Primum quidem si oppositum sit in genere proposito ; vel enim simpliciter in nullo eodem genere est privatio, vel non in eodem postremo genere; utputa si aspectus, ut in extremo genere, est in sensu, cæcitas non erit sensus. Deinde si et generi et

speciei opponatur privatio, non sit autem oppositum in opposito, ne propositum quidem erit in proposito. Ac is quidem qui refellit, ita ut dictum est, uti debet. Qui vero confirmat, uno modo argumentabitur. Si enim oppositum sit in opposito, etiam propositum erit in proposito, veluti si cæcitas est privatio quædam sensus, etiam aspectus est sensus.

6. Rursus negationes considerandæ sunt ordine commutato, quemadmodum in accidente dicebatur. Ut si quod est jucundum, est id quod bonum, quod non est bonum, non est jucundum. Nisi enim ita res habeat, aliquod non bonum poterit esse jucundum ; fieri autem nequit, si quidem bonum sit genus jucundi, ut aliquid non bonum sit jucundum. Quibus enim genus non attribuitur, ne specierum quidem ulla attribuitur. Et si quis confirmet, itidem considerare debet. Si enim quod non est bonum, non est jucundum, quod est jucundum, est bonum ; quare bonum est genus jucundi.

5 Traditis locis ex contrariis, proponit Aristoteles loca ex aliis oppositis, ac primo ex privativis. Est igitur *quadragesimus quartus locus* : ex privativis dupliciter possumus destruere problema de genere. Primus modus est : si alterum ex privativis est in aliquo genere, alterum non est in tali genere; privative enim opposita, vel simpliciter non possunt esse in eodem genere, vel saltem non possunt esse in eodem genere proximo. Ex hoc loco potest ostendi, quod cæcitas non est in genere sensus. Visus enim est in genere sensus; ergo cæcitas, quæ est privatio visus, non est in genere sensus. Secundus modus est : si generi et speciei opponitur privatio, privatio vero speciei non est sub privatione generis, nec species est sub genere assignato. Ex hoc loco potest probari, quod visus non est in genere scientiæ. Sicut enim visui opponitur privative cæcitas, sic scientiæ opponitur privative ignorantia; sed cæcitas non est in genere ignorantiæ, cum non sit ignorantia; ergo nec visus est in genere scientiæ, adeoque non est scientia. Hic secundus modus valet etiam proportionaliter ad construendum. Si enim privatio est sub privatione generis, habitus est sub genere; ex. gr., si cæcitas est insensibilitas, visus est sensus, adeoque genus visus est sensus.

6. *Quadragesimus quintus locus* ex contradictoriis est : si assignatum genus convenit assignatæ speciei, contradictorium speciei conveniet contradictorio generis. Hic locus traditus est etiam libro II. cap III. n.8. pro problemate de accidente, et ejus usus est per consequentiam e converso. Ex. gr., si bonum est genus delectabilis, omne delectabile est bonum ; ergo nullum non bonum est delectabile, alioquin aliquod non bonum esset delectabile; sed si bonum est genus delectabilis, impossibile est aliquod non bonum esse delectabile ; nam necesse est, ut de eo, de quo negatur genus, negentur omnes species, eo pacto, quo de eo, de quo negatur *animal*, negatur *homo ;* ergo necesse est, ut de eo, de quo negatur bonum, negetur delectabile ; ergo impossibile est, ut non bonum sit delectabile, sicut impossibile est, ut non animal sit homo. Hoc loco possumus uti proportionaliter ad construendum. Nam si non bonum est non delectabile, delectabile est bonum, adeoque bonum est genus delectabilis proportionaliter ad ea, quæ dicta sunt de accidente.

7. Quod si species sit ad aliquid, considerare oportet, an etiam genus sit ad aliquid. Nam si species refertur ad aliquid, etiam genus, ut in duplo et multiplo videre licet ; utrumque enim refertur ad aliquid. Si vero genus ad aliquid referatur, non necesse est etiam speciem referri ; nam scientia quidem refertur ad aliquid, Grammatica vero non item. An nec id quod prius dictum est, verum esse videri possit? Virtus enim est id quod bonum et id quod honestum; et virtus quidem refertur ad aliquid, bonum autem et honestum non sunt ad aliquid relata, sed qualia. Rursus videndum est, an non ad idem referatur species per se et ratione generis; veluti si duplum dimidii dicitur duplum, etiam multiplum dici oportet ; sin minus, multiplum non potest esse genus dupli.

8. Præterea an non ad idem referatur ratione generis et ratione omnium generum generis ; nam si duplum dimidii et multiplum est, etiam exsuperare dimidium dicetur, et omnino secundum omnia superiora genera ad dimidium referetur. Objicitur quod non necesse sit per se et ratione generis ad idem referri, quia scientia dicitur scientia rei scibilis, habitus autem et affectio non rei scibilis, sed animæ.

7. Sequuntur loci ex oppositis relative. *Quadragesimus sextus locus* est : quando species est ad aliquid, etiam genus debet esse ad aliquid. Ex. gr., quia duplex, quod est species multiplicis, alicujus est duplex, multiplex, quod est genus, alicujus est multiplex. At licet genus sit ad aliquid, non necesse est, ut species sit ad aliquid. Disciplina enim, quæ est genus, est *ad aliquid*, cum disciplina sit alicujus disciplina ; et tamen Grammatica, quæ est species disciplinæ non est ad aliquid ; neque enim Grammatica est alicuius Gram-

matica. Immo videtur neque esse universaliter verum, quod cum species est ad aliquid, etiam genus sit ad aliquid. Licet enim virtus sit *ad aliquid* ac sit in genere boni, adhuc bonum non videtur esse ad aliquid, sed videtur esse qualitas.

8. *Quadragesimus septimus locus* est : cum species secundum se dicitur ad aliquid, etiam secundum genus proximum, immo secundum genera superiora debet dici ad illud idem. Si igitur secundum genus proximum vel secundum aliquod ex superioribus generibus non dicatur ad aliquid, male est assignatum tale genus. Ex. gr., quia duplum est dimidii duplum, genus autem dupli est multiplex, genus multiplicis est excedens, duplum est dimidii multiplex ac dimidii excedens ; et si duplum non esset dimidii multiplex, male multiplex fuisset assignatum ut genus dupli. Contra hunc locum est instantia. Nam scientia est sub genere habitus ac dispositionis, et tamen scientia dicitur scibilis scientia, habitus autem ac dispositio non dicuntur scibilis habitus ac dispositio, sed solum dicuntur habitus ac dispositio animæ; ergo non est necesse, ut id, quod dicitur ad aliquid secundum speciem, ad idem dicatur secundum genus proximum et secundum genera superiora, adeoque hic locus est tantum probabilis.

9. Item an eodem modo dicantur genus et species, quod ad casus attinet, veluti an alicui vel alicujus vel alio quovis modo dicantur. Ut enim species, ita etiam genus dicitur, ut fit in duplo et superioribus generibus ; alicujus enim dicitur et duplum et multiplum. Similiter fit etiam in scientia ; alicujus enim dicitur et ipsa scientia et ejus genera, ut affectio et habitus. Objicitur quod interdum non ita fiat ; nam præstans et contrarium alicui dicitur; diversum autem, cum sit horum genus, non dicitur alicui, sed ab aliquo ; diversum enim ab aliquo dicitur.

10. Item videndum est an ea quæ similiter, quantum ad casus, dicuntur, non similiter reciprocentur, ut fit in duplo et multiplo. Horum enim utrumque alicujus dicitur et ipsum et secundum reciprocationem ; alicujus enim dicitur et dimidium et submultiplum. Itidemque fit in scientia et in existimatione ; hæ namque dicuntur esse alicujus; et similiter fit reciprocatio, quoniam aliquo existimabile et scibile esse dicitur. Si igitur in aliquo non similiter reciprocatur, patet alterum non esse genus alterius.

11. Item videndum est, an non ad totidem genus et species referantur. Similiter enim et ad totidem referri utrumque videtur, ut fit in donatione et datione. Nam et donatio alicujus et alicui dicitur, et datio alicujus et alicui; datio autem est genus donationis ; nam donatio est datio non restituenda. Quædam autem non contingit ad totidem referri Nam duplum est alicujus duplum, exsuperans autem et excellens aliquod et aliquo ; quidquid enim exsuperat et excellit, aliqua re exsuperat et aliquam rem exsuperat. Quocirca hæc quæ dixi, non sunt genera dupli, quia non ad totidem specie referuntur, aut non universaliter verum est ad totidem genus et speciem referri.

9. *Quadragesimus octavus locus* est : species ac genus debent dici ad aliquid eodem pacto et secundum eosdem casus. Ex. gr., quia duplum est alicujus duplum, multiplex, quod est genus dupli, est alicujus multiplex ; excedens est alicujus excedens ; quia scientia est alicujus scientia, habitus ac dispositio est alicujus habitus ac dispositio. Si ergo non similiter neque in eodem casu dicantur ad aliquid species et genus, signum est, quod male fuit assignatum tale genus. Verum etiam contra hunc locum est instantia. Nam *differens* dicitur *alicui differens*, contrarium dicitur alicui contrarium, et tamen *diversum*, quod est genus horum, non dicitur alicui diversum, sed ab aliquo diversum.

10. *Quadragesimus nonus locus* est : eodem casu debent cum suis correlativis converti species et genus. Ex. gr., quia existimatio est genus scientiæ, sicut existimatio est existimabilis existimatio, existimabile vero est existimatione existimabile, sic scientia est scibilis scientia, scibile est scientia scibile. Si igitur non in eodem casu convertuntur genus et species, signum est, quod male fuit assignatum genus.

11. *Quinquagesimus locus* est : species et genus debent dici ad æqualia numero. Ex. gr., quia donum est species dationis, est enim *datio irredibilis* ; donum verò dicitur alicujus donum et alicui donum ; etiam datio dicitur alicujus datio et alicui datio. Si ergo species et genus non æqualiter dicantur, signum est, quod male fuit assignatum genus. Sed contra hunc locum est instantia. Nam duplum est alicujus duplum, excedens autem non solum est alicujus excedens, sed etiam aliquo excedens; ergo vel excedens non est genus dupli, vel non est universaliter verum, quod genus et species ad æqualia dicantur.

12. Videre etiam oportet, an oppositum sit oppositi genus, ut si multiplum est genus dupli,

etiam submultiplum est genus dimidii. Oportet enim oppositum esse oppositi genus. Si quis igitur posuerit scientiam esse id quod sensus, oportebit etiam scibile esse id quod sensibile. Sed non ita est ; neque enim omne scibile est sensibile, quoniam in rerum intelligibilium numero nonnulla scibilia sunt. Quare sensibile non est genus scibilis. Quod si hoc non sit genus, ne sensus quidem est genus scientiæ.

13. Quoniam autem eorum quæ ad aliquid referuntur, alia necessario in illis aut circa illa sunt ad quæ referuntur, ut affectio et habitus et symmetria (hæc enim in nulla alia re esse possunt quam in iis ad quas referuntur), alia vero non necesse est in illis inesse ad quæ referuntur, contingit tamen inesse, ut si anima sit res scibilis (nihil enim vetat quominus anima sui ipsius scientiam habeat; non tamen necesse est, quia potest et in alio hæc ipsa scientia inesse), alia vero simpliciter non possunt in illis inesse ad quæ referuntur, ut contrarium non potest esse in contrario, nec scientia in scibili, nisi accidat ut id quod est scibile, sit anima vel homo.

14. Considerare igitur oportet, an aliquis quod tale est, posuerit in genere non tali. Cujusmodi est, si quis dixerit, memoriam esse mansionem scientiæ. Omnis enim mansio in eo quod manet et circa illud est ; quapropter etiam scientiæ mansio debet esse in scientia. Memoria igitur est in scientia, quia est mansio scientiæ. Hoc autem nequit, quoniam omnis memoria est in anima. Hic autem locus etiam ad accidens pertinet ; nihil enim refert utrum mansio dicatur esse genus memoriæ, an dicatur ei accidere. Nam si quovis modo memoria est mansio scientiæ, hæc eadem de ea ratio conveniet.

12. *Quinquagesimus primus locus* est : opposita relative debent esse in generibus oppositis relative. Ex. gr., quia duplici opponitur relative dimidium, duplum autem est in genere multiplicis, dimidium debet esse in opposito genere submultiplicis. Si igitur oppositum relative non est in genere relative opposito, male fuit assignatum tale genus. Ex hoc loco posset destrui problema ponens sensum esse genus scientiæ, sic arguendo : si sensus esset genus scientiæ, sensibile esset genus scibilis ; sed sensibile non est genus scibilis, siquidem multa sunt scibilia, quæ non sunt sensibilia ; ergo neque sensus est genus scientiæ.

13. Ut proponat quinquagesimum secundum locum, præmittit Aristoteles quamdam divisionem relativorum sive eorum, quæ dicuntur *ad aliquid*. Quæ dicuntur ad aliquid sunt in triplici genere. Primum genus comprehendit ea, quæ ita dicuntur ad aliquid, ut necessario sint in eo, de quo dicentur, cujusmodi sunt habitus, dispositio et commensuratio ; dispositio enim est dispositi dispositio et necessario est in disposito ; habitus est habituati habitus et necessario est in habituato ; commensuratio est commensurati commensuratio ac necessario est in ipso commensurato. Secundum genus comprehendit ea, quæ licet possint esse in iis, ad quæ dicuntur, non tamen necessario sunt in ipsis, sed possunt esse etiam in aliis. Ex. gr., scientia est scibilis scientia, et potest esse in ipso scibili, eo pacto, quo scientia de anima est in ipsa anima, quæ scitur tali scientia ; potest etiam scientia non esse in scibili, eo pacto, quo scientia de cœlo, non est in cœlo, quod est scible tali scientia. Tertium genus comprehendit ea, quæ ita dicuntur ad aliquid, ut non possint esse in eo, ad quod dicuntur ; ut contrarium, quod dicitur alicui contrarium, et tamen non potest esse in eo, cui est contrarium.

14. Posita hac divisione, *quinquagesimus secundus locus* est : necesse est, ut genus eorum, quæ necessario sunt in eo, ad quod dicuntur, etiam necessario sit in eo, ad quod dicitur ; ut genus eorum, quæ possunt esse tum in eo, ad quod dicuntur, tum in alio, possit esse tum in eo ad quod dicitur, tum in alio ; demum ut genus eorum, quæ non possunt esse in eo, ad quod dicintur, nec ipsum possit esse in eo, ad quod dicitur. Si igitur quoad hoc genus non ita se habeat, sicut species male est assignatum. Ex hoc loco potest destrui problema ponens memoriam esse mansionem scientiæ, adeoque mansionem esse genus memoriæ, mansio enim est in eo, quod manet; ergo si memoria est mansio scientiæ, memoria est in scientia ; sed memoria non est in scientia, sed in anima ; ergo etc. Addit Aristoteles hunc locum non solum valere ad destruendum problema generis, sed etiam accidentis. Si enim quis ponat memoriam esse, mansionem scientiæ, non explicans, quod mansio sit genus memoriæ, potest ostendi, quod memoria non est mansio scientiæ, ex eo, quia memoria non est in scientia, sed in anima.

CAPUT V

DE ALIIS DUODECIM LOCIS GENERIS

1. [5] Præterea si habitum ad actum retulerit vel actum ad habitum, id non est genus. Veluti si dixerit sensum esse motum per cor-

pus ; nam sensus est habitus, motus vero est actus. Item si dixerit memoriam esse habitum retinendæ existimationis ; nulla enim memoria est habitus, sed potius actus.

2. Peccant etiam qui habitum ad consequentem facultatem reducunt, ut qui dicunt clementiam esse continentiam iræ, et fortitudinem ac justitiam esse continentiam metus et lucri. Fortis enim et clemens dicitur qui est perturbatione de vacuus, continens autem qui a perturbatione, in qua est, non trahitur. Fortasse autem utrique consequens est talis facultas, ut si in perturbatione esset, non traheretur, sed eam vinceret. Non tamen hæc est viri fortis vel clementis essentia, sed omnino ab his perturbationibus non affici.

3. Interdum vero et quod quoquo modo consequens est, quasi genus ponunt, ut dolorem genus iræ et existimationem fidei. Ambo enim illa consequentia sunt aliquo modo his speciebus; sed neutrum eorum est genus. Nam qui irascitur, dolet, cum in eo dolor præcesserit, quandoquidem non ira doloris, sed dolor iræ causa est. Quare simpliciter ira non est dolor. Secundum hæc nec fides est existimatio, quia fieri potest ut aliquis fidem non habens eamdem existimationem habeat. Quod fieri nequit, si fides est species existimationis. Non potest enim quidpiam idem permanere, si ex specie omnino mutatum sit, quemadmodum idem animal non potest interdum esse homo, interdum non homo. Quod si quis dixerit necessario eum qui existimat, etiam credere, æqualiter existimatio et opinio dicentur. Quocirca ne sic quidem potest esse genus, quoniam oportet genus de pluribus dici.

1. *Quinquagesimus tertius locus* est : habitus non potest esse genus actus, nec actus potest esse genus habitus. Ex hoc loco posset redargui qui diceret sensum esse motum per corpus, adeoque poneret motum ut genus sensus. Sensus enim est aliquid per modum habitus permanentis; motus est aliquid per modum actus transeuntis ; ergo motus non potest esse genus sensus. Similiter posset redargui qui diceret memoriam esse habitum contentivum opinionum. Memoria enim est actus recordationis, adeoque non est sub genere habitus.

2. *Quinquagesimus quartus locus* est : ad habitum sequuntur necessario aliquæ potentiæ, quæ non sunt de essentia talium habituum, ideoque peccant qui tales potentias assignant ut genera talium habituum et possunt ex hoc loco redargui. Ex. gr., ad mansuetudinem sequitur, ut qui illam, habet, possit etiam iram continere, si forte exurgat ; ad fortitudinem sequitur, ut possit quis continere timores; ad justitiam, ut possit quis continere cupiditatem lucri injusti ; non tamen essentia mansuetudinis consistit in continentia iræ, sed potius in carentia iræ immoderatæ, ideoque mansuetus est, qui non perturbatur ira, continens est, qui perturbatur, sed non ducitur. Similiter fortitudo consistit in carentia timoris immoderati, ideoque fortis est qui non perturbartur timore, continens qui perturbatur, sed non vincitur. Justitia consistit in carentia cupiditatum lucri injusti, ideoque justus est qui non perturbatur talibus cupiditatibus lucri injusti, continens qui perturbatur, sed non vincitur. Si igitur tales potentias assignet quis ut genus virtutum, potest ex hoc loco redargui.

3. *Quinquagesimus quintus locus* est : aliqui peccant assignando ut genus habitus id, quod sequitur quidem habitum, sed non sequitur ut genus, sed alio modo. Ex. gr., quia ad iram sequitur tristitia de contemptu ; qui enim irascitur tristatur de contemptu ; ideo quidam dicunt, tristitiam esse genus iræ, et tamen tristitia non est genus iræ ; neque enim ira est tristitia, sed causatur a tristitia et est effectus tristitiæ ; prius enim tristatur quis de contemptu, deinde irascitur. Similiter quia credens opinatur esse verum id, quod credit, quidam dicunt genus fidei esse opinionem, et tamen genus fidei non est opinio. Est enim impossibile, ut remaneat idem, quod mutat speciem ; ex. gr., est impossibile ut idem animal aliquando sit homo, aliquando non sit homo ; sed potest quis retinens eamdem opinionem aliquando credere, aliquando non credere ; ergo opinio non est genus fidei. Si vero dicat quis necessarium esse, ut qui opinatur, credat, adhuc sequitur, quod opinio non sit genus fidei. Species enim et genus non possunt esse æqualia ; sed si omnis credens opinatur, et omnis opinans credit, opinio et fides sunt æqualia ; ergo, etc.

4, Videre etiam oportet, an natura comparatum sit, ut in eodem aliquo subjecto ambo insint. In quo enim inest genus, inest etiam species, ut in quo albor, etiam color, et in quo Grammatica, etiam scientia. Si quis igitur dixerit, verecundiam esse metum, aut iram esse dolorem, non accidet ut in eodem et genus et species insint. Nam verecundia est in parte animæ ratiocinativa, metus autem in irascibili. Ac dolor quidem in concupiscibili, quoniam in hac est etiam voluptas ; ira autem in concupiscibili. Quare ea quæ allata fuerunt, non sunt genera, quia non

est natura comparatum ut insint in eodem subjecto, in quo insunt species. Similiterque si amicitia est in concupiscibili, non potest esse voluntas quædam ; omnis enim voluntas est in parte ratiocinativa. Utilis autem est hic locus etiam ad accidens examinandum, quoniam in eodem sunt accidens et id cui accidit. Quamobrem nisi in eodem esse videantur, constat non accidere.

5. Præterea videndum est, an ex parte species sit ejus particeps, quod dicitur esse genus, quia non videtur genus communicari ex parte. Non enim homo est quadamtenus animal, neque Grammatica est quadamtenus scientia. Similis est cæterorum ratio. Considerare igitur oportet an cum quibusdam ex parte genus communicetur. Quale est, si animal dictum sit, esse id quod sensibile aut visibile, quoniam animal est ex parte sensibile et visibile, quandoquidem ratione corporis est sensibile et visibile, ratione autem animae non item. Quare visibile et sensibile non possunt esse genera animalis.

6. Interdum etiam non animadvertunt, se totum ad partem reducere, ut qui dicunt animal, esse corpus animatum. Atqui nullo modo pars toti attribuitur ; quare corpus non potest esse genus animalis, cum sit pars.

4. *Quinquagesimus sextus locus est :* cum species debet esse in aliquo subjecto etiam genus debet esse in eodem subjecto. Ex. gr., quia albedo, quæ est species coloris, debet esse in superficie tanquam in subjecto, etiam color debet esse in superficie tanquam in subjecto, et quia Grammatica debet esse in anima, etiam disciplina, quæ est genus Grammaticæ, debet esse in anima. Ex hoc loco posset redargui qui diceret, verecundiam esse sub genere timoris, vel iram sub genere tristitiæ. Nam species et genus debent esse in eodem subjecto; sed verecundia est in rationali parte animæ, timor in irascibili; ergo timor non est genus verecundiæ. Rursus tristitia est in concupiscibili, siquidem in concupiscibili est voluptas contraria tristitiæ, contraria vero debent esse in eodem subjecto; sed ira non est in concupiscibili, sed in irascibili; ergo, etc. Rursus si amor est in concupiscibili, genus amoris non est voluntas, quæ non est in concupiscibili , sed in rationali animæ parte. Addit Aristoteles, hunc locum esse etiam utilem ad problema accidentis. Cum enim quando et accidens et id, cui accidens accidit, est in subjecto, debeat esse in eodem subjecto, ex eo, quod non sint in eodem subjecto, infertur accidens non fuisse bene assignatum.

5. *Quinquagesimus septimus locus* est: licet accidens possit participari *secundum quid,* genus non potest participari *secundum quid,* eo pacto, quo homo non potest esse animal *secundum quid.* Ex hoc loco posset refelli qui diceret genus animalis esse sensibile vel visibile; animal enim est sensibile et visibile solum secundum corpus, non secundum animam; sed genus non potest participari solum secundum quid vel secundum partem; ergo etc.

6. *Quinquagesimus octavus locus* est : pars physica non potest esse genus totius genus enim est prædicabile de specie; sed pars physica non est prædicabilis de toto; ergo etc. Hinc posset redargui, qui diceret corpus in quantum est pars animalis, esse genus animalis.

7. Videre etiam oportet, an aliquid vituperandum vel fugiendum ad facultatem, vel ad id quod potest, retulerit. Quale est, si dixerit sophistam esse eum qui potest ex sapientia, qua videtur esse præditus, lucrari; aut calumniatorem eum qui potest calumniari et ex amicis inimicos facere; aut furem eum qui potest aliena clam furari. Nullus enim eorum quos dixi talis esse dicitur, quia possit aliquid horum facere. Potest enim et Deus et vir probus, quæ mala sunt, efficere; non tamen tales sunt ; omnes enim improbi ex præelectione nominantur. Præterea omnes facultates sunt in rerum eligendarum numero. Nam et improborum facultates sunt eligendæ. Idcirco et Deum et virum bonum dicimus eas habere : dicimus enim eos posse quæ mala sunt agere. Quare facultas nullius rei vituperandæ genus potest esse. Alioquin accidet ut aliquid quod sit vituperandum, sit eligendum : erit enim aliqua facultas vituperanda.

8. Videndum etiam est, an aliquid eorum quæ sunt per se honorabilia vel eligenda, ad facultatem, vel ad id quod potest, vel ad effectivum retulerit. Omnis enim facultas, et quidquid potest aut efficiendi vim habet, propter aliud est eligendum.

9. Vel an aliquid eorum quæ in duobus pluribusve generibus collocantur, ad unum reduxerit. Quædam enim non licet ad unum genus referre, ut impostorem et calumniatorem. Etenim nec qui consilium capit, cum efficere non possit, nec qui efficere potest, nisi consilium capiat, calumniator est vel impostor, sed qui ambo hæc habet. Quamobrem ea quæ dicta sunt, non in uno genere, sed in utroque poni debent.

7. *Quinquagesimus nonus locus* est : omnis potestas est eligenda, ideoque potestas non est genus fugiendorum et vituperandorum. Hinc posset redargui qui diceret, sophistam esse eum, qui potest sophismatibus decipere; seductorem, qui potest seducere; furem, qui potest furari. Nam sophista et fur non dicuntur, quia

possunt hæc facere, sed quia eligunt, ideoque angelus et vir probus potest decipere, seducere et furari, et tamen non est sophista neque seductor neque fur, quia hæc non eligit. Potestas ergo non est genus ullius vituperandi; alioquin cum omnis potestas sit eligenda, aliquid vituperandum esset eligendum,

8. *Sexagesimus locus* est : omnis potestas, omne potens et omne effectivum est eligendum propter aliud, hoc est propter id cujus est. Ex hoc loco posset redargui qui poneret sub genere potestatis aliquid propter se honorabile et eligendum, ex. gr., qui diceret potentiam esse genus felicitatis; felicitas enim est maxime propter se eligibilis et honorabilis; sed potestas non est propter se eligibilis et honorabilis; ergo, etc.

9. *Sexagesimus primus locus* est: quædam sunt in duobus vel pluribus generibus. Ex. gr., fraudulentus et seductor non est, qui solum potest fraudare et seducere, sed non eligit; neque qui solum eligit sed non potest ; sed qui potest simul et eligit. Si quis igitur poneret genus seductoris ac fraudulenti esse solum, *qui potest*, vel solum, *qui eligit*, peccaret et posset ex hoc loco redargui.

10. Præterea interdum vice versa genus ponunt pro differentia et differentiam pro genere, ut qui dicunt stuporem esse exsuperantiam admirationis et fidem esse vehementia existimationis. Nam neque exsuperantia neque vehementia est genus, sed differentia. Stupor enim videtur esse admiratio exsuperans, et fides existimatio vehemens. Quare admiratio et existimatio sunt genera, exsuperantia vero et vehementia differentiæ. Præterea si quis exsuperantiam et magnitudinem pro genere acceperit, etiam res inanimæ fidem habebunt et obstupescent. Cujusque enim rei vehementia et exsuperantia inest in ea re, cujus est vehementia et exsuperantia. Si igitur stupor est exsuperantia admirationis, inerit in admiratione stupor; quapropter admiratio obstupescet. Similiterque fides inerit in existimatione, si quidem est vehementia existimationis; quamobrem existimatio fidem habebit. Præterea accidit ei qui ita genus accipit, ut vehementiam vehementem dicat et exsuperantiam exsuperantem. Nam quædam fides est vehemens ; si igitur fides sit vehementia, certe vehementia erit vehemens. Similiter etiam quidam stupor est exsuperans. Si igitur stupor sit exsuperantia, certe exsuperantia erit exsuperans. Atqui horum neutrum esse videtur, quemadmodum nec scientia est res scibilis, nec motio est id quod movetur.

10. *Sexagesimus secundus locus* est : potest quis peccare assignando differentiam ut genus, vel genus ut differentiam. In hunc errorem incidunt qui stuporem desiniunt excessum admirationis, et fidem definiunt vehementiam opinionis. Excessus enim non est genus, sed differentia stuporis; vehementia non est genus sed differentia opinionis. Nam stupor videtur esse admiratio excedens, fides opinio vehemens; ita ut genus stuporis sit admiratio, differentia sit excessus; genus fidei sit opinio, differentia sit vehementia. Quod autem neque excessus sit genus admirationis, neque vehementia sit genus fidei, probat Aristoteles duabus rationibus. Prima ratio est, quia si excessus est genus admirationis, et vehementia est genus fidei, sequitur, quod admiratio stupebit, et fides fidem habebit, quod est absurdum. Probatur sequela; nam excessus et vehementia insunt illis quorum sunt,atque illa denominant, ex. gr., excessus admirationis inest admirationi, vehementia inest opinioni; ergo si stupor et fides sunt excessus et vehementia admirationis et opinionis, admiratio denominatur stupens, et opinio denominatur fidem habens. Secunda ratio est : sequitur, quod excessus sit excedens, et vehementia vehemens. Probatur sequela; nam datur stupor excedens, et fides vehemens; sed stupor est excessus, fides vehementia; ergo datur excessus excedens,et vehementia vehemens quod est impossibile. Sicut enim motus non potest moveri, et disciplina non potest disciplinari, sic excessus non potest esse excedens, et vehementia non potest esse vehemens.

11. Interdum etiam errant, affectionem quasi in genere ponentes in eo quod affectum est, ut quicumque ajunt immortalitatem esse vitam æternam, quoniam immortalitas videtur esse affectio quædam sive accidens vitæ. Quod quidem verum esse perspicuum fieri possit, si quis concesserit, aliquem ex mortali immortalem fieri posse. Nemo enim dicet eum aliam vitam accipere, sed accidens quoddam vel affectionem ei vitæ, quam degebat, accessisse. Quocirca vita non est genus immortalitatis.

12. Errant etiam, si id cujus est affectio, dicant esse affectionis genus, ut ventum aerem motum. Nam ventus est potius aeris motio, quandoquidem idem aer permanet et cum movetur et cum stat; quare omnino ventus non est aer; alioquin et non moto aere ventus esset, siquidem aer idem permanet, qui erat ventus. Similiter dicendum est de hujusmodi aliis rebus. Sed etsi concedere oporteat, ventum esse aerem motum, non tamen in omnibus hoc admitti de

bet, id est non etiam in iis de quibus non vere dicitur genus propositum, sed in iis tantum quibus vere attribuitur genus. Nam in quibusdam non videtur vere dici, ut in nive et in luto. Nivem enim ajunt esse aquam concretam, lutum autem terram humore temperatam. Sed nec lutum est terra nec nix aqua; quare ex propositis generibus neutrum potest esse genus. Oportet enim genus semper vere dici de speciebus. Similiter nec vinum est aqua putrefacta, ut Empedocles ait illo loco, « putrefacta in ligno aqua ». Simpliciter enim vinum non est aqua.

11. *Sexagesimus tertius locus* est: potest etiam quis peccare assignando ut genus passionis subjectum, quod per talem passionem patitur. In hoc vitium videntur incidere qui definiunt immortalitatem *vitam sempiternam*. Immortalitas enim est passio vitæ; ergo vita non est genus, sed subjectum immortalitatis. Quod autem vita non sit genus sed passio immortalitatis,probatur; si enim admittamus aliquem ex mortali fieri immortalem, putamus illum non mutare vitam, sed eidem vitæ, quæ erat mortalis, advenire passionem immortalitatis.

12. *Sexagesimus quartus locus* est : potest etiam quis peccare assignando ut genus passionis subjectum talis passionis, advertens illud esse subjectum talis passionis; et per hoc locus iste differt a præcedente, quod in eo ignoratur id, quod assignatur ut genus, esse subjectum passionis. in hoc non ignoratur In hoc vitium incidunt, qui ventum definiunt *aerem motum*. Potius enim ventus videtur motus aeris, ita ut aer sit subjectum, non genus venti. Quod autem aer non sit genus venti, probatur, quia cum corrumpitur species, genus non remanet idem,ex. gr.,cum corrumpitur homo,non remanet idem animal; sed cum corrumpitur ventus, remanet idemae; ergo aer non est genus venti, neque ventus est aer, alioquin remanente eodem aere remaneret ventus, sicut remanente eodem animali remanet homo. Confirmatur, quia etiamsi posset admitti, quod aliquando materia et subjectum esset genus, cum ex usu loquentium prædicatur de specie,eo pacto,quo de vento dicitur, quod est aer motus, adhuc non potest admitti, cum non simpliciter prædicatur; sed aer motus non simpliciter prædicatur de vento, ergo etc. Probatur minor: si enim ventus esset aer motus,nix esset aqua congelata; lutum esset terra compacta humore; vinum esset aqua putrefacta, juxta Empedoclem, qui cecinit : *in ligno putruit unda*; sed hæc sunt falsa, vinum enim simpliciter non est aqua, lutum simpliciter non est terra etc; ergo neque ventus, simpliciter est aer ; ergo genus venti non est aer,ergo subjectum et materia non bene assignatur ut genus,

---

CAPUT VI

DE ALIIS ULTIMIS LOCIS GENERIS.

1. [6] Præterea videndum est, an omnino id quod propositum est nullius rei sit genus; manifestum enim erit, ne speciei quidem propositæ genus esse. Videndum autem est ex eo, quod specie inter se non differunt ea quæ participant propositum genus, ut alba ; hæc enim specie non differunt inter se; omnis autem generis species differunt. Quare album nullius rei genus esse potest.

2. Rursus videndum est, an id quod omnibus rebus est consequens, genus vel differentiam esse dixerit. Multa enim sunt omnibus rebus consequentia, ut ens et unum in eorum numero sunt, quæ res omnes consequuntur Si igitur ens pro genere posuerit, procul dubio rerum omnium genus futurum est, quoniam eis attribuitur; nulli enim rei genus præterquam speciebus attribuitur. Quare etiam unum erit species entis. Accidit igitur ut iis omnibus, quibus genus attribuitur, etiam species attribuatur, quandoquidem et ens et unum omnibus rebus simpliciter attribuuntur, cum paucioribus speciem attribui oporteat. Si vero id quod omnibus consequens est differentiam esse dixerit, patet de totidem aut de pluribus differentiam quam genus dictum iri. Si enim et genus sit in eorum numero quæ omnibus consequentia sunt, de totidem dicetur; si vero genus non omnibus rebus consequens sit, de pluribus differentia dicetur quam ipsum genus.

1. *Sexagesimus quintus locus* est : si quis assignet ut genus alicujus, quod nullius est genus, peccat. Locus autem ad ostendendum id, quod assignatur, nullius esse genus, est, quia ea, de quibus dicitur, ita ut de ipso participent, non differunt specie. Ex. gr., si quis assignaverit album ut genus nivis, potest redargui, quia album nullius est genus, cum alba in ratione albi non differant specie; genus autem debet prædicari de differentibus specie.

2. *Sexagesimus sextus locus* est; si quis trascendentia, quæ ad omnia sequuntur, et de omnibus dicuntur, ex. gr., *ens et unum* assignaverit ut genus aut differentiam alicujus, peccat.; ex. gr., si quis dixerit, ens esse genus, peccat. Sequitur

enim, quod ens sit genus omnium, de quibus prædicatur *in quid*; genus enim non prædicatur *in quid*, nisi de speciebus et earum individuis; sed ens prædicatur *in quid* de omnibus et etiam de uno; ergô ens est genus omnium et etiam unius; sed etiam unum prædicatur de omnibus; ergo genus et species prædicantur de æqualibus, quod est absurdum, cum species prædicetur de paucioribus quam genus. Si autem quis aliquid transcendentium dicat esse differentiam, sequitur, quod differentia dicatur de æqualibus vel de pluribus quam genus. Nam cum differentia dicatur de omnibus, si etiam genus dicitur de omnibus, differentia dicitur de pluribus, cum debeat dici de paucioribus quam genus.

3. Præterea videndum est, an in subjecta specie propositum genus esse dicatur, ut album in nive. Itaque perspicuum est non esse genus; de subjecta enim specie tantum genus dicitur.

4. Considerare etiam oportet, an genus et species non sint synonyma; omnibus enim speciebus synonymωs genus attribuitur.

5. Præterea peccatur, cum est et generi et speciei aliquid contrarium, et ex contrariis speciebus ea quæ melior est ad deterius genus refertur. Accidet enim ut reliqua in reliquo sit, quoniam contraria sunt in contrariis generibus. Quare melior species erit in deteriori genere: videtur autem melioris melius genus esse.

6. Peccat etiam, si cum eadem res ad utrumque sit eodem modo affecta, ad deterius, non ad melius genus retulerit, ut si dixerit animam esse id quod motionem vel rem motam. Eadem enim videtur æque habere vim sistendi ac movendi; quare si status est melior, ad hoc genus referri opórtebat.

3. *Sexagesimus septimus locus* est: si quis assignat ut genus, quod est in specie tanquam in subjecto priori, potest redargui, quia genus solum prædicatur de specie, non autem est in specie tanquam in subjecto. Ex hoc loco posset redargui qui diceret *album* esse genus nivis; albedo enim est in nive tanquam in subjecto; sed genus non est in specie tanquam in subjecto; ergo etc.

4. *Sexagesimus octavus locus* est: quod non dicitur univoce de speciebus, non est genus. Ex hoc loco possunt redargui qui dicunt *ens* et *unum* esse genus decem prædicamentorum. Ens enim et unum non dicuntur univoce de decem prædicamentis; sed genus debet dici univoce de specibus; ergo, etc.

5. *Sexagesimus nonus locus* est: cum tam genus quam species habent contrarium, considerandum est, an species melior ponatur sub pejori genere. Cum enim quando species habent contrarium, species contrariæ debeant esse in contrariis generibus, sequitur, quod si melior species est in pejori genere, species pejor sit in meliori genere; hoc autem est inconveniens.

6. *Septuagesimus locus* est: considerandum utrum, cum species possunt æque poni in utroque ex duobus generibus contrariis, ponantur in deteriori. Ex. gr., anima cum non solum sit principium se movendi, sed etiam consistendi, æque potest poni in genere se moventis ac in genere consistentis. Si ergo quis dicat genus animæ esse id, quod se movet, potest redargui, quia cum aliquid æque potest poni in duobus generibus contrariis, potius debet poni in meliori quam in deteriori; sed est melius genus consistentis quam se moventis; ergo, etc.

7. Præterea ab eo quod est magis vel minus ei qui refellit arguere licet, si genus recipiat intentionem, species autem non recipiat, neque ipsa neque quod ab ea denominatur. Utputa si virtus intentionem capit, etiam justitia et justus capiunt; dicitur enim alter altero justior. Si igitur propositum genus intentionem recipit, species autem non recipit, nec ipsa nec quod ab ea denominatur, id quod propositum est, non potest esse genus.

8. Rursus si id quod magis vel æque esse videtur, non est genus, patet ne id quidem quod propositum fuit esse genus. Utilis autem est hic locus in iis maxime, in quibus plura esse videntur, quæ speciei in quæstione quid est attribuantur, nec definitum est nec dicere possumus, quodnam eorum sit genus; utputa iræ et dolor et existimatio contemptionis in quæstione quid est videtur attribui; nam qui irascitur, dolet seque contemni existimat. Eadem consideratio est in specie, si cum alia quapiam conferatur. Si enim quod magis vel quod æque videtur esse in genere proposito, non est in genere, manifestum est nec propositam omnino speciem in genere esse. Qui igitur refellit, ita ut dictum est, uti hoc loco debet.

9. Confirmanti autem non est utilis locus, si et genus et species intentionem recipiant. Nihil enim vetat, cum ambo recipiant, non esse alterum alterius genus. Nam et album et honestum intentionem suscipit, ac neutrum est alterius genus. Generum autem et specierum inter se collatio utilis est. Veluti si æque hoc et illud est genus, alterum autem est genus, etiam alterum erit. Item si id quod minus est genus, est genus, etiam quod magis; veluti si continentiæ potius genus sit facultas quam virtus, virtus autem sit genus, etiam facultas est genus. Eadem de spe-

cie dici conveniet. Nam si æque hoc et illud sit propositi generis species, alterum autem sit species, etiam reliquum erit. Et si quod minus videtur, species est, etiam quod magis.

7. Sequuntur aliqui loci ex magis et minus et ex similibus, tum ad destruendum tum ad construendum. *Septuagesimus* igitur *primus locus* est : si genus suscipit magis et minus, etiam species et quæ denominative dicuntur a specie, suscipiunt magis et minus. Ex gr., quia virtus suscipit magis et minus, etiam justitia et justus suscipiunt magis et minus, adeoque potest aliquis esse magis vel minus justus. Ex hoc loco potest sic redargui qui diceret genus nivis esse album : cum genus suscipit magis et minus, etiam species suscipit magis et minus; sed album suscipit magis et minus, nix non suscipit magis et minus; ergo album non est genus nivis.

8. *Septuagesimus secundus locus* est : si quod magis vel similiter videtur genus, non est genus, nec quod assignatur, est genus. Rursus si quod magis vel similiter videtur esse in assignato genere, non est sub tali genere, nec aliud est sub tali genere. Utilis autem est hic locus, præsertim cum plura videntur genera, nec possumus discernere, quodnam vere sit genus. Ex. gr., genus iræ videtur tum tristitia tum opinio, qua quis existimat se parvipendi, siquidem utrumque sequitur ad iram. Si quis igitur posuerit genus iræ esse opinionem, qua quis existimat se parvipendi, posset sic redargui : magis vel similiter genus iræ videtur tristitia, quam opinio de parvipensione; sed tristitia non est genus iræ; ergo nec opinio de parvipensione.

9. Addit Aristoteles locum septuagesimum primum ex *magis* et *minus* non valere construendum. Nec enim valet : sicut id, quod assignatur ut genus, sucipit magis et minus, sic id quod assignatur ut species; ergo bene fuit assignatum genus. Ex. gr., non valet : sicut virtus suscipit magis et minus, sic injustitia suscipit magis et minus; ergo virtus est genus injustitiæ. At vero locus septuagesimus secundus est utilis etiam ad construendum. Valet enim : magis vel similiter hoc videtur genus quam illud; sed id, quod minus vel similiter videtur genus, vere est genus; ergo etiam aliud est genus. Ex gr., valet : magis vel similiter potestas videtur genus continentiæ quam virtus; sed virtus est genus continentiæ; ergo etiam potestas. Rursus valet : minus videtur esse sub genere virtutis continentia quam constantia; sed continentia est sub genere virtutis; ergo etiam constantia.

10. Præterea ut confirmetur, considerandum est, an iis quibus assignatum est genus in quæstione quid est attribuatur, cum non sit una data species, sed plures ac differentes, quia procul dubio erit genus. At si una sit species data, considerare oportet, an etiam aliis speciebus genus in quæstione quid est attribuatur. Rursus enim efficietur ut idem pluribus ac differentibus attribuatur et genus esse concedatur. Quoniam autem quibusdam videtur, etiam differentia in quæstione quid est speciebus attribui, separandum est genus a differentia per dicta elementa, primum quia genus de pluribus dicitur quam differentia, deinde quia in responsione ad quæstionem quid est, aptius dicitur genus quam differentia : nam qui dicit hominem esse animal, magis declarat quid sit homo, quam qui dicit esse pedestre. Et quia differentia qualitatem generis semper significat, genus autem differentiæ qualitatem non significat. Nam qui ait pedestre, quale quid animal dicit : qui vero inquit animal, non dicit quale quid pedestre. Ac differentia quidem a genere ita separanda est.

11. Quia vero musicum videtur, qua musicum est, sciens esse, etiam musica est scientia quædam; et si ambulans propterea quod ambulat movetur, ambulatio est motio quædam. Hoc igitur modo considerandum est, in quo quis velit genere aliquid collocare. Ut si quis probare velit scientiam esse id quod fidem, videndum est, an sciens, qua scit, credat : sic enim manifestum fiet, scientiam esse fidem quamdam. Eodem modo fieri debet in aliis ejusmodi.


12. Præterea quoniam quod alicui semper consequens est nec reciprocatur, difficile est separare a genere, et ostendere non esse genus, si hoc illi omni consequens sit, illud autem huic non omni (ut tranquillitati quies et numero dividuum; non contra, quia non omne dividuum est numerus, nec omnis quies est traquillitas), ipse quidem disputans uti hoc loco debet, quasi genus sit id quod semper est consequens, cum alterum non reciprocetur. Alio vero hoc argumentum proponente, non in omnibus admitti debet, sed objicere, id quod non est, ei omni quod fit, consequens esse (quod enim fit, non est), nec reciprocari (non enim quidquid non est, fit), attamen non esse genus id quod non est, ejus quod fit. Simpliciter enim ejus quod non est, non sunt species. De genere igitur exposita methodo disserendum est.

10. *Septuagesimus tertius locus* ad probandum, quod aliquid sit genus, est : si constat id prædicari de pluribus specie differentibus, examinandum, an prædi-

cetur *in quid*; si enim prædicatur *in quid*, est genus, cum illi conveniat tota definitio generis. Si vero constat illud prædicari *in quid* de una specie, examinandum, an etiam prædicetur *in quid* de aliis specie differentibus; si enim prædicatur, erit genus. Verumtamen quia aliqui censent etiam differentiam prædicari *in quid* de speciebus, addit Aristoteles aliquos locos ad distinguendum genus a differentia. Primus locus est : genus de pluribus prædicatur quam differentia. Secundus est : genus magis prædicatur *in quid* quam differentia; ex. gr., melius respondetur interroganti : *quid est homo*? dicendo, quod homo est animal, quam dicendo, quod homo est rationalis. Tertius est : differentia qualificat genus et significat qualitatem generis, non e converso; ex, gr., differentia *gressibilis* significat *quale quid* sit animal ; animal non significat *quale quid* sit gressibile.

11. *Septuagesimus quartus locus* ex conjugatis est : videtur quod, si musicus quatenus musicus est sciens, musica sit scientia; si ambulans quatenus ambulans, movetur, ambulatio sit motus. Hinc habetur locus probabilis ad construendum problema de genere. Ex. gr., sic possumus probare, quod genus scientiæ sit fides : sciens ut sciens fidit; ergo scientia est fides ac fides est genus scientiæ.

12. *Septuagesimus quintus locus* est : quia quod sequitur ad aliquid et non e converso, vel est genus vel difficile distinguitur a genere, cum duo ita se habent, unum eorum potest sumi ut genus, alterum ut species, non determinando utrum vere et rigorose sit genus, an non. Ex. gr., quia omnis tranquillitas est quies, non omnis quies est tranquillitas, potest sumi quies ut genus tranquillitatis; quia omnis numerus est divisibilis, non omne divisibile est numerus, potest divisibile sumi ut genus numeri. Quod vero non semper id, quod hoc pacto se habet, sit genus, probat Aristoteles per instantiam. Nam *non ens* sequitur omne, quod fit, siquidem quod fit, non est ; at non e converso quod fit, sequitur ad *non ens*; multa enim, quæ sunt non entia, non fiunt; et tamen *non ens* non est genus ejus, quod fit, quia *non ens* non habet species proprias. Et per hæc Aristoteles concludit hunc quartum librum de locis generis.



TOPICORUM

LIBER V

CAPUT I

QUOT MODIS DICATUR PROPRIUM, ET QUÆ PROBLEMATA CIRCA PROPRIUM SINT MAXIME LOGICA.

1. [1] Utrum autem proprium sit necne id quod est propositum, ex his locis quos deinceps exponemus considerandum est.

2. Proponitur autem proprium vel per se et semper, vel per comparationem cum altero et interdum, ut hominis proprium est per se, animal natura mansuetum; per comparationem vero cum altero, ut animæ cum corpore, quoniam illa jubendi, hoc parendi vim habet; semper autem, ut Dei proprium est animal immortale; interdum autem, ut cujusdam hominis deambulare in gymnasio.

3. Proprium autem quod comparatione alterius explicatur, vel efficit duo problemata vel quatuor. Nam si de uno affirmaverit, de altero negaverit id ipsum, duo tantum problemata fiunt, ut hominis per collationem cum equo proprium est esse bipedem; nam et hominem non bipedem esse argumentando concludere quispiam possit, et equum esse bipedem; utroque autem modo proprium tolli potest. Si vero utrumque de utroque affirmaverit et de utroque negaverit, quatuor problemata erunt. Ut hominis proprium est per collationem cum equo, quod ille est bipes, hic quadrupes. Nam et hominem non bipedem esse, et natura comparatum esse ut quadrupes sit, argumentando probare licebit; necnon equum esse bipedem, et non esse quadrupedem, argumentando concludi poterit. Quovis autem modo probatum fuerit, propositum evertitur.

1. Postquam Aristoteles lib. II. III. et IV. egit de locis accidentis et generis, lib. V. agit de locis proprii. Antequam autem proponat locos, primo describit plures modos, quibus dicitur proprium; secundo exponit, quæ species proprii sint maxime logicæ, ac de quibus agendum sit hoc loco.

2. *Quoad primum*: proprium assignatur quatuor modis. Primo assignatur proprium *per se*; secundo proprium ad aliud seu respectu alicujus; tertio proprium semper; quarto proprium aliquando. Exemplis res illustrabitur. Cum dicitur, quod homo est animal mansuetum natura, assignatur aliquid, quod est per se proprium hominis. Cum dicitur, quod proprium est animæ imperare corpori, assignatur aliquid, quod non est per se proprium animæ, sed comparative ad corpus. Cum dicitur, quod proprium est Dei, ut sit immortalis, assignatur aliquid, quod proprium est semper; Deus enim semper est immortalis. Cum dicitur proprium esse Socratis ambulare in gymnasio, quia solus Socrates ambulat in gymnasio, assignatur aliquid, quod est proprium Socratis, non semper sed, aliquando.

3. Quando assignantur alia propria, videtur constitui unicum problema; at cum assignantur propria comparative ad aliud, vel constituuntur duo problemata vel quatuor. Quando id, quod de uno affirmatur, de altero negatur, constituuntur duo solum problemata. Ex. gr., cum dicitur proprium esse hominis respectu equi, quod homo est bipes, equus non est bipes, constituuntur duo problemata, alterum affirmativum, per quod ponitur hominem esse bipedem; alterum negativum, per quod ponitur equum non esse bipedem; ideoque possumus talem assignationem proprii dupliciter destruere, hoc est vel ostendendo, quod homo non est bipes, vel ostendendo, quod etiam equus est bipes. Quando non solum id, quod de uno affirmatur, negatur de altero, sed de illo altero affirmatur aliquid, quod negatur de primo, constituuntur quatuor problemata. Ex gr., cum dicitur

proprium esse hominis respectu equi, quod homo est bipes, equus est quadrupes, constituuntur quatuor problemata. Primum est, quod homo est bipes; secundum, quod homo non est quadrupes; tertium, quod equus est quadrupes; quartum, quod equus non est bipes, ideoque possumus talem assignationem proprii quatuor modis destruere; primo ostendendo, quod homo non est bipes; secundo probando, quod homo est quadrupes; tertio ostendendo, quod equus est bipes; quarto ostendendo, quod equus non est quadrupes.

4. Est autem per se proprium, quod per comparationem cum omnibus affertur et ab omni re sejungit, ut hominis animal mortale et disciplinæ capax.

5. Alterius comparatione proprium est, quod non ab omni re, sed a certa quadam distinguit, ut virtutis proprium est per comparationem cum scientia, quod natura comparatum sit ut illa gignatur in pluribus, hæc vero in sola rationali facultate et iis quæ rationali facultate prædita sunt.

6. Semper proprium est, quod per omne tempus vere attribuitur nec unquam amittitur, ut animalis proprium est ex anima et corpore compositum esse.

7. Interdum proprium est, quod ad aliquod tempus vere attribuitur nec ex necessitate semper est consequens, ut cujusdam hominis proprium est in foro deambulare.

8. Jam vero alterius comparatione proprium explicare nihil aliud est quam differentiam dicere vel in omnibus et semper, vel plerumque et in plurimis. Exempli gratia in omnibus et semper, ut hominis cum equo comparati proprium est esse bipedem ; homo namque et omnis et semper est bipes; at equus nullus unquam est bipes. Plerumque autem et in plurimis, ut facultatis rationalis proprium est imperare per comparationem cum concupiscibili et irascibili, quoniam altera imperat, altera vero obtemperat. Neque enim rationalis semper imperat, sed interdum etiam paret; neque concupiscibilis et irascibilis semper parent, sed et interdum imperant, nempe cum anima hominis prava est.

4. Proprium *per se* est, quod ab omnibus aliis distinguit ac separat id, cujus est proprium, eo quod illi soli conveniat. Ex. gr., *esse animal mortale disciplinæ susceptivum* per se proprium est hominis, quia solus homo est animal mortale, disciplinæ susceptivum, ideoque homo per hoc distinguitur ab omnibus aliis.

5. Proprium *ad aliud* seu respectu alterius est, quod non convenit soli, ideoque non distinguit ab omnibus aliis, sed solum ab aliquo determinato. Ex. gr., dum dicitur, quod proprium est virtutis respectu disciplinæ, quod virtus potest esse in pluribus, disciplina in solis rationalibus, assignantur propria, per quæ virtus et disciplina distinguuntur solum ad invicem, non ab aliis. Nam neque hoc, quod est, *esse commune pluribus,* convenit soli virtuti; neque hoc, quod est, *esse in solis rationalibus,* convenit soli disciplinæ.

6. Proprium semper est, quod omni tempore verificatur de re. Ex. gr., hoc, quod est *constare ex anima et corpore*, semper proprium est hominis, quia omni tempore homo constat ex anima et corpore

7. Proprium aliquando est, quod non omni tempore verificatur de re, neque ex necessitate sequitur ad rem; ex. gr., *ambulare in foro* proprium est hominis aliquando, quia non omni tempore homo ambulat in foro, neque ad hominem sequitur ex necessitate hoc, quod est, *ambulare in foro.*

8. Proprium ad aliquid duplex est: nam quoddam convenit omni et semper, quoddam convenit plurimis et plerumque. Ex. gr., cum dicitur proprium hominis respectu equi esse, quod homo est bipes, assignatur aliquid, quod convenit omni homini ac ipsum discriminat semper ab equo; nam omnis homo semper ex sua natura est bipes; nullus equus et nunquam ex sua natura est bipes. At cum dicitur, rationis respectu concupiscibilis et irascibilis proprium esse, quod ratio imperat, concupiscibilis atque irascibilis paret, assignatur aliquid, quod convenit solum plerumque et plurimis. Nam non semper ratio imperat, nec semper concupiscibilis et irascibilis paret; in flagitiosis enim aliquando concupiscibilis et irascibilis imperat, ratio paret.

9. Propriorum autem ea sunt maxime logica, quæ sunt per se et semper, et quæ in collatione cum altero consistunt. Quod enim per comparationem cum altero proprium est, plura problemata efficit, ut et antea diximus. Vel enim duo vel quatuor problemata necessario fiunt; multæ igitur rationes ad hæc pertinentes fiunt. Quod vero est per se et semper, ratione multarum rerum in argumentationem venit, et in multis temporibus observari potest. Quod, inquam, est per se, ratione multarum rerum in argumentationem venit, quia per comparationem cum quibusque rebus opus est ut proprium ipsi subjecto insit. Quare nisi ab omnibus separet, non est

scite explicatum proprium. Quod vero semper proprium esse dicitur, multis temporibus observare licet; et sive non insit sive non inerat sive non inerit, non erit proprium. Quod autem est aliquando proprium, non in aliis quam in præsenti tempore spectamus. Non sunt igitur multæ rationes quæ ad ipsum pertineant. Illud autem est problema logicum, de quo crebræ et scitæ rationes efficiuntur.

10. Quod igitur alterius comparatione proprium vocatur, ex locis accidentis considerandum est, nempe an alii quidem accidat, alii vero non accidat. De iis autem quæ sunt semper et per se, ex his locis quos deinceps exponemus videndum est.

9. *Quoad secundum* : explicatis generibus proprii, explicat Aristoteles circa quæ propria versentur, præcipue problemata logica seu dialectica, ac de quibus hoc loco est agendum. Problema logicum seu dialecticum est, circa quod suppetunt plures rationes et bonæ, ita ut sit bene disputabile; sed multæ rationes suppetunt circa propria *per se* et semper, et circa propria respectu alterius; ergo propria maxime dialectica sunt propria *per se*, et semper, et propria respectu alterius. Probatur minor, et primo, quod circa propria respectu alterius dentur multæ rationes, probatur, quia cum proprium ad aliud contineat duo vel quatuor problemata, quodcumque impugnetur, evertitur; ergo circa illud suppetunt plures rationes et plures viæ disputandi. Quod circa proprium *per se* et semper, suppetant plures rationes, probatur, nam proprium per se debet convenire omni et soli, ac debet discriminare ab omnibus; ergo potest discurri per multa subjecta, quibus debet convenire, et per multa, quibus debet non convenire, ostendendo, quod vel non omnibus his convenit, vel non ab omnibus his discriminat. Similiter ad evertendum proprium de *semper* potest discurri per omnia tempora; si enim aliquo tempore non conveniat, non erit proprium. E converso circa proprium aliquando, cum debeat solum convenire certo tempore, non multæ suppetunt rationes.

10. Verum de proprio ad aliud actum est lib. I. cum ageremus de accidente. Proprium enim ad aliud est accidens, quod alicui inest, aliqui non inest; sed ibi traditi sunt loci ad probandum, quod inest, vel non inest; ergo traditi sunt loci de proprio ad aliud. Superest igitur, ut agamus de proprio per se et semper, hoc autem coincidit cum proprio quarto modo, quod nimirum convenit omni, soli et semper.

CAPUT II

DE LOCIS SPECTANTIBUS AD PROBLEMA, UTRUM PROPRIUM SIT BENE ASSIGNATUM.

1. [2] Ac primum videndum est, utrum recte sit explicatum proprium, an non recte.

2. Hujus autem quæstionis, utrum sit recte, an non recte explicatum, primus locus est, si non per notiora vel per notiora ponatur proprium. Et confirmatur quidem proprium, si per notiora positum esse ostendatur, evertitur autem, si per ignotiora. Sunt autem duo modi quibus non per notiora positum esse dicitur. Unus modus est, si omnino proprium, quod aliquis proposuit, eo sit ignotius cujus proprium esse dixit. Non recte enim positum erit proprium, quandoquidem cognitionis causa proprium facimus. Nam discendi causa et proprium et definitiones conficimus. Per notiora igitur explicandum est proprium; sic enim melius intelligere licebit. Exempli gratia, quoniam is qui posuit ignis proprium esse simillimum animæ, usus est anima, quæ est ignotior igne (magis enim scimus quid sit ignis, quam quid sit anima), idcirco simillimum esse animæ, non recte positum est quasi proprium ignis. Alius modus est, si non sit notius hoc illi inesse. Non solum enim oportet proprium esse notius re, sed etiam notius esse, quod illi insit. Nam qui nescit, an illi insit, ne id quidem, an ei soli insit cognoscet. Quare utrumvis horum contigerit, proprium fit obscurum. Veluti quoniam is qui proprium ignis posuit, id in quo primo ut sit anima natura comparatum est, eo usus est quod est ignotius igne, nempe si in eo inest anima, et si in eo primo inest, idcirco id in quo primo ut anima sit natura comparatum est, non recte positum est quasi ignis proprium.

3. Confirmatur autem, si per notiora ponatur proprium, et quidem notiora utroque modo. Sic enim, quod ad hoc, recte positum erit proprium. Eorum enim locorum qui ad confirmandum aliquid recte positum esse valent, alii quod ad hoc tantum, alii simpliciter ostendent recte positum esse. Veluti quoniam is qui dixit proprium esse animalis habere sensum, ex notioribus et notius utroque modo proprium tradidit, recte, quantum ad hoc, traditum est proprium animalis habere sensum.

1. Dupliciter potest proponi problema de proprio; primo quærendo, an proprium sit bene assignatum : secundo quærendo, an id, quod assignatum est, vere sit proprium rei ac convertibile cum re. Primo igitur Aristoteles proponit loca pro problemate, an proprium sit bene assignatum. Præmittit quod, ut proprium ac de-

finitio bene assignentur, debent esse notiora re. Ratio est, quia assignatio proprii ac definitionis ordinatur ad rem manifestandam ; non possunt autem manifestare, nisi sint notiora re.

2. *Primus* igitur *locus* est : considerandum est, an proprium assignetur per notiora ; si enim non est per notiora, destruitur problema ; si per notiora quodammodo construitur. Dupliciter autem potest proprium non assignari per notiora: primo, si quod assignatur sit ignotius ; secundo si quod assignatur sit, quidem notius, sed non sit notius, quod inest. Ex. gr., qui diceret, proprium ignis esse, ut sit simillimum animæ, non bene assignat proprium, quia ignotior est anima quam ignis ; ergo explicat notius per ignotius. Qui vero diceret proprium ignis seu caloris nativi esse, ut in eo primo sit anima, non bene assignat proprium, quia hoc ipsum, quod primo in igne sit anima, est ignotius quam ignis.

3. Potest ex hoc loco etiam, construi problema de proprio, non quidem simpliciter, sed *secundum quid*. Construitur autem simpliciter problema, cum simpliciter probatur hoc esse proprium rei et bene assignari, eo quod habeat omnes conditiones proprii ; at construitur *secundum quid*, quando probatur proprium bene fuisse assignatum quoad hoc, quia habet has conditiones. Ad construendum igitur *secundum quid* problema proprii, debet ostendi illud esse notius secundum utrumque modum, eo quod et est notius, et est notius, quod inest. Ex. gr., proposito problemate, quod animalis proprium est *habere sensum*, potest hoc problema probari ex eo, quia hoc, quod est *sensum habere*, est utroque modo notius animali ; nam et notius est sensum habere quam *animal*, et notius est, quod animali convenit *habere sensum*.

4. Deinde refellitur, si nomen aliquod ex iis quæ in proprio posita sunt, multis modis dicatur, vel omnino oratio multa significet ; sic enim proprium non recte positum erit. Veluti quia sentire multa significat, id est sensum habere et sensu uti, certe natura aptum ad sentiendum non recte ponetur esse animalis proprium. Idcirco nomine orationeve proprium significante, quod quæve multis modis dicatur, non est utendum, quia quod multis modis dicitur obscurum dictum facit, cum dubitet is qui argumentaturus est, utrum tandem alter dicat ex iis quæ multipliciter dicuntur ; proprium enim discendi causa proponitur. Præterea necesse est elenchum quemdam fieri adversus eos qui ita proprium explicant, quando aliquis in ea significatione in qua secus est, conficit syllogismum de eo quod dicitur multis modis. Confirmatur autem proprium, si nec ullum nomen nec tota oratio plura significet ; proprium enim, quantum ad hoc, recte positum erit. Veluti quia neque corpus multa declarat, neque quod facillime sursum fertur, neque totum id quod ex his componitur, certe corpus quod facillime sursum fertur, recte, quantum ad hoc, positum erit ignis proprium.

4. *Secundus locus* est : proprium sicut et definitio non debet assignari per nomina, quæ dicantur multipliciter, neque per orationem ambiguam et quæ possit plura significare. Ratio est, quia proprium debet rem declarare ; sed nomen vel oratio plura significans obscurant rem, cum disputans reddatur ambiguus de sensu, in quo nomen vel oratio sumitur ; ergo etc. Ex hoc loco possumus problema de proprio destruere simpliciter et construere secundum quid. Ex. gr., si quis dicat proprium animalis esse sentire, possumus hoc problema destruere, quia sentire dicitur multipliciter ; significat enim sensum habere, et sensu uti ; sed proprium non debet assignari per nomina, quæ dicantur multipliciter ; ergo etc. Minor et jam probata est et etiam confirmatur, quia proprium debet ita assignari, ut assignans non possit facile redargui ; sed qui assignat proprium per nomina multiplicia vel per orationem ambiguam, potest facile redargui saltem apparenter, si adversarius probet, quod in uno sensu male est assignatum; ergo etc. Ex eodem loco potest problema proprii construi secundum quid, ostendendo, quod neque est assignatum per nomina multiplicia, neque per orationem ambiguam, adeoque quod saltem ex hac parte bene est assignatum. Ex. gr., si quis ponat hoc problema, quod ignis est mobilissimum corporum in locum superiorem, potest ipsum sic construere : hoc proprium neque assignatur per nomina multiplicia neque per orationem ambiguam ; ergo etc. Probatur antecedens ; nam neque nomen corpus neque nomen mobilissimi in superiorem locum, dicuntur multipliciter, neque hæc tota oratio : *corpus mobilissimum in superiorem locum, est* ambigua ; ergo, etc.

5. Præterea refellitur, si multis modis dicatur id cujus proprium traditum est, neque definitum sit, cujus eorum ponatur proprium ; sic enim proprium non erit recte traditum. Quas autem

ob causas, non obscurum est ex supra dictis, quoniam eadem contingere necesse est. Veluti quoniam scire hoc multa significat, nempe id scientiam habere vel id scientia uti, vel ejus scientiam esse vel ejus scientia uti, non recte ullum proprium tradetur sciendi hoc, nisi definitum fuerit, cujus eorum ponatur proprium. Confirmatur autem, si non dicatur multis modis id cujus proprium ponitur, sed sit unum et simplex. Recte enim, quantum ad hoc, positum erit proprium. Veluti quoniam homo dicitur simpliciter, recte hominis proprium esse ponetur animal natura mansuetum.

5. *Tertius locus* est : si subjectum, cui assignatur proprium, dicatur multipliciter, debet explicari, in qua significatione sumatur; ex proportionalibus enim rationibus, ex quibus dictum est, quod proprium non debet assignari per nomina multiplicia, etiam subjectum proprii non debet assignari per nomina multiplicia. Ex hoc loco potest destrui problema simpliciter et construi secundum quid. Ex. gr., quia *scire hoc* dicitur multipliciter : primo enim significat hoc subjectum habere scientiam; secundo significat hoc subjectum uti scientia ac scire in actu secundo; tertio significat, habere scientiam hujus; quarto significat uti scientia hujus objecti. — ideo si quis assignet aliquid ut proprium hujus, quod est scire hoc, non explicans, in quo sensu id sumatur, poterit ex hoc loco refelli. At si quis dicat proprium hominis esse, ut sit animal mansuetum natura, poterit hoc problema construi secundum quid, quia homo, qui est subjectum hujus problematis, non dicitur multipliciter; ergo quoad hoc bene est assignatum proprium hominis.

6. Præterea refellitur, si sæpius idem in proprio dictum sit. Sæpe enim hoc faciunt non intelligentes se id facere, tam in propriis quam in definitionibus. Sed ejusmodi proprium non recte positum erit. Conturbat enim auditorem quod sæpe repetitum est. Necesse est igitur ut obscurum fiat. Et præterea nugari videntur. Duobus autem modis accidit ut idem sæpe dicatur, uno modo, cum quis sæpe idem nominabit, veluti si quis tradiderit proprium ignis corpus tenuissimum corporum ; hic enim sæpius dixit corpus. Altero, si quis accipiat definitiones pro nominibus, veluti si quis tradiderit proprium terræ esse substantiam, quæ maxime inter corpora deorsum fertur, deinde pro verbo corpora accipiat substantias tales. Unum enim et idem est corpus et substantia talis. Itaque sæpius usus est verbo substantia. Quare neutrum proprium recte positum est. Confirmatur autem, si nullo eodem nomine sæpe utatur ; erit enim, quod ad hoc, proprium recte traditum. Veluti quoniam is qui dixit hominis proprium esse animal scientiæ capax, non est usus eodem nomine sæpius, erit, quod ad hoc, recte traditum hominis proprium.

6. *Quartus locus* est : in assignatione proprii ac definitionis non debet sæpius repeti idem nomen; nam talis repetitio perturbat audientem, reddit orationem obscuram, et videtur quædam nugatio. Dupliciter autem potest fieri hæc repetitio. Primo formaliter, si sæpius ponatur idem nomen, ut si quis dicat proprium ignis esse, ut sit corpus tenuissimum corporum; secundo virtualiter, si ponatur nomen, in cujus definitione repetatur aliud nomen, ut si quis dicat proprium terræ esse, ut sit substantia, quæ maxime corporum ex sua natura feratur in locum inferiorem. Cum enim corpus definiatur *substantia materialis,* si loco corporis ponatur definitio ipsius, dicetur proprium terræ esse, ut sit substantia, quæ maxime inter substantias materiales feratur in locum inferiorem, adeoque repetetur nomen substantiæ. Ex hoc igitur loco poterit destrui problema proprii, ut patet in exemplo posito. Ex eodem loco poterit secundum quid construi problema proprii, ostendendo, quod neque formaliter neque virtualiter facta est repetitio ullius nominis. Ex. gr., problema ponens, quod homo est animal disciplinæ susceptivum, potest sic construi : in hac assignatione proprii nulla facta est nominum repetitio; ergo quoad hoc proprium bene fuit assignatum.

7. Præterea refellitur, si in proprio explicando tale quoddam nomen adhibuerit quod omnibus insit. Inutile enim erit, quod a nullis rebus separat. Quod vero in propriis explicandis dicitur, separare debet, ut et ea quæ sunt in definitionibus. Non recte igitur positum erit proprium. Veluti quoniam is qui scientiæ proprium posuit existimationem, quæ ratione mutari nequit, cum una sit, ejusmodi aliquo quod omnibus inest, nempe uno, usus est in proprio explicando, non recte positum est scientiæ proprium. Confirmatur autem, si nullo communi verbo usus sit, sed eo tantum quod ab aliqua re separet. Erit enim proprium, quantum ad hoc, recte positum. Veluti quoniam is qui dixit animalis proprium esse animam habere, nullo communi verbo usus est, erit, quantum ad hoc, recte positum animalis proprium animam habere.

8. Præterea refellitur, si quis plura propria ejusdem rei tradiderit, non explicans se plura ponere. Non recte enim positum erit proprium. Ut enim in definitionibus non oportet præter

sermonem, quo essentia declaratur aliquid amplius addere, sic in propriis, præter sermonem, quo efficitur proprium id quod dictum est, nihil adjungi debet. Quod enim est ejusmodi, inutile est. Veluti quoniam is qui dixit proprium ignis esse corpus tenuissimum et levissimum, plura propria tradidit (utrumque enim de solo igne vere dicitur), non recte positum est ignis proprium esse corpus tenuissimum et levissimum. Confirmatur autem, si non plura ejusdem rei propria tradidit, sed unum; erit enim, quantum ad hoc, recte positum proprium. Veluti quoniam is qui dixit humoris proprium esse corpus, quod in omnem formam ducitur, unum proprium tradidit, non plura, erit, quod ad hoc, recte positum humoris proprium.

7. *Quintus locus* est : assignando proprium nihil debet addi ex transcendentibus. Ratio est, quia proprium sicut et definitio assignatur ad hoc, ut per ipsa res distinguatur ab aliis rebus; sed per transcendentia res non distinguitur ab aliis rebus, sed convenit cum omnibus; ergo assignando proprium nihil debet poni transcendens. Ex hoc loco posset destrui problema, quo quis poneret, proprium scientiæ esse, ut cum sit una, rationibus contrariis dimoveri non possit. Cum enim prædicatum *unius* sit transcendens et commune omnibus rebus, frustra additur assignando proprium scientiæ, cum per illud scientia non differat ab ulla re. Ex eodem loco potest secundum quid construi problema proprii. Ex. gr., si quis ponat animalis proprium esse habere animam sensitivam, potest probari quoad hoc bene assignatum proprium, quia nihil est positum transcendens, et quod de omnibus dicatur.

8. *Sextus locus* est : assignando proprium, unum tantum est assignandum et non plura, nisi explicetur, quod sunt plura propria. Sicut enim in definitione nihil debet addi ad ea, quæ satis explicant *quid sit res*, sic in assignatione proprii, nihil debet addi ad ea, quæ sufficiunt ad rem distinguendam a qualibet alia re; talis enim additio esset inutilis. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium ignis esse, ut sit corpus subtilissimum et levissimum. Alterutrum enim sufficit ad ignem distinguendum ab omni alia re; ergo frustra assignantur duo propria. Ex eodem loco potest *secundum quid* construi problema. Ex. gr., si quis dicat proprium humidi esse, ut sit corpus ductile in omnem figuram, possumus sic probare proprium fuisse bene assignatum : fuit assignatum unicum proprium et non plura ; ergo quoad hoc proprium bene fuit assignatum.

9. [3] Præterea reprehenditur, si eo utatur cujus proprium tradit, aut eorum aliquo quæ ei subjecta sunt. Non recte enim positum erit proprium quia discendi causa proprium traditur. Idem igitur æque est ignotum atque ipsummet ; quod vero est alicui subjectum, eo est posterius. Proinde non est notius. Quare per hæc non fit, ut aliquid magis discatur. Veluti quoniam is qui dixit animalis proprium esse substantiam, cujus species est homo, usus est aliquo eorum quæ animali subjecta sunt, non recte positum est proprium. Confirmatur autem, si nec eo cujus proprium explicat, nec aliquo eorum quæ ei subjecta sunt, utatur ; erit enim, quantum ad hoc, recte positum proprium. Veluti quoniam is qui posuit animalis proprium esse ex anima et corpore constare, nec ipso animali usus est nec aliquo eorum quæ ei subjecta sunt, idcirco recte, quantum ad hoc, traditum erit animalis proprium. Eodem modo considerandum est in aliis quæ non faciunt vel quæ faciunt notius,

10. ita ut reprehendatur, si quo usus sit vel opposito vel omnino quod est simul natura, vel posteriori aliquo. Sic enim non recte positum erit proprium. Nam oppositum simul natura est ; quod autem est simul natura, et quod est posterius, non facit rem notiorem. Veluti quoniam is qui dixit boni proprium esse quod malo maxime opponitur, usus est eo quod bono opponitur, non erit boni proprium recte traditum. Confirmatur autem, si nulla re usus sit neque opposita, nec omnino quæ sit simul natura, nec posteriori. Erit enim, quod ad hoc, recte traditum proprium. Veluti quoniam is qui scientiæ proprium posuit existimationem, quæ maxime fidem facit, nulla re usus est nec opposita nec omnino quæ sit simul natura, nec posteriori, erit, quod ad hoc, recte positum scientiæ proprium.

9. *Septimus locus* est : assignando proprium, non debet poni ipsum subjectum, cujus proprium assignatur, neque aliquid, quod includat subjectum in suo conceptu et definitione. Ratio est, quia proprium assignatur ad declarandum subjectum, ideoque debet esse notius subjecto ; sed idem non potest esse notius se ipso ; ergo in assignatione proprii non debet exprimi subjectum. Et ex eadem ratione non debet exprimi aliquid, quod in suo conceptu includat subjectum, quia quod in suo conceptu includit subjectum, non potest esse notius subjecto, adeoque nec potest esse aptum ad declarandum subjectum. Ex hoc loco potest destrui problema ponens, proprium animalis esse, ut sit substantia, cujus species est homo ; homo enim includit animal in suo conceptu et definitione,

adeoque non est quid notius animali. Ex eodem loco potest construi problema secundum quid. Ex. gr., qui ponit proprium animalis esse *constare ex corpore et anima*, neque exprimit animal, neque aliquid, quod ita sit animal, ut includat animal in suo conceptu et definitione; ergo quoad hoc bene assignavit proprium.

10. *Octavus locus* est : universim proprium debet esse notius subjecto, quia debet id notificare. Et quia quod est simul natura cum subjecto, vel est posterius subjecto, non est notius subjecto, ideo proprium non debet esse simul natura neque posterius eo, cujus est proprium; sed oppositum est simul natura cum subjecto; ergo oppositum non bene assignatur ut proprium. Ex hoc loco potest destrui problema ponens, proprium boni esse, ut maxime opponatur malo; nam utitur malo, quod non est notius bono. Ex eodem loco potest construi problema secundum quid. Ex. gr., quia asserens proprium scientiæ esse, ut sit opinio maxime fidem faciens, non utitur ullo opposito, neque simul natura neque posteriore, quoad hoc bene assignavit proprium.

11. Præterea refellitur, si quod non semper est consequens, proprium tradidit, sed id quod interdum fit non proprium. Sic enim proprium non recte expositum erit, quia neque in quo intelligimus ipsum inesse, de eo etiam nomen necessario vere dicitur; nec in quo intelligitur non inesse, de eo nomen necessario non dicetur. Quare proprium non recte positum erit. Præterea nec quando proprium tradidit, perspicuum erit, an insit. Siquidem tale est ut abesse possit. Itaque proprium hoc non erit perspicuum. Veluti quoniam qui animalis proprium posuit moveri interdum vel stare, ejusmodi proprium tradidit, quod fit aliquando non proprium, non recte erit positum proprium. Confirmatur autem, si quod necessario semper est, proprium statuit. Erit enim recte positum proprium, quod ad hunc locum attinet. Veluti qui virtutis proprium posuit, quod habentem efficit probum, quia quod semper consequens est, proprium statuit, erit, quantum ad hoc, recte traditum virtutis proprium.

11. *Nonus locus* est : proprium debet semper sequi subjectum, cujus est proprium, ac semper de illo dici, non autem debet esse tale, ut aliquando dicatur de subjecto, aliquando non dicatur. Ratio est primo, quia proprium debet esse tale, ut cum prædicatur de aliquo, debeat illi convenire nomen rei, cujus est proprium, et cum non prædicatur, debeat nomen non convenire; sed si aliquando convenit rei, aliquando non convenit, prædicabitur de re, cui non convenit nomen illius, cujus est proprium, siquidem et de aliis dicetur; et non prædicabitur de re, et tamen illi conveniet nomen, siquidem potest rei non convenire; ergo id, quod aliquando convenit, aliquando non convenit, non est proprium, sed est accidens commune. Secunda ratio est, quia de proprio debet esse manifestum, quod inest rei; sed si aliquando inest, aliquando non inest, non est manifestum, quod inest, cum possit non inesse; ergo non erit manifestum, quod sit proprium. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium animalis esse aliquando moveri vel stare; nam assignatur proprium, quod aliquando animali convenit, aliquando non convenit. Ex eodem loco potest construi *secundum quid* problema ponens proprium virtutis esse, ut faciat bonum habentem; nam in hoc problemate assignatur ut proprium virtutis aliquid, quod semper et ex necessitate sequitur virtutem; ergo quoad hoc bene assignatur proprium.

12. Præterea reprehenditur, si quis quod nunc proprium est tradens non declaret se id quod nunc proprium est tradere, quia non erit recte positum proprium. Primum enim quidquid præter morem fit, declaratione indiget; plerumque autem omnes consueverunt, quod semper consequens est, proprium tradere. Præterea incertum est, an is qui non declaravit, quod nunc proprium est, ponere voluerit. Non igitur danda est reprehensionis causa. Veluti qui cujusdam hominis proprium ponit sedere cum quodam homine, quia quod nunc est proprium ponit, non recte proprium tradidit, nisi declaret se quod nunc est proprium tradere. Confirmatur autem, si quis quod nunc proprium est tradens, declaraverit se quod nunc est proprium ponere; erit enim proprium, quantum ad hoc, recte positum. Veluti quoniam is qui dixit alicujus hominis esse proprium deambulare nunc aliquo in loco, distinctione adhibita hoc posuit, recte erit positum proprium.

13. Præterea refellitur, si ejusmodi proprium tradidit, quod non aliter cognoscitur inesse quam sensu. Non enim erit recte positum proprium. Omne enim sensibile, si extra sensum constituatur, incertum fit, quoniam ignoratur, an adhuc insit, propterea quod sensu tantum cognoscitur. Hoc autem verum erit in iis quæ non necessario semper consequuntur. Veluti qui solis proprium posuit, astrum quod supra terram fertur, splendidissimum, quoniam in proprio explicando illud adhibuit, id est supra terram ferri, quod sensu cognoscitur, non recte erit solis proprium traditum. Incertum enim erit, cum sol occiderit, an

feratur supra terram, quia tunc sensus nos deficit. Confirmatur autem, si tale proprium tradidit, quod non sensu manifestum sit; vel quod eum sub sensum cadat, necessario inesse constet. Erit enim, quod ad hoc, recte positum proprium. Veluti quoniam si quis superficiei proprium posuit quod primum coloratur. sensibile quiddam adhibuit, nempe colorari, sed ejusmodi quod perspicuum est semper inesse, erit, quod ad hoc, recte traditum superficiei proprium.

12. *Decimus locus* est : cum assignatur aliquid, quod est proprium solum aliquando, debet id exprimi. Ratio est primo, quia communiter nomine proprii simpliciter dicti intelligimus, quod semper convenit ; ergo cum assignamus proprium præter communem consuetudinem, debemus determinare, quod assignamus proprium aliquando. Secundo cum non sit manifestum, quod solum assignaverit proprium *nunc*, assignans dabit adversario ansam ipsum redarguendi ac reprehendendi. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium alicujus hominis esse *sedere cum alio homine ;* cum enim non determinet, quod proprium est pro *nunc*, male assignat proprium. Ex eodem loco potest construi problema ponens *nunc* esse proprium alicujus hominis *ambulare in tali loco*. Cum enim explicaverit, quod est proprium pro *nunc*, quoad hoc bene assignavit proprium.

13. *Undecimus locus est* : cum assignatur ut proprium aliquid. de quo sensu solum est manifestum. quod conveniat subjecto. debet sensu esse manifestum, quod semper conveniat subjecto, alioquin non est simpliciter manifestum, an semper conveniat. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium solis esse, ut sit astrum lucidissimum, quod fertur super terram. Cum enim hoc, quod est *solem ferri super terram*, supponatur sensu solum esse manifestum, per sensum autem non pateat, an postquam sol occidit, super terram feratur, non est manifestum, an sol semper feratur, adeoque an ferri sit proprium solis. Ex eodem loco potest *secundum quid* construi problema ex eo, quod proprium non sit sensu manifestum sed aliunde, vel si manifestum est sensu, patet quod semper conveniat. Ex gr., si quis ponat proprium superficiei esse, ut sit id, quod primo est coloratum, potest probari bene esse assignatum proprium, quia fuit assignatum sensibile, de quo sensu est manifestum, quod semper conveniat subjecto.

14. Præterea reprehenditur, si definitionem quasi proprium tradiderit. Non enim recte positum erit proprium, quia proprium declarare quidditatem non debet. Veluti qui hominis proprium esse dixit animal pedestre bipes, quoniam id quod quidditatem significat hominis proprium esse statuit, non erit hominis proprium recte traditum. Confirmatur autem, si tradidit proprium quod reciprocatur nec declarat quidditatem ; erit enim proprium. quantum ad hoc, recte traditum. Veluti quoniam is qui proprium hominis esse posuit animal natura mansuetum, tradidit proprium, quod reciprocatur nec declarat hominis quidditatem, erit, quantum ad hoc, recte traditum proprium hominis.

15. Præterea reprehenditur, si in proprio explicando non posuit quid res sit. Oportet enim, ut in definitionibus, ita in propriis primum tradi genus, deinde reliqua adjungi, et rem propositam ab aliis separari. Quare proprium quod hoc modo positum non est, non recte est traditum. Veluti qui dixit animalis proprium esse animam habere, quia non posuit quid animal sit, non recte positum erit animalis proprium. Confirmatur autem, si quis, cum posuerit quid sit id cujus proprium tradit, reliqua deinde adjungat. Erit enim proprium, quod ad hoc, recte traditum. Veluti qui posuit hominis proprium esse animal scientiæ capax, quoniam ponens quid sit homo, ejus proprium tradidit, erit, quod ad hoc, recte positum proprium hominis. Utrum igitur recte an non recte traditum sit proprium, ex his considerandum est.

14. *Duodecimus locus est* : proprium distinguitur a definitione. Definitio enim explicat, quid sit res; proprium autem est extra essentiam rei. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium hominis esse, ut *sit animal gressibile bipes*. Hoc enim (ut supponitur) est definitio hominis; ergo non est proprium hominis. Per eumdem locum potest construi problema ex eo, quod assignaverit aliquid, quod conversim dicitur de re, et non explicat, quid res sit. Ex. gr., qui dicit, proprium hominis esse, ut sit animal mansuetum natura, explicat aliquid, quod conversim dicitur de homine, et non explicat, quid sit homo; ergo quoad hoc bene assignavit proprium hominis.

15. *Decimus tertius locus est* : sicut in definitione debet ultra differentiam poni genus, ita in assignatione proprii debet assignari genus rei, ac deinde addendum est proprium, per quod res distinguitur ac separatur ab aliis rebus. Ex hoc loco potest redargui qui assignans proprium non exprimit genus. Ex. gr., si quis ponat, quod proprium animalis est, habere animam sensitivam, non exprimit genus commune,

quod de animali prædicetur in quid; ergo non bene assignavit proprium animalis. Ex eodem loco potest construi secundum quid problema ita assignans proprium, ut posito genere, addat alia, per quæ res distinguatur ab aliis rebus; nam quoad hoc bene assignavit proprium. Ex. gr., qui dicit proprium hominis esse, ut sit animal disciplinæ susceptivum, assignavit genus de homine prædicabile *in quid*, ac deinde addidit prædicata, per quæ homo differt a reliquis animalibus; ergo quoad hoc bene assignavit proprium. Concludit Aristoteles per hæc loca esse examinandum, an proprium assignetur bene, vel non bene.

CAPUT II. ART. II.

DE LOCIS SPECTANTIBUS AD PROBLEMA, IN QUO QUÆRITUR, UTRUM ID, QUOD ASSIGNATUM EST, VERE SIT PROPRIUM REI.

16. [4] Utrum autem proprium sit omnino id quod dictum est, an non proprium, ex his videndum est. Nam qui simpliciter confirmant, proprium recte positum esse, iidem loci erunt atque ii qui proprium omnino efficiunt; proinde in illis dicentur.

17. Primum igitur in confirmatione respicere oportet ad singula sub eo contenta, cujus proprium aliquis tradidit, veluti an nulli eorum insit, vel non ratione hujus vere dicatur, vel non sit uniuscujusque eorum proprium ratione ejus cujus proprium ille tradidit. Sic enim proprium non erit id quod positum est esse proprium. Veluti quia de geometra non vere dicitur eum ratione falli non posse, quandoquidem fallitur geometra, dum falsam descriptionem adhibet, non potest hoc esse scientis proprium, non falli ratione. Confirmatur autem, si de omni vere dicitur et ratione hujus vere dicitur. Quod enim positum est non esse proprium, erit proprium. Veluti quoniam animal scientiæ capax de omni homine vere dicitur, et qua homo est, certe hominis proprium est animal scientiæ capax. Est autem hic locus in refutatione, si de quo nomen, non etiam oratio vere dicitur; et si de quo oratio, non etiam nomen. In confirmatione autem, si de quo nomen, etiam oratio vere dicitur; et si ei cui oratio, etiam nomen attribuitur.

16. Propositis locis, ex quibus potest ostendi, proprium non esse bene assignatum, vel esse bene assignatum *secundum quid*, proponit Aristoteles locos, ex quibus probatur id, quod assignatur, vere esse proprium vel non esse proprium. Et quia idem est ostendere, aliquid vere esse tale ac simpliciter esse tale, ideo Aristoteles advertit, quod per eosdem locos probari potest proprium bene assignari, non solum secundum quid, sed simpliciter.

17. *Primus locus* est: proprium debet dici de subjecto quatenus tali ac de omni, quod continetur sub subjecto. Destruitur igitur proprium ostendendo, quod vel de nullo dicitur, vel de aliquo non dicitur, vel non dicitur de subjecto quatenus tali. Ex. gr., problema, quo quis ponat proprium scientis esse, non posse decipi falsa ratione, potest destrui, quia hoc non convenit omni scienti. Geometra enim est sciens et tamen potest decipi falsa ratione, ut cum proponitur syllogismus pseudographus ex principiis geometricis male assumptis. Ad construendum vero problema debet ostendi, quod id, quod assignatur, convenit omni subjecto in quantum est tale. Ex. gr., quia omnis homo in quantum homo est animal disciplinæ susceptivum, esse animal disciplinæ susceptivum, est proprium hominis.

18. Præterea refellitur, si de quo oratio, non etiam nomen vere dicitur; et si de quo nomen, non etiam oratio. Quod enim positum est esse proprium, non erit proprium. Veluti quoniam animal scientiæ capax vere dicitur de Deo, homo autem Deo non attribuitur, non potest esse hominis proprium animal scientiæ capax. Confirmatur autem, si de quo oratio, de eo nomen quoque dicitur; et si de quo nomen, etiam oratio. Quod enim positum est non esse proprium, erit proprium. Veluti quia de quo animam habere, de eo etiam animal vere dicitur, et de quo animal, de eo etiam habere animam, certe habere animam est animalis proprium.

19. Præterea reprehenditur, si subjectum quasi proprium ejus tradidit, quod dicitur esse in subjecto. Quod enim positum est proprium, non erit proprium. Veluti qui tradidit proprium corporis subtilissimis partibus constantis esse ignem, quia subjectum tradidit quasi attributi proprium, certe ignis non erit proprium corporis subtilissimis partibus constantis. Idcirco autem subjectum non erit proprium ejus quod dicitur esse in subjecto, quia idem esset plurium et differentium specie proprium, quandoquidem eidem subjecto plura quædam specie differentia insunt, quæ de eo solo dicuntur; quorum omnium proprium erit illud subjectum, si quis ita proprium ponat. Confirmatur autem, si id quod est in subjecto, statuit esse proprium subjecti. Quod enim positum est non esse proprium, erit proprium, dummodo ei soli attribuatur, cujus dictum est esse proprium. Veluti qui dixit terræ proprium esse corpus gravissimum specie, quia subjecti proprium tradidit quod de sola ea re dicitur et ut proprium attribuitur, ideo terræ proprium recte positum est.

18. *Secundus locus* est: proprium debet

dici ad convertentiam de subjecto, ita ut de omni, de quo dicitur nomen subjecti, dicatur oratio significans proprium; ac de omni, de quo dicitur oratio significans proprium, dicatur nomen subjecti. Ex hoc loco potest destrui poblema, ostendendo, quod de aliquo dicitur oratio significans proprium, de quo non dicitur nomen subjecti, vel de aliquo dicitur nomen subjecti, de quo non dicitur oraito significans proprium. Ex. gr., si quis dicat proprium hominis esse, ut sit animal disciplinæ susceptivum, possumus arguere, quia etiam Angeli juxta Platonicos sunt animalia disciplinæ susceptiva, et tamen de iis non dicitur homo; ergo, etc. Ex eodem loco potest construi problema, ostendendo, quod de omni, de quo dicitur oratio significans proprium, dicitur nomen subjecti. Ex. gr., potest construi problema ponens, quod animalis proprium est habere animam sensitivam, quia de omni, de quo dicitur animal, dicitur, quod habeat animam sensitivam, et de omni, de quo dicitur, quod habeat animam sensitivam, dicitur animal; ergo, etc.

19. *Tertius locus* est : subjectum non debet assignari ut proprium rei, quæ inest tali subjecto. Ex hoc loco posset destrui problema ponens, quod proprium subtilissimi corporis est esse ignem : nam ignis est subjectum, de quo prædicatur corpus subtilissimum; ergo ignis non est proprium corporis subtilissimi. Confirmatur, quia eidem subjecto possunt convenire plura prædicata specie diversa, eo pacto, quo igni convenit esse subtilissimum, esse rarissimum, et esse calidissimum; ergo si subjectum esset proprium prædicatorum, quæ conveniunt subjecto, idem esset proprium plurium specie diversorum, quod est inconveniens. Ex eodem loco potest construi problema proprii, ostendendo, quod assignatur ut proprium id, quod vere est in subjecto; hoc enim, dummodo habeat alias conditiones, vere est proprium, licet adversarius neget id esse proprium. Ex. gr., quia dicendo quod proprium terræ est, esse corpus rarissimum, assignamus proprium subjecti, in quo inest, et de quo solo prædicatur, et de quo prædicatur non ut definitio, sed ut proprium, recte assignamus proprium.

20. Præterea reprehenditur, si per participationem tradidit proprium. Quod enim positum est esse proprium, non erit proprium. Quod enim per participationem inest, ad rei quidditatem pertinet; quod autem est ejusmodi, differentia quædam est, quæ de specie dicitur. Veluti quoniam is qui dixit hominis proprium esse pedestre bipes, per participationem tradidit proprium, certe pedestre bipes non erit hominis proprium. Confirmatur autem si non per participationem tradidit proprium, nec quod rei quidditatem declarat, cum res ei vicissim attribuatur. Erit enim proprium, quod positum est non esse proprium. Veluti quoniam is qui posuit animalis proprium, naturalem vim habere sentiendi, nec per participationem tradidit proprium, nec quod rei quidditatem declarat, cum res de eo vicissim dicatur, certe erit animalis proprium, naturalem vim habere sentiendi.

21. Deinde refellitur, si non contingit simul inesse proprium, sed vel posterius vel prius est quam id cujus est nomen. Quod enim positum est esse proprium, aut nunquam aut non semper erit proprium. Veluti quoniam accidit ut cuipiam et prius et posterius insit deambulatio in foro quam homo sit, certe deambulare in foro aut nunquam aut non semper erit proprium hominis. Confirmatur autem, si simul necessario semper est, cum neque sit definitio neque differentia. Quod enim positum est non esse proprium, erit proprium. Veluti quoniam animal scientiæ capax necessario semper est una cum homine, cum nec sit differentia nec definitio, certe animal scientiæ capax erit hominis proprium.

20. *Quartus locus* est: proprium non debet inesse subjecto secundum participationem, hoc est ita, ut ingrediatur definitionem subjecti; eo enim ipso esset differentia essentialis subjecti, adeoque non esset proprium. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium hominis esse, ut sit animal gressibile bipes : gressibile enim bipes dicitur de homine secundum participationem, et ingreditur definitionem hominis; ergo non est proprium, sed est differentia essentialis hominis. Ex eodem loco potest construi problema proprii ostendendo, quod id, quod assignatur, non convenit subjecto secundum participationem, neque explicat essentiam subjecti, ac conversim dicitur de subjecto. Ex. gr., quia hoc, quod est, *esse aptum sentire*, dicitur ad convertentiam de animali, et non spectat ad essentiam animalis, ideo est proprium animalis.

21. *Quartus locus* est : proprium debet esse simul tempore cum subjecto, non autem prius neque posterius; alioquin vel simpliciter non erit proprium, vel non erit proprium semper, sed solum aliquando. Ex hoc loco potest destrui problema ponens, proprium hominis esse ambulare in foro. Nam potest dari ambulans in foro prius et posterius, quam de-

tur homo ; ergo ambulare in foro non est proprium hominis, saltem semper, sed ad summum aliquando. Ex eodem loco potest construi problema. Si enim quod assignatur ex necessitate, semper inest, et neque est definitio neque differentia, est proprium. Ex. gr., quia esse animal disciplinæ susceptivum, ex necessitate semper convenit homini, et neque est definitio neque differentia hominis, est proprium hominis.

22. Deinde refellitur, si earumdem rerum, qua sunt eædem, non sit idem proprium. Quod enim positum est esse proprium, non erit proprium. Ut quia ejus quod est persequendum, non est proprium videri quibusdam bonum, ne ejus quidem quod est eligendum, proprium erit videri quibusdam bonum. Quod enim est persequendum et quod eligendum, idem sunt. Confirmatur autem, si ejusdem rei, qua est eadem, est idem proprium. Quod enim positum est non esse proprium, erit proprium. Veluti quoniam hominis, qua homo est, proprium dicitur tripertitam animam habere, etiam mortalis, qua est mortalis, proprium erit habere animam tripertitam. Est autem utilis hic locus etiam in accidente; iisdem enim rebus, qua eædem sunt, eadem inesse oportet aut non inesse.

23. Deinde refellitur, si eorum quæ sunt ejusdem speciei, non semper specie idem est proprium, quia nec rei propositæ id erit proprium, quod positum est esse proprium. Veluti quia ejusdem speciei sunt homo et equus, non semper autem equi proprium est a se stare, ne hominis quidem proprium semper erit a se moveri. Idem namque specie sunt moveri et stare a semetipso, quoniam utrique eorum, qua est animal, accidunt. Confirmatur autem, si eorum quæ sunt ejusdem speciei, idem semper specei proprium est. Quod enim positum est non esse proprium, erit proprium Veluti quia hominis est proprium esse pedestre bipes, etiam avis proprium erit esse alatum bipes. Horum enim utrumque est idem specie, qua alia sunt ut species sub eodem genere, nempe sub animali, alia ut ejus generis, id est animalis, differentiæ. Hic autem locus falsus est, quando alterum eorum quæ dicta sunt, uni tantum speciei inest, alterum vero multis, ut pedestre quadrupes.

22. *Quintus locus* est : quod est proprium rei, est etiam proprium omnium eorum, quæ sunt idem cum re, in quantum sunt idem cum re ; si ergo non sit proprium omnium, quæ sunt idem cum re, nec est proprium rei. Hinc potest destrui problema ponens proprium esse prosequendi, apparere quibusdam bonum ; prosequendum enim et eligendum idem sunt; sed hoc, quod est, apparere quibusdam bonum, non est proprium eligendi : eligendum enim non est id, quod quibusdam apparet bonum, sed quod vere est bonum , ergo nec est proprium prosequendi. Ex eodem loco potest construi problema, quia enim idem est homo ac vir; proprium autem est hominis habere animam tripartitam, hoc est constantem ex tribus partibus, cognoscitiva nimirum, concupiscibili et irascibili; erit etiam proprium viri habere animam tripartitam. Addit Aristoteles hunc locum valere etiam in accidente. Nam sicut iisdem, in quantum sunt eadem, eadem conveniunt propria; sic iisdem, in quantum sunt eadem, conveniunt eadem accidentia.

23. *Sextus locus* qui traditur ab Aristotele satis obscure est : specierum contradistinctarum ejusdem generis proportionaliter contradistincta sunt propria. Ex hoc loco posset destrui problema ponens, quod proprium hominis est moveri a se. Homo enim et equus sunt species contradistinctæ in eodem genere animalis ; sed non est proprium equi *stare a se*; ergo neque est proprium hominis *moveri a se*. Ex eodem loco posset construi problema ponens proprium avis esse, ut sit volatile bipes. Homo enim et avis sunt in genere animalis bipedis, et distinguuntur per differentias gressibilis et volatilis : sed proprium hominis est, esse gressibile bipes : ergo proprium avis est, esse volatile bipes. Addit Aristoteles hunc locum non semper valere. Contingit enim aliquando, ut altera ex oppositis differentiis conveniat uni tantum speciei, altera pluribus; ex gr., non valet : proprium hominis est esse gressibile bipes; ergo proprium equi est esse gressibile quadrupes ; nam hoc, quod est, esse gressibile quadrupes, non est proprium equi, sed commune multis speciebus animalium gressibilium, licet hoc, quod est *gressibile bipes* sit proprium solius hominis.

24. Quoniam autem idem et diversum multis modis dicuntur, difficile est, si quis hæc sophistice accipiat, unius et solius alicujus rei proprium afferre. Quod enim inest alicui cui quidpiam accidit, etiam accidenti illi inerit sumpto una cum eo cui accidit. Veluti quod inest homini, etiam albo homini inerit, si sit albus homo; et quod albo homini inest, etiam homini inerit. Calumniari autem aliquis potest hujuscemodi propria, si constituat aliud esse subjectum per se, aliud cum accidente, verbi gratia si dicat aliud esse hominem, aliud esse album hominem. Præterea si constituat aliud esse habitum et id quod ex habitu nominatur; quod

enim in habitu inest, in eo quoque inerit quod ex habitu nominatur; et quod in eo quod ex habitu nominatur inest, etiam in habitu inerit. Veluti quia sciens secundum scientiam dicitur esse affectus, non erit scientiæ proprium ratione mutari non posse, quia et sciens ratione mutari nequit. In confirmatione autem dicendum est non esse aliud simpliciter id cui accidit, et accidens sumptum cum eo cui accidit, sed ob eam causam aliud dici, quia diversa est eorum essentia. Non enim idem est hominem esse hominem, et album hominem esse hominem album. Præterea spectandi sunt casus, dicendumque nec scientem esse, quod ratione mutari non potest, sed qui mutari non potest ratione; nec scientiam quod ratione mutari nequit, sed quæ mutari nequit ratione. Nam ei qui omni modo objicit, omni modo occurendum est.

24. *Septimus locus* sophisticus est : quod inest subjecto, cui convenit aliquod accidens, inest etiam accidenti sumpto cum tali subjecto; et e converso quod inest accidenti, inest subjecto, cui convenit accidens. Ex. gr., quia hominis proprium est, *esse risibile,* accidit autem ut homo sit albus, albi hominis proprium est, *esse risibile;* et quia proprium albi est, *esse disgregativum visus,* accidit autem, ut homo sit albus, proprium albi hominis erit, *esse disgregativum visus.* Propter hunc locum, et quia idem ac diversum dicuntur multipliciter, difficile est contra sophistas defendere, quo pacto aliquid sit unius tantum ac solius proprium. Sophista enim, quia diversum dicitur multipliciter, calumniabitur plures assignationes proprii, arguens, quia aliud est subjectum *secundum se,* aliud est subjectum cum accidente. Ex. gr., aliud est *homo,* aliud *albus homo;* sed hoc, quod est *esse risibilem,* non solum dicitur de homine, sed etiam de albo homine; ergo non dicitur de solo homine; ergo non est proprium hominis, cum proprium debeat convenire soli. Rursus aliud est habitus, aliud subjectum habens habitum; sed quod dicitur de habitu, dicitur etiam de subjecto habente habitnm, ex. gr., sicut de scientia dicitur, quod sit imperturbabilis propter rationes contrarias, sic de sciente dicitur, quod sit impertubabilis propter rationes contrarias; ergo hoc, quod est, *esse imperturbabilem propter rationes contrarias,* non est proprium scientiæ, cum conveniat etiam scienti. Eodem pacto calumniantur sophistæ alias similes assignationes proprii. Construens igitur problema proprii, ad similes instantias sophistarum respondere debet, accidens et id cui accidit, non esse diversa simpliciter, cum sint idem numero ac subjecto, sed solum differre secundum esse ac definitionem, quatenus non est idem, *esse hominem,* ac *esse hominem album;* ergo licet quod dicitur de homine, dicatur etiam de albo homine, adhuc non dicitur de diversis, adeoque non destruitur ratio proprii. Rursus quia sophistæ solent argumentari non solum ex re sed ex casibus, respondendum est non solum ex re sed ex casibus, ac dicendum, quod non idem est proprium scientis ac scientiæ. Cum enim dicitur scientem esse imperturbabilem, ly *imperturbabilis* est generis masculini, at cum dicitur scientiam esse imperturbabilem, ly *imperturbabilis* est generis fæminini; ergo non idem est proprium scientis ac scientiæ, cum differant secundum casus seu terminationes, vel saltem secundum genera. Sophistis igitur, qui omnibus modis instant, omnibus modis est occurrendum, et cum sophistice argumentantur, afferenda est etiam solutio sophistica.

25. [5] Deinde refellitur, si volens id tradere quod natura inest, ejusmodi oratione id ponat ut significet id quod semper inest. Sic enim videbitur tolli quod positum est esse proprium. Ut quoniam is qui dixit bipes hominis esse proprium, vult quidem id tradere quod natura inest, sed oratione significat quod semper inest, certe bipes non erit hominis proprium, siquidem non omnis homo habet duos pedes. Confirmatur autem, si velit proprium quod natura inest tradere, et oratione hunc modum significet; non enim per hunc locum tolletur proprium. Veluti quoniam is qui proprium hominis tradidit : animal scientiæ capax, et tradere vult et oratione significat proprium quod natura inest, non tolletur hac ratione, quasi non sit proprium hominis animal scientiæ capax.

26. Præterea quæ dicuntur per aliud primum vel ut ipsum primum, difficile est eorum proprium tradere. Si enim proprium tradas ejus quod est per aliud, etiam de primo vere dicetur. At si primi proprium ponas, ei quoque attribuetur quod est per aliud. Veluti si quis superficiei proprium statuat coloratum esse, etiam de corpore vere dicetur esse coloratum. At si corporis, etiam superficiei vere attribuetur. Quocirca de quo oratio, non etiam nomen vere dicetur.

25. *Octavus locus* est : cum quis vult dicere proprium esse subjecti, ut ex sua natura sit tale, non debet uti locutione significante subjectum semper esse tale. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium hominis esse, *ut sit bipes.* Licet enim qui id ponit, velit significare,

quod proprium hominis est, ut ex sua natura sit bipes, tamen utitur locutione significante, quod homo semper est bipes; et quia non omnis homo semper habet duos pedes, videtur everti problema positum. Ex eodem loco construi potest problema ostendendo, quod locutio significat proprium natura inesse. Ex. gr., quia qui dicit, proprium hominis esse, ut sit animal disciplinæ susceptivum, utitur vocibus significantibus, non quidem, quod omnis homo suscipit disciplinam, sed quod omnis homo ex sua natura est aptus ad suscipiendam disciplinam, bene ponit problema.

26. *Nonus locus* est : assignando proprium debet explicari, quomodo et quorum id dicatur proprium; ex defectu autem hujus explicationis multipliciter peccatur, ac possunt desumi plures loci ad redarguendum, et ad destruenda posita problemata. Explicatur : potest aliquid convenire subjecto, vel primo et ratione sui, vel ratione alterius; ex. gr., *esse coloratum*, convenit superficiei primo et ratione sui, corpori autem convenit ratione superficiei. Si quis igitur dixerit proprium superficiei esse, ut sit colorata, redarguetur, quia etiam corpus est coloratum. Si dixerit proprium corporis esse, ut sit coloratum, redarguetur, quia etiam superficies est colorata; ergo non de omni, de quo dicitur coloratum, dicitur corpus; ergo coloratum non est proprium corporis. At si quis dixerit proprium superficiei esse, ut sit colorata primo et ratione sui, proprium corporis esse, ut sit coloratum secundum suam superficiem, aufertur occasio redarguendi.

27. Accidit autem in quibusdam propriis peccatum quoddam admitti, propterea quod non definiunt quomodo et quorum proprium ponant.

28. Omnes enim proprium tradere nituntur, vel quod natura inest. ut hominis esse bipedem; vel quod inest, ut cujusdam hominis habere quatuor digitos; vel specie, ut ignis tenuissimis partibus constare; vel simpliciter, ut animalis vivere; vel per aliud, ut animæ prudentia esse præditum; vel ut primum, ut rationalis facultatis prudentia esse præditum; vel quia habet, ut scientis ratione dissuaderi non posse (nihil enim aliud erit ratione dissuaderi non posse, quam aliquid habere); vel quia habetur, ut scientiæ ratione mutari non posse; vel quia communicatur, ut animalis sentire (sentit enim et aliud quidpiam, ut homo; sed cum sit hujus particeps, sentit); vel quia est particeps, ut cujusdam animalis vivere.

27. Jam quia Aristoteles dixit debere explicari modos, quibus dicitur proprium, proponit *decem modos proprii*, et peccata, quæ committuntur ex omissione talium modorum. et loca, ex quibus possunt destrui problemata non explicantia modos proprii.

28. Primo dicitur proprium, quod ex sua natura inest. Hoc pacto dicitur hominis proprium *esse bipedem*, quia homo ex sua natura est bipes, licet possit contingere, ut aliquis homo hic et nunc non sit bipes. Secundo dicitur proprium, quod hic et nunc convenit subjecto; ex. gr., dicitur proprium alicujus hominis, *habere solum quatuor digitos*, quia licet secundum suam naturam debeat habere quinque digitos, tamen hic et nunc habet solum quatuor digitos. Tertio dicitur proprium alicujus, quod convenit illi secundum speciem; ex. gr., dicitur proprium ignis, *ut sit corpus subtilissimum*, quia ignis secundum speciem est subtilissimus, licet aliquis ignis particularis non sit subtilissimus. Quarto dicitur proprium, quod simpliciter et sine ulla additione est proprium; ex. gr, simpliciter et sine additione proprium animalis est *vivere*, quia omne animal debet vivere. Quinto dicitur proprium, quod convenit rei ratione alterius. Sexto dicitur proprium, quod convenit primo et ratione sui; ex. gr., dicitur propria animæ prudentia, quia prudentia convenit animæ ratione partis ratiocinativæ; at eadem prudentia dicitur propria partis ratiocinativæ, quia convenit illi primo et ratione sui. Septimo dicitur aliquid esse proprium alterius ut habentis; Octavo dicitur esse proprium ut habiti. ex. gr., *esse immobilem per rationes contrarias*, dicitur esse proprium scientis, in quantum habet scientiam, et dicitur esse proprium scientiæ, in quantum habetur a sciente. Nono dicitur aliquid convenire alteri, ut ei, quod participatur. Decimo dicitur convenire alteri, ut ei, quod participat; ex. gr., animal sentit, in quantum participatur a speciebus et individuis animalium; at homo et aliæ species, atque individua animalium sentiunt, in quantum participant animal, ipsum includendo in sua definitione.

29. Qui igitur non adjunxit hoc verbum *natura*, peccat, quia contingit ut quod natura inest, non insit ei cui natura inest, ut homini duos pedes habere.

30. Qui vero non exposuit, se tradere quod

inest, ideo peccat, quia res quandoque non erit talis, qualis nunc est, ut hominem habere quatuor digitos.

31. Peccat etiam qui non declarat se ponere ut primum vel ut per aliud, quia de quo oratio, non etiam nomen vere dicetur, ut coloratum esse, sive superficiei sive corporis proprium esse statuatur.

32. Qui vero non prædixit se, vel quia res habet vel quia habetur, proprium tradere, ideo peccat, quia quod traditum est, non erit proprium. Nam si proprium tribuat ei quod habetur, inerit etiam habenti; sin autem tribuat habenti, inerit etiam ei quod habetur, ut ratione immutabile esse, sive scientiæ sive scientis proprium ponatur.

33. Qui vero ante non significat se proprium dare, quia res est particeps vel quia communicatur, ideo peccat quia et quibusdam aliis proprium inerit. Si enim proprium tradiderit, quia communicatur, inerit etiam iis quæ participant; sin quia est particeps, inerit etiam iis quæ communicantur, veluti si vivere ponatur esse proprium cujusdam animalis vel animalis.

34. Peccat etiam qui non distincte explicat se dare proprium specie, quoniam inerit uni tantum ex iis quæ sub eo collocantur, cujus proprium ponit. Quod enim in exsuperantia consistit, uni tantum inest. Ut si ignis proprium statuatur esse levissimum.

29. Multipliciter igitur peccatur assignando proprium et non explicando dictos modos, ac non addendo particulas necessarias ad illos explicandos, ac possunt ex istis peccatis desumi *plures loci ad redarguendum*. Primo, qui assignat proprium ex natura et non explicat, quod inest natura, peccat; ex. gr., peccat, qui dicit, proprium hominis esse, ut sit bipes, et non addit, ut sit bipes natura. Locus autem ad redarguendum est, quia contingit hominem non habere duos pedes; ergo non est proprium hominis esse bipedem.

30. Secundo peccat, qui assignat proprium nunc, et non explicat, quod est proprium pro nunc; ex. gr., qui dicit proprium hujus esse, *habere quatuor digitos*, et non explicat, quod est proprium nunc. Locus ad redarguendum est, quia non est simpliciter proprium hujus, *habere quatuor digitos*; ergo male assignatur ut proprium.

31. Tertio peccat, qui non explicat, utrum proprium conveniat subjecto primo et ratione sui, an ratione alterius; ex. gr., peccat, qui dicit coloratum esse proprium superficiei vel corporis, non explicans, an sit proprium primo et ratione sui, an secundario et ratione alterius. Locus ad redarguendum est, quia proprium non debet ulli convenire, cui non conveniat nomen rei, cujus dicitur proprium; sed coloratum dicitur de superficie, de qua non dicitur corpus, et dicitur de corpore, de quo non dicitur superficies; ergo coloratum neque est proprium superficiei neque corporis.

32. Quarto peccat, qui assignat proprium, non explicans, an conveniat ut habenti vel ut habito. Locus ad redarguendum est, quia poterit de aliquo prædicari proprium, cui non conveniat nomen rei, cujus dicitur proprium; ex. gr., si quis dixerit proprium scientis esse, ut sit imperturbabilis contrariis rationibus, potest redargui, quia hoc, quod est *esse imperturbabilem contrariis rationibus*, convenit etiam scientiæ; ergo non est proprium scientis.

33. Quinto peccat, qui assignat proprium, non explicans, an conveniat rei ut participanti. Locus ad redarguendum est, quia si tribuitur participanti, convenit etiam participato, si tribuitur participato, convenit participanti; ex. gr., qui dicit proprium animalis esse, ut sit vivens, redarguitur, quia esse vivens convenit etiam homini et equo, qui participant animal; qui vero dicit proprium hominis esse, ut sit vivens, redarguitur, quia convenit etiam animali, quod participatur ab homine.

34. Sexto peccat qui assignans proprium secundum speciem non explicat, quod est proprium secundum speciem, ex. gr., peccat qui dicit proprium ignis esse, ut sit levissimus, et non explicat, quod hoc est proprium ignis secundum speciem. Locus ad redarguendum est, quia quod est proprium simpliciter, convenit omnibus; sed quod est proprium secundum speciem, non convenit omnibus, sed uni tantum, eo pacto, quo non omnis ignis est levissimus, sed solum aliquis ignis est levissimus, puta ignis flammæ, cum ignis carbonum non sit levissimus; ergo, etc.

35. Interdum autem et qui adjunxit verbum illud *specie* peccavit. Oportebit enim unam esse speciem eorum quæ dicta sunt proprium recipere, cum verbum illud *specie* adjunctum erit. Hoc autem in quibusdam non contingit, quemadmodum nec in igne, quia non est una species ignis, quandoquidem specie differunt pruna et flamma et lux, quorum unumquodque est ignis. Idcirco autem non oportet, cum verbum illud *specie* adjunctum fuerit, aliam esse speciem

ejus quod dictum est suscipere proprium, quia dictum proprium aliis magis, aliis minus inerit. Quale est subtilissimis partibus constare, si proprium ignis ponatur. Subtilioribus enim partibus constat lux quam pruna et flamma. Quod fieri non oportet, nisi et nomen ei magis attribuatur, de quo oratio verius dicitur. Alioquin non erit verum, de quo oratio magis dicitur, de eo etiam nomen magis dici. Præterea accidet idem esse proprium ejus quod simpliciter tale est, et ejus quod maxime est in simpliciter tali. Quomodo si in igne spectatur, se habet hoc proprium, tenuissimis constare partibus. Nam hoc ipsum et lucis et ignis simpliciter proprium erit; tenuissimis enim partibus lux constat. Si igitur alius ita proprium tradiderit, argumentandum est. Is vero qui proprium explicat, non debet huic objectioni locum dare, sed statim, dum ponit proprium, definire quomodo proprium ponat.

35. Addit Aristoteles, quod aliquando peccat etiam qui dicit, quiddam esse proprium alicujus secundum speciem, si id, cui proprium assignatur non est unica species sed plures; ex. gr., peccat, qui dicit preprium ignis in specie esse, ut sit subtilissimum corporum. Ratio est, quia non est una species ignis sed plures; carbo enim, flamma et lux specie differunt, et tamen sunt ignis. Duplex autem est ratio, propter quam non debeat assignari proprium alicujus in specie, quando plures sunt species. Prima ratio est, quia proprium non debet dici magis, nisi forte de eo, de quo magis dicitur nomen subjecti, cui proprium assignatur, alioquin oratio explicans proprium diceretur magis, nomen non diceretur magis; sed si id, cujus dicitur aliquid esse proprium in specie, non sit una species, proprium dicetur magis de uno, minus de alio, et non dicetur magis de eo, de quo magis dicitur nomen; ergo, etc. Probatur et explicatur minor in posito exemplo ignis, cujus proprium dicitur *esse subtilissimum;* nam flamma est subtilior carbone, lux est subtilior flamma; ergo subtilissimum magis dicitur de luce, quam de flamma et carbone; sed ignis minus dicitur de luce, quam de flamma et carbone; carbo enim propriissime et ignis, lux non ita proprie est ignis; ergo subtilissimum, quod est proprium ignis, de eo magis dicitur, quod minus proprie est ignis, quod est inconveniens. Nam cui magis convenit proprium, magis debet convenire nomen subjecti, cujus dicitur proprium. Secunda ratio est, quia sequitur idem esse proprium, et ejus, cui simpliciter convenit nomen subjecti, et ejus, cui maxime convenit proprium; ergo idem erit proprium duarum specierum, quod est inconveniens; eo enim ipso neutrius erit proprium. Ex. gr., esse subtilissimum erit proprium ignis simpliciter dicti, qui est ignis carbonum, et erit proprium lucis, quæ simpliciter est subtilissima; sed lux et ignis simpliciter dictus differunt specie; ergo, etc. Concludit Aristoteles, quod quando aliquis assignans proprium, non explicat, quo pacto sit proprium, contra ipsum potest argui ex his. Ne igitur detur locus his argumentis, cum quis assignat proprium, debet explicare, quo pacto sit proprium.

36. Deinde refellitur, si quid sui ipsius proprium posuit. Non enim erit id proprium, quod positum est esse proprium. Quidquid enim est idem atque res quæpiam, ejus essentiam declarat; quod vero essentiam declarat, non est proprium, sed definitio. Veluti quoniam is qui dixit decorum esse honesti proprium, idem sui ipsius proprium statuit (idem enim est honestum et decorum), certe decorum honesti proprium non erit. Confirmatur autem, si non idem sui ipsius proprium statuit, id tamen posuit quod vicissim attribuitur et reciprocatur. Quod enim positum est non esse proprium, erit proprium. Veluti quoniam is qui posuit animalis proprium esse hoc, substantia animata, non idem sui ipsius proprium esse posuit, id tamen tradidit quod vicissim attribuitur, certe substantia animata erit proprium animalis.

37. Deinde in iis quæ ex similibus partibus constant, hæc sunt consideranda. Refellenti videndum est, an totius proprium non vere dicatur de parte, vel an partis proprium non dicatur de toto. Sic enim proprium non erit, quod positum est esse proprium. Hoc autem in quibusdam fieri contingit. Nam eorum quæ ex similibus partibus constant, proprium tradere aliquis possit modo ad totum respiciens, modo ejus quod in parte dicitur rationem habens. Sed neutrum recte traditum erit. Exemplum totius hoc esto. Quoniam is qui dixit maris proprium esse hoc, plurima aqua salsa, cujusdam rei ex similibus partibus constantis proprium posuit; ejusmodi autem tradidit, quod non vere dicitur de parte (quoddam enim mare non est plurima aqua salsa), certe non erit maris proprium plurima aqua salsa. Exemplum autem partis hoc esto. Veluti quoniam is qui aeris proprium posuit esse respirabile, cujusdam rei ex similibus partibus constantis proprium dixit, sed ejusmodi ut de quodam aere vere dicatur, de toto non dicatur (non enim totus aer est respirabilis), certe non erit aeris proprium esse respirabile. Confirmanti autem videndum est, an de unoquoque eorum quæ ex similibus partibus constant, vere dicatur id quod est eorum proprium ratione totius. Sic enim quod positum est non esse proprium, erit proprium. Veluti quia vere dicitur de uni-

versa terra, deorsum ferri natura, hocque est et alicujus terræ proprium ratione totius, nempe ratione terræ et quia est terra, certe proprium erit terræ deorsum ferri natura.

36. *Decimus locus* est : proprium non debet esse idem cum re, cujus est proprium. Ratio est, quia quod est idem cum re, spectat ad definitionem rei; ergo non est proprium sed definitio. Ex hoc loco posset destrui problema ponens proprium honesti esse, ut sit decens. Cum enim idem sit *esse honestum* ac *esse decens*, decens non est proprium honesti, sed spectat ad definitionem honesti. Ex eodem loco potest construi problema. Si enim quod assignatur, prædicatur de re ad convertentiam et non est idem cum re, est proprium rei; ex. gr., quia hoc quod est *esse substantiam constantem anima sensitiva*, dicitur de animali ad convertentiam, et non est idem cum animali, est proprium animalis.

37. *Undecimus locus* est : in similaribus sive homogeneis, quod est proprium totius, est proprium partis; et e converso, quod est proprium partis, est etiam proprium totius. Ratio est, quia in similaribus totum et pars sunt ejusdem speciei ejusdemque naturæ; ergo easdem habent proprietates. Ex. gr., sicut eadem est natura totius aquæ ac omnium partium aquæ, sic eædem sunt proprietates totius aquæ ac omnium partium aquæ. Ex hoc loco potest destrui problema ponens aliquid ut proprium totius, quod non convenit parti, vel ut proprium partis, quod non convenit toti, quod accidit, quia quis, dum assignat proprium, vel cogitat solum de toto vel solum de parte, cum deberet considerare ea, quæ et parti et toti conveniunt. Ex. gr., aliquis respiciens ad totum, dicet proprium maris esse, ut sit plurima aqua salsa, quod fortasse alicui mari non convenit; rursus respiciens ad partem, dicet proprium aeris esse, ut sit respirabilis, quod non convenit toti aeri, cum totus aer non sit respirabilis; ergo neutro modo bene assignat proprium. Ex eodem loco potest construi problema, sumendo proprium assignatum convenire toti ac parti; ex. gr., problema ponens proprium terræ esse, ut feratur deorsum, construitur, quia ferri deorsum convenit et toti terræ et omnibus partibus terræ.

CAPUT III. ART. I.

DE LOCIS EX OPPOSITIS, EX DIVISIONE ET EX CASIBUS

I. [6.] Præterea ex oppositis considerandum est, ac primum ex contrariis.

2. Et reprehendenti quidem videndum est, an contrarium non sit contrarii proprium, quia nec alterius contrarii erit proprium contrarium alterum. Veluti quia contrarium est justitiæ injustitia et optimo deterrimum, quod autem est optimum, non est justitiæ proprium, certe quod est deterrimum, non erit injustitiæ proprium. Confirmanti autem videndum est, an contrarii contrarium sit proprium; nam et alterius contrarii alterum contrarium proprium erit. Veluti quia contrarium est bono malum et eligendo fugiendum, quod autem est eligendum est boni proprium, certe quod est fugiendum erit mali proprium.

1. Traditis locis specialibus proprii, explicat Aristoteles, quo pacto possint problemati proprii applicari loca ex oppositis, ex divisione, ex casibus et conjugatis, ex simili, ex magis et minus, etc., quæ loca deserviunt etiam problemati accidentis ac generis.

2. *Duodecimus* igitur *locus* ex oppositis contrarie est : cum unum contrarium est proprium unius contrarii, aliud contrarium est proprium alterius contrarii. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium injustitiæ esse, ut sit pessima. Injustitiæ est contraria justitia, et pessimum est contrarium optimo; sed non est proprium justitiæ, ut sit optima; ergo neque injustitiæ est proprium, ut sit pessima. Ex eodem loco posset construi problema ponens proprium mali esse, ut sit fugiendum. Bonum enim est contrarium malo, et eligendum est contrarium fugiendo; sed est proprium boni, ut sit eligendum; ergo etiam est proprium mali, ut sit fugiendum.

3. Secundus locus est ex iis quæ ad aliquid referuntur. Sic enim refellitur. Si alterum relatum alterius relati non est proprium, ne hoc quidem relatum hujus relati erit proprium. Veluti quia refertur duplum ad dimidium et exsuperans ad exsuperatum, quod vero exsuperat, non est dupli proprium, profecto quod exsuperatur, non erit dimidii proprium. Sic autem confirmatur. Si alterius relati alterum relatum proprium sit, etiam hujus relati hoc relatum proprium erit. Veluti quia refertur duplum ad dimidium et duo ad unum, est autem dupli proprium ita se habere ut duo ad unum, profecto erit dimidii proprium ita se habere ut unum ad duo.

3. *Decimus tertius locus* ex oppositis relative est : cum unum relativum est proprium relativi, correlativum est proprium correlativi. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium dimidii esse, ut excedatur. Correlativum enim dupli est dimidium, et correlativum excedentis est excessum; sed non est proprium dupli, ut sit excedens; ergo neque est proprium dimidii, ut excedatur. Ex eodem loco potest construi problema ponens proprium dimidii esse, ut se habeat, sicut unum ad duo. Sicut enim duplum est relativum ad dimidium, sic hoc quod est, *se habere sicut duo ad unum,* est relativum ad hoc, quod est, *se habere sicut unum ad duo;* sed est proprium dupli se habere sicut duo ad unum; ergo est proprium dimidii se habere sicut unum ad duo.

4. Tertius locus refutanti est, si id quod secundum habitum dicitur, non sit proprium habitus, quia nec id quod secundum privationem dicitur, privationis erit proprium; et si id quod dicitur secundum privationem, non sit proprium privationis, neque id quod dicitur secundum habitum, erit proprium habitus. Veluti quia non dicitur surditatis proprium vacuitatem esse sensus (hoc enim et aliorum commune est), ne auditus quidem proprium erit sensum esse. Confirmatur autem hoc modo. Si id quod dicitur secundum habitum, est proprium habitus, id quoque quod dicitur secundum privationem, erit proprium privationis. Veluti quia proprium aspectus est cernere, qua aspectum habemus, certe erit cæcitatis proprium non cernere, qua non habemus aspectum, cum natura apti simus ad habendum.

4. *Decimus quartus locus* ex oppositis privative est : si habitus est proprium habitus, privatio est proprium privationis, et e converso. Rursus si privatio non est propria privationis, nec habitus est proprium habitus. Ex hoc loco potest destrui problema ponens proprium auditus esse, ut sit sensus. Auditus enim significat habitum, surditas privationem; sed non est proprium surditatis, ut sit insensibilitas seu privatio sensus, cum hoc sit commune cæcitati; ergo neque est proprium auditus, ut sit sensus. Ex eodem loco potest construi problema ponens proprium cæcitatis esse, ut per ipsam impediamur a videndo. Visus enim et cæcitas opponuntur privative; sed proprium visus est, ut per ipsum videamus; ergo proprium cæcitatis est, ut per ipsam impediamur a videndo.

5. Deinde ex affirmationibus et negationibus arguendum est, ac primum ex ipsis attributis. Est autem hic locus utilis refellenti duntaxat. Veluti si affirmatio, aut quod secundum affirmationem dicitur, ipsius rei proprium est; non enim proprium ejus erit negatio, nec quod secundum negationem dicitur. Et si negatio, vel quod secundum negationem dicitur, ejus proprium sit, non erit affirmatio, nec quod secundum affirmationem dicitur, ejus proprium. Veluti quoniam animalis proprium est id quod est animatum, non erit animalis proprium id quod non est animatum. Secundus locus est ex iis quæ attribuuntur vel non attribuuntur, et iis quibus attribuitur vel non attribuitur. Et sic quidem refellitur. Si affirmatio affirmationis non proprium, ne negatio quidem negationis erit proprium; et si negatio negationis non est proprium, ne affirmatio quidem affirmationis erit proprium. Veluti quoniam animal non est proprium hominis, ne ejus quidem quod non est homo, proprium erit non animal. Et si ejus quod non est homo, non videatur proprium non animal, ne hominis quidem proprium erit animal. Sic autem confirmatur. Si affirmationis affirmatio sit proprium, etiam negationis negatio erit proprium; si vero negationis negatio sit proprium, etiam affirmatio affirmationis erit proprium. Veluti quia non vivere est proprium ejus quod non est animal, etiam vivere erit animalis proprium. Quod si vivere videatur esse animalis proprium, etiam ejus quod non est animal, videbitur proprium esse non vivere. Tertius locus est ex ipsis subjectis. Et refellitur quidem hoc modo. Si datum proprium affirmationis est proprium, non erit idem etiam negationis proprium. Sin autem quod traditum est, negationis sit proprium, non erit affirmationis proprium. Veluti quoniam animatum est proprium animalis, certe animatum non erit proprium non animalis. Sic autem confirmatur. Si quod datum est, non sit affirmationis proprium, erit utique negationis. Sed hic locus est falsus. Nam affirmatio negationis et negatio affirmationis non est proprium. Etenim affirmatio negationi ne inest quidem omnino; negatio vero affirmationi inest quidem, sed non ut proprium inest.

5. *Decimus quintus locus* ex contradictorie oppositis est triplex. Primus desumitur ex comparatione duorum prædicatorum contradictoriorum ad idem subjectum, et est : si est proprium subjecti unum ex prædicatis contradictoriis, alterum non est proprium ejusdem subjecti. Ex hoc loco non possumus problema construere, sed possumus destruere, sic : animatum et non animatum sunt prædicata contradictoria; sed proprium animalis est esse animatum; ergo non animatum non est proprium animalis. Secundus desumitur ex comparatione duorum

prædicatorum contradictoriorum cum duobus subjectis contradictoriis, et est : si unum contradictorium est proprium unius contradictorii, aliud contradictorium est proprium alterius contradictorii; et e converso, si unum non est proprium unius, nec alterum est proprium alterius. Ex. gr., *homo* et *non homo. animal* et *non animal* opponuntur contradictorie ; sed non est proprium hominis *esse animal;* ergo neque est proprium non hominis *esse non animal.* Ex eodem loco potest construi problema, sic : non animalis proprium est *non vivere vitam sensitivam;* ergo animalis proprium est *vivere vitam sensitivam.* Tertius locus desumitur ex comparatione unius prædicati cum duobus subjectis contradictoriis, et est : quod est proprium unius contradictorii, non est proprium alterius ; ex. gr.. animalis proprium est esse animatum anima sensitiva; ergo non animalis non est proprium, esse animatum anima sensitiva. Proportionalis locus est : quod non est proprium unius contradictorii, est proprium alterius. At hic locus non est universaliter verus. Non enim valet, sentire non est proprium hominis ; ergo est proprium non hominis.

6 Deinde ex condividentibus. id est ex iis quæ in eadem divisione ponuntur, refellitur, si condividentium nullum sit ullius reliquorum condividentium proprium. Nam quod positum est, non erit hujus proprium cujus positum est esse proprium. Veluti quoniam animal sensibile nullius aliorum mortalium animalium est proprium, certe animal intelligibile non erit Dei proprium. Confirmatur autem, si acceptum quodvis reliquorum condividentium sit proprium, cum unicuique horum condividentium proprium sit aliquod condividens. Nam et reliquum erit reliqui proprium, cujus positum est non esse proprium. Veluti quia prudentiæ est proprium per se et secundum naturam suam rationalis facultatis virtutem esse, singulis quoque aliis virtutibus ita acceptis, profecto erit temperantiæproprium per se et secundum suam naturam concupiscibilis virtutem esse.

7. [7] Deinde ex casibus refellitur, si ille casus non est illius casus proprium, quia neque hic casus erit hujus casus proprium. Veluti quoniam ejus quod est juste, non est proprium id quod est honeste, ne justi quidem proprium erit quod est honestum. Confirmatur autem. si ille casus sit illius casus proprium ; etenim hic casus erit hujus casus proprium. Veluti quia hominis proprium est pedestre bipes, etiam homini proprium erit dici pedestri bipedi. Non solum autem in eo quod propositum est casus spectari debent, sed etiam in oppositis, ut in superioribus quoque locis dictum fuit. Et refellitur quidem, si illius rei oppositæ casus non est proprium ejus rei oppositæ casus, quia ne hujus quidem oppositæ rei casus erit proprium hujus oppositæ rei casus. Veluti quia ejus quod juste fit, non est proprium id quod bene fit, ne ejus quidem quod injuste fit, proprium erit id quod male fit. Confirmatur autem, si ille oppositæ rei casus est proprium illius oppositæ rei casus. Nam hic quoque oppositæ rei casus erit proprium hujus oppositæ rei casus. Veluti quia boni proprium est id quod est optimum, etiam mali proprium utique est quod est deterrimum.

6. *Decimus sextus locus* ex iis, quæ ex opposito dividuntur est : quando ex opposito dividuntur adæquate tum subjecta, tum propria, si nullum reliquorum est proprium ullius ex reliquis subjectis, nec quod assignatur est proprium subjecti, cui assignatur ut proprium ; et e converso si reliqua sunt propria reliquorum, etiam quod assignatur, est proprium subjecti, cui assignatur. Hoc loco possumus uti ad destruendum problema sic : juxta Platonicos sicut animal dividitur in mortale et immortale, sic dividitur in sensibile et intelligibile ; sed esse animal sensibile non est proprium ullius animalis mortalis; ergo esse animal intelligibile non est proprium ullius animalis immortalis. Eodem loco possumus uti ad construendum sic : sicut partes animæ, quæ sunt subjecta virtutum, dividuntur in rationalem, concupiscibilem et irascibilem, ita virtus dividitur in prudentiam, temperantiam et fortitudinem; sed prudentia est virtus propria partis rationalis. fortitudo est virtus propria partis irascibilis; ergo temperantia est virtus propria partis concupiscibilis, ita ut sit apta inesse in concupiscibili tanquam in subjecto.

7. *Decimus septimus locus* ex casibus et conjungatis est : si unus casus est proprius unius casus, etiam alter casus est proprius alterius casus; et e converso, si unus casus non est proprius unius casus, nec alter casus est proprius alterius casus. Ex. gr., si hoc, quod est *bene*, non est proprium hujus, quod est *juste,* nec bonum est proprium justi; rursus si de homine in nominativo dicitur, quod est gressibile bipes, homini in dativo potest attribui *gressibili bipedi.* Præterea si unius oppositi casus non est proprius unus oppositus casus, nec alterius oppositi casus erit proprius alter oppositus casus. Ex. gr., quia huic, quod est *juste,* non est proprium hoc, quod est *bene,* nec

huic, quod est *injuste*, erit proprium hoc quod est *male*. E converso, si unius oppositi casus est proprius unus oppositus casus, etiam alterius oppositi casus, erit proprius alter oppositus casus. Ex. gr., quia honesti est proprium optimum, inhonesti est proprium pessimum.

CAPUT III. ART. II.

DE LOCIS EX SIMILI, EX GENERATIONE ET CORRUPTIONE, EX MAGIS ET MINUS.

8. Deinde ex iis quæ similiter se habent, refellitur quidem, si illud similiter se habens illius similiter se habentis non est proprium, quia ne hoc quidem quod similiter se habet, erit hujus quod similiter se habet proprium. Veluti quia similem rationem habet ædificator ad efficiendam domum et medicus ad efficiendam sanitatem, non est autem medici proprium efficere sanitatem, nec ædificatoris quidem proprium erit efficere domum. Confirmatur autem, si id quod similiter se habet, proprium est ejus quod similiter se habet, quoniam hoc quoque quod similiter se habet, proprium erit hujus quod similiter se habet. Veluti quia similem rationem habent medicus et effectivus sanitatis, necnon gymnastes et effectivus bonæ corporis habitudinis, est autem proprium gymnastæ effectivum esse bonæ corporis habitudinis, utique medici proprium erit esse effectivum sanitatis.

9. Deinde ex iis, quæ eodem modo affecta sunt refellitur, si id quod est eodem modo affectum, illius eodem modo affecti non sit proprium, quoniam id quod est eodem modo affectum ne hujus quidem hoc eodem modo affecti erit proprium. Si vere illius eodem modo affecti id quod est eodem modo affectum proprium sit, hujus non erit proprium, cujus positum est proprium esse. Veluti quoniam eamdem rationem habet prudentia ad honestum et turpe, quia scientia est utriusque eorum, non est autem prudentiæ proprium scientiam esse honesti, profecto non erit prudentiæ proprium scientiam esse turpis. Si vero est prudentiæ proprium scientiam esse honesti, certe non erit ejus proprium scientiam esse turpis. Fieri enim nequit ut idem plurium rerum proprium sit. Confirmanti autem hic locus nullam utilitatem affert; quod enim eodem modo affectum est, unum cum pluribus comparatur.

8 *Decimus octavus locus* ex simili est: si unum simile non est proprium unius similis, nec aliud simile est proprium alterius similis; et e converso, si unum simile est proprium unius similis, etiam aliud simile est proprium alterius similis. Prima parte hujus loci possumus uti ad destruendum sic: ita se habet ædificator ad extruendum ædificium, sicut medicus ad efficiendam sanitatem; sed non est proprium medici efficere sanitatem; ergo nec est proprium ædificatoris construere ædificium. Secunda parte loci possumus uti ad construendum sic: ita se habet medicus ad efficiendam sanitatem, sicut gymnasii præfectus ad efficiendam firmam corporis constitutionem; sed efficere firmam corporis constitutionem est proprium præfecti gymnasii; ergo efficere sanitatem est proprium medici.

9 *Decimus nonus locus* ex iis, quæ eodem modo se habent, est: si id, quod eodem modo se habet ac aliud non est proprium subjecti, nec aliud est proprium subjecti; et si id, quod eodem modo se habet, est proprium, etiam aliud est proprium ejusdem subjecti. Ex. gr. eodem modo se habet ad prudentiam honestum ac turpe, cum prudentia sit disciplina utriusque; sed non est proprium prudentiæ esse disciplinam honesti: ergo nec est proprium prudentiæ esse disciplinam turpis. Si vero ponatur esse proprium prudentiæ, ut sit disciplina honesti, adhuc sequitur non esse proprium prudentiæ, ut sit disciplina inhonesti ac turpis, si quidem ejusdem non possunt esse plura propria eodem modo. Hinc patet primo hunc locum non valere ad construendum, sed solum ad destruendum problema proprii. Sive enim quod eodem pacto se habet sit proprium subjecti, sive non, semper sequitur, quod aliud non possit esse proprium talis subjecti. Si enim unum est proprium, aliud non est proprium, cum non possint ejusdem esse plura propria: si unum non est proprium, nec aliud est proprium ex paritate rationis. Patet secundo, quo pacto hic locus ex eo, quod eodem modo se habet, differat a loco ex simili. Nam in loco ex simili duo similia comparantur cum duobus similibus; in hoc loco duo comparantur cum uno subjecto, ad quod eodem modo se habent.

10. Deinde refellitur, si id quod esse dicitur non est proprium ejus quod esse dicitur, quia ne corrumpi quidem erit proprium ejus quod corrumpi dicitur; nec fieri ejus quod fieri dicitur. Veluti quia non est hominis proprium esse animal, utique nec hujus, hominem fieri, proprium erit fieri animal; nec hujus, hominem corrumpi, proprium erit corrumpi animal. Eodem modo sumendum est argumentum etiam ex ortu ad statum et interitum, et ex interitu ad statum et ad ortum, quemadmodum modo dictum fuit ex

statu ad ortum et interitum. Confirmatur autem, si ejus quod positum est esse, proprium est id quod positum est esse, quoniam ejus quoque quod fieri dicitur, erit proprium id quod fieri dicitur; et ejus quod dicitur corrumpi. proprium erit id quod dicitur corrumpi. Veluti quia hominis proprium est esse mortalem, certe hujus, hominem gigni, proprium erit mortalem gigni; et hujus, interire hominem, proprium erit interire mortalem. Eodem modo sumendum est argumentum etiam ex ortu et ex interitu, ut concludantur esse et ut concludantur fieri eadem ex iisdem, quemadmodum et refellenti præscriptum fuit.

11. Deinde respicere oportet ad ideam rei propositæ. Ac refellitur quidem, si ideæ non convenit, vel non quatenus dicitur idea esse hujus cujus proprium traditum est. Quod enim positum est esse proprium, non erit proprium. Ut quia ipsi-homini non convenit quies, qua homo est, sed qua idea, certe non erit hominis proprium quiescere. Confirmatur autem. si ideæ convenit, et hac ratione convenit qua dicitur de hoc, cujus positum est non esse proprium. Quod enim positum est non esse proprium, erit proprium. Veluti quia convenit ipsi animali ex anima et corpore constare, eique hoc convenit qua est animal, utique animalis proprium erit ex anima et corpore constare.

10 *Vigesimus locus est* ex proportione inter esse, generari et corrumpi: si aliquid secundum esse non est proprium rei in esse, nec secundum generari est proprium ejusdem in generari, nec secundum corrumpi est proprium rei in corrumpi; et e converso, quod non est proprium rei in generari et in corrumpi, nec est proprium ejusdem in esse. Ex. gr., quia non est proprium hominis *esse animal,* nec est proprium generationis hominis, ut sit generatio animalis, neque est proprium corruptionis hominis, ut sit corruptio animalis. Proportionaliter si non est proprium generationis hominis, ut sit generatio animalis, neque est proprium corruptionis hominis, ut sit corruptio animalis, neque est proprium hominis, ut sit animal. Hic locus valet etiam proportionaliter ad construendum. Si enim aliquid in esse est proprium rei in esse, in generari, est proprium rei in generari et in corrumpi, est proprium ejusdem in corrumpi: et e converso, si est proprium rei in generari et in corrumpi, proportionaliter est proprium rei in esse. Ex. gr., si hominis proprium est *esse mortalem,* generationis hominis est proprium, ut sit generatio mortalis, corruptionis hominis est proprium, ut sit corruptio mortalis. E converso si est proprium generationis hominis, ut sit generatio mortalis, et corruptionis est proprium, ut sit corruptio mortalis, etiam hominis est proprium, ut sit mortalis.

11 *Vigesimus primus locus* ex idea juxta principia Platonica est: quod non convenit ideæ, vel illi non convenit, in quantum est idea talis rei, nec convenit rei. Ex-gr., quia ideæ hominis, vel non convenit immobilitas, vel si convenit, non convenit ideæ hominis, in quantum est idea hominis, sed solum in quantum est idea *ut sic,* siquidem omnes ideæ debent esse immobiles et immutabiles, ideo esse immobilem non est proprium hominis. Proportionalis locus ad construendum est: quod convenit ideæ, in quantum est idea talis rei ac dicitur de re, est proprium rei. Ex. gr. quia animali *ut sic* convenit *componi ex anima et corpore* et illi convenit, in quantum animal est, ideo componi ex anima et corpore est proprium animalis.

12. [8] Deinde arguendum est ex eo quod magis vel minus est. Ac primum quidem refellitur, si id quod magis est, ejus quod magis est, non est proprium, quia nec id quod minus est, ejus quod minus est, proprium erit; neque id quod minime est, ejus quod minime est; neque id quod maxime est, eius quod maxime est; neque id quod simpliciter est, ejus quod simpliciter est. Veluti quia magis coloratum esse magis corporis non est proprium, nec minus coloratum esse minus corporis proprium erit, neque coloratum esse corporis omnino. Confirmatur autem, si id quod magis est,ejus quod magis est proprium sit; nam et quod minus est, ejus quod minus est proprium erit; et quod minime est, ejus quod minime est; et quod maxime est, ejus quod maxime est; et quod simpliciter est, ejus quod simpliciter est. Veluti quia magis viventis magis sentire est proprium, etiam minus viventis minus sentire erit proprium, et maxime viventis maxime sentire, et minime viventis minime sentire, et simpliciter viventis simpliciter sentire. Ex eo quoque quod est simpliciter, ut ad hæc arguatur considerandum est reprehendenti an id quod est simpliciter, ejus quod est simpliciter, non sit proprium, quia nec id quod magis est, ejus quod magis est, nec id quod minus est, ejus quod minus est, nec id quod maxime est, ejus quod maxime est, nec id quod minime est, ejus quod minime est, proprium erit. Veluti quia hominis proprium non est probum esse, nec magis hominis proprium erit magis probum. Confirmanti autem videndum est, an id quod simpliciter est, ejus proprium sit quod simpliciter est. Nam et quod magis est, ejus quod magis est, et quod minus est ejus quod minus est, et quod minime est, ejus quod minime est, et quod maxime est, ejus quod maxime est, proprium erit. Veluti quia ignis proprium est sursum ferri natura, etiam magis ignis proprium erit magis

sursum ferri natura. Eodem modo considerandum et arguendum est ex aliis ad hæc omnia.

12. *Vigesimus secundus locus* ex magis ac minus, potest subdividi in quatuor loca. Primus est, in quo unum dicitur de uno. Secundus, in quo duo dicuntur de duobus. Tertius, in quo unum dicitur de duobus. Quartus, in quo duo dicuntur de uno. Primus, in quo unum dicitur de uno, est : si quod magis dicitur, non est proprium ejus, quod magis dicitur, neque id, quod minus dicitur, est proprium ejus, quod minus dicitur; neque id, quod minime dicitur, est proprium ejus, quod minime dicitur; neque id, quod maxime dicitur, est proprium ejus, quod maxime dicitur; neque quod simpliciter dicitur, est proprium ejus, quod simpliciter dicitur. Ex. gr., quia *esse magis coloratum* non est proprium ejus, quod est magis corpus, neque *esse minus coloratum* est proprium ejus, quod est minus corpus, neque esse minime coloratum est proprium ejus, quod est minime corpus, neque esse maxime coloratum est proprium ejus, quod est maxime corpus, neque esse simpliciter coloratum, est proprium corporis simpliciter. Rursus, et fortasse est exemplum aptius, si majoris voluptatis non est proprium, ut sit majus bonum; neque minoris voluptatis est proprium, ut sit minus bonum; neque minimæ voluptatis est proprium, ut sit minimum bonum; neque maximæ voluptatis est proprium, ut sit maximum bonum; neque voluptatis simpliciter est proprium, ut sit bonum simpliciter. Hic locus valet proportionaliter ad construendum. Si enim, quod dicitur magis, est proprium ejus, quod dicitur magis, etiam quod dicitur minus, est proprium ejus, quod dicitur minus; et quod dicitur minime, est proprium ejus, quod dicitur minime; quod dicitur maxime, est proprium ejus, quod dicitur maxime; quod dicitur simpliciter, est proprium ejus, quod dicitur simpliciter. Ex. gr., quia magis viventis est proprium *magis sentire,* minus viventis est proprium *minus sentire,* maxime viventis est proprium, *maxime sentire,* minime viventis est proprium *minime sentire*, simpliciter viventis est proprium *simpliciter sentire.* Proportionaliter si quod simpliciter dicitur, non est proprium ejus, de quo simpliciter dicitur, neque quod magis aut minus dicitur, est proprium ejus, de quo magis aut minus dicitur, neque quod maxime aut minime dicitur, est proprium ejus, de quo maxime aut minime dicitur. Ex. gr., quia non est hominis proprium *esse virtute præditum,* nec magis hominis est proprium *esse magis virtute præditum,* etc. Rursus si quod simpliciter dicitur, est proprium ejus, de quo simpliciter dicitur, etiam quod magis aut minus, maxime aut minime dicitur, est proprium ejus, de quo magis aut minus, maxime aut minime dicitur. Ex. gr., quia proprium ignis est *ex sua natura sursum ferri,* magis ignis magis est proprium *ex sua natura sursum ferri* etc. Addit Aristoteles valere etiam argumentum a quolibet aliorum modorum ad cæteros. Si enim quod minus dicitur, est proprium ejus, quod minus dicitur, etiam quod simpliciter dicitur, est proprium ejus, quod simpliciter dicitur etc.

13. Secundo loco refellitur, si id quod magis est ejus quod magis est, non est proprium, quia nec id quod minus est, ejus quod minus est, proprium erit. Veluti quia magis est proprium animalis sentire quam hominis scire, non est autem animalis proprium sentire, profecto non erit hominis proprium scire. Confirmatur autem, si id quod minus est, ejus quod minus est, proprium sit; nam id quoque quod magis est, ejus quod magis est, proprium erit. Veluti quia minus est proprium hominis natura mansuetum esse quam animalis vivere, est autem hominis proprium natura mansuetum esse, certe erit animalis proprium vivere.

14. Tertio loco refellitur, si quid ejus cujus magis est proprium, non sit proprium, quia nec hujus cujus minus est proprium, erit proprium. Quod si illius sit proprium, non erit hujus proprium. Veluti quia coloratum esse magis superficiei quam corporis est proprium, non est autem surperficiei proprium, certe nec corporis proprium erit coloratum esse. Si vero est superficiei proprium, non erit corporis proprium. Confirmanti autem hic locus non est utilis, quia fieri nequit ut idem multorum proprium sit.

15. Quarto loco refellitur, si id quod magis ipsius rei propositæ proprium est, non est proprium, quia nec id quod minus est ejus proprium, erit proprium. Veluti quia magis est proprium animalis sensibile quam partibile, non est autem sensibile animalis proprium, certe nec partibile animalis proprium erit. Confirmatur autem, si id quod minus est ejus proprium, sit proprium ; nam et id quod magis est ejus proprium, erit proprium. Veluti quia minus proprium est animalis sentire quam vivere, est autem sentire animalis proprium, certe vivere animalis proprium erit.

13. [Secundus locus ex comparatione

duorum cum duobus ad destruendum est: si quod magis videtur proprium, adhuc non est proprium ejus, cujus videtur proprium, nec quod minus videtur proprium, est proprium ejus, cujus minus videtur proprium. Ex. gr., magis videtur proprium animalis *sentire*, quam hominis *scire*; sed *sentire* non est proprium animalis; ergo nec *scire* est proprium hominis. Ad construendum vero proceditur ex comparatione minoris cum majori. Si enim, quod minus videtur proprium, est proprium ejus, cujus minus videtur proprium, etiam id, quod magis videtur proprium, est proprium ejus, cujus magis videtur proprium. Ex. gr., minus videtur proprium hominis, ut sit animal mansuetum natura, quam animalis, ut vivat; sed *esse animal mansuetum natura* est proprium hominis; ergo etiam *vivere* est proprium animalis.

14. Tertius locus ex comparatione unius cum duobus est : quod non est proprium subjecti, cujus magis videtur proprium, nec est proprium subjecti, cujus minus videtur proprium; et quod est proprium subjecti, cujus magis videtur proprium, non est proprium subjecti, cujus minus videtur proprium, cum non possit idem esse proprium plurium subjectorum. Ex. gr., *colorari* magis videtur proprium superficiei quam corporis, siquidem superficiei convenit primo et ratione sui, corpori autem convenit solum ratione alterius; sed *colorari* non est proprium superficiei; ergo neque est proprium corporis. Si vero colorari est proprium superficiei, non est proprium corporis, cum non possit idem esse proprium plurium. Hinc patet hunc locum valere solum ad destruendum non autem ad construendum.

15. Quartus locus est ex comparatione plurium cum uno; et ad destruendum quidem procedit solum a majori ad minus, ad construendum vero a minori ad majus. Locus ad destruendum est : si quod magis videtur proprium alicujus subjecti, non est proprium talis subjecti, neque quod minus videtur proprium, est proprium ejusdem subjecti. Ex. gr., animalis magis videtur proprium *sensibile* quam *partibile;* sed non est proprium animalis, ut sit sensibile; ergo neque est proprium animalis, ut sit partibile. Locus ad construendum est : si quod minus videtur proprium subjecti, est proprium illius, etiam quod magis videtur proprium, est proprium ejusdem subjecti. Ex. gr., minus videtur proprium animalis *sentire* quam *vivere*; sed sentire est proprium animalis; ergo etiam vivere est proprium animalis.

16. Deinde arguendum est ex iis quæ æque insunt. Et primum quidem refellitur, si id quod æque est proprium, non est proprium ejus cujus æque est proprium, quia ne hoc quidem quod æque est proprium, erit proprium hujus cujus æque est proprium. Veluti quoniam æque est proprium concupiscibilis concupiscere et rationalis ratiocinari, non est autem proprium concupiscibilis concupiscere, certe non erit proprium rationalis ratiocinari. Confirmatur autem, si id quod æque est proprium, ejus est proprium cujus æque est proprium; erit enim hoc quoque quod æque est proprium, hujus proprium, cujus æque est proprium. Veluti quia æque proprium est rationalis facultatis id quod primum est prudens. et concupiscibilis id quod primum est temperans, est autem rationalis proprium id quod primum est prudens, certe erit concupiscibilis proprium id quod primum est temperans.

17. Secundo loco reprehenditur, si id quod æque est hujus proprium, non est ejus proprium, quia ne hoc quidem quod æque est proprium, erit ejus proprium. Veluti quia æque est proprium hominis et videre et audire, non est autem hominis proprium videre, certe non erit hominis proprium audire. Confirmatur autem, si id quod æque est hujus proprium, est proprium. Nam et hoc quod æque est ejus proprium, erit proprium. Veluti quia æque est proprium animae partem ejus esse concupiscibilem et rationalem primum, est autem animæ proprium partem ejus esse concupiscibilem et rationalem primum, est autem animæ proprium partem ejus esse concupiscibilem primum, erit etiam animæ proprium partem ejus esse rationalem primum.

18. Tertio loco refellitur, si ejus cujus æque est proprium, non est proprium, quia nec hujus cujus æque est proprium erit proprium. Si vero illius est proprium, non erit alterius proprium. Veluti quia incendere est æque proprium flammæ et prunæ, non est autem incendere proprium flammæ, certe incendere non erit proprium prunæ. An si sit flammæ proprium, non erit prunæ proprium. Confirmanti autem nullo modo hic locus est utilis. Differt autem locus ex iis quæ similiter affecta sunt, a loco ex iis quæ æque insunt, quod ille ex proportione sumitur, nec in eo spectatur quod aliquid insit, hic vero ex eo quod aliquid insit, comparationem sumit.

16. *Vigesimus tertius locus* ex similibus seu paribus, potest subdividi in tres. Primus procedit ex comparatione duorum cum duobus; secundus ex comparatione duorum cum uno; tertius ex comparatione unius cum duobus. Primus ex comparatione duorum cum duobus subjectis valet ad destruendum et construendum.

Locus ad destruendum est : si quod similiter videtur proprium, non est proprium ejus, cujus videtur proprium, nec quod similiter videtur proprium alterius subjecti, erit proprium talis subjecti; ex gr., similiter videtur proprium concupiscibilis *concupiscere*, ac rationalis *ratiocinari*; sed non est proprium concupiscibilis *concupiscere*; ergo neque est proprium rationalis *ratiocinari*. Locus ad construendum est : si quod similiter videtur proprium alicujus subjecti, est proprium illius, etiam quod similiter videtur proprium alterius subjecti, est proprium illius ; ex. gr., similiter videtur proprium partis ratiocinativæ, ut sit primum subjectum prudentiæ, ac partis concupiscibilis, ut sit primum subjectum temperantiæ; sed est proprium partis ratiocinativæ, ut sit primum subjectum prudentiæ; ergo etiam est proprium partis concupiscibilis, ut sit primum subjectum temperantiæ.

17. Secundus locus ex comparatione duorum cum uno valet etiam ad construendum, et destruendum. Locus ad destruendum est : si quod similiter videtur proprium, non est proprium subjecti, neque quod similiter videtur proprium, est proprium ejusdem subjecti; ex gr., similiter videtur proprium hominis *videre* et *audire;* sed *videre* non est proprium hominis; ergo nec audire est proprium hominis. Locus ad construendum est : si quod similiter videtur proprium subjecti, est proprium talis subjecti, etiam quod similiter videtur proprium, erit proprium ejusdem subjecti; ex gr., similiter videtur proprium animæ, ut secundum aliquam sui partem sit ratiocinativa, ac quod secundum aliquam partem sit concupiscibilis; sed est proprium animæ, ut secundum aliquam partem sui sit ratiocinativa; ergo etiam est proprium animæ, ut secundum aliquam partem sui sit concupiscibilis.

18. Tertius locus ex comparatione unius cum duobus, qui valet solum ad destruendum, est: quod non est proprium ejus, cujus similiter videtur proprium, nec est proprium alterius, cujus similiter videtur proprium; si vero est proprium ejus, cujus similiter videtur proprium, adhuc non est proprium alterius, cum non possit idem esse proprium duorum. Ex. gr., urere similiter videtur proprium carbonis ac flammæ; sed non est proprium flammæ; ergo neque est proprium carbonis; si vero est proprium flammæ, adhuc non est proprium carbonis, cum non possit idem esse proprium plurium subjectorum. Hinc patet hunc locum esse inutilem ad construendum. Jam quia locus ex iis, quæ similiter insunt, videtur coincidere cum loco decimo nono ex iis, quæ eodem modo se habent, ideo Aristoteles explicat eorum differentiam, quæ consistit in hoc, quod in loco decimo nono, quæ eodem modo se habent, comparantur secundum proportionem, in hoc loco comparantur secundum hoc, quod subjecto insunt vel non insunt.

19. [9] Deinde refellitur, si is qui potestate proprium tradidit, etiam ad id quod non est retulit illud potestate proprium, cum potestas rei, quæ non est, inesse nequeat, Quod enim positum est esse proprium, non erit proprium. Veluti quoniam is qui dixit aeris proprium esse respirabile, potestate quidem proprium tradidit (quod enim est ejusmodi ut respirari possit, id respirabile est), accommodavit autem proprium etiam ad id quod non est; nam etsi non sit animal, quod natura aptum est ad respirandum aerem, contingit aerem esse; non tamen, cum animal non sit, respirare licet; idcirco quod tale est ut respiretur, tum non erit aeris proprium, cum animal non erit tale ut respiret. Non igitur est aeris proprium esse respirabile. Confirmatur autem, si is qui potestate proprium tradit, vel ad id quod est accommodat proprium, vel ad id quod non est, cum potestas possit inesse rei, quæ non est. Quod enim positum est non esse proprium, erit proprium. Veluti quoniam, is qui entis proprium statuit posse pati vel facere, cum potestate proprium statuat, ad id quod est, accommodavit illud proprium (nam quando ens est, etiam pati quidpiam vel efficere potest), idcirco erit proprium entis posse facere vel pati.

20. Deinde reprehenditur, si superlatione posuit proprium. Quod enim positum est esse proprium, non erit proprium. Accidit enim iis qui ita proprium tradunt, ut de quo oratio, non etiam nomen vere dicatur, quoniam re corrupta nihilo minus oratio manebit, quippe cum alicui eorum quæ sunt maxime insit. Veluti si quis proprium ignis statuat corpus levissimum. Corrupto enim igne erit aliquod corpus; quod levissimum erit. Quocirca non est proprium ignis corpus levissimum. Confirmatur autem, si non superlatione posuit proprium Erit enim, quantum ad hoc, recte positum proprium. Veluti quia is qui posuit hominis proprium animal natura mansuetum, non superlatione tradidit proprium, erit, quantum ad hoc, proprium recte positum.

19. *Vigesimus quartus locus* ad destruendum est : cum assignatur ut proprium aliqua potentia, si talis potentia referatur ad ens, quo non existente, non possit dari talis potentia, hæc potentia non est proprium. Ex. gr., si quis dicat,

proprium aeris esse, ut sit respirabilis, assignat ut proprium aeris *posse respirari*, quod significat potentiam; sed posse respirari refertur ad animal potens respirare, et non existente animali, aer non potest respirari; ergo *posse proxime respirari*, non est proprium aeris, siquidem potest aer esse, quin sit potens respirari, non potest autem esse sine suo proprio. Locus ad construendum est : si assignatur ut proprium potentia, quæ non dependet ab existentia entis determinati, quod assignatur, est vere proprium, seu assignetur ut proprium entis, seu ut proprium non entis, hoc est materiæ primæ. Ex. gr.. qui dicit proprium entis esse. *possibile agere ac pati*, assignat ut proprium potentiam agendi et patiendi, quæ non pendet ab ullo termino determinato, ideo bene assignat; qui dicit proprium materiæ esse, ut sit susceptiva formarum, assignat proprium non entis (materia enim a Platone dicebatur non ens), et adhuc bene assignat ex eadem ratione.

20. *Vigesimus quintus* et ultimus *locus* ad destruendum est : quod dicitur secundum excessum ad reliqua, non est vere proprium rei. Ratio est, quia proprium est convertibile cum subjecto, adeoque ablato subjecto non potest remanere proprium; sed quod dicitur per excessum potest remanere ablato subjecto; ergo quod dicitur per excessum, non est vere proprium. Ex. gr., non est proprium ignis *esse levissimum corporum;* ablato enim igne, adhuc de aliquo corpore, puta de aere, verificaretur quod tum esset levissimum corporum; ergo quod assignatur ut proprium ignis, conveniret alicui, quod non esset ignis. Eodem loco possumus uti ad construendum. Si enim, quod assignatur, non significat excessum, vere potest esse proprium. Ex. gr., quia *esse animal mansuetum natura,* non significat excessum, vere est proprium hominis. Et per hæc Aristoteles concludit librum quintum Topicorum.



TOPICORUM

LIBER VI

CAPUT. I. ART. I.

QUOT MODIS POSSIT EVERTI DEFINITIO, ET PRO QUIBUS SINT ASSIGNANDA LOCA.

1. [1] Ejus tractationis quæ ad definitiones pertinet,


2. quinque sunt partes. Vel enim definitio reprehenditur, quia omnino non vere dicitur, de quo nomen, etiam oratio, quandoquidem oportet hominis definitionem de omni homine vere dici ; vel quia cum sit aliquod genus, non collocavit rem definitam in genere aut non collocavit in proprio genere, quoniam debet is qui definit, cum in genere definitum collocaverit, differentias adjungere, si quidem eorum quæ in definitione ponuntur, maxime genus videtur rei definitæ essentiam declarare ; vel quia oratio non est propria (nam oportet definitionem propriam esse, quemadmodum et supra dictum fuit) ; vel quia, cum omnia quæ dixi perfecerit, tamen non definivit, nec dixit quidditatem rei definitæ.

3. Reliquum est præterea definitionis vitium, si definivit quidem, non tamen recte definivit. An igitur de quo nomen dicitur, non etiam oratio vere dicatur, ex locis ad accidens pertinentibus considerandum est. Nam ibi quoque omnis consideratio in eo consistit, ut intelligatur, utrum sit verum, an non verum. Cum enim disserendo ostendimus accidens inesse, dicimus esse verum ; cum autem ostendimus non inesse, dicimus non esse verum. An autem non in proprio genere posuerit, vel non propria sit oratio tradita, ex dictis locis, qui ad genus et ad proprium pertinent, considerandum est. Reliquum est ut dicamus quomodo disquiri debeat, an non sit definitum, vel an non recte sit definitum, Primum igitur videndum est, an non recte definitum sit. Facilius enim est quodvis facere quam recte facere. Constat igitur sæpius in hoc peccari, quia est difficilius. Unde fit ut argumentatio facilius de hoc quam de illo suppetat.

4. Hujus autem inquisitionis, an non recte sit definitum, duæ sunt partes, una, si obscura interpretatione usus sit [oportet enim eum qui definit, quoad ejus fieri potest, clarissima interpretatione uti, quia cognoscendi causa definitio traditur], altera, si plus dixit in definitione quam oportuit ; quidquid enim adjicitur in definitione, supervacuum est.

1. Postquam Aristoteles lib. II, III, IV et V, tradidit loca accidentis, generis et proprii, lib. VI, tradit loca definitionis. Præmittit, quot modis possit everti definitio, et pro quibus loci sint hic assignandi.

2. *Quinque modis* ac viis potest everti definitio. Primus modus est, ut ostendatur definitionem non dici de omnibus, de quibus dicitur definitum; eo enim ipso mala est definitio, cum definitio debeat convenire omni definito. Secundus modus est ut ostendatur, quod cum definitum sit in genere, non est positum in genere. vel non est positum in genere proprio sed alieno. Cum enim ad definitionem requiratur, ut definiens ponat definitum in proprio genere, ac deinde addat differentias, eo ipso, quod non explicat genus. quod videtur maxime declarare, *quid sit res*, male definit rem. Tertius modus est, ut ostendatur, definitionem non esse propriam rei, hoc est non esse convertibilem cum re, cum definitio debeat esse convertibilis cum definito. Quartus locus est, ut ostendatur, quod licet definitio conveniat definito, explicet genus et sit convertibilis, adhuc non explicat quidditatem et essentiam definiti; eo enim ipso non erit



definitio, cum definitio debeat esse oratio explicans essentiam definiti. Quintus modus est, ut ostendatur, quod licet allata definitio sit definitio, eo quod explicet essentiam rei, adhuc non est bene assignata.

3. Loci ad evertendam definitionem tribus primis modis jam sunt explicati libris superioribus. Loci enim ad ostendendum, quod definitio conveniat vel non conveniat omni definito, traditi sunt libro secundo, agendo de problemate accidentis. Ibi enim traditi sunt loci ad examinandum, utrum prædicatum conveniat vel non conveniat subjecto, adeoque ex iis locis poterit examinari, an definitio conveniat, vel non conveniat omni definito. Loci ad ostendendum, quod non explicatum est genus proprium, assignati sunt libro quarto, agendo de problemate generis. Ibi enim traditi sunt loci ad examinandum, utrum aliquid sit proprium genus rei, an non. Loci ad examinandum an definitio sit propria et convertibilis cum definitio, traditi sunt libro quinto de problemate proprii. Ibi enim traditi sunt loci ad examinandum, utrum aliqua oratio sit propria rei, vel non. Reliquum igitur est, ut hoc libro agatur de locis, ex quibus examinari potest, an per allatam orationem res definiatur, et an bene definiatur. Et quia incipiendum est a facilioribus, facilius autem est ostendere, quod res non sit bene definita, quam quod nullo pacto sit definita, prius agendum de locis, ex quibus ostendi potest rem non bene definiri, deinde de locis, ex quibus ostendi potest rem nullo pacto definiri. Quod autem facilius ostendatur rem non bene definiri, quam nullo pacto definiri, probatur, quia facilius est rem definire, quam bene definire, siquidem universim facilius est rem facere utcumque, quam bene facere; ergo sæpius peccatur non bene definiendo, quam non definiendo, siquidem sæpius peccatur in eo, quod est difficilius; ergo facilius est argumentari, ostendendo, quod res non est bene definita, quam ostendendo rem non esse definitam.

4. Jam ex duobus capitibus possumus peccare non bene definiendo: primo ex eo, quod definitio sit obscura; secundo ex eo, quod definitio sit redundans et contineat aliquid superfluum. Aliqui igitur loci eo tendunt, ut probent definitionem esse obscuram; aliqui eo tendunt, ut ostendant definitionem esse redundantem et continere aliquid superfluum.

CAPUT I. ART. II.

DE LOCIS AD PROBANDUM DEFINITIONEM ESSE OBSCURAM VEL REDUNDANTEM.

5. Rursus utrumque eorum quæ dicta sunt, in plures partes est distributum.

6. [2] Primus igitur locus probandæ obscuritatis est, si homonymum sit aliquod verbum, quod in definitione dictum est. Ut si quis generationem definiat deductionem ad substantiam, aut sanitatem symmetriam calidorum et frigidorum. Nam et deductio et symmetria sunt verba homonyma. Itaque dubium est, utrum dicere velit eorum quæ declarantur eo verbo, quod multis modis dicitur.

7. Idem contingit, si cum definitum multis modis dicatur, non adhibita distinctione dixerit definitionem, quia dubium est, utrius definitionem tradiderit, et cavillari licet, quasi definitio non omnibus aptetur, quorum definitionem tradidit. Maxime autem tale quidpiam evenit, cum homonymia latet. Fieri etiam potest ut aliquis, cum ipse distinxerit et exposuerit quot modis dicatur id quod in definitione continetur, syllogismum conficiat. Nam si in nulla significatione sufficienter dicta est definitio, patet eo modo definitum non fuisse.

8. Alius locus est, si definitionem dixit per translationem, ut si dixerit scientiam esse, quæ labi non potest, aut terram altricem, aut temperantiam concentum. Quidquid enim per translationem dicitur, obscurum est. Licet enim adversus eum qui translatione usus est calumniari, quasi non proprie locutus sit, quia dicta definitio non accommodabitur rei definitæ; ut in temperantia perspicere possumus; omnis enim concentus est in sonis. Præterea si concentus sit genus temperantiæ, idem erit in duobus generibus, quorum neutrum continet alterum, quia neque concentus virtutem nec virtus concentum continet.

5. Plures sunt loci ad probandum definitionem esse obscuram, et plures etiam ad ostendendum definitionem esse redundantem.

6. *Primus locus* ad probandum definitionem esse obscuram desumitur ex eo, quod continet aliquid, quod dicitur multipliciter. Ex. gr., definitio, qua generatio definitur: *ductio ad substantiam*, et qua sanitas definitur: *commensuratio calidorum et frigidorum*, sunt obscuræ, quia cum ductio et commensuratio dicantur multipliciter, obscurum est, in qua significatione sumantur.

7. *Secundus locus* desumitur ex eo, quia cum definitum sumatur multipliciter, non explicatur, in quo sensu sumatur. Rursus potest contra talem definitionem opponi, quod non convenit omni

definito; hoc autem præcipue potest opponi, cum definiens non advertit definitum dici multipliciter. Possumus etiam contra talem definitionem uti argumento ex divisione. Explicando enim, quot modis dicitur definitum, et ostendendo, quod in nullo ex talibus modis bene definitur, possumus concludere, quod definitio non est bona.

8. *Tertius locus* desumitur ex eo, quod definitio sit metaphorica. Cum enim omne, quod dicitur metaphorice, sit obscurum, eo ipso definitio est obscura. Ex hoc loco possunt rejici definitiones, per quas quis diceret scientiam esse *opinionem indeciduam*, quæ labi non possit, terram esse *altricem viventium*, temperantiam esse *quamdam consonantiam*. Nam omnes istæ definitiones sunt metaphoricæ, adeoque obscuræ. Possumus etiam contra sic definientes argumentari, quia tales definitiones proprie non conveniunt definitis, ex. gr., temperantia non est proprie consonantia, cum omnis consonantia sit in sonis. Rursus possumus argumentari, quia sequitur, quod definitum sit in duobus generibus, quorum neutrum continetur in altero; ex. gr., si temperantia est in genere consonantiæ, cum sit etiam in genere virtutis, est in duobus generibus, quorum neutrum continetur in altero; nam neque virtus continetur in genere consonantiæ, neque consonantia in genere virtutis.

9. Præterea obscure definit, qui non positis nominibus utitur; ut Plato fecit, qui oculum definivit ciliumbrem, aut araneam putrimordacem, aut medullam ossigenam; omne enim verbum inusitatum obscurum est.

10. Quædam autem nec per homonymiam nec per translationem nec proprie dicuntur, ut si lex definiatur mensura vel imago eorum quæ natura justa sunt, sed ejusmodi omnia sunt translatione deteriora. Nam translatio facit quodammodo notum id quod significatur, propter similitudinem; quicumque enim verba transferunt, ratione alicujus similitudinis transferunt. At illud tale non facit rem notam, quia nec similitudo ulla est, cujus ratione lex sit mensura vel imago, nec proprie dici solet. Quare si legem dicat proprie mensuram vel imaginem esse, mentitur, quandoquidem imago est, quæ per imitationem efficitur; quod in lege non reperitur. Quod si non proprie, patet eum obscure locutum esse, ac deterius quovis eorum quæ per translationem dicuntur.

11. Præterea recte reprehenditur, si ex data definitione rei contrariæ definitio non fiat perspicua; nam qui recte definitiones tradunt, etiam contrarias adsignificant.

12. Aut si per se non appareat, cujus sit definitio, quæ data est, sed similis sit veterum pictorum operibus, quæ erant ejusmodi ut, nisi quis superscripsisset, cognosci non posset, quid unumquodque esset. An igitur non dilucide aliquis definierit, ex hujusmodi locis videndum est.

9. *Quartus locus* est: definitio non debet uti nominibus insuetis. Ex hoc loco possunt rejici definitiones, in quibus Plato in definitione oculi usus est nomine *ciliumbris*, eo quod obumbretur a cilio; et in definitione aranei usus est nomine *putrimordacis*, eo quod mordeat putria; et in definitione medullæ vocavit illam *ossigeneam*, eo quod ex medulla generentur ossa. Omnes istæ definitiones sunt obscuræ, quia omne insuetum est obscurum.

10. *Quintus locus* est: in definitione neque etiam debemus uti modo dicendi insueto. Explicatur. Aliquando qui definit, non utitur nominibus insuetis et tamen dicit aliquid insuetum, quod neque dicitur metaphorice, neque æquivoce, neque proprie. Ex. gr., Plato dum legem definiens dixit, quod lex est *mensura et imago eorum, quæ ex sua natura sunt justa*, non usus est nominibus insuetis, et tamen dixit aliquid insuetum. Non enim solet dici, quod lex sit mensura vel imago. Porro hi modi dicendi insueti sunt deteriores metaphora, cum minus rem declarent quam metaphoræ. Ratio est, quia cum omnis metaphora fundetur in similitudine, unum autem simile sit aptum ad manifestandum aliud simile, metaphora aliquo pacto declarat rem; ex. gr., cum dicitur, quod scientia est *opinio indecidua*, ly *indecidua* explicat firmitatem scientiæ. At cum dicitur, quod lex est *mensura et imago*, nullo pacto notificatur lex. Non enim explicatur aliquid simile legi, cum lex non sit similis imagini; neque explicatur, quid proprie lex sit, nam lex proprie non est imago. Imago enim proprie est, cujus generatio per imitationem fit; sed lex non est hujusmodi; ergo lex proprie non est imago; ergo qui definit legem per hoc, quod sit imago, si proprie loquitur, falsum dicit; ergo cum neque explicet, quid proprie sit res, neque explicet aliquid simile rei, talis definitio est obscura ac deterior definitionibus metaphoricis, quæ licet non explicent, quid proprie res sit, saltem explicant aliquid simile rei.

11. *Sextus locus* est: definitio explicans, *quid res sit*, si res habet contrarium, explicat etiam aliqualiter, quid sit con-

trarium. Cum enim contraria sint ejusdem generis, et contrahantur oppositis differentiis, explicat genus contrarium, et facile etiam potest intelligi differentia contraria. Ex. gr., definitio, qua albedo definitur: *color disgregativus visus*, explicat etiam aliqualiter, quid sit nigredo, quæ nimirum est *color congregativus visus*. Si igitur ex definitione unius contrarii non potest colligi definitio alterius contrarii, patet definitionem esse obscuram ac non satis declarare definitum.

12. *Septimus locus* est : definitio per se dicta debet manifestare, cujus rei sit definitio; si igitur ex definitione per se non patet, cujus rei sit definitio, est obscura et mala. Nam se habet sicut imagines veterum pictorum, quibus visis non poterat percipi, cujus rei essent imagines, nisi subscriberetur nomen illius rei. Ex his igitur septem locis potest probari, definitionem esse obscuram, adeoque non esse bene assignatam.

13. [3] Quod si plus dixerit in definitione quam debuerit, primum videre oportet, an aliquid adhibuerit quod omnibus insit, id est vel simpliciter iis quæ sunt, vel iis quæ continentur sub eodem genere, sub quo sunt res definitæ, quia necesse est ut id supervacuo dictum fuerit, quandoquidem opus est ut genus ab aliis secernat, differentia vero ab aliquo eorum quæ sunt in eodem genere. Quod igitur omnibus inest, simpliciter a nulla re sejungit; quod vero inest omnibus sub eodem genere contentis, non separat ab iis quæ sunt in eodem genere. Quare inane est ejusmodi adjunctum.

14. Vel an sit quidem proprium id quod adjunctum est, sed eo detracto nihilominus reliqua definitio propria sit et essentiam declaret. Ut in definitione hominis, si adjungatur scientiæ capax, supervacaneum est ; nam et eo dempto reliqua definitio est propria et essentiam declarat. Et ut uno verbo dicam, id omne supervacuum est, quo sublato id quod reliquum est, perspicuam facit rem definitam.

15. Talis est etiam animæ definitio, siquidem est numerus seipsum movens ; etenim quod seipsum movet, est anima, ut Plato definivit. An quod dictum est, proprium quidem est, sed non declarat essentiam numero sublato? Utro autem modo res habeat, difficile est explicare. Utendum porro est hoc loco in omnibus hujusmodi rebus, quatenus expedit. Ut cum pituita definitur humor primus ex cibo incoctus. Unus enim est humor primus, non multi. Quare supervacuum est illud adjunctum incoctus, cum eo quoque sublato reliqua futura sit propria definitio, quia fieri nequit ut ex cibo et hoc et aliud primum sit. An non simpliciter pituita est primum ex cibo, sed primum eorum quæ sunt incocta? Quare adjiciendum est in definitione illud verbum incoctus. Illo enim modo si dicatur, non erit vera definitio, siquidem non omnium primum est.

13. Tradit jam Aristoteles alios quinque locos ad ostendendum definitionem non esse bonam, quia est redundans et continet aliquid superfluum. *Primus locus* est : definitio supra genus et differentiam nihil debet addere, quod vel sit commune omnibus simpliciter, vel saltem sit commune omnibus ejusdem generis ; eo enim ipso hoc erit superfluum. Ratio est, quia definitio debet ponere genus, per quod res separetur ac distinguatur ab aliis rebus diversi generis, et debet addere differentiam, per quam separetur ac distinguatur a rebus ejusdem generis; sed quod est commune omnibus simpliciter; a nullo separat ac distinguit; quod est commune omnibus ejusdem generis non separat ab ullo ejusdem generis, a rebus vero diversi generis sufficienter res separatur per genus ; ergo eo ipso, quod definitio addat aliquid commune omnibus simpliciter vel omnibus ejusdem generis, est mala et redundans. Exemplum definitionis malæ, quia addit aliquid omnibus commune, est, qua homo definitur *animal rationale unum existens; esse enim unum* est commune omnibus entibus ; ergo homo per hoc, quod sit unus, a nullo ente distinguitur. Exemplum definitionis malæ, quia addit aliquid commune omnibus ejusdem generis est, qua homo definitur *animal sensibile, rationale; esse enim sensibile*, est commune omnibus animalibus ; ergo non separat animal, cui additur, ab ullo animali ; ergo frustra additur.

14. *Secundus locus* est : universim superfluum in definitione est omne id, quo ablato, quod remanet explicat, *quid sit definitum;* et quia quando in definitione additur aliquid proprium rei, eo ablato, adhuc quod remanet, est oratio propria et convertibilis cum definito, et explicans quid illud sit, ideo superflua est definitio, in qua additur proprium. Ex. gr., superflua est definitio, qua homo definitur *animal rationale, disciplinæ susceptivum*: nam hoc, quod est, *esse disciplinæ susceptivum*, est proprium hominis, eoque ablato remanet integra definitio hominis.

15. Quia vero Aristoteles dixit nullum superfluum debere poni in definitione, ideo ex hoc loco disputat, an duæ defini-

tiones, altera animæ altera phlegmatis, sint redundantes ac malæ. Anima definiebatur a quibusdam antiquis : *numerus se ipsum movens*. Videtur, quod illa particula *numerus* sit superflua. Si enim illa ablata dicatur cum Platone, quod anima est *id, quod movet se ipsum*, habetur integra definitio animæ. Ex alia parte potest dici, quod licet hæc oratio : *id, quod movet se ipsum*, sit animæ propria et cum illa convertibilis, adhuc non explicat genus animæ; sed ad explicandam rem ultra differentiam debet explicari genus; ergo illa particula *numerus* non est superflua; ergo quæstio, an proposita definitio animæ sit bona, est difficilis explicatu neque debet hic decidi. Aliquando igitur cum res postulat, licet per differentiam res satis ab omnibus distinguatur, adhuc est addenda aliqua particula loco generis, eo pacto, quo numerus additur in definitione animæ. Phlegma definiebatur ab antiquis : *humidum primum a cibo indigestum*. Videtur, quod illa particula *indigestum* sit superflua. Nam ex humidis, quæ oriuntur a cibo, solum phlegma est, quod primo oritur a cibo; ergo frustra additur illa particula *indigestum*; ea enim ablata sufficienter phlegma distinguitur ab omnibus aliis humidis, quæ oriuntur a cibo per hoc, quod sit primum. Ex alia parte dici potest, quod alia humida oriantur a cibo via indigestionis, alia via digestionis; ergo phlegma per hoc, quod sit *humidum primo ortum a cibo*, non distinguitur sufficienter ab alio humido primo, quod oritur a cibo via digestionis; ergo addenda fuit illa particula *indigestum*, tanquam ultima differentia, qua ablata non remanet integra definitio phlegmatis. Verum hanc etiam quæstionem relinquit Aristoteles indecisam, utpote non spectantem ad hunc locum.

16. Præterea videndum est, an aliquid eorum quæ sunt in definitione, non omnibus iis conveniat quæ continentur sub eadem specie. Nam hujuscemodi definitio deterior est iis, in quibus adhibetur quod omnibus rebus inest Illo enim modo si definiatur, sublato eo quod commune est, reliqua oratio est propria, et tota est propria. Simpliciter enim si ad proprium addatur aliquid quod sit verum, tota oratio fit propria. Si quid autem eorum quæ sunt in definitione, non convenit iis omnibus quæ sunt sub eadem specie, fieri nequit ut tota oratio propria sit ; non enim de re vicissim dicetur. Ut hæc oratio, animal pedestre bipes quatuor cubitorum ; neque enim hujusmodi oratio de re vicissim dicitur, quia illud, quatuor cubitorum, non omnibus iis inest quæ sunt sub eadem specie.

16. *Tertius locus* est : non debet in definitione addi aliquid, quod non conveniat omnibus contentis sub definito; eo enim ipso definitio non erit propria et convertibilis cum definito. Ex. gr., si homo definiatur *animal gressibile bipes, quadricubitale*, definitio non est convertibilis cum homine; neque enim omnis homo est quadricubitalis. Hinc Aristoteles infert magis peccari, cum definitioni additur particula non solum superflua, sed etiam non conveniens omnibus definitis. Ratio est, quia si particula superflua conveniat omnibus, definitio est quidem redundans, sed adhuc convertitur cum re; at si particula superflua non conveniat omnibus, resultat oratio non convertibilis cum re. Ex. gr., si quis hominem definiat *animal rationale unum*, licet ly *unum* sit superfluum, adhuc hæc oratio est convertibilis cum homine : at si quis definiat hominem *animal rationale quadricubitum*, eo ipso fit oratio non convertibilis cum homine, adeoque dupliciter peccans.

17. Rursus videndum est, an idem sæpe dixerit, ut qui dixit cupiditatem esse appetitionem jucundi ; omnis enim cupiditas est rei jucundæ ; quamobrem id quoque quod est idem atque cupiditas, erit rei jucundæ. Definitio igitur cupiditatis constituitur appetitio jucundi (nihil enim refert, utrum cupiditatem dicat, an appetitionem jucundi) ; quare horum utrumque erit rei jucundæ. An hoc non est absurdum ? Nam et homo est bipes. Quare id quoque quod est idem atque homo, erit bipes. Atqui idem quod homo, est animal pedestre bipes. Itaque animal pedestre bipes est bipes. Sed non ideo aliquid absurdi accidit. Non enim animali pedestri bis bipes attribuitur (sic enim bipes eidem bis attribueretur), sed de animali pedestri bipede bipes dicitur ; quapropter semel tantum bipes attribuitur. Similiter fit etiam in cupiditate ; non enim appetitioni attribuitur esse rei jucundæ, sed toti orationi ; quocirca hic quoque semel attribuitur. Non est autem res absurda, si idem nomen bis pronuntietur, sed si idem alicui sæpius attribuatur. Ut cum Xenocrates ait, prudentiam esse definitivam et contemplativam eorum quæ sunt. Nam quæ definitiva est, contemplativa quædam est. Quare bis eamdem rem dicit adjecto verbo contemplativa. Similiter faciunt quicumque refrigerationem aiunt esse privationem caloris naturalis. Omnis enim privatio est rei natura insitæ ; quare supervacaneum est addere verbum illud naturalis, sed sufficiebat dicere privationem caloris, quandoquidem ex ipso privationis verbo apparet rei naturalis privationem dici.

17. *Quartus locus* est : in definitione

non debet idem nomen sæpius repeti. Exemplum, in quo videtur contra hunc locum peccari, sed vere non peccatur, est definitio, qua concupiscentia definitur *appetitus delectationis*. Concupiscentia enim delectationis est; ergo idem est dicere, concupiscentia est appetitus delectationis, ac dicere concupiscentia delectationis est appetitus delectationis; ergo ly *delectationis* bis dicitur, semel ex parte definiti, semel ex parte definitionis. Verum non est absurdum, quod idem bis dicatur, semel implicite ex parte definiti, semel explicite ex parte definitionis, imo necesse est, ut hoc accidat in omni definitione. Ex. gr., in definitione, qua homo definitur *animal gressibile bipes*, cum homo sit essentialiter bipes, bipes bis ponitur, semel implicite ex parte hominis, semel explicite ex parte definitionis. Jam in exemplo posito, cum dicitur: *concupiscentia est appetitus delectationis*, delectatio non includitur in appetitu; ergo delectatio non bis ponitur ex parte prædicati seu definitionis; ergo non peccatur. Exemplum igitur, in quo vere peccatur idem bis ponendo ex parte prædicati ac definitionis, est definitio, qua Xenocrates prudentiam definivit: *definitivam et contemplativam eorum quæ sunt*. Cum enim *definire* sit *contemplari*, *definitivum* in suo conceptu includit *contemplativum*, adeoque *contemplativum* bis ponitur. Peccant etiam qui refrigerationem definiunt *privationem caloris, qui secundum naturam est*. Privatio enim includit in suo conceptu, ut sit ejus, quod est secundum naturam; ergo dum dicitur, quod refrigeratio est privatio ejus, quod est secundum naturam, bis ponitur ly *secundum naturam* adeoque definitio est redundans et superflua; sufficienter enim definiretur *refrigeratio* dicendo, quod est *privatio caloris*.

18. Item videndum est, an ad id quod universaliter dictum est, aliquid adjungatur quod sit in parte, ut si quis æquitatem definiat imminutionem eorum quæ utilia et justa sunt. Quod enim justum est, utile quiddam est. Proinde in eo quod est utile, continetur. Supervacaneum igitur est illud verbum justa. Itaque cum universale dixerit, particulare adjunxit. Idem fit etiam si quis medicinam definiat scientiam eorum quæ salubria sunt animali et homini, aut legem simulacrum eorum quæ natura honesta et justa sunt. Quod enim justum est, honestum quiddam est; quocirca sæpius eamdem rem dicit. Utrum igitur recte an non recte definierit, ex his et ejusmodi aliis locis videndum est.

18. *Quintus* et ultimus locus est: in definitione non debet simul poni universale et particulare, in quo continetur illud universale. Ex. gr., qui definit epikeiam sive æquitatem: *imminutionem expedientium et justorum*, peccat. Cum enim omne justum contineatur in expediente, frustra additur ly *justorum;* sufficeret enim dicere, quod æquitas est *imminutio expedientium*. Similiter peccat, qui definit medicinam *disciplinam sanativam animalium et hominis*, quia homo continetur in animali. Peccat etiam qui definit legem *imaginem eorum, quæ bona et justa sunt*, quia justa continentur in bonis.

CAPUT I. ART. III

DE LOCIS AD PROBANDUM, ORATIONEM ALLATAM NON ESSE DEFINITIONEM.

19. [4] Utrum autem dixerit ac definierit quid res sit necne, videndum est ex his quæ deinceps exponam. Ac primum si non ex prioribus et notioribus confecit definitionem. Cum enim definitio tradatur ejus quod dictum est cognoscendi causa, cognoscamus autem non ex quibusvis, sed ex prioribus et notioribus, quemadmodum in demonstrationibus contingit (sic enim omnis doctrina et disciplina se habet), perspicuum igitur est eum, qui non ex his definivit, revera non definivisse. Nam si definivit, plures erunt ejusdem rei definitiones. Constat enim eum qui ex prioribus et notioribus definierit, melius definivisse. Quare ambæ definitiones erunt ejusdem rei. Quod ita esse non videtur, quandoquidem una est cujusque rei essentia, qua est id quod est. Quocirca si plures erunt ejusdem rei definitiones, eadem erit rei definitæ essentia, quæ utraque definitione declaratur. Hæ vero essentiæ non sunt eædem, quoniam et definitiones sunt diversæ. Patet igitur eum non definivisse, qui non ex prioribus et notioribus definivit.

20. Ergo non ex notioribus sumptam esse definitionem dupliciter accipi potest, nempe si ex simpliciter ignotioribus, vel ex iis quæ sunt nobis ignotiora, quoniam utroque modo id fieri accidit. Quod igitur prius est, id eo quod posterius est, notius est simpliciter, ut punctum est prius linea et linea plano et planum solido, quemadmodum unitas numero, quoniam prior est et principium omnis numeri. Similiterque elementum est prius syllaba. Nobis vero contra interdum accidit, quia solidum sub sensum maxime cadit, planum autem magis quam linea, et linea magis quam punctum. Idcirco multi ea magis cognoscunt quæ sunt ejusmodi; hæc enim cujusvis, illa vero exquisitæ et excellentis cogitationis est dicere. Simpliciter igitur melius est conari ut ex prioribus posteriora cognoscantur, quoniam ad scientiam gignendam hoc magis est

accommodatum. Attamen apud eos qui ex talibus cognitionem adipisci nequeunt, necesse est fortasse definitionem conficere ex iis quæ illis nota sunt. Tales sunt definitiones et puncti et lineæ et plani ; omnes enim ex posterioribus priora declarant ; illud enim lineæ, illud plani, hoc solidi ajunt terminum esse.

19. Traditis locis, ex quibus probari potest rem non bene definiri, proponit Aristoteles locos, ex quibus ostenditur rem non definiri. *Primus locus* est : definitio debet esse per priora et notiora. Probatur primo, quia definitio assignatur ad hoc, ut per ipsam cognoscatur definitum; sed unumquodque cognoscitur, non ex quibuslibet, sed ex prioribus et notioribus, sicut demonstratur non ex quibuslibet, sed ex prioribus et notioribus, ut patet inductione in omnibus scientiis ac disciplinis; ergo definitio debet esse per priora et notiora; ergo si non est per priora et notiora, non est definitio. Confirmatur, quia si oratio non per priora et notiora, esset definitio, plures possent esse ejusdem rei definitiones, quod est inconveniens. Probatur sequela, quia si oratio non per priora et notiora vere est definitio, multo magis oratio, quæ est per priora et notiora, est definitio; ergo utraque est definitio ; ergo duæ sunt ejusdem rei definitiones. Quod vero sit inconveniens, ut plures sint ejusdem rei definitiones, probatur, quia unumquodque ens habet unam essentiam et quidditatem ; ergo si plures sunt ejusdem definitiones, plures sunt ejusdem quidditates ; ergo non possunt esse ejusdem plures definitiones; sed quæ est per notiora et priora, vere est definitio ; ergo quæ est per posteriora et minus nota, non est definitio.

20. Jam quia Aristoteles dixit, orationem, quæ est per ignotiora, non esse definitionem, explicat quotupliciter dicatur tum notius tum ignotius, atque in quo sensu definitio debeat esse per notiora. Ignotius dicitur dupliciter. Primo ignotius simpliciter, secundo ignotius nobis; ergo dupliciter possumus definire ex ignotioribus : primo ex ignotioribus simpliciter; secundo ex ignotioribus quoad nos. Porro sæpe contingit, ut quod est ignotius nobis sit notius simpliciter. Nam prius dicitur simpliciter notius posteriore. Ex. gr., quia punctum est prius linea, est simpliciter notius linea; et ex eadem ratione linea est notior superficie, superficies est notior corpore, unitas est notior numero, elementum est notius syllaba, et universim pars est notior toto, quod componitur ex partibus. At respectu nostri aliquando posterius est notius priori. Corpus enim, cum sit sensibilius superficie, est notius superficie; et ex eadem ratione superficies est notior linea, linea est notior puncto seu signo. Simpliciter igitur ad perfecte cognoscendas res, debemus conari, ut posteriora cognoscamus per priora, cum hoc sit magis scientificum; verum qui propter debilitatem mentis non possunt cognoscere posteriora per priora, necesse est, ut explicent res per ea, quæ sunt notiora ipsis. Tales autem sunt definitiones seu descriptiones communes puncti, lineæ et superficiei. Punctum enim definitur *terminus lineæ*, adeoque definitur per lineam, quæ est posterior puncto; linea definitur *terminus superficiei*, superficies definitur *terminus corporis;* ergo etiam linea et superficies definiuntur per posteriora.

21. Sed non est ignorandum eos, qui ita definiunt, non posse declarare quidditatem rei definitæ, nisi forte idem sit et nobis notius et simpliciter notius, siquidem oportet eum qui recte definit, ex genere et differentiis definire, hæc autem sunt in eorum numero quæ sunt notiora et priora quam species. Secum enim aufert genus et differentia speciem. Quare hæc sunt priora quam species. Sunt etiam notiora, quia cognita specie necesse est et genus et differentiam cognosci ; etenim qui hominem cognoscit, et animal et pedestre cognoscit. Cognito autem genere vel differentia, non est necesse etiam speciem cognosci. Itaque species ignotior est. Præterea qui re vera ejusmodi definitiones esse aiunt, quæ ex unicuique notis constant, iis accidit ut dicant ejusdem rei multas esse definitiones. Alia namque aliis, non eadem omnibus sunt notiora. Quare alia apud alium definitio tradenda erit, siquidem ex iis quæ cuique sunt notiora, definitionem conficere oportet. Præterea iisdem hominibus alias alia sunt notiora. Nam ab initio notiora sunt ea quæ sub sensum cadunt; cum autem tales effecti sunt ut exquisitius res cognoscere valeant, tum contra res habet, quocirca ne apud eumdem quidem hominem semper eadem definitio tradenda est ab iis qui definitionem ex cuique notioribus tradendam esse asserunt. Patet igitur non esse ex talibus definiendum, sed ex simpliciter notioribus ; nam hoc tantum modo una et eadem definitio semper fiet. Fortassis autem quod simpliciter notum est, non id est quod omnibus notum est, sed quod notum est iis qui ratione bene constituta præditi sunt, quemadmodum et simpliciter salubre dicitur id quod salubre est iis quorum corpus bene affectum est.

22. Oportet igitur singula quæ sunt ejusmodi, accurate explicare. Qui vero disputant, iis uti debent quatenus expedit. Maxime autem in confesso est definitionem everti, si neque ex simpli-

citer notioribus, neque ex iis quæ sunt nobis notiora, oratio confecta sit. Unus igitur locus probandi definitionem non esse ex notioribus is est, quem antea diximus, nempe cum priora per posteriora declarantur.

21. Verum debet adverti, quod tales descriptiones per notiora nobis, quæ non sunt simpliciter priora et notiora, simpliciter non explicant, *quid sint res*, adeoque non sunt veræ definitiones. Ratio est, quia definitio explicans essentiam rei, debet esse per genus et differentiam; sed genus et differentia sunt simpliciter priora et notiora specie, quæ constat ex genere et differentia; ergo definitio explicans essentiam rei, debet esse per priora et notiora simpliciter. Probatur minor; nam id, quo ablato aufertur aliud, non e converso, est prius; sed ablato genere ac differentia aufertur species non e converso; ergo genus et differentia sunt priora specie. Rursus illud, quo cognito, non necesse est cognosci aliud, cum cognito alio necesse sit ipsum cognosci, est notius; sed cognito genere vel cognita differentia, non est necesse cognosci speciem, at cognita specie necesse est cognosci genus et differentiam;ergo genus et differentia sunt notiora specie. Confirmatur, quia si descriptiones explicantes rem per ea, quæ sunt nota uniquique, essent veræ definitiones, sequeretur, quod plures possent esse ejusdem rei definitiones; consequens est inconveniens; ergo etc. Probatur minor; non enim omnibus eadem sunt magis nota, sed alia aliis sunt notiora; ergo respectu diversorum diversæ essent definitiones; imo quia respectu ejusdem diverso tempore diversa sint notiora, — ab initio enim sunt notiora sensibilia, procedente tempore notiora solent esse intelligibilia, — respectu ejusdem diversis temporibus diversæ essent definitiones. Cum igitur hæc sint inconvenientia, vera definitio erit solum, quæ est per priora, ac notiora simpliciter; hac enim solummodo via salvatur, quod definitio sit una et semper eadem. Quia vero potest quæri, quænam sint notiora simpliciter, num ea, quæ sunt nota omnibus, an ea quæ sunt nota aliquibus, — respondet Aristoteles, quod sicut salubre simpliciter est, non quod omnibus est salubre, sed quod est salubre corporibus bene affectis, sic nota simpliciter sunt, non quæ sunt nota omnibus, sed quæ sunt nota intellectibus bene dispositis.

22. Sicut igitur explicavimus, quot modis dicatur notum, sic oportet disputantes diligenter inquirere, quot modis dicatur unumquodque eorum, quæ dicuntur multipliciter, et uti variis significationibus nominum, prout expedit propositæ disputationi. Verum quod spectat ad locum præsentem, possumus sine controversia definitionem evertere, si ostendamus illam neque procedere ex notioribus simpliciter, neque ex notioribus quoad nos; eo enim ipso in omnium sententia non est definitio. Et hic est primus locus ad evertendam definitionem.

23. Alius autem est, si ejus quod in quiete consistit et definitum est, definitio tradita sit per id quod est indefinitum et in motione consistit. Quod enim manet et definitum est, prius et notius est eo quod indefinitum et in motu est.

24. Ad probandum autem definitionem non esse ex prioribus tres sunt loci. Primus est, si oppositum per opposita definivit, ut bonum per malum, quoniam opposita simul sunt natura. Quibusdam autem etiam esse eadem amborum scientia videtur. Quapropter alterum altero notius non est. Sed non est ignorandum quædam fortasse non posse aliter definiri, ut duplum non potest definiri sine dimidio, et quæcumque per se ad aliquid referuntur In his enim omnibus idem est essentia et ad aliquid quodam modo affectum esse. Quare fieri nequit ut sine altero alterius notitia comparetur. Proinde necesse est ut in alterius definitione alterum quoque comprehendatur Oportet igitur ea omnia quæ sunt ejusmodi cognoscere; his autem locis in his rebus uti, prout videbitur utile esse.

25. Alius locus est, si in definitione adhibuit ipsum definitum. Hoc autem latet, cum non utitur ipso rei definitæ nomine. Ut si quis solem definiat astrum die perspicuum; nam qui die utitur, etiam sole utitur. Ut autem hujuscemodi vitia deprehendantur, sumenda est pro nomine definitio, veluti diem esse solis lationem supra terram. Patet enim eum qui solis lationem supra terram dixit, solem dixisse; quare sole usus est qui die usus est.

26. Rursus si definivit id quod in divisione ponitur, per id quod in eadem divisione collocatur, ut si impar definivit, quod unitate majus est quam par. Simul enim natura sunt ea quæ in ejusdem generis divisione ponuntur; impar autem et par in eadem divisione ponuntur, cum ambo sint numeri differentiæ.

27. Similiter si superius per inferiora definivit, ut si parem numerum dixit esse eum qui bifariam dividitur, aut bonum esse habitum virtutis. Nam et illud, bifariam, sumptum est a duobus, quæ paria sunt; et virtus est bonum quiddam. Quare hæc sub illis sunt. Necesse autem est ut is qui inferiori utitur, etiam ipso definito utatur. Nam et qui utitur virtute, uti-

tur bono, quia virtus est bonum quiddam ; et similiter qui utitur verbo bifariam, utitur pari, quia verbum, bifariam, significat in duo dividi, duo vero paria sunt. Ut igitur universaliter dicam, unus est locus non ex prioribus et notioribus confectam esse definitionem ; cujus loci partes sunt eæ quæ dictæ sunt.

23. *Secundus locus* est : res, quæ in suo conceptu abstrahunt a motu, adeoque habent esse quietum ac determinatum, non debent definiri per res, quæ non abstrahunt a motu et mutabilitate, adeoque habent esse quodammodo indeterminatum ; et quia quidditates mathematicæ abstrahunt a motu, non debent definiri per motum. Ratio est, quia prius non debet definiri per posterius ; sed quæ abstrahunt a motu sunt priora ; ergo etc. Ex hoc loco posset everti definitio, qua linea definitur *fluxus puncti*. Cum enim linea abstrahat a motu, non debet definiri per fluxum seu motum puncti.

24. *Tertius locus* est : tribus modis potest ostendi, definitionem non esse per priora, adeoque non esse veram definitionem. Primus modus est : si unum oppositum definiatur per aliud, definitio non est per priora. Ratio est, quia opposita sunt simul natura et cognitione, ideoque quidam opinantur eamdem esse disciplinam contrariorum ; ergo unum oppositum non est notius altero ; ergo qui definit unum oppositum per aliud, non definit per notiora. Ex. gr., quia malum et bonum sunt opposita, adeoque simul natura, definitio definiens bonum per malum non est per notiora, adeoque non est definitio. Advertit tamen Aristoteles quædam oppositorum, ut relativa, non posse definiri sine suo opposito ; ex. gr., duplum non potest definiri sine dimidio, et universim omnia, quæ per se ad aliquid dicuntur, non possunt definiri sine eo, ad quod dicuntur. Ratio est, quia relativa *per se* sunt, quorum esse est, ad aliquid quodammodo se habere ; ergo non potest cognosci, quid sint, nisi cognoscatur illud aliud ; ergo necesse est, ut in alterius definitione ponatur aliud. Hæc igitur omnia scire oportet, uti vero iis principiis, quæ sunt utilia disputationi propositæ.

25. Secundus modus est : si in definitione rei ponatur ipsa res, definitio non est per notiora, cum idem non sit notius se ipso. Porro aliquando non est manifestum, quod in definitione rei ponitur ipsa res, eo quod non ponitur nomen rei ; ex. gr., non est manifestum, quod in definitione, qua sol definitur *astrum in die apparens*, ponitur ipse sol, quia non ponitur nomen solis. Ad hoc igitur, ut manifestetur, quod res definitur per se ipsam, loco nominis positi in definitione, poni debet definitio talis nominis; ex. gr., ut manifestetur, quod in allata definitione solis ponitur sol, oportet loco diei ponere definitionem diei. Dies enim est *solis latio super terram*, ergo idem est dicere, quod sol est *astrum apparens in die*, ac dicere, quod sol est *astrum apparens, cum sol fertur super terram*; ergo in definitione solis ponitur ipse sol.

26. Tertius modus est : si res definitur per aliquid ex opposito dividens idem genus, non definitur per priora. Ratio est, quia quæ dividunt unum genus, sunt simul natura ; ergo neutrum est prius altero ; ergo si unum definitur per aliud, non definitur per prius. Ex. gr., quia numerus ex opposito dividitur in parem et imparem, par et impar sunt simul natura ; ergo si par definiatur per impar vel impar per par, definitio non est per priora. Hinc rejici potest definitio, qua impar definitur *numerus, qui per unitatem est major pari*.

27. Ex proportionali ratione definitio, qua superius definitur per inferius, non est per priora, adeoque non est definitio. Talis est definitio, qua par definitur, *quod bifariam dividitur*, et qua bonum definitur *habitus virtutis*. Bifariam enim dividi est dividi in duo æqualia ; sed duo sunt numerus par, adeoque sunt inferius pari; ergo par definitur per aliquid inferius pari ; sed superius includitur in definitione inferioris ; ex. gr., virtus est quoddam bonum, adeoque includit in sua definitione bonum, duo sunt numerus par, adeoque includunt in sua definitione par ; ergo qui definit superius per inferius, definit superius per se ipsum, adeoque non definit. Omnes igitur tres dicti loci reducuntur ad unum, et sunt quædam veluti partes unius, qui locus est : definitionem debere procedere ex prioribus et notioribus.

28. [5] Secundus locus est, si cum res sit in genere, non sit posita in genere. In iis autem omnibus est hujusmodi peccatum, in quibus orationi non præponitur quid sit. Cujusmodi est hæc corporis definitio, id quod habet tres dimensiones ; aut si quis hominem definiat, id quod scit numerare, quia dictum non fuit, quid sit id quod habet tres dimensiones, aut quid sit quod scit numerare. Genus autem debet signi-

ficare quid sit ; et eorum quæ in definitione dicuntur primum supponitur.

29. Præterea alius locus est, si cum ad multa res definita pertineat, non ad omnia aptetur. Ut si quis Grammaticam definiat scientiam scribendi quod profertur. Deest enim et legendi, quandoquidem non magis qui scribendi quam qui legendi scientiam esse tradidit, Grammaticam definivit. Quare neuter definivit, sed is demum qui ambo hæc dixit, quippe cum ejusdem rei plures definitiones esse non possint In nonnullis igitur re vera ita res se habet ut dictum fuit. In quibusdam vero non item, ut in iis quæ non per se ad ambo pertinent, quemadmodum Medicina est scientia morbum et sanitatem efficiendi. Nam hujus per se dicitur, illius vero per accidens : simpliciter enim alienum est a Medicina morbum efficere. Quare non magis definivit qui ad ambo retulit, quam qui ad alterum ; sed fortasse deterius, quia et quivis alius potest morbum efficere.

30. Præterea si non ad melius, sed ad deterius accommodavit, cum plura sint ad quæ pertinet res definita. Omnis enim scientia et omnis facultas videtur ejus esse quod optimum est.

31. Rursus an id quod dictum est, non sit positum in proprio genere, considerare oportet ex elementis ad genera pertinentibus, quemadmodum antea dictum fuit.

32. Præterea peccat qui transiliens dicit genera, ut qui justitiam definit habitum æquabilitatis effectivum aut æqui distributivum. Nam virtutem transilit, qui ita definit. Cum igitur omittat genus justitiæ, non dicit quidditatem, quandoquidem cujusque rei essentia est cum genere conjuncta. Hoc autem idem est ac si dicatur, non in proximo genere posuisse. Nam qui in proximo posuit, omnia superiora dixit, quippe cum omnia superiora genera inferioribus attribuantur. Quocirca vel in proximo genere ponendum est id quod definitur, vel omnes differentiæ superiori generi adjungi debent, per quas proximum genus definitur. Sic enim nihil prætermissum erit, sed oratione, loco nominis, inferius genus dictum erit. Qui vero dicit solum genus superius, non dicit etiam inferius genus ; etenim qui dicit plantam, non dicit arborem.

28. *Quartus locus* est : si definitum sit sub aliquo genere, definitio debet explicare genus definiti, adeoque si non explicat genus, non erit definitio, nec explicat, quid sit res. Nam ad quæstionem *quid est* præcipue debet responderi per genus. Ex hoc loco potest rejici definitio, qua corpus definitur : *id quod habet tres dimensiones*. Cum enim non ponatur genus corporis, quod est *substantia*, non explicatur, quid sit id, quod habet tres dimensiones. Ex eodem loco potest rejici definitio, qua homo definitur *id, quod potest numerare,* non enim explicatur, quid sit id, quod potest numerare. Cum igitur genus præcipue explicet, quid sit res, primo debet poni in definitione, tanquam id, quod supponitur differentiis, quæ adduntur ad qualificandum genus.

29. *Quintus locus* est : cum aliquid æque dicitur ad plura, debent exprimi omnia, ad quæ æque dicitur, si autem unum tantum explicetur omisso altero, non est definitio. Ex. gr., quia Grammatica æque est ars scribendi ac legendi, nisi utrumque explicetur, non definitur adeoque neque descriptio, qua Grammatica solum dicitur *ars legendi,* neque qua solum dicitur *ars scribendi*, est definitio Grammaticæ, sed definitio Grammaticæ est, per quam dicitur *ars scribendi et legendi*. Si tamen definitum non æque dicatur ad plura, sed ad unum per se, ad alterum per accidens, tum etiamsi omittatur id, ad quod dicitur per accidens, adhuc est definitio. Ex. gr., quia Medicina per se est scientia efficiendi sanitatem, per accidens est scientia efficiendi etiam ægritudinem, non minus bene, imo fortasse melius definitur dicendo solum, quod est *ars efficiendi sanitatem,* quam dicendo, quod est *ars efficiendi sanitatem et ægritudinem*; nam hoc, quod est *posse efficere ægritudinem,* non est proprium medici, cum etiam qui non est medicus facile possit efficere ægritudinem.

30. *Sextus locus* est : cum aliquid dicitur ad plura, potius debet exprimi melius quam deterius. Ratio est, quia omnis disciplina,potestas et universim omne id, quod dicitur ad plura, maxime videtur esse optimi; ergo ejus essentia consistit in hoc, quod sit ad optimum; ergo si non definiatur per ordinem ad optimum, non explicatur ejus essentia, adeoque non definitur.

31. *Septimus locus* est : unumquodque debet definiri per proprium genus. An vero res definiatur per proprium genus, examinandum est ex locis de genere traditis libro IV. Ex hoc igitur loco potest ostendi orationem allatam non esse definitionem, quia non definit rem per proprium genus.

32. *Octavus locus* est : unumquodque debet definiri per genus proximum, vel si definitur per genus remotum,debent enumerari ordinatim omnes differentiæ dividentes ipsum. Si quis igitur describat rem solum per genus remotum, non enumerans omnes differentias, vere non defi-

nit, ac potest ex hoc loco probari, quod oratio allata non sit definitio. Ratio, cur vere non definiat, est, quia non explicat quidditatem rei, quæ quidditas includit genus proximum. Ex. gr., qui describit justitiam *habitum effectivum æqualitatis vel æqui,* vere justitiam non definit, quia omittens genus proximum *virtutis,* exprimit solum genus remotum *habitus,* et non enumerat differentias ipsius. Debet igitur vel exprimi genus proximum, vel si loco generis proximi ponatur genus superius et remotum, debent addi omnes differentiæ; tum enim loco generis proximi ponitur definitio ipsius, quæ constat ex genere superiori atque ex differentiis illi adjunctis. Qui vero solum ponit genus remotum, et non adjungit differentias, nullo pacto exprimit genus proximum; ex. gr., qui definiens ficum exprimit genus plantæ, et non addit differentiam arboris, nullo pacto exprimit genus proximum ficus.

CAPUT II

DE ALIIS LOCIS PETITIS PRÆSERTIM EX DIFFERENTIA.

1. [6] Rursus in differentiis similiter considerandum est an generis differentias dixerit. Nisi enim propriis rei differentiis definierit, aut si omnino tale quidpiam dixerit quod nullius rei possit esse differentia, ut animal aut substantiam, patet eum non definivisse, quoniam hæc nullius rei differentiæ sunt.

2. Videre etiam oportet, an sit aliquid in divisione oppositum dictæ differentiæ. Nisi enim sit, patet eam quæ dicta est non esse generis differentiam. Omne enim genus iis differentiis dividitur, quæ sibi invicem in divisione opponuntur, ut animal pedestri et volucri et aquatili et bipede. Aut si sit quidem opposita aliqua differentia, non tamen vere dicatur de genere; patet enim neutram esse ejus generis differentiam; omnes enim differentiæ, quæ sibi invicem in divisione opponuntur, de proprio genere vere dicuntur. Item si vere quidem dicatur de genere, sed generi adjuncta non efficiat speciem. Constat enim hanc non esse specificam differentiam generis, quandoquidem omnis specifica differentia cum genere conjuncta speciem efficit. Quod si hæc non sit differentia, ne ea quidem quæ dicta fuit differentia erit, quoniam huic in divisione opponitur.

1. Prima classis locorum hactenus enumeratorum fuit ex priori ac notiori; secunda ex genere; tertia desumitur ex differentia. *Nonus* igitur *locus* est: in definitione ultra genus debet poni differentia et non qualiscumque, sed specifica constitutiva rei definitæ. Si igitur quis definiens, vel differentiam omittat vel ponat quidem differentiam, sed non specificam ac constitutivam rei definitæ, vel ponat loco differentiæ aliquid, quod nullius rei est differentia, oratio allata non est vera definitio. Sed afferenda sunt quædam loca, ex quibus potest examinari, an quod additur sit differentia positi generis, et utrum sit specifica.

2. Primus locus ad examinandum, an quod additur sit differentia, est: omne genus dividitur differentiis oppositis; ergo si assignatæ differentiæ nulla correspondeat differentia ex opposito dividens genus, id quod assignatur, vere non est differentia. Secundus locus est: omnes differentiæ generis conveniunt generi ac de illo verificantur; ergo si quod ponitur ut differentia generis, habet quidem oppositam differentiam, sed quæ non possit generi convenire nec possit de illo verificari, non est vere differentia. Tertius locus ad examinandum, an quod ponitur loco differentiæ, sit differentia specifica talis generis est: omnis differentia specifica ita convenit generi, ut cum genere constituat speciem; et rursus sicut differentia constituit speciem, sic etiam differentia opposita constituit aliam oppositam speciem; si igitur differentia opposita non constituat speciem, nec id, quod ponitur loco differentiæ, constituit speciem, adeoque non est differentia specifica.

3. Præterea peccavit, si negatione divisit genus, ut ii qui lineam definiunt esse longitudinem latitudine carentem. Quod nihil aliud significat quam non habere latitudinem. Accidit igitur ut genus sit particeps speciei, quoniam omnis longitudo vel latitudine caret vel latitudinem habet, quippe cum de omni re aut affirmatio aut negatio vere dicatur. Quare et genus lineæ, quod est longitudo, vel latitudine carebit vel latitudinem habebit. Atqui longitudo carens latitudine speciei est definitio, itemque longitudo habens latitudinem, quia latitudinis expers et latitudinem habens sunt differentiæ, ex differentia vero et genere constat speciei definitio. Quare genus recipiet speciei definitionem. Similiterque differentiæ definitionem, quandoquidem dictarum differentiarum altera necessario attribuitur generi.

4. Est autem dictus locus utilis adversus eos qui ponunt ideas esse. Nam si sit ipsa longitudo, quomodo generi attribuetur latitudine carere aut latitudine vacare? Oportet enim de omni

longitudine alterum eorum vere dici, si futurum est ut de genere vere dicatur. Hoc autem non contingit, cum sint longitudines, quæ latitudine carent et quæ latitudinem habent. Quare adversus eos solos utilis est hic locus, qui genus aiunt unum esse numero. Quod quidem ii tantum faciunt, qui ideas ponunt, quoniam ipsam longitudinem et ipsum animal genus esse inquiunt.

5. Fortasse autem in nonnullis necesse est negatione uti eum qui definit, ut in privationibus. Nam cæcum est, quod non habet visum, quando secundum naturam habere debet. Nihil autem refert, utrum negatione dividatur genus, an hujusmodi affirmatione, cui necesse sit negationem in divisione opponi. Ut si quis longitudinem quæ latitudinem habet, definierit. Nam ei quod latitudinem habet, nihil aliud in divisione opponitur quam id quod latitudinem non habet. Proinde rursus negatione genus dividitur.

3. *Decimus locus* est : in definitione non debet poni differentia, quæ consistat in negatione, ideoque videntur peccare, qui definiunt lineam *longitudinem sine latitudine*, quia eo ipso linea definitur per negationem, tanquam per differentiam. Ratio est, quia sequeretur, quod genus participaret speciem, ita ut de genere prædicaretur tota definitio speciei; sed hoc est inconveniens; ergo, etc. Probatur major; quia de quolibet vel verificatur affirmatio vel negatio; sed *habere latitudinem* et *non habere latitudinem*, sunt affirmatio et negatio; ergo de omni longitudine verificatur, quod vel habet latitudinem vel non habet latitudinem; sed genus lineæ est longitudo; ergo de genere lineæ verificatur, quod vel habet latitudinem vel non habet; sed esse *longitudinem sine latitudine* est definitio ipsius lineæ, quæ est una species talis generis, *esse longitudinem cum latitudine* est definitio alterius speciei ejusdem generis; ergo de genere lineæ verificatur definitio alicujus suæ speciei; ergo genus lineæ participat speciem, quod est absurdum. Confirmatur, quia non solum genus participaret speciem, sed etiam differentiam, qua dividitur. Genus enim lineæ, quod est *longitudo*, vel habet latitudinem vel non habet; sed hæ sunt differentiæ divisivæ talis generis; ergo, etc.

4. Verum ut Aristoteles advertit, hic locus valet solum contra ponentes ideas. Per ipsos enim genus lineæ est *per se longitudo*, adeoque est unum numero; sed de omni uno numero verificatur altera pars contradictionis; ergo de *per se longitudine* verificatur, vel quod habeat latitudinem vel quod non habeat latitudinem, adeoque *per se longitudo* participat aliquam suam speciem. At si non dantur ideæ, genus lineæ non est *per se longitudo* neque est longitudo una numero; ergo ad hoc, ut de longitudine, quæ est genus lineæ, verificetur, quod vel habet latitudinem vel non habet, debet alterutra ex his differentiis verificari de omni longitudine; sed neutra verificatur de omni longitudine; nam aliquæ longitudines habent latitudinem, aliquæ non habent; ergo genus lineæ non participat ullam suam speciem, sed dividitur in suas species. Cum enim aliqua longitudo habeat latitudinem, constituitur in specie superficiei, quæ est *longitudo habens latitudinem*; et cum aliqua longitudo non habeat latitudinem, constituitur in specie lineæ, quæ est *longitudo non habens latitudinem*.

5. Addit Aristoteles duo. Primum est : non solum non est universaliter absurdum, ut definitio sit per negationem tanquam per differentiam, sed id est necessarium in definitionibus, præsertim privationum in concreto, cæcum enim definitur: *animal non habens visum, cum debeat habere*, ideoque negatio visus poni debet ut differentia addita animali, quod ponitur ut genus. Secundum est : non solum genus dividitur per negationem, cum exprimitur differentia negativa, ex. gr., cum dicitur, quod *linea est longitudo non habens latitudinem*, sed etiam cum exprimitur differentia affirmativa, cui non opponitur alia differentia ex opposito dividens genus, quam negativa. Ex. gr., quia huic differentiæ, quæ est, *habere latitudinem*, non opponitur alia differentia, quam *non habentis latitudinem*, ideo cum exprimitur ut differentia longitudinis, hoc quod est, *habere latitudinem*, virtualiter dividitur genus etiam per differentiam negativam *non habentis latitudinem*.

6. Rursus videndum est, an speciem tradiderit quasi differentiam, quemadmodum ii qui convicium definiunt contumeliam cum irrisione. Nam irrisio est contumelia quædam. Quamobrem irrisio non est differentia sed species.

7. Præterea videndum est, an genus quasi differentiam dixerit, ut virtutem esse habitum bonum vel probum, quandoquidem bonum virtutis est genus. An bonum non est genus, sed differentia? Siquidem fieri non potest ut idem sit in duobus generibus, quorum neutrum alterum contineat, quia nec bonum continet habitum nec habitus bonum. Etenim nec omnis habitus est in

bonis, nec omne bonum est habitus; quare non erunt ambo virtutis genera. Si igitur habitus est virtutis genus, patet bonum non esse genus, sed potius differentiam. Præterea habitus significat quid sit virtus, bonum autem non quid sit sed quale; videtur autem differentia quale quid significare. Videre etiam oportet, an data differentia non significet quale quid, sed hoc aliquid. Omnis enim differentia videtur quale quid declarare.

8. Considerare etiam oportet, an differentia per accidens insit rei definitæ. Nulla enim differentia est in eorum numero, quæ per accidens insunt, quemadmodum nec genus, quia fieri nequit ut differentia eidem insit et non insit.

9. Præterea si generi attribuatur differentia vel species vel aliquid speciei subjectum, utique non definivit, quia nihil horum quæ dixi generi attribui potest, quippe cum genus latius quam hæc omnia pateat.

6. *Undecimus locus* est : in definitione non debet poni ut differentia aliquid, quod sit species generis. Ex. gr., qui definiret convicium *injuriam cum irrisione,* peccaret, quia irrisio est species injuriæ; ergo male ponitur tanquam differentia injuriæ.

7. *Duodecimus locus* est : neque etiam in definitione debet poni genus ut differentia. Ex. gr., qui definiret virtutem *habitum bonum,* peccaret, quia bonum est genus virtutis. Potest tamen probabiliter sustineri, quod bonum non sit genus sed differentia virtutis; primo quia non potest idem esse sub duplici genere, quorum neutrum contineatur in altero; sed si bonum esset genus virtutis, virtus contineretur sub duplici genere, habitus nimirum et boni, quorum neutrum continetur in altero, cum neque omnis habitus sit bonus, neque omne bonum sit habitus; ergo bonum non est genus, sed differentia virtutis. Confirmatur, quia genus significat *quid sit res;* sed bonum non significat *quid virtus sit,* sed quale quid sit; ergo bonum non est genus, sed differentia virtutis.

8. *Decimus tertius locus* est: differentia non debet esse accidens rei, sed debet de re dici essentialiter. Accidens enim contingit subjecto inesse vel non inesse; at non contingit differentiam vel genus definito inesse vel non inesse, cum utrumque sit de essentia definiti; qui igitur assignaret ut differentiam aliquid, quod de definito prædicatur accidentaliter, peccaret et posset ex hoc loco redargui.

9. *Decimus quartus locus* est : genus prædicatur de pluribus, quam species ac differentia. Si igitur quis ita rem definiat, ut species definita vel differentia constitutiva speciei prædicetur de genere universaliter, peccat ac vere non definit rem. Ex. gr., qui definiret zoophytum : *animal vivens terræ affixum,* peccaret, quia vivens, quod ponitur loco differentiæ, prædicatur universaliter de animali, quod ponitur loco generis.

10. Rursus si attribuatur genus differentiæ. Non enim differentiæ, sed iis de quibus differentia dicitur, genus attribui videtur, ut animal homini et bovi et aliis pedestribus animalibus, non ipsi differentiæ, quæ de specie dicitur. Nam si singulis differentiis genus attribuetur, certe multa animalia speciei attribuentur, quandoquidem differentiæ speciei attribuuntur. Præterea omnes differentiæ vel erunt species vel individua, siquidem sint animalia ; unumquodque enim animal aut est species aut individuum.

11. Similiter etiam considerandum est, an species, vel aliquid eorum quæ sunt sub specie, differentiæ attribuatur. Hoc enim fieri nequit, quia de pluribus differentia dicitur quam species. Præterea accidet ut differentia sit species, si quæ species de ea dicatur. Nam si differentiæ attribuitur homo, manifestum est differentiam esse hominem.

12. Rursus videndum est, an differentia non sit prior specie. Oportet enim differentiam esse genere posteriorem, specie vero priorem.

10. *Decimus quintus locus* est : genus non potest prædicari de differentiis, ita ut includatur in conceptu et definitione differentiarum. Si igitur quis definiat rem per differentiam, in cujus conceptu ac definitione includatur genus, peccat ac potest ex hoc loco redargui. Genus enim non prædicatur de differentiis, ita ut includatur in conceptu differentiarum, sed prædicatur de speciebus et individuis, de quibus dicitur differentia; ex. gr., animal prædicatur quidem de homine et bove aliisque animalibus gressibilibus, ita ut includatur in eorum conceptu et definitione, sed non prædicatur de gressibili et bipede, quæ sunt differentiæ animalium, ita ut includatur in definitione gressibilis et bipedis. Quod autem genus non debeat prædicari de differentiis modo explicato, probat Aristoteles dupliciter. Primo si genus, puta animal, prædicatur de gressibili et bipede, animal multoties prædicabitur de specie, ex. gr., de homine; dicendo enim, quod *homo est animal gressibile bipes,* si etiam gressibile ac bipes ex suo conceptu sunt animal, dicitur, quod *homo est animal, animal.*

Secundo probat quia omne, de quo dicitur genus, tanquam inclusum in ejus definitione, vel est species vel est individuum talis generis; ex. gr., omne, de quo dicitur animal, vel est species vel est individuum animalis; ergo si animal dicitur de differentia, vel erit species vel individuum generis, quod est absurdum. Non tamen negat Aristoteles posse genus prædicari de differentia denominative, ita ut non includatur in definitione differentiæ; potest enim dici, quod omne rationale est animal, ita ut sensus sit, quod omne id, quod est rationale, est animal.

11. *Decimus sextus locus* est : differentia non debet esse talis, ut de ipsa prædicetur universaliter species vel aliquid inferius specie. Probatur dupliciter : primo, quia differentia de pluribus dicitur quam species; ergo impossibile est, ut species aut aliquid inferius specie prædicetur universaliter de differentia. Secundo probatur, quia differentia erit species, ex. gr., si gressibile, quod est differentia hominis, est homo, differentia hominis est homo, quod est absurdum. Ex hoc igitur loco posset redargui, qui definiret rem per differentiam, de qua prædicetur universaliter species ; eo enim ipso talis differentia non esset differentia, ac talis definitio vere non esset definitio.

12. *Decimus septimus locus* est : differentia sicut debet esse posterior genere, sic debet esse prior specie, adeoque si non est prior specie, vere non est differentia ac proinde definitio vere non est definitio.

13. Considerare etiam oportet, an alterius generis sit ea differentia, quæ dicta fuit, quod neque ab ea contineatur neque eam contineat quia non videtur eadem differentia esse duorum generum, quorum neutrum sub altero contineatur. Alioquin accidet etiam speciem eamdem in duobus generibus esse, quorum neutrum alterum continebit. Nam ex unaquaque differentia concluditur proprium genus, ut ex pedestri et bipede concluditur animal. Quare si de eo dicitur utrumque genus, de quo dicitur differentia, patet speciem esse in duobus generibus, quorum neutrum sub altero continetur. An non impossibile est eamdem differentiam esse duorum generum, quorum neutrum contineatur sub altero, sed adjiciendum est, nec utrumque sub eodem continetur? Nam pedestre animal et alatum animal sunt genera, quorum neutrum sub altero continetur, et eorum utriusque bipes est differentia. Quare adjungendum est, nec utrumque sub eodem continetur ; hæc enim ambo sub animali sunt. Patet etiam non necessario ex omni differentia concludi proprium genus, cum accidat eamdem esse duorum generum, quorum neutrum sub altero continetur; sed alterum tantum genus necessario concludi, et omnia quæ supra illud sunt, quemadmodum ex bipede alatum vel pedestre animal concluditur.

14. Videre etiam oportet, an esse in aliquo, quasi substantiæ differentiam tradiderit, quia non videtur substantia a substantia differre eo quod sit alicubi, idcirco et eos reprehendunt qui, pedestri et aquatili animal dividunt, quasi pedestre et aquatile significent esse alicubi. An in his non recte reprehendunt? Quoniam aquatile et terrenum non significant esse in aliquo nec alicubi, sed quale quid ; nam et si sit in loco sicco, æque erit aquatile ; similiterque si terrenum sit in loco humido, terrenum erit, non aquatile. Verumtamen si quando differentia significet esse in aliquo, manifestum erit eum peccasse, qui definivit.

13. *Decimus octavus locus* est : non potest eadem esse differentia duorum generum, quorum neutrum contineatur in altero. Probatur, quia alioquin species erit in duobus generibus, quorum neutrum contineatur in altero, quod est inconveniens. Probatur sequela, nam differentia semper infert suum genus; valet enim : *si, est gressibile. est animal*; ergo si eadem est differentia duorum generum, quorum neutrum contineatur in altero, etiam species constituta per talem differentiam erit sub duobus generibus, quorum neutrum contineatur in altero. Attamen videtur posse aliqua differentia esse duorum generum, quorum neutrum contineatur in altero, dummodo utrumque genus contineatur sub tertio genere communi; ex. gr., bipes est differentia tum gressibilis, tum volatilis, quia gressibile et volatile continentur sub genere communi animalis, licet neque gressibile contineatur in volatili, neque volatile contineatur in gressibili. Ex eodem vero exemplo patet differentiam non inferre copulative omne genus ipsius, sed solum alterutrum disjunctive; ex. gr., bipes neque infert determinate volatile neque gressibile, sed alterutrum et omnia superiora ipso. Limitandum est igitur illud principium : *non potest eadem differentia esse plurium generum, quorum neutrum contineatur in altero*, addendo, *nisi utrumque contineatur sub genere communi.*

14. *Decimus nonus locus* est : substantia non differt a substantia per hoc, quod sit alicubi vel in aliquo tanquam in loco, ideoque si definitio assignet ut differen-

tiam substantiæ *esse alicubi*, vere non est definitio, cum non exprimat differentiam. Ex hoc loco quidam redarguunt eos, qui dividunt animal per gressibile et aquatile tanquam per differentias, quia gressibile et aquatile videntur significare *esse in loco*. Verum non recte redarguunt. Neque enim gressibile et aquatile significant *esse in loco*, sed *quale quid animalis*. Nam etiamsi aquatile poneretur in terra, adhuc esset aquatile; et etiamsi animal terrestre poneretur in humido et in aqua, adhuc esset terrestre. Si tamen quis ponat ut differentiam animalium ipsum *esse in loco*, peccabit et poterit ex hoc loco redargui.

15. Item videndum est, an affectionem pro differentia tradiderit. Omnis enim affectio major facta essentiam de statu suo dimovet, differentia vero non est ejusmodi; quin potius videtur differentia id servare cujus est differentia. Et simpliciter fieri nequit, ut sine propria differentia. quidque sit. Nisi enim sit pedestre. non erit homo. Et ut simpliciter dicam, secundum quæ variatur id quod habet, eorum nihil differentia illius est. Nam omnia quæ sunt ejusmodi, si majora fiant, essentiam e statu suo dimovent. Quocirca qui talem aliquam differentiam tradidit, peccavit, quoniam omnino non variamur secundum differentias.

16. Peccavit etiam, si cujus ad aliquid relati differentiam tradiderit, quæ ad aliud quidpiam non referatur. Nam eorum quæ ad aliquid referuntur, etiam differentiæ referuntur ad aliquid, quemadmodum et in scientia perspici potest ; dicitur enim contemplativa et activa et effectiva, quorum unumquodque significat ad aliquid : est enim alicujus rei contemplativa et alicujus effectiva et alicujus activa.

17. Considerare etiam oportet, an is qui definit, id tradat ad quod natura refertur unumquodque eorum quæ sunt ad aliquid. Quibusdam enim ad nihil aliud uti licet, quam ad id ad quod singula referuntur natura, ut aspectu uti solum licet ad cernendum; nonnullis vero et ad aliud quiddam uti licet, ut strigili haurire aliquis potest. Si quis tamen strigilem definivit instrumentum ad hauriendum, peccavit, quia non ad hoc est comparata. Ejus autem ad quod nata et comparata res est, definitio hæc est, id ad quod utatur prudens qua est prudens, et propria scientia quæ circa quamque rem versatur.

15. *Vigesimus locus* est : passiones et universim omnia, secundum quæ subjectum alteratur, non possunt esse differentiæ rerum. Probatur dupliciter, primo quia differentia non potest rem dimovere a suo statu naturali, sed potius rem conservat in suo statu naturali; sed passiones, præsertim cum excedunt, dimovent rem a suo statu naturali; ergo, etc. Secundo, quia non potest res esse sine propria differentia; ex. gr., non potest homo esse, quin sit gressibilis; sed potest res esse sine passione; ergo, etc. Ex iisdem rationibus universim omnia, per quæ res alteratur, non possunt esse differentiæ rei, cum dimoveant res a sua naturali constitutione. Si igitur quis assignet ut differentiam rei aliquam passionem vel aliquid, per quod res alteretur, peccat ac potest ex hoc loco redargui.

16. *Vigesimus primus locus* est : differentiæ rerum, quæ dicuntur ad aliud, etiam ipsæ dicuntur ad aliud; ex. gr., quia scientia dicitur ad aliquid, hoc est ad objectum, etiam differentiæ, per quas scientia dividitur in contemplativam, activam, et factivam, dicuntur ad aliquid, hoc est ad contemplabile, agibile et factibile. Si igitur quis definiat id, quod dicitur *ad aliquid*, per differentias, quæ non dicuntur *ad aliquid*, peccat ac potest ex hoc loco redargui.

17. *Vigesimus secundus locus* est : quod est natum factum ad aliquem usum, definiri debet per illum usum, qui vero definit id per alium usum, peccat ac non definit. Jam licet quibusdam possimus uti solum ad id, ad quod sunt nata facta, eo pacto, quo visu possumus uti solum ad videndum, adhuc dantur quædam, quibus uti possumus etiam ad alios usus; ex. gr., strigili, quod erat apud antiquos instrumentum factum ad abstergendas in balneis sordes corporis, possumus etiam uti ad aquam hauriendam. Si ergo quis strigilem definiat per hoc, quod sit *instrumentum ad hauriendam aquam*, peccat ac non definit, cum non explicet ejus essentiam, quæ non est *esse instrumentum ad hauriendam aquam*, *sed esse instrumentum ad sordes abstergendas*. Definitio vero ejus, ad quod aliquid est natum factum, est hæc : *ad illud unumquodque est natum factum, ad quod illo utitur prudens, quatenus prudens, et disciplina propria ejus instrumenti.*

18. Præterea videndum est, an non ad primum accommodaverit, cum ad plura pertineat, ut si quis prudentiam definiat virtutem hominis vel animæ, non rationalis facultatis. Nam prudentia primum est virtus facultatis rationalis ; etenim secundum hanc et anima et homo prudens esse dicitur.

19. Præterea peccavit, nisi susceptivum sit id, cujus res definita dicitur esse affectio vel dispositio vel quidvis aliud. Natura enim comparatum

est, ut omnis dispositio et omnis affectio in eo gignatur, cujus est dispositio vel affectio, quemadmodum et scientia gignitur in anima, cum sit dispositio animæ. Interdum autem in hujusmodi rebus peccant, ut qui dicunt somnum esse imbecillitatem sensus, et dubitationem æqualitatem contrariarum rationum, et dolorem separationem partium natura conjunctarum vi factam. Etenim nec somnus inest sensui; deberet autem inesse, si esset imbecillitas sensus. Similiter nec dubitatio inest contrariis rationibus, nec dolor inest partibus natura conjunctis; dolebunt enim res inanimæ, siquidem dolor eis aderit. Talis est etiam valetudinis definitio, si quidem est symmetria calidorum et frigidorum. Necesse enim est valere res calidas et frigidas, quia singulorum symmetria in iis rebus inest, quorum est symmetria; itaque valetudo iis inerit. Accidit præterea ut qui sic definiunt, reducant id quod sit ad effectivum, vel contra. Non enim separatio partium natura conjunctarum est dolor, sed effectivum doloris. Nec imbecillitas sensus est somnus, sed alterum est effectivum alterius: aut enim propter imbecillitatem somno opprimimur, aut propter somnum sumus imbecilli. Similiterque contrariarum rationum æqualitas videri potest esse effectivum dubitationis. Cum enim in utramque partem ratiocinamur et æque videntur omnia utroque modo fieri, tum dubitamus utrum, agamus.

18. *Vigesimus tertius locus* est: cum aliquid refertur ad plura subjecta, debet definiri in ordine ad primum subjectum; si ergo quis definiat in ordine ad subjectum non primum, peccat ac potest ex hoc loco redargui. Ex. gr., prudentia est virtus primo existens in parte rationali animæ, ac per illam existens etiam in anima et in homine, tanquam in subjectis non primis neque immediatis. Si quis ergo definiat prudentiam, non per hoc, quod sit virtus partis ratiocinativæ, sed per hoc, quod sit virtus hominis vel animæ, peccat ac potest ex hoc loco redargui.

19. *Vigesimus quartus locus* est: passio vel dispositio, et universim quod est alicujus subjecti, in quo sit, debet definiri ut subjecti, quod est susceptivum ipsius; si vero quis definiat illud ut alterius, in quo non recipitur, peccat ac potest ex hoc loco redargui. Contra hoc præceptum peccant, qui somnum definiunt *impotentiam sensus;* definiunt dubitationem *contrariarum rationum æqualitatem;* definiunt dolorem *naturalium partium violentam separationem.* Nam somnus non inest sensibus; si autem esset impotentia sensus, deberet inesse sensui ac recipi in sensu. Dubitatio non inest contrariis rationibus, neque dolor inest naturalibus partibus; nam etiam inanimata habent partes naturales, quæ possunt violenter separari; ergo si dolor est violenta separatio naturalium partium, poterit etiam rebus inanimatis inesse, quod est absurdum. Eodem vitio laborat definitio, qua sanitas definitur *commensuratio calidorum et frigidorum.* Commensuratio enim inest rebus, quarum est commensuratio; ergo si sanitas est commensuratio calidorum et frigidorum, inest calidis et frigidis; sed necesse est ea, quibus sanitas inest, constitui sana per sanitatem; ergo sequeretur, quod calida et frigida constituerentur sana per sanitatem, quod est absurdum. Confirmatur, quia per has definitiones confunditur causa cum effectu, effectivum cum eo, quod efficitur. Explicatur; separatio enim partium naturalium non est dolor, sed est causa doloris; ergo dum dolor definitur *separatio partium naturalium,* dolor confunditur cum causa effectiva doloris. Similiter somnus non est impotentia sensus, sed est causa vel effectus talis impotentiæ; vel enim dormimus propter impotentiam sentiendi, vel somnus causat impotentiam sentiendi; ergo dum somnus definitur *impotentia sentiendi,* confunditur causa cum effectu. Rursus causa dubitandi est contrariarum rationum æqualitas; cum enim ratiocinantibus nobis videntur eadem sequi, sive agamus sive non agamus, dubitamus, an agamus; ergo cum dubitatio definitur *contrariarum rationum æqualitas,* causa confunditur cum effectu.

20. Præterea secundum omnia tempora inspiciendum est, an alicubi discrepet, ut si quis immortale definierit quod nunc est interitus expers. Animal enim, quod nunc est interitus expers, nunc immortale erit. An in hoc non accidit? Quoniam illud, nunc interitus expers esse, ambiguum est. Aut enim non interiisse nunc significat, aut non posse interire nunc, aut nunc esse ejusmodi ut nunquam intereat. Cum igitur dicimus interitus expers nunc esse animal, non hoc dicimus, nunc tale esse animal, sed quod nunquam intereat; quod idem est atque immortale. Quare, non accidit ut nunc immortale sit. Attamen sicubi accidat ut id quod in definitione traditum est nunc insit vel prius, id vero quod nomine declaratur non insit, certe non idem erit. Utendum igitur est hoc loco, quemadmodum dictum est.

21. [7] Considerandum etiam est an definitum alia oratione magis explicetur, quam ea quæ tradita fuit, ut si justitia definiatur facultas æqui distributiva. Justus enim potius est is, qui consulto vult æquum distribuere, quam qui potest.

Quare justitia non est facultas æqui distributiva ; nam et justus is maxime esset qui potest æquum distribuere.

22. Præterea videndum est an res suscipiat intentionem, id vero quod in definitione traditum est, non suscipiat; vel contra quod in definitione traditum est recipiat, res autem non item. Oportet enim vel ambo recipere vel neutrum, siquidem idem est quod in oratione traditur, atque res definita.

20. *Vigesimus quintus locus* est : definitio et definitum debent omnino convenire in tempore; si ergo non conveniant, mala erit definitio. Ex hoc loco potest rejici definitio, qua immortale definitur : *quod nunc est incorruptibile;* immortale enim nunquam potest non esse, incorruptibile vero limitatur ad *nunc;* ergo cum ad aliquod tempus limitetur definitio, ad quod non limitatur definitum, mala est definitio. Addit tamen Aristoteles posse allatam definitionem defendi. Ly enim *incorruptibile nunc* est ambiguum ac potest in triplici sensu explicari : primo *incorruptibile nunc* potest dici, quod hactenus non est corruptum; secundo *incorruptibile nunc est,* quod nunc non potest corrumpi; tertio *incorruptibile nunc est,* quod nunc est tale, ut nunquam possit corrumpi; sed cum dicimus, quod *immortale nunc est incorruptibile,* intelligimus nunc esse tale, ut nunquam possit corrumpi; ergo potest defendi allata definitio immortalis. Si vero aliquis concedat definitionem ac definitum discrepare in tempore, tum ex hoc loco poterit ostendi allatam orationem vere non esse definitionem.

21. *Vigesimus sextus locus* est : definitum non potest esse magis aliquid aliud, quam id, quod dicitur esse per definitionem; si ergo magis sit aliquid aliud, quæ assignatur, vere non est definitio. Ex hoc loco potest rejici definitio, qua justitia distributiva definitur *potestas distributiva æqui;* justus enim magis est, qui eligit æquum distribuere, quam qui potest; alioquin qui posset maxime æquum distribuere, maxime esset justus; ergo justitia magis est virtus eligens æquum distribuere, quam potestas æqui distributiva; ergo oratio, qua justitia dicitur : *potestas distributiva æqui,* non est definitio justitiæ.

22. *Vigesimus septimus locus* est : si definitum suscipit magis et minus, etiam definitio debet suscipere magis et minus, et e converso; si ergo alterum suscipit, alterum non suscipit, quæ assignatur, vere non est definitio. Ex hoc loco posset rejici definitio, qua cygnus definitur *animal volatile album ;* nam *album* suscipit magis et minus, *cygnus* non suscipit magis et minus.

23. Præterea an recipiant quidem ambo intentionem, sed non ambo simul accessionem recipiant, ut si amor sit cupiditas concubitus. Nam qui magis amat, non magis cupidus est concubitus. Quare non simul ambo intentionem recipiunt. Atqui opus esset, si idem essent.

24. Præterea an duobus propositis, de quo res magis dicitur, de eo minus dicatur id quod est in definitione, ut si ignis sit corpus tenuissimis partibus constans. Nam flamma est magis ignis quam lux; minus vero flamma est corpus tenuissimis partibus constans quam lux. Deberent autem ambo eidem magis inesse, si idem essent.

25. Rursus an alterum æque ambobus propositis conveniat, alterum vero non æque ambobus, sed alteri magis, alteri minus.

26. Præterea an ad duo definitionem accommodaverit secundum utrumque, ut si pulchrum definivit id quod visu vel auditu jucundum est, et ens id quod potest pati vel facere. Idem enim simul pulchrum et non pulchrum erit, similiterque ens et non ens. Nam auditu jucundum idem erit quod pulchrum. Quare quod non est auditu jucundum, idem erit quod non pulchrum. Nam et quæ iisdem opponuntur, eadem sunt; opponitur autem pulchro non pulchrum, et ei quod auditu jucundum est, id quod non est jucundum auditu. Patet igitur idem esse id quod non est jucundum auditu et quod non est pulchrum. Si quid igitur sit aspectu jucundum, non auditu, id et pulchrum et non pulchrum erit. Similiter autem probabimus idem esse ens et non ens.

27. Præterea generum et differentiarum et cæterorum omnium,quæ in definitionibus traduntur, definitiones loco nominum conficiantur, et videatur an aliquid eorum discrepet.

23. *Vigesimus octavus locus* est : si definitio et definitnm suscipiunt magis et minus, simul debent intendi, si vero non simul intenduntur, quæ affertur, non est definitio. Ex hoc loco potest rejici definitio, qua amor definitur : *concupiscentia concubitus;* sequeretur enim, quod magis amans magis concupisceret concubitum, quod est falsum.

24. *Vigesimus nonus locus* est : necesse est, ut de omnibus, de quibus magis dicitur definitum, magis dicatur definitio, et e converso, si vero hoc non accidat, quæ affertur, non est definitio. Ex hoc loco potest rejici definitio, qua ignis definitur : *corpus subtilissimum.* Si enim hæc esset definitio ignis, de eo, de quo magis

dicitur ignis, magis deberet dici *corpus subtilissimum;* sed contrarium accidit; nam ignis magis dicitur de flamma quam de luce, corpus subtilissimum magis dicitur de luce quam de flamma; ergo, etc. Debet autem adverti, quod hæc et alia quædam exempla afferuntur ab Aristotele, non ut vera, sed ex famosis opinionibus antiquorum.

25. *Trigesimus locus* est : necesse est, ut omnibus, quibus similiter inest definitum, similiter insit definitio. Si igitur aliquibus definitum insit similiter, definitio iisdem non insit similiter, sed alteri magis, alteri minus, quæ affertur, vere non est definitio. Ex hoc loco posset rejici definitio, qua ignis definiretur : *corpus combustivum.* Carbo enim et flamma sunt æque ignis; sed carbo et flamma non æque sunt combustiva; ergo non est idem *esse ignem,* ac *esse combustivum;* ergo definitio ignis non est, ut sit *corpus combustivum.*

26. *Trigesimus primus locus* est : definitio rei non debet assignari per disjunctionem duorum; ex. gr., bonum non debet definiri, *quod est delectabile per visum vel auditum;* ens non debet definiri, *quod potest agere vel pati.* Probatur; nam si tales definitiones essent bonæ, sequeretur,quod idem esset bonum et non bonum, ens et non ens; consequens est absurdum; ergo, etc. Probatur sequela; si enim bonum est id, quod est delectabile per visum vel auditum; ergo quod est delectabile per visum, est bonum, immo hoc ipsum. quod est, *esse delectabile per visum,* est *esse bonum;* et similiter, quod est delectabile per auditum est bonum, immo hoc ipsum, quod est, *esse delectabile per auditum,* est *esse bonum;* ergo quod non est delectabile per visum, non est bonum. Si enim definitio hominis est *animal rationale,* quod non est animal rationale, non est homo; ergo pariter si definitio boni est *delectabile per visum,* quod non est delectabile per visum, non est bonum; sed potest, quod est delectabile per auditum, adeoque est bonum, non esse delectabile per visum, ex quo sequitur, quod non sit bonum; ergo potest idem esse bonum et non esse bonum, et ex eadem ratione potest idem esse ens et non esse ens; ergo definitio rei non debet assignari per disjunctionem duorum, modo explicato.

27. *Trigesimus secundus locus* est : cum definitio est per genus et differentiam, sicut de re prædicatur genus et differentia, sic debent prædicari definitiones generis ac differentiæ. Ex. gr., sicut de homine dicitur, quod sit animal et quod sit rationalis, sic debet dici, quod sit vivens sensitivum, quæ est definitio animalis, et quod possit discurrere, quæ est definitio rationalis. Si igitur definitiones eorum, quæ ponuntur in oratione, non dicantur proportionaliter de definito, oratio posita non erit definitio.

28. [8] Si vero id quod definitur ad aliquid referatur vel per se vel ratione generis, considerare oportet, an non sit in definitione expressum id ad quod refertur vel per se vel ratione generis, ut si quis scientiam definierit existimationem immutabilem, aut voluntatem appetitionem dolore vacuam. Omnis enim rei,quæ ad aliquid refertur, essentia consistit in relatione ad alterum, quandoquidem unicuique eorum, quæ ad aliquid referuntur, idem est essentia, et ad aliquid quodammodo affectum esse. Oportebat igitur dicere, scientiam esse existimationem rei scibilis, et voluntatem appetitionem boni. Similis ratio est, si Grammaticam definierit scientiam litterarum; oportebat enim in definitione id tradere, ad quod ipsa res definita vel ad quod genus refertur. Videndum est etiam, an alicujus ad quipdiam relati definitio non per relationem ad finem tradatur. Finis autem in quaque re est id quod est optimum, vel id cujus gratia reliqua sunt. Dicendum igitur est, vel quod est optimum vel quod est postremum, veluti cupiditatem esse non jucundi sed voluptatis ; hujus enim gratia etiam jucundum eligimus.

30. Considerare etiam oportet, an id ad quod aptavit sit generatio vel actus, quia nihil eorum est finis. Etenim potius egisse et genitum esse finis est quam gigni et agere. An non in omnibus hoc verum est? Fere enim plurimi malunt voluptate affici quam affici desiisse; quare constituent agere potius esse finem quam egisse.

28. *Trigesimus tertius locus* pro definitione relativorum est : in definitione illorum, quæ sunt ad aliquid, vel secundum se vel secundum genus, debet poni id, ad quod dicuntur, vel secundum se vel secundum genus. Ratio est, quia essentia eorum, quæ sunt ad aliquid, consistit in hoc, ut sint ad illud; ergo ut per definitionem explicetur eorum essentia, debet explicari illud, ad quod dicuntur. Ex hoc loco possent rejici definitiones, quibus quis scientiam definiret *existimationem immobilem,* vel definiret voluntatem *appetitum sine tristitia.* Cum enim scientia sit scibilis scientia, debebat addi scibile, dicendo, quod scientia est *existimatio immobilis objecti scibilis;* et cum

voluntas sit boni voluntas, debebat addi, quod voluntas est *appetitus boni sine tristitia.* Ex eodem loco potest rejici definitio, qua Grammatica definitur *scientia litterarum.* Grammatica enim secundum genus scientiæ refertur ad scibile, secundum se vero refertur non ad litteras, sed ad legendum et scribendum; ergo debebat potius dici, quod Grammatica est *scientia legendi vel scribendi*, vel quod est *scientia scibilium circa legendum et scribendum.*

29. *Trigesimus quartus locus* est : in definitione eorum, quæ sunt ad aliquid, exprimi debet finis. Est enim finis optimum, vel id cujus gratia cætera fiunt; si ergo non exprimatur finis sed medium, oratio allata non est definitio. Ex hoc loco potest redargui definitio, qua concupiscentia dicitur *appetitus delectabilis.* Concupiscentia enim delectationem appetit ut finem, delectabile vero appetit ut medium effectivum delectationis; ergo debet definiri per delectationem et non per delectabile.

30. *Trigesimus quintus locus* est : res non debet definiri per generationem vel actionem. Ratio est, quia res debet definiri per finem; sed generatio et actio non solent esse finis rei; ergo res non bene definitur per generationem et actionem. Addit Aristoteles, quod non est universim verum, quod generatio et actio non sint finis. In multis enim videntur esse finis, eo pacto, quo *delectari* videtur magis finis, quam *delectatum esse.* Solutio est, quod in actionibus, quæ relinquunt opus post se, ipsæ actiones non sunt finis sed opus; in actionibus vero, quæ nullum relinquunt opus post se, ipsæ sunt finis, ut Aristoteles docet primo Ethic. cap. I.

31. Item in quibusdam videndum est, an non definierit quanti vel qualis, vel ubi sit, vel secundum alias differentias, ut ambitiosus qualis et quanti honoris appetens sit. Omnes enim honorem appetunt; quare non satis est ambitiosum dicere eum qui honoris est appetens, sed adjiciendæ sunt dictæ differentiæ. Similiter si avarus definiatur, dicendum est quot pecuniarum appetens sit; aut incontinens circa quas voluptates versetur. Non enim quia qualicumque voluptate superatur, incontinens dicitur, sed qui a certa quadam. Idem dicendum est de iis definitionibus quibus noctem definiunt umbram terræ, vel terræ motum motionem terræ, vel nubem densationem aeris, vel ventum motionem aeris. Addendum enim est quanti et qualis et ubi et a quo. Similis est ratio cæterorum quæ sunt ejusmodi. Nam qui differentiam quamvis prætermittit, non dicit quidditatem. Oportet autem semper adversus id quod deest dirigere argumenta; non enim quandocumque terra mota sit nec quantavis mota sit, terræ motus erit; similiter nec quomodocumque nec quantuscumque aer motus sit, ventus erit.

32. Item in appetitionibus definiendis peccatur, si adjectum non sit id quod videtur; nec non in omnibus aliis quibus hoc convenit, ut si voluntas definiatur appetitio boni, cupiditas vero appetitio jucundi, non autem ejus quod videtur bonum vel jucundum. Sæpe enim qui appetunt, ignorant bonum aut jucundum esse; quare non necesse est ut bonum vel jucundum sit, sed ut videatur duntaxat. Sic igitur oportet etiam expositionem facere. Quod si id quoque quod dixi tradiderit, ad ideas ducendus est, qui ponit ideas esse, quoniam idea nullius rei est, quæ videtur, species vero ad speciem videtur referri, ut ipsa cupiditas est ipsius jucundi, et ipsa voluntas ipsius boni. Ejus autem quod videtur bonum, non erit ipsa voluntas; nec ejus quod videtur jucundum, ipsa cupiditas. Absurdum est enim esse ipsum apparens bonum vel jucundum.

31. *Trigesimum sextus locus* est : definitio quorumdam, quæ dicuntur ad aliquid, debet etiam determinare, *quantum* aut *quale* sit illud aliud, adeoque si tales differentiæ omittantur, oratio allata non est definitio. Ex. gr., ambitiosus non sufficienter definitur dicendo, quod est *appetens honoris*, nam etiam non ambitiosi appetunt honorem, sed debent addi differentiæ, per quas constituitur ambitiosus. Est enim ambitiosus, *qui appetit honorem majorem, quam sibi conveniat, et talem, qualis sibi non convenit et ubi sibi non convenit.* Similiter non bene definitur avarus, dicendo, quod est, *qui appetit pecunias*, sed debet explicari quantas appetat, etc.; nec bene definitur intemperans, qui *appetit voluptates*, nisi dicatur quales appetat; nec bene definitur nox dicendo, quod est *umbra terræ;* debet enim explicari, qualis umbra terræ sit nox. Ex eadem ratione non bene definitur terræmotus *concussio terræ*, nubes *densitudo aeris*, ventus *motus aeris*, nisi addatur, quantum, quale, ubi et a quo. Ex his igitur locis possumus contra tales definitiones argumentari, dicendo, quod non quilibet motus aeris est ventus; ergo ventus non bene definitur motus aeris, etc.

32. *Trigesimus septimus locus* est : cum definitur appetitus et ejus species, debet addi particula *apparens*, ideoque si hæc particula omittatur, oratio allata non est definitio. Ex hoc loco possunt rejici definitiones, quibus voluntas definitur *appe-*

titus boni, concupiscentia *appetitus delectationis*. Sæpe enim quod volumus, vere non est bonum, sed apparet bonum, et quod concupiscimus, non est delectabile, sed nobis apparet delectabile; ergo in his definitionibus debuit addi particula *apparens*, ac debuit dici, quod voluntas est *appetitus boni apparentis*, concupiscentia est *appetitus delectationis apparentis*. Si vero quis ponat talem particulam, adhuc possumus arguere juxta principia eorum, qui ponunt ideas. Nam per se voluntas non est appetitus boni apparentis, sed est appetitus per se boni; per se concupiscentia non est appetitus delectationis apparentis, sed est appetitus per se delectationis; ergo male in definitione ponitur particula *apparens*. Si vero dicatur, quod *per se voluntas* est appetitus per se apparentis boni, contra est, quia est absurdum, dari *per se apparens bonum, per se apparens delectatibile*, sed solum datur *per se verum bonum, per se verum delectabile*.

33. [9] Præterea si habitus definitio proposita sit, spectandum est in eo quod habet; sin autem ejus quod habet, in habitu. Similis est ratio cæterorum quæ sunt ejusmodi, ut si jucundum est id quod utile, etiam qui voluptate afficitur, utilitate afficitur. Et ut universaliter dicam, in hujusmodi definitionibus quodammodo accidit ut qui definit, plura quam unum definiat. Nam qui scientiam definit, quodammodo etiam ignorantiam definit, similiterque sciens et ignorans, necnon scire et ignorare. Cum enim primum manifestum fit, quodammodo etiam reliqua manifesta fiunt. In iis igitur omnibus, ne quid discrepet, videndum est ex iis elementis, quæ sunt ex contrariis et conjugatis.

34. Præterea in iis quæ ad aliquid referuntur, considerare oportet, an ad quod accommodatum est genus, ad illud aliquid accommodetur etiam species. Veluti si existimatio refertur ad existimabile, etiam quædam existimatio refertur ad quoddam existimabile; et si multiplum ad submultiplum, etiam quoddam multiplum ad quoddam submultiplum. Nisi enim ita accommodetur, patet esse peccatum.

35. Videre etiam oportet, an oppositi sit opposita definitio, veluti an dimidii definitio sit opposita definitioni dupli. Si enim duplum est quod æquali superat, dimidium est quod æquali superatur.

36. Eadem est ratio contrariorum. Nam contrarii contraria definitio erit secundum unam quandam contrariorum connexionem. Veluti si utile est quod est effectivum boni, damnosum est quod est effectivum mali, vel quod est corruptivum boni. Necesse est enim horum alterum esse contrarium ei quod ab initio dictum fuit. Si igitur neutrum sit contrarium ei quod ab initio dictum fuit, patet neutram ex definitionibus posterius traditis esse contrarii definitionem. Quocirca ne ea quidem quæ initio data est, recte tradita fuit.

33. *Trigesimus octavus locus* est : definitio habitus debet examinari ex definitione habentis, ac definitio habentis ex definitione habitus, idemque dic de aliis conjugatis; debent enim proportionales esse definitiones conjugatorum. Qui ergo definit unum ex conjugatis vel oppositis, definit virtualiter plura; ex. gr., qui definit scientiam, definit ignorantiam oppositam scientiæ; qui definit scientem, definit virtualiter ignorantem ; qui definit *scire*, definit quodammodo *ignorare*; primo enim manifestato, reliqua etiam virtualiter manifestantur. Examinandum igitur ex traditis locis est, utrum quidquam dissonet. Si enim dissonat, possumus definitionem traditam evertere, ac probare illam non esse definitionem.

34. *Trigesimus nonus locus* est: si genus refertur ad aliquid, species refertur ad aliquid sub illo. Ex. gr., quia opinio est opinabilis opinio, quædam opinio est cujusdam opinabilis opinio; quia multiplex est submultiplicis multiplex, quoddam multiplex est cujusdam submultiplicis multiplex. Si vero definitiones specierum ita assignentur, ut in definitione generis explicetur genus, ad quod refertur, at in definitionibus specierum non explicetur aliquid sub genere, ad quod species referantur, malæ sunt tales definitiones.

35. *Quadragesimus locus* est : oppositorum opposita debet esse definitio. Ex. gr., quia dimidium opponitur duplici, definitio dimidii debet esse opposita definitioni duplicis, ideoque cum duplex definiatur *id, quod in æquali superat dimidium*, dimidium definiri debet, *id, quod in æquali superatur a duplici*. Si igitur assignatur definitio oppositi, quæ non sit opposita definitioni alterius oppositi, peccatur, ac potest ex hoc loco rejici definitio allata.

36. *Quadragesimus primus locus* est : sicut definitiones oppositorum relative sunt oppositæ relative, sic definitiones contrariorum sunt contrariæ secundum aliquam complexionem contrariorum, quæ complexiones assignatæ sunt lib. II, cap. III, n. 1. Ex. gr., quia utile et nocivum sunt contraria; utile vero definitur, quod est *effectivum boni*, huic autem orationi, quæ est *esse effectivum boni*, contra-

ria est duplex oratio, nimirum tum ea, quæ dicit *effectivum mali,* tum ea, quæ dicit *corruptivum boni,* sequitur, quod definitio nocivi sit altera ex his duabus orationibus, adeoque quod nocivum sit, vel quod est effectivum mali, vel quod est corruptivum boni; si vero neutra ex his definitionibus nocivi sit contraria utili, neutra erit definitio nocivi, ac proinde nec oratio his contraria, qua utile definiebatur *effectivum boni,* est definitio utilis. Si enim hæc esset definitio utilis, aliqua ex contrariis esset definitio nocivi; ergo si nulla ex contrariis est definitio nocivi, nec ipsa est definitio utilis.

37. Quoniam autem nonnulla contraria sunt quæ privatione alterius dicuntur, ut inæqualitas videtur esse privatio æqualitatis (etenim quæ non sunt æqualia, dicuntur inæqualia), manifestum est, id quod secundum privationem dicitur contrarium, necessario definiri per alterum; reliquum vero non item definiri debere per id quod secundum privationem dicitur, quoniam accideret ut utrumque ex utroque notum fieret. Notandum igitur in contrariis est hujusmodi peccatum, ut si quis definierit æqualitatem esse quod est contrarium inæqualitati; sic enim æqualitas definitur per id quod secundum privationem dicitur. Præterea necesse est ut qui sic definit, ipso definito utatur in definitione; quod manifestum fiet, si pro nomine accipiatur definitio. Cum enim nihil intersit utrum inæqualitas dicatur, an privatio æqualitatis, æqualitas erit quod est contrarium privationi æqualitatis. Quare ipso definito usus est.

38. Quod si neutrum contrariorum secundum privationem dicatur, similiter autem definitio tradita fuerit, veluti bonum esse quod est contrarium malo, profecto malum erit quod est contrarium bono. Nam eorum quæ ita sunt contraria, similiter definitio tradi debet. Itaque rursus accidit ut ipso definito utatur. Inest enim in mali definitione bonum. Quare si bonum est quod est malo contrarium, malum autem dicatur, an quod est bono contrarium, nihil interest, certe bonum erit quod est boni contrario contrarium. Patet igitur, eum qui definivit, ipso definito usum esse.

37. *Quadragesimus secundus locus* est : ex contrariis, quæ opponuntur ut privatio et habitus, quod dicitur ut privatio, debet definiri per illud, quod dicitur ut habitus, non autem e converso. Ex. gr., quia æqualitas et inæqualitas opponuntur ut habitus et privatio, inæqualitas quidem debet definiri *privatio æqualitatis,* at æqualitas non debet definiri per inæqualitatem. Ratio est, quia licet privatio cognoscatur per habitum, non tamen habitus cognoscitur per privationem; ergo, etc. Confirmatur, quia si habitus definiretur per privationem, in definitione habitus poneretur ipse habitus. Patet; nam loco nominis potest poni definitio; ergo cum dicitur, quod æqualitas est, quæ est *contraria inæqualitati,* loco *inæqualitatis* potest poni definitio inæqualitatis, quæ est *privatio æqualitatis;* ergo æqualitas definitur, quæ est *contraria privationi æqualitatis,* ac proinde in definitione æqualitatis ponitur ipsa æqualitas.

38. *Quadragesimus tertius locus* est : ex contrariis, quæ non opponuntur ut habitus et privatio, cujusmodi sunt ex. gr., *bonum* et *malum,* neutrum debet definiri per alterum. Probatur; si enim bonum definitur : *quod est contrarium malo,* cum contraria debeant similiter definiri, malum definietur : *quod est contrarium bono;* sed loco mali potest poni definitio mali, quæ est idem cum malo; ergo idem est dicere, quod bonum est *id, quod est contrarium malo,* ac dicere, quod *bonum est id, quod est contrarium contrario boni;* ergo bonum definitur per se ipsum.

39. Præterea videndum est, an id explicans quod secundum privationem dicitur, non exposuerit id cujus est privatio, veluti habitusne an contrarii an cujusvis privatio sit; et an non adjunxerit id in quo ut gignatur simpliciter, vel in quo primo ut gignatur, natura comparatum est. Ut si quis, cum dixerit ignorantiam esse privationem, non dixerit esse privationem scientiæ, aut non adjunxerit id in quo ut gignatur natura comparatum est; aut cum id adjunxerit, non exposuerit id in quo primo, utputa non dixerit in facultate animæ rationali, sed in homine vel in anima. Nam si quidvis horum non fecerit, peccabit. Similiterque si cæcitatem non dixerit esse aspectus privationem in oculo. Debet enim is qui recte explicat quod privatio sit, etiam cujus sit privatio declarare, et quid sit id quod privatum est.

40. Videre etiam oportet, an privatione definierit id quod non dicitur secundum privationem; quod quidem vitium et in ignorantiæ definitione inesse videbitur iis, qui non ponunt ignorantiam secundum negationem. Quod enim non habet scientiam, non videtur ignorare, sed potius quod decipitur. Idcirco nec res inanimas nec infantes ignorare dicimus. Quapropter ignorantia non dicitur secundum privationem scientiæ.

41. [10] Præterea videndum est, an similibus nominis casibus similes orationis casus conveniant. Veluti si utile est quod, est accommodatum ad sanitatem efficiendam, utiliter est accommodate ad sanitatem efficiendam, et utilitatem attulit quod effecit sanitatem.

42. Considerare etiam oportet, an ideæ con-

veniat definitio, quæ dicta est, quoniam in nonnullis hoc non accidit. Veluti si quis ita definiat ut Plato definit, qui verbum mortale adjicit in animalium definitionibus. Etenim idea non est mortalis, ut ipse homo. Quare non aptabitur definitio ad ideam. Simpliciter autem, quibus adjungitur effectivum aut patibile, necesse est eorum definitionem non convenire ideæ, quoniam ideæ impatibiles et immobiles esse videntur iis qui dicunt ideas esse. Et contra hos valent.

43. Præterea in iis quæ secundum homonymiam dicuntur, videndum est, an unam communem omnium definitionem tradiderit. Nam ea quorum una est ad commune nomen accommodata definitio, synonyma sunt. Quare tradita definitio nullius eorum propria est, quæ sub nomine continentur, quippe cum æque ad omnia significata verbum homonymum aptetur. Hoc vitio laborat etiam vitæ definitio a Dionysio tradita, siquidem est motus generis quod alitur, natura insitus, consequens, quoniam hoc non magis animalibus quam plantis inest: vita autem non secundum unam speciem dici videtur, sed alia animalibus alia plantis inest. Accidit igitur etiam ut consulto sic tradatur definitio, quasi omnis vita sit synonyma et dicatur secundum unam speciem. Sed nihil etiam vetat, quominus aliquis perspiciens homonymiam, ac volens alterius definitionem tradere, non animadvertat se non propriam, sed amborum communem definitionem tradere. Sed nihilominus, si quis utrovis modo fecit, peccavit.

44. Quia vero quædam homonyma latent, is quidem qui interrogat, quasi synonymis uti debet, quoniam alterius significati definitio alteri non conveniet: proinde eo modo videbitur non definivisse, quandoquidem opus est ut synonymum omnibus conveniat. At is qui respondet, distinguere debet.

39. *Quadragesimus quartus locus* est : cum definitur privatio, debet exprimi id, cujus est privatio, hoc est vel habitus vel contrarium, et præterea debet exprimi subjectum, in quo primo est privatio, ita ut primo aptum sit recipere habitum; si vero aliquid ex his non explicetur, peccatur. Ex. gr., qui definiens ignorantiam dicit quidem illam esse privationem, sed non explicat, cujus sit privatio, peccat. Rursus si dixerit ignorantiam esse privationem scientiæ, sed non addiderit, in quo subjecto scientia apta sit inesse, adhuc peccat. Si etiam dixerit ignorantiam esse privationem scientiæ in homine vel anima, sed non explicaverit, quod est privatio scientiæ in parte ratiocinativa animæ, quæ est primum subjectum scientiæ, adhuc peccavit, quia non expressit subjectum, in quo primo scientia apta est inesse. Similiter qui definiens cæcitatem dicit quidem illam esse privationem visus, sed non exprimit, quod est *privatio visus in oculo*, peccavit ex eadem ratione.

40. *Quadragesimus quintus locus* est : id, quod non consistit in privatione, non debet definiri ut privatio. Contra hanc regulam videntur peccare, qui dicunt, ignorantiam esse *negationem scientiæ*. Non enim videntur ignorare, qui non habent scientiam, sed qui decipiuntur et errant, ideoque inanimata et pueri non dicuntur ignorare, quia non fuerunt decepti.

41. *Quadragesimus sextus locus* est : iis, quæ differunt solo casu, aptandæ sunt definitiones solo casu differentes; ex. gr., si adjuvativum est effectivum sanitatis, adjuvans est efficiens sanitatem, etc. Si igitur differentibus secundum solum casum non aptantur proportionales definitiones differentes secundum solum casum, mala est allata definitio.

42. *Quadragesimus septimus locus* est : definitiones secundum Platonicos debent maxime convenire ideis, quæ sunt inventæ, ut essent præcipua objecta definitionum et scientiarum. Si ergo non conveniunt ideis, oratio, quæ affertur ut definitio, vere non est definitio. Ex hoc loco ad hominem possunt everti definitiones, quibus Plato definiens animalia addit particulam *mortale*. Ideæ enim non sunt mortales; ergo tales definitiones non conveniunt ideis animalium, ex. gr., *per se homini, per se equo*, etc. Universim vero definitiones, in quibus additur *effectivum et passivum*, non possunt convenire ideis, quæ juxta Platonicos sunt immobiles et impassibiles.

43. *Quadragesimus octavus locus* est : quæ dicuntur æquivoce, definiri non debent una definitione, quæ omnibus conveniat. Ratio est, quia ea, quorum una est secundum nomen definitio, sunt univoca; ergo non sunt æquivoca ; ergo cum definitio convenit omnibus, de quibus nomen dicitur æquivoce, nullum eorum definitur, cum non possit ullum eorum definiri, nisi propria definitione, quæ non conveniat cæteris. Contra hoc præceptum videtur peccasse Dionysius Academicus, qui vitam definivit : *motum, qui naturaliter inservit et accommodatur generi eorum, quæ nutriuntur*. Hæc enim definitio æque convenit animalibus ac plantis, et tamen vita dicitur solum æquivoce de animali-

bus ac plantis, ita ut alia sit vita plantarum, alia animalium. Porro dupliciter potest accidere,ut peccet quis, assignando æquivocis unam definitionem communem omnibus; primo existimans illa convenire univoce, adeoque ex electione conficiendo definitionem omnibus communem, eo pacto, quo Dionysius videtur existimasse, vitam dici univoce de animalibus ac plantis, ideoque ex electione assignavit definitionem vitæ, communem animalibus ac plantis. Secundo potest quis advertens, nomen æquivoce dici de pluribus, conari, ut assignet definitionem propriam unius, sed errare, imprudenter assignando definitionem communem omnibus. Verum utrolibet modo assignat quis definitionem omnibus æquivocatis, peccat.

44. Jam quia sæpe non apparet, an nomen, de quo disputatur, sit æquivocum vel univocum, tradit Aristoteles quatuor præcepta seu documenta pro argumentantibus et respondentibus, cum occurrit aliquod nomen, cujus lateat æquivocatio. *Primum præceptum* est : interrogans debet uti tali nomine ut univoco, non explicando, quod multipliciter dicatur; respondens vero debet explicare, quot modis dicatur. Ratio est, quia si interrogans utatur eo nomine ut univoco, poterit redarguere definitionem allatam a respondente, ostendens illam non omnibus convenire; respondens vero explicans significationes nominis, poterit solvere argumentum.

45. Quoniam autem nonnulli eorum qui respondent, quod synonymum est, aiunt esse homonymum, quando non omnibus convenit tradita definitio; quod vero est homonymum, aiunt esse synonymum, si utrisque significatis conveniat; idcirco prius ex confesso constituendum est de his, aut prosyllogismis probandum esse homonymum vel synonymum vel utrumlibet. Facilius enim concedunt, qui non prospiciunt quid eventurum sit.

46 Quod si inter disputantes non convenerit, ac dicat aliquis id quod est synonymum esse homonymum, propterea quod non convenit huic quoque definitio quæ data est, considerare oportet, an hujus definitio conveniat etiam reliquis. Patet enim synonymum id cum reliquis fore. Alioqui plures erunt reliquorum significatorum definitiones. Nam duæ sunt ad nomen accommodatæ definitiones, quæ ipsis conveniunt, nempe prior quæ data est et posterior.

47. Rursus si quis, cum aliquid eorum definierit, quæ multis modis dicuntur, cumque definitio non omnibus significatis conveniat, homonymum quidem esse non dicat, sed neget nomen omnibus convenire, quia nec definitio convenit, adversus hunc dici debet appellatione ea utendum esse, quæ tradita est et recepta, nec moveri debere quæ sunt ejusmodi. Quædam tamen non ita dicenda sunt, ut multi dicunt.

45. *Secundum præceptum* est : quia cum respondens assignavit talem definitionem nominis, quæ non convenit omnibus, de quibus dicitur nomen, etiamsi nomen sit univocum, dicit illud esse æquivocum; et e converso, cum definitio allata convenit omnibus, de quibus dicitur nomen, etiamsi nomen sit æquivocum, dicit illud esse univocum; — ideo antequam interrogans quærat definitionem, debet curare, ut respondens concedat nomen esse univocum vel æquivocum, vel debet id probare aliquo syllogismo, deinde vero debet definitionem nominis postulare et impugnare. Ratio est, quia facilius aliquid conceditur, cum non prævidetur redargutio, quam cum prævidetur.

46. *Tertium præceptum* est : si arguens non habuerit præconcessionem, quod nomen est univocum, respondens vero dicat nomen esse æquivocum, eo quod definitio assignata non convenit omnibus, redargui debet, assignando definitionem talis nominis communem etiam reliquis. Nam cum hæc definitio conveniat omnibus, de quibus dicitur nomen, sequitur, quod tale nomen sit univocum, cum dicatur de omnibus secundum unam definitionem. Si autem adhuc respondens dicat nomen non esse univocum, sequitur aliud inconveniens, quod nimirum reliqua sint definibilia duplici definitione, prima nimirum allata a respondente, quæ convenit solum aliquibus, et posteriore allata ab arguente, quæ convenit omnibus, de quibus dicitur nomen.

47. *Quartum præceptum* est : si quis definiens nomen, quod dicitur æquivoce, ac negans illud dici æquivoce, cum opponitur, quod definitio non convenit omnibus, respondeat, quod illi, cui non convenit definitio, neque convenit nomen, redarguendus est ex eo, quod non debemus mutare significationem nominum, sed debemus uti nominibus in ea significatione, quæ est recepta et usitata, licet quoad opiniones de rebus ipsis possimus aliquando recedere ab opinionibus communibus. Loquendum enim cum multis, sentiendum cum paucis.

CAPUT III

DE LOCIS SPECTANTIBUS PRÆSERTIM AD DEFINITIONES COMPOSITORUM.

1. [11]. Sin autem alicujus conjuncti definitio tradita fuerit, videndum est, detracta alterius partis definitione, an et reliqua sit reliquæ partis definitio. Si enim secus, manifestum est ne totam quidem totius definitionem esse, ut si quis lineam finitam rectam definierit extremum plani habentis extrema, cujus medium adjungitur extremis; si finitæ lineæ definitio est extremum plani habentis extrema, recti esse oportet reliquam definitionem, id est cujus medium adjungitur extremis. Atqui linea infinita neque medium neque extrema habet, recta tamen est. Quare non erit reliqua oratio, ejus quod reliquum est, definitio.

2. Præterea videndum est, an, cum compositum sit id quod definitur, definitio tradita sit totidem membris constans quot definitum. Totidem membris constare dicitur definitio, quando quot sunt composita, tot sunt in definitione nomina et verba. Necesse est enim in hujusmodi definitionibus commutationem ipsorum nominum fieri, aut omnium aut quorumdam, quandoquidem nihilo plura nomina nunc quam antea dicta sunt; oportet autem eum qui definit, orationem pro nominibus tradere maxime quidem omnium, sin minus, saltem plurimorum. Sic enim et in iis quæ simplicia sunt res se habet. Nam qui nomen cum nomine commutabit, nunquam definiet, ut si pro indumento dicat vestimentum.

3. Præterea gravius peccatum est, si ignotiora nomina assumat, ut pro homine albo mortalem candidum, quia nec definivit, et ita dictum minus perspicuum est.

1. *Quadragesimus nonus locus* est : si definiatur aliquid compositum ex duobus, et ex definitione auferatur ea pars definitionis, quæ est propria unius, reliqua pars definitionis debet esse propria alterius; si autem reliqua non est propria reliqui, nec tota oratio, quæ affertur ut definitio totius, est definitio totius. Ex. gr., si ponatur hæc definitio hujus complexi, quod est *linea finita recta* : *terminus superficiei habentis terminos, cujus medium super additur finibus;* auferatur definitio lineæ finitæ, quæ est, *terminus superficiei habentis terminum* ; ergo reliquum, quod est, *terminus cujus medium superadditur finibus*, est definitio reliqui, hoc est lineæ rectæ; sed hæc non est definitio lineæ rectæ, nam linea recta infinita non est terminus, cujus medium superadditur finibus, siquidem linea infinita fines non habet; ergo neque tota definitio est definitio totius.

2. *Quinquagesimus locus* est : cum definitur aliquid compositum, definitio non debet esse æquimembris definitio. Dicitur autem definitio æquimembris, cum singulis nominibus ac verbis, quibus componitur definitum, correspondent totidem nomina ac totidem verba ex parte definitionis; ex. gr., si vestis alba definiretur *indumentum candidum*, definitio esset æquimembris definito. Quod autem definitio non debeat esse æquimembris definito, probat Aristoteles, quia in talibus definitionibus solum sit commutatio nominum omnium vel aliquorum; sed commutatio nominum non est definitio, cum in definitione omnia nomina vel saltem plura debeant commutari in orationem; ergo æquimembris definitio vere non est definitio. — Confirmatur, quia sicut cum unum nomen simplex commutatur in aliud simplex, non est definitio, adeoque cum dicitur, quod vestis est indumentum, vestis non definitur; sic cum nomen compositum commutatur in nomina composita, non est definitio, ideoque cum dicitur, quod *vestis alba est indumentum candidum*, non est definitio. Dicit autem Aristoteles, quod aliquando in definitione non omnia nomina commutantur in orationem, quia potest aliquod nomen retineri; ex. gr., cum definitur *syllogismus demonstrativus*, dicendo, quod est *syllogismus constans ex veris et necessariis*, etc. *syllogismus* retinetur loco generis, ac solum additur oratio loco *demonstrativi*.

3. *Quinquagesimus primus locus* est : adhuc magis peccatur, si in definiendo fiat sola commutatio nominum in nomina ignotiora; ex. gr., qui definiret hominem album, *terrigenam candidum*, peccaret, quia nomina notiora commutaret in nomina ignotiora; ignotiora siquidem sunt nomina *terrigenæ* et *candidi*, quam nomina *hominis* et *albi*.

4. Videndum est etiam in nominum commutatione, an non idem adhuc significet, ut qui dixit contemplativam scientiam esse existimationem contemplativam. Nam existimatio non est idem quod scientia; atqui idem sit oportet, siquidem et totum idem futurum est. Etenim verbum illud contemplativum commune est ambabus orationibus; quod autem reliquum est diversum est.

5. Præterea videndum est, an alterius tantum nominis commutatione facta, non differentiam sed genus mutaverit, ut in eo quod modo dixi videre licet. Ignotius enim est verbum contemplativa quam scientia, quoniam hoc est genus, illud

differantia. Cæteris autem omnibus notius est genus, utpote quod est communius. Unde non generis . sed differentiæ commutationem fieri oportebat, quia hæc est ignotior. An hæc reprehensio ridicula est? Nihil enim vetat differentiam notissimo nomine significari, genus non item.

6. Cum autem ita se habent, patet generis, non differentiæ nomen esse mutandum. Si vero non nomen pro nomine sed orationem pro nomine assumat, patet differentiæ potius quam generis definitionem tradendam esse, quia notificandi gratia definitio traditur ; minus enim differentia quam genus nota est.

7. [12] Si vero differentiæ definitionem tradidit, considerare oportet, an alii cuipiam communis sit definitio, quæ data est, ut cum imparem numerum dixit esse numerum, qui medium habet, exponendum est, quomodo medium habeat. Nam verbum numerus commune est utrisque orationibus; et pro imparis vocabulo sumpta est oratio. Sed et linea et corpus habent medium, cum non sint imparia. Quare non erit hæc definitio imparis. Quod si multis modis dicitur id quod medium habet, explicandum est, quomodo medium habeat. Ergo reprehensio locum habebit, seu syllogismus quo probabitur non fuisse definitum.

4, *Quinquagesimus secundus locus* est : magis etiam peccat qui nomina commutat in nomina non idem significantia; ex. gr., qui definit scientiam contemplativam, *opinionem contemplativam*, peccat etiam ex hoc capite, quia nomen scientiæ commutat in nomen opinionis, quod non idem significat ac nomen scientiæ. Ut autem idem sit scientia contemplativa ac opinio contemplativa, cum nomen. contemplativi retineatur, necesse est, ut opinio idem sit ac scientia.

5. *Quinquagesimus tertius locus* est : videtur etiam peccare, qui alterum nomen commutans, alterum retinens, mutat solum nomen generis, retinet nomen differentiæ. Illud enim nomen debet commutari, quod est ignotius ; sed genus est notius, utpote communius, differentia est ignotior; ergo potius debet commutari nomen generis quam nomen differentiæ. Contra hoc præceptum videretur peccare, qui scientiam contemplatricem definiret *opinionem contemplatricem*, quia commutaret nomen solius scientiæ, quæ est genus, ac retineret nomen contemplatricis, quæ est differentia. Addit tamen Aristoteles, ridiculam posse censeri hanc reprehensionem. Illud enim nomen debet commutari in aliud nomen, quod est ignotius; sed potest contingere, ut differentia significetur nomine notissimo, genus significetur nomine aliqualiter ignoto; ergo etc.

6. *Quinquagesimus quartus locus* est : si non nomen commutetur in nomen, sed nomen commutetur in orationem definitivam, potius debet assignari definitio differentiæ quam generis. Ratio est, quia illud debet potius definiri, quod ex natura sua est minus notum, adeoque magis indiget oratione ipsum notificante, definitio siquidem ordinatur ad rem notificandam; sed differentia ex sua natura est minus nota quam genus, adeoque magis indiget oratione notificante; ergo potius differentia debet definiri quam genus.

7. *Quinquagesimus quintus locus* est : definitio differentiæ, si latius pateat, quam differentia definita, vere non est definitio. Ex. gr,, cum quis definit numerum imparem *numerum habentem medium*, patet, quod non definit genus numeri, siquidem retinet nomen numeri, sed solum definit differentiam imparis; ergo definitio imparis est *habens medium* ; sed hoc, quod est *habere medium*, convenit etiam lineæ et corpori, quæ neque sunt par neque impar; ergo definitio allata est communior definito ; ergo non est definitio imparis. Si vero dicatur, quod hoc, quod est *habere medium*, dicitur multipliciter, explicandum est, in quo sensu sumatur in allata definitione ; ergo vel potest reprehendi definitio, eo quod non explicaverit, in quo sensu sumatur *habens medium*, vel fit syllogismus ad ostendendum, illam non esse definitionem, eo quod sit communior definito.

8. Rursus si id cujus definitionem tradidit, est in numero eorum quæ sunt, quod vero definitioni subjicitur, non est in numero eorum quæ sunt, ut si album definierit colorem cum igne permixtum, quia fieri nequit ut res incorporea cum corpore misceatur. Quare non potest esse color cum igne mixtus; album vero est.

9. Præterea quicumque in iis quæ ad aliquid referuntur definiendis, non explicant distincte id ad quod referuntur, sed plura complectuntur, aut omnino aut ex parte mentiuntur, ut si quis dixerit medicinam esse scientiam ejus quod est. Nam si medicina nullius eorum quæ sunt scientia est, patet orationem omnino falsam esse; at si alicujus est, alicujus non est, ex parte falsam esse ; debet namque esse omnium, si quidem per se, non per accidens dicitur esse scientia ejus quod est; quemadmodum in aliis quæ ad aliquid referuntur, res se habet. Omne enim scibile ad scientiam refertur. Similiter autem et in aliis fit, quoniam omnia relata reciprocantur. Omne enim scibile ad aliquid refertur. Præterea si is qui non per se, sed per accidens rem explicat,

recte explicet, certe non ad unum, sed ad plura referetur unumquodque eorum quæ sunt ad aliquid. Nihil enim prohibet quominus idem et ens et album et bonum sit. Quocirca qui ad quodvis horum referendo explicat, recte explicat, si modo is qui per accidens explicat, recte explicat. Præterea fieri nequit ut hujuscemodi definitio propria sit rei quæ explicatur; non solum enim medicina, sed multæ aliæ scientiæ referuntur ad id quod est; quapropter unaquæque erit scientia ejus quod est. Patet igitur hanc nullius scientiæ definitionem esse, quia propriam, non communem definitionem esse oportet.

8. *Quinquagesimus sextus locus* est : debet adverti, an cum definitum sit ens existens in rerum natura, definitio sit non ens non existens, neque potens existere; eo enim ipso allata non est definitio. Ex hoc loco posset redargui oratio, qua album definiretur : *color igni permixtus*; *album* enim est ens, *color igni permixtus* est non ens et chimera, siquidem corpus non potest misceri cum non corpore; sed ignis est corpus, color est non corpus, sed accidens corporis; ergo ignis non potest misceri cum colore.

9. *Quinquagesimus septimus locus* est : cum definitur relativum, poni debet in definitione terminus *ad quem* universaliter dicitur, si vero ponatur in definitione terminus communior vel terminus omnino diversus, definitio vel totaliter vel partialiter est falsa. Ex. gr., qui definit medicinam *scientiam concentus* dicit totaliter falsum, quia medicina nullius concentus est scientia; si vero medicinam definiat *scientiam entis*, dicit falsum solum partialiter, quia medicina est solum scientia alicujus entis, non vero omnis. Ad hoc enim, ut medicina bene definiretur scientia entis, deberet ens per se esse terminus medicinæ; ergo omne ens deberet esse terminus medicinæ; si vero non omne ens est terminus medicinæ, sed solum ens sanabile, ens non est per se terminus medicinæ. Ratio vero, cur indefinitione relativi debeat poni terminus, ad quem universaliter dicatur, est, quia quæ dicuntur *ad aliquid*, debent mutuo converti; ergo si omnis medicina est entis, omne ens spectat ad medicinam. Si vero quis dicat, quod ad definitionem sufficit assignare terminum, *ad quem* definitum referatur per accidens, rejicit Aristoteles hanc responsionem, primo quia idem potest per accidens esse *ens album* et *bonum*; ergo si sufficit assignare terminum per accidens, poterit censeri, quod bene definitur medicina *scientia entis, scientia boni* ac *scientia albi*. Secundo definitio debet esse propria definiti; sed talis definitio per terminum per accidens non est propria definiti, sed communis aliis; ex. gr., non sola medicina est scientia entis, sed plures aliæ disciplinæ sunt scientiæ entis ; ergo, etc.

10. Interdum vero definiunt non rem nudam, sed rem bene se habentem seu perfectam. Talis autem est et oratoris et furis definitio, si quidem orator est, qui quod in quaque re ad persuadendum valet, perspicere potest ac nihil omittit; fur autem, qui clam accipit. Patet enim utrumque, cum talis sit, bonum esse, id est alterum bonum oratorem, alterum bonum furem. Non enim qui clam accipit, sed qui vult clam accipere, fur est.

11. Item peccavit, si id quod propter se eligendum est, quasi activum vel effectivum vel quomodocumque propter aliud eligendum explicuit, ut si quis dixerit, justitiam esse legum servatricem, aut sapientiam esse effectivam felicitatis. Quod enim efficiendi vel conservandi vim habet, in iis numeratur quæ propter aliud sunt eligenda. An nihil vetat, quominus id quod propter se est eligendum, etiam propter aliud sit eligendum? Sed nihilo minus peccavit qui ita definivit id quod propter se est eligendum; cujusque enim rei quod optimum est, in essentia maxime continetur ; melius autem est propter se eligendum esse quam propter aliud : proinde hoc potius definitio significare debebat.

10. *Quinquagesimus octavus locus est* : aliquando definitio, quæ affertur, non definit rem simpliciter, sed rem bene se habentem et perfectam; ex. gr. qui definit rhetorem *eum, qui potest quod in uno quoque est verisimile considerare et nihil prætermittere*, non definit rhetorem simpliciter, sed rhetorem perfectum. Rursus qui definit furem *eum, qui clam sumit*, non definit furem simpliciter, sed furem perfectum. Fur enim simpliciter est, qui vult clam sumere, licet non possit.

11. *Quinquagesimus nonus locus* est : quod propter se est eligendum, non debet definiri ut activum, vel effectivum, vel quomodolibet ut eligendum propter aliud. Ex hoc loco possunt redargui definitiones, quibus justitia definitur *conservativa legum*, sapientia definitur *effectrix felicitatis*. Nam *effectivum* et *conservativum* sunt ex iis, quæ sunt eligenda propter aliud ; ergo per tales definitiones, quod est per se eligendum, definitur ut eligendum propter aliud. Licet vero possit idem et esse eligendum propter se, et

propter aliud, eo pacto, quo sapientia est eligenda et propter se et propter felicitatem, cujus est effectiva, adhuc qui *per se eligendum* definit ut eligendum propter aliud, peccat. Ratio est, quia essentia uniuscujusque rei est optimum, quod illi convenit; sed melius est *esse eligendum* propter se quam *propter aliud*; ergo in definitione debet maxime explicari, quod est per se eligendum, adeoque si id omittatur, non est definitio.

12. [13] Considerare etiam oportet, an alicujus rei definitionem tradens vel esse hæc, vel quod ex his constat, vel hoc cum illo definierit. Nam si dixerit esse hæc, accidet ut ambobus et neutri conveniat, ut si justitiam definierit esse temperantiam et fortitudinem. Etenim si duo sint, quorum uterque habeat alterum duntaxat, ambo justi erunt et neuter, quoniam ambo justitiam habent, uterque autem non habet. Quod si hoc nondum sit valde absurdum, quia in aliis quoque tale quidpiam accidit (nihil enim vetat ambos habere minam, cum neuter habeat), at certe hoc, contraria iisdem inesse, omnino absurdum videbitur. Hoc autem accidet, si alter eorum temperantia et ignavia præditus sit, alter fortitudine et intemperantia. Nam ambo justitia et injustitia præditi erunt. Etenim si justitia est temperantia et fortitudo, injustitia erit ignavia et intemperantia. Et omnino quæcumque argumenta adduci possunt ad probandum non idem esse partem et totum, omnia ad id quod dictum est efficiendum valent; nam qui ita definivit, is dicere videtur idem esse partes ac totum. Maxime autem propriæ rationes in iis fiunt, in quibus perspicua est partium compositio, ut in domo et cæteris ejusmodi rebus. Patet enim nihil prohibere, quominus, cum partes sint, totum non sit. Itaque non idem sunt partes et totum.

12. *Sexagesimus locus* est: totum non debet definiri per hoc, quod sit partes. Explicatur; tripliciter potest definiri totum: primo dicendo, quod est partes, nimirum *et hoc et hoc*; secundo dicendo, quod constat ex partibus; tertio dicendo, quod totum est *hoc cum illo*. Primo igitur totum non debet definiri per hoc, quod sit partes. Ex. gr. etiamsi supponamus justitiam constare ex temperantia et fortitudine, adhuc justitia non debet definiri per hoc, quod sit temperantia et fortitudo. Probatur, quia si duo sint, quorum unus habeat temperantiam sine fortitudine, alter fortitudinem sine temperantia, sequitur, quod ambo erunt justi, et neuter erit justus. Ambo sunt justi, quia ambo habent temperantiam et fortitudinem; sed justitia nihil est aliud, quam temperantia et fortitudo; ergo ambo sunt justi. Neuter est justus, quia neuter habet temperantiam et fortitudinem. Posset quis respondere, quod sicut si singuli ex duobus habeant semiminam, ambo habent minam, neuter habet minam, nec id est absurdum, sic non est absurdum in casu nostro, quod ambo habeant justitiam, neuter seorsim habeat justitiam. Contra arguit Aristoteles, quia saltem est absurdum, quod eidem insint contraria; sed eidem inessent contraria, justitia nimirum et injustitia; ergo, etc. Probatur minor. Si enim justitia, ex. gr., est temperantia et fortitudo, injustitia est intemperantia contraria temperantiæ, et timiditas contraria fortitudini; ergo si alter ex duobus sit fortis et intemperans, alter timidus ac temperans, ambo erunt justi, quia habebunt fortitudinem et temperantiam, in quibus consistit justitia, et ambo erunt injusti, quia habebunt timiditatem et intemperantiam, in quibus consistit injustitia. Universim vero contra sic definientes valent omnia argumenta, quibus probatur, totum et partes non idem esse, siquidem sic definientes videntur dicere, totum esse partes. Præcipue autem patet totum et partes non esse idem in iis, in quibus manifestum est, totum supra partes addere compositionem, cujusmodi est domus. Cum enim possint esse partes domus, et adhuc domus non esse, si partes sint inordinatæ et incompositæ, patet partes domus non esse idem cum domo.

13. Quod si rem definitam dixerit esse non hæc, sed quod ex his constat, primum considerare oportet, an natura comparatum non sit, ut unum fiat ex iis quæ dicta sunt. Quædam enim ita sunt affecta inter se, ut nihil ex eis fiat, veluti linea et numerus.

14. Deinde an natura comparatum sit, ut id quod definitum est, in uno aliquo primo subjecto insit; neque natura comparatum sit, ut ea ex quibus ipsum definitum constare dixit, in uno primo subjecto insint, sed utrumque in alio. Patet enim ex illis hoc non constare. In quibus enim partes insunt, necesse est etiam totum inesse. Quocirca totum non erit in uno primo subjecto, sed in pluribus.

15. Si vero et partes et totum in uno primo subjecto insint, considerare oportet, an non in eodem insint, sed in alio partes, in alio totum.

16. Rursus an simul cum toto intereant partes. Nam contra accidere oportet, ut partibus interemptis totum intereat. Quod si totum interiit, non necesse est etiam partes interiisse.

13. *Sexagesimus primus locus* est: si quis definiat totum, non per hoc, quod sit

partes, sed per hoc, quod sit ex aliquibus, tanquam ex partibus, adhuc potest multipliciter redargui. Primus locus est: considerari debet, an dicatur totum constare ex partibus, ex quibus non potest fieri aliquid unum. Ex hoc loco posset redargui, qui definiret aliquid per hoc, quod sit totum constans ex linea et numero; ex linea siquidem et numero non potest fieri aliquid unum.

14. Secundus locus est : si definitum potest esse in uno primo subjecto, at vero partes, ex quibus constare dicitur, non possint esse in uno primo subjecto, sed altera debeat esse in uno, altera in altero subjecto, mala est definitio. Totum enim et partes, ex quibus constat, debent esse in eodem subjecto; sed partes et totum non essent in eodem subjecto, nam subjectum totius esset unum, subjectum partium esset multiplex; ergo, etc. Ex hoc loco posset rejici definitio, qua prudentia definiretur *virtus constans ex temperantia et fortitudine*. Prudentia enim est in uno primo subjecto, hoc est in parte ratiocinativa animæ; temperantia et fortitudo non sunt in uno primo subjecto, sed temperantia est in parte concupiscibili, fortitudo est in parte irascibili.

15. Tertius locus est : si et partes et totum debeant esse in uno primo subjecto, sed non in eodem, mala est definitio; partes enim et totum debent esse in eodem primo subiecto. Ex hoc loco posset rejici definitio, qua quis prudentiam definiret, *virtutem constantem ex sobrietate et castitate*. Nam prudentia debet esse in suo primo subjecto, hoc est in parte rationali animæ; sobrietas et castitas debent similiter esse in suo primo subjecto, hoc est in parte concupiscibili; sed pars rationalis non est idem cum parte concupiscibili; ergo non debent esse in eodem primo subjecto.

16. Quartus locus est : ablato toto non debent auferri partes, ablatis vero partibus debet auferri totum. Si igitur totum dicatur constare ex partibus, quæ auferuntur ablato toto, vel quibus ablatis non auferatur totum, peccatur et mala est definitio.

17. Vel an totum sit bonum aut malum, et partes neutrum; vel contra partes sint bonæ vel malæ, totum autem neutrum. Etenim nec ex neutro bonum quidpiam aut malum fieri potest, neque ex bonis vel malis neutrum.

18. Vel an alterum sit magis bonum quam alterum malum, quod vero ex iis constare dicitur, non sit magis bonum quam malum. Ut si imprudentia dicatur constare ex fortitudine et falsa opinione. Nam fortitudo magis est bonum quam falsa opinio malum. Ergo oportebat etiam id quod ex his constare dicitur, ei quod magis est, consequens esse, et vel simpliciter esse bonum vel magis bonum quam malum.

19. An hoc non est necessarium, nisi utrumque sit per se bonum vel malum? Multa enim effectiva, etsi per se non sunt bona, tamen si cum quibusdam conjungantur, fiunt bona. Alia sunt contra, quorum utrumque est bonum; sed si conjungantur, quod efficitur, est malum vel neutrum. Quod modo dixi, maxime perspicuum est in iis quæ sunt salubria vel insalubria. Quædam enim pharmaca ita se habent, ut utrumque sit bonum, sed si ambo mixta præbeantur, mala sint.

17. Quintus locus est : si totum est bonum vel malum, partes, ex quibus constat non possunt nec esse bonæ nec malæ; et e converso, si partes non sint bonæ nec malæ, totum ex iis constans non potest esse bonum aut malum. Si ergo totum bonum vel malum dicatur constare ex partibus, quæ neque sint bonæ neque malæ, vel si totum, quod neque est bonum, neque malum, dicatur constare ex partibus bonis aut malis, peccatur et mala est definitio.

18. Sextus locus est : totum constans ex partibus, quarum altera est bona altera mala, sed ita, ut major sit bonitas bonæ quam malitia malæ, etiam ipsum vel est bonum simpliciter, vel est magis bonum, quam malum ; si ergo totum non sit magis bonum quam malum, mala est definitio, qua dicitur constare ex positis partibus. Ex hoc loco posset rejici definitio, qua quis diceret imprudentiam constare ex fortitudine et falsa opinione; majus enim bonum est fortitudo, quam malum falsa opinio; si ergo imprudentia ex his constat, est majus bonum quam malum; sed hoc est falsum, cum sit majus malum quam bonum; ergo, etc.

19. Addit Aristoteles, hunc locum et superiorem valere solum, cum partes sunt per se bonæ, non autem cum sunt bonæ tantum in ratione medii et effectivi. Ratio est, quia ex duobus malis in ratione medii potest fieri totum bonum, et ex duobus bonis potest fieri totum malum, ut patet in medicamentis; nam ex duobus venenis, potest componi medicamentum utile, et ex duobus utilibus potest componi medicamentum noxium; ergo etiam ex duobus, quorum unum sit majus bonum,

quam alterum sit malum, potest fieri totum simpliciter malum, vel magis malum quam bonum. Duo igitur isti loci debent intelligi de *per se bonis*.

20. Rursus videndum est, an aliquid dicatur constare ex meliori et deteriori, quorum meliore totum non sit deterius, deteriore autem melius. An ne hoc quidem necessarium est, nisi ea ex quibus totum constat, sint per se bona? In iis enim quæ non sunt per se bona, nihil vetat totum non effici bonum; quemadmodum in iis quæ modo dixi, perspicere licet.

21. Præterea videndum est, an totum sit alteri parti synonymum. Id enim esse non debet, quemadmodum ne in syllabis quidem; nam syllaba nulli elementorum ex quibus constat synonyma est.

22. Præterea an non exposuerit modum compositionis. Non satis enim rem explicat qui dicit rem ex his constare, quia non illud solum, ex his constare, sed ita ex his constare, est cujusque rei compositæ essentia, ut in domo perspici potest. Neque enim quocumque modo hæc componantur, domus est.

20. Septimus locus est : si totum constat ex duabus partibus, altera meliore altera deteriore, debet esse deterius meliori et melius deteriori. Ratio est, quia cum totum medio modo se habeat ad tales partes, est meliore deterius et pejore melius. Addit Aristoteles, etiam hunc locum debere intelligi de toto constante ex partibus, quarum altera per se bona, altera per se mala. Si enim altera pars sit bona, altera mala in ratione effectivi, non valet, ut probari potest instantia allata loco superiori.

21. Octavus locus est: totum et partes non dicuntur univoce, nec vocantur eodem nomine; si ergo totum definiatur per partes, quæ vocentur eodem nomine et dicantur univoce, mala est definitio. Quod autem totum et partes non dicantur univoce, probatur exemplo syllabæ, quæ non est univoca, nec eodem nomine vocatur, quo partes et elementa, ex quibus constat Potest afferri instantia in contrarium, quia totum homogeneum est univocum cum partibus. Sed dicendum, quod hic loquimur de partibus, per quas definitur totum sed totum non definitur per partes ejusdem rationis, quia hæ sunt æque notæ ac totum, sed per partes notiores toto, adeoque diversæ rationis; ergo, etc.

22. Nonus locus est : cum totum definitur ut constans ex partibus, debet etiam exprimi modus compositionis, si autem hic non explicetur, oratio allata vere non est definitio; ex. gr., non est definitio domus, qua dicitur *operimentum constans ex lapidibus et lignis, etc.*, nisi explicetur, quo pacto lapides ac ligna debeant componi, ut ex his fiat domus.

23. Sin autem esse hoc cum illo tradiderit, primum dicendum est hoc cum illo dici vel, quia est hoc et illud, vel quia est hoc ex illis. Nam qui dicit mel cum aqua, is aut mel et aquam dicit, aut quod ex melle et aqua constat. Itaque utrumvis horum fateatur idem esse atque hoc cum illo, eadem dici poterunt, quæ contra utrumvis eorum paulo ante dicta sunt.

24. Præterea distinguendum est, quot modis dicatur alterum cum altero, et considerandum, an nullo modo sit hoc cum illo. Utputa si dicatur alterum cum altero vel ut in aliquo eodem subjecto, quemadmodum justitia et fortitudo sunt in anima, vel in eodem loco, vel in eodem tempore; nullo autem modo verum sit quod in his dictum fuit; patet nullius rei esse definitionem, quæ tradita est, quia nullo modo hoc cum illo est.

25. Quod si distinctione quot modis alterum cum altero dicatur adhibita, verum sit in eodem tempore utrumque inesse, considerare oportet, an contingat non ad idem referri utrumque; ut si quis fortitudinem definierit audaciam cum recta cogitatione. Contingit enim ut aliquis audaciam habeat exspoliandi, rectam autem cogitationem circa res salubres; sed nondum fortis est, qui eodem tempore habet hoc cum illo.

26. Præterea non est fortis etiamsi ambo ad idem referantur, veluti ad res medicas. Nihil enim prohibet, quominus aliquis et audaciam et rectam cogitationem habeat circa res medicas. Attamen ne hic quidem est fortis, qui hoc cum illo habet; neque enim ad diversa utrumque eorum referri debet, neque ad quamlibet eamdem rem, sed ad fortitudinis finem, veluti ad bellica pericula, aut si quid aliud magis quam hoc est finis. Nonnulla vero eorum quæ ita explicantur, nullo modo sub dictam divisionem cadunt; veluti ira est dolor cum existimatione contemptus. Hoc enim declarat, dolorem gigni ex hujusmodi existimatione. Aliquid autem ex hoc gigni, non est idem atque esse hoc cum illo, secundum ullum eorum modorum qui dicti fuerunt.

23. *Sexagesimus secundus locus* est : si quis definiat totum dicens, illud esse *hoc cum illo*, potest multipliciter redargui. Primus locus est : quærendum an cum definiens dicit, ex. gr., melicratum esse mel cum aqua, dicat melicratum esse mel et aquam, vel dicat melicratum esse aliquid constans ex melle et aqua; utrumlibet admittat, utendum est locis ad utrumlibet superius allatis.

24. Secundus locus est : explicandum,

quot modis dicatur esse *unum cum alio*, et ostendendum, quot nullo ex his modis verificatur. Unum enim dicitur esse cum altero, vel ratione subjecti, eo quod sint in eodem subjecto susceptivo utriusque, eo pacto, quo virtus posset definiri *justitia cum fortitudine*, eo quod justitia et fortitudo sint in eodem subjecto, hoc est in anima; vel ratione temporis, eo quod sint in eodem tempore ; vel ratione loci, eo quod sint in eodem loco ; sed in nullo ex his sensibus verificatur, quod sit untum cum altero ; ergo oratio allata non est definitio.

25. Tertius locus est : si adhibita hac divisione modorum, quibus unum dicitur esse cum alio, respondeat adversarius, ideo definitum dici unum cum alio, quia sunt eodem tempore, ex. gr., dicat, ideo fortitudinem definiri *audaciam cum recta ratione*, quia audacia et recta ratio eodem tempore existentes constituunt justitiam, examinandum est, an ea, quæ simul tempore existunt, referantur ad diversa; si enim referuntur ad diversa, oratio allata non erit definitio; ex. gr., *audacia ad spoliandum* cum recta ratione circa medicinalia, non est fortitudo; ergo fortitudo non bene definitur audacia cum recta ratione.

26. Quartus locus est : si adversarius propter allatam instantiam dicat, definitionem fortitudinis esse *audaciam cum recta ratione circa idem*, arguendum est, quia non omnis audacia cum recta ratione circai dem est fortitudo. Nam audacia cum recta ratione circa curationem ægroti non est fortitudo ; ergo debet addi in definitione fortitudinis, quod sit *audacia cum recta ratione circa propriam materiam fortitudinis, hoc est circa bellica pericula.* Addit Aristoteles, aliquando dici *unum cum alio* etiam in aliis sensibus, ac præsertim ad significandam causalitatem unius respectu alterius ; ex. gr. cum ira definitur *tristitia cum opinione contemptus*, ly *cum* significat, quod opinio, quaquis opinatur se contemni, est causa tristitiæ.

27. [14]. Rursus si totum dixit esse horum compositionem, ut animal esse compositionem animæ et corporis, primum considerare oportet, an non dixerit, qualis compositio sit ; ut si quis carnem definiens aut os dixerit esse compositionem ignis et terræ et aeris. Non enim satis est compositionem dicere, sed et qualis ea sit explicari debet, quandoquidem non si quovis modo hæc componantur, caro fit, sed si hoc modo componantur, caro, si illo modo, os.

28. Quamquam neutrum eorum, quæ dixi, videtur esse omnino idem quod compositio, quoniam omni compositioni dissolutio est contraria, neutri autem eorum, quæ dixi, quidquam est contrarium.

29. Præterea si æque probabile est, omne compositum esse compositionem vel nullum, unumquodque autem animal, cum sit compositum, non est compositio, ne aliud quidem ullum compositum erit compositio.

27. *Sexagesimus tertius locus* est : præter tres assignatos modos definiendi, quibus definiens dicat totum esse *partes, ex partibus, et hoc cum illo*, est etiam quartus modus definiendi, quo quis dicat, totum esse concretionem seu compositionem partium ; ex. gr., dicat animal esse compositionem et concretionem animæ et corporis. Contra hunc modum definiendi, proponit Aristoteles tres locos. — Primus locus est : non sufficit dicere, quod res est concretio, sed etiam debet explicari, qualis concretio sit ; ex. gr., non sufficit ad definitionem carnis dicere, quod caro est concretio aeris, ignis, terræ et aquæ, sed debet etiam explicari, qualis concretio sit. Non enim omnis concretio elementorum est caro, sed una quidem concretio est caro, alia os, etc ; ergo, etc.

28. Secundus locus est : si caro, ex. gr., est concretio, quod est contrarium concretioni, esset contrarium carni ; sed concretioni est contraria dissolutio, caro autem, os et alia hujusmodi non habent contrarium ; ergo caro, os et alia hujusmodi non sunt concretio.

29. Tertius locus est : vel omnia concreta et composita sunt concretio, vel nullum concretum et compositum est concretio seu compositio, eadem enim est ratio de omnibus ; sed non omne concretum est concretio, animal enim, ex gr., non est concretio neque compositio ; ergo nullum.

30. Præterea si natura comparatum sit, ut æque in aliquo contraria insint, et aliquis definierit per alterum tantum, patet eum non definivisse. Alioquin accidet ut ejusdem rei sint plures definitiones ; quid enim amplius dixit qui per hoc, quam qui per illud definivit, cum natura comparatum sit, ut ambo in eodem æque gignantur ? Talis autem est animæ definitio, si quidem est substantia scientiæ capax ; æque enim est ignorantiæ capax.

31. Quod si cui adversus totam definitionem argumenta non suppetant propterea quod totum cognitum non sit, contra partem aliquam oportet argumentari, si quæ sit nota nec videatur recte tradita : eversa enim parte etiam tota definitio evertitur.

32. Et quæcumque sunt obscuræ definitiones, eas corrigendo et reformando, ut aliquid declarent et ut argumenta suppetant, ita considerare oportet. Necesse est enim eum qui respondet, vel id quod ab interrogante assumitur admittere, vel ipsum patefacere, quid tandem sit, quod definitione significatur.

33. Præterea quemadmodum in concionibus legem soliti sunt ferre, et si melior sit ea quæ lata est, priorem abrogant, ita etiam in definitionibus faciendum est, aliaque adducenda est definitio. Nam si hæc videatur melior esse ac magis declarare rem definitam, profecto eversa erit, ea quæ posita fuerat, quandoquidem non sunt ejusdem rei plures definitiones

34. Ad omnes autem definitiones evertendas non minimum elementum est, si quis secum ipse rem propositam scite definiat, aut recte traditam definitionem repetat Necesse est enim ut quasi ad exemplar confugientes perspiciamus, et quid in definitione desideretur et quid supervacuo sit adjectum. Itaque major argumentorum copia suppetet. De iis igitur quæ ad definitiones pertinent, hactenus dictum esto.

30. *Sexagesimus quartus locus* est : si in aliquo subjecto æque sunt apta inesse contraria, ea definitio, qua tale subjectum definitur per aptitudinem ad unum contrarium, vere non est definitio; ex. gr., quia anima æque est susceptiva scientiæ et ignorantiæ, definitio, qua definitur anima *id quod est susceptivum scientiæ*, vere non est definitio animæ. Probatur, quia si illa esset definitio animæ, etiam oratio, qua anima definitur, *id quod est susceptivum ignorantiæ*, esset definitio animæ, adeoque duæ essent definitiones animæ, quod est absurdum et inconveniens.

31. *Sexagesimus quintus locus* est: cum quis non habet argumentum ad impugnandam totam definitionem, eo quod sit obscura, nec satis illam percipiat, debet conari, ut impugnet partem; parte enim rejecta, corruit tota definitio. Ex. gr., si anima definiatur *harmonia corporis instrumentalis*, argumentans autem non possit ostendere, quod anima non sit harmonia, quia non satis intelligit, quid sit harmonia, debet impugnare alteram partem, per quam dicitur *corporis instrumentalis*.

32. *Sexagesimus sextus locus* est : cum definitiones sunt obscuræ, debet argumentans conari, ut illas explicet, ut possit impugnare. Vel enim respondens explicationem admittet, et sic poterit arguens definitionem sic expositam impugnare, vel saltem ipsemet respondens definitionem explicabit.

33, *Sexagesimus septimus locus* est : sicut in concionibus ad abrogandam legem solent concionantes proponere populo legem meliorem, ut sancita lege meliori, abrogetur altera, sic ad evertendam definitionem potest proponi alia definitio; si enim hæc sit melior, eo ipso evertitur definitio posita.

34. *Sexagesimus octavus* et ultimus *locus* est : ut suppetat copia argumentorum contra definitionem allatam, conandum est argumentanti, ut rem accurate definiat, vel veram rei definitionem accurate consideret; in vera enim definitione, tanquam in exemplari, poterit deprehendere vitia malæ definitionis et advertere, quid in ea redundet, quid desit. Et per hæc Aristoteles concludit librum sextum Topicorum.

TOPICORUM

LIBER VII

CAPUT I. — ART. I.

DE LOCIS DESERVIENTIBUS PROBLEMATI DE EODEM ET DIVERSO.

1. [1] Utrum autem id de quo agitur, sit idem an diversum, secundum eum modum, qui inter modos supra de eodem expositos est maxime proprius, nunc dicendum est. Dicebatur autem maxime proprie idem esse, quod est numero unum.

2. Considerare autem oportet atque argumenta sumere ex casibus et conjugatis et oppositis. Nam si justitia est idem quod fortitudo, etiam justus est idem quod fortis, et juste idem quod fortiter.

3. Similis ratio est oppositorum; nam si hæc sunt eadem, etiam ea quæ his opponuntur sunt eadem, quocumque eorum, quos dixi, modorum opponantur. Nihil enim interest, huic an illi contrarium sumatur, quoniam eadem sunt.

4. Rursus ex iis quæ efficiendi et interimendi vim habent, necnon ex ortu et interitu, et omnino ex iis quæ æque affecta sunt ad utrumque; quæcumque enim simpliciter eadem sunt, eorum etiam ortus et interitus sunt iidem, necnon quæ efficiendi et quæ corrumpendi vim habent.

Quia Aristoteles libro I. cap. IV, docuit ad problema definitionis reduci etiam problema de eodem et diverso, ideo postquam lib. VI egit de locis definitionis, lib. VI lagit de locis ejusdem et diversi et quia propriissime dicitur idem, quod est idem numero, ideo affert loca, ex quibus possit ostendi, quod aliqua sunt vel non sunt idem numero.

2. *Primus locus* est ex casibus et conjugatis : quando unum principale est idem cum altero,conjugata et casus unius sunt idem cum conjugatis et casibus alterius. Ex. gr., si justitia est idem cum fortitudine, justus est idem cum forti, et *juste* est idem ac *fortiter*; si vero hæc non sunt eadem, neque justitia est idem cum fortitudine.

3. *Secundus locus* ex oppositis est : si duo habent opposita, si hæc opposita sunt idem, etiam illa sunt idem, et si hæc opposita non sunt idem, nec illa sunt idem. Ex hoc loco potest probari album esse idem ac disgregativum visus, albo enim opponitur nigrum, disgregativum opponitur congregativo; sed nigrum et congregativum visus idem sunt; ergo etiam album et disgregativum visus idem sunt.

4. *Tertius locus* ex effectivis, corruptivis, generationibus et universim ex iis, quæ proportionaliter se habent, est : si effectiva sunt eadem, etiam quæ efficiuntur sunt eadem; et si generationes sunt eædem,genita sunt eadem; et si corruptiones sunt eædem, corrupta sunt eadem, etc. E converso, si generationes non sunt eædem, neque genita sunt eadem, etc. Ex. gr., quia idem est homo et animal rationale, eadem est generatio hominis et animalis rationalis; et quia idem est *generari hominem*, ac *generari animal rationale*, idem est homo ac animal rationale.

5. Considerare etiam oportet, quorum alterum maxime dicitur quidvis, an et alterum eorum secundum idem maxime dicatur, quemadmodum Xenocrates beatam vitam et probam demonstrat eamdem esse, quoniam inter omnes maxime eligenda est vita proba et vita beata. Unum enim est quod est maxime eligendum et maximum. Similiter contingit et in cæteris ejusmodi rebus. Oportet autem utrumque eorum quæ dicuntur maxima vel maxime eligenda, esse

unum numero. Alioqui non probabitur idem esse. Neque enim necesse est, si fortissimi Græcorum sunt Peloponnesii et Lacedæmonii, eosdem esse Peloponnesios et Lacedæmonios, quia non est unus numero Peloponnesius et Lacedæmonius; sed necesse est alterum sub altero contineri, quemadmodum Lacedæmonii sub Peloponnesiis. Alioqui continget eos invicem meliores esse, nisi alteri sub alteris contineantur. Necesse est enim Peloponnesios meliores esse Lacedæmoniis, si quidem non continentur alteri sub alteris, quia cæteris omnibus sunt meliores. Similiterque necesse est Lacedæmonios meliores esse Peloponnesiis; nam et hi sunt reliquis omnibus meliores. Quare se invicem meliores efficiuntur. Patet igitur unum numero esse debere id quod optimum et maximum esse dicitur, si futurum est ut demonstretur esse idem. Proinde ne Xenocrates quidem demonstrat, quia vita beata et vita proba non est una numero. Quocirca non est necesse eamdem esse, eo quod sint ambæ maxime eligendæ; sed altera continetur sub altera.

6. Item considerare oportet, si alterum eorum quæ sunt proposita sit idem, quod tertium quidpiam, an etiam alterum sit idem quod illud tertium. Nisi enim ambo sint eadem quod idem quidpiam, patet ea ne inter se quidem esse eadem.

5. *Quartus locus* est : si duobus conveniat esse maxime tale, illa duo sunt eadem. Ex hoc loco probavit Xenocrates vitam beatam ac vitam virtuosam idem esse. Beata enim vita est maxime eligenda; sed etiam vita virtuosa est maxime eligenda; ergo etc. Advertit autem Aristoteles, quod ad hoc, ut inferatur, quod duo sunt idem numero, utrumque eorum debet esse unum numero. Si enim A et B est maxime tale, et utrumque est unum numero, proculdubio sunt idem numero; si enim essent duo numero, utrumque esset magis tale quam alterum, quod repugnat. At si ea, quæ sunt maxime talia, non sunt unum numero, sed specie vel genere, non infertur, quod sint idem numero adæquate, sed ad summum concluditur, quod sunt idem adæquate vel inadæquate, ita ut unum contineatur in altero. Ex. gr., non valet : *Peloponnesii sunt fortissimi Græcorum; Lacedæmonii sunt fortissimi Græcorum; ergo Lacedæmonii sunt unum numero atque adæquate idem cum Peloponnesiis*, quia Peloponnesii ac Lacedæmonii non significant unum numero. Quod vero necesse sit, ut saltem unum contineatur in alio, patet, quia si mutuo distinguerentur adæquate Peloponnesii et Lacedæmonii, essent mutuo fortiores, cum supponatur, quod et Peloponnesii sint fortiores reliquis, et Lacedæmonii sint fortiores reliquis; ergo et Peloponnesii sunt fortiores Lacedæmoniis et Lacedæmonii sunt fortiores Peloponnesiis. Quia vero vita beata et vita virtuosa non significant unum numero, ideo male ex eo, quod et vita beata et vita virtuosa sint maxime expetibiles, intulit Xenocrates, quod sunt omnino eadem vita, ac solum potuit inferre, quod vel sunt eadem vita vel altera continetur in altera.

6. *Quintus locus* est : considerandum, utrum duo sint eadem eidem tertio; si enim sunt eadem eidem tertio, sunt eadem inter se; si vero alterum est idem cum tertio, alterum ab ipso distinguitur, non sunt eadem inter se.

7. Præterea considerare oportet ex horum accidentibus et ex iis quibus hæc accidunt. Nam quæ alteri accidunt, etiam alteri accidere debent; et quibus alterum eorum accidit, etiam alterum debet accidere. Si quid autem horum discrepet, patet non esse eadem.

8. Videre etiam oportet, an non in uno categoriæ genere ambo sint, sed alterum qualitatem alterum quantitatem vel ad aliquid relationem declaret.

9. Rursus an genus utriusque non idem sit, sed alterum sit bonum alterum malum, vel alterum virtus alterum scientia.

10. Vel an idem quidem genus, non tamen eædem differentiæ utrique attribuantur, sed alteri scientia contemplativa alteri activa. Similis est aliorum ratio.

11. Præterea ex eo quod magis est, argui poterit, si alterum recipiat intentionem, alterum non item; vel ambo quidem recipiant, non tamen simul. Quemadmodum qui magis amat, non magis cupit concumbere; itaque non idem est amor atque cupiditas concumbendi.

12. Præterea ex adjectione, si utrumque eidem adjectum non efficiat idem totum.

13. Vel si eadem re ab utroque detracta, quod reliquum est, diversum est, ut si quis dixerit duplum dimidii et multiplum simpli idem esse. Nam si ab utroque detrahatur dimidium, ea quæ reliqua sunt, idem declarare deberent : nec tamen declarant; duplum enim et multiplum non declarant eamdem rem.

7. *Sextus locus* est : si duo subjecta sunt idem, omne quod accidit uni, accidit alteri : si duo prædicata sunt eadem, cuicumque accidit unum, accidit alterum; si vero quoad hoc aliqua sit disconvenientia, eo ipso non sunt eadem.

8. *Septimus locus* est : quæ sunt eadem, reducuntur ad idem genus et prædicamentum; si igitur unum reducatur ad unum prædicamentum, aliud ad alterum, eo ipso

non sunt idem. Ex. gr., si alterum sit in prædicamento qualitatis, alterum in prædicamento relationis, non sunt idem.

9. *Octavus locus* est : quæ sunt eadem non solum sunt in eodem prædicamento, sed in eodem genere, adeoque si non sint sub eodem genere, sed sub genere diverso, non sunt eadem. Ex. gr., duo, quorum alterum sit in genere boni, alterum in genere mali, non sunt eadem; duo quorum alterum sit in genere scientiæ, alterum in genere virtutis moralis, distinguuntur.

10. *Nonus locus* ex differentia est : quæ sunt eadem, non solum conveniunt in genere, sed etiam in differentia, adeoque si discrepant in differentia, non sunt eadem. Ex. gr., duæ scientiæ. quarum altera sit speculativa, altera activa, non sunt eadem, scientia quia licet conveniant in genere scientiæ, disconveniunt in differentia activi et speculativi.

11. *Decimus locus* ex *magis* ac *minus* est : eorum, quæ sunt eadem, si unum suscipit magis et minus, etiam alterum suscipit magis et minus; si igitur unum suscipit magis et minus, alterum non suscipit, eo ipso distinguuntur. Rursus si non eo ipso, quod unum dicitur magis, etiam alterum dicitur magis, non sunt idem. Ex hoc loco potest probari, quod non est idem *amare* ac concupiscere Venerem; non enim eo ipso, quod aliquis magis amat, magis concupiscit Venerem.

12. *Undecimus locus* ex appositione est : idem additum eidem facit idem; si ergo addendo idem duobus, non fit idem, illa duo non sunt idem.

13. *Duodecimus locus* est : si idem auferatur ab eodem, idem remanet; si igitur eodem ablato a duobus, quod remanet non est idem, illa non sunt idem. Ex hoc loco potest probari, non idem esse *multiplum dimidii*, ac *duplum dimidii;* sublato enim, *dimidii* remanet *duplum et multiplum;* sed *multiplum* ac *duplum* non sunt idem; ergo *duplum dimidii* ac *multiplum dimidii* non sunt idem.

14. *Decimus tertius locus* est : si duo ita se habeant, ut facta aliqua suppositione, sive vera sive falsa, alterum interimatur, alterum non, illa non sunt eadem. Ex hoc loco potest probari contra antiquos *plenum aere* non esse idem ac vacuum; nam ex suppositione, quod auferatur aer, remanet vacuum; sed non remanet plenum aere; ergo *plenum aere* non est idem ac vacuum.

15. *Decimus quartus locus* est : cum duo sunt eadem, omnia quæ prædicantur de uno, prædicantur de altero; si ergo aliquid prædicetur de uno, quod non prædicetur de altero, non sunt eadem. Rursus quæ sunt eadem, ita se habent, ut de quocumque prædicatur unum, prædicetur alterum ; ergo si de aliquo prædicetur unum, de quo non prædicetur alterum, non sunt eadem.

16. *Decimus quintus locus* est : quæ sunt eadem numero, sunt eadem specie et genere, non e converso, adeoque ex eo, quod aliqua sint eadem numero, poterit probari, quod etiam sint eadem specie vel genere; ex eo vero, quod sint eadem specie vel genere, non poterit ostendi, quod sint eadem numero.

17. *Decimus sextus* et ultimus *locus* est : ea, quorum unum potest esse sine altero, non sunt eadem; neque enim idem potest esse sine seipso. Concludit Aristoteles hos esse locos ad probandum, quod aliqua sunt idem vel non sunt idem.

14. Considerare autem oportet non solum, an iam aliquid impossibile accidat propter thesim, sed etiam an esse possit ex hypothesi, ut iis accidit qui inane et aeris plenum idem esse asserunt. Patet enim, si aer exeat, nihilo minus, immo magis inane fore, plenum vero aeris amplius non fore. Quocirca supposito aliquo, seu vero seu falso (nihil enim refert), alterum eorum tollitur, alterum non item. Quare non idem sunt.

15. Ut autem universaliter dicam, ex iis quæ quomodocumque utrique attribuuntur, et quibus hæc attribuuntur, considerare oportet, an alicubi discrepent. Nam quæ alteri attribuuntur, alteri quoque attribui debent; et quibus alterum attribuitur, etiam alterum attribui debet. Præterea quia multis modis idem dicitur, considerare oportet, an alio quodam modo eadem sint. Nam quæ genere vel specie sunt eadem, non necesse est etiam numero eadem esse. Considerabimus autem, utrum ita sint eadem an secus.

17. Præterea, an possit alterum sine altero esse ; sic enim idem non erunt. Loci igitur ad idem pertinentes tot dicuntur.

CAPUT I. — ART. II.

DE LOCIS AD CONSTRUENDAM DEFINITIONEM

18. [2] Patet autem ex iis quæ dicta fuerunt, omnes locos ad idem pertinentes, qui vim habent evertendi, etiam ad definitionem refutandam utiles esse, quemadmodum antea dictum fuit. Nisi enim et nomen et oratio idem declarent,

constat eam orationem, quæ tradita est, non esse definitionem. Eorum autem locorum, qui ad confirmandum valent, nullus utilis est ad definitionem confirmandam. Non enim satis est probare idem esse quod orationi et quod nomini subjectum est, ad definitionem confirmandam; sed et cætera omnia quæ præcepta sunt, definitionem habere oportet. Refutare igitur definitionem hoc modo et ex his semper tentandum est.

19. [3] Quod si confirmare velimus, primum scire oportet, neminem aut paucos eorum qui disputant definitionem syllogismo concludere, sed omnes eam pro principio sumere, quemadmodum faciunt qui circa Geometriam, et qui circa numeros, et qui circa alias ejusmodi disciplinas versantur.

20. Deinde sciendum est, alius esse tractationis exquisite exponere et quid sit definitio et quomodo definire oporteat. Nunc vero, quod in usum præsentem sufficit, hoc tantum dicendum est, syllogismo concludi posse definitionem et quidditatem. Nam si definitio est oratio, quæ declarat rei quidditatem, et oportet ea quæ in definitione attribuuntur, etiam in quæstione quid est rei sola attribui (attribuuntur autem in quæstione quid est genera et differentiæ), perspicuum est, si quis sumpserit ea tantummodo quæ in quæstione quid est rei attribuuntur, orationem, quæ hæc ipsa continet, necessario esse definitionem, quia non potest esse alia rei definitio, cum nihil aliud in quæstione quid est rei attribuatur. Definitionem igitur syllogismo concludi posse perspicuum est.

Postquam Aristoteles lib. VI, tradidit locos ad destruendam definitionem, et ad eamdem construendam *secundum quid* et non simpliciter et cap. I, lib. VII, tradidit locos de eodem et diverso, traditurus locos ad definitionem simpliciter construendam, tria præmittit.

18. *Primum* est : loci destructivi ejusdem sunt etiam destructivi definitionis, at loci constructivi ejusdem non sunt sufficienter constructivi definitionis. Probatur prima pars; nam loci destructivi ejusdem ostendunt, quod unum non sit idem cum alio; sed si id, quod significat nomen definitivum, non sit idem adæquate cum eo, quod significat oratio definitiva, talis oratio vere non erit definitio; ergo loci, etc. Probatur secunda pars; nam loci constructivi ejusdem probant, quod unum est idem cum alio; sed non eo ipso, quod id, quod significatur per nomen, sit idem cum eo, quod significatur per orationem, talis oratio est definitio; ergo, etc. Ad destruendam igitur definitionem possumus etiam uti locis destructivis ejusdem; ad construendam autem definitionem alii loci sunt addendi.

19. *Secundum* est : disputantes raro definitionem probant syllogismo, sed plerumque definitionem accipiunt ut principium per se notum. Patet inductione, præsertim in mathematicis. Mathematici enim semper ponunt definitiones ut principia, ex quibus demonstrant conclusiones, nunquam syllogismo definitionem probant.

20. *Tertium* est : non spectat ad hos libros, sed ad libros Posteriorum, exacte explicare, quid sit definitio, et quomodo res sint definiendæ, hoc autem loco solum ostendendum est, posse fieri syllogismum, quo probetur definitio et ostendatur, quid res sit. Definitio est : *oratio explicans, quid sit res,* adeoque explicans prædicata, quæ de re prædicantur in quid; ergo oratio, quæ explicat prædicata, quæ sola de re prædicantur *in quid,* est definitio; sed sola genera et differentiæ prædicantur *in quid* de re; genus enim prædicatur *in quid,* differentia *in quale quid;* ergo oratio explicans genus et differentiam rei necessario est definitio rei; ergo sicut potest syllogismo ostendi, quod aliqua oratio contineat genus et differentiam rei, sic potest ostendi quod aliqua oratio est definitio.

21. Ex quibus autem oporteat eam construere, definitum fuit in aliis libris exquisitius. Quod vero ad propositam methodum attinet, hi loci utiles sunt.

22. Considerandum enim est in contrariis et aliis oppositis, et totas orationes et per partes inspiciendo. Nam si opposita oratio est oppositæ rei definitio, etiam orationem eam, quæ dicta est, rei propositæ definitionem esse necesse est. Quoniam autem contrariorum plures sunt connexiones, sumenda est ex contrariis ea quæ maxime videri possit contraria definitio. Totæ igitur orationes, quemadmodum dictum est, considerandæ sunt.

23. Per partes autem sic. Primum ostenditur genus, quod traditum fuit, recte traditum esse. Si enim contrarium est in contrario genere, quod autem propositum fuit, non est in eodem, procul dubio erit in contrario, quia necesse est contraria vel in eodem genere vel in contrariis generibus esse.

24. Ac differentias quoque contrarias attribui contrariis censemus, ut albo et nigro; nam illud dissipandi, hoc colligendi aspectum vim habet. Quare si contrario contrariæ differentiæ attribuuntur, certe ei quod propositum est, traditæ differentiæ attribuentur. Quocirca cum et genus et differentiæ recte traditæ sint, patet eam, quœ data est definitionem esse.

21. Sed explicandum est, ex quibus locis possit colligi definitio, quantum spes

tat ad Dialecticam; cætera enim determinata sunt lib. II. Posteriorum.

22. *Primus* igitur *locus* est ex oppositis, eoque possumus uti tum ad probandam totam definitionem, tum ad probandas seorsim partes definitionis, hoc est genus ac differentiam. Est autem locus talis : oppositorum oppositæ sunt definitiones ; si igitur hæc est definitio unius oppositi, definitio opposita erit definitio alterius oppositi. Ex hoc loco potest probari, quod definitio albi est : *color disgregativus visus ;* nigrum enim est oppositum albo; sed definitio nigri est: *color congregativus visus;* ergo definitio huic opposita, quæ est: *color disgregativus* est definitio albi. Quia vero, ut dictum est lib. II, cap. III, plures sunt complexiones contrariorum; nam huic, quod est *amicis benefacere*, opponitur, *amicis male facere*, *inimicis benefacere* etc., ut dictum est loco assignato, ideo Aristoteles docet illud contrarium sumendum, cujus definitio apparebit maxime contraria definitioni allatæ, quam probare intendimus.

23. Sed quoniam explicatum est, quo pacto ex oppositis et contrariis construatur tota definitio, explicandum est, quo pacto ex eodem loco possint construi partes definitionis, hoc est genus et differentia. *Secundus* igitur *locus* ad construendum genus est : si oppositum ejus, cujus definitio quæritur, est in uno genere, illud autem, cujus definitio quæritur, non est in eodem genere, erit in genere contrario. Ratio est, quia contraria necessario vel sunt in eodem genere, vel in contrariis generibus. Ex hoc loco potest sic ostendi justitiam esse in genere virtutis. Injustitia, quæ est contraria justitiæ est in genere vitii; sed justitia non est in eodem genere vitii; ergo est in genere contrario virtutis.

24. *Tertius locus* ad construendam differentiam ex contrariis est : rationabile etiam videtur, ut contraria constituantur contrariis differentiis ; ex. gr., quia differentia albedinis est *esse disgregativum visus*, differentia nigredinis est contraria, hoc est *esse congregativum visus*. Ex hoc igitur loco possumus sic ostendere differentiam albedinis esse *disgregativum visus :* nigredo enim est contraria albedini ; sed differentia nigredinis est *congregativum visus*, *congregativo* autem contrarium est *disgregativum;* ergo differentia albedinis est esse *disgregativum visus*. Cum igitur ex contrariis possimus colligere partes definitionis, hoc est genus et differentiam. possumus etiam colligere totam definitionem.

25. An non necesse est contrariis contrarias differentias attribui, nisi in eodem genere contraria sint? Quorum autem genera contraria sunt, nihil prohibet eamdem differentiam de ambobus dici, veluti de justitia et injustitia ; etenim illa est virtus, hæc est vitium animæ. Quapropter illud verbum animæ, quod est differentia, de ambobus dicitur, quoniam corporis quoque est virtus et vitium. At certo hoc verum est, contrariorum vel contrarias vel easdem differentias esse. Si igitur contrario contraria attribuitur, huic vero non item, patet eam quæ dicta fuit huic attribui. Et ut universaliter dicam, cum definitio constet ex genere et differentiis, si rei contrariæ definitio perspicua sit, etiam rei propositæ definitio perspicua erit.

26. Cum enim contrarium vel in eodem genere vel in contrario sit, similiterque differentiæ vel contrariæ contrariis vel eædem attribuantur, manifestum est rei propositæ aut idem genus attribui quod et contrariæ attribuitur, differentias vero contrarias vel omnes vel quasdam tantum, cum reliquæ sint eædem; aut contra differentias easdem, genera autem contraria ; aut utraque contraria, nempe et genera et differentias. Utraque enim eadem esse non possunt; alioquin eadem erit definitio contrariorum.

25. Verum contra hunc locum opponit Aristoteles : videtur enim non semper contraria constitui per differentias contrarias, sed tum solum cum sunt in eodem genere, ut patet in allato exemplo albedinis et nigredinis. E converso, cum contraria sunt in contrariis generibus, nihil prohibet eamdem differentiam prædicari de utroque contrario; ex. gr., virtus et vitium sunt contraria, et tamen quia sunt in contrariis generibus boni et mali, potest de ipsis dici eadem differentia, quæ differentia est *esse animi*. Sicut enim datur virtus corporis et animi, sic datur vitium corporis et animi ; ergo virtus et vitium constituuntur iisdem differentiis. Sed licet hoc totum admittatur, adhuc locus potest ita explicari, ut concludat. Contraria enim aut constituuntur iisdem differentiis, aut constituuntur differentiis contrariis; sed unum ex contrariis constituitur differentia, per quam alterum non constituitur ; ergo constituitur differentia contraria. Ex. gr., justitia et injustitia sunt contraria diversorum generum ; sed differentia injustitiæ est, ut eligat sibi plus, alteri minus, hæc autem non est differentia justitiæ ; ergo contraria est differentia justitiæ, adeoque differentia

justitiæ est, *esse electivam æqualis;* ergo universim, quandoquidem definitio constat ex genere et differentia; ex genere autem ac differentia unius contrarii potest manifestari genus ac differentia alterius contrarii, — ex definitione unius contrarii, si sit manifesta, poterit manifestari definitio alterius contrarii, ut patet in exemplis allatis.

26. Infert Aristoteles quatuor esse combinationes generis ac differentiæ contrariorum, quarum tres sunt possibiles, quarta est impossibilis. Aut enim contrariorum idem est genus et contrariæ differentiæ, eo pacto, quo albedo et nigredo conveniunt in genere coloris ac differunt per differentias congregativi et disgregativi; aut contrariorum contraria sunt genera et eædem differentiæ, eo pacto, quo virtus et vitium sunt in contrariis generibus boni ac mali, et dividuntur iisdem differentiis, quæ sunt *esse virtutes ac vitia corporis vel animi;* vel sunt in contrariis generibus et dividuntur contrariis differentiis, eo pacto, quo justitia et injustitia sunt in contrariis generibus virtutis ac vitii, ac dividuntur contrariis differentiis, quæ sunt *esse effectivum æqualitatis vel superabundantiæ;* vel demum sunt in eodem genere et contrahuntur iisdem differentiis, et hoc est impossibile; si enim contraria convenirent in genere ac differentia, convenirent in tota definitione, adeoque essent idem; ergo quatuor sunt combinationes contrariorum, tres possibiles, una impossibilis.

27. Præterea ducenda sunt argumenta a casibus et conjugatis. Necesse est enim consequentia esse genera generibus ac definitiones definitionibus. Utputa si oblivio est abjectio scientiæ, etiam oblivisci erit abjicere scientiam, et oblitum esse abjecisse scientiam. Uno igitur quovis eorum quæ dixi concesso, necesse est etiam reliqua concedere. Similiterque si interitus est dissolutio essentiæ, etiam interire erit dissolvi essentiam; et quod habet vim interimendi, habebit vim dissolvendi. Item si id quod habet vim interimendi, habet vim dissolvendi essentiam, etiam interitus erit dissolutio essentiæ. Similis est aliorum ratio. Quare uno quovis sumpto, etiam reliqua omnia conceduntur.

28. Ex iis quoque argui potest, quæ similiter sunt affecta inter se. Nam si salubre habet vim efficiendi sanitatem, id etiam quod valet ad firmam corporis constitutionem, habebit vim efficiendi firmam corporis constitutionem; et quod utile est, vim habebit efficiendi bonum, quoniam unumquodque eorum quæ dixi, similiter affectum est ad proprium finem. Quare si unius eorum definitio est habere vim efficiendi finem, etiam uniuscujusque reliquorum hæc erit definitio.

27. *Quartus locus* est : ex casibus et conjugatis possumus construere tum totas definitiones tum earum partes. Ex genere enim unius conjugati sequitur genus alterius, ex differentia sequitur differentia, et ex tota definitione sequitur tota definitio. Ex. gr., si oblivio est amissio scientiæ, *oblivisci* est *amittere scientiam, oblitum esse* est *amisisse scientiam.* Rursus si corruptio est dissolutio substantiæ, *corrumpere* est *dissolvere substantiam,* corruptiva sunt *dissolutiva substantiæ ;* et e converso, si corruptivum est *dissolutivum substantiæ,* corruptio est dissolutio substantiæ, etc.

28. *Quintus locus* ex eodem modo seu proportionaliter se habentibus est : eodem modo se habentium, proportionalis est definitio, simile genus ac similes differentiæ. Ex. gr., sicut se habet salubre ad sanitatem, ita se habet habile ad bonam habitudinem et adjutivum ad bonum ; nam sicut salubre habet pro fine sanitatem, sic habile habet pro fine bonam habitudinem, adjutivum habet pro fine bonum ; sed salubre definitur, *quod est effectivum sanitatis ;* ergo habile definitur, *quod est effectivum bonæ habitudinis,* adjutivum definitur, *quod est effectivum boni.*

29. Præterea ducenda sunt argumenta ex eo quod magis et ex eo quod æque est, quot modis licet confirmare, duobus ad duo comparatis. Veluti si magis hæc hujus quam illa illius definitio est, quæ autem minus esse videtur, definitio est, etiam ea quæ magis videtur, definitio erit. Item si æque hæc hujus et illa illius definitio est, si altera alterius est, etiam reliqua reliqui erit. Una autem definitione cum duabus rebus comparata, aut duabus definitionibus cum una re, non est utilis hæc consideratio, ex eo quod magis est, quia nec una duarum rerum nec duæ ejusdem rei definitiones esse possunt. [4] Maxime autem locorum omnium apti sunt ii quos nunc dixi, necnon ex casibus et conjugatis. Ideoque maxime memoria tenere et in promptu habere oportet hos locos (utilissimi enim sunt ad plurima problemata), atque etiam ex cæteris eos qui sunt maxime communes, quoniam inter reliquos sunt efficacissimi. Cujusmodi est respicere ad singularia ; item in speciebus considerare an eis conveniat definitio, quoniam species est synonyma (est autem utilis hic locus adversus eos qui ponunt ideas esse, quemadmodum antea dictum fuit); præterea videre an nomen per translationem dixerit, aut idem sibi ipsi attributum

sit quasi diversum. Et si quis alius locus est communis et efficax, eo utendum est.

29. *Sextus locus* ex magis ac minus, et ex similibus est : si quæ minus aut similiter videtur definitio unius, est definitio ipsius, quæ magis aut similiter videtur definitio alterius, est definitio illius. Advertit autem Aristoteles duo. Primum est quod, cum possint comparari vel duæ definitiones cum uno definito, vel una definitio cum duobus definitis, vel duæ definitiones cum duobus definitis, comparationes duarum definitionum cum uno definito, ac unius definitionis cum duobus, sunt inutiles, siquidem neque possibile est esse duas definitiones unius definiti, neque possibile est esse unam definitionem duorum definitorum ; ergo licet ad alia prædicata construenda sint etiam utiles aliæ comparationes, adhuc ad construendam definitionem utilis est solum comparatio duarum definitionum cum duobus definitis. Secundum, quod Aristoteles advertit, est, locos ex magis ac minus, ex simili, ex conjugatis ac casibus esse utilissimos, ideoque bene animo infigendos conandumque, ut illos maxime promptos habeamus, propter maximam eorum utilitatem, non solum ad problema definitionis sed etiam ad alia problemata. Addit, quod ex eadem ratione curandum, ut maxime promptos ex locis habeamus eos, qui sunt maxime communes, quia sunt etiam maxime efficaces. Enumerat autem Aristoteles aliquos ex locis efficacioribus. Primus est consideratio specierum ac singularium inferiorum ; ex tali enim consideratione poterimus advertere, an definitio conveniat omni definito vel non, et sic poterimus definitionem construere vel destruere. Præsertim vero ex hoc loco poterimus impugnare ideas, ostendendo, quod eadem definitio non convenit universali ac singularibus, cum ad bonam definitionem requiratur, ut eadem conveniat universali et omnibus sub universali contentis. Secundus locus est, in quo consideratur, an id, quod est idem cum re, prædicetur ut diversum a re. Idem dic de aliis locis, si qui sint communiores et efficaciores ; sunt enim præcipuo studio in animo infigendi, ac conandum est, ut eos maxime promptos habeamus.

CAPUT II

UTRUM FACILIUS SIT PROBLEMATA CONSTRUERE AN DESTRUERE ; ET QUÆ PROBLEMATA FACILIUS AUT DIFFICILIUS CONSTRUANTUR VEL DESTRUANTUR.

1. [5] Difficilius autem confirmari quam everti definitionem, ex iis quæ deinceps dicentur perspicuum erit.

2. Nam et ipsum interrogantem videre, et ab iis qui interrogantur sumere hujusmodi propositiones, non facile est, utputa eorum quæ in tradita definitione continentur, aliud esse genus aliud differentiam, et in quæstione quid est attribui tantummodo genus et differentiam. Sine his autem propositionibus non potest definitio syllogismo concludi. Nam si et quædam alia rei attribuuntur in quæstione quid est, non constat, eane quæ dicta est, an altera sit ejus definitio, quandoquidem definitio est oratio quidditatem declarans.

3. Sed et ex his manifestum est. Facilius est enim unum concludere quam multa. Ac refellenti quidem sufficit contra unam definitionis partem disputare (nam si unam qualemcumque refutaverimus, eversa erit definitio), confirmanti autem necesse est ea omnia coagmentare et probare inesse, quæ in definitione posita sunt.

4. Præterea qui confirmat, universalem syllogismum afferre debet ; nam quibus nomen, iis omnibus etiam definitionem attribui oportet ; et præterea vicissim quibus definitio, etiam nomen, si propria futura est ea definitio, quæ tradita est. Ei vero qui refellit, non est necesse probare universale ; sufficit enim, si probet definitionem de aliquo eorum quæ sub nomine continentur non vere dici. Sed et si universaliter refellere oporteat, ne sic quidem reciprocatio est necessaria in refutatione. Satis enim est eum qui refutat universaliter ostendere, cuidam eorum quibus nomen attribuitur, definitionem non attribui. Contra autem non necesse est ostendere, quibus definitio non attribuitur, ne nomen quidem attribui.

5. Præterea etsi omni ei conveniat, quod sub nomine continetur, non tamen soli, eversa erit definitio.

1. Postquam Aristoteles tradidit loca ad construenda vel destruenda problemata, comparat constructionem cum destructione ac ipsa problemata inter se. Primo ergo comparans constructionem cum destructione examinat, utrum facilius sit singula problemata construere an destruere. Secundo comparans inter se problemata examinat, quænam problemata facilius, quæ difficilius construantur aut destruantur.

2. *Quoad primum* ponit Aristoteles tres conclusiones. *Prima conclusio* est :

difficilius est definitionem construere quam destruere. Probatur primo, quia difficile est cognoscere, quid res sit, et sumere propositiones, quæ ab adversario admittantur, et ex quibus possit ostendi definitio; sed hoc totum requiritur ad construendam definitionem; ergo difficile est definitionem construere. Quod difficillimum sit cognoscere, *quid res sit*, patet, quia cum hæc sit cognitio valde perfecta, difficile obtinetur. Quod etiam difficile sit sumere propositiones, quibus ostendatur definitio, probatur, quia non potest concludi per syllogismum, quod allata oratio sit definitio, nisi in præmissis assumatur, quod ex prædicatis in tali oratione positis, aliud est genus rei, aliud differentia, et quod compositum ex his prædicatur de re *in quid*; et postquam hoc totum fuerit ostensum, quia etiam genera remota et differentiæ remotæ prædicantur de re *in quid*, possunt fieri plures orationes, quæ explicent genus et differentiam rei, et prædicentur de re in quid, adeoque adhuc remanet dubium, utra ex dictis orationibus sit definitio rei; ergo cum difficillimum sit hæc omnia probare, difficillimum est definitionem construere, ac multo difficilius quam eamdem destruere.

3. Secundo probatur eadem conclusio: difficilius enim est multa quam unum concludere; sed ad evertendam definitionem sufficit concludere, quod deest illi unum ex iis, quæ ad definitionem requiruntur, adeoque sufficit concludere unum; ad definitionem construendam debet ostendi, quod definitioni insunt omnia, quæ ad definitionem requiruntur, adeoque debent concludi nulla; ergo, etc.

4. Tertio probatur, ostendendo, quod ex pluribus capitibus difficilius est definitionem construere quam destruere. Primo ad construendam definitionem debet ostendi, quod definitio dicitur de omni definito, ad definitionem evertendam sufficit ostendere, quod de aliquo non dicitur; sed difficilius est ostendere, quod prædicatum convenit omni, quam quod alicui non convenit; ergo etc. Secundo difficilius est ostendere, quod prædicatum non solum convenit subjecto universaliter, sed etiam convenit conversim; sed ad construendam definitionem debet ostendi, quod definitio convertitur cum definito; ad definitionem evertendam, licet deberet probari, quod de nullo definito dicatur oratio definitiva, adhuc non deberet ostendi e converso, quod de nullo, de quo dicitur oratio definitiva, dicatur definitum; ergo etiam ex hoc capite difficilius est definitionem construere quam destruere.

5. Tertio demum ad definitionem construendam non solum debet ostendi, quod definitio convenit omni, sed etiam, quod convenit soli; ad evertendam sufficit ostendere, quod vel non convenit omni vel non convenit soli; sed multo difficilius est ostendere, quod convenit omni et soli, quam quod vel non convenit omni vel non convenit soli; ergo, etc.

6. Similis est et proprii et generis ratio; utraque enim refellere quam confirmare facilius est. Quod quidem de proprio perspicuum est ex iis quæ dicta sunt, quia plerumque in verborum conjunctione proprium traditur. Itaque refellere licet vel uno verbo reprehenso, eum vero qui confirmat, omnia syllogismo concludere necesse est. Fere autem reliqua omnia quæ ad definitionem pertinent, etiam ad proprium aptari possunt. Nam qui confirmat, ostendere debet orationem iis omnibus convenire quæ sub nomine continentur; refellenti autem satis est ostendere, uni non convenire. Sed etsi omni conveniat, non tamen soli, sic quoque eversum erit, quemadmodum et in definitione dicebatur.

7. De genere autem hinc apparet, quia confirmatur uno modo, id est si probetur omni inesse; refellitur autem duobus; sive enim probetur nulli inesse sive alicui non inesse, eversum erit quod initio positum fuit quasi genus. Præterea confirmanti non satis est probare inesse, sed etiam ut genus inesse probandum est. Refellenti autem sufficit probare alicui non inesse vel nulli inesse. Videtur autem, ut et in aliis facilius est corrumpere quam efficere, sic et in iis rebus refellere quam confirmare.

8. Quod vero ad accidens attinet, universale facilius refellitur quam confirmatur; nam confirmanti probandum est omni inesse, refellenti autem satis est probare uni non inesse. Contra particulare facilius confirmatur quam refellitur, quia confirmanti satis est probare cuidam inesse, refellenti autem probandum est nulli inesse.

6. *Secunda conclusio* est: difficilius est etiam, proprium ac genus construere quam destruere. Probatur primo de proprio ut plurimum enim oratio assignans proprium est complexa ex genere et proprio; ergo ad illam evertendam sufficit evertere unum ex iis, quæ dicuntur in tali oratione, ad proprium vero construendum debent omnia probari; sed difficilius est concludere plura quam unum; ergo difficilius est proprium construere quam destruere. Confirmatur, nam pæne omnia, ex quibus ostensum est, difficilius

esse definitionem construere quam destruere, probant etiam difficilius esse proprium construere quam destruere; nam ad probandum proprium, debet ostendi, quod convenit omni et soli; ad ipsum autem evertendum sufficit probare, quod uni non inest, vel quod etiamsi insit omni, non inest soli, sicut de definitionibus dictum est.

7. Probatur secundo de genere: nam ad probandum, quod aliquid sit genus, debet probari, quod convenit omni, et quod præterea prædicatur *in quid*, sive ut genus; ad ostendendum autem, quod aliquid non sit genus, sufficit probare, vel quod nulli convenit, vel quod alicui non convenit, vel quod licet conveniat omnibus, non convenit ut genus; sed facilius est probare unum ex his, quam ostendere omnia, quæ requiruntur ad genus; ergo facilius est genus destruere quam construere. Confirmatur, quia sicut in genere physico facilius est corrumpere quam facere, sic in genere intentionali facilius est destruere quam construere.

8. *Tertia conclusio* est: facilius est, accidens universale destruere quam construere; at facilius est, accidens particulare construere quam destruere. Probatur, quia ad construendum accidens universale debet ostendi, quod convenit omni, ad ipsum destruendum debet ostendi, quod alicui non convenit; sed facilius est ostendere, quod alicui non convenit, quam quod convenit omni; ergo etc. Rursus ad construendum accidens particulare sufficit ostendere, quod convenit alicui, ad destruendum debet ostendi, quod nulli convenit; sed facilius est ostendere, quod alicui convenit, quam quod nulli convenit; ergo, etc.

9. Perspicuum quoque est cur omnium facillimum sit definitionem evertere. Cum enim multa dicta sint, quæ in definitione servari debent, plurima data sunt ad eam evertendam. Ex pluribus autem citius fit syllogismus, quia verisimile est in multis magis quam in paucis peccari.

10. Præterea ad definitionem evertendam ex aliis quoque argumenta sumi possunt. Sive enim oratio non sit propria, sive id quod traditum est non sit genus, sive aliquid eorum quæ in definitione posita sunt non insit, evertitur definitio. Ad alia vero refutanda nec quæ ex definitionibus exsistunt, nec cætera omnia argumenta sumi possunt. Nam ea sola quæ ad accidens pertinent, communia sunt iis omnibus quæ dicta fuerunt, quoniam unumquodque eorum quæ dicta sunt inesse debet. Quod si genus non insit ut proprium, non ideo genus eversum est. Similiter non est necesse proprium inesse ut genus, nec accidens inesse ut genus vel ut proprium, sed inesse dumtaxat. Quare non possunt argumenta ex aliis ad alia transferri, nisi ad definitionem.

11. Patet igitur facillime omnium infirmari definitionem. Difficillime autem confirmatur. Nam et cætera omnia concludi oportet (nimirum inesse ea omnia quæ dicta fuerunt, et genus esse quod traditum fuit, et propriam esse orationem), et præterea probandum est, orationem declarare quid res sit; idque præclare factum esse oportet. Inter cætera vero proprium est maxime tale. Facilius enim evertitur, quia ex multis verbis plerumque constat. Difficillime autem confirmatur, quia multa oportet coagmentare atque conjungere, et præterea probare soli inesse et cum re reciprocari. Facillime autem omnium confirmatur accidens. Cætera namque non solum inesse, sed etiam ita inesse probandum est; accidens autem inesse tantum probare sufficit. Difficillimum autem est refellere accidens, quia paucissima in eo data sunt; neque enim adsignificatur in accident, equomodo insit. Quare cætera duobus modis licet refellere, id est vel probando non inesse vel non ita inesse; accidens autem non licet evertere, nisi probetur non inesse. Loci igitur, ex quibus adversus singula problemata argumentorum copia nobis suppetat, fere sufficienter enumerati sunt.

9. *Quoad secundum*: comparans Aristoteles problemata inter se et examinans, quænam facilius vel difficilius probentur, ponit alias tres conclusiones. *Prima conclusio* est: problema definitionis est inter omnia problemata facillimum ad destruendum, difficillimum ad construendum. *Probatur prima pars* primo, quia facilius destruitur id, ad quod plura, quam id, ad quod pauciora requiruntur; sed ad definitionem plura requiruntur quam ad reliqua problemata; definitio enim debet prædicari de omnibus, convertibiliter et *in quid* etc.; ergo, etc. Major probatur, quia sicut facilius peccatur in multis quam in paucis, sic facilius est invenire loca ad argumentandum cum multa, quam cum pauca requiruntur.

10. Secundo probatur, quia omnia loca, quæ valent ad destruendum cætera problemata, valent ad destruendam definitionem, at non omnia, quæ valent ad destruendam definitionem, valent ad destruenda cætera problemata; sed facilius est argumentari, cum plura sunt loca argumentorum quam cum pauciora; ergo, etc. Probatur major nam, definitio debet inesse, debet continere genus ac debet esse propria rei; ergo sive ex locis accidentis ostendamus non inesse, sive

ex locis proprii ostendamus, eam non esse propriam rei, sive ex locis generis probemus genus in illa positum vere non esse genus definiti, definitionem evertimus. At loca contra definitionem non valent contra proprium, loca contra proprium non valent contra genus, sola autem loca accidentis, ex quibus ostenditur rem inesse vel non inesse, possunt accommodari ad omnia problemata evertenda; ergo, etc.

11. *Probatur* jam *secunda pars,* quod nimirum difficillimum sit definitionem construere; nam ad definitionem probandam debent ostendi omnia alia, quæ debent ostendi ad cætera problemata et aliquid aliud; ergo difficillime probatur. Probatur antecedens, nam debet ostendi, quod inest rei, quod genus assignatum vere est genus, quod est propria rei, et præterea, quod explicat *quid sit res,* et quod bene explicat.

12. *Secunda conclusio* est : post definitionem proprium facillime destruitur ac difficillime probatur. Ratio est, quia quod requirit plures conditiones, difficile probatur et facile destruitur; sed proprium requirit plures conditiones; debet enim convenire omni, soli, semper, ac debet prædicari ad convertentiam ; ergo proprium post definitionem difficillime construitur et facillime destruitur.

13. *Tertia conclusio* est : accidens facillime construitur ac difficillime destruitur inter omnia prædicata. Quod facillime construatur patet; nam ad accidens probandum sufficit ostendere, quod inest; ad alia prædicata probanda non solum debet ostendi, quod insunt, sed etiam, quod sic insunt. Ex. gr., ad probandum genus debet ostendi, quod prædicatur *de omni, in quid,* etc. ad probandum proprium, debet ostendi, quod inest omni, soli et semper, et dicitur ad convertentiam etc. Hinc vero patet etiam, quod accidens difficillime destruitur; nam unica est via evertendi accidens, ostendendo, quod non inest; at plures sunt viæ evertendi cætera prædicata, probando nimirum, quod vel non insunt vel non insunt tali modo. Hinc patet Aristotelem loqui de accidente late, in quantum solum significat *inesse,* abstrahendo a modo, quo inest. Concludit Aristoteles satis esse explicata loca, ex quibus possumus ducere argumenta accommodata cunctis generibus problematum, et absolvit librum septimum.



TOPICORUM

LIBER VIII

CAPUT I, — ART. I

QUO PACTO DIALECTICUS DEBEAT ORDINARE INTERROGATIONES ET RATIONES, ET IN QUO CONVENIAT AC DIFFERAT A PHILOSOPHO.

1. [1] Post hæc de dispositione, et quomodo interrogare oporteat, dicendum est.

2. Primum autem debet is qui interrogaturus est, locum invenire, ex quo argumentetur, deinde interrogare et disponere singula ipse per se, tertio et postremo hæc dicere contra alterum.

3. Ac loci quidem inventio æque ad Philosophum et ad Dialecticum pertinet, eorum autem quæ inventa fuerunt dispositio et interrogatio Dialectici est propria, quoniam hoc totum adversus alterum est; Philosopho autem et ei qui ipse secum veritatem inquirit, curæ non est, si vera sint et nota ea, ex quibus efficitur syllogismus, nec tamen ea ponat is qui respondet, propterea quod propinqua sint questioni ab initio propositæ ac provideat, quod eventurum sit. Quinimo fortasse dat operam, ut axiomata sint maxime nota et problemati propinqua, quandoquidem ex his constant syllogismi, qui scientiam pariunt.

1. Ad disputationem dialecticam duo sunt necessaria, quorum alterum ad inventionem, alterum ad dispositionem referri videtur. *Primum*, quod ad inventionem spectat est, ut Dialecticus habeat copiam argumentorum ad proposita problemata; *secundum*, quod ad dispositionem refertur, est, ut sciat ordinate interrogare ac respondere. Aristoteles igitur, postquam superioribus libris, exponendo locos, tradidit artem inveniendi argumenta, octavo et ultimo libro agit de modo ordinate interrogandi ac respondendi, adeoque tradit artem disponendi ac proponendi ea, quæ fuerint inventa.

2. *Præmittit primo*, quod Dialecticus cum sumit partes interrogantis atque argumentantis, tria debet facere. Primo debet invenire problema, de quo sit disputandum, et loca, ex quibus sit argumentandum; secundo debet apud se ordinare singulas interrogationes, tum quæ spectant ad problema, de quo est argumentandum, tum quæ ad propositiones, ex quibus est argumentandum; tertio demum ad disputationem accedens debet interrogationes et argumenta alteri, cum quo disputat, proponere eo ordine ac modo, quem apud semetipsum statuerit.

3. *Præmittit secundo*, quod ea, quæ spectant ad inventionem locorum et argumentorum, communia sunt Philosopho ac Dialectico. Sicut enim Philosophus veritatem inquirens debet invenire loca ac rationes pro utraque parte, ut iis inspectis, possit veritatem determinare, sic Dialecticus cum altero disputaturus, debet invenire loca et rationes pro utraque parte, ut iis inspectis, possit ea seligere, quæ ad disputationem videntur conducere. At in iis, quæ spectant ad ordinem et dispositionem interrogationum et rationum, differt Philosophus a Dialectico. Philosophus enim, qui habet pro fine inquisitionem veritatis, solum est sollicitus, an propositiones, ex quibus conficit syllogismos et probat conclusiones, sint veræ ac notæ; posito vero, quod sint veræ ac notæ, non est sollicitus, an a respondente admittantur vel non admittantur eo quod respondens, videns tales propositiones esse propinquas et connexas cum

conclusione probanda, neget illas, ne iis concessis, etiam conclusionem, quæ ex ipsis sequitur, cogatur admittere; immo Philosophus studiose seligit propositiones evidentes, propinquas et manifeste connexas cum conclusione probanda, siquidem tales debent esse dignitates, ex quibus fiunt syllogismi scientifici. Dialecticus e converso, quia non habet pro fine veritatem sed disputationem, sollicitus est de eo, an propositiones sint ab adversario admittendæ vel non; et quia vide t, quod propositiones propinquæ et connexæ cum conclusione probanda, negandæ sunt ab adversario, ne cogatur conclusionem concedere, ideo ita ordinat disputationem, ut ab initio celet propositiones propinquas et proponat alias propositiones remotiores, quas putat admissum iri ab adversario.

CAPUT I. — ART. II

DE QUATUOR GENERIBUS PROPOSITIONUM NON NECESSARIARUM; ET QUO PACTO DEBEANT SUMI A DIALECTICO.

4. Ac locos quidem, unde argumenta sumere oporteat, superius exposuimus; nunc vero de dispositione et interrogatione dicendum est, cum ante distinctæ fuerint propositiones, quæ sumendæ sunt præter necessarias. Necessariæ autem dicuntur eæ, ex quibus syllogismus conficitur.

5. Quæ vero præter has sumuntur, quatuor sunt, vel enim sumuntur inductionis causa, ut detur quod est universale, vel ut amplificetur oratio, vel ut celetur conclusio, vel ut magis perspicua sit oratio. Præter has autem nulla propositio est sumenda, sed enitendum est, ut per has amplificetur oratio vel interrogetur.

7. Quas autem celandæ conclusionis causa adhibemus, eas certandi causa adhibemus. Sed quia tota hæc tractatio est adversus alterum, necesse est etiam his propositionibus uti.

7. Necessariæ igitur, ex quibus syllogismus conficitur, non statim proponi debent, sed recedendum quam longissime sursum versus. Ut puta non est postulandum contrariorum eamdem esse scientiam, si quis hoc sumere velit, sed generaliter oppositorum; hoc enim posito etiam contrariorum eamdem scientiam esse concludet, quoniam contraria in oppositis numerantur. Quodsi adversarius id non concedat, per inductionem sumendum est, propositis singulis contrariis. Vel enim per syllogismum vel per inductionem necessariæ propositiones sumi debent, vel aliæ inductione aliæ syllogismo.

8. Quæ vero sunt valde perspicuæ, etiam ipsas proponere debemus. Obscurius enim semper est in recessu et inductione, quod eventurum est. Simulque eas, quæ utiles sunt proponere, si quis illo modo sumere nequeat, in promptu est. Quæ vero præter has dictæ fuerunt, sumendæ sunt harum ipsarum causa.

9. Singulis autem ita utendum est. Inducentem oportet a singularibus ad universalia et a notis ad ignota progredi; notiora autem vel absolute vel multis sunt ea, quæ sub sensum cadunt.

4. His præmissis, docet Aristoteles quod, cum actum sit de inventione argumentorum, et exposita sint loca communia Dialectico et Philosopho, ex quibus locis possunt desumi argumenta, agendum est de ordine proponendi interrogationes et argumenta, qui ordo proprius est Dialecticæ. Et quia Dialecticus non solum debet sumere propositiones necessarias, ex quibus nimirum necessario sequitur conclusio intenta, sed etiam debet sumere aliquas propositiones non necessarias, ex quibus non necessario vel saltem non immediate sequitur conclusio intenta, ideo primo distinguenda et explicanda sunt genera propositionum non necessariarum, ac deinde tradenda præcepta singulis generibus accommodata.

5. *Quatuor* sunt *genera* propositionum non necessariarum, quæ sumi debent a Dialectico. *Primo* sumi debent quædam propositiones inductivæ, ut respondens concessis multis particularibus, concedat deinde aliquam propositionem universalem, quam alioquin non concederet. *Secundo* sumi debent quædam propositiones augentes orationem, ad hoc, ut adversarius admittat aliquam propositionem amplificatam, quam nisi esset amplificata, non admitteret. *Tertio* sumi debent aliquæ propositiones ad occultandam conclusionem et præmissas intentas, ne adversarius advertens tales conclusiones et præmissas intendi ab arguente, illas neget. *Quarto* demum debent sumi aliquæ propositiones ad magis explicandum id, de quo agitur.

6. Licet autem propositiones, quæ afferuntur gratia occultationis, non conferant ad inquisitionem veritatis, adhuc Dialecticus, quia habet pro fine disputationem et certamen, debet illas sumere, utpote quæ ad disputationem et certamen maxime conferunt.

7. Ad finem igitur occultandi, non debet statim interrogare de propositionibus, ex quibus immediate ac necessario

concluditur propositio intenta, sed debet ab initio interrogare de aliis propositionibus universalioribus, ex quibus mediate solum probatur conclusio intenta. Ex. gr., si quis velit probare, quod sani et ægri est eadem disciplina, non debet ab initio interrogare, an contrariorum sit eadem disciplina, sed an oppositorum sit eadem disciplina ? Si enim id obtinuerit, poterit probare, quod cum contraria sint opposita, contrariorum est eadem disciplina, et quod cum sanum et ægrum sint contraria, sani et ægri est eadem disciplina. Si vero respondens nec admittat, quod oppositorum est eadem disciplina, afferenda est inductio singularium. Propositiones siquidem necessariæ ad inferendam conclusionem probandæ sunt vel inductione vel syllogismo.

8. Quando autem aliquæ propositiones licet satis manifestæ, non videntur admittendæ ab adversario, eo quod sit etiam manifestum, quod ex iis sequitur conclusio proposita, tum tales propositiones sunt amplificandæ, digrediendo etiam a proposito ; ex tali enim amplificatione et ex inductione plurium, occultabitur conclusio ex iis consequens, et sic facilius admittentur. Rursus quando respondens non admittit aliquas propositiones utiles ad intentum arguentis, quia non videntur satis claræ, explicandæ sunt et amplificandæ, ut clarescant et admittantur.

9. Jam inductiones faciendæ sunt vel ex singularibus ad universalia, vel ex magis notis ad minus nota; et quia sensibilia sunt notiora, vel simpliciter vel multitudini, ideo præsertim propositiones inductivæ sumendæ sunt ex sensibilibus. Sed hæc omnia magis explicabuntur infra.

CAPUT I. — ART. III

PRÆCEPTA ET LOCA PRO SUMENDIS PROPOSITIONIBUS CELATIVIS.

10. Celantem autem oportet

11. prosyllogismis ea probare, ex quibus concludendum est quod ab initio propositum fuit; atque hæc quam plurima. Quod quidem fiet, si quis non solum propositiones necessarias, sed aliquam etiam ex iis quæ ad hasce utiles sunt concludat.

12. Præterea conclusiones dicere non oportet, sed postea repente concludere; sic enim maxime recedet a thesi initio proposita.

13. Et ut universaliter dicam, eum qui celando percontatur, sic interrogare oportet, ut cum totam orationem interrogaverit et conclusionem dixerit, quæratur quid ita. Hoc autem maxime fiet eo quem nunc diximus modo. Si enim sola ultima conclusio dicta fuerit, incertum erit, quomodo efficiatur, propterea quod is qui respondet, ex quibus colligatur, non providerit, cum priores syllogismi in membra digesti non fuerint. Minime autem in sua membra digeritur syllogismus conclusionis, cum non ponimus ejus sumptiones, sed ea ex quibus sumptiones illæ concluduntur.

14. Utile etiam erit non continentia sumere axiomata, ex quibus syllogismi constant, sed permiscere quæ ad hanc et quæ ad illam conclusionem pertinent. Cum enim propria alicujus conclusionis juxta se ponuntur, magis apparet, quid ex eis efficiatur.

10. Distinctis quatuor generibus propositionum, descendit Aristoteles ad tradenda præcepta et loca magis particularia ; ac *primo* tradit præcepta et loca pro sumptione propositionum celativarum.

11. *Primum præceptum* seu primus locus est : ut quis probet conclusionem latenter, initio non debet proponere syllogismos, ex quibus infertur proposita conclusio, sed prosyllogismos, ex quibus probantur propositiones seu præmissæ, ex quibus sequitur proposita conclusio; si vero afferat syllogismos, ex quibus non probentur præmissæ immediatæ sed mediatæ prosyllogismorum, latentius probabit, et eo magis latenter, quo concludet præmissas remotiores.

12. *Secundum præceptum* est : ad eumdem finem non debet initio inferre ullam conclusionem, sed solum interrogare, concessis vero propositionibus, ex quibus possunt concludi aliquæ præmissæ mediatæ vel immediatæ debet simul inferre tales præmissas. Interrogationibus enim, ex quibus nulla inferatur conclusio, longissime amovebitur respondens a videndo, quo pacto sequatur conclusio proposita; illatione vero, qua simul inferentur omnes conclusiones perturbabitur et confundetur.

13. *Tertium præceptum* est : ita debent proponi interrogationes, ut cum deinde infertur proposita conclusio; ex. gr., *ergo anima est immortalis,* respondens debeat dicere, *quo pacto ex concessis sequitur animam esse immortalem?* tum quia propositiones concessæ non sunt digestæ in formam syllogisticam, tum quia solum sumptæ sunt propositiones, ex quibus fit syllogismus inferens non conclusionem

propositam, sed præmissas mediatas vel immediatas.

14. *Quartum præceptum* est: Utile est etiam loco conjungendi propositiones continuas, ex quibus nimirum fit syllogismus inferens unam conclusionem, conjungere propositiones non continuas, ex quarum nimirum una fit syllogismus inferens conclusionem principalem, ex altera fit syllogismus inferens aliquam præmissam. Ex. gr. ut quis latenter concludat : *ergo anima est immortalis*, non debet sic argumentari : *omne seipsum movens est immortale; anima seipsam movet; ergo*, etc.. Sed debet sic argumentari ; *omne seipsum movens est immortale ; sed anima cognoscit; ergo anima est immortalis*. Minor enim non est propositio ad probandam propositam conclusionem, sed ad probandam præmissam propositæ conclusionis, quod nimirum *anima seipsam movet ; omne enim, quod cognoscit movet seipsum ; sed anima cognoscit ; ergo anima movet seipsam.*

15. Oportet etiam, cum fieri potest, definitione sumere universalem propositionem non in iis, de quibus agitur, sed in conjugatis. Nam qui respondent, se ipsos paralogismo fallunt, cum in conjugato sumpta fuerit definitio, quasi non concedant universale. Ut puta si accipere oporteat, eum qui irascitur appetere vindictam, et sumatur ira esse appetitus vindictæ, quod aliquis comtempsisse videatur. Patet enim hoc sumpto nos habituros esse universale, quod consulto volumus. Cum autem definitio proponitur in iis ipsis, de quibus agitur, sæpe accidit ut respondens abnuat, quia magis in eo, de quo agitur objectionem paratam habet; veluti non omnem qui irascitur vindictam appetere, quia licet parentibus irascamur, tamen vindictam non appetimus. Fortasse autem hæc objectio vera non est, quoniam a quibusdam satis ultionis suminus, si molestia tantum eos afficiamus et efficiamus, ut eos pœniteat. Habet tamen nescio quam vim persuadendi, ut non injuria propositio negata esse videatur. Sed adversus iræ definitionem non æque facile est objectionem invenire.

16. Præterea sic proponere debemus, quasi non propter id de quo agitur, sed alius causa proponamus. Nam qui respondent, ea declinant, quæ ad thesim impugnandam utilia sunt.

17. Et ut simpliciter dicam, quam maxime incertum efficere debet is qui interrogat, utrum id quod proponit an oppositum sumere velit. Cum enim est obscurum, quid ad thesim impugnandam utile sit, magis quod sibi videtur ponunt.

18. Præterea per similitudinis collationem interrogare oportet, quoniam et vim habet ad persuadendum et magis latet quam universale, veluti ut scientia et ignorantia contrariorum est eadem, ita etiam sensum contrariorum eumdem esse; vel contra, quia contrariorum sensus est idem, etiam scientiam esse eamdem. Hoc autem est simile inductioni, non tamen idem; illic enim ex singularibus sumitur universale, in similibus vero id quod sumitur non est universale, sub quo similia contineantur.

15. *Quintum præceptum* est : cum sumenda est definitio loco sumendi propositionem universalem, ex qua sequitur conclusio proposita, debet sumi definitio conjugati præsertim si difficilius afferatur instantia contra definitionem conjugati, quam contra propositionem intentam; concedentes enim definitionem conjugati falluntur et non advertunt eo ipso se concedere definitionem, qua indiget argumentans. Ex. gr., si argumentans indigeat, ut concedatur sibi, quod *omnis, qui irascitur, appetit ultionem et pœnam* debet sumere definitionem iræ, quod nimirum *ira est appetitus ultionis et pœnæ propter apparentem contemptum* ; præsertim, quia difficilius est instare contra definitionem iræ, quam contra illam propositionem universalem, quod *omnis iratus appetat ultionem et pœnam*. Contra hanc enim propositionem potest instari, quia aliquando filii irascuntur parentibus, et tamen noluit ulcisci de parentibus neque illos punire ; non autem ita facile instatur contra definitionem iræ. Et licet hæc instantia non valeat, quia potest dici, quod filiis sufficiens ultio et pœna videtur, quod parentes contristentur ex ira filiorum, et quod illos pœniteat, adhuc instantia videtur verisimilis nec est irrationabilis.

16. *Sextum præceptum* est : propositiones debent proponi tanquam collimantes non ad intentum, sed ad aliquid aliud; nam respondentes, quæ collimant non ad intentum, sed ad aliquid aliud, facilius admittunt.

17. *Septimum præceptum* est : debent ita propositiones proponi, ut respondens dubitet, utram partem contradictionis velit sibi concedi argumentans; tum enim eligit eam partem contradictionis, quæ videtur verisimilior ipsi respondenti.

18. *Octavum præceptum* est : utile est proponere interrogationes adjecta aliqua similitudine : nam et similitudo seu paritas habet magnam vim persuadendi, et addita similitudine facilius latet propositio universalis, quam argumentans vult assumere. Ex. gr., debet quæri an, quem-

admodum eadem est scientia et ignorantia contrariorum, sic idem sit sensus contrariorum. Vel e converso, an quemadmodum idem sensus est contrariorum, sic eadem sit scientia contrariorum. Porro licet argumentum ex paritate sit affine argumento ex inductione, adhuc ab eo differt. Argumentum enim ex inductione procedit a singularibus ad universale; argumentum a paritate procedit non ab uno simili ad universale continente omnia similia, sed ab uno simili ad aliud simile.

19. Oportet etiam ipsum sibi aliquando objicere, quoniam ii qui respondent non habent eos suspectos, qui juste argumentari videntur.

20. Utile etiam est, si quis insuper dicat, se id quod passim dici solet proponere, quia non audent quod solitum est mutare, nisi objectionem habeant. Item quia talibus ipsi quoque utuntur, cavent ne ea mutent.

21. Præterea utile est non magno studio in aliquid incumbere, etsi omnino utile sit, quoniam iis qui magnum studium adhibent magis resistunt.

22. Et quasi in collatione proponere; quod enim propter aliud quidpiam proponitur nec per se utile est, facilius concedunt.

23. Præterea non id proponere, quod sumi oportet, sed id cui hoc consequens est necessario; nam et facilius concedunt, propterea quod non æque perspicuum est quid ex his efficiatur; et si hoc sumptum fuerit, illud quoque sumptum erit.

24. Ac postremo loco interrogare aliquis debet, quod præcipue vult sumere; maxime enim prima negant, quia plurimi eorum qui interrogant, primum ea dicunt, in quibus maximum studium ponunt. Sed adversus nonnullos primum ea quæ sunt ejusmodi proponere oportet; nam protervi prima maxime concedunt, nisi omnino sit perspicuum quid sit eventurum; ad postremum vero difficiles sunt et protervi. Similiter faciunt quicumque putant se acutos esse in respondendo; plurimis enim positis et concessis, in fine argutiolis et quasi præstigiis utuntur, quasi non colligatur ex iis quæ posita sunt; facile autem concedunt, habitu freti putantesque se nihil passuros esse.

25. Præetrea utile est producere orationem, et interjicere ea quæ nihil ad disputationem faciunt, quemadmodum faciunt ii, qui falso quidpiam scribunt. Cum enim multa sunt, incertum est in quo falsitas consistat. Itaque interdum latent qui interrogant, obscure et occulte proponentes ea quæ per se proposita non concederentur. Ad occultandum igitur iis, quæ dicta sunt, uti oportet.

19. *Nonum præceptum* est : argumentans debet aliquando etiam afferre aliquam instantiam contra seipsum, ut videatur æquus; qui enim videntur æqui, non sunt suspecti respondentibus, qui proinde facilius admittunt, quæ ab argumentantibus proponuntur.

20. *Decimum præceptum* est : argumentans debet proponere quæ proponit tanquam aliquid, quod solet concedi et admitti. Respondentes enim non audent negare, quæ solent admitti, præsertim cum etiam ipsi utantur propositionibus consuetis.

21. *Undecimum præceptum* est : arguens debet præseferre, quod non multum curet, an concedatur vel negetur id, quod proponit; respondentes enim magis repugnant iis, quæ argumentans ostendit se valde optare, ut concedantur.

22. *Duodecimum præceptum* est : quod volumus nobis concedi, debemus proponere non in se ipso, sed in simili; facilius enim respondens admittit, quod proponitur in simili, quam quod proponitur in se ipso.

23. *Decimum tertium præceptum* est : non debet immediate proponi, quod intenditur, sed aliquid aliud, ex quo necessario sequatur id, quod intenditur; facilius enim respondens admittet, quod proponitur, non advertens ex ipso sequi aliud; admisso autem antecedente cogitur concedere consequens, quod necessario sequitur ex tali antecedenti.

24. *Decimumquartum præceptum* est : id, quod præcipue intendimus, postulare debemus ultimo loco. Cum enim plerique primo loco postulent, quod præcipue intendunt, respondentes solent negare, quæ primo loco postulantur. Addit Aristoteles quod, quando disputamus cum protervis vel cum iis, qui se existimant valde acutos, debemus primo proponere ea, quæ maxime intendimus; protervi enim solent concedere, quæ primo proponuntur, cum non est manifestum ex iis sequi conclusionem intentam; deinde vero sentientes se premi, proterviunt et negant omnia. Similiter qui se existimant acutos in respondendo, ab initio omnia concedunt; freti enim ingenio et habitu disputandi, putant se posse adversarium eludere ac sustinere, quod ex concessis nihil sequitur contra conclusionem positam.

25. *Decimum quintum præceptum* est : debent etiam interponi multa inutilia et non facientia ad propositum; respondens enim non discernens utilia ab inutilibus, admittit multa utilia, quæ si per se proponerentur, non admitteret. Explicatur

exemplo Pseudographorum, qui dum falso destribunt, ducunt multas lineas partim utiles partim inutiles, ad hoc, ut adversarius non discernens lineas utiles ab inutilibus, decipiatur. Hæc igitur sunt præcepta et loca ad sumendas propositiones cælativas.

CAPUT II. — ART. I.

PRÆCEPTA ET LOCA PRO SUMENDIS PROPOSITIONIBUS AMPLIFICATIVIS ET EXPLICATIVIS

1. Ad ornatum autem (uti oportet) inductione ac divisione eorum quæ ejusdem generis sunt. Et inductio quidem quid sit, manifestum est. Divisio autem est talis, veluti scientiam scientia meliorem esse, vel quia exquisitior vel quia rerum meliorum est; et scientiarum alias esse contemplativas alias activas alias effectivas. Hæc enim singula exornant orationem, neque necesse est ut dicantur ad conclusionem efficiendam. Perspicuitatis autem causa exempla et similitudinum collationes afferri debent. Exempla vero propria esse debent, et ex quibus rem intelligamus, qualia Homerus, non qualia Chœrilus proponit; sic enim magis perspicuum erit id quod proponitur.

Subdit Aristoteles præcepta pro sumendis propositionibus amplificativis et explicativis.

1. Ad orationem amplificandam et ornandam, poterit præsertim Dialecticus uti inductione ac divisione non necessaria, per quas enumeret multa affinia. Ex. gr., probandum sit, quod *paris et imparis est eadem disciplina;* propositio necessaria ad hanc conclusionem est, quod *contrariorum est eadem disciplina,* inductio vero et enumeratio contrariorum non est necessaria. Ut igitur orationem ornet et amplificet Dialecticus faciet talem inductionem ac dicet, quod idem visus est albi ac nigri; idem tactus est calidi ac frigidi; idem auditus est gravis et acuti; idem gustus dulcis et amari; et universim contrariorum est eadem disciplina. Poterit etiam eamdem orationem ornare divisione non necessaria contrariorum, dicendo, quod aliqua contraria sunt in eodem genere, aliqua in contrariis generibus, alia in nullo sunt genere, sed ipsa sunt prima genera, etc. Demum poterit eamdem orationem augere divisione disciplinarum, dicendo, quod ex disciplinis ac scientiis aliæ sunt meliores aliis, quia certiores, aliæ quia versantur circa nobilius objectum; rursus aliæ sunt speculativæ, aliæ activæ, aliæ effectivæ, et omnes istæ sunt contrariorum.

Ad orationem explicandam et reddendam claram et dilucidam, debet Dialecticus uti exemplis et similitudinibus, dummodo sint apta ad rem explicandam, qualia solet afferre Homerus, non vero ad hunc finem inepta, qualia solet afferre Chœrilus. Ex. gr., si arguens proponat, quod caro non est solum quatuor elementa, hoc est terra, aqua, aer et ignis congregata, sed aliquid aliud, poterit hoc principium explicare exemplo, quod sicut syllaba *Ba* non est solum *B* et *A*, sed aliquid per se unum, sic caro non est solum terra, aqua, aer et ignis simul congregata, sed aliquid per se unum.

CAPUT II. — ART. II.

PRÆCEPTA ARGUMENTANDI PER INDUCTIONEM VEL SYLLOGISMUM, ATQUE INTERROGANDI ET SUMENDI PROPOSITIONES NECESSARIAS.

2. [2] Jam vero in disserendo utendum est syllogismo apud Dialecticos potius quam apud multos; contra inductione apud multos potius. Sed de his antea quoque dictum fuit.

3. In quidusdam autem is qui inducit potest interrogando sumere universale; in nonnullis id non facile est factu, quia non est omnibus similitudinibus positum nomen commune. Sed cum universale sumere oportet, ita est, inquiunt, in omnibus talibus rebus. Hoc autem definire difficillimum est, quænam eorum quæ afferuntur sint talia, quæ non talia. Ideoque sæpe se invicem in disputationibus circumveniunt, dum alii similia esse aiunt ea, quæ similia non sunt, alii vero ambigunt et suspicantur ea, quæ similia sunt, non esse similia. Idcirco in iis omnibus quæ talia sunt, danda est opera, ut nomina imponantur, ut nec respondenti liceat ambigere quasi non similiter dicatur id quod affertur, nec ei qui interrogat calumniari liceat quasi similiter dicatur; multa enim quæ non similiter dicuntur, similiter dici videntur.

1. Traditis præceptis sumendi propositiones non necessarias, tradit Aristoteles præcepta argumentandi ac sumendi propositiones necessarias ad argumentandum. Et quia possumus argumentari vel inductione vel syllogismo, ideo *primo* docet, quandonam debeamus uti inductione, quando syllogismo; *secundo* explicat, quo pacto possimus per inductionem concludere propositionem universalem, refel-

lendo instantias contrarias; *tertio* docet, quo syllogismo debeamus uti; *quarto* excursive plicat, quo pacto debeamus sumere et interrogare propositiones, et quis sit modus dialectice interrogandi.

2. *Quoad primum* : inductione debemus uti præsertim, quando agimus cum multitudine, quando vero agimus cum Dialecticis debemus uti potius syllogismo. Differentia autem inter inductionem et syllogismum explicata est lib. II. Prior. cap. XXIX.

3. *Quoad secundum* : in aliquibus facile est, facta inductione sumere propositionem universalem, eo quod illis, de quibus facta est inductio, impositum est nomen commune; in aliis difficile est sumere universalem propositionem, eo quod non est impositum nomen commune. Ex. gr., facta inductione, quod equus, canis, bos, etc., habent os, quo sumant alimentum, et stomachum, quo concoquant, facile potest inferri universale addendo : *et sic de cæteris animalibus; ergo omne animal habet os, quo sumat alimentum, et stomachum, quo illud concoquat,* quia iis, quæ habent os et stomachum, impositum est nomen commune animalis. At facta inductione multorum animalium, quæ carent dentibus in mandibula superiori, difficile est inferre universale et concludere; *ergo omne tale caret dentibus in mandibula superiori*, cum animalibus convenientibus in hoc, quod careant dentibus in mandibula superiori, non sit impositum nomen commune. Tum igitur, quando ad inductionem concludendam additur : et *sic de similibus,* difficile est explicare, quæ sint ista similia, quæ proinde carent dentibus in mandibula superiori, et quæ non sint similia; ex hac autem difficultate oritur aliquando altercatio inter disputantes, dum alii inter similia includunt quædam, quæ vere non sunt similia, alii a similibus excludunt quædam, quæ vere sunt similia. Cum igitur non est impositum nomen commune, tum debemus nomen fingere; ex. gr., in exemplo posito animalibus carentibus dentibus in mandibula superiori, debemus imponere nomen cornigeri, tum enim poterimus inductionem concludere dicendo : et *sic de aliis animalibus cornigeris; ergo,* etc. Imposito autem tali nomine neque respondens poterit dubitare, an id, de quo infertur, quod careat dentibus in parte superiori, sit simile animalibus inductis in eo, de quo procedit inductio; statim enim erit manifestum, an sit animal cornigerum vel non; neque arguens poterit calumniari aliquid esse simile in prædicato, in quo facta est inductio ex eadem ratione.

4. Cum autem inductione in multis adhibita non dat alter universale, tunc jure optimo postulatur objectio. Qui vero non dixit, in quibus ita sit, non juste postulat, in quibus non ita sit; oportet enim prius inducere, sic deinde objectionem postulare.

5. Ac postulandum est ut, objectiones afferantur non in eo ipso quod propositum est, nisi unum tantummodo sit tale, ut solus binarius est numerorum parium primus. Debet enim is qui objicit in alia re objectionem afferre, aut dicere hoc solum tale esse.

6. Quod autem ad eos attinet qui universali objiciunt, nec in eodem genere objectionem afferunt, sed in homonymo (veluti aliquem habere posse non suum colorem aut pedem aut manum, quia pictor habere possit non suum colorem et coquus non suum pedem), in iis quæ sunt ejusmodi, adhibita distinctione interrogare debemus. Nam si homonymia lateat, recte objicere propositioni videbitur.

4. Quod si facta inductione in pluribus respondens negaverit propositionem universalem, postulandum ab ipso est, ut afferat instantiam in contrarium, ex. gr., ut in casu posito afferat instantiam alicujus animalis cornigeri, quod habeat dentes in mandibula superiori. At si argumentans per inductionem non probaverit, quod in multis ita se habet, non debet petere a respondente, ut afferat instantiam aliquorum, in quibus non ita se habet; ex. gr., nisi arguens per inductionem ostenderit quædam ex animalibus cornigeris carere dentibus in mandibula superiori, non debet petere a respondente, ut afferat instantiam animalium cornigerorum habentium dentes in mandibula superiori.

5. Debet præterea postulari a respondente, ut afferat instantiam, non in eo, de quo est controversia, sed in altero, vel ut ostendat id esse proprium ejus, de quo est controversia. Ex. gr., si quis velit probare binarium non esse numerum primum, ex eo, quod nullus numerus par est primus, hanc autem propositionem universalem probet inductione omnium numerorum parium distinctorum a binario, de quo est controversia, licet respondens non possit afferre instantiam de ullo pari distincto a binario, adhuc solvit argumentum, ostendendo proprium esse solius

binarii, ut sit numerus primus; at si id non ostendat, debet afferre instantiam in aliquo distincto.

6. Aliqui contra propositionem universalem afferunt instantiam in aliquo æquivoce dicto; ex. gr., si arguens ponat, quod nihil habet colorem non suum, vel pedem aut manum non suam, respondens potest instare, quia pictor habet colorem non suum sed alienum, et coquus habet pedem non suum sed alienum, illumque coquit. Ad occurrendum talibus instantiis, cum sumitur aliqua propositio, explicandum est, in quo sensu sumatur, idque tum præcipue est faciendum, cum æquivocatio latet, adeoque non ita facile dignoscitur. Nisi enim distinguantur sensus propositionis, instantiæ desumptæ ex aliquo æquivoco latente videntur bene afferri, et propositionem allatam evertere.

7. Quod si non in homonymo sed in eodem genere objiciens impediat interrogationem, oportet eo detracto, in quo objectio locum habet, reliquum universaliter proponere, donec sumptum fuerit quod utile est; ut in oblivione et eo quod est oblitum esse intelligi potest. Non enim concedunt eum, qui amisit scientiam oblitum esse, quia cum res intercidit, scientiam quidem amisit, non tamen oblitus est. Dempto igitur eo in quo locum habet objectio, reliquum dicendum est, veluti si re permanente amisit scientiam, eum oblitum esse. Similiter faciendum est adversus eos, qui objiciunt huic propositioni, majori bono majus malum opponi; proferunt enim hanc objectionem, valetudini, quæ est minus bonum quam firma corporis constitutio, majus malum opponi; morbum enim esse majus malum infirma corporis constitutione. Detrahendum igitur in his quoque est id, in quo tenet objectio (eo enim detracto, facilius concedet), veluti majori bono opponi majus malum, nisi una secum inferat alterum, ut firma corporis constitutio sanitatem. Non solum autem cum objicitur, hoc faciendum est sed etiam si sine objectione propositionem neget, quia tale aliquid provideat. Dempto enim eo in quo objectio afferri potest, cogetur concedere, quia in eo quod reliquum erit, non providebit, in quo non ita sit. Si vero non concedat, cum ab eo postulabitur objectio, non poterit eam afferre. Sunt autem ejusmodi propositiones eæ, quæ sunt ex parte falsæ, ex parte veræ. In iis namque licet detractione facta, quod reliquum est, verum relinquere. Quod si cum interrogans in multis proposuerit, alter non objiciat, postulandum est ut concedat; dialectica enim propositio est, adversus quam, cum in multis ita habeat, non est objectio.

7. Si vero respondens contra propositionem universalem, afferat instantiam non fundatam in æquivocatione, adhuc potest limitari propositio, ita ut non contineat id, de quo valet instantia, et sic urgeri argumentum. Ex. gr., si arguens assumat, quod omnis, qui amittit aliquam disciplinam vel artem, quam ante habebat, obliviscitur illius, potest respondens instare, quod qui moritur, amittit disciplinas et artes, quas habebat, et tamen non obliviscitur illarum. Tum ergo arguens limitando propositionem ac dicendo, omnis, qui remanens vivus, amittit aliquam disciplinam aut artem, quam ante habebat, obliviscitur illius, poterit hac propositione uti ad propositum concludendum. Similiter si arguens assumat, quod majori bono majus opponitur malum, potest respondens instare; nam sanitas est minus bonum quam firma corporis habitudo, et tamen sanitati opponitur ægritudo, quæ est majus malum, quam imbecilla corporis habitudo. Limitanda est ergo propositio ac dicendum, quod majori bono majus opponitur malum, nisi majus bonum supponatur a minori bono, eo pacto, quo sanitas supponitur a firma corporis habitudine. Hoc autem est etiam faciendum, cum respondens propositionem universalem allatam negat, prævidens posse afferri instantiam, licet de facto instantiam non afferat; tum enim limitanda est propositio, ac si respondens propositionem sic limitatam adhuc nolit admittere, requisitus, ut afferat instantiam, nullam instantiam contra propositionem universalem poterit afferre. Porro propositiones, quæ possunt limitari modo explicato, sunt, quæ in aliquo verificantur, in aliquo non verificantur. Tales enim propositiones, si limitentur ad id, de quo verificantur, sunt universaliter veræ. Quod si arguens probet propositionem universalem per inductionem multorum, et respondens non possit afferre instantiam in contrarium, postulandum ab ipso est, ut admittat talem propositionem universalem. Propositio siquidem, pro qua affertur inductio multorum ab arguente, et contra quam nulla affertur instantia a respondente, est dialectica, adeoque concedenda.

8. Cum autem idem potest sine impossibili et per impossibile concludi, quod attinet ad eum qui non disputat sed demonstrat, nihil refert utrum hoc an illo modo concludat. Qui vero disputat, non debet uti syllogismo ducente ad impossibile, quia si absque impossibili concludat, ambigi non potest; cum autem impossi-

bile concludent, nisi valde perspicue falsum sit, non impossibile aiunt esse. Quocirca non consequuntur, quod volunt, ii qui interrogant rogatus an conclusio sequatur ex præmissis, responderit, quod non sequitur.

9. Oportet autem proponere quæcumque in multis ita se habent, objectio autem aut omnino non est aut non facile cerni potest. Cum enim perspicere nequeunt, in quibus non ita sit, tum id quod propositum est, quasi verum sit, concedunt. Non oportet autem conclusionem interrogare. Alioquin abnuente eo qui respondet, non videtur factus esse syllogismus, Sæpe enim negant, etiamsi adversarius non interroget, sed ut consequens inferat; idque facientes redargui non videntur iis qui non perspiciunt quid sequatur ex iis quæ posita fuerunt. Cum igitur ne dicens quidem conclusionem sequi interrogabit, alter autem negabit, omnino non videbitur factus esse syllogismus.

10. Neque vero omne universale videtur esse propositio dialectica, veluti : quid est homo? aut : quot modis dicitur bonum? Propositio enim dialectica est, ad quam respondere licet *etiam* aut *non*, ad eas autem quæ dictæ sunt, non licet. Idcirco hujusmodi interrogationes non sunt dialecticæ, nisi is qui interrogat determinatione aut divisione facta dixerit, exempli gratia : hocne modo an illo bonum dicitur? Nam ad hujusmodi interrogata facilis est responsio vel affirmando vel negando. Quapropter enitendum est ut ita proponantur hujusmodi propositiones. Quinimo æquum est fortasse ab illo quærere quot modis dicatur bonum, cum ipse interrogans diviserit et proposuerit, ille autem nullo modo concesserit.

11. Qui vero unam rationem diu interrogat, male percontatur. Nam si is qui interrogatur ad interrogatum respondeat, patet eum qui interrogat aut multa aut sæpius eadem interrogare; proinde aut nugari aut non habere syllogismum; ex paucis enim omnis syllogismus constat. Quodsi alter ad interrogatum non respondeat, cur eum non reprehendit aut discedit?

8. *Quoad tertium*, docet Aristoteles quod, cum duplex sit syllogismus, ostensivus nimirum et per impossibile, demonstrans potest indifferenter uti utroque, at Dialecticus debet potius uti syllogismo ostensivo. Ratio est, quia si utatur syllogismo per impossibile, semper respondens dicet id, quod infertur non esse impossibile, nisi manifestissimum sit, quod est impossibile; sed in materia probabili raro manifestissimum est, quod sequela est impossibilis; ergo, etc.

9. *Quoad quartum*; quia non potest arguens facere syllogismum, nisi sumat aliquam propositionem universalem, debet sumere ut universaliter veram propositionem, quæ plerumque est vera, cum vel non est instantia in contrarium, vel saltem instantia non est obvia. Respondens enim non advertens instantiam, propositiones plerumque veras admittet ut universaliter veras. Postquam autem arguens ex propositionibus assumptis fecerit syllogismum, non debet interrogare, an ex talibus propositionibus sequatur conclusio, sed debet sine interrogatione conclusionem inferre. Ratio est, quia si arguens interroget, an conclusio sequatur, eo ipso videtur revocare in dubium, utrum sequatur vel non; ergo si respondens neget conclusionem sequi, videbitur conclusio non sequi, adeoque non esse factus syllogismus. Confirmatur, quia aliquando etiamsi arguens inferat conclusionem non interrogando, an sequatur, adhuc respondentes, si negent conclusionem sequi, non videntur redargui, quia plerique auditorum non possunt satis discernere, quandonam conclusio sequatur, quando non ; ergo multo minus respondens videbitur redargui, si interrogatus an conclusio sequatur ex præmissis, responderit, quod non sequitur.

10. Quia dialecticus debet interrogare præmissas seu propositiones, explicandum est, quæ sit propositio dialectica, et sub qua forma debeat interrogari. Non omnis propositio, quæ interrogatur, est dialectica; ex. gr., interrogatio, qua quis quærit : *quid est homo* ? vel *quot modis dicitur bonum?* non est propositio dialectica. Ratio est, quia propositio dialectica, cum sit sumptio utriusque partis contradictionis, ut dictum est I. Prior. cap. 1, num. 3, est talis, ut debeat ad ipsam respondens dicere *sic* vel *non*; sed ad interrogationes *quid est homo*? *quot modis dicitur bonum?* non respondetur *sic* vel *non*, sed respondetur afferendo definitionem hominis ac divisionem boni ; ergo tales interrogationes non sunt propositiones dialecticæ. Possunt tamen redigi in propositiones dialecticas dicendo : *putasne definitio hominis est, ut sit animal rationale* ? *putasne bonum dividitur sic et sic?* Nam ad interrogationes sic formatas, respondens debet respondere *sic* vel *non*. Si vero respondens non admiserit definitiones ac divisiones ab interrogante propositas, tum possumus ab ipso quærere : *quid est res? quo pacto res dividitur?* Ex. gr., si ad interrogationem, qua quærimus, *an definitio hominis sit animal rationale,* — respondens dixerit *non*, tum possumus interrogare : *quid igitur est homo?*

11. Addit Aristoteles, quod non debemus multum temporis insumere interrogando. Ratio est, quia vel respondens respondet singulis interrogationibus vel non; si respondet, ergo vel arguens multas facit interrogationes, vel sæpius repetit easdem interrogationes; utrumque est inconveniens. Nam si repetit easdem interrogationes nugatur; si pergit faciendo alias et alias interrogationes, signum est, quod non potest facere syllogismum; ad faciendum enim syllogismum sufficiunt paucæ propositiones, hoc est duæ; ergo sufficiunt paucæ interrogationes; ergo si multas facit interrogationes, signum est, quod non potest facere syllogismum. Si vero respondens non respondet interrogatis, arguens non debet multiplicare interrogationes, sed vel debet adversarium increpare, quia non respondet, vel debet a disputatione discedere. Ut quid enim pergat disputare cum eo, qui non respondet?

CAPUT II. — ART. III.

QUÆNAM PROPOSITIONES SINT FACILE VEL DIFFICILE ARGUMENTABILES VEL DEFENDIBILES.

12. [3] Easdem porro hypotheses difficile est impugnare ac facile est sustinere.

13. Ejusmodi autem sunt et quæ sunt prima natura et quæ ultima. Nam prima definitione indigent, ultima vero multis concluduntur, si quis continentiam argumentorum sumere a primis velit. Alioquin captiosæ argumentationes videntur, quia fieri nequit ut aliquid demonstretur, nisi sumpto a propriis principiis initio continuata argumentorum serie perveniatur ad ultima. Qui igitur respondent, nec definiri postulant nec, si interrogans definiat, animum advertunt. Atqui nisi perspicuum fiat, quid tandem sit quod est propositum, haud facile est argumentari. Maxime vero hoc in principiis contingit; nam cætera per hæc probantur, ipsa vero per alia probari non possunt, sed necesse est ut ejusmodi omnia definitione innotescant.

14. Ea quoque difficiles aggressiones habent, quæ valde propinqua principio sunt; non possunt enim adversus ea multæ rationes suppetere, cum inter ea et principium sint pauca media, per quæ necesse est posteriora probari.

15. Omnium autem definitionum hæ difficillime impugnantur, in quibus adhibita sunt ejusmodi nomina, ut primum incertum sit, uno an pluribus modis dicantur, deinde non constet, utrum proprie an per translationem a definiente sumantur. Nam quia sunt obscura, non habent agressiones; quia vero ignoratur, an eo quod per translationem dicantur, talia sint, reprehensione vacant.

12. Explicat deinde Aristoteles quænam propositiones sint facile aut difficile argumentabiles aut defendibiles. Docet *primo*, quod propositiones, quæ difficile impugnantur, facile defenduntur. Propter hoc ipsum enim, propter quod difficile est illas argumentis impugnare, facile est easdem defendere.

13. Docet *secundo*, quod difficile argumentis probantur prima principia et ultimæ conclusiones. Ratio, quare principia difficile probentur, est, quia non possunt probari nisi ex definitione terminorum; sed respondentes requisiti nolunt afferre definitionem terminorum, si vero tales definitiones afferantur ab arguentibus, nolunt eas recipere; ergo, etc. Confirmatur, quia principia sunt, per quæ cætera probantur, ipsa vero non possunt probari per alia, sed debent cognosci ex definitione terminorum; ergo difficile est probare principia. Ratio, quare ultimæ conclusiones difficile probentur est, quia cum valde distent a principiis, probari non possunt, nisi per longam seriem syllogismorum, quæ series incipiat a principiis et protendatur usque ad tales conclusiones; probatio vero non resolvens tales conclusiones usque ad prima principia, videtur sophistica; sed resolutio resolvens conclusiones usque ad prima principia valde distantia est admodum difficilis; ergo, etc.

14. Docet *tertio*, quod difficile etiam probantur conclusiones valde propinquæ principiis. Ratio est, quia paucis mediis distant a principiis, ergo paucæ sunt rationes ad ipsas probandas; ergo propter paucitatem rationum et mediorum, difficile probantur. Adde quod, cum probantur per principia valde propinqua ipsis conclusionibus, videtur peti principium.

15. Docet *quarto*, quod difficulter etiam probantur conclusiones, in quibus ponuntur nomina, de quibus non patet, an dicantur univoce, an multipliciter, an dicantur proprie vel metaphorice. Ratio est, tum quia tales definitiones sunt obscuræ, nemo autem facile argumentatur de eo, quod non satis percipit; tum quia, cum non satis constet, an non dicantur metaphorice, neque etiam possunt reprehendi ut peccantes contra regulas bonæ definitionis.

16. Omnino autem quodcumque problema

difficulter impugnatur, existimandum est aut definitione egere, aut ex iis esse quæ multifariam vel per translationem dicuntur, aut non longe abesse a principiis, aut propterea difficultatem habere, quod non est primo intuitu nobis perspicuum, ad quem dictorum modorum referatur hoc ipsum, quod affert dubitationem. Cum enim modus est perspicuus, patet vel definiendum esse vel dividendum vel medias propositiones suggerendas, quia per has ultima probantur.


17. In multis etiam thesibus non scite definitione tradita haud facile est disserere et argumentari, veluti utrum unum uni contrarium sit an plura. Contrariis autem commode definitis, facile erit colligere, possintne plura eorumdem esse contraria necne. Eodem modo se res habet in aliis definitione indigentibus.

18. Quin et in mathematicis nonnulla ob definitionis defectum videntur non facile describi, utputa eam lineam quæ planum ad latus secat, similiter cum lineam, tum spatium dividere. Definitione autem prolata perspicuum est, quod dicitur; nam eamdem subtractionem habent loca et lineæ; haec autem est ejus orationis definitio. Omnino autem elementa positis quidem definitionibus (ut quid linea, quid circulus) facile probantur; verum haud multa adversus unumquodque eorum argumenta suppetunt, quia non multa sunt media. Quodsi non ponantur principiorum definitiones. difficile est aut fortassis omnino impossibile adversus ea disserere Similis est eorum ratio, quæ in disputationibus spectantur Non oportet igitur latere, cum difficilem aggressionem thesis habet, eam aliquo dictorum modorum affectam esse. Cum autem de axiomate ac propositione difficilius est disserere quam de thesi,

16. Docet *quinto*, quod problemata sunt difficile argumentabilia propter unum ex quatuor capitibus : primo, quia non possunt probari nisi ex definitione; secundo, quia quod est definiendum, dicitur multipliciter aut metaphorice; tertio, quia sunt propinqua principiis; quarto, quia est obscurum, ex quonam ex dictis capitibus oriatur difficultas probandi. Si enim esset manifestum, unde difficultas oriatur, facilius possemus occurrere tali difficultati, definiendo, dividendo atque inveniendo propositiones, ex quibus probetur propositum.

17. Docet *sexto*, quod multa problemata ac multæ propositiones difficile probantur, quia non bene est assignata definitio terminorum, assignata vero tali definitione facile probantur. Ex. gr., difficile est resolvere hoc problema, utrum unum sit contrarium uni, quia non patet definitio contrariorum; posita vero definitione, per quam contraria definiuntur, *quæ maxime differunt in eodem genere*, facile probatur, quod unum est contrarium uni.

18. Docet *septimo*, quod non solum in dialecticis, sed etiam in mathematicis. ex ignorantia definitionis oritur difficultas probandi ac demonstrandi aliqua problemata, quæ. posita definitione, facilè demonstrantur. Explicat Aristoteles exemplo. Sit triangulum planum quodcumque, puta triagulum A B C



Ducatur linea A D ab angulo A ad latus B C. Hæc linea similiter, id est in eadem proportione, secabit latus seu lineam B C, et totum locum seu totum triangulum. ut colligitur ex Euclide lib. VI propositione prima. Quod autem dicta linea A D dividat similiter et latus B C et totum locum, difficile demonstratur, non assignata definitione divisionis similis seu proportionalis; at assignata definitione divisionis similis seu proportionalis, facillime assignatur. Innuit autem Aristoteles definitionem divisionis similis seu proportionalis, quæ definitio est : *divisio similis seu proportionalis est, per quam plura dividuntur ita, ut eamdem proportionem habeat ablatum unius ad reliquum ejusdem, quam habet ablatum alterius ad reliquum ipsius;* sed in casu posito per lineam A D ex latere B C aufertur pars B D, quæ pars eamdem habet proportionem ad reliquam D C, quam pars A D B ad partem A D C totius trianguli, seu totius loci divisi per eamdem lineam A D; ergo in casu posito linea A D similiter dividit latus et totum locum seu totum triangulum, et universim omnis linea ducta ab angulo trianguli ad latus, similiter seu in eadem proportione dividit et latus et totum locum seu totum triangulum. Addit Aristoteles, quod absolute prima elementa Mathematicæ, positis definitionibus lineæ, circuli, etc., facile

demonstrantur, sed paucæ ad ipsa demonstranda suppetunt rationes, quia cum sint valde propinqua principiis, non suppetunt multa media sed pauca; ignoratis autem definitionibus difficile, imo impossibile est demonstrare prima elementa. Idem proportionaliter dic de propositionibus dialecticis. Positiones igitur propter aliquod ex dictis sunt difficile argumentabiles.

19. * dubitare aliquis possit, utrum sint ponenda quæ sunt hujusmodi, an non, quia si non ponat, sed de eo quoque disseri postulet, majus onus injunget quam quod a principio positum fuit; sin autem ponat, credet ex iis quæ minus habent fidei. Si igitur non oportet difficilius problema facere, ponendum est axioma illud; quod si ex notioribus concludere oportet, non est illud ponendum.

20. An discenti quidem non ponendum, nisi notius sit; in disputatione autem se exercenti ponendum, si modo verum videatur? Quare perspicuum est, interrogantem ac docentem non similiter postulare debere ut aliquid ponatur. Quomodo igitur interrogare ac disponere oporteat, satis fere dictum est.

19. Ex dictis oritur dubium an, cum arguens ad probandam conclusionem ponit aliquam propositionem et aliquam dignitatem, de cujus veritate disputare difficilius est, quam sit disputare de ipsa conclusione, respondens debeat talem propositionem admittere. Ratio dubitandi est, quia si non admittat, transferet disputationem a conclusione ad propositionem difficiliorem conclusione, quod videtur inconveniens; si vero admittat, permittet conclusionem probari ex minus notis, quod pariter videtur inconveniens.

20. Indicat responsionem Aristoteles. Videtur enim, quod qui disputat causa discendi, non debeat admittere, sed qui disputat causa exercitationis, debeat admittere. Nam licet docens et demonstrans debeat procedere ex notioribus, disputans causa exercitationis potest procedere ex eo, quod apparet verum, seu sit notius seu sit minus notum. Si igitur respondenti, propositio, quæ assumitur, videtur vera, debet illam admittere, ne transferat disputationem ad rem difficiliorem.

CAPUT III

DE MUNERE RESPONDENTIS AC DE PRÆCEPTIS BENE RESPONDENDI IN DISPUTATIONE DIALECTICA.

1. [4] De responsione autem primum determinandum est, quod ejus sit officium, qui recte respondet, quemadmodum ejus qui recte interrogat.

2. Est autem interrogantis ita disputationem deducere, ut respondentem cogat maxime incredibilia dicere ex iis quæ propter thesim sunt necessaria; respondentis vero, ne sua culpa videatur evenire quod absurdum vel præter opinionem est, sed propter thesim; aliud enim fortasse peccatum est, initio ponere quod non oportet, et positum non tueri commode.

3. [5] Quia vero sunt indefinita quæ obsevanda sunt ab iis qui exercitationis et periculi faciendi causa disputant — non enim iidem scopi propositi sunt docentibus vel discentibus et contendentibus, neque his ipsis et iis qui se semper inter se exercent inquisitionis gratia. Nam discenti ponenda semper sunt quæ videntur; etenim falsum nemo docere aggreditur. Ex iis vero qui contendunt, interrogantem oportet videri omnino aliquid facere, respondentem autem nihil videri pati. In dialecticis autem congressibus nondum a quoquam distincte expositum est, quid sit observandum iis qui non contentionis sed periculi et inquisitionis gratia disputant, et quo oporteat respondentem collimare, et quæ concedere et quæ non concedere, ut præclare aut secus tueatur thesim. Quoniam igitur nihil habemus ab aliis traditum, ipsi nonnihil dicere conemur.

1. Postquam Aristoteles egit de argumentatione ac tradidit præcepta bene argumentandi, agit de responsione ac tradit præcepta bene respondendi. *Primo* ergo explicat, quod sit munus argumentantis ac respondentis in disputatione dialectica; *secundo* distinguit varia genera positionum, quæ possunt a respondente sustineri, ac tradit præcepta positiones tales bene defendendi; *tertio* tradit præcepta bene respondendi ad interrogationes et ad propositiones, quæ ab adversario assumuntur; *quarto* tradit præcepta respondendi ad argumenta ex inductione, et explicat, quo pacto debeat quis se præparare ad disputationem, et quas positiones debeat eligere ad defendendum; *quinto* demum tradit præcepta respondendi argumentis ex syllogismo et exponit, quo pacto syllogismi solvantur vel solum contra instetur, non afferendo solutionem.

2. *Quoad primum :* munus interrogantis seu argumentantis est, ut per suam argumentationem cogat respondentem con-

cedere improbabiliora et inopinabiliora iis, quæ necessario sequuntur ex posita conclusione; munus vero respondentis est ostendere, quod ipse nullum improbabile vel inopinabile concedit ex suo defectu, sed admittit inopinabilia præcise, quæ sequuntur ex opinione, quam tuetur. Nam licet fortasse peccet quis proponendo aliquam propositionem, quam non oporteret sustinere, tamen aliud peccatum est proponere conclusionem, quam non oportet, aliud positionem sustinere, prout non oportet. Potest enim contingere, ut postquam quis proposuit positionem, quam non oportuisset proponere, optime illam defendat et prout oportet.

3. Jam diversa servanda sunt præcepta interrogandi et respondendi in disputatione, quæ intercedit inter docentem et discentem gratia doctrinæ; diversa in disputatione concertatoria, quæ fit gratia victoriæ et gloriæ; diversa in disputatione, quæ fit gratia exercitationis, et gratia inspiciendi atque examinandi varias opiniones, ut iis perspectis, possit facilius veritas inveniri, quæ sola est disputatio proprie dialectica. In disputatione siquidem, quæ intercedit inter docentem et discentem, ea solum a discente concedenda sunt, quæ videntur vera, cum docens nolit docere falsum, sicut discens non vult falsum discere. In disputatione vero concertatoria interrogans et arguens debet conari, ut videatur aliquo incommodo respondentem afficere et per hoc ipsum vincere; respondens vero debet conari, ut nullo videatur incommodo affici et sic non videatur vinci. Verum quia hactenus non est explicatum, quo pacto debeat se gerere respondens in disputatione dialectica, quæ fit gratia exercitationis et inspiciendi rationes et argumenta pro singulis opinionibus, ideo conandum est, ut id nos explicemus.

4. *Quoad secundum :* ut tradantur præcepta bene defendendi in disputatione dialectica positiones propositas, considerandum est, quales sint tales positiones. Aut enim sunt probabiles, eo quod plerisque videntur veræ; aut sunt improbabiles, eo quod plerisque videntur falsæ; aut sunt neutræ, eo quod non magis appareant veræ quam falsæ, qualis esset positio ponens, quod *astra sunt paria;* et si sint probabiles aut improbabiles, aut sunt probabiles et improbabiles simpliciter, aut relate ad aliquem, puta ad respondentem vel alium. Nihil autem refert, quo modo sint probabiles vel improbabiles; nam eadem proportionaliter præcepta bene respondendi servanda sunt, ut inferius patebit. Si positio posita a defendente est improbabilis, conclusio inferenda ab argumentante est probabilis ; e converso, si positio posita a defendente est probabilis, conclusio illata ab arguente est improbabilis; si positio posita a defendente est neutra, etiam conclusio illata ab argumentante debet esse neutra. Ratio est, quia arguens debet inferre conclusionem contradictorie oppositam positioni defendentis ; sed conclusio contradictorie opposita positioni improbabili, est probabilis, conclusio contradictorie opposita positioni probabili est improbabilis, conclusio contradictorie opposita positioni neutræ, etiam ipsa est neutra, ex. gr., quia neutra est hæc positio, quod *astra sunt paria,* etiam conclusio, quod *astra non sint paria* est neutra, hoc est neque probabilis neque improbabilis.

4. Necesse igitur est eum qui respondet sustinere disputationem, posita vel probabili vel improbabili thesi vel neutra, probabili, inquam, vel improbabili aut simpliciter aut definite, ut certo cuidam, nempe vel ipsi respondenti vel alii. Nihil autem interest quocumque modo sit probabilis vel improbabilis ; idem enim modus erit bene respondendi, et dandi vel non dandi quod interrogatum est. Si igitur improbabilis sit thesis, necesse est conclusionem probabilem fieri; si vero illa probabilis, hanc improbabilem ; semper enim oppositum thesi concludit qui interrogat. Sed si id quod ponitur neque improbabile sit neque probabile, conclusio quoque talis erit.

5. Quoniam autem is qui scite ratiocinatur, ex probabilioribus et notioribus id quod in quæstione positum est demonstrat, hinc apparet, si improbabile sit simpliciter quod positum est, respondentem non debere concedere nec quod non videtur simpliciter, nec quod videtur quidem, sed minus videtur quam conclusio. Nam cum improbabilis est thesis, probabilis est conclusio. Quare oportet, quæ sumpta sunt, probabilia omnia esse, et quidem magis quam quod propositum est probabilia, si futurum est ut per notiora minus notum concludatur. Itaque nisi quid ejusmodi sit ex interrogatis, non est ponendum respondenti.

6. Sin autem simpliciter probabilis sit thesis, patet conclusionem esse simpliciter improbabilem. Ponenda sunt igitur et quæcumque videntur, et ex iis quæ non videntur ea quæ minus sunt improbabilia quam conclusio ; sic enim videri potest satis commode disputatum.

7. Similer etiam fiat, si nec improbabilis nec probabilis sit thesis. Etenim sic quoque danda

sunt quæcumque videntur, et ex iis quæ non videntur ea, quæ magis sunt probabilia conclusione ; sic enim fiet ut probabiliores argumentationes efficiantur. Ergo si simpliciter probabile aut improbabile sit quod positum est, ad ea respiciendo quæ simpliciter videntur, comparatio facienda est.

8. Sin autem non simpliciter probabile vel improbabile sit quod positum est, sed respondenti, ad se ipsum respiciendo, et ita quod videatur aut non videatur dijudicando, ponendum est aut non ponendum.

9. Quod si alterius opinionem tueatur is qui respondet, procul dubio ad illius mentem et sententiam respiciens debet singula ponere et negare. Idcirco et qui alienas opiniones inferunt, utputa bonum et malum esse idem, ut Heraclitus ait, ii non concedunt eidem simul non adesse contraria, non quod hoc sibi non videatur, sed quia secundum Heraclitum sic est dicendum. Hoc etiam faciunt qui ita disputant, ut alteri ab alteris theses accipiant ; conjiciunt, enim quid theseos auctor diceret. Perspicuum igitur est, quo collimare debeat respondens, sive simpliciter sive alicui probabile sit quod est positum.

5. Primo ergo si positio defendentis sit improbabilis, adeoque conclusio ab arguente inferenda sit probabilis, non est admittenda ulla propositio, quæ non videatur vera, imo quæ non videatur magis vera quam conclusio probanda. Ratio est, quia bene syllogizans debet conclusionem probare ex probabilioribus et notioribus; ergo si conclusio probanda sit probabilis, nulla debet admitti propositio, quæ non sit probabilis, imo non sit probabilior conclusione probanda, alioquin probabilius probabitur per minus probabile.

6. Secundo si positio defendentis sit probabilis, adeoque conclusio inferenda ab arguente sit improbabilis, debent a defendente admitti omnes propositiones probabiles, imo omnes minus improbabiles, quam talis conclusio.

7. Tertio si positio defendentis, adeoque etiam conclusio ab arguente inferenda sit neutra, debet defendens admittere omnes propositiones probabiles simpliciter, imo omnes probabiles comparative ad conclusionem, quia semper per tales præmissas conclusio probatur ex probabilioribus, adeoque sufficienter probatur.

8. Quarto si conclusio probanda sit probabilis simpliciter, admittendæ sunt solæ propositiones probabiles simpliciter, et probabiliores conclusione; si conclusio probanda sit probabilis solum relate ad aliquem, admittendæ sunt solæ propositiones probabiles, et probabiliores conclusione relate ad eumdem.

9. Quinto si respondens defendat opinionem alterius, debet propositiones, quæ assumuntur, concedere vel negare, respiciendo ad mentem illius. Ideo qui tuentur opiniones absurdas, ex. gr., illam Heracliti, quod bonum et malum idem sunt, non debet concedere, impossibile esse, quod eidem insint contraria, quia licet hoc ipsis videatur verum, adhuc negandum est juxta opinionem Heracliti. Universim igitur qui defendit opinionem alterius, debet illam defendere juxta mentem et principia illius.

10. [6] Cum autem necesse sit, quidquid interrogatur,

11.* aut probabile esse aut improbabile aut neutrum, et vel ad disputationem pertinere vel non pertinere quod interrogatur, siquidem sit probabile nec ad disputationem faciat, dandum est, cum prius dictum fuerit esse probabile,

12.* quoniam eo posito non evertitur problema, quod ab initio positum fuit.

13. Si vero nec probabile sit nec ad disputationem pertineat, dandum quidem est, sed indicandum nobis non probari, vitandæ fatuitatis causa.

14. Quod si ad disputationem pertineat et probabile sit, dicendum, videri id quidem, sed valde propinquum esse ei quod ab initio propositum est, et eo concesso everti quod positum est.

15 Sin autem ad disputationem pertineat, valde autem improbabile sit axioma, dicendum effici quidem eo posito conclusionem, sed valde fatuum esse quod proponitur.

16. At si neque improbabile neque probabile sit, siquidem nihil ad disputationem faciat, dandum est nulla definitione adjecta; si vero ad disputationem faciat, indicandum est everti eo posito problema ab initio propositum. Sic enim et respondens nihil sua culpa videbitur pati, si prospiciens singula ponat; et interrogans non distituetur syllogismo, iis omnibus sibi a respondente concessis, quæ probabiliora sunt conclusione. Quicumque autem ex iis quæ improbabiliora sunt conclusione argumentari aggrediuntur, procul dubio non scite argumentantur. Proinde interrogantibus hæc non sunt concedenda.

10. *Quoad tertium :* postquam Aristoteles distinxit varia genera positionum ac tradidit præcepta illas defendendi. distinguit varia genera interrogationum ac tradit præcepta ad illas respondendi

11. Quod interrogando petitur, aut est probabile, aut improbabile, aut neutrum; et rursus vel conducit ad id, de quo disputatur, vel ad id non conducit.

12. Primo ergo si quod interrogatur est probabile, et videtur verum, sed non confert ad id, de quo disputatur, debet respondens illud admittere ac dicere, quod sibi videtur verum; eo enim admisso nihil sequitur contra positionem, quam defendit.

13. Secundo, si id, quod postulatur, non videtur verum, sed non conducit ad id, de quo disputatur, admittendum est, addendo, quod non videtur verum, sed admittitur, quia eo admisso non evertitur positio, quam respondens tuetur.

14. Tertio, si id, quod postulatur, videtur verum, et conducit ad id, de quo disputatur, dicendum, quod videtur quidem verum, sed quia est connexum cum eo, de quo disputatur, eoque admisso evertitur positio posita, ideo a defendente talem positionem admitti non debet.

15. Quarto, si quod postulatur sit valde improbabile, sed conducat ad propositum, dicendum, quod a defendente non debet admitti, sed propter hoc ipsum ea positio videtur absurda.

16. Quinto, si quod postulatur sit neutrum, sed non conducat ad propositum, debet admitti, addendo, quod nihil defendens determinat de ejus veritate vel falsitate. Si vero quod postulatur sit neutrum et conducat ad propositum, negandum est, hoc ipsum adnotando, quod eo admisso, evertitur positio. Per hoc enim ex una parte respondens non videbitur in ullo deficere, siquidem omnia prævidit, et ex alia parte argumentans poterit syllogizare, siquidem admittuntur a defendente omnia, quæ sunt probabiliora conclusione, quam debet arguens probare. Si vero arguens velit conclusionem probare ex non probabilibus, non bene syllogizabit, ideoque nihil ex his admittendum est.

17. [7] Simili etiam modo in iis quæ obscure et multifariam dicuntur, occurrendum est. Nam quia datum est respondenti, si non intelligat, ut dicat « non intelligo, » et si propositum multis modis dicatur, non necessario fateatur aut neget, manifestum est primum quidem, si non dilucidum sit quod dictum est, respondenti sine cunctatione dicendum, se non intelligere. Saepe enim ex eo quod non dilucide interrogati concedunt, occurrit aliquid negotium facessens.

18. Si vero notum sit id quod multis dicitur modis, siquidem quod dicitur in omnibus verum aut falsum sit, dandum est simpliciter aut negandum; si vero ex parte sit falsum ex parte verum, indicandum est id dici multis modis, et cur partim sit falsum partim verum. Nam si id posterius distinguat, dubium erit an et initio ambiguitatem perspexerit.

19. Sin autem non prospexerit ambiguitatem, sed ad alterum significatum respiciens posuerit, dicendum est adversus eum qui ad aliud ducit, se non ad hoc respicientem posuisse, sed ad alterum illorum significatorum. Cum enim multa eidem nomini vel orationi subjecta sunt, facile exsistit dubitatio.

20. Sin rogatum et dilucidum sit et simplex, aut *etiam* aut *non* respondendum.

17. Sexto, si argumentans assumat propositiones obscuras et ambiguas, quæque possint habere plures sensus, respondens, si eas non intelligat, debet libere fateri, quod non intelligit. Neque enim debet simpliciter admittere propositiones, quæ possunt habere plures sensus, nisi sciat, in quo sensu sumantur. Sæpe vero difficultas occurrit in respondendo, ex eo, quia respondentes admittunt aliquas propositiones ab arguentibus non clare propositas.

18. Septimo, si arguens assumat propositionem aliquam, quæ possit habere plures sensus, si talis propositio in omni sensu sit vera, vel in omni sensu sit falsa, est simpliciter neganda vel admittenda; si autem in aliquo sensu sit vera in aliquo falsa, distinguenda est et admittenda in sensu vero, neganda in sensu falso. Si enim postquam aliqua propositio simpliciter est admissa, deinde distinguitur, non apparet, an respondens ab initio adverterit talem propositionem esse ambiguam.

19. Octavo, si respondens admiserit simpliciter propositionem ambiguam, intelligens illam in uno sensu, arguens vero assumat illam ut concessam in alio sensu, respondens debet dicere, quod non admisit eam in hoc sensu sed in alio; cum enim propositio esset ambigua, facile fuit intelligere eam in uno solum sensu.

20. Nono, si quod assumitur sit clarum et simplex, simpliciter et sine ulla distinctione est concedendum aut negandum.

21. [8] Quoniam autem omnis propositio syllogistica vel est earum aliqua, ex quibus syllogismus conficitur, vel alicujus ex illis causa sumitur, patet autem quando alterius gratia sumatur, nempe quia multa similia interrogantur (aut enim per inductionem aut per similitudinem plerumque universale accipiunt),

22.* singularia quidem omnia ponenda sunt, si vera sint et probabilia, adversus universale

autem enitendum est ut afferatur objectio. Nam sine objectione, quæ aut sit aut saltem esse videatur, argumentationem impedire, hoc est tergiversari. Si igitur, cum multa videantur, non concedat universale nec habeat objectionem, perspicue tergiversatur. Insuper si ne contrarium quidem habeat argumentum, quo ostendat, id non esse verum, magis videbitur tergiversari. Quamquam ne hoc quidem sufficit ; multas enim rationes habemus opinionibus contrarias, quas difficile est solvere, veluti Zenonis rationem, quod non potest quidpiam moveri nec stadium peragrare ; nec propterea tamen non sunt ponenda quæ sunt his contraria. Si quis igitur, cum neque argumentationem contrariam habeat neque objicere possit, non dat quod rogatur, perspicue tergiversatur. Nam tergiversatio in disputationibus nihil aliud est quam responsio præter expositos modos, vim habens syllogismi perimendi.

21. *Quoad quartum* : quia arguens non solum interrogat ac sumit propositiones, ex quibus conficit syllogismum principalem, sed etiam aliquas, quæ sunt utiles ad sumendas propositiones universales, ex quibus conficiat syllogismum principalem et quia cum interrogat ac sumit plura similia per inductionem vel paritatem, sumit illa ad concludendam aliquam propositionem universalem, ideo Aristoteles tradit etiam præcepta respondendi argumentis ex inductione.

22. Cum arguens ad probandum universale assumit singularia, si videntur vera, debent admitti, sed ut negetur universale afferenda est aliqua instantia in contrarium ; admissis enim singularibus, negare universale, non afferendo in contrarium ullam instantiam saltem apparentem, protervire est. Quod si non solum respondens non habeat instantiam, sed neque habeat argumenta ad ostendendum, quod illud universale est falsum, multo magis protervit. Addit tamen Aristoteles non sufficienter solvi argumentum ex inductione, afferendo rationem contra propositionem universalem. Multæ enim positiones sunt, contra quas afferuntur difficiles rationes, et tamen sunt admittendæ ; ex. gr., certum est, quod detur motus, et tamen difficillime solvitur argumentum, quo Zeno probat motum non dari, neque spatium ullum, ex gr., stadium posse unquam pertransiri. Est igitur protervia, cum quis respondet ad argumenta præter modos jam explicatos.

23. [9] Sustinere autem et thesim et definitionem sic oportet, ut ipse respondens sibi ante argumenta opponat ; ex quibus enim ii qui percontantur problema positum evertunt, constat his esse occurrendum.

24. Cavendum vero est, ne improbabilis hypothesis sustineatur. Multis autem modis improbabilis esse potest. Nam et ea est improbabilis, ex qua efficitur ut absurda dicantur, veluti si quis omnia moveri dicat aut nihil ; et ea quæ deterioribus moribus præditi eligunt, quæque hominum voluntatibus contraria sunt, veluti voluptatem esse rem bonam, et melius esse injuriam facere quam accipere. Non enim quasi disputationis gratia defendentem, sed quasi ea quæ sibi vera videntur, dicentem oderunt.

25. [10] Quæcumque autem argumentationes falsum colligunt, solvendæ sunt eo sublato ex quo falsum efficitur. Non enim quovis sublato ratio solvitur, ne ita quidem si falsum sit quod tollitur. Multa enim falsa continere ratio potest, veluti si quis sumpserit, eum qui sedet scribere, ac Socratem sedere ; ex his enim colligitur Socratem scribere. Hoc igitur sublato, Socratem sedere, nihilo magis soluta est argumentatio. Atqui axioma est falsum. Sed non ob id ratio est falsa ; si quis enim sedeat neque scribat, huic non amplius eadem solutio conveniet. Quare non hoc est tollendum, sed illud, eum qui sedet scribere ; non enim quicumque sedet scribit. Omnino igitur solvit, qui id sustulit ex quo falsum efficitur. Solutionem autem novit, qui novit ex hoc rationem pendere, quemadmodum in falsis descriptionibus contingit ; neque enim satis est objicere, ne tum quidem si falsum sit quod tollitur ; sed cur sit falsum, est demonstrandum. Sic enim apparebit, utrum aliquid prospiciens an non prospiciens proponat objectionem.

23. Explicat deinde Aristoteles, quo pacto debeat quis se præparare ad disputationem, et quas positiones debeat defendendas eligere. Antequam quis ad disputandum accedat, debet contra positionem ipse secum argumentari, et ad ea, quæ sibi objecerit, respondere. Manifestum est enim quod adversandum est iis, ex quibus arguentes debent contra conclusionem argumentari.

24. Debet autem quis vitare, ne defendat positiones inopinabiles. Porro positiones possunt esse inopinabiles ex pluribus capitibus. Primo ex eo, quod propter ipsas cogimur concedere quædam absurda et absona. Hujusmodi est positio Heracliti, quod omnia moventur, et positio Parmenidis, quod nihil movetur. Hujusmodi est etiam positio, quod quæ sunt pejoris moris sunt eligenda ; sequitur enim ex ea, quod virtus sit fugienda. Secundo possunt positiones esse inopinabiles ex eo, quod sint contrariæ consiliis. Hujusmodi est positio, quod voluptas sit sum-

mum bonum et quod melius est injuriam facere quam injuriam pati. Affert autem Aristoteles rationem, cur debeamus vitare, ne tales positiones defendamus, quæ ratio est, quia audientes solent concipere quoddam odium contra eos, qui tales positiones defendunt, acsi vere ita sentirent, et non solum exercitationis gratia illas defenderent.

25. *Quoad quintum* tradit demum Aristoteles præcepta respondendi ad syllogismos, quibus concluditur aliquid falsum. Docet, quod hæc argumenta non sufficienter solvuntur, negando aliquem præmissam, etiamsi talis præmissa vere sit falsa; ex. gr., si quis ad probandum, quod Socrates scribit, cum vere non scribat sic argumentetur : *sedens scribit; Socrates sedet*; *ergo Socrates scribit*; — non satis solvitur argumentum, negando minorem, quod nimirum Socrates sedeat, licet talis minor sit falsa, eo quod vere Socrates non sedeat. Ratio est, quia si Socrates vere sedeat et non scribat, posset fieri idem argumentum ad probandam eamdem conclusionem falsam, et tamen tunc minor non posset negari, utpote quæ esset vera. Ad argumentum igitur solvendum neganda est major, quod omnis sedens scribat ; illa enim major, quæ assumitur ut vera, est causa, ut inferatur conclusio falsa. Qui ergo scit, quod falsum concluditur propter falsitatem illius majoris, scit solutionem argumenti, sicut etiam accidit in mathematicis. Ille enim scit solutionem syllogismi pseudographi seu deceptorii, qui non utcumque negat aliquam propositionem falsam, sed scit, ex qua propositione falsa sequatur illud falsum, quod infertur.

CAPUT IV. — ART. I.

DE QUATUOR MODIS QUIBUS POTEST IMPEDIRI, NE ARGUENS CONCLUDAT INTENTUM.

1. Licet autem, quominus ratio concludatur, impedire quatuor modis. Vel enim impeditur sublato eo ex quo efficitur falsum. Vel adversus eum qui interrogat objectione allata; sæpe enim etsi respondens non solvit, tamen qui percontatur, non potest ulterius progredi. Tertio adversus ea quæ interrogantur objectione allata ; potest enim accidere ut ex interrogatis non fiat quod volumus, quia male interrogatum sit, aliquo autem opposito efficiatur conclusio. Si igitur amplius progredi non potest qui interrogat, adversus interrogantem erit objectio; sin potest, adversus interrogata. Quarta ac deterrima objectio est, quæ ad tempus refertur. Quidam enim talia objiciunt quæ ad disserendum plus temporis requirunt quam præsens congressus admittat. Objectiones igitur, sicut diximus , quatuor modis fiunt. Ex his autem quas diximus tantum prima est solutio ; reliquæ vero sunt prohibitiones quædam et impedimenta conclusionum.

1. Traditis præceptis respondendi et solvendi argumenta, advertit Aristoteles, quod aliud est solvere argumentum aliud impedire, ne arguens probet intentum. Quatuor enim modis possumus impedire, ne arguens concludat intentum, et tamen uno tantum ex his quatuor modis argumentum solvitur. *Primo* possumus impedire, ne arguens concludat intentum negando illud falsum, propter quod infertur conclusio falsa. *Secundo* possumus impedire per instantiam ad interrogantem, opponendo nimirum aliquid, propter quod interrogans non possit ulterius progredi; ex. gr. quærendo definitionem rei, de qua argumentatur. *Tertio* possumus impedire per instantiam ad interrogata seu ad propositiones assumptas, eo quod non sint bene positæ, opponendo aliquid, propter quod tales propositiones sint limitandæ ac restringendæ, licet adhuc illas restringendo sequatur propositum. Distinguit autem Aristoteles instantiam ad interrogantem ab instantia ad interrogata per hoc, quod instantia ad interrogantem est, quæ nihil opponit propositionibus assumptis, sed solum facit, ne arguens posset ulterius progredi; instantia vero ad interrogata opponit aliquid contra propositiones assumptas, ac non impedit, ne arguens possit ulterius progredi. *Quartum* demum et pessimum genus instantiæ est, quæ est ad tempus, cum quis nimirum transfert quæstionem ad aliquid aliud tale, ut de ipso controversia non possit absolvi tempore pro disputatione statuto. Ex his quatuor modis instandi, solus primus modus continet solutionem argumenti, cum per ipsum negetur falsum, ratione cujus sequitur conclusio falsa; tribus aliis modis argumentum non solvitur, sed solum impeditur arguens, ne ulterius procedat.

CAPUT IV. — ART. II.

OSTENDITUR, NON IDEM ESSE, QUOD ALIQUA RATIOCINATIO SIT MALA ET REPREHENSIBILIS SECUNDUM SE, ET QUOD SIT MALA ET REPREHENSIBILIS RELATE AD ARGUENTEM.

2. [11] Reprehensio autem argumentationis non est eadem, cum ipsa argumentatio per se spectatur, et cum in interrogatione ponitur.

3. Saepe enim, cur non scite tractata fuerit argumentatio, interrogatus in causa est, quod ea non concedat ex quibus scite disseri adversus thesim poterat.

4. Non enim positum est in altero solo, ut scite perficiatur commune opus.

5. Quapropter interdum necesse est contra eum qui dicit, non contra thesim argnmentari, nempe cum is qui respondet contraria interroganti captat per calumniam. Sic igitur tergiversantes contentiosos, non dialecticos congressus efficiunt.

6. Præterea quoniam exercitationis et periculi faciendi gratia sunt disputationes hujusmodi comparatæ, patet non solum vera esse concludenda, sed etiam falsum, nec ex veris semper, sed interdum etiam ex falsis. Saepe enim quod vere positum est, evertere disputantem oportet'. Quare proponenda sunt falsa axiomata. Interdum et quod falso positum est, evertendum per falsa axiomata. Nihil enin prohibet, quominus alicui magis probentur ea quæ non sunt, quam quæ vera sunt. Quocirca si ex his quæ illi probantur argumentatio sumatur, potius erit persuasus quam adjutus.

Postquam Aristoteles tradidit præcepta bene argumentandi ac bene respondendi, agit de vitiis ac defectibus disputationis.

2. Docet ergo *primo*, aliud esse, quod aliqua ratiocinatio secundum se considerata sit mala ac reprehensibilis; aliud esse, quod sit mala et reprehensibilis relate ad arguentem, qui utitur tali ratiocinatione.

3. Probatur et explicatur primo, quia potest contingere, ut aliqua ratiocinatio secundum se sit mala et reprehensibilis, et tamen non sit mala neque reprehensibilis relate ad eum, qui utitur tali ratiocinatione; ergo, etc. Probatur antecedens; potest enim contingere, ut arguens utatur tali ratiocinatione, quia respondens interrogatus de propositionibus, ex quibus deberet probari propositum, negat tales propositiones, adeoque cogit arguentem ad utendum ratiocinatione minus bona; sed tum arguens non est reprehendendus ex eo, quod utatur ratiocinatione minus bona, siquidem id non accidit vitio ipsius sed vitio respondentis, adeoque tum ratiocinatio non est mala et reprehensibilis relate ad arguentem; ergo potest contingere, ut aliqua ratiocinatio secundum se sit reprehensibilis, et tamen non sit reprehensibilis relate ad arguentem.

4. Probatur secundo, quia cum aliquod opus pendet a duobus, tum non est in unius tantum potestate, ut bene vel male fiat; sed ratiocinatio dialectica pendet a duobus, ab interrogante nimirum et respondente; ergo non est in potestate solius interrogantis, ut bene ratiocinetur, cum debeat interrogare et ratiocinari ex iis, quæ respondens admittit; ergo si non bene ratiocinetur, eo quod respondens non admittit ea, quæ deberet admittere, licet ratiocinatio sit mala, adhuc arguens non est reprehensibilis nec ratiocinatio est reprehensibilis relate ad arguentem.

5. Probatur tertio, quia digredi a principali proposito et a disputatione dialectica divertere ad disputationem altercatoriam, ex se est malum et reprehensibile; sed potest contingere, ut arguens digredi debeat a principali proposito ad disputationem altercatoriam culpa respondentis; ergo non eo ipso, quod disputatio secundum se est mala, est etiam mala relate ad arguentem. Probatur minor; nam aliquando respondens ita calumniatur omnia quæ dicuntur ab arguente, ut arguens debeat digredi a principali proposito ad refellendum respondentem, adeoque a disputatione dialectica debeat divertere ad disputationem altercatoriam.

6. Docet *secundo* Aristoteles, quod non eo ipso, quod aliqua ratiocinatio dialectica concludat falsum, vel assumat præmissas falsas ad probandam conclusionem non solum falsam sed veram, est reprehensibilis. Probatur ex fine disputationis dialecticæ; disputatio enim dialectica non non fit gratia doctrinæ, sed gratia exercitationis atque examinis; sed sæpe defendens ponit conclusionem veram, adeoque tum arguens debet probare contradictoriam talis conclusionis, quæ est falsa, falsum autem non potest probari ex omnibus præmissis veris; ergo aliquando dialectica ratiocinatio debet probare conclusionem falsam ex aliquibus præmissis falsis, et tamen talis ratiocinatio potest esse optima. Licet autem aliquando defendens ponat conclusionem falsam, adeoque arguens debeat probare contradictoriam veram, adhuc potest uti præmissis falsis ad probandum verum et evertendum falsum. Ratio est, quia arguens debet uti

illis propositionibus, quæ admittuntur a respondente, quia illi videntur veræ; sed aliquando falsa videntur respondenti probabiliora veris; ergo aliquando arguens debet potius uti præmissis falsis quam veris. Tum vero potest contingere, ut respondens ex propositionibus falsis, quæ illi videntur veræ, non solum non adjuvetur ad sustinendam conclusionem falsam, sed potius persuadeatur de contradictorio talis conclusionis, quod est verum.

7. Oportet autem eum qui scite argumentationem traducere vult, dialectice, non contentiose argumentari, quemadmodum geometram geometrice, seu falsum seu verum sit quod concluditur. Quales autem dialectici syllogismi sint, antea dictum fuit.

8. Quia vero pravus socius est, qui impedit commune opus, patet rem ita se habere etiam in disputationibus. Commune enim quiddam propositum etiam in his est, exceptis iis qui certandi studio disputant; quibus non licet ambobus eumdem finem consequi, cum plures uno vincere nequeant.

9. Nihil autem refert, utrum propter responsionem an propter interrogationem id fiat; nam et qui contentiose interrogat, male disputat, et qui respondendo non dat quod verum aut probabile videtur, nec suscipit quodcumque interrogans percontari voluerit.

10. Ex dictis igitur patet, non similiter esse reprehendendam argumentationem per se, et eum qui interrogat. Nihil enim vetat disputationem quidem pravam esse, interrogantem autem, quam optime fieri possit, contra respondentem disseruisse. Nam adversus eos qui tergiversantur, non est fortasse integrum statim cujusmodi quis velit, sed cujusmodi possit, efficere syllogismos.

11. Quoniam autem definitum non est, quando contraria et quando in principio quæsita homines sumant (sæpe enim per se dicentes contraria dicunt; et cum prius abnuerint, postea concedunt; ideoque interrogati et contraria, et quæ initio quæsita fuerunt, sæpe admittunt), necesse est pravas fieri argumentationes. In causa vero est qui respondet, alia quidem non concedens, hæc autem, cum talia sint, concedens. Apparet igitur non similiter reprehendendos esse eos qui interrogant, et eorum argumentationes.

7. Docet *tertio* Aristoteles, quod etiam quando arguentes debent divertere a principali proposito, et quando debent probare falsum et ex falsis, adhuc debent conari, ut semper utantur rationibus dialecticis atque ex probabilibus. Sicut enim Geometra semper debet ratiocinari geometrice, sic Dialecticus semper debet ratiocinari dialectice, seu verum seu falsum sit illi concludendum. Quæ autem sint ratiocinationes dialecticæ, explicatum est lib. I, cap. X.

8. Docet *quarto*, quod non eodem pacto, quo quis est male disputans in disputatione dialectica, est etiam male disputans in disputatione concertatoria. Probatur et explicatur. Malus enim socius est, qui impedit, ne opus commune bene fiat; sed opus ac finis communis dialectice disputantium est, ut bene ac dialectice disputetur de conclusione proposita; ergo qui impedit, ne bene ac dialectice disputetur de conclusione proposita, male disputat. E converso in disputatione concertatoria uterque concertantium habet pro fine, ut vincat adversarium; sed impossibile est, ut uterque vincat; ergo disputantes in disputatione concertatoria non habent pro fine opus commune; ergo in hoc genere disputationis tum quis male disputat, cum vincitur, tum bene disputat, cum vincit

9. Docet *quinto*, quod in disputatione dialectica tum arguens tum respondens potest esse causa, cur male disputetur, adeoque potest esse reprehensibilis; arguens quidem si non interroget et assumat ea, quæ sunt interroganda et assumenda ad probandum propositum; respondens vero, si non admittat ea, quæ sunt admittenda.

10. Ex his Aristoteles rursus confirmat principalem conclusionem, quod nimirum non idem sit, quod ratiocinatio sit mala et reprehensibilis, ac quod sit mala et reprehensibilis, relate ad arguentem. Potest enim contingere, ut disputatio sit mala et reprehensibilis, et tamen arguens optime disputet adeoque sit laudabilis. Probatur antecedens; nam si defendens male respondeat, eo ipso disputatio, quæ est opus commune argumentantis ac defendentis, erit mala, et tamen poterit contingere, ut arguens optime argumentetur ad hominem contra respondentem, quia licet non assumat propositiones, quæ deberent assumi, siquidem respondens impedit, adhuc assumit propositiones optimas, quas potest contra respondentem assumere.

11. Confirmatur ulterius, quia aliquando arguens interrogat aliis verbis idem, quod sumpsit prius, aliquando interrogat contrarium ei, quod sumpsit prius, respondens vero non advertens hoc, postquam concessit unum, negat idem, et postquam concessit unum contrarium, admittit etiam aliud contrarium, et tum male procedit disputatio, dum non apparet.

quid concedatur et quid negetur; causa autem, cur male procedat disputatio, est respondens inconsequenter concedens contraria et negans, quæ se mutuo consequuntur; ergo tum disputatio est mala, non quidem vitio arguentis sed respondentis, adeoque aliud est, quod disputatio sit mala et reprehensibilis secundum se, aliud quod sit mala vitio arguentis.

CAPUT IV. — ART. III.

EX QUIBUS CAPITIBUS RATIOCINATIO SIT REPREHENSIBILIS VEL NON SIT REPREHENSIBILIS, TUM SECUNDUM SE TUM RELATE AD PROBLEMA.

12. Per se autem argumentationis quinque sunt reprehensiones. Prima est, quando ex rogatis non concluditur neque adversus positum problema neque omnino quidquam, cum falsa vel improbabilia sint aut omnia aut plurima eorum, ex quibus infertur conclusio; et neque detractis quibusdam neque additis, neque aliis detractis aliis additis efficitur conclusio.

13. Secunda, si adversus thesim non valeat syllogismus ex talibus et ita factus, ut antea dictum fuit.

14. Tertia, si nonnullis additis fieret adversus thesim syllogismus, hæc autem sint deteriora quam quæ rogata sunt minusque probabilia quam conclusio.

15. Rursus si quibusdam detractis id eveniret; interdum enim plura sumunt interrogantes quam necesse sit.

16. Præterea si sumatur argumentatio ex minus probabilibus et minus credibilibus quam sit conclusio; aut si ex veris, sed quæ plus negotii requirunt ut demonstrentur quam problema.

17. Non oportet autem postulare, ut omnium problematum syllogismi æque probabiles sint et ad persuadendum apti. Statim enim eorum quæ quæruntur, alia suapte natura sunt faciliora, alia difficiliora. Quapropter si ex propositionibus, quoad ejus fieri potuit, maxime probabilibus argumentatus fuerit, scite disseruit.

Hactenus Aristoteles docuit ac probavit, non idem esse, quod ratiocinatio sit reprehensibilis secundum se, ac quod sit reprehensibilis relate ad arguentem; explicat jam, ex quibus capitibus ratiocinatio sit reprehensibilis vel non sit reprehensibilis, secundum se vel relate ad problema. *Primo* ergo enumerat quinque capita, ex quibus ratiocinatio secundum se est reprehensibilis; *secundo* ostendit aliquam ratiocinationem posse esse reprehensibilem secundum se, relate vero ad problema non esse reprehensibilem; *tertio* probat, aliquam ratiocinationem, quæ concludit, posse esse deteriorem aliqua alia, quæ non concludit; *quarto* probat, non semper esse reprehensibilem ratiocinationem, quæ concludit verum ex falsis; *quinto* distinguit quatuor genera syllogismorum; *sexto* examinat quæstionem, an conclusio sequatur in probabilitate omnes præmissas vel alteram tantum; *septimo* proponit aliud vitium ratiocinationis probantis per plura, quod potest probari per pauciora.

12. *Quoad primum* : ex quinque capitibus ratiocinationes, quæ adhibentur in disputatione dialectica, possunt reprehendi : primo, quia præmissæ, quæ per interrogationem assumuntur, ex parte materiæ sunt falsæ vel inopinabiles, omnes vel pleræque, et quoad formam nihil concludunt, neque ex his fit ullus syllogismus, etiam quibusdam superfluis detractis vel additis aliquibus necessariis, quæ subintelligi possunt.

13. Secundo potest ratiocinatio reprehendi, quia licet ex assumptis præmissis aliquid concludatur, non concluditur propositum, et præterea præmissæ sunt falsæ et improbabiles.

14. Tertio potest ratiocinatio ut diminuta reprehendi, quia licet additis quibusdam concludat propositum, tamen hæc, quæ debent addi, sunt minus nota præmissis assumptis, et minus probabilia conclusione probanda.

15. Quarto potest reprehendi ut redundans ratiocinatio, quia sumit plura, quam sint necessaria ad conclusionem inferendam, ideoque licet conclusio sequatur, non sequitur ex his omnibus, quæ sunt assumpta, sed ex aliquibus tantum.

16. Quinto demum potest reprehendi ratiocinatio, quia licet concludat propositum, concludit illud ex improbabilioribus et minus credibilibus quam conclusio, vel si concludit ex veris, concludit ex præmissis, quæ difficilius probantur quam ipsa conclusio.

17. Quia vero posset aliquis existimare, quod omnium syllogismorum præmissæ debent esse æque probabiles, rejicit hunc errorem Aristoteles ac docet, quod sicut quædam problemata sunt faciliora, quædam difficiliora, sic quædam debent concludi ex propositionibus probabilioribus, quædam ex minus probabilibus, adeoque non semper sunt reprehendendæ ratiocinationes, eo quod non attingant aliquem gradum probabilitatis. Qui enim

probat unamquamque conclusionem ex propositionibus maxime probabilibus, ex quibus probari possit talis conclusio, bene disputat ac bene probat dictam conclusionem, adeoque laudandus est, non reprehendendus.

18. Perspicuum igitur est, non eamdem esse argumentationis reprehensionem, cum ad id refertur, quod in quæstione est positum, et cum ad ipsam rationem. Nihil enim vetat, esse quidem per se argumentationem vituperabilem, ad problema vero relatam esse laudabilem, vicissimque per se laudabilem, ad problema autem relatam vituperabilem, nempe cum ex multis probabilibus et veris concludere est facilius.

19. Fieri etiam interdum potest, ut argumentatio concludens ea quæ non concludit, sit deterior, nimirum quando illa ex futilibus concludit, cum problema tale non sit; hæc autem eget assumptione talium propositionum, quæ sunt probabilia et vera, nec in his assumptis posita est argumentatio.

20. Qui vero ex falsis verum concludunt, non possunt jure reprehendi, quoniam falsum quidem semper necesse est ex falsis concludi, sed verum licet interdum etiam ex falsis concludere; hoc autem est perspicuum ex Analyticis. Quando autem argumentatio, quæ dicta est, alicujus rei est demonstratio, si quid aliud sit quod nihil cum conclusione probanda commune habeat, profecto non erit ex eo syllogismus. Sin autem videatur, sophisma erit, non demonstratio.

21. Est autem philosophema syllogismus demonstrativus, epicheirema vero syllogismus dialecticus, sophisma syllogismus contentiosus, aporema syllogismus dialecticus contradictionis.

18. *Quoad secundum* : non eadem est reprehensibilitas ratiocinationis secundum se consideratæ, ac ejusdem consideratæ in ordine ad problema. Patet; potest enim contingere, ut aliqua ratiocinatio secundum se quidem sit vituperabilis, relate vero ad problema sit laudabilis; et potest e converso contingere, ut aliqua ratiocinatio secundum se sit laudabilis, relate vero ad problema sit vituperabilis; ergo etc. Probatur antecedens; nam ratiocinatio constans ex improbabilibus, sed minus improbabilibus quam conclusio, secundum se quidem est vituperabilis, utpote procedens ex improbabilibus, relate vero ad conclusionem est laudabilis, utpote procedens ex minus improbabilibus quam conclusio, et ex probabilissimis, quibus possit talis conclusio probari. Rursus si quis conclusionem probabilem probet ex probabilibus, sed omittens probationes multo meliores et probabiliores, ratiocinatio secundum se erit laudabilis, utpote procedens ex probabilibus, relate vero ad conclusionem erit vituperabilis, cum talis conclusio posset multo melius probari et ex multo probabilioribus.

19. *Quoad tertium* : potest contingere, ut ratiocinatio, quæ concludit, sit multo deterior ratiocinatione, quæ non concludit, si nimirum ratiocinatio concludens ex præmissis absurdis, concludat problema seu positionem non absurdam, ratiocinatio vero non concludens talis sit, ut addendo aliqua probabilia et vera, quæ adhuc non sunt assumpta, possit conclusionem inferre.

20. *Quoad quartum :* non semper est reprehensibilis ratiocinatio, quæ concludit verum ex falso. Nam licet falsa non possint inferri nisi ex falsis, adhuc vera possunt inferri, non solum ex veris, sed etiam ex falsis, ut dictum est lib. II. Prior. cap. II; ergo cum aliquod falsum est probabile et probabilius aliquo vero, potest per ipsum probari conclusio vera.

21. *Quoad quintum :* differunt demonstratio, quæ vocari potest philosophema, syllogismus sophisticus, qui vocari potest sophisma, syllogismus dialecticus inquisitivus, qui vocari potest epicherema, et syllogismus dialecticus contradictionis, qui vocari potest aporema. Demonstratio seu philosophema est *syllogimus constans ex veris,* etc., ut dictum est lib. I. Poster. cap. II. Si vero assumatur aliqua propositio, quæ non sit connexa cum conclusione, non spectabit ad syllogismum. Sophisma est : *syllogismus constans ex præmissis, ex quibus videtur sequi conclusio, sed non sequitur.* Epicherema est : *syllogismus ex probabilibus, quo utuntur Dialectici ad inveniendam veritatem.* Aporema demum est : *syllogismus contradictionis, quo utuntur Dialectici, dum respondentes proterviunt et non bene respondent.*

22. Si quid autem ex utrisque propositionibus probabilibus ostendatur, nec sint ambæ æque probabiles, nihil vetat, id quod ostensum est, utraque propositione esse probabilius. At si una probabilis sit, altera neutro modo se habeat, vel altera sit probabilis, altera non probabilis, siquidem similiter, etiam conclusio similiter erit et non erit; sin autem altera propositio sit magis talis, conclusio consequens erit ei propositioni, quæ est magis talis.

23. Est et hoc peccatum in syllogismis, cum quis per plura probarit quod probari poterat per

pauciora, quæ in argumentatione insunt. Veluti si quis probaturus opinionem aliam alia magis esse, postulaverit ipsum quodque maxime esse; èsse autem opinabile ipsum vere; eapropter quibusdam magis ipsum esse; id autem quod magis dicitur ad id quod est magis referri; esse autem et ipsam opinionem veram, quæ erit magis aliis quibusdam accurata; postulatum est autem et ipsam opinionem veram esse et ipsum quodque maxime esse; quare hæc opinio, quæ maxime vera est, cæteris accuratior est. Sed quodnam est hujus argumentationis vitium? An quod facit ut causa, ex qua ducitur argumentatio, lateat?

22. *Quoad sextum:* potest quæri, utrum conclusio sequatur in probabilitate omnes præmissas vel alteram tantum. Dicendum, quod si conclusio consideretur secundum se, et non prout habet solum probabilitatem a præmissis, potest conclusio esse magis probabilis alterutra et utraque præmissa; si vero conclusio consideretur, in quantum accipit totam probabilitatem a præmissis, si altera præmissa sit probabilis, altera neutra, vel altera præmissa sit probabilior, altera minus probabilis, conclusio se habebit sicut præmissa neutra, vel minus probabilis; si utraque præmissa sit neutra vel improbabilis, conclusio se habebit sicut præmissa magis neutra vel magis improbabilis, et universim conclusio semper sequetur debiliorem partem.

23. *Quoad septimum:* potest etiam in ratiocinatione peccari, probando per plura, quod posset æque bene concludi per pauciora ac non extranea. Hujusmodi esset ratiocinatio, qua quis sic probaret, opinionem suscipere magis et minus, adeoque opinionem certiorem esse magis opinionem quam minus certam. Quod est ipsummet in aliquo genere, est maxime tale in eo genere, ex. gr., ipsummet bonum ideale est maxime bonum; sed datur aliquid, quod est ipsummet opinabile; ergo datur aliquid, quod est maxime opinabile; sed quod dicitur maxime tale, dicitur comparative ad aliqua minus talia; ergo datur aliquid magis opinabile alio opinabili: sed etiam datur aliqua opinio, quæ est ipsamet opinio; ergo una opinio, est magis opinio quam alia, et quæ per se et maxime est opinio, est magis opinio, quam quæ non per se est opinio. Hæc ratiocinatio est vitiosa et redundans. Ad concludendum enim sufficiunt duæ propositiones ex assumptis, nimirum: *omne, quod per se ipsum est tale, est maxime tale, et magis quam quæ non sunt talia per se ipsa; sed aliqua opinio est per se ipsam opinio; ergo aliqua opinio est magis opinio quam alia; ergo opinio suscipit magis et minus;* frustra igitur additæ sunt aliæ propositiones de opinabili etc. Ex additione autem talium propositionum ratiocinatio fit vitiosa, quia non apparet, quæ propositiones sint causæ, ut sequatur conclusio, quæ autem sint superfluæ.

CAPUT IV. — ART. IV.

DE MODIS, QUIBUS RATIOCINATIO EST PERSPICUA VEL FALSA; AC DE MODIS, QUIBUS PETITUR PRINCIPIUM VEL CONTRARIUM.

24. [12] Argumentatio autem est perspicua uno modo, eoque maxime vulgari, si ita concludat, ut nihil amplius oporteat interrogare. Altero, qui etiam maxime dicitur, cum sumpta sunt ea ex quibus esse necesse est quod concluditur, sed ex conclusionibus concludit, præterea si quid desit quod sit valde probabile.

25. Falsa vero argumentatio vocatur quatuor modis. Uno modo, cum videtur concludere neque concludit; qui quidem vocatur syllogismus contentiosus. Alio modo, cum aliquid concludit, sed quod non pertineat ad problema propositum; quod iis maxime accidit qui ad impossibile ducunt. Aut id quidem concludit, quod ad propositum pertinet, non tamen secundum propriam methodum. Hoc autem est, si argumentatio, quæ non est medica, videatur esse medica, aut videatur esse geometrica ea, quæ non est geometrica, aut dialectica ea, quæ non est dialectica, sive verum sive falsum sit quod efficitur. Alio modo, si ex falsis concludat. Hujus autem argumentationis aliquando conclusio falsa est, aliquando vera: nam falsum quidem semper ex falsis concluditur, verum autem licet etiam ex non veris concludere, quemadmodum et antea dictum fuit.

26. Quod igitur falsa sit argumentatio, peccatum est potius argumentantis quam argumentationis; imo neque argumentantis semper, sed tum demum, cum ignorat, se falsam quamdam argumentationem dixisse, quoniam per se multis, veris argumentationibus eam magis probamus.

27. quæ ex iis quæ maxime videntur aliquid verum evertit. Nam quæ talis est, quorumdam verorum demonstratio est. Oportet enim eorum quæ posita sunt, quidpiam non esse omnino. Quocirca erit hujus demonstratio.

28. Quod si verum concludat ex falsis et valde futilibus, certe multis falsum colligentibus deterior erit. Potest autem talis esse et quæ falsum concludit.

29. Quare patet, primam esse considerationem argumentationis per se, an concludat; secun-

dam, utrum verum an falsum concludat; tertiam, ex quibus. Nam si ex falsis, at probabilibus, logica est; si ex iis quæ sunt vera, sed non probabilia, est prava. Si vero ea sint et falsa et valde improbabilia, patet argumentationem pravam esse aut simpliciter aut ratione rei, de qua agitur. [13] Quod autem in principio quæsitum est, et contraria, quomodo petat is qui interrogat, secundum veritatem in Analyticis dictum est, secundum opinionem autem nunc dicendum.

Quia ratiocinatio solet etiam reprehendi, ut non perspicua, ut falsa, ut involvens petitionem principii, et ut involvens contraria, ideo Aristoteles, ut absolvat tractatum de vitiis ac defectibus ratiocinationis dialecticæ, explicat primo, quot modis ratiocinatio sit perspicua; secundo, quot modis sit falsa; tertio, quot modis petat principium; quarto, quot modis petat contrarium.

24. *Quoad primum* : ratiocinatio tribus modis dicitur perspicua. Primus et notissimus modus est : ratiocinatio est perspicua, cum ita concludit, ut nihil aliud præter ea, quæ sunt assumpta, debeat interrogari vel assumi, ut inferatur conclusio. Secundus modus est, cum sunt assumptæ præmissæ, ex quibus necessario sequitur conclusio, sed tales præmissæ probatæ sunt per syllogismum ex aliis præmissis. Tertius modus est, cum deest aliqua præmissa, quæ tamen est valde probabilis, ut contingere solet in enthymemate.

25. *Quoad secundum* : ratiocinatio quatuor modis dicitur falsa : primo cum videtur concludere sed non concludit, et talis ratiocinatio vocatur syllogismus litigiosus; secundo cum concludit sed non concludit intentum, quod vitium præsertim solet dari in ratiocinationibus per impossibile; sæpe enim impossibile sequitur quidem, sed non ex contradictorio ejus, quod intendimus probare; tertio cum concluditur propositum, sed non concluditur eo pacto, quo debet concludi in propria disciplina. Ex. gr., ratiocinatio, qua quis probat conclusionem geometricam non geometrice, dicitur ratiocinatio falsa. Proportionaliter dicitur falsa ratiocinatio, qua quis probat conclusionem dialecticam non dialectice, conclusionem medicinalem non medicinaliter. Quarto dicitur ratiocinatio falsa, quæ concludit quidem sed per præmissas falsas. Porro ex præmissis falsis possumus inferre tum conclusionem falsam tum conclusionem veram. Licet enim falsum non possit inferri nisi ex falsis, adhuc verum non solum potest inferri ex veris, sed etiam ex falsis, ut dictum est lib. II. Prior. cap. II.

26. Addit Aristoteles, quod hoc, quod est ratiocinationem esse falsam quarto modo, in quantum concludit ex præmissis falsis, non tam est vitium ratiocinationis, quam ejus, qui tali ratiocinatione utitur; imo aliquando nec est vitium ejus, qui utitur tali ratiocinatione. Ratio est, quia tum solum peccat, qui utitur ratiocinatione ex præmissis falsis, cum non advertens, quod tales præmissæ sunt falsæ, eligit illas ut veras; si autem advertens aliquas præmissas esse falsas, sed esse probabiliores adversario aliis præmissis veris, eligit falsas præ veris, non peccat, sed est laudandus, cum dialectice argumentetur.

27. Confirmatur, quia aliquando debemus argumentari contra conclusionem veram, adeoque debemus inferre conclusionem falsam; sed conclusio falsa non potest probari ex omnibus præmissis veris; solum enim verum potest demonstrari ex omnibus præmissis veris, quod est *simpliciter demonstrari;* ergo tum optime probabimus ac demonstrabimus secundum quid talem conclusionem falsam ex præmissis falsis, quæ sunt probabiliores veris, adeoque tum ratiocinatio ex falsis neque est vitiosa secundum se, neque nos peccabimus, si tali ratiocinatione utemur.

28. Quod si aliqua ratiocinatio non solum concludat verum ex falsis, sed etiam ex valde absurdis, tum talis ratiocinatio non solum erit vitiosa, sed erit multo deterior illis, quæ concludunt verum ex falsis utcumque; et quia multæ ratiocinationes concludentes ex falsis, concludunt etiam ex improbabilibus atque absurdis, ideo multæ ratiocinationes concludentes ex falsis sunt vituperabiles ac vitiosæ.

29. Ex his patet, quæ sint circa ratiocinationem consideranda, ut illam probemus vel reprehendamus. Primo considerandum est, an concludat; secundo, utrum concludat verum vel falsum; tertio ex quibus præmissis concludat, ex verisne an falsis; quarto si ex falsis, an ex probabilibus vel ex improbabilibus. Si enim concludat ex falsis sed probabilibus, adhuc ratiocinatio potest esse probabilis et tolerabilis; si vero concludat ex improbabilibus, manifestum est, quod est prava, vel simpliciter vel in subjecta materia, cum non sit dialectica.

30. Petere videntur quod in principio quæsitum fuit, quinque modis. Manifestissime et primo, si quis id ipsum petat, quod probare oportet. Hoc autem in eo ipso non facile latet; sed magis in synonymis, et in quibus nomen ac definitio idem significat.

31. Secundo cum id quod in parte demonstrari oportet, universaliter aliquis petit, veluti cum probaturus, contrariorum unam esse scientiam, omnino oppositorum unam esse sibi concedi postulat; videtur enim, quod oportebat per se probare, una cum pluribus aliis petere.

32. Tertio si quis, cum universale probare instituerit, in parte petat, veluti si, cum propositum sit ad probandum omnium contrariorum esse unam scientiam, petat sibi concedi certorum quorumdam contrariorum unam esse. Nam et hic videtur, quod cum pluribus oportebat probare, per se ac separatim petere.

33. Rursus si quis diviso problemate id petat, quod propositum est ad disputandum, veluti si, cum probare oporteat medicinam esse salubrium et insalubrium, separatim utrumque petat.

34. Aut si quis eorum quæ se invicem necessario consequuntur, alterum petat, ut latus cum diametro communem habere mensuram, cum demonstrare oporteat diametrum habere communem mensuram cum latere.

30. *Quoad tertium* : lib. II. Prior. cap. XXI, explicatum est, quot modis vere petatur principium. Nunc igitur solum remanet explicandum, quot modis petatur principium secundum opinionem et apparentiam. Videtur igitur, quod quinque modis potest peti principium, seu id, quod est in quæstione. Primus et manifestissimus modus est, cum petitur, ut concedatur illud ipsum, de quo est quæstio. Et quidem cum petitur sub iisdem nominibus, manifesta est petitio principii; at cum quod positum est in quæstione sub uno nomine, petitur sub alio nomine, vel quod est in quæstione sub nomine, petitur, ut concedatur sub oratione, tum non est ita manifesta petitio principii.

31. Secundus est, cum quis debet demonstrare aliquid minus universale, et petitur aliquid magis universale; ex. gr., cum quis, ut ostendat *contrariorum esse eamdem disciplinam*, petit sibi concedi *oppositorum esse eamdem disciplinam*, videtur petere principium. Videtur enim petere, ut concedatur non solum id, quod debet probare, sed alia plura.

32. Tertius est, cum quis debet ostendere aliquid universale, et petit, ut sibi concedatur aliquid particulare contentum sub illo universali, videtur petere principium. Ex. gr., cum quis debet ostendere contrariorum esse eamdem disciplinam, et petit, ut sibi concedatur sani et ægri esse eamdem disciplinam, videtur petere principium; hoc enim ipsum est unum ex iis, quæ debet cum aliis probare.

33. Quartus modus est, si quis debet probare problema compositum, et petat illud sibi concedi per partes; ex. gr., si debet probare medicinam esse sani et ægri, et petat sibi seorsim concedi, quod medicina est sani et quod etiam est ægri.

34. Quintus modus est, si debens probare aliquid, petat, ut sibi concedatur aliud, ex quo illud sequitur necessario per quamdam convertentiam; ex. gr., si debeat probare, quod diameter quadrati est incommensurabilis costæ, et petat sibi concedi, quod costa est incommensurabilis diametro.

35. Tot autem modis et contraria petuntur, quot initio quæsitum. Ac primum si quis contrarias postulet affirmationem et negationem.

36. Secundo si contraria secundum oppositionem, veluti bonum et malum esse idem.

37. Tertio si quis cum universale sibi concedi postulaverit, mox in parte contradictionem petat. Veluti si hoc sumpto axiomate, contrariorum unam esse scientiam, salubris et insalubris diversam esse postulet sibi concedi,

38. * aut hoc postulato in universali oppositionem sumere conetur.

39. Rursus si quis petat contrarium ei, quod necessario efficitur ex iis, quæ posita sunt. Necnon si quis ipsa quidem opposita non sumat, sed duo ejusmodi petat, ex quibus sequatur opposita contradictio.

40. Hoc autem differunt sumere contraria et petere quod initio quæsitum fuit, quod hujus peccatum ad conclusionem pertinet (nam ad eam respicientes dicimus peti quod initio quæsitum fuit), contraria vero in propositionibus cernuntur, nempe quia certo quodam modo sunt inter se affectæ.

35. *Quoad quartum* : totidem quinque modis possunt peti contraria. Primus modus est, si postquam quis posuerit unam partem contradictionis, petat alteram. Quod hoc pacto petantur contradictoria sub iisdem terminis raro contingit, sed frequentius accidit, ut petantur sub terminis diversis.

36. Secundus modus est, si, postquam quis posuerit unum contrarium, petat aliud, saltem sub diversis vocibus; ex. gr., si postquam petiit quis, ut concedatur aliquid esse bonum, petat sibi concedi, quod illud ipsum est malum.

37. Tertius modus est, si, postquam posuerit quis in universali unam partem contradictionis, petat alteram in particu-

lari; ex. gr., si, postquam petierit sibi concedi, quod omnium contrariorum est eadem disciplina, petat sibi concedi, quod sani et ægri non est eadem disciplina.

38. Quartus modus est, cum, postquam quis sumpsit aliquid in particulari, petit sibi concedi contradictorium in universali; ex. gr., si postquam sumpsit, quod sani et ægri est eadem disciplina, petat sibi concedi, quod nullorum contrariorum est eadem disciplina; vel si quis, postquam sumpserit aliquas præmissas, ex quibus necessario sequitur aliqua conclusio, petat oppositum talis conclusionis.

39. Quintus modus est, si quis non petat quidem duo contraria, sed petat aliqua, ex quibus sequatur contrarium eorum, quæ posita sunt.

40. Concludit Aristoteles comparando inter se petitionem principii ac petitionem contrarii. Petitio principii habet respectum ad conclusionem probandam. Cum enim quis petit sibi concedi id, quod debet probare, petit principium. At petitio contrarii habet respectum ad propositiones assumptas. Est enim petitio contrarii, cum quis petit oppositum earum propositionum, quas jam interrogando assumpsit.

CAPUT IV — ART. V.

TRADUNTUR PRÆCEPTA DE EXERCITATIONE DIALECTICA

41. [14] Exercitationis autem et meditandarum hujuscemodi disputationum causa primum assuescere oportet in argumentationibus convertendis. Sic enim et ad id de quo disseritur major nobiscopia suppetet, etin paucis multas argumentationes probe sciemus. Nam convertere est transsumpta conclusione cum reliquis interrogationibus evertere aliquid eorum quæ data sunt. Necesse enim est, si conclusio non sit, aliquam propositionum everti, siquidem his omnibus positis necesse erat conclusionem esse.

42. Ad omnem etiam thesim in utramque partem argumentatio consideranda est; et hac inventa solutio statim est quærenda ; sic enim fiet, ut et ad interrogandum et ad respondendum exercitati simus. Et si nemo alius sit quocum disputemus, per nosmetipsos id faciendum. Et comparari inter se debent selecta ad oppositionem argumenta. Hoc enim et ad urgendum magnam copiam parit et ad redarguendum magnum affert adjumentum, cum alicui suppetunt argumenta in utramque partem ; sic enim fiet, ut adversarium oporteat sibi a contrariis cavere. Ad cognitionem quoque ac philosophicam prudentiam non est exiguum instrumentum posse perspicere et jam perspexisse, quid ex utraque hypothesi eveniat ; tantum enim reliquum erit, ut horum alterum recte eligatur. Sed ad id oportet esse natura bene informatum ; atque hæc revera est naturæ bonitas, posse recte eligere verum ac declinare falsum ; quod quidem ii qui bene a natura sunt informati, possunt recte facere. Nam qui recte diligunt et oderunt quod affertur, hi seligunt quod est optimum.

Quia non sufficit scire artis præcepta, nisi quis in opere artis se exercuerit, ideo postquam Aristoteles explicavit loca, ex quibus possint desumi argumenta pro construendis ac destruendis dialecticis problematibus, ac præterea docuit modum bene disputandi, argumentandi ac defendendi, subdit præcepta se exercendi, ut exercitatione addita arti, possit quis perfectus fieri Dialecticus.

41. *Primo* ergo Dialecticus debet se exercere in syllogismorum conversione. Est autem syllogismorum conversio, per quam ex opposito conclusionis et altera præmissa evertitur reliqua, ut explicatum est lib. II. Priorum cap. VIII, num. 1. Cum enim, si omnes præmissæ sunt veræ, necesse sit conclusionem esse veram, necessarium e converso est, ut si conclusio sit falsa, aliqua præmissarum sit falsa, ut ibidem explicatum est. Utilitas autem se exercendi in conversione syllogismorum est duplex. Prima est, quia, cum sit facilius construere syllogismum ostensivum quam conversivum, qui præter ostensivum includit etiam alios syllogismos, si per exercitium acquisiverimus facilitatem conversive syllogizandi, multo majorem facilitatem obtinebimus ad syllogizandum ostensive. Secunda est, quia ex paucis propositionibus ac terminis, poterimus facere plures syllogismos, siquidem et ex præmissis inferemus conclusiones per unum syllogismum, et ex opposito conclusionis inferemns oppositum præmissarum per alios duos syllogismos.

42. *Secundo* debet Dialecticus quærere argumenta pro utraque parte problematis, pro affirmativa nimirum et negativa, argumentis vero inventis debet ulterius quærere solutionem; sic enim exercitatione comparabit simul facilitatem argumentandi ac defendendi. Quod si non habeat socium, debet se exercere cum semetipso, quærens argumenta pro utraque parte, eaque conferens inter se; hoc enim multum conferet adjumenti tum ad de-

fendendum tum ad argumentandum; ad defendendum quidem, si præviderit rationes pro utraque parte; ad argumentandum vero, siquidem erit assuetus et promptus ad probandam partem tum affirmativam tum negativam. Præterea prævidere et prævidisse rationes pertinentes ad utramque partem problematum, magnum conferet adjumentum ad cognitionem veritatis, quam Philosophia intendit; si quidem præmissis rationibus pro utraque parte, reliquum solum est, ut eligat quis alteram partem ac veritatem determinet. Ad hoc vero, ut quis visis rationibus pro utraque parte, possit bene determinare veritatem, requiritur, ut sit naturaliter ingeniosus. Porro *esse ingeniosum*, nihil aliud est, quam posse bene eligere verum et fugere falsum. Qui enim sunt bene constituti, possunt bene facere operationes proprias suæ naturæ; sed proprium hominis est veritatem discernere; ergo qui sunt ingeniosi et bene constituti secundum vim intelligendi, possunt bene verum a falso discernere. Amant enim verum et oderunt falsum, et ita prolatis rationibus pro utraque parte, possunt discernere verum illudque sectari.

43. Ac de problematis, quæ sæpe in disputationem incidunt, argumentationes probe scire oportet, et maxime de primis thesibus; in his enim ea quæ afferuntur, respondentes fastidiunt sæpe ac respuunt.

44. Præterea et definitionibus abundare oportet, et eorum quæ probabilia primaque sunt, definitiones in promptu habere; ex his enim syllogismi conficiuntur.

45. Enitendum quoque est, ut ea teneamus, in quæ sæpenumero disputationes incidunt. Nam ut in Geometria e re est, in elementis esse exercitatum, et in numeris summa capita in promptu habere multum confert ad cognoscendum alium quoque numerum multiplicatum, similiter et in disputationibus utile est, in principiis promptum esse et propositiones memoriter tenere. Quemadmodum enim in memorativa animæ facultate tantum loci positi statim faciunt eadem meminisse, ita etiam hæc efficiunt maxime syllogisticum, quod ad ipsas propositiones numero definitas respiciatur.

46. Ac propositionem communem potius quam argumentationem memoriæ mandare oportet; principii namque et hypothesis copiam habere mediocriter difficile est.

43. *Tertio* debet Dialecticus præsertim se exercere circa problemata, de quibus sæpissime accidit disputatio, et circa quasdam primas positiones; de his enim sæpissime oritur controversia.

44. *Quarto* debet curare, ut abundet definitionibus, tum probabilium tum primorum, cum ex definitionibus fieri soleant syllogismi.

45. *Quinto* conandum est, ut bene teneamus quædam, in quæ sæpissime solent resolvi disputationes. Sicut enim necesse est, ut Geometra sit exercitatus ac promptus circa demonstrationes elementares, eo quod aliæ demonstrationes resolvi soleant ad demonstrationes elementares, et sicut necesse est, ut Arithmeticus sit optime exercitatus circa multiplicationes primorum decem numerorum, qui vocantur capitales, eo quod prompta cognitio de multiplicationibus numerorum capitalium valde confert ad cognoscendas multiplicationes aliorum numerorum, sic Dialecticus debet prompte tenere principia et propositiones, quæ sunt veluti elementa dialecticarum ratiocinationum. Confirmatur; nam sicut in memoria sunt quædam loca, ad quæ respicientes reminiscimur, ut dicetur libro de memoria et reminiscentia; ex contrario enim reminiscimur contrarii, ex conjugato reminiscimur conjugati, etc., — sic quædam sunt propositiones, ex quarum consideratione nobis ratiocinationes occurrunt; istæ autem propositiones sunt paucæ, sed ad illas paucas respicientes poterimus facile de multis ratiocinari.

46. *Sexto* debemus conari, ut potius in memoria habeamus propositiones consuetas et loca communia, quam integras ratiocinationes. Ratio est, quia posito, quod non possimus memoria tenere nisi pauca, debemus memoria retinere ea, quæ pluribus deserviunt; sed propositiones et loca communia deserviunt ad plures ratiocinationes; ergo præcipuum studium adhibendum, ut loca communia et propositiones communes teneamus.

47. Præterea ex una argumentatione multas facere assuescendum est, quam obscurissime dissimulando. Quod quidem fiet, si quis quam longissime recedat a cognatione eorum, de quibus instituta est disputatio. Possunt autem argumentationes illæ hoc ferre, quæ sunt maxime universales, veluti non esse unam multarum rerum scientiam; sic enim et in relatis et in contrariis et in conjugatis erit. Oportet etiam rationum commentarios universales fieri, etiamsi disputatum sit in parte; sic enim ex una plures facere licebit. Similis est in rhetoricis enthymematum ratio. Ipse autem disserens, quam

maxime poterit, universale declinabit in afferendis syllogismis.

48. Ac semper videre oportet, an argumentationes in communibus versentur; omnes enim particulares argumentationes etiam in universali versantur, et inest in probatione particulari demonstratio ipsius universalis, quia nihil syllogismo concludi potest sine universali.

49. Instituenda autem est exercitatio inductivarum probationum erga juniores, syllogisticarum vero erga peritos. Enitendum autem est ut ab iis qui apti sunt ad conficiendos syllogismos, accipiantur propositiones, ab iis qui inducendi facultate sunt præditi, similitudines sumantur; in his enim utrique sunt exercitati.

47. *Septimo* debemus assuescere, ut ex una ratiocinatione possimus facere plures. Hoc autem faciemus, si sumpserimus propositiones maxime universales et remotissimas a proposito, sicut illi faciunt, qui volunt cælâre, quod intendunt, ut explicatum est cap. I et II. Ex. gr., si quis sumpserit hanc propositionem: *una disciplina non est plurium*, poterit illam in plurimas propositiones dividere, ex eaque plurimas ratiocinationes facere; una enim disciplina non est plurium; contraria sunt plura; ergo contrariorum non est una disciplina; relativa, conjugata sunt plura; ergo etc. Ad hunc autem scopum, etiam quando aliquam quæstionem tractamus particulariter, debemus illam reducere ad loca universalia; nam sic poterimus ex uno plura facere, sicut etiam Rhetores ad eamdem facilitatem comparandam, cum enthymemata faciunt ex particularibus, debent respicere ad loca universalia. Debet autem evitare, ne argumentetur contra propositiones universales, si quidem hæ difficile probantur et improbantur.

48. *Octavo* cum audimus ratiocinationes, considerandum est, an tales ratiocinationes contineantur etiam in aliqua ratiocinatione communiori. Sæpe enim multæ ratiocinationes particulares continentur in aliquo universali, et sæpe multa particularia demonstrantur per aliquid universale, eo pacto, quo in demonstratione, qua ostenditur, cujuscumque trianguli tres angulos esse æquales duobus rectis, continentur demonstrationes particulares, per quas ostenditur isoscelem etc. habere tres angulos æquales duobus rectis. Ratio vero est, quia non potest quiddam syllogizari de particulari, quin syllogizetur de universali.

49. *Nono* debet Dialecticus se exercere in ratiocinationibus per inductionem, quando disputat cum rudibus, in ratiocinationibus per syllogismum, quando disputat cum expertis. Ratio est, quia rudes cum magis considerent particularia, magis moventur inductione; experti e converso, cum magis considerent universalia, magis moventur syllogismo.

50. Et omnino ex dialectica exercitatione enitendum est referre aut syllogismum de re aliqua aut solutionem aut propositionem aut objectionem, aut notare rectene quispiam interrogarit an non recte, sive ipse sive alius, et qua ratione utrumque acciderit. In his enim posita est disserendi facultas, et hujus facultatis gratia exercitatio instituitur præsertim in propositionibus et objectionibus. Is enim est (ut uno verbo dicam) dialecticus, qui est ad proponendum et objiciendum aptus. Est autem proponere unum facere ex multis, quoniam oportet in toto sumere id, ad quod argumentatio refertur. Objicere autem est unum ex multis facere: aut enim distinguit aut refellit, partim concedens partim negans quæ proposita fuerunt.

51. Non est autem cum quovis disputandum, neque adversus quemvis exercitatio instituenda, quoniam necesse est adversus nonnullos pravas fieri argumentationes. Nam adversus eum qui omnino nititur ut videatur effugere, licet quidem omnem conatum adhibere ut syllogismo concludatur, sed non decet. Quare non oportet cum quibusvis facile congredi. Inde enim necessario accidit ut prava sit disputatio. Etenim qui se exercent, nequeunt sibi temperare quominus disserant contentiose.

52. Oportet etiam paratas argumentationes habere adversus ejusmodi problemata, in quibus cum paucæ argumentationes suppetant, adversus plurima problemata utiles erunt. Hæ vero sunt argumentationes universales, et quas assumere ex rebus passim obviis difficile est.

50. *Decimo* qui disputat, ut exerceatur, debet conari, ut ex disputatione addiscat, aut aliquem syllogismum, aut aliquam solutionem, aut aliquam propositionem, aut aliquam instantiam, et debet conari, ut semper aliquid discat, non solum cum ipse disputat, sed etiam cum alios audit disputantes, nec solum, cum illi disputant recte, sed etiam cum disputant prave. Ratio est, quia ex eo, quod quis abundet syllogismis, propositionibus dialecticis et instantiis, habebit facultatem et facilitatem ad omnes disputationes dialecticas; sed exercitatio dialectica ordinatur ad acquirendam facultatem disputandi; ergo debet Dialecticus conari, ut ex omni disputatione dialectica comparet syllogismum, vel solutionem, vel propo-

sitionem, vel instantiam. Præsertim vero debet comparare copiam propositionum universalium et instantiarum contra propositiones universales. Ratio est, quia Dialecticus est propositivus et instantivus; ad argumentandum enim debet proponere; est autem proponere ex multis unum facere, siquidem ad concludendum debet assumi aliquid universale, in quod plura particularia coalescant; ad respondendum autem debet instare, instare autem est unum facere plura; instantia siquidem dividit propositionem universalem in plura, illamque evertit, dum distinguendo unum concedit, alterum negat.

51. *Undecimo* non est disputandum cum quolibet, sed debet evitari disputatio cum sophistis et captiosis, qui disputant, ut videantur sapientes. Ratio est, quia cum iis est disputandum, cum quibus prævidemus bene processuram disputationem; sed disputatio cum sophistis et captiosis non bene procedit, sed declinat ad altercationes; ergo talis disputatio est vitanda. Licet vero justum sit sophistas confutare, tamen non est decorum, siquidem cum illi sint assueti declinare ad altercationes indecoras, etiam quando congredientur nobiscum, ad tales altercationes facile declinabunt.

52. *Duodecimo* demum et ultimo, præsertim debemus conari, ut paratas habeamus ratiocinationes ad ea problemata, quibus tractandis paucissima argumenta suppetunt, si semel vero fuerint tractata, erunt utilia ad plures alias quæstiones. Hujusmodi autem sunt quædam problemata universalia, circa quæ difficile est ex tempore quidquam invenire, per quæ possint construi vel destrui. Et per hæc Aristoteles concludit octavum et ultimum librum Topicorum.



IN DUOS LIBROS

ELENCHORUM

PROŒMIUM

1. Quia hi libri inscribuntur de sophisticis elenchis seu redargutionibus, ideo antequam eorum explicationem aggrediamur, primo explicandum est, quid sit redargutio sophistica; secundo, quod sit subjectum horum librorum, et quem locum teneant in Logica ; tertio demum per brevem synopsim ponenda est ob oculos eorum doctrina.

2. *Quoad primum* : elenchus græce idem significat ac latine redargutio ; sed redargutio ex ipsa nominis etymologia est argumentatio seu syllogismus, quo quis arguit contra id, quod alter dicit ; ergo elenchus est syllogismus, quo quis arguit contra id, quod alter dicit; sed eo ipso, quod quis arguit contra id, quod alter dicit, arguit ad contradicendum alteri; ergo elenchus seu redargutio, est syllogismus, quo arguit quis ad alteri contradicendum, ideoque ex Aristotele definitur *syllogismus contradictionis*. Sophistici igitur elenchi et sophisticæ redargutiones nihil aliud sunt, quam syllogismi, quibus sophistæ arguunt ad contradicendum iis, cum quibus disputant ; sed sophistæ ad contradicendum, vel utuntur syllogismis apparentibus, vel arguunt non ex veris neque ex probabilibus, sed ex falsis et apparentibus; ergo redargutiones sophisticæ nihil aliud sunt, quam syllogismi vel apparentes, vel ex falsis et apparentibus ordinati ad contradicendum.

3. *Quoad secundum :* ex ipso titulo horum librorum patet, eorum subjectum esse sophisticas redargutiones seu syllogismos apparentes ordinatos ad contradicendum. Postquam igitur Aristoteles in libris Priorum egit de syllogismo in genere, abstrahendo a materia ; in libris Posteriorum egit de demonstratione, hoc est de syllogismo constante ex veris et certis; in libris Topicorum de syllogismo dialectico, hoc est constante ex probabilibus ; in libris Elenchorum agit de syllogismis constantibus ex apparentibus, et sic Logicam concludit. Porro doctrina horum librorum est maxime utilis et necessaria ad scientias. Cum enim sciens debeat esse imperturbabilis ; ut autem sit imperturbabilis, debeat scire causas sophismatum et eorum solutiones; necesse est, ut optime teneat doctrinam de sophismatibus et eorum causis ac solutionibus, quam doctrinam Aristoteles tradit in his libris.

4. *Quoad tertium :* traditurus Aristoteles doctrinam de syllogismo sophistico, sive apparente, cap. I, et II ponit proœmium, in quo primo probat, dari syllogismum apparentem ; secundo ostendit sophistas intendere facultatem apparenter syllogizandi, adeoque necessarium esse, ut in Logica agatur de syllogismo sophistico, ut possimus sophismatum redargutionibus occurrere ; tertio demum explicat, quo pacto hæc pars Logicæ continuetur cum præcedentibus. Cap. III in-

cipiens agere de syllogismo sophistico. proponit quinque metas seu fines sophistarum, et agit de modis, per quos, sophistæ conantur obtinere præcipuum finem redarguendi per fallacias tum dictionis, tum extra dictionem, atque explicat sex fallacias dictionis; cap. IV, explicat fallacias extra dictionem; cap. V, ostendit, omnes sophisticas redargutiones reduci ad ignorantiam elenchi seu contradictionis; cap. VI, explicat causas, propter quas loci explicati habent apparentiam et decipiunt; cap. VII, ostendit, quod propter easdem causas fiunt omnes syllogismi sophistici, tum peccantes in forma, tum peccantes in materia; cap. VIII, probat in Logica tradenda solum esse loca communia syllogismorum, tum probabilium tum apparentium, non autem loca propria; cap. IX, ostendit malam esse divisionem, qua syllogismi sophistici dividuntur in eos, qui sunt ad nomen, et in eos, qui sunt ad sententiam; sive intellectum; cap. X, explicat differentiam inter elenchos demonstrativos, pseudographos, dialecticos, tentativos, sophisticos et contentiosos; cap. XI, ostendit dialecticam, tentativam et sophisticam non versari circa genus determinatum, neque circa determinatam partem contradictionis; cap. XII et XIII, tradit loca, per quæ sophista ducit ad alias quatuor metas falsi, inopinabilis, nugationis et solœcismi; cap. XIV et ultimo docet modum, quo sophista debet ordinare suas interrogationes, et concludit librum primum.

5. Lib. II agit de solutione sophismatum et cap. I, proœmiali, explicat utilitates sophisticæ, et ostendit, tradendam esse doctrinam de solutione sophisticarum rationum; cap. II, agit de solutione apparente ac de necessitate distinguendi propositiones; cap. III, agit de vera solutione paralogismorum dictionis; cap. IV et V, agit de vera solutione paralogismorum extra dictionem; cap. VI, agit de solutione paralogismorum nugationis et solœcismi; cap. VII, explicat, quæ sit ratiocinatio facilis vel difficilis ad solvendum, et quæ sit ratiocinatio acuta; cap. VIII et ultimo epilogat dicta in libris Elenchorum ac Topicorum, atque explicat, quo pacto Logica fuerit ab ipso Aristotele inventa et perfecta, et concludit hos libros et totam Logicam.



ARISTOTELIS

ELENCHORUM

LIBER I

CAPUT I

AN ET PROPTER QUAM CAUSAM DENTUR APPARENTES SYLLOGISMI

1. [1] De sophisticis autem elenchis, et iis qui cum videantur esse elenchi, sunt paralogismi, non elenchi, dicamus, sumpto initio secundum naturam a primis.

2. Alios igitur esse syllogismos, alios, cum non sint, videri perspicuum est.

3. Quemadmodum enim et in aliis rebus hoc fit ob quamdam similitudinem, ita etiam in argumentationibus accidit. Etenim habitum corporis alii bene constitutum habent, alii habere videntur instar tribuariarum hostiarum tumentes et apparantes semetipsos; et pulchri alii sunt propter pulchritudinem, alii per fucum videntur. In rebus etiam inanimis itidem se res habet; harum enim quædam argentum, quædam aurum sunt revera, aliæ cum non sint, tamen quod ad sensum videntur esse, ut lithargyrina et stannea videntur esse argentea, quæ vero felle tincta sunt, aurea. Eodem modo et syllogismus et elenchus alias est re vera, alias non est, sed esse videtur propter imperitiam; nam imperiti quasi procul distantes contemplantur. Syllogismus enim ex quibusdam est sic positis, ut necessario aliquid ab iis quæ sunt posita diversum colligatur, ob ea quæ posita sunt. Elenchus autem est syllogismus cum contradictione conclusionis. Hi vero hoc quidem non faciunt,

Traditurus Aristoteles in libris Elenchorum ultimam partem Logicæ, primo proponit, de quo subjecto sit agendum, et dicit esse agendum de syllogismo apparente; secundo probat dari syllogismum apparentem.

1. *Quoad primum* : docet Aristoteles in his libris agendum esse tanquam de subjecto de sophisticis redargutionibus ac de iis, quæ videntur redargutiones ac non sunt redargutiones, neque sunt syllogismi, sed sunt paralogismi; ac de iis eo ordine agendum, ut incipiamus a primis secundum naturam.

2. Ex his patet, duo esse genera redargutionum sive syllogismorum sophisticorum. In primo genere sunt illæ ratiocinationes, quæ quia non peccant in forma, vere sunt syllogismi, sed quia peccant in materia et assumunt propositiones seu præmissas, quæ licet videantur veræ et probabiles, non sunt veræ neque probabiles, ideo sunt syllogismi sophistici. In secundo genere sunt illæ ratiocinationes, quæ quia peccant in forma, vere non sunt syllogismi, sed videntur syllogismi.

3. *Quoad secundum* : quia posset aliquis dubitare, an præter syllogismos veros, dentur etiam apparentes, probat Aristoteles, quod dentur. In aliis generibus rerum tum animatarum tum inanimatarum quædam sunt tales, quædam cum tales non sint, propter similitudinem videntur tales ; ergo etiam in genere ratiocinationum quædam ratiocinationes vere sunt syllogismi ac necessario concludunt, quædam cum non sint syllogismi neque

necessario concludant, videntur syllogismi ac videntur necessario concludere. Probatur antecedens; ex hominibus aliqui vere habent habitum, hoc est mores nobilitatis, alii tumentes propter progeniem, ex qua descendunt, licet non habeant mores nobilitatis, adhuc ita se componunt, ut videantur illos habere. Rursus quidam vere sunt pulchri, quidam e converso licet pulchri non sint, ita se ipsos fucant, ut videantur pulchri. Ex rebus inanimatis quædam veræ sunt argenteæ, quædam cum non sint argenteæ, videntur argenteæ, ut lithargirina et stannea; quædam vere sunt aureæ, quædam videntur aureæ, ut felle tincta; ergo proportionaliter quædam ratiocinationes vere sunt syllogismi ac redargutiones, quædam cum vere non sint, propter similitudinem imperitis videntur redargutiones ac syllogismi. Imperiti enim rerum sunt, sicut qui res a longe considerant; ergo sicut qui a longe considerant stannea vel felle tincta, propter similitudinem decipiuntur, existimantes illa esse argentea vel aurea, sic imperitis quædam ratiocinationes, quæ vere non sunt syllogisticæ, videntur syllogisticæ.

4*. sed facere multis de causis videntur; quorum unus est locus naturæ convenientissimus et vulgatissimus, ex rerum nominibus. Cum enim non liceat res ipsas per se in disserendo afferre, sed nominibus vice rerum utamur tanquam notis, id quod in nominibus evenit, etiam in rebus putamus evenire, quemadmodum in calculis accidit iis qui rationes subducunt. Hoc vero non est simile; nomina enim sunt finita et orationum multitudo, res autem numero infinitæ sunt; necesse igitur est ut eadem oratio unumque nomen plura significet. Sicut igitur ibi, qui calculorum usum non tenent, a scientibus circumveniuntur, eodem modo et in disputationibus, qui nominum potestatis sunt imperiti, paralogismis decipiuntur, et cum ipsi disputant et cum alios audiunt. Ergo et ob hanc causam et ob eas quæ posterius dicentur, est tam syllogismus quam elenchus qui videtur, cum non sit.

4. Si vero quæratur causa, propter quam aliquæ ratiocinationes, non syllogisticæ videntur syllogisticæ, respondet Aristoteles, quod licet plures possint afferri causæ, præcipua et notissima causa est, quia eadem nomina possunt plura significare. Explicatur; quia agentes de rebus, non possumus res ipsas in medium afferre, loco rerum proferimus nomina, ut signa rerum; ergo sæpe, quæ conveniunt nominibus, tribuimus rebus significatis, adeoque cum nomen est idem, censemus etiam rem significatam esse eamdem; sed cum res sint infinitæ, nomina finita, eædem voces aliquando significant res diversas, sicut, quia numeri numerabiles sunt infiniti, characteres numerales sunt finiti, iidem characteres in diverso situ positi, significant diversos numeros; ergo, sicut qui non sunt periti in calculationibus et supputationibus, sæpe decipiuntur a peritis, putantes notam significantem unum numerum significare alium numerum, sic qui sunt imperiti ratiocinandi, decipiuntur a peritis, putantes per idem nomen idem significari, cum significentur plura; ergo sæpe decipiuntur in argumentationibus, putantes aliquas rationes concludere, cum non concludant, quia termini sumuntur æquivoce et in diversa significatione; ergo necesse est, ut ratiocinationes, quæ non sunt syllogismi, videantur syllogismi.

CAPUT II

DE NECESSITATE AGENDI DE SYLLOGISMO SOPHISTICO, ET QUO PACTO HÆC ULTIMA PARS LOGICÆ SE HABEAT AD ALIAS PARTES

1. Quando autem nonnullis magis e re est videri sapientes quam esse nec videri (nam sophistice est sapientia quæ videtur, cum re vera non sit; et sophista est, qui quæstum captat ex ea sapientia, quæ videtur esse nec est), patet his magis opus esse, ut sapientis officium facere videantur, quam ut faciant nec videantur. Est autem, ut singula cum singulis conferam, officium in quaque re scientis nec mentiri ipsum in iis quæ novit, et posse alium mentientem patefacere; quorum alterum in rationis reddendæ, alterum in sumendæ facultate positum est. Necesse est igitur, ut qui sophistice cavillari volunt, dictarum argumentationum genus quærant. Nam e re est; hujusmodi nempe facultas sapientem videri faciet; quod quidem hi præeligunt. Esse igitur ejusmodi quoddam argumentationum genus et hujuscemodi facultatem eos expetere, quos vocamus sophistas, manifestum est. [2] Quot vero sint species argumentationum sophisticarum, et quot numero sint ea, ex quibus hæc facultas constat, et quot partes sint hujus tractationis, ac de aliis conducentibus ad hanc artem, jam dicamus.

1. Si syllogismi apparentes solum fierent casu et præter intentionem, fortasse non esset ita necessarium de illis agere; sed si non solum fiunt casu, sed fiunt ex intentione, de ipsis omnino est agendum.

Quod autem fiant ex intentione, sic potest probari. *Esse sapientem* est difficillimum, *videri sapientem* multo est facilius, et ex alia parte est utile tum ad gloriam tum ad pecunias comparandas per venditationem sapientiæ apparentis; ergo multi, qui vocantur sophistæ, relicto difficiliori, eligunt facilius, hoc est eligunt videri sapientes, cum non sint, adeoque conantur comparare Sophisticam, quæ est solum apparens sapientia, propter utilitatem, quam affert ad gloriam et ad pecunias; sed ut videantur sapientes, necesse est, ut videantur facere opus sapientis, licet non faciunt; ergo necesse est, ut quærant facultatem faciendi opus, quod videatur opus sapientis, licet non sit; sed duo videntur esse opera sapientis et scientis : primum est, ut in iis, quæ scit, non dicat falsum; secundum, ut possit manifestare errores aliorum; horum autem duorum primum spectat ad sapientem, in quantum ipse aliis proponit, quæ scit; secundum spectat ad sapientem, in quantum audit alios proponentes, quæ se putant scire, et eorum dicta examinat; ergo necesse est, ut sophistæ quærant facultatem, per quam, cum sua promunt, videantur non errare, et cum audiunt alios sua promentes, videantur eorum errores detegere, licet vere non detegant; sed ratiocinationes, quibus ostenditur verum esse, quod non est verum, et falsum esse, quod non est falsum, sunt ratiocinationes apparentes : ergo sophistæ intendunt ratiocinationes et syllogismos apparentes; ergo cum syllogismi apparentes non solum fiant casu, sed etiam ex intentione a sophistis, necesse est, ut de iis agatur, et ut explicetur, quot sint species sophisticarum ratiocinationum; ex quot, et qualibus locis possit comparari facultas tales ratiocinationes construendi; quot et quæ sint partes hujus artis, quæ non solum debet agere de modis sophismata construendi, sed etiam de modis eadem dissolvendi, et ut alia etiam explicentur, quæ ad hanc artem spectant.

2. Sunt igitur argumentationum, quarum in disserendo est usus, genera quatuor, didascalicæ, dialecticæ, tentativæ et litigiosæ. Didascalicæ sunt, quæ ex propriis cujusque disciplinæ principiis, non ex respondentis opinionibus concludunt; oportet enim discentem credere. Dialecticæ vero; quæ ex probabilibus aptæ sunt ad concludendam contradictionem. Tentativæ autem, quæ ex iis quæ respondenti videntur, et quæ necesse est eum scire, qui sibi scientiam arrogat; quo autem modo, definitum est in aliis libris. Litigiosæ vero, quæ ex iis quæ videntur probabilia, cum re vera talia non sint, aptæ sunt ad concludendum aut videntur aptæ ad concludendum. Ergo de didascalicis et demonstrativis in Analyticis dictum fuit, de dialecticis vero ac tentativis in aliis libris; de contentiosis autem ac ligitiosis nunc dicamus.

2. Ostenso, quod debet tractari de syllogismo sophistico seu apparente, explicat Aristoteles, quo pacto hæc ultima pars Logicæ cum aliis partibus Logicæ continuetur. Logica debet agere de ratiocinationibus, quibus utimur ad disputandum; sed quatuor sunt ratiocinationum genera, doctrinales, dialecticæ, tentativæ et contentiosæ : ergo Logica debet agere de his quatuor ratiocinationum generibus; sed ratiocinationes doctrinales, seu ordinatæ ad docendum et ad tradendam scientiam sunt, quæ procedunt ex propriis disciplinarum principiis nec de iis interrogant, siquidem oportet addiscentem credere quæ sibi traduntur a docente, et de iis actum est in libris Posteriorum; ratiocinationes dialecticæ sunt, per quas ex probabilibus ostendi potest alterutra pars contradictionis, ratiocinationes tentativæ sunt, quæ procedunt ex iis, quæ videntur respondenti, et quæ necessarium est sciri ab eo, qui simulat se habere scientiam, ac de his omnibus actum est in Topicis; ergo reliquum est, ut in his libris agatur de ratiocinationibus contentiosis, hoc est de iis, quæ videntur syllogisticæ, et non sunt syllogisticæ, adeoque peccant in forma, vel quæ procedunt ex propositionibus, quæ videntur probabiles, sed non sunt probabiles, adeoque peccant in materia.

CAPUT III — ART. I

DE QUINQUE FINIBUS SEU METIS SOPHISTARUM

1. [3] Primum autem sumendum est, ad quot colliment, qui in disputationibus contendunt ac vincere student. Hæc vero quinque numero sunt, elenchus, falsum, inopinabile, solœcismus, et quintum, efficere ut is quocum disputant nugetur (hoc vero est cogere, ut sæpius idem dicat); aut quod non est, sed videtur esse quodvis horum.

2. Maxime igitur hoc præeligunt, ut videantur elencho redarguere, secundo ut de aliqua re mentiri ostendant, tertio ut ad inopinabile ducant, quarto ut solœcismum committere

faciant (hoc est, efficiant argumentatione, ut respondens barbare loquatur), postremo ut sæpius idem dicere cogant.

1. Incipit jam Aristoteles agere de sophisticis ratiocinationibus ; et quia sophistæ ordinant ratiocinationes sophisticas ad aliquem finem, ideo primo agit de finibus sophistarum. Supponit ex dictis, finem sophistæ esse, ut appareat sapiens; ut autem appareat sapiens, vult apparere vincens eum, cum quo disputat; et quia victoria consistit in hoc, ut eum, cum quo disputat, afficiat aliquo incommodo, ideo intendit, ut afficiat adversarium aliquo incommodo ; ergo quot sunt incommoda, quibus sophista vult afficere adversarium, tot sunt proximi fines seu scopi et metæ sophistarum. Jam quinque sunt incommoda, redargutio nimirum, falsum, inopinabile, solœcismus et nugatio. Ratio est, quia tot sunt incommoda, quot sunt absurda, ad quæ sophista cogit adversarium; sed absurda sunt quinque ; ergo, etc. — Probatur minor; vel sunt absurda ratione ejus, quod dicitur, vel ratione dictionis; si ratione dictionis, vel consistunt in locutione incongrua, et est solœcismus; vel est absurdum crebræ ejusdem repetitionis, et est nugatio ; si sunt absurda ratione ejus, quod dicitur, vel sunt absurda simpliciter vel relate ad opinionem, vel relate ad id, quod adversarius dixit; absurdum simpliciter est falsum; absurdum relate ad opinionem est inopinabile; absurdum relate ad id, quod adversarius dixit, est redargutio, per quam adversarius cogitur concedere, quod negavit, vel negare, quod concessit, adeoque sibi contradicere ; ergo fines sophistarum sunt quinque allati.

2. Addit Aristoteles, quod quia sophista non tam appetit esse quam apparere, ideo fines sophistæ sunt, non tam redarguere quam videri redarguere, non tam, ut respondens dicat falsum, quam ut videatur dicere falsum etc. Licet autem sophistæ intendant omnes dictos fines, tamen non æque eos intendunt, sed primo et maxime intendunt, ut videantur redarguere ; secundo ut respondens videatur dicere falsum; tertio ut videatur dicere aliquid inopinabile; quarto ut videatur facere solœcismum; ultimo demum ut videatur nugari. — Ratio est, quia intendunt redigere respondentem ad maximum absurdum, ad quod possit redigi ; sed maximum absurdum est, ut per redargutionem cogatur concedere contradictoria; secundum ut cogatur dicere falsum; tertium ut cogatur dicere aliquid præter opinionem; quartum ut cogatur facere solœcismum ; quintum demum ut cogatur nugari : ergo sophista intendit hos fines ordine explicato.

CAPUT III — ART. II

DE DUOBUS MODIS REDARGUENDI PER FALLACIAS DICTIONIS VEL EXTRA DICTIONEM ET DE SEX FALLACIIS DICTIONIS

3. [4] Modi autem elenchis redarguendi duo sunt ; alii namque sunt in dictione, alii extra dictionem. Sunt autem quæ dictionis ratione elenchum videri faciunt, numero sex.

4. Hæc vero sunt homonymia, amphibolia, compositio, divisio, accentus et figura dictionis. Hujus rei fides fit inductione et syllogismo, cum quia si sumatur alius quispiam modus, ad aliquem ex his referri poterit ; tum etiam quia tot modis possumus iisdem nominibus et orationibus non idem significare.

Explicatis quinque finibus sophistarum, explicat Aristoteles modos et fallacias, per quas sophistæ conantur obtinere tales fines ; et quia primus et præcipuus finis est, ut videantur redarguere, explicat modos et fallacias, per quas conantur videri redarguentes adversarium.

3. Duo sunt modi, per quos sophistæ conantur videri redarguere adversarium, cogendo illum ad contradicendum sibi. Primus modus est construendo syllogismos vel paralogismos, qui propter aliquam fallaciam dictionis videntur redarguere et concludere contradictorium ejus, quod adversarius dixit, cum vere non concludant tale contradictorium. Secundus est construendo syllogismos vel paralogismos, qui propter aliquam fallaciam extra dictionem, hoc est non consistentem in dictione et in vocibus videntur redarguere, cum vere non redarguant.

4. Fallaciæ dictionis sunt sex : æquivocatio, amphibologia, compositio, divisio, accentus et figura dictionis. Probatur inductione et syllogismo ; inductione quidem, quia nulla potest afferri fallacia dictionis, quæ non reducatur ad aliquam ex his ; syllogismo vero, quia tot sunt fallaciæ dictionis, quot sunt modi, per quos iisdem nominibus et eadem oratione possumus plura significare ; sed tales modi sunt sex dicti; ergo, etc.— Probatur minor ; vel enim plura significamus, quia

aliquod nomen est æquivocum, et est æquivocatio; vel quia tota oratio plura significat, et est amphibologia; vel quia quædam voces aliud significant compositæ, aliud divisæ, et sunt fallaciæ compositionis ac divisionis; vel quia eædem voces aliud significant cum accentu, aliud sine accentu, et est fallacia accentus; vel demum quia eadem figura dictionis significat diversa, et est fallacia figuræ dictionis. Sed hæc melius patebunt explicando singulas fallacias.

5. Ex homonymia sunt ejusmodi argumentationes, veluti eos qui sciunt, μανθάνειν, quoniam ea quæ memoriter recitantur, grammatici μανθάνουσι. Nam verbum μανθάνειν est homonymum, quod significat et intelligere utendo scientia et acquirere scientiam.

6. Rursus mala esse bona, quoniam τὰ δέοντα sunt bona; quæ vero sunt mala, sunt δέοντα. Nam duplex est τὸ δέον, nimirum et quod necessarium est, quod et in malis sæpe evenit (est enim malum quidpiam necessarium), et bona quoque δέοντα esse dicimus.

7. Præterea eumdem sedere ac stare, et ægrotare ac valere. Nam qui surgebat, stat; et qui convalescebat, valet; surgebat autem sedens, et convalescebat ægrotans. Etenim ægrotantem quodvis facere aut pati non unum significat, sed interdum eum qui nunc ægrotat vel sedet, interdum vero eum qui ægrotabat prius vel sedebat. Verumtamen convalescebat et ægrotans et ὁ ægrotans; valet autem non ægrotans sed ὁ ægrotans, non qui nunc, sed qui prius.

5. Prima igitur est fallacia *æquivocationis*, cujus Aristoteles tria affert exempla, in cujus primo æquivocatio est ex parte majoris extremi; in secundo ex parte medii; in tertio ex parte minoris extremi. Primum exemplum est : interrogat sophista, an scientes vel nescientes discant. Respondet adversarius et bene, quod nescientes discunt, scientes vero non discunt. Sophista sic redarguit : *qui intelligunt grammaticum aliqua memoriter proferentem discunt; sed non nescientes, sed scientes intelligunt grammaticum aliqua memoriter recitantem; ergo non nescientes, sed scientes discunt.* Videtur sophista redarguere propter æquivocationem. *Discere* enim est æquivocum ac duo significat : primo significat *intelligere aliquem, qui utitur scientia*, et quia scientes intelligunt eum, qui utitur scientia et profert ea, quæ scit, ideo in hoc sensu scientes discunt. Secundo significat *accipere scientiam ab alio*, et quia non scientes, sed nescientes accipiunt scientiam ab alio, ideo non scientes, sed nescientes discunt in hoc secundo sensu. Adversarius interrogatus dicit scientes non discere, hoc est non accipere scientiam ab alio; sophista videtur redarguere, dum ostendit scientes discere, hoc est intelligere eum, qui utitur scientia.

6. Secundum exemplum, in quo videtur sophista redarguere propter æquivocationem medii, est : interrogat sophista, an aliqua mala sint bona. Respondens negat; sophista sic redarguit : *expediens est bonum; multa mala sunt expedientia, ex. gr., licet amputare brachium sit malum, adhuc expedit amputare brachium pro salute totius corporis : ergo multa mala sunt bona.* Fallacia est, quia *expediens*, quod est medium, potest significare tum id, quod ratione sui est expetibile, tum id, quod est necessarium, et quia multa mala sunt necessaria, ideo sunt expedientia in secundo sensu, non autem in primo, cum nullum malum sit per se expetibile. Sophista ergo videtur redarguere, quia sumit æquivoce medium, quod est expediens, sed vere non redarguit.

7. Tertium exemplum, in quo videtur sophista redarguere propter æquivocationem minoris extremi est : interrogat sophista, *utrum sedens stet et ægrotus sit sanus*. Negat respondens, sophista sic redarguit : *qui surgebat stat, et qui sanabatur, sanus est; sed sedens surgebat, et ægrotus sanabatur; ergo sedens stat, et ægrotus sanus est.* Æquivocatio est ex parte minoris extremi, quia cum dicitur, quod sedens vel ægrotans aliquid facit aut patitur, possunt duo significari; primo potest significari, quod cum sedet vel ægrotat, aliquid faciat aut patiatur; secundo, quod, qui ante sedebat vel ægrotabat, nunc aliquid faciat aut patiatur. Dum in minori dicitur, quod sedens surgebat, et ægrotus sanabatur, ly *sedens* et *ægrotus* sumitur in primo sensu, et significatur, quod, quando quis surgebat, sedebat, et quod, quando sanabatur, ægrotabat; in conclusione sumitur in secundo sensu et significatur, quod, quando quis sedet, tunc stat, et quod, quando quis ægrotat, tunc sanus est; ergo nulla est redargutio.

8. Ex amphibolia ducuntur hæ rationes, velle capere me hostes; et num quod quispiam cognoscit, hoc cognoscit? Nam et qui cognoscit et quod cognoscitur, potest ceu cognocens significari hac oratione. Et numquid quod quis videt,

hoc videt? Videt autem columnam : quare videt columna.

9. Et num quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse? Dicis autem lapidem esse : tu igitur dicis lapis esse.

10. Et num licet σιγῶντα dicere? Duplex enim hoc quoque est, σιγῶντα dicere, quia et eum silere significat qui dicit, et ea quæ dicuntur.

11. Sunt autem tres modi argumentationum, qnæ ab homonymia et amphibolia sumuntur. Unus, cum oratio vel nomen proprie multa significat, ut aquila et canis. Alter, cum soliti sumus ita loqui. Tertius, quando conjunctum plura significat, separatum vero simpliciter accipitur, ut scire litteras. Ponatur enim utrumque unam rem significare, et scire inquam et litteras. Tamen ambo simul juncta plures res significant, nempe aut ipsas litteras habere scientiam, aut litterarum alium. Ergo amphibolia et homonymia his modis continentur.

8. Amphibologia est fallacia fundata in eo, quod aliqua oratio plura possit significare ; ex. gr., hæc interrogatio : *putasne velle me hostes capere?* est amphibologica, quia potest æque significare, quod ego velim capere hostes, ac quod hostes velint capere me. Si ergo interrogatus respondet affirmative in uno sensu, et interrogans dictum accipiat ac reprehendat in alie sensu, videbitur respondentem redarguere, licet vere non redarguat, et apparentia redargutionis fundabitur in amphibologia orationis. Est etiam amphibologica hæc interrogatio : *putasne, quod quis cognoscit, hoc cognoscit?* Potest enim facere duplicem sensum. Primus est, an cognoscens cognoscat illud, quod dicitur cognoscere. Secundus est, utrum cognitum cognoscat. — Proponit Aristoteles tria exempla sophismatum fundatorum in amphibologia. *Primum* est : interrogat sophista : *putasne, quod Socrates videt, idipsum videt?* Et adversario respondente affirmative sic arguit : *quod Socrates videt, idipsum videt; sed Socrates columnam videt : ergo columna videt*, *quod est absurdum.* Amphibologia est in majori. Illa enim major, *quod Socrates videt, idipsum videt*, potest facere duplicem sensum. *Primus* est, ut ly *idipsum* sit accusativus, adeoque significetur, quod idipsum, quod Socrates videt, videatur a Socrate, et in hoc sensu propositio est vera et conceditur a respondente. *Secundus* sensus est, ut ly *idipsum* sit nominativus, adeoque significetur, quod id, quod videtur a Socrate, videt Socratem, et in hoc sensu propositio est falsa et non fuit concessa a respondente. Propter hanc igitur amphibologiam sophista, licet non redarguat, videtur redarguere.

9. Secundum exemplum est : interrogat sophista : *putasne, quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse?* Annuit respondens; arguit sophista : *quod tu dicis esse, hoc tu dicis esse ; sed dicis saxum esse ; ergo tu saxum dicis esse.* Amphibologia est, quia ly « *hoc tu dicis esse* », potest sumi tum in accusativo, ut sit res dicta, tum in nominativo, ut sit ipse dicens; respondens admittit in primo sensu, sophista assumit, quasi sit concessum in secundo sensu, et sic videtur redarguere, cum vere non redarguat.

10. Tertium exemplum est : interrogat sophista : *putasne silentia dicere?* Negat respondens ; arguit sophista : *contingit dicere lapides et alia hujusmodi; sed hæc sunt silentia ; ergo contingit dicere silentia.* Amphibologia est, quia ly *contingit silentia dicere* potest facere duplicem sensum. Primus est, ut ly *silentia* sit nominativus et significetur, *an contingat aliqua silentia proferre sermonem.* Secundus est, ut ly *silentia* sit accusativus et significetur, *an possit quis dicere ea, quæ silent.* Respondens negavit silentia loqui in primo sensu; sophista probavit in secundo sensu et sic videtur redarguere, cum vere non redarguat.

11. Addit Aristoteles tres esse modos, secundum quos voces per æquivocationem vel amphibologiam significant plura. *Primus* modus est, cum primo et principaliter sunt imposita ad plura significanda eo pacto, quo nomen aquilæ primo et principaliter est impositum ad significandum tum aquilam avem tum aquilam signum cœleste; et similiter nomen *canis* primo et principaliter est impositum ad significandum canem terrestrem, cœlestem et marinum. *Secundus* est, cum nomen et oratio primo et principaliter significant unum, ex consuetudine tamen sunt translata ad significandum aliud, eo pacto, quo nomen gemmæ primo et principaliter significat lapides pretiosos, sed ex consuetudine significat gemmas vitium et eo pacto, quo hæc oratio : *littus arant* primo et principaliter significat, quod arant littus, sed per consuetudinem est translata ad significandum, quod aliquid frustra sit. *Tertius* modus est, cum voces seorsim sunt univocæ et unum significant, conjunctæ vero possunt plura significare; ex. gr., hæ voces *scire*, *litteras* seorsim unum significant, si vero

conjungantur, ac dicatur : *scire litteras*, possunt duo significare, nimirum, quod quis sit sciens litterarum, vel quod litteræ ipsæ habeant scientiam.

12. Ad compositionem autem hæc referuntur, veluti posse sedentem ambulare, et non scribentem scribere. Non enim idem valet, si quis separatim dixerit et conjunctim, posse sedentem ambulare et non scribentem scribere, atque hoc itidem si quis conjunxerit, non scribentem scribere ; significat enim habere potestatem, ut non scribendo scribat. Si vero non conjunxerit, habere potestatem, quando non scribit, ut scribat.
13. Ac discit nunc litteras, siquidem didicit quæ scit.
14. Præterea, eum qui unum tantum ferre potest, multa ferre posse.

12. Fallacia *compositionis* est, per quam ex eo, quod aliquid sit verum in sensu diviso, infertur, quod sit verum in sensu composito, et quia in sensu composito est falsum, videtur redargui, qui id admisit ut verum. — Hujus fallaciæ plura exempla affert Aristoteles. Primum est : interrogat sophista, an *possibile sit sedentem ambulare, et non scribentem scribere*. Annuit respondens, infert sophista : *ergo possibile est, ut sedens ambulet, et ut non scribens scribat*. Fallacia est, quia dum admittitur, quod possibile est sedentem ambulare, admittitur possibile esse sedentem ambulare divisim ab hoc, quod sedeat, et non scribentem scribere divisim ab hoc, quod non scribat ; sophista vero assumit quasi concessum sit, quod possibile est sedentem ambulare conjunctim cum sessione, et non scribentem scribere conjunctim cum non scriptione, et ex eo, quod hæc sint impossibila conjunctim, infert impossibile esse sedentem ambulare et non scribentem scribere in eo sensu, in quo fuit admissum.

13. Secundum exemplum est : interrogat sophista, an qui nunc scit litteras, illas didicerit. Annuit respondens ; sophista argumentatur : *qui nunc scit litteras, illas didicit ; sed Socrates nunc scit litteras ; ergo Socrates didicit litteras nunc ; sed hoc est falsum* ; *ergo*, etc. Fallacia est, quia, qui concedit, quod, qui nunc scit litteras, didicit illas, dividit tempus, quo scit, a tempore, quo didicit, atque asserit, quod qui nunc scit litteras, didicit illas ante ; sophista vero componit tempus sciendi ac discendi et ex eo, quod nunc scit, infert, quod nunc didicit, adeoque videtur redarguere, cum vere non redarguat.

14. Tertium exemplum est : interrogat sophista, an qui potest ferre unum pondus centum librarum, ex.gr., possit etiam ferre aliud pondus æquale centum itidem librarum. Annuit respondens ; arguit sophista : qui potest ferre hoc pondus centum librarum, potest etiam ferre hoc aliud pondus centum librarum ; ergo potest ferre utrumque, quod est falsum. Fallacia est, quia respondens concessit solum, quod possit ferre pondera divisim ; sophista autem assumit, quod possit ferre conjunctim.

15. Ad divisionem autem hæc pertinent, quinque esse duo et tria, atque imparia et paria ; et quod est majus, esse æquale ; tantum enim esse, et etiamnum amplius.
16. Nam eadem oratio divisa et conjuncta non semper idem significare videtur, veluti « ego te reddidi servum existentem liberum » et illud « quinquaginta e viris centum liquit divus Achilles ».

15. Fallacia *divisionis* est, per quam ex eo, quod aliquid sit verum conjunctim, infertur, quod sit verum divisim ; et quia falsum est divisim, videtur redargui qui illud admisit ut verum. — Duo hujus fallaciæ exempla affert Aristoteles. Interrogat sophista : an quinque sint tria, et duo. Annuit respondens ; arguit sophista : *tria sunt numerus impar, duo sunt numerus par* ; *sed quinque sunt tria et duo* : *ergo quinque sunt numerus impar et par*. Fallacia est, qui quinque sunt tria et duo conjunctim, non autem divisim ; tria vero et duo divisim sunt numerus par et impar, conjunctim vero sunt numerus impar.

Secundum exemplum est : interrogat sophista, an majus sit tantundem et aliquid aliud. Annuit respondens ; arguit sophista : *quod est tantundem, est æquale* ; *majus est tantundem* : *ergo majus est æquale, quod est absurdum*. Fallacia est, quia respondens concessit, quod est majus est tantundem et aliud conjunctim, sophista vero assumit, quod majus est tantundem divisim.

16. Addit Aristoteles, quod sæpe eadem oratio diversa significat ex eo, quod qædam partes conjungantur vel dividantur ; ex. gr., hæc oratio : *ego posui te servum existentem liberum*, si ly *existentem* conjungatur cum *liberum*, significat : *ego te ex libero existente constitui servum* ;

si ly *existentem* conjungatur cum *servo* significat : *ego te ex servo existente constitui liberum.* Similiter hic versus Homeri : *quinquaginta virum centum heros liquit Achilles,* si ly *virum* seu *virorum,* conjungatur cum *centum,* facit sensum, quod Achilles ex centum viris, quos ducebat, quinquaginta liquit sive amisit in bello; si ly *virum* conjungatur cum *quinquaginta,* sensus est, quod Achilles ex quinquaginta viris, quos ducebat, centum amisit in bello, qui sensus est absurdissimus.

17. Ex accentu vero in non scriptis dissertationibus haud facile est efficere argumentationem, sed in scriptis et poematis potius, sicut Homerum nonnulli tuentur adversus eos a quibus reprehenditur, quasi absurde dixerit τὸ μὲν οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ. Hoc enim per accentum solvunt, dicentes illud ου accentu acuto esse notandum. Sed et illud de Agamemnonis somnio defendunt, quia non ipse Jupiter dixit δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι, sed somnio mandavit διδόναι. Quæ igitur sunt ejusmodi, ex accentu sumuntur.

17. Fallacia *accentus* est, cum vocem, quæ debet sumi cum uno accentu vel spiritu, sumimus cum alio accentu vel spiritu, ideoque propositionem reprehendimus ut absurdam. Advertit Aristoteles hanc reprehensionem vix potuisse habere locum in orationibus græcis ore prolatis, quia proferentes exprimebant accentus et spiritus; at potuisse habere locum in orationibus vel poematibus scriptis, quia cum Græci tempore Aristotelis non signarent voces scriptas accentibus ac spiritibus, poterat quis vocem, quæ debebat legi cum uno accentu vel spiritu, legere cum alio et sic legere orationem in sensu absurdo ac reprehendere. Proponit duo exempla Aristoteles reprehensionum, per quas aliqui reprehendebant duo carmina Homeri ex fallacia accentus. Primum exemplum desumitur ex libro XXIII. Iliados vers. 328, in quo Nestor loquens de quadam quercu dicit, ut quidam legunt οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ *ubi putrescit imbre,* et reprehendunt Homerum, quia quercus imbre non putrescit, sed duratur. Hæc reprehensio est sophistica et ex fallacia accentus. Neque enim debet legi cum spiritu aspero et accentu circumflexo, ita ut significet *ubi,* sed οὐ cum accentu gravi et spiritu leni, ita ut significet *non,* et sensus sit : *quercus non putrescit imbre;* et sic Homerum defendit Hippias Thasius ipso Aristotele teste in Poetica cap. xxv. Secundum exemplum est ex secundo Iliados circa initium, ubi Jupiter præcipiens somno, ut decipiat Agamemnonem, in lectione, qua Aristoteles utebatur, profert hunc versum δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι, ut quidam legebant, hoc est : *damus ipsi Agamemnoni, ut gloriam reportet.* Hunc locum quidam repredendunt, quia Jupiter inducitur mentiens; ac promittens Agamemnoni gloriam ex pugna, cum tamen Agamemnon in ea pugna esset vincendus, adeoque non esset reportaturus gloriam, sed ignominiam. Hæc etiam reprehensio est sophistica ex fallacia accentus. Neque enim debet legi δίδομεν cum accentu in antepenultima, ita ut significet damus, sed διδόμεν cum accentu in penultima, ita ut sit infinitum jonicum, et significet *dare.* Non igitur Jupiter dicit : *damus Agamemnoni gloriam,* sed præcipit somno dare seu promittere Agamemnoni gloriam; ergo non Jupiter mentitur, sed mittit somnum mentientem, et sic hanc reprehensionem solvit idem Hippias Thasius apud Aristotelem citato cap. xxv. Poeticæ.

18. Hæ vero argumentationes ex figura dictionis ducuntur, cum quis eodem modo interpretatur quod non idem est, veluti masculum ut feminam, aut feminam ut masculum, aut neutrum ut alterum horum; vel rursus quantum ut quale, aut quale ut quantum, aut faciens ut patiens, aut affectum ut faciens, et cetera, ut antea divisa fuerunt. Nam fieri potest ut quod non est in faciendi categoria, perinde quasi in ea sit, dictione significetur. Utputa valere simili dicendi forma effertur, qua secare vel ædificare, quamquam illud quale quidpiam et certo modo affectum declarat, hoc vero aliquid facere. Eodem modo et in aliis res habet. Qui igitur ex dictione elenchi ducuntur, his modis fiunt.

18. Fallacia demum figuræ dictionis est, cum quis ex eo, quod aliquid significetur simili figura dictionis ac alterum, arguitur, quod illi sit simile, cum vere non sit simile; ex. gr., ex eo, quod femina significetur nomine habente desinentiam, quam solent habere nomina masculorum, posset quis inferre, quod femina sit masculus; ex eo, quod masculus significetur nomine habente desinentiam, quam solent habere nomina feminarum, potest quis inferre, quod masculus sit femina; ac demum ex eo, quod masculus significetur nomine habente desinentiam, quam solent habere nomina neutra, po-

test inferri, quod masculus neque sit masculus neque femina. Rursus ex eo, quod res diversorum prædicamentorum significentur eadem figura dictionis, posset inferri, quod ea, quæ differunt prædicamento, conveniunt prædicamento; ex. gr., sicut dicitur quis alterum percutere vel secare, sic dicitur alterum videre vel audire; sed alterum percutere vel secare non est pati ab altero, sed agere in alterum; ergo etiam videre et audire non est pati ab objecto, sed agere in objectum.

CAPUT IV

DE SEPTEM FALLACIIS EXTRA DICTIONEM.

1. [5] Paralogismorum autem, qui extra dictionem consistunt, species sunt septem, una ex accidente; secunda, quia simpliciter vel non simpliciter, sed quadamtenus vel alicubi vel aliquando vel ad aliquid dicitur; tertia ob elenchi ignorantiam; quarta ex consequenti; quinta, quia sumitur quod initio quæsitum fuit; sexta, quia non causa ut causa ponitur; septima, quia multæ interrogationes pro una accipiuntur.

2. Ex accidente igitur paralogismi sunt, cum quidvis postulatum fuerit æque rei atque accidenti inesse. Cum enim multa eidem accidant, non est necesse et attributis et subjecto hæc omnia inesse; alioquin omnia erunt eadem, ut sophistæ dicunt.

3. Veluti si Coriscus est diversus ab homine, ipse a se ipso diversus erit, quoniam homo est. Aut si a Socrate est diversus, Socrates autem est homo, diversum esse ab homine aiunt concessisse, propterea quod a quo diversum esse dixit, ei accidit ut sit homo.

1. Propositis et explicatis fallaciis consistentibus in dictione, explicat Aristoteles fallacias extra dictionem. Fallaciæ extra dictionem sunt septem. *Prima* est propter accidens. *Secunda* est propter id, quod dicitur simpliciter, et id, quod dicitur non simpliciter, sed aliquo modo et cum limitatione ad locum vel tempus vel ad aliquid. *Tertia* est fallacia propter ignorationem elenchi. *Quarta* est fallacia propter consequens. *Quinta* est fallacia propter petitionem principii. *Sexta* est fallacia propter non causam sumptam ut causam. *Septima* demum est fallacia propter plures interrogationes ut unam.

2. Fallacia *propter accidens* fundatur in eo, quod supponimus omnia ea, quæ dicuntur de subjecto, dici de omnibus, quæ subjecto accidunt, et e converso omnia, quæ dicuntur de accidente, dici de subjecto, cum id sit falsum. Si enim quæ dicuntur de accidente, dicerentur etiam de subjecto, sequeretur subjectum et omnia, quæ accidunt subjecto, idem esse, ut dicunt sophistæ; sed hoc est absurdum; neque enim idem est *esse hominem* et *esse musicum*, quod accidit homini; ergo, etc. Probatur sequela: omne enim accidens est idem cum ipso accidente; ex. gr., *musicum* est idem *musico*; ergo si omnia, quæ dicuntur de musico, dicuntur etiam de subjecto, de quo dicitur musicum, sequitur, quod sicut musicus est idem sibi ipsi, sic esse *musicum* est idem homini, adeoque omnia, quæ accidunt subjecto, sunt idem cum subjecto, et etiam sunt idem *esse*; ex. gr., idem erit *esse geometram* et *esse musicum*.

3. Duo exempla paralogismorum, quæ fundantur in fallacia accidentis Aristoteles proponit. *Primum* est: *Coriscus aliquo pacto distinguitur ab homine, sicut singulare ab universali; sed Coriscus est homo; ergo Coriscus aliquo pacto distinguitur et est alter ab ipso Corisco.* In hoc paralogismo ex eo, quod subjectum distinguatur ab aliquo prædicato, infertur, quod distinguatur a subjecto, de quo dicitur tale prædicatum. *Secundum* est: *Socrates est homo; Coriscus est alter a Socrate; ergo Coriscus est alter ab homine.* In hoc paralogismo ex eo, quod Coriscus sit alter a Socrate, infertur, quod sit alter ab homine, qui dicitur de Socrate.

4. Hi vero sunt ex eo, quod simpliciter tale dicitur vel quadamtenus, non proprie, cum id quod in parte dicitur, ut simpliciter dictum sumitur. Veluti si quis colligat, si id quod non est, opinabile est, id quod non est, esse. Non enim idem valent esse aliquid tale et esse simpliciter.

5. Aut rursus si quis concludat, id quod est, non esse, si non est aliquid eorum quæ sunt, verbi gratia si non est homo. Non enim idem valent, non esse aliquid tale et simpliciter non esse. Videtur autem utrumque recte colligi propter vicinitatem dictionis et exiguitatem discriminis, quod est inter esse aliquid et esse, necnon inter non esse aliquid et non esse.

6. Similiter paralogismi ducuntur ex eo, quod quadamtenus et simpliciter dicitur, utputa si Indus, cum sit totus niger, albus est dentes: albus igitur et non albus est.

7. Aut si ambo quadamtenus insunt, contraria simul inesse. Porro hujusmodi paralogismun in nonnullis orationibus animadverte cuivis facile est, utputa si quis, cum sumpserit Æthiopem esse nigrum, roget, an sit albus dentes; perfecta igitur interrogatione arbitretur syllogistice dis-

putatum, ac probatum Æthiopem esse nigrum et non nigrum. In quibusdam autem sæpe latet, nempe in quibus, cum quadamtenus dicitur, consequi videtur ut etiam simpliciter dicatur; et in quibus non facile est perspicere, utrum proprie sit attribuendum. Hoc autem in iis evenit in quibus opposita pariter insunt; nam aut ambo aut neutrum inesse sive attribui dandum videtur, utputa si totius cujusdam dimidium sit album dimidium nigrum, utrum id album an nigrum est.

4. Fallacia *propter dici simpliciter* et secundum quid est, cum ex eo, quod dicitur secundum quid et cum limitatione ad partem vel locum vel tempus, vel respectu alicujus, inferimus, quod dicatur simpliciter. Plures hujus fallaciæ modos et plura exempla proponit Aristoteles. *Primus* modus est, cum ex eo, quod aliquid sit tale, infertur illud esse simpliciter. Ex. gr., cum dicimus : *non ens est opinabile; ergo non ens est;* non valet, quia esse *opinabile* est esse *secundum quid,* hoc est *esse tale,* adeoque non valet consequentia ad *esse simpliciter.*

5. Secundus modus est, cum ex eo, quod aliquid non sit tale, inferimus non *esse simpliciter;* ex. gr., cum dicimus : *equus non est homo; ergo equus non est,* non valet ex eadem ratione. Videtur tamen valere consequentia, et ideo decipit, quia *esse quid* et *esse simpliciter, non esse quid* et *non esse simpliciter,* videntur valde propinqua, ideoque videtur valere consequentia ab uno ad aliud.

6. Tertius modus est, cum ex eo, quod aliquid sit tale simpliciter et non sit tale secundum quid, infertur, quod est tale et non est tale; ex. gr., *Indus simpliciter non est albus, sed niger; Indus secundum dentes est albus* : *ergo Indus est albus et non est albus.*

7. Quartus est, cum ex eo, quod duo contraria conveniant secundum quid, inferimus duo contraria eidem inesse simpliciter; ex. gr., *Socrates secundum quid est albus, secundum quid est niger : ergo Socrates est albus et niger.* Addit Aristoteles, quod licet aliquando, ut in casu posito, facile advertatur fallacia, adhuc in aliis casibus non ita facile advertitur fallacia; hoc vero præsertim accidit, cum subjectum æque participat utrumque oppositum; ex. gr., cum secundum unam medietatem est album, secundum alteram nigrum; non enim videtur major ratio, cur dicatur simpliciter potius album, quam nigrum, adeoque videtur inferri, quod sit simpliciter album et nigrum, album et non album.

8. Hi vero paralogismi fiunt, quia non est definitum quid sit syllogismus vel quid elenchus, sed omissa est definitio. Elenchus enim est contradictio unius et ejusdem, non nominis sed rei, ac nominis non synonymi sed ejusdem, quæ ex concessis necessario colligitur, non connumerato eo quod in principio quæsitum fuit; et sumitur secundum idem et ad idem eodemque modo et eodem tempore.

9. Eodem autem modo et mentiri de aliquo contingit. Nonnulli vero aliquo horum prætermisso videntur elencho redarguere,

10. utputa idem esse duplum et non duplum, quoniam duo unius dupla sunt, trium vero non dupla. Aut si idem est ejusdem duplum et non duplum, non tamen secundum idem, sed secundum longitudinem duplum, secundum latitudinem non duplum. Aut si ejusdem et secundum idem et eodem modo, sed non simul. Idcirco est specie tantum elenchus. Sed hic paralogismus et ad eos referri potest, qui in dictione consistunt.

8. Fallacia *propter ignorantiam elenchi* est, cum ex eo, quod quis ignorat, quid sit syllogismus redargutivus, et quid sit elenchus seu redargutio, videtur cogere adversarium ad contradictionem, cum vere non cogat ad contradictionem. Ut igitur intelligatur hæc fallacia, proponit Aristoteles definitionem elenchi. Elenchus *est contradictio, hoc est affirmatio ac negatio ejusdem et unius, non solum nominis, sed rei, et nominis non synonimi, sed omnino ejusdem ex iis, quæ data sunt ex necessitate, non connumerato eo, quod erat in principio et secundum idem et ad idem et similiter et in eodem tempore.*

9. Pro explicatione advertendum, quod elenchus est contradictio præconcessi, illata per syllogismum; syllogismus vero inferens talem contradictionem, dicitur syllogismus redargutivus. In definitione igitur elenchi debet poni definitio contradictionis, quæ est genus, ac debet addi, quod sit conclusio illata syllogistice, quæ est differentia. Aliquæ igitur particulæ definitionis allatæ spectant ad definitionem contradictionis, aliquæ ad definitionem elenchi, in quantum est conclusio.

10. *Primo* igitur elenchus et universaliter contradictio debet esse ejusdem de eodem. Ex defectu hujus conditionis non est contradictio, cum dicitur: *Plato currit, Socrates non currit,* quia cursus non affirmatur ac negatur de eodem, sed de diversis. Similiter si dicatur: *Plato currit, Plato*

non solet, non est contradictio, quia non affirmatur ac negatur idem, sed unum affirmatur, alterum negatur. *Secundo* debet esse affirmatio ac negatio ejusdem de eodem non solum nomine, sed re et nomine. Ex defectu hujus conditionis si dicatur: *canis latrat*, et intelligatur de terrestri, *canis non latrat*, et intelligatur de marino, non est contradictio, quia licet affirmatio et negatio cadat supra idem nomen, non tamen cadit supra eamdem rem. *Tertio* contradictio debet esse affirmatio ac negatio ejusdem de eodem non univoco, sed omnino eodem. Ex defectu hujus conditionis si dicatur : *homo currit*, *homo non currit*, non est contradictio, quia cum homo sit nomen univocum significans plures homines, ratione unius potest verificari affirmatio, ratione alterius potest verificari negatio; ad contradictionem vero requiritur, ut affirmatio ac negatio cadant supra idem omnino. *Quarto* contradictio debet esse affirmatio ac negatio de eodem secundum idem. Ex defectu hujus conditionis, si dicatur : *hæc tabula est dupla alterius secundum longitudinem, non est dupla secundum latitudinem*, non est contradictio, quia *esse duplam* affirmatur de tabula secundum longitudinem, negatur secundum latitudinem, adeoque idem non affirmatur ac negatur de eodem secundum idem, sed secundum diversa. *Quinto* debet contradictio esse affirmatio ac negatio ejusdem de eodem respectu ejusdem. Ex defectu hujus conditionis, si dicatur: *binarium est duplum unitatis, binarium non est duplum numeri,* non est contradictio, quia affirmatur duplum respectu unius, negatur duplum respectu alterius. *Sexto* contradictio debet esse affirmatio ac negatio ejusdem de eodem similiter. Ex defectu hujus conditionis non est contradictio, si dicatur : *Petrus currit tarde ; Petrus non currit velociter*, quia non affirmatur ac negatur, quod currat similiter et eodem modo. *Septimo* contradictio debet esse affirmatio ac negatio ejusdem de eodem eodem tempore. Ex defectu hujus conditionis non est contradictio, si dicatur : *Socrates tali tempore currebat ; Socrates alio tempore non currebat*. Conditiones enumeratæ sunt communes omni contradictioni. Ad elenchum ulterius requiruntur duæ conditiones. *Prima* est, ut ex iis, quæ data sunt, necessario sequatur contradictio; si igitur non necessario sequatur, eo quod argumentum non sit in forma, non est elenchus. *Secunda* est, ut inter præmissas non sit petitio principii; si enim inter præmissas est petitio principii, non est elenchus. Fallacia igitur ex ignorantia elenchi est, cum quis ex eo, quod omittat aliquam ex dictis conditionibus, videtur redarguere, et non redarguit; ex. gr., si quis dicat: *duo sunt duplum unius et non sunt duplum trium; ergo duo sunt duplum et non sunt duplum,* videtur redarguere, sed non redarguit, quia non affirmat ac negat duplum respectu ejusdem, sed respectu diversorum. Idem dic, cum omittitur aliqua alia conditio. Exempla autem jam sunt allata, explicando conditiones elenchi. Addit Aristoteles paralogismum elenchi posse etiam fieri per fallacias dictionis; ex. gr., per æquivocationem, amphibologiam, etc.

11. Qui autem ex eo oriuntur, quod sumitur quæsitum initio propositum, iisdem et tot modis fiunt, quot modis accidit id quod ab initio quæsitum est, peti. Videntur autem redarguere, quia discerni non potest, quod est idem et quod diversum.

11. Fallacia *petitionis principii* est, cum assumitur in præmissis id, quod debet probari. Tot autem modis ex petitione principii possunt fieri paralogismi, quot modis potest peti principium, qui modi sunt explicati lib. II, Prior. cap. XXI et lib VIII. Topic. cap. IV, num. 30. Addit Aristoteles, rationem, propter quam aliquando, qui petit principium, videtur redarguere, cum non redarguat, esse, quia non advertitur, utrum quod petitur sit idem cum eo, quod est probandum; ergo si, quia petitur sub diversis vocibus, videatur diversum, videbitur probari contradictorium concessi, et tamen non probabitur, sed petetur; ergo videbitur redargutio et non erit redargutio.

12. Propter consequens elenchus videtur, quia nonnulli putant reciprocari consecutionem. Quando enim, si illud sit, necessario hoc est, etiam putant, si hoc sit, alterum necessario esse. Unde etiam in opinione ex sensu deceptiones fiunt. Sæpe enim fel pro melle accipimus, quia melli consequens est flavus color. Et quoniam accidit ut terra, cum pluit, madefiat, etiam pluisse existimamus, si madida sit terra. Sed hoc non est necessarium. Oratoriæ quoque demonstrationes, quæ a signo ducuntur, ex consequentibus sunt. Nam volentes ostendere mœchum esse, consequens sumunt, nimirum accuratius esse comptum aut noctu oberrantem conspici. Multis autem hæc insunt, quibus attri-

butum non inest. Similiter accidit in probationibus syllogisticis. Cujusmodi est illa Melissi ratio, qua probare nititur universum esse infinitum, sumptis his principiis, universitatem esse ingenitam (ex eo namque quod non est, fieri nihil posse), quod autem genitum est, ex principio genitum esse ; quare si universum non est genitum, principium non habet; proinde est infinitum. Atqui necesse non est hoc evenire ; non enim si quidquid genitum est, principium habet, etiam si quid principium habet, genitum est, quemadmodum nec si febricitans est calidus, necesse est etiam calidum febricitare.

12. Fallacia *consequentis* est, cum quia ex aliquo antecedenti sequitur consequens, putamus converti atque ex consequenti sequi antecedens. Ex fallacia consequentis sæpe decipimur. Ex. gr., cum quis videns aliquid flavum, putat illud esse mel, cum sit fel, decipitur fallacia consequentis. Quia enim si mel est, flavum est, supponitur e converso, quod si flavum est, mel est, quod tamen est falsum, cum etiam fel sit flavum. Eadem fallacia decipimur, cum videntes terram madefactam, arbitramur pluisse, licet non pluerit. Quia enim si pluit, madefit terra, sumimus e converso, quod si madefacta est terra, pluerit, quod tamen est falsum, quia terra potest madefieri ex aliis causis. Rhetores etiam cum argumentantur ex signis, solent uti loco consequentis. Ex. gr., quia adulteri solent esse compti et noctu incedere errabundi, assumunt, quod e converso, *qui sunt compti et noctu incedunt errabundi, sunt adulteri; sed hic comptus noctu errabundus incessit; ergo hic est adulter;* et tamen non est necesse, ut qui comptus et noctu errabundus incedit, sit adulter, nam etiam non adulteri aliquando compti et noctu errabundi incedunt. Sæpe etiam in speculativis ipsi philosophi decipiuntur fallacia consequentis, ut Melissus. Sic enim probat mundum sive universum esse infinitum. Ex nihilo nihil fit; ergo universum non est factum alioquin esset factum ex nihilo : ergo universum est ingenitum ; sed ingenitum non habet principium ac proinde neque finem; ergo universum non habet principium neque finem ; ergo est infinitum. Probabat Melissus assumptum, quod ingenitum seu non factum non habeat principium. Omne factum habet principium; ergo omne habens principium est factum, adeoque factum sequitur ad habens principium; sed ex destructione consequentis, sequitur destructio antecedentis; ergo si non est factum, non habet principium, adeoque quod est ingenitum, quia non est factum, non habet principium. Hæc ratiocinatio peccat fallacia consequentis. Non enim sequitur : *omne quod est factum habet principium ; ergo omne habens principium est factum,* sicut non sequitur : *omnis febricitans est calidus; ergo omnis calidus febricitat.* Peccat etiam ratiocinatio Melissi in aliis, quæ afferuntur lib. I Physicorum, sed ad præsens institutum sufficit advertere fallaciam consequentis. Debet autem adverti, quod paralogismi in secunda figura ex puris affirmativis peccare solent fallacia consequentis.

13. Ex eo autem quod non causa accipitur pro causa, paralogismus est, cum assumpta fuerit non causa, quasi ob eam fiat elenchus. Hoc autem accidit in syllogismis ducentibus ad impossibile, quoniam in his necesse est refellere aliquid eorum quæ posita fuerunt. Si igitur numeratum sit in necessariis interrogationibus ante conclusionem eveniens illud impossibile, sæpe videbitur ob id fieri elenchus. Verbi gratia non idem esse animam et vitam, quia si interitui ortus est contrarius, etiam cuidam interitui erit quidam ortus contrarius ; atqui mors est interitus quidam et vitæ contraria; quare vita est ortus et vivere est oriri ; sed hoc est impossibile ; non sunt igitur idem anima et vita. Hoc vero non est conclusum syllogismo, quoniam evenit impossibile, etiamsi quis non asserat vitam esse idem atque animam, sed tantum, morti, quæ est interitus, vitam esse contrariam, interitui autem ortum. Ergo hujuscemodi argumentationes non sunt ad concludendum ineptæ omnino, sed propositum non concludunt. Atque ejusmodi vitium plerumque non minus ipsos interrogantes latet. Ex consequente igitur et ex non causa argumentationes ejusmodi sunt.

13. Fallacia *propter non causam* ut causam est, cum sumitur non causa tanquam causa alicujus, et ex hoc redarguitur disputans. Solet autem hæc fallacia præsertim habere locum in syllogismis per impossibile ac de ea actum est etiam lib. II. Priorum cap. XXII, ubi Aristoteles vocat illam *defectum falsi non propter hoc.* Committitur hæc fallacia in syllogismis ad impossibile, quia cum in talibus syllogismis inferatur aliquid impossibile ac proinde ostendatur, falsam esse aliquam ex præmissis, ex qua sequitur necessario impossibile, siquidem impossibile et falsum non potest sequi nisi ex aliquo falso, inter præmissas ponitur aliqua propositio, quæ non debet inter illas

poni, eo quod etiam ipsa ablata remaneat totus syllogismus, ex quo sequitur impossibile, et sic concluditur esse falsa talis propositio, et videtur redargui respondens, qui talem propositionem posuit. Exemplum sit: ponit quis, quod anima et vita sunt idem. Sophista sic arguit : *si anima et vita sunt idem, et generatio est contraria corruptioni, etiam aliqua generatio est contraria alicui corruptioni; sed mors est corrruptio, et mors est contraria vitæ; ergo vita est quædam generatio, et vivere est generari; sed hoc est impossibile, vivit enim animal, etiam quando non generatur : ergo falsum est, quod anima sit vita, et quod generatio est contraria corruptioni.* Hæc ratiocinatio peccat, quia assumit non causam ut causam impossibilis et ponit inter præmissas, ex quibus sequitur impossibile, hanc propositionem, *quod anima est vita,* quæ propositio poni non debet, siquidem ea ablata ac remanentibus aliis, quod nimirum corruptioni contraria sit generatio, et quod morti, quæ est corruptio, contraria sit vita, eo ipso sequitur, quod vita sit generatio. Tales igitur ratiocinationes simpliciter non sunt asyllogisticæ, quia vere aliquid concludunt, probant enim impossibile et ex ejus interemptione evertunt aliquam præmissam; sed sunt asyllogisticæ ad propositum, quia non concludunt propositum, hoc est falsitatem propositionis, quam adversarius posuit, ideoque videntur redarguere, cum non redarguant. Addit Aristoteles, aliquando non solum respondentes, sed etiam interrogantes et arguentes decipi, dum accipiunt ut causam, quod vere non est causa falsi et impossibilis.

14. Hæ vero ex eo quod duæ interrogationes pro una accipiuntur, cum latet plures esse, et quasi una sit interrogatio, datur una responsio. Sane quasdam facile est animadvertere multas esse, nec dandam esse responsionem unam, veluti utrum terra est mare an cœlum? In nonnullis autem minus perspicitur, et quasi una sit interrogatio, responsionem dant, ac redarguuntur elencho; aut assentiuntur, quia non respondent quod rogatum est, et redargui videntur.

15. Veluti num hic et hic est homo? Quare si quis hunc et hunc verberet, hominem, non homines verberabit. Aut rursum, quorum alia sunt bona alia non bona, hæc omnia suntne bona an non bona? Utrumvis enim dixerit, fieri potest ut aut in elenchum incidere, aut quod videtur falsum dicere videatur. Nam sive dicatur aliquid eorum quæ non sunt bona, esse bonum, sive aliquid eorum quæ sunt bona, non esse bonum, falsum dicitur.

16. Interdum vero assumptis quibusdam etiam verus elenchus fieri potest. Veluti si quis concesserit æque unum ac multa dici alba et nuda et cæca. Nam si cæcum est, quod non habet aspectum, cum sit natura comparatum ut habeat, etiam cæca erunt quæ non habent, cum natura sint comparata ut habeant. Quando igitur aliud habet aliud non habet, ambo videbunt aut cæca erunt; quod est impossibile..

14. Fallacia *plurium interrogationum* ut unius est, cum ex eo, quod non advertatur plures esse interrogationes, adeoque debere afferri plures responsiones, affertur unica responsio. Porro aliquando facile est advertere, quod plures sunt interrogationes, adeoque non est afferenda unica responsio; ex. gr., dum quæritur, utrum terra sit mare an cœlum, patet, plures esse interrogationes, alteram, *an terra sit mare*; alteram *an terra sit cœlum* adeoque afferendas esse plures responsiones. Aliquando e converso difficile est advertere, quod plures sunt interrogationes, adeoque tum respondens non inveniens, quo pacto possit respondere una responsione, quæ sit vera, vel fatetur, se non posse respondere ad talem interrogationem, vel respondet et redarguitur.

15. Plura harum interrogationum et redargutionum in iis fundatarum exempla affert Aristoteles. *Primum* exemplum est, cum plures interrogationes interrogantur per numerum singularem, ut cum dicitur : *Socrates et Plato sunt homo, an non?* Si enim respondens affirmet, redarguitur ex absurdo, dicendo : *ergo si percusseris Socratem et Platonem. percussisti hominem, non autem homines*. Si vero negaverit, redarguitur dicendo: *ergo nec Socrates nec Plato est homo,* quod pariter est absurdum. *Secundum* exemplum est, cum plures interrogationes interrogantur per numerum pluralem; ex. gr., si ponatur, quod aliqua frumenta sint bona, aliqua non, potest quis interrogare : *hæc frumenta suntne bona, an non?* Si respondens affirmaverit, vel redarguitur vel videtur dicere frumenta, quæ non sunt bona, esse bona; si negaverit, vel redarguitur vel videtur negare esse bona frumenta, quæ sunt bona.

16. Debet autem adverti, quod si aliqua frumenta sunt bona, aliqua non sunt bona, interrogatus autem, *an hæc sint bona,* neget, non semper potest vere redargui; non enim semper negat omnia

esse bona; at ex suppositione, quod concedat omnia et singula esse bona, potest vere redargui. Ex. gr., alter ex duobus sit cæcus, alter videns, interrogetur autem quis : *isti sunt videntes, an sunt cæci?* sive affirmet esse videntes, admittens quod uterque et singuli sunt videntes, sive affirmet esse cæcos, admittens, quod uterque et singuli sunt cæci, potest vere redargui, ostendendo, quod admiserit falsum.

CAPUT V

OSTENDITUR OMNES FALLACIAS REDUCI POSSE AD IGNORANTIAM ELENCHI.

1. [6] Aut igitur sic dividendi sunt qui videntur syllogismi et elenchi; aut omnes revocandi ad ignorantiam elenchi, hac pro principio sumpta.

2. Licet enim omnes dictos modos resolvere in elenchi definitionem. Ac primum si sint inepti ad concludendum. Oportet enim ex iis quæ posita sunt effici conclusionem, adeo ut necessario dicatur, non effici tantum videatur.

3. Deinde et secundum partes definitionis. Nam eorum paralogismorum, qui in dictione cernuntur, nonnulli ex duplici significatione oriuntur, cujusmodi est homonymia et ambigua oratio et dictionis figura similis. Solent enim hæc omnia quasi hoc aliquid significantia usurpari. Compositio vero et divisio et accentus ideo captionem efficiunt, quod non eadem est oratio, vel nomen est diversum ; oportebat autem et hoc idem esse, quemadmodum res eadem est, si futurus est elenchus aut syllogismus, utputa si tunica concludi debet, non oportet vestem concludere, sed tunicam. Quamvis enim id verum sit, tamen non est syllogismo conclusum, sed adhuc interrogatione est opus, ut idem significare assumatur, erga quærentem : quid ita?

1. Postquam Aristoteles explicavit fallacias, tum quæ consistunt in dictione, tum quæ extra dictionem, docet, quod vel sic dividendæ sunt fallaciæ in duas classes, ac tredecim locos jam enumeratos, vel omnes reduci debent ad ignorantiam elenchi, ut quidam faciunt, qui idcirco dicunt ignorantiam elenchi esse principium commune omnium fallaciarum. Ponit igitur conclusionem, quæ est : Omnes fallaciæ reduci possunt ad ignorantiam elenchi.

2. Probatur, quia omnes fallaciæ peccant contra definitionem elenchi; ergo omnes fallaciæ reduci possunt ad ignorantiam elenchi. Probatur antecedens, quia elenchus definitur *syllogismus contradictionis*, adeoque genus elenchi est, ut sit syllogismus, differentia, ut sit syllgismus concludens contradictorium ejus, quod adversarius posuit; sed omnes fallaciæ vel peccant, quia non fit syllogismus, vel quia non concluditur vera contradictio ; ergo, etc. Probatur minor : primo enim multæ fallaciæ faciunt, ut oratio, quæ videtur syllogistica, non sit syllogistica et non concludat ex necessitate; sed istæ eo ipso peccant contra genus positum in definitione elenchi; ergo, etc. Aliæ vero fallaciæ peccant, quia non inferunt veram contradictionem, adeoque peccant contra differentiam elenchi.

3. Confirmatur discurrendo per singulas fallacias tum dictionis tum extra dictionem et ostendendo, quod omnes peccant contra aliquam partem definitionis elenchi. Per fallacias enim æquivocationis et amphibologiæ peccatur, quia nomen vel oratio non sumuntur in una et eadem significatione, sed in duplici; per fallaciam figuræ dictionis peccatur, quia similes dictiones sumuntur, ut significantes idem, cum significent diversa; sed ad syllogismum et contradictionem requiritur, ut nomina et orationes sumantur in eadem significatione; si enim sumantur in diversa significatione, non est vera contradictio nec verus syllogismus; ergo in fallaciis æquivocationis, amphibologiæ et figuræ dictionis peccatur contra definitionem elenchi. In fallaciis compositionis ac divisionis et accentus peccatur, quia supponitur, quod oratio composita ac divisa sit eadem, cum vere non sit eadem, ac quod nomen cum accentu et sine accentu sit idem, cum vere non sit idem; ergo etiam in fallaciis compositionis divisionis et accentus peccatur contra definitionem elenchi. Quod autem ad syllogismum requiratur, ut etiam nomen sit idem, probat Aristoteles ; nam si quis ex his præmissis: *omne cooperimentum calefacit ; omnis vestis est cooperimentum*, concludat : *ergo omnis tunica calefacit*, non syllogistice infert conclusionem, quia licet *tunica* et *vestis* sit idem, adhuc qui audit conclusionem, quæret: *propter quid infertur talis conclusio?* ac responderi debet, quod conclusio infertur, quia vestis est idem ac tunica; ergo patet, quod omnes fallaciæ dictionis peccant contra definitionem elenchi.

4. Paralogismi autem, qui ex accidente sumuntur, definito syllogismo fiunt manifesti.

Oportet enim eamdem esse definitionem elenchi, præterquam quod adiungitur contradictio; nam elenchus est syllogismus contradictionis. Quare si non est syllogismus accidentis, non fit elenchus.

5. Non enim si, cum ea sunt, necesse est hoc esse, hoc autem est album, necesse est album esse propter syllogismum. Nec si triangulum duobus rectis æquales angulos habet, ei autem accidit ut sit figura vel primum vel principium, consequens est, ut figura vel principium vel primum sit tale Non enim de eo demonstratio fit, qua est figura, nec qua primum, sed qua triangulum est. Similiter et in aliis se res habet. Quapropter si elenchus est syllogismus quidam, qui ex accidente est, elenchus esse nequit.

6. Sed hinc et artifices et omnino docti ab indoctis redarguuntur, quoniam ex accidente syllogismos faciunt adversus scientes; hi vero, cum dividere non valeant, aut rogati dant aut non dantes videntur dedisse.

4. Probatur jam, quod etiam fallaciæ extra dictionem peccant contra definitionem elenchi discurrendo per singulas. *Primo* si fallacia accidentis peccat contra definitionem syllogismi, peccat contra definitionem elenchi, siquidem in definitione elenchi ponitur ut genus definitio syllogismi; et additur ut differentia definitio contradictionis; elenchus enim est syllogismus contradictionis; sed fallacia accidentis peccat contra definitionem syllogismi; ergo etc. Probatur minor: fallacia accidentis peccat, quia vel ex eo, quod aliquid dicatur de subjecto, infertur illud de accidente, vel ex eo, quod dicatur de accidente infertur de subjecto, vel de alio accidente, cum non sit necesse, ut illud, quod dicitur de subjecto, dicatur de accidente, vel e converso, ut id, quod dicitur de accidente, dicatur de subjecto, aut de alio accidente; ergo in paralogismo accidentis non necesse est, ut, si veræ sunt præmissæ, vera sit conclusio; sed ad definitionem syllogismi requiritur, ut, si veræ sunt præmissæ, vera sit conclusio; ergo in fallacia accidentis peccatur contra definitionem syllogismi, eo quod videatur fieri syllogismus, cum non fiat; ergo peccatur etiam contra definitionem elenchi.

5. Explicatur exemplis. *Primum* exemplum, in quo ex eo, quod aliquid dicitur de accidente, infertur de subjecto, est: *album est disgregativum visus, et esse album est esse disgregativum; Socrates est albus; ergo Socrates est disgregativus visus, et esse Socratem est esse disgregativum*. Conclusio non sequitur ex positis præmissis, ideoque oratio allata non est syllogismus. *Secundum* exemplum, in quo ex eo, quod aliquid dicatur de subjecto, infertur de accidente seu prædicato, quod dicitur de tali subjecto, est: *Triangulus, in quantum triangulus habet tres angulos æquales duobus rectis; triangulus est figura, est primum, et est principium quoddam; ergo figura in quantum figura habet tres angulos æquales duobus rectis; primum quatenus primum, et principium quatenus principium habet tres angulos æquales duobus rectis*. Conclusio non sequitur necessario ex positis præmissis, adeoque non fit syllogismus; sed omnis elenchus est syllogismus; ergo neque fit elenchus; ergo in fallacia accidentis peccatur contra definitionem elenchi.

6. Addit Aristoteles fallaciam accidentis esse ita difficilem, ut per ipsam etiam, sapientes, et artifices in artibus periti redarguantur ab insciis, et imperitis. Faciunt enim syllogismos accidentis, et quia aliquando etiam sapientes non discernunt, utrum syllogismus sit ex iis, quæ dicuntur *per se*, an ex iis, quæ dicuntur *per accidens*, vel concedunt, conclusionem vel ita se gerunt, ut videantur concedere, et sic videntur redargui. Pæne igitur omnes deceptiones tum in speculativis tum in practicis oriuntur ex fallacia accidentis. Medicus enim, dum non discernit causam morbi per se a causa per accidens, putat causam per accidens esse causam per se, ideoque fallitur in medicando. Ex eadem ratione falli solent demonstrantes in demonstrando, ideoque verissimum est, sapientes decipi fallacia accidentis.

7. Ex eo vero quod quadamtenus vel simpliciter dicitur, ducti paralogismi in eo versantur, quod non de eodem accipitur affirmatio et negatio. Ejus enim quod quadamtenus est album, id quod quadamtenus non est album, negatio est. Si igitur, dato esse quadamtenus album, alius quasi simpliciter dictum accipiat, non efficit elenchum, sed efficere videtur, quoniam ignoratur, quid sit elenchus.

8. Maxime autem omnium perspicui sunt, qui supra dicti sunt ex elenchi definitione; ideoque sunt ita appellati. Nam ob definitionis defectionem fit, ut elenchus videatur; et si dividantur paralogismi, sicut nunc divisimus, hoc omnibus commune ponendum est, definitionis (inquam) defectio.

9. Sed et hi qui ex eo ducuntur, quod sumitur quæsitum initio propositum, et qui ex eo quod ponunt non causam pro causa, per elenchi definitionem fiunt manifesti. Oportet enim conclusionem evenire eo quod illa sunt, quæ fuerunt

posita; quod certe non est in non causis. Rursus non connumerato eo quod ab initio quæsitum fuit; quod requisitum non habent, qui propter petitionem quæsiti initio propositi peccant.

10. Qui vero ex consequente ducuntur, accidentis pars sunt. Nam consequens accidit, sed eo differt ab accidente, quod licet in uno tantum accidens sumere; utputa idem esse flavum et mel, necnon album et cygnum; quod vero ex accidente ducitur, semper in pluribus cernitur. Nam quæ uni et eidem sunt eadem, etiam inter se eadem esse postulamus; unde oritur elenchus, qui ex consequente appellatur Id autem non est omnino verum, veluti si album sit ex accidente; etenim nix et cygnus, quod ad alborem, idem sunt. Aut rursus ut in Melissi ratione, qui idem esse sumit factum esse et principium habere, aut idem esse fieri æqualia et eamdem magnitudinem accipere. Nam quia quod factum est, principium habet, et quod principium habet, factum esse postulat sibi concedi, quasi hæc duo, factum et finitum, eadem sint propterea, quod utraque principium habent. Similiter et in iis quæ æqualia fiunt, si ea quæ unam et eamdem magnitudinem accipiunt, æqualia fiunt, vicissim etiam, quæ æqualia fiunt, unam magnitudinem accipiunt Itaque consequens sumit. Quoniam igitur elenchus ex accidente ductus in ignorantia elenchi cernitur, apparet eodem referri etiam elenchum ex consequente. Est autem hoc et alio modo considerandum.

7. Secundo in fallacia, quæ dicitur a *secundum quid ad simpliciter*, peccatur contra definitionem elenchi. Ad elenchum enim requiritur, ut sit affirmatio ac negatio ejusdem; sed negationi, qua dicitur: *Æthiops non est albus simpliciter*, non opponitur affirmatio, qua dicatur: *Æthiops non est albus secundum dentes*, sed qua dicatur, *Æthiops simpliciter non est albus*; ergo cum quis contra eum, qui negavit Æthiopem simpliciter esse album arguit, quia est *albus secundum dentes*, videtur redarguere propter ignorantiam elenchi, et tamen vere non redarguit, adeoque fallacia, quæ consistit in *simpliciter et secundum quid*, reducitur ad ignorantiam elenchi.

8. Tertio fallacia, per quam sumuntur, ut contradictoria, quæ vere non sunt contradictoria, eo quod desit illis aliqua conditio posita in definitione contradictoriorum, manifestissime peccat propter ignorantiam elenchi, cum nullam aliam causam habeat apparentiæ, nisi quia non advertuntur conditiones contradictionis, aliæ vero fallaciæ habeant aliam causam. Hinc est, ut sicut aliæ fallaciæ habent aliam causam, sic habeant aliud nomen; at hæc, sicut non habet aliam causam, non habeat aliud nomen et vocetur antonomastice *fallacia propter ignorantiam elenchi*.

9. Quarto fallacia petitionis principii, et non causæ ut causæ peccat contra definitionem elenchi. Fallacia enim non causæ ut causæ est, cum sumitur, quod ex aliqua propositione sequatur conclusio impossibilis, cum vere non sequatur ex illa, sed ex aliis propositionibus; ergo peccatur contra definitionem syllogismi, ad quem requiritur, ut conclusio sequatur, *eo quod hæc sint;* sumitur enim impossibile sequi, eo quod sit talis propositio, cum non sequatur, eo quod sit talis propositio. In fallacia vero petitionis principii peccatur contra definitionem elenchi. Conclusio enim elenchi debet sequi necessario ex præmissis, non connumerando inter præmissas ipsam conclusionem probandam; sed fallacia petitionis principii ponit inter præmissas ipsam conclusionem probandam: ergo fallacia petitionis principii peccat contra definitionem elenchi.

10. Quinto fallacia consequentis est veluti species fallaciæ accidentis; sed fallacia accidentis reducitur ad ignorantiam elenchi, ut ostensum est num. 4; ergo etc. — Probatur major; nam in fallacia consequentis decipimur propter consequens, quod aliquo pacto accidit subjecto: ex. gr., cum quis, quia mel est flavum, videns aliquid flavum decipitur et putat illud esse mel, cum non sit mel, decipitur propter flavum, quod accidit melli et consequitur ad mel. Adhuc tamen differunt fallacia accidentis et fallacia consequentis. Nam in fallacia accidentis consideratur unum subjectum et ex eo, quod aliquid accidat tali subjecto, arguimus, quod, quæ dicuntur de subjecto, dicantur de accidente et quæ dicuntur de accidente, dicantur de subjecto et de aliis accidentibus ejusdem subjecti. Ex. gr., quia mel est flavum, flavum autem est accidens, arguimus, quod mel est accidens; quia cygnus est albus, album autem definitur disgregativum visus, arguimus, quod cygnus definitur disgregativum visus. E converso in fallacia consequentis sumimus plura subjecta, de quibus dicatur idem accidens, et inferimus, quod illa sint idem. Videtur enim, quod, quæ eidem sunt idem, sibi invicem sint idem, quod non est universaliter verum. Neque enim si duo sint eidem idem per accidens et non

convertibiliter, sunt idem inter se. Nam cum et nix sit alba et cygnus sit albus, nix et cygnus sunt idem albo, et tamen non sunt idem inter se, siquidem nix non est cygnus. Est etiam alia causa apparentiæ in fallacia consequentis, quia sumitur consequens esse idem convertibiliter cum antecedente eo pacto, quo Melissus, quia *omne factum habet principium*, sumpsit, quod *omne habens principium est factum*, et quia ex destructione consequentis sequitur destructio antecedentis, sumpsit, quod id, quod non est factum, non habet principium, adeoque nec finem; sed universum non est factum; ex nihilo enim nihil fit; ergo universum non habet principium neque finem, ac proinde est infinitum. Eodem pacto argumentantur sophistæ, dum ex eo, quod omnia, quæ habent eamdem magnitudinem, sint æqualia, sumunt, quod e converso omnia æqualia habeant eamdem magnitudinem, sed omnia binaria sunt æqualia; ergo omnia binaria habent eamdem magnitudinem; ergo binarium muscarum, et binarium hominum habent eamdem magnitudinem, quod est ridiculum. Cum igitur fallacia consequentis sit quodammodo species fallaciæ accidentis; fallacia autem accidentis peccet propter ignorantiam elenchi; etiam fallacia consequentis peccat propter ignorantiam elenchi.—Potest etiam aliter probari, quod fallacia consequentis peccat contra definitionem elenchi. Conclusio enim non sequitur ex præmissis positis, sed cum conclusio non sequitur, peccatur contra definitionem syllogismi; ergo in fallacia consequentis peccatur contra definitionem syllogismi; ergo etiam contra definitionem elenchi, siquidem elenchus est syllogismus.

11. Qui vero ex eo ducuntur, quod ex pluribus interrogationibus una fit, in eo consistunt, quod non articulatim seu non distincte expendimus definitionem propositionis. Nam propositio est unum de uno; est enim eadem definitio unius tantum, et simpliciter rei, ut hominis et unius tantum hominis; similiterque in aliis res habet. Si igitur una tantum propositio est, quæ unum de uno postulat, etiam simpliciter propositio erit interrogatio ejusmodi. Quia vero syllogismus ex propositionibus constat, elenchus autem est syllogismus, etiam elenchus erit ex propositionibus. Quocirca si propositio est unum de uno, apparet etiam hunc in elenchi ignorantia versari; videtur namque esse propositio, quæ non est propositio. Itaque si responsionem dedit quasi ad unam interrogationem, erit elenchus; si non dedit, sed videtur dedisse, videbitur elenchus. Quare omnes modi cadunt in elenchi ignorantiam, illi quidem qui in dictione consistunt, quia videtur contradictio, quod erat proprium elenchi; reliqui autem propter syllogismi definitionem.

11. Sexto etiam fallacia plurium interrogationum ut unius peccat contra definitionem elenchi. Probatur; si peccat contra definitionem syllogismi, peccat contra definitionem elenchi; sed peccat contra definitionem syllogismi; ergo etc. — Probatur minor; si peccat contra definitionem propositionis, peccat contra definitionem syllogismi, si quidem syllogismus est oratio constans ex propositionibus; sed peccat contra definitionem propositionis: ergo etc. — Probatur minor; peccat, quia non distinguit, an interrogatio proposita sit una propositio vel non sit una; sed in definitione propositionis includitur, quod sit una, siquidem propositio est affirmatio vel negatio unius de uno, sicut autem idem est homo ac unus homo, sic idem est propositio ac una propositio, ideoque eadem est definitio propositionis ac unius propositionis; ergo sicut peccat contra definitionem propositionis unius, non advertens, an sit una, sic peccat contra definitionem propositionis; ergo peccat contra definitionem syllogismi, et contra definitionem redargutionis, ideoque, si attulerit responsionem ut unam propositionem cum non sit una propositio, attulit non propositionem ut propositionem, adeoque redarguitur vere, si videtur dedisse unam responsionem, redarguitur apparenter; ergo patet omnes tredecim fallacias assignatas reduci ad ignorantiam elenchi. Aliquæ enim fallaciæ, præsertim dictionis, peccant contra definitionem contradictionis, quæ ponitur ut differentia in definitione elenchi; aliæ peccant contra definitionem syllogismi, qui ponitur ut genus in definitione elenchi.

CAPUT VI.

EXPLICANTUR CAUSÆ, PROPTER QUAS ENUMERATÆ FALLACIÆ HABENT APPARENTIAM ET DECIPIUNT.

1. [7] Porro nos fallunt paralogismi, qui ex homonymia et qui ex ambigua oratione ducuntur, quia non possumus distinguere quod multifariam dicitur. Quorumdam enim distinctio non est in promptu, ut unius et entis et ejusdem.

2. Qui vero ex compositione ac divisione, quia nihil putamus interesse inter conjunctam et divisam orationem, sicut in plurimis accidit.

Similis ratio est eorum qui ex accentu ducuntur; aut enim in nulla re aut saltem non in multis videtur idem significare contentus et remissus sermo.

3. Qui autem ex figura dictionis, propter dictionis similitudinem. Nam difficile est discernere, quæ eodem et quæ diverso modo dicuntur; fere enim qui potest hoc facere, prope est ut verum perspiciat, maxime autem scit annuere. Quidquid enim alicui attribuitur, existimamus esse hoc aliquid, et quasi unum accipimus; nam uni et substantiæ maxime videtur consequens esse hoc aliquid et ens.

4 Quocirca inter eos paralogismos, qui in dictione consistunt, hic fallendi modus est ponendus, primum quia magis decipimur considerantes cum aliis quam apud nosmetipsos; nam consideratio cum aliis per sermonem instituitur, apud nosmetipsos autem non minus fit per rem ipsam. Deinde et per nosmetipsos ut fallamur accidit, cum in rebus considerandis sermo adhibetur. Præterea deceptio est ex similitudine, similitudo autem ex dictione.

Explicatis tredecim locis deceptionum, explicat Aristoteles causas, propter quas tradita loca habent apparentiam et decipiunt.

1. Primo paralogismi, qui fiunt per voces æquivocas vel per orationes ambiguas et amphibologicas decipiunt, quia non potest quis distinguere id, quod multipliciter dicitur in suas significationes, adeoque non advertit, quod sumitur in diversa significatione. Præcipue autem decipimur a nominibus, quorum multiplicitas difficile distinguitur ac discernitur, cujusmodi sunt *unum, ens* et *idem*. Horum enim significationes, cum sint affines, difficile distinguuntur.

2. Secundo paralogismi consistentes in compositione vel divisione, decipiunt, quia cum plerumque oratio composita ac divisa non soleant differre, etiam quando differunt, putantur non differre. Ex eadem ratione solent decipere fallaciæ ex accentu. Quia enim plerumque voces variato accentu non variant significationem, etiam cum ex variatione accentus variatur significatio, putatur non variari.

3. Tertio paralogismi fundati in similitudine dictionis decipiunt, quia cum sæpissime dictiones similes significent similes res, difficile est discernere, quando dictiones similes significent similes res, quando dissimiles; qui vero id potest discernere, est valde dispositus ad hoc, ut videat verum, adeoque non decipiatur. Porro qui discernit, quando voces similes significent dissimilia, advertet, quod licet substantiæ universales, ex. gr., homo, equus, quæ prædicantur de subjecto, significentur per similes dictiones, ac substantiæ singulares, ex. gr. Socrates, Plato; utræque enim significantur per nomina substantiva; adhuc non sunt hoc *aliquid per se existens*, sicut substantiæ singulares; cum qui id non discernit, putet substantias universales per se existere et esse unum, eo quod *per se existere et esse unum*, videatur proprietas omnis substantiæ, licet vere sit proprietas solius substantiæ primæ et singularis, quæ primo et maxime dicitur substantia.

4. Quia vero aliquis posset dubitare, utrum fallacia similis figuræ consistat in dictione vel extra dictionem, ideo Aristoteles docet ac duplici ratione probat, quod consistit in dictione. Prima ratio est: fallacia, quæ potius decipit nos, cum disputamus cum aliis, quam cum speculamur soli, potius consistit in oratione, quam in re; sed hæc fallacia potius decipit nos, cum disputamus cum aliis, quam cum soli speculamur; ergo, etc. Addit, quod, qui speculantur per se, dum considerant res in se ipsis, decipiuntur fallaciis rei, cum vero considerant res relate ad orationem et voces, decipiuntur etiam fallaciis dictionis. Secunda ratio est: fallacia figuræ decipit propter similitudinem; sed similitudo non est inter res significatas, sed inter voces significantes; ergo fallacia figuræ consistit in vocibus, non in rebus.


5. Paralogismi vero ex accidente fallunt, quia non possumus dijudicare quod est idem vel diversum et quod est unum vel multa, nec quibus attributis omnia eadem ac rei accidant.

6. Similis ratio est eorum qui ex consequenti ducuntur: nam consequens est pars quædam accidentis. Præterea et in multis videtur, et postulatur ita, si illud ab hoc non separatur, neque hoc ab illo separari.

7. Qui vero ex defectione definitionis sumuntur, et qui ex eo quod quodammodo vel simpliciter dicitur, propter discriminis exiguitatem fallunt, universaliter enim concedimus, quasi hæc nihil adsignificent, aliquod, quadamtenus, simpliciter, quodammodo, nunc.

8. Similis est ratio eorum qui sumunt quæsitum initio propositum et non causarum, et eorum qui multas interrogationes faciunt quasi unam. In omnibus enim propter exiguitatem captio est, quia scilicet non expendimus accurate definitionem propositionis et syllogismi ob ante dictam causam.

5. Quarto paralogismi accidentis decipiunt, quia difficile est distinguere unum



et multa, idem et diversum, et cum aliqua eo ipso, quod dicantur de prædicatis, dicantur etiam de subjectis, difficile est distinguere, quandonam, quæ dicuntur de prædicatis, eo ipso dicantur de subjectis, quando autem, licet dicantur de prædicatis, adhuc dici non possint de subjectis.

6. Quinto paralogismi consequentis, cum sint veluti species paralogismorum accidentis, habent apparentiam propter eamdem causam ac paralogismi accidentis. Præterea est ratio specialis, propter quam paralogismi consequentis decipiunt, quia, cum in multis prædicata sint convertibilia cum subjectis, ita ut sicut subjectum non potest esse sine tali prædicato, sic tale prædicatum non possit esse sine eodem subjecto, difficile distinguitur, quando valeat conversio, quando non valeat.

7. Sexto paralogismi propter ignorantiam elenchi et propter omissionem alicujus particulæ, quæ continetur in definitione contradictionis, et propter *simpliciter* et *secundum quid,* habent apparentiam, quia parum pro nihilo reputatur. Cum ergo aliquando parum desit ad contradictionem, sumitur, quod sit contradictio, et cum particulæ limitativæ ad locum, tempus, etc., parum significent, sumitur, ac si nihil significent, adeoque quod deberet concludi solum cum dictis particulis limitativis, concluditur simpliciter.

8. Septimo paralogismi petitionis principii, non causæ ut causæ et plurium interrogationum ut unius decipiunt, quia, cum parum desit ad definitionem elenchi et propositionis, videtur nihil deesse. In paralogismo enim petitionis principii deest solum ad definitionem elenchi illa particula *non connumerato principio;* in paralogismo non causæ ut causæ deest illa particula, *eo quod hæc sint;* in paralogismo plurium interrogationum deest unitas propositionis, quæ est de propositionis essentia et definitione, ut explicatum est, cap. V, num. 11; ergo, quia parum deest, videtur nihil deesse; parum enim pro nihilo reputatur, ideoque decipimur, et videtur redargutio, quæ vere non est redargutio: ergo patet propter quas causas assignati loci fallaciarum habeant apparentiam aptam ad decipiendum.

CAPUT VII

OSTENDITUR, QUOD PROPTER EASDEM CAUSAS, PROPTER QUAS FIUNT APPARENTES SYLLOGISMI, FIUNT ETIAM SOPHISTICI SYLLOGISMI TUM PECCANTES IN FORMA TUM PECCANTES IN MATERIA.

1. [8] Cum autem teneamus, ex quibus efficiantur qui videntur syllogismi, tenemus etiam, ex quibus fieri possunt sophistici syllogismi et elenchi. Voco autem sophisticum elenchum et syllogismum non solum eum, qui videtur syllogismus vel elenchus, cum non sit, sed etiam qui re vera est syllogismus vel elenchus, sed falso videtur esse proprius rei, qua de agitur. Tales sunt qui non ex re ipsa redarguunt; ignorantesque detegunt; quod erat Pirasticæ proprium.

2. (Est autem Pirastice pars Dialecticæ, quæ quidem potest falsum concludere propter ignorantiam ejus qui argumentationem concedit). Sed sophistici elenchi etiamsi concludant contradictionem, tamen non faciunt manifestum, an adversarius ignoret, quoniam et scientem impediunt sophistæ hisce argumentationibus.

1. Postquam Aristoteles explicavit causas, propter quas fiunt syllogismi apparentes, ostendit, quod propter easdem causas et ex iisdem locis, fiunt omnes syllogismi et elenchi sophistici, intelligendo nomine syllogismorum sophisticorum non solum eos, qui peccant in forma, adeoque, cum non concludant, non sunt syllogismi neque elenchi, licet videantur syllogismi et elenchi, sed etiam eos, qui non peccant in forma, adeoque sunt syllogismi, sed peccant in materia, quia procedunt ex præmissis falsis et extraneis, licet videantur veræ et propriæ rei. *Primo* ergo distinguit syllogismos et elenchos peccantes in materia proprios Tentativæ, quæ est pars Dialecticæ, a syllogismis et elenchis, qui spectant ad Sophisticam; *secundo* probat, quod ex tredecim locis enumeratis, sicut possunt fieri syllogismi et elenchi peccantes in forma, sic possunt fieri syllogismi et elenchi peccantes in materia; *tertio* ostendit tales syllogismos et elenchos peccantes in materia, simpliciter non esse syllogismos et elenchos, sed solum, videri ac relate ad respondentem esse syllogismos et elenchos.

2. *Quoad primum;* Tentativa, quæ est pars Dialecticæ, et Sophistica conveniunt in hoc, quod utraque ad redarguendum eum, cum quo disputat, utitur syllogismis apparentibus et peccantibus in materia; at differunt ex fine. Tentativa enim re-

darguit ignorantes, qui se putant et venditant ut sapientes, ex fine detegendi eorum ignorantiam, ideoque assumit propositiones falsas, quas sapientes non admittunt, ipsi vero admittunt, quia vere non sunt sapientes, et per eas redarguuntur et compelluntur ad contradicendum sibi. Hac arte sæpe apud Platonem Socrates utitur contra sophistas, qui se simulabant sapientes. Sophistica e converso habet pro fine redarguere et implicare etiam sapientes, ideoque assumit propositiones falsas, per quas possint etiam decipi sapientes, ex iisque conatur ipsos redarguere et compellere ad contradictionem. Ex convenientia ac differentia Tentativæ ac Sophisticæ patet convenientia ac differentia syllogismi falsi tentativi ac sophistici. Conveniunt in hoc, quod assumunt propositiones falsas; differunt, quod tentativi procedunt ex falsis, quæ possunt decipere solos ignorantes, adeoque redarguendo manifestant ignorantiam respondentis; at sophistici procedunt ex falsis, quæ propter difficultatem possunt etiam implicare scientes, adeoque non manifestant ignorantiam respondentis.

3. Quod autem habeantur eadem methodo, manifestum est. Nam propter quæ videtur audientibus, utpote in interrogationem deducta, conclusum esse, propter hæc ipsa videri etiam respondenti potest. Erunt igitur syllogismi falsi per hæc aut omnia aut aliqua. Quod enim se non interrogatus quispiam dedisse putat, utique etiam interrogatus daret. Quamqnam in nonnullis accidit, ut simul ac adjungitur interrogatio ejus quod ad conclusionem perficiendam deerat, falsitas detegatur, ut captionibus, quæ propter dictionem et solœcismum fiunt.

4. Si igitur paralogismi contradictionis in eo consistunt, quod videtur elenchus, patet ex totidem locis, duci falsos syllogismos, ex quot sumitur qui videtur elenchus. At qui videtur elenchus, ob singulas partes veri elenchi prætermissas efficitur. Nam quacumque parte deficiente videbitur tantum, non erit verus elenchus;

5. ut qui ex eo sumitur quod conclusio non evenit propter argumentationem, id est qui ad impossibile ducere tentat; et qui ex duabus interrogationibus unam facit, qui scilicet ob propositionem male acceptam peccat; et qui loco ejus quod est per se, id sumit quod est per accidens; et hujus pars, qui ducitur ex consequenti; præterea non in re sed in sermone contingere; deinde loco contradictionis universaliter et secundum idem et ad idem et eodem modo sumendæ, in aliquo accipere, aut secundum unumquodque horum peccare; præterea quia connumerato eo quod initio quæsitum fuit, quæsitum initio propositum postulatur. Quare tenemus, ex quibus fiunt paralogismi; ex pluribus enim locis esse nequeunt, sed ex commemoratis locis omnes ducentur.

3. *Quoad secundum*, probat Aristoteles, quod ex iisdem tredecim locis, ex quibus fiunt paralogismi peccantes in forma, fiunt etiam paralogismi et elenchi peccantes in materia. Ideo enim ex iis locis fiunt ratiocinationes, quæ, cum non concludant, videntur concludere, quia audientibus æquivocum videtur non æquivocum, oratio ambigua videtur non ambigua; apparent autem hæc propter causas allatas capite superiori propter difficultatem nimirum distinguendi, quæ dicuntur multipliciter, etc.; sed, quæ videntur audientibus, antequam interrogentur, conceduntur, si interrogentur; ergo interrogatus concedet, quod nomen non dicitur æquivoce, oratio non est ambigua, etc., adeoque concedet præmissas falsas, ex quibus fit syllogismus et concluditur falsum; ergo propter easdem causas et ex iisdem locis omnibus aut aliquibus, ex quibus fiunt syllogismi peccantes in forma, fiunt etiam syllogismi peccantes in materia. Dicit tamen Aristoteles, quod ex omnibus vel ex aliquibus locis, ex quibus fiunt paralogismi peccantes in forma, possunt etiam fieri paralogismi peccantes in materia, quia non semper id contingit. Aliquando enim eo ipso, quod quis interrogat aliquid, ex cujus defectu ratiocinatio non concludit, ut id suppleat ex concessione respondentis, apparet falsitas interrogati, ac sic negatur a respondente et syllogismus impeditur; ex. gr., si quis arguat : *omnis canis latrat; astrum est canis: ergo astrum latrat*, argumentum non concludit, quia canis sumitur æquivoce. Si ergo ut concludat, quærat aliquis, *an astrum sit canis univoce vel æquivoce*, ad hoc ut assumens, quod astrum est canis univoce cum cane latrante, faciat syllogismum non peccantem in forma, statim patebit æquivocatio, et sic impedietur argumentum. Idem solet contingere in aliis locis et fallaciis dictionis. At in quibusdam, quia non apparet falsitas interrogati, admittitur interrogatum, adeoque fit syllogismus in forma peccans in materia; ex. gr., syllogismus aliquis non concludit, quia aliquod nomen sumitur æquivoce, licet æquivocatio lateat; si quæratur a respondente, an illud nomen significet univoce, admittit, quod significat univoce. Tum ergo syllogismus concludit, sed pec-

cat in materia, quia assumit falsum, quod nimirum illud nomen dicatur univoce. Idem dic de fallaciis extra dictionem.

4. Hoc posito Aristoteles sic concludit argumentum : propter eadem , propter quæ fiunt paralogismi redargutivi peccantes in forma, fiunt syllogismi peccantes in materia; sed peccantes in forma fiunt propter elenchum apparentem ex causis assignatis : ergo etiam propter easdem causas fiunt syllogismi peccantes in materia; sed causæ, cur appareat elenchus, qui non est, sunt conditiones requisitæ in definitione veri elenchi; deficiente enim aliqua conditione veri elenchi fit elenchus apparens ; ergo conditiones requisitæ in definitione veri elenchi, cum desunt, sunt causæ omnium syllogismorum sophisticorum.

5. Explicatur discurrendo per conditiones veri elenchi. Ratio, cur per syllogismum ad impossibile evertatur aliqua propositio concessa, et sic fiat vera redargutio est, quia propositio illa est causa, ut sequatur impossibile; si ergo non sit causa, sed videatur causa, fit syllogismus sophisticus et sophistica redargutio, quæ redargutio peccat in forma, si respondens non concedit illam propositionem esse causam impossibilis; si vero hoc concedat, peccat in sola materia. Ratio, cur syllogismus concludat, est, quia constat ex propositionibus, quæ sunt unæ; ergo quia aliquæ propositiones non sunt unæ, sed videntur unæ, adeoque admittuntur ut unæ, fit syllogismus sophisticus plurium interrogationum ut unius. Ratio, cur syllogismi concludant est, quia procedunt ex prædicatis *per se;* ergo quia prædicata aliqua, quæ sunt per accidens, videntur *per se,* fiunt syllogismi sophistici accidentis, et ex eadem ratione fiunt syllogismi sophistici consequentis, qui sunt veluti species syllogismorum accidentis, ut dictum est. Ratio, cur fiant veri syllogismi est, quia sumuntur eadem, non solum secundum voces et orationem et figuram dictionis, sed etiam secundum rem; ergo cum videntur aliqua esse idem secundum rem, cum non sint eadem secundum rem, fiunt syllogismi sophistici fallacia dictionis. Ratio, cur elenchi veri redarguunt, est, quia concludunt contradictionem cum particulis requisitis, hoc est *secundum idem respectu ejusdem,* etc.; ergo cum quædam videntur contradictoria, licet desit aliqua conditio contradictoriorum, fiunt syllogismi et elenchi sophistici a simpliciter ad secundum quid. Demum ratio, propter quam veri elenchi redarguunt, est, quia non assumunt id, quod est probandum inter præmissas; ergo quia aliquid, quod est idem cum principio, de quo est controversia, videtur non esse idem, fit syllogismus sophisticus petitionis principii; ergo patet, quod omnes syllogismi sophistici tum peccantes in forma tum peccantes in materia, fiunt ex locis assignatis et reducuntur ad conditiones positas in definitione veri elenchi. Sicut enim rectum est regula sui et obliqui; obliquitas enim consistit in declinatione a recto; sic definitio veri syllogismi et veri elenchi est regula verorum et sophisticorum syllogismorum, siquidem sophistici syllogismi atque elenchi sunt, qui deficiunt ab aliqua conditione veri syllogismi et veri elenchi.

6. Porro sophisticus elenchus non est simpliciter elenchus, sed adversus aliquem; itidemque sophisticus syllogimus. Nisi enim sumat, qui ex homonymia ducitur, unam habere significationem, et qui ex simili dictionis figura, significare solum hoc, et alii eodem modo, neque elenchi neque syllogismi erunt, nec simpliciter nec adversus eum qui interrogatur. Sin id sumant, erunt quidem elenchi et syllogismi adversus eum qui interrogatur, simpliciter autem non erunt, quia non sumpserunt, quod unam rem significaret, sed quod significare videretur, idque ab hoc respondente dumtaxat.

6. *Quoad tertium :* ex dictis Aristoteles infert sophisticos syllogismos et elenchos simpliciter non esse syllogismos neque elenchos, sed solum esse elenchos respectu respondentis. Probatur et explicatur; ratiocinatio enim fundata in æquivocatione vel amphibologia vel figura dictionis, etc., si non sumat, quod nomen æquivocum significat unum, et quod sicut est similis dictio, sic est eadem res significata, etc., neque est syllogismus et elenchus simpliciter, neque respectu respondentis, cum neque ex propositionibus assumptis secundum se, neque prout conceduntur a respondente , sequatur ulla conclusio, sed solum videatur sequi; si autem sumatur nomen, quod vere est æquivocum, unum significare, simili dictioni respondere rem similem et ejusdem rationis, etc., tum licet simpliciter non sit elenchus neque syllogismus, quia nomen non significat unum, etc., adhuc respectu respondentis est syllogismus et redar-

gutio, quia ex propositionibus prout admissis a respondente sequitur conclusio illata et sequitur contradictorium ejus, quod respondens posuit.

CAPUT VIII

OSTENDITUR, IN DIALECTICA NON ESSE AGENDUM DE LOCIS PROPRIIS REDARGUTIONUM VERARUM VEL FALSARUM, SED SOLUM DE LOCIS COMMUNIBUS

1. [9] Ex quot autem locis redarguantur, qui elenchis redarguuntur, non est tentandum sumere sine rerum omnium scientia. Hoc autem nullius est artis proprium. Infinitæ enim fortasse sunt scientiæ, proinde et demonstrationes. Elenchi autem sunt etiam veri. Nam quæcumque licet demonstrare, licebit etiam eum redarguere, qui thesim veritati contradicentem posuerit. Verbi gratia, si diametrum posuerit habere communem mensuram, redarguere eum quispiam potest, demonstrans non habere communem mensuram. Quare omnium rerum scientiam habere oportebit. Alii namque elenchi erunt ex geometricis principiis et horum conclusionibus, alii ex principiis medicis, alii ex principiis aliarum scientiarum.

2. Sed et falsi elenchi æque sunt infiniti, quoniam in unaquaque arte est falsus syllogimus, ut in Geometria geometricus et in Medicina medicus. Dico autem esse in arte, quod est secundum illius principia.

1. Explicatis locis communibus, ex quibus possunt fieri syllogismi sophistici ac sophisticæ redargutiones, quia posset aliquis petere, ut etiam explicarentur loca propria, ideo Aristoteles docet ac probat in Dialectica non esse assignanda loca propria, sed solum loca communia syllogismorum atque elenchorum tum verorum tum falsorum; loca vero propria non esse tradenda in Dialectica, sed in specialibus scientiis atque artibus, ex. gr., loca geometrica esse explicanda in Geometria, loca medicinalia in Medicina, etc. — Probatur, quia ad nullam artem, quæ sit specialis et una, spectat assignare loca, ad quæ assignanda requiritur, ut sciantur omnia, quæ sunt; cum enim entia sint pæne infinita, ad scienda omnia entia requiruntur infinitæ pæne scientiæ et infinitæ demonstrationes, per quas comparatur scientia conclusionum; sed ad assignanda loca propria syllogismorum atque elenchorum tum verorum tum falsorum, requiritur, ut omnia sciantur : ergo non spectat ad ullam artem specialem et unam assignare loca propria; ergo neque ad Dialecticam, quæ est ars specialis et una. — Probatur minor, et *primo* quoad primam partem, quod nimirum ad assignanda loca propria verorum elenchorum debeant sciri omnia. Omnis demonstratio conclusionis veræ est elenchus ejus, qui poneret contradictorium talis propositionis; ex. gr., si quis poneret diametrum quadrati esse commensurabilem costæ, redarguitur per demonstrationem, per quam ostenditur, diametrum esse incommensurabilem, adeoque demonstratio probans, diametrum esse incommensurabilem, est verus elenchus dicentis, diametrum esse commensurabilem; ergo ut quis sciat loca propria ad redarguendum eum, qui dicit diametrum esse commensurabilem, debet scire ea, ex quibus demonstratur diametrum esse incommensurabilem; ergo ut sciat loca propria ad vere redarguendas omnes positiones falsas, debet scire omnes demonstrationes, quibus probantur omnes conclusiones veræ, adeoque debet omnia scire et habere omnes scientias; ex. gr., ut sciat loca ad redarguenda falsa opposita conclusionibus geometricis, debet scire omnes demonstrationes geometricas; ut sciat loca ad redarguenda falsa opposita conclusionibus medicinalibus, debet scire omnes demonstrationes medicinales; idemque dic de reliquis disciplinis.

2. Probatur jam *sècunda* pars minoris, quod etiam ad scienda loca propria omnium falsorum elenchorum, debeant omnia sciri et haberi omnes scientiæ. Falsi enim elenchi proprii alicujus facultatis sunt, qui procedunt ex principiis vel conclusionibus talis facultatis ad redarguendum aliquod verum positum in ea facultate ; ergo ad sciendos locos proprios falsorum elenchorum debent sciri omnia principia et omnes conclusiones omnium disciplinarum et facultatum, adeoque debent omnia sciri et haberi omnes scientiæ.

3. Patet igitur non omnium elenchorum, sed eorum tantum qui ad Dialecticam pertinent, locos sumendos esse, hi namque communes sunt omnibus artibus et facultatibus. Sane elenchus qui in quaque scientia cernitur, essene videatur an revera sit, et quamobrem, dispicere ad scientem pertinent. Qui vero ex communibus sumitur nec sub ullam artem cadit, ad dialecticum spectat. Nam si tenemus ex quibus probabiles syllogismi de qualibet re fiant, tenemus etiam ex quibus probabiles elenchi fiant. Elenchus enim est contradictionis syllogismus; quare aut unus

aut duo syllogismi contradictionis elenchus est. Tenemus igitur ex quot locis ducantur, qui sunt hujusmodi. Quod si hoc tenemus, etiam solutiones tenemus, quoniam horum objectiones solutiones sunt. Tenemus autem ex quot locis fiant qui videntur elenchi. Videntur, inquam, non cuivis, sed certis quibusdam; infiniti enim loci sunt, si quis consideret: ex quibus videantur quibuslibet. Itaque perspicuum est dialectici esse, ut sumere possit ex quibus per communes propositiones fiat qui elenchus est videturve elenchus, vel dialecticus vel qui videtur dialecticus vel pirasticus.

3. Cum igitur ad Dialecticam non spectet assignare loca propria, sequitur, quod debeat solum assignare loca communia verorum et falsorum syllogismorum et elenchorum, quæ loca possunt applicari omnibus disciplinis et facultatibus; loca vero propria tum vera, per quæ fit verus elenchus, tum falsa, per quæ fit falsus et apparens elenchus, debent assignari a specialibus facultatibus, ac debent etiam explicari causæ, propter quas ex quibusdam locis fit verus elenchus, ex quibusdam fit elenchus apparens; speciales vero facultates loca communia debent relinquere Dialecticæ, ut ab illa tradantur. Munus igitur Dialecticæ est, ut tradat loca communia, ex quibus fiunt syllogismi probabiles, et quia ex iisdem locis, ex quibus fiunt syllogismi probabiles, possunt etiam fieri probabiles elenchi ad redarguendas positiones contradictorias iis, quæ probantur per tales syllogismos probabiles, ideo est etiam munus Dialecticæ, ut tradat loca, ex quibus fiunt elenchi probabiles. Elenchus igitur est vel unus syllogismus probans conclusionem contradictoriam ei, quam ponit adversarius, vel si nullam ponat, elenchus consistit in duobus syllogismis, per quorum unum probetur una pars contradictionis, per alterum alia pars contradictionis. Sicut vero Dialectica assignat loca ad faciendos syllogismos probabiles; et ad instandum contra propositiones syllogismorum probabilium, sic assignat loca solvendi syllogismos probabiles. Solvuntur enim instando contra propositiones universales et ostendendo probabiliter, quod non sunt universaliter veræ. Ad Sophisticam, quæ est pars Dialecticæ, spectat assignare loca, ex quibus fiunt syllogismi apparentes, non quidem huic et illi singulari (hoc enim est infinitum, cum infinitis singularibus infinita appareant), sed hominibus sic affectis et etiam explicare causas talis apparentiæ, ac proinde solutiones, per quas solvuntur syllogismi apparentes; qui enim scit, cur appareat, scit solvere; ergo ad Dialecticam, in quantum comprehendit sub se Sophisticam, spectat assignare loca, ex quibus fiunt syllogismi et elenchi vel solum apparenter probabiles ac dialectici, vel vere probabiles ac dialectici.

CAPUT IX

OSTENDITUR, MALAM ESSE DIVISIONEM, PER QUAM RATIOCINATIONES SOPHISTICÆ DIVIDUNTUR IN EAS, QUÆ SUNT AD NOMEN ET IN EAS, QUÆ SUNT AD INTELLECTUM.

1. [10] Non est autem argumentationum differentia, quam nonnulli dicunt, quasdam argumentationes ad nomen, alias ad sententiam pertinere; quippe absurdum est existimare, quasdam argumentationes ad nomen pertinere, diversas autem ad sententiam, non easdem.

2. Quid enim aliud est non pertinere disputationem ad sententiam, nisi cum is qui argumentatur, non utitur nomine in ea significatione, in qua se interrogari putans concessit is, qui fuit interrogatus? Sed hoc ipsum et ad nomen pertinet. Ad sententiam vero, cum in qua significatione respondens concesserit, opponens intellexit.

3. Si quis igitur, cum nomen plura significet, unam significationem habere putet, hoc est et qui interrogat et qui interrogatur (ut fortasse ens et unum multa significant; sed et respondens et interrogans, Zeno scilicet, unam significationem esse putantes, hic interrogavit, ille respondit; atque est argumentatio omnia unum esse concludens hæc disputatio et ad nomen spectat et ad sententiam interrogati. Si quis autem multis modis accipi putet, sine dubio disputatio non pertinet ad sententiam.

1. Quia per veritatem possunt everti errores contrarii, Aristoteles postquam tradidit veram doctrinam circa sophisticas ratiocinationes et elenchos et eorum divisionem, rejicit errorem antiquorum, qui dixerunt sophisticas ratiocinationes dividi in eas, quæ sunt ad nomen, et in eas, quæ sunt ad sententiam sive intellectum. Hæc divisio, ut Aristoteles docet, est mala. Supponit enim, quod aliæ ratiocinationes sint ad nomen, aliæ ad sententiam, cum tamen ut infra probabitur, possint eædem ratiocinationes sophisticæ esse tum ad nomen, tum ad sententiam. Ut igitur hanc divisionem rejiciat Aristoteles, *primo* explicat terminos et declarat, quid sit argumentatio non ad senten-

tiam, sed ad nomen, quid argumentatio ad sententiam, et ostendit eamdem argumentationem respectu aliquorum disputantium posse esse ad nomen, respectu aliorum ad sententiam; *secundo* affert contra dictam divisionem octo rationes; *tertio* docet et probat arguentem, cum utitur nominibus ambiguis, non debere, saltem regulariter, distinguere varias significationes talium nominum.

2. *Quoad primum :* disputare non ad sententiam nihil aliud est, quam quod, qui arguit, non sumat nomen in ea significatione, in qua tale nomen sumpsit respondens, dum interrogatus concessit aliquam propositionem; sed eo ipso, quod quis disputat non ad sententiam, disputat ad nomen, alioquin posset quis disputare neque ad nomen neque ad sententiam quod est contra adversarios, qui dicunt omnem disputationem esse vel ad nomen vel ad sententiam; ergo etiam disputare ad nomen est sumere nomen in alia significatione ac id sumpserit respondens, dum aliquam propositionem admisit; disputare vero ad sententiam est sumere nomen in ea significatione, in qua nomen sumpsit respondens, dum propositionem aliquam admisit.

3. Ex hac descriptione disputationis ad nomen et ad sententiam infertur, quod eadem argumentatio, quæ respectu aliquorum disputantium est ad sententiam, respectu aliorum non est ad sententiam, sed solum ad nomen; ex. gr., eadem argumentatio, qua Melissus probabat omnia esse unum, respectu Zenonis, qui conveniebat cum Melisso in hoc, quod ens et unum haberent unam tantum significationem, fuisset ad sententiam, quia Zeno et Melissus convenissent in significatione nominum *entis et unius*, ex quibus conficitur talis argumentatio; at eadem argumentatio respectu alicujus Peripatetici censentis, quod ens et unum dicantur multipliciter, fuisset non ad sententiam, sed solum ad nomen.

4. Primum enim illud pertinere ad nomen et ad sententiam in iis argumentationibus cernitur, quæ multas habent significationes.

5. Deinde in quocumque respondente locum habet; nam illud « pertinere ad sententiam» non consistit in argumentatione, sed in eo quod respondens certo modo affectus est ad ea quæ conceduntur.

6. Deinde eædem pertinere omnes possunt ad nomen, quoniam pertinere ad nomen in præsentia nihil aliud est quam non pertinere ad sententiam. Nisi enim omnes huc referri possint, erunt aliquæ aliæ, quæ nec ad nomen nec ad sententiam pertinebunt;

7. illi autem aiunt ad alterum horum generum omnes argumentationes referri, ac ita dividunt, ut dicant pertinere omnes vel ad nomen vel ad sententiam, alias autem præter has non esse. Atqui ex iis syllogismis qui ex multiplici significatione ducuntur, quidam non ex nomine sumuntur. Absurde namque dictum est ad nomen pertinere omnes captiones quæ ex dictione oriuntur. Sed certe sunt quidam paralogismi non eo quod respondens sit ad hos certo modo affectus, sed quod ipsa argumentatio continet interrogationem talem, id est multa significantem.

4. *Quoad secundum* probat Aristoteles octo rationibus malam esse divisionem argumentationum in eas, quæ sunt ad nomen et in eas, quæ sunt ad sententiam. Prima ratio est: eadem argumentatio respectu aliquorum disputantium est ad sententiam, respectu aliorum non est ad sententiam, sed solum ad nomen, ut jam explicatum est de argumentatione Melissi; ergo membra divisionis non adæquate distinguuntur, adeoque mala est divisio.

5. Secunda ratio est : universim omnis argumentatio potest esse ad sententiam vel non ad sententiam; ergo, etc. Probatur antecedens, quia hoc, quod est *esse ad sententiam* vel *non esse ad sententiam*, pendet ab eo, quod respondens propositiones concessas intelligat uno vel alio modo; sed accidit, ut easdem propositiones respondens intelligat in uno sensu vel in altero; ergo accidit, ut eadem argumentatio sit ad sententiam vel non sit ad sententiam; ergo *esse ad sententiam* vel *non esse ad sententiam* non est differentia essentialis, sed solum accidentalis argumentationis, siquidem accidit, ut sic vel sic intelligatur, adeoque divisio est mala.

6. Tertia ratio est : omnes argumentationes, etiam quæ maxime dicuntur pertinere ad sententiam, possunt non intelligi a respondente in sensu, in quo proponuntur ab arguente, adeoque possunt non pertinere ad sententiam; sed si non pertinent ad sententiam, eo ipso pertinent ad nomen; ergo, etc. Probatur minor; adversarii enim dicunt omnes argumentationes vel pertinere ad nomen vel ad sententiam; ergo eo ipso, quod non spectant ad sententiam, spectant ad nomen; alioquin divisio non esset adæquata, et daretur medium inter membra divisionis.

7. Quarta ratio est : isti auctores dicunt omnes fallacias dictionis esse ad nomen tantum, non ad sententiam; sed hoc est falsum; ergo, etc. Probatur minor ; fallaciæ enim fundatæ in eo, quod nomen vel oratio dicatur multipliciter, possunt non esse ad nomen; sed istæ sunt fallaciæ dictionis; ergo non omnes fallaciæ dictionis sunt ad nomen. Probatur major ; fallaciæ enim dictionis sunt, cum nomina sumuntur in diverso sensu ab arguente, ac sumantur a respondente ; sed multæ argumentationes fundatæ in æquivocatione sunt fallaces præcise, quia nomen vel oratio significant plura antecedenter ad hoc, quod ab arguente sumantur in una vel alia significatione; ex. gr., hæc argumentatio : *omnis canis latrat*; *aliquis piscis est canis*; *ergo aliquis piscis latrat*, est fallax, quia nomen canis sumitur multipliciter in ipsa argumentatione, non quia sumitur in diverso sensu ab arguente, ac sumatur a respondente.

8. Et omnino absurdum est, de elencho statim disserere nec prius de syllogismo. Nam elenchus est syllogismus; quare etiam oportet prius de syllogismo quam de falso elencho dispicere. Nam ejusmodi elenchus est fucatus syllogismus contradictionis. Idcirco vel in syllogismo est captionis causa, vel in contradictione (si quidem adjungere contradictionem oportet), quandoque in utrisque, si sit fucatus elenchus. Est autem causa hujus captionis σιγῶντα λέγειν, in contradictione, non in syllogismo; hujus autem, quæ quis non habet, dare potest, in utrisque; hujus autem, Homeri poesim esse figuram, quia sit circulus, in syllogismo. Qui vero in neutro peccat, verus est syllogismus.

9. Sed ut eo revertamur, unde oratio profecta est, argumentationes mathematicæ ad sententiamne pertinent an non? Ac si cui triangulum multa videatur significare, ac de eo concesserit, non quatenus est figura, de qua concluditur, quod ejus anguli sint duo recti, estne ad illius sententiam hæc disputatio an non?

8. Quinta ratio est : inconvenienter agitur de specie, nisi prius actum sit de genere; sed elenchus est species syllogismi, cum sit syllogismus contradictionis ; ergo inconvenienter antiqui egerunt de elencho, cum non egerint de syllogismo, et inconvenienter non præmissa explicatione syllogismi, elenchum fallacem diviserunt in eum, qui est ad nomen, et in eum, qui est ad sententiam sive intellectum. Debuit igitur præmitti explicatio syllogismi, ac debuit dici, quod elenchus supra syllogismum addit hoc, ut sit syllogismus contradictionis, et quod syllogismus fallax, vel ex eo est fallax, quia videtur syllogismus, cum non sit, vel quia licet sit syllogismus, videtur concludere contradictionem, cum non concludat contradictionem, vel ex utroque capite. Exemplum elenchi, qui peccat solum, quia videtur concludere contradictionem, cum non concludat contradictionem, est : interrogat sophista, an possibile sit tacentem loqui ? Negat respondens; arguit sophista : *possibile est loqui Socratem; Socrates est tacens; ergo possibile est loqui tacentem*. Hic elenchus peccat, non quia non concludat, sed quia non concludit contradictionem. Respondens enim negavit possibile esse tacentem loqui active, ita ut ipse tacens simul loquatur; sed elenchus probat solum possibile esse loqui tacentem passive, ita ut tacens sit is, de quo alius loquitur; ergo elenchus non probat contradictionem negati, adeoque est fallax, non quia non concludat, sed quia non concludit contradictionem. Exemplum elenchi, qui peccat, quia nec est syllogismus nec concludit contradictionem est : interrogat sophista, an possit quis dare, quod non habet. Negat respondens; arguit sophista : *avarus dat pecuniam moleste; avarus non habet pecuniam moleste; ergo avarus dat quod non habet*. Hic elenchus peccat primo, quia non est syllogismus ; non enim sequitur conclusio illata, quod avarus det, quod non habet, sed solum, quod det eo modo, quo non habet, siquidem dat moleste, cum non habeat moleste; si vero hoc concludatur, non est elenchus, quia huic, quod est : *non potest quis dare quod non habet*, non contradicit hoc, quod est : *potest aliquis dare modo, quo non habet*. Exemplum elenchi, qui peccat solum, quia videtur concludere et non concludit, est : interrogat sophista, an aliquod poema Homeri sit figura. Negat respondens; arguit sophista : *omnis circulus est figura*; *aliquod poema Homeri est circulus ; ergo aliquod poema Homeri est figura*. Hic elenchus peccat, quia videtur concludere, cum non concludat. Nam in majori nomine circuli intelligitur circulus mathematicus, in minori nomine circuli intelligitur genus carminis, adeoque cum medium sumatur æquivoce, nihil sequitur.

9. Regrediens Aristoteles ad impugnandam sententiam antiquorum, propo-

nit contra illam sextam rationem, quæ est; videntur docere, qui utuntur allata divisione, quod omnes argumentationes ad nomen et non ad sententiam sunt sophisticæ. Contra hoc est, quia cum quis in mathematicis demonstrat triangulum habere tres angulos æquales duobus rectis, potest contingere, ut respondens putans triangulum non significare rationem communem trianguli, sed vel triangulum æquilaterum vel isoscelem vel scalenum, intelligat demonstrationem solum de una specie trianguli, puta de isoscele; ergo tum argumentum non erit ad sententiam, sed ad nomen, et tamen non erit sophisticum; ergo non est verum, quod omnis demonstratio ad nomen sit sophistica.

10. Præterea si nomen multa significat, hic vero nec intelligit nec putat multiplicem esse significationem, quommodo hæc disputatio non spectat ad sententiam? Aut quo tandem modo interrogare oportet, nisi ut eum qui divisionem concessit, postea interroget aliquis, verumne sit σιγῶντα λέγειν necne, an partim non sit partim sit. Si quis igitur concesserit nullo modo, contra autem alius disputaverit, nonne erit adversus sententiam disputatum? Atqui hæc disputatio videtur ad eas referenda, quæ ex nomine oriuntur.

11. Non est igitur proprium quoddam genus argumentationum, quod ad sententiam pertinet. Sed quædam ad nomen spectant. Nec tales sunt omnes, non dico, qui sunt veri elenchi, sed ne qui videntur quidem elenchi; sunt enim et qui extra dictionem elenchi videntur; ut qui ducitur ex accidente, et alii nonnulli.

10. Septima ratio est; potest contingere, ut quis utatur nomine vel oratione ambigua et multiplici, respondens vero putans nomen et orationem unum significare, admittat, quod dicitur, ut verum in omni sensu; in hoc casu argumentatio erit ad sententiam; sed adhuc erit fallax fallacia dictionis, antiqui vero dicebant omnes fallacias dictionis esse argumentationes ad nomen; ergo doctrina antiquorum est falsa ac sibi ipsi repugnans.

11. Octava et ultima ratio est; ex una parte omnes argumentationes possunt esse ad nomen, ut etiam de mathematicis ostensum est num. 9, ex alia parte per adversarios non omnes argumentationes possunt esse ad nomen, sed solum fallaces fallacia dictionis, veri autem elenchi et fallaciæ extra dictionem non possunt reduci ad nomen; ergo doctrina adversariorum est repugnans.

12. Quod si quis putet distingui hoc modo oportere, aio σιγῶντα λέγειν, partim hoc partim illo modo, primum quidem absurda est hæc opinio, quia quod interrogatur, interdum non videtur multis modis accipi; non potest autem quis dividere quod non putat esse multiplex. Deinde docere quid aliud erit? Nam declarabit quomodo res habeat, ei qui neque considerabat neque sciebat neque suspicabatur aliter accipi. Nam et in his quæ non sunt duplicia, quid vetat hoc facere? veluti suntne æquales unitates binarii in quaternario? Binarii vero partim hoc partim illo modo insunt. Et contrariorum estne una scientia an non? Contrariorum autem alia sunt cognita alia ignota. Quapropter videtur ignorare qui hoc putat, aliud esse docere quam disserere; et opus esse ut docens non interroget, sed ipse declaret, is autem qui disputat, interroget.

12. *Quoad tertium*: quia ne fiat disputatio ad nomen, conducit, ut distinguantur variæ significationes nominis, posset aliquis putare arguentem debere distinguere varias significationes nominum multiplicium. Hanc opinionem rejiciens Aristoteles probat *tribus rationibus*, quod arguens, saltem regulariter, non debet distinguere nomina multiplicia. *Prima* ratio est; sæpe arguens non advertit nomen vel orationem dici multipliciter; ergo tum non debet nec potest distinguere significationes, quas ignorat. *Secunda* ratio est; non est officium arguentis docere respondentem, sed contra illum opponere; sed si deberet distinguere significationes nominum, deberet docere; ergo, etc. *Tertia* ratio est; etiam nomina, quæ non dicuntur multipliciter, possunt dividi; ergo si deberet arguens dividere nomina, quæ dicuntur multipliciter, cur non deberet etiam dividere nomina, quæ non dicuntur multipliciter? Sed hæc non debet dividere; ergo nec illa. — Probatur et explicatur prima consequentia et antecedens assumptum; deberet ex. gr., interrogans, an tot in quaternario sint binarii, quot unitates, dividere binaria, dicens, quod aliqua sunt communicantia, aliqua non communicantia; rursus interrogans, an contrariorum sit una disciplina, deberet addere, quod contraria aliqua sunt nota, alia ignota; sed manifestum est, quod si deberet arguens afferre has divisiones, deberet fungi munere docentis; ergo qui putant arguentem debere præmittere divisiones nominum, videntur ignorare, quod aliud est munus arguentis, aliud docentis, et quod docens non debet in-

terrogare, sed explicare ac manifesta facere, quæ docet, argumentans e converso debet interrogare, non autem explicare.

CAPUT X

DE DIFFERENTIA INTER ELENCHOS DEMONSTRATIVOS, PSEUDOGRAPHOS, DIALECTICOS, TENTATIVOS, SOPHISTICOS ET CONTENTIOSOS.

1. [11] Ad hæc, postulare ut affirmetur vel negetur, non est demonstrantis sed periculum facientis. Nam pirastice est Dialecticæ pars; ideoque de omnibus dispicit, atque examinat non eum qui scit, sed eum qui ignorat et scire se fingit.

2. Qui igitur re vera considerat communia, dialecticus est; qui vero hoc facere videtur, sophista.

3. Porro syllogismus litigiosus et sophisticus est in duplici differentia. Unus enim est, qui videtur syllogismus de iis in quibus Dialectica pirastice versatur, etiamsi vera sit conclusio, quia in causa tradenda fallit. In altero genere sunt paralogismi, qui cum non sint secundum cujusque rei methodum, tamen videntur secundum artem esse.

4. Nam falsæ descriptiones non sunt litigiosæ, quia sunt paralogismi secundum ea quæ arti subjiciuntur, ne tum quidem si quæ sit falsa descriptio pertinens ad veram conclusionem, ut falsa descriptio Hippocratis, et tetragonismus, qui per lunulas fit. Sed ut Bryso quadravit circulum, etiamsi circulus quadretur, quia tamen non est secundum rem, ideo est sophisticus.

Quia Aristoteles in fine capitis præcedentis docuit eos, qui exigunt, ut arguens, cum utitur nomine vel oratione plura significante, explicet varias significationes nominis vel orationis, errare, quia non distinguunt, quod sit munus docentis seu demonstrantis, et quod sit munus opponentis sive arguentis ad experimentum sumendum de doctrina respondentis, ideo, ut id melius pateat, confert inter se demonstrantem, pseudographum, dialecticum, tentativum, sophisticum et contentiosum, et explicat quædam eorum discrimina ac munera atque etiam discrimina elenchorum, quibus utuntur, qui elenchi sunt demonstrativus, pseudographus, dialecticus, tentativus, sophisticus et contentiosus. — *Primo* igitur explicat discrimen inter docentem seu demonstrantem et dialecticum tentantem seu experimentum sumentem de scientia respondentis; *secundo* explicat discrimen inter dialecticum et sophistam; *tertio* proposita duplici specie syllogismi sophistici, distinguit syllogismum sophisticum a pseudographo; *quarto* distinguit syllogismos contentiosos seu litigiosos ab iis, qui proprie vocantur sophistici; *quinto* demum explicat proportionem inter syllogismum geometricum seu demonstrativum et pseudographum ex una parte et inter syllogismum dialecticum et litigiosum ex altera.

1. *Quoad primum;* quia docens seu demonstrans argumentatur causa docendi, dialecticus vero, in quantum est tentativus, argumentatur causa sumendi experimentum de scientia respondentis, ideo diverso modo debent proponere, quæ assumunt. Dialecticus enim, ut faciat experimentum, non debet sumere illam partem contradictionis, quæ est vera, sed debet interrogare, utra pars contradictionis sit vera, ut sic exploret, an respondens discernat verum a falso; at docens ac demonstrans debet sumere partem veram sine interrogatione. Dialectica igitur debet omnia considerare et speculari, ut possit de omnibus interrogando experimentum sumere de scientia respondentis.

2. *Quoad secundum;* dialecticus et sophista conveniunt in hoc, quod uterque agit de omnibus per quædam communia, at differunt, quod dialecticus syllogizat probabiliter de omnibus, sophista vero, cum non syllogizet probabiliter, videtur syllogizare probabiliter.

3. *Quoad tertium;* syllogismi sophistici seu litigiosi sunt in duplici genere. In primo genere sunt, qui cum non sint syllogismi neque concludant, videntur concludere et esse syllogismi. Fiunt autem tales paralogismi peccantes in forma circa communia, circa quæ Dialectica probabiliter syllogizat ad sumendum experimentum de doctrina respondentis. Præterea tales syllogismi apparentes fiunt etiam circa conclusionem veram. Licet enim tum non fallant circa conclusionem, fallunt circa *propter quid* conclusionis, cum videantur concludere conclusionem veram ex præmissis, ex quibus illa non sequitur. In secundo genere sunt paralogismi, qui licet non peccent in forma, adhuc peccant in materia, et licet non assumant propria scientiarum, assumunt quædam communia, quæ videntur probabilia et vera, adeoque videntur ex arte Dialecticæ, cum non sint probabilia neque vera, adeoque non sint ex arte Dialecticæ.

4. Hinc patet discrimen inter syllogismos litigiosos et pseudographos. Litigiosi sunt, qui non procedunt ex propriis artium, sed solum ex communibus; pseudographi sunt, qui procedunt ex propriis artium. Porro paralogismi procedentes ex propriis sunt pseudographi seu concludant verum seu concludant falsum; ex. gr., syllogismus, quo Hippocrates Chius conatus est demonstrare quadraturam circuli per quadraturam lunularum, licet tenderet ad concludendam conclusionem veram (circulus siquidem potest quadrari) adhuc est pseudographus. Ratio est, quia licet procedat ex principiis propriis Geometriæ, adhuc videtur concludere quadraturam, sed non concludit; sed syllogismus pseudographus est, qui procedit ex propriis, sed non concludit; ergo. E converso syllogismus, quo Bryso conatus est demonstrare quadraturam circuli sic : *quod potest esse majus et minus aliquo, potest etiam esse æquale illi; sed potest esse circulus major quadrato, utpote includens quadratum, et circulus minor quadrato, utpote inclusus in quadrato : ergo potest dari circulus æqualis quadrato;* talis inquam syllogismus non est pseudographus, sed sophisticus. Ratio est, quia syllogismus procedens non ex principiis propriis, sed ex communibus, si sit vitiosus, non est pseudographus, sed sophisticus; sed talis syllogismus procedit non ex principiis propriis, sed ex communibus; illud enim principium : *in quo datur majus et minus, datur æquale,* est commune etiam materiæ non geometricæ, et est falsus, quia angulus semicirculi potest esse major vel minor angulo rectilineo, et tamen non potest esse æqualis ipsi, ut demonstrat Euclides lib. III, pr. 16; ergo, etc.

5. Quare et qui de his videtur syllogismus, est argumentatio litigiosa; et qui videtur secundum rem syllogismus, quamvis sit syllogismus, est litigiosa argumentatio, quia videtur secundum rem esse ; proinde est fallax et injustus. Ut enim enim injustitia, quæ in certamine committitur, speciem quamdam æquitatis habet et est injusta quædam pugna, sic studiosa contradictio est injusta pugna litigiosa. Nam et illic, qui omnino vincere præeligunt, omnia tentant; et hic, qui sunt contentiosi.

6. Et ii quidem qui ipsius victoriæ gratia tales sunt, litigiosi homines et litium amatores esse videntur, qui vero gloriæ causa ad lucrum conducentis, sophistæ; est enim Sophistice, ut supra diximus, facultas quædam lucrum captans ex ea, quæ videtur sapientia. Idcirco fucatam demonstrationem expetunt.

7. Et iisdem argumentationibus utuntur litigiosi et sophistæ, non tamen eorumdem finium gratia.

8. Eademque argumentatio erit et sophistica et ligitiosa, sed non eadem ratione, verum qua victoriæ fucatæ causa adhibetur, litigiosa est; qua vero ut sapientiæ opinio comparetur, sophistica. Etenim Sophistice est sapientia quædam, quæ videtur, cum non sit.

5. *Quoad quartum* explicat jam Aristoteles discrimen inter syllogismum contentiosum seu litigiosum et inter eum, qui nomine generis dicitur sophisticus. Conveniunt in hoc, quod uterque vel videtur syllogismus et non est, vel procedit ex iis, quæ videntur probabilia et non sunt, ideoque vel peccat ratione formæ vel peccat ratione materiæ. Syllogismus igitur contentiosus est fallax et injustus. Ratio est, quia sicut in certaminibus injustus est, qui conatur, ut videatur vicisse, licet non vicerit, sic in contentiosa disputatione, quæ fit gratia victoriæ et gratia redarguendi adversarium, injustus est, qui conatur, ut videatur vicisse adversarium illumque ad contradictionem compulisse, cum non compulerit. Quemadmodum igitur in certaminibus quidam pugnant injuste, quia volunt omnino haberi ut victores, licet non sint, sic in disputationibus.

6. Licet sophistæ et contentiosi conveniant in his, adhuc disconveniunt in fine. Contentiosi enim sunt, qui syllogizant apparenter gratia victoriæ. Sophistæ sunt, qui syllogizant apparenter, ut videantur sapientes et ut ex apparente sapientia pecunias comparent. Sophistica enim est, quæ aucupatur pecunias ex apparente sapientia, ideoque sicut sapientia demonstrat vere, sic Sophistica demonstrat apparenter.

7. Ex his infertur *primo,* quod contentiosi et sophistæ possunt uti iisdem ratiocinationibus apparentibus, sed ex diverso fine. Contentiosi enim iis utuntur gratia victoriæ, sophistæ gratia gloriæ et lucri ex apparente sapientia.

8. Infertur *secundo,* easdem ratiocinationes respectu unius posse esse contentiosos, respectu alterius sophisticas, si ab uno afferantur gratia victoriæ, ab alio gratia gloriæ et lucri.

9. Litigiosus autem est quodammodo sic affectus ad dialecticum ut pseudographu

ad geometricum. Nam litigiosus ex iis vitiose, concludit in quibus versatur Dialectica, quomodo et pseudographus affectus est ad geometram. Sed hic quidem non est litigiosus, quia ex principiis et conclusionibus arti subjectis falso describit; eum vero qui Dialecticæ subjicitur, quod ad alia litigiosum esse constat. Exempli causa, quadratio circuli, quæ per lunulas fit, non est litigiosa, Brysonis autem quadratio est litigiosa. Et illam quidem referre non licet nisi ad Geometriam tantum, quoniam est ex principiis propriis Geometriæ; hanc vero adversus multos transferre licet, qui scilicet non norunt quid in quaque re fieri possit et quid fieri non possit, quia congruet. Vel ut Antiphon quadravit, vel si quis neget melius esse post cœnam deambulare propter Zenonis rationem; non est ratio geometrica, quia est communis. Si igitur eodem plane modo affectus est litigiosus ad dialecticum, quo pseudographus ad geometram, non erit in illis litigiosus.

9. *Quoad quintum* docet Aristoteles, quod sicut se habet syllogismus pseudographus ad geometricum seu scientificum, ita se habet syllogismus contentiosus seu sophisticus ad dialecticum. Syllogismus geometricus et pseudographus conveniunt in hoc, quod uterque procedit ex principiis propriis Geometriæ vel alterius scientiæ; differunt in hoc, quod geometricus procedit ex veris et concludit, pseudographus vel non procedit ex veris vel non concludit. Proportionaliter syllogismus dialecticus et sophisticus seu contentiosus conveniunt in hoc, quod procedunt ex communibus; differunt in hoc, quod dialecticus procedit ex probabilibus et concludit, sophisticus seu contentiosus vel procedit ex iis, quæ videntur probabilia et non sunt probabilia, vel videtur concludere et non concludit. Conveniunt igitur syllogismus pseudographus et contentiosus in hoc, quod uterque est solum apparens; differunt, quod pseudographus procedit ex propriis alicujus scientiæ, contentiosus ex communibus Dialecticæ. Ideo syllogismus probans quadraturam circuli per lunulas, est quidem pseudographus, sed non est contentiosus. E converso syllogismus Bryssonis allatus num. 4, non est pseudographus, sed contentiosus. Quia paralogismus ex lunulis procedit ex propriis Geometriæ, non potest applicari alteri materiæ, quam geometricæ. E converso paralogismus Bryssonis, quia procedit ex communibus, potest etiam applicari aliis materiis. Jam qui non advertit, an in materia, de qua agitur, sit possibile vel impossibile, ut, si detur magis et minus, detur æquale, potest cogi ad concedendum aliquid impossibile in tali materia; ex. gr., in materia numeri potest deduci ad concedendum, quod, cum detur numerus impar major senario et cum detur numerus impar minor senario, detur etiam numerus impar æqualis senario. Esset etiam paralogismus non pseudographus, sed sophisticus, si quis argueret contra conclusionem medicam, quod bonum est ambulare post cœnam, ex eo, quia ambulatio et omnis motus est impossibilis propter rationem Zenonis. Non enim procederet ex principiis medicinalibus, sed ex communibus.

10. Concludit Aristoteles, quod syllogismus contentiosus non est pseudographus propter discrimen assignatum.

CAPUT XI

OSTENDITUR DIALECTICAM, TENTATIVAM ET SOPHISTICAM NON VERSARI CIRCA GENUS DETERMINATUM NEQUE CIRCA DETERMINATAM PARTEM CONTRADICTIONIS.

1. Jam vero non versatur dialecticus in genere aliquo definito, nec est comparatus ad quidpiam demonstrandum; nec est talis qualis universalis philosophus, quia nec sunt omnia in uno aliquo genere,

2. nec si essent, fieri posset ut res omnes sub iisdem principiis continerentur.

3. Quocirca nulla earum, artium quæ naturam aliquam demonstrant, percontatrix est, quia non potest utravis pars contradictionis concedi; syllogismus enim ex utrisque non fit. Dialectica vero est percontatrix.

4. Quæ si demonstraret, etsi non omnia,

5. at certe prima pronuntiata et propria principia non rogaret; nam adversario non concedente non haberet amplius, ex quibus adversus objectionem dissereret.

Ut magis Aristoteles explicet naturam Dialecticæ, Tentativæ et Sophisticæ earumque differentiam a scientiis demonstrativis, probat *primo* Dialecticam non versari circa determinatum genus, sed vagari per omnia genera, neque circa determinatam partem contradictionis, sed circa utramlibet, ac per hoc differre a scientiis demonstrativis; *secundo* ostendit idem de Tentativa; *tertio* probat etiam Sophisticam procedere ex communibus ac per hoc differre a pseudographia.

1. *Quoad primum* : differentia Dialecticæ a scientiis particularibus est, quod particulares scientiæ versantur circa ali-

quod subjectum genus determinatum ac demonstrant proprietates talis subjecti; e converso Dialectica non versatur circa genus determinatum, sed circa omnia genera. Licet autem etiam Metaphysica, quæ est scientia universalis, non versetur circa genus determinatum, sed circa ens ut ens, quod complectitur omnia genera, adhuc Dialectica differt a Metaphysica, *primo*, quia Metaphysica demonstrat proprietates entis ut entis, Dialectica non demonstrat; *secundo*, quia Metaphysica agit solum de rationibus communibus, Dialectica descendit etiam ad rationes particulares.

2. Quod Dialectica non versetur circa genus aliquod determinatum, probatur primo, quia versatur circa omnia; sed omnia non conveniunt in ullo genere; licet enim conveniant in ratione entis, tamen ens non est genus : ergo, etc. — Quod Dialectica non demonstret proprietates, probatur, quia etiamsi omnia convenirent in ratione entis, tanquam in genere, adhuc differunt inter se in natura et essentia; sed quæ differunt in natura et essentia, non conveniunt in iisdem principiis et causis, per quas possunt demonstrari proprietates, Dialectica vero utitur iisdem principiis communibus ad syllogizandum de omnibus : ergo Dialectica non est demonstrativa proprietatum convenientium omnibus entibus.

3. Confirmatur primo, quia nulla facultas demonstrativa interrogat de conclusionibus et præmissis, ita ut parata sit probare utramlibet partem contradictionis et utramlibet assumere in præmissis; cum enim non possit demonstrari nisi verum et ex veris, scientiæ demonstrativæ assumunt ut conclusiones et præmissas illam tantum partem contradictionis, quæ est vera; sed Dialectica interrogat de conclusione et de præmissis et sumit illam partem contradictionis, quæ conceditur : ergo, etc.

4. Confirmatur secundo, quia si Dialectica demonstraret, cum agat de omnibus, demonstraret omnia, adeoque confunderetur cum omnibus scientiis.

5. Advertit tamen Aristoteles quod, licet Dialectica interroget, non tamen interrogat de omnibus, sed quædam hoc est principia communia, sumit sine interrogatione. Cum enim per principia communia probet reliqua, non potest ipsa probare, adeoque sumit sine interrogatione.

6. Sed eadem est etiam Pirastica. Nam Pirastice talis non est qualis Geometria, sed quam habere etiam indoctus aliquis possit. Fieri enim potest ut periculum faciat, qui rem non novit, de eo qui est æque imperitus, siquidem concedit, non ex quibus novit, nec ex propriis, sed ex consequentibus, quæ talia sunt ut qui ea norit, eum artem nescire nihil vetet, qui vero non norit, eum necesse sit artem ignorare. Quare perspicuum est, Pirasticen nullius definiti generis scientiam esse, ideoque in omnibus versari; omnes enim artes etiam communibus quibusdam utuntur. Idcirco omnes, etiam idiotæ, quodammodo utuntur Dialectica et Pirastica; omnes enim quadamtenus conantur judicium ferre de iis qui aliquid profitentur. Hæc vero sunt communia, quoniam hæc non minus hi sciunt, etiamsi valde extra rem loqui videantur. Redarguunt igitur omnes, quia sine arte sunt participes ejus, in quo Dialectica artificiose versatur; ac dialecticus is demum est, qui arte syllogistica est pirasticus.

6. *Quoad secundum* : etiam Tentativa, quæ experimentum sumit de scientia alterius, est pars Dialecticæ, adeoque non demonstrat, sed solum probabiliter syllogizat ex communibus et probabilibus. Neque enim hic loquimur de Tentativa scientifica, puta de Geometria, per quam quis sciens Geometriam interrogat alterum de propriis Geometriæ, ut exploret, an is vere sciat Geometriam; sed loquimur de Tentativa dialectica, quam qui scit, experimentum sumit de scientia alterius nescientis, interrogans, non quidem de propriis, sed de quibusdam communibus, quæ licet quis sciat, adhuc potest nescire disciplinam, quæ procedit ex propriis, si tamen quis nesciat, impossibile est, ut sciat talem disciplinam. Ex his infertur, etiam hanc Tentativam non versari circa genus determinatum, sed vagari circa omnia genera, cum sit ars experimentum sumendi de scientia circa omnia. Patet etiam, quod Tentativa non procedit ex propriis, sed ex quibusdam communibus, quibus utuntur omnes artes, et quæ si quis nesciat, eo ipso ignorat artem.

7. Confirmat Aristoteles, quod Dialectica et Tentativa sunt artes procedentes ex communibus; nam omnes, etiam indocti et illitterati conantur dijudicare de omnibus, an bene vel perperam dicantur, et experimentum sumere de scientia alterius, interrogantes et arguentes ex quibusdam communibus; ergo debet dari ars de omnibus judicandi et experimentum sumendi ex communibus : ergo præ-

ter scientias demonstrativas, debet dari Dialectica, quæ procedat probabiliter atque ex communibus.

8. Quoniam autem multa hæc sunt et in omnibus reperiuntur, non tamen sunt ejusmodi ut natura quadam et certo genere contineantur, sed ut negationes, alia vero non talia sed propria sunt, ideo potest ex his de omnibus periculum fieri, et esse ars quædam, non tamen talis quales sunt quæ demonstrant. Quocirca litigiosus non omnino ita est affectus ut pseudographus, quandoquidem litigiosus non est comparatus ad vitiose concludendum ex principiis definiti alicujus generis, sed in omni genere versatur.

9. Modi igitur hi sunt sophisticorum elenchorum. Quod autem ad dialecticum pertineat de his dispicere et posse hæc facere, facile perspici potest, quoniam methodus, quæ in propositionibus versatur, universam hanc considerationem complectetur. Ac de fucatis quidem elenchis dictum est.

8. *Quoad tertium* : sicut præter artes vere demonstrandi ex propriis, datur facultas apparenter demonstrandi ex propriis, quæ facultas vocari potest *pseudographia* construens syllogismos pseudographos; sic præter Dialecticam, quæ probabiliter syllogizat ex communibus, datur Sophistica, quæ videtur probabiliter syllogizare ex communibus, licet quæ assumit, vere non sint probabilia.

9. Concludit Aristoteles satis esse explicatos locos sophisticorum elenchorum; satis etiam esse probatum, quod Dialectica agit de his, adeoque quod Sophistica reducitur ad Dialecticam, intelligendo nomine Dialecticæ artem probabiliter vel apparenter disputandi ex quibusdam communibus. Demum satis etiam est actum de elenchis apparentibus, per quos sophista conatur deducere ad primam metam contradictionis.

CAPUT XII

DE LOCIS, PER QUOS SOPHISTA DUCIT AD FINEM SEU METAM FALSI ET INOPINABILIS.

1. [12] Quod vero ad id ut aliquis falsum quidpiam dicere ostendatur ac disputatio ad inopinabile ducatur (hoc enim erat quod sophistæ secundo loco præeligebant),

2. primum ex certo percontandi modo et per interrogationem id maxime accidit. Ad nullam enim rem propositam accommodata interrogatio ad hæc investiganda valet; nam temere dicentes magis peccant; temere autem dicunt, cum nihil propositum habent.

3. Item multa interrogare, etiam cum definitum est id, contra quod disseritur,

4.*, ac postulare ut dicat respondens, quid sibi in singulis videatur, copiam quamdam argumentorum præbet ac facultatem ducendi ad inopinabile an falsum;

5. et sive interrogatus aliquid ex his affirmet sive neget, ducendi ad ea, adversus quæ argumentorum copia suppetat. Sed nunc minus licet per hæc cavillari quam olim, quia nunc respondentes quærunt, quid hoc ad quæsitum initio propositum pertineat.

6. Est autem elementum perveniendi ad falsum quidpiam vel inopinabile, si quis non interroget confestim adversus ullam thesim, sed dicat se discendi studio interrogare; locum enim argumento hæc consideratio facit. Ad hoc autem ut quis mendacii coarguatur, proprius est hic sophisticus locus, ad ea scilicet adversarium ducere, adversus quæ argumentorum copia suppetat. Licebit autem et recte et vitiose hoc facere, ut supra dictum fuit.

1. Postquam Aristoteles hactenus tradidit loca, per quæ sophistæ ducunt respondentes ad primam metam redargutionis, descendit ad explicanda loca, per quæ conducunt ad alias metas; et primo hoc capite explicat loca, per quæ perducunt ad metam falsi et inopinabilis, quæ metæ sunt valde affines, ideoque sumuntur pro una meta.

2. Primo ergo debet interrogans simulare, se interrogare temere ac nullo proposito fine. Tum enim adversarius respondebit temere; et quia respondentes temere facilius concedunt aliqua, quæ non sunt concedenda, poterit arguens sumere aliquas propositiones, ex quibus respondentem ducat ad falsum et inopinabile.

3. Secundo etiamsi interrogans intendat, ut sibi concedatur aliqua determinata propositio, adhuc debet interrogare de multis. Facilius enim respondens inter multas propositiones interrogatas concedet illam, quam arguens intendit, quia distractus multis interrogationibus minus attendet.

4. Tertio debet postulare a respondente, ut concedat sibi, quæ ipsi videntur vera; per hoc enim reddetur minus cautus in concedendo; adeoque facilius ducetur ad falsum vel inopinabile.

5. Quarto debet arguens disputationem transferre ad ea, circa quæ suppetit illi major argumentorum copia; sic enim facilius ducet ad falsum vel inopinabile.

Addit tamen Aristoteles, quod tempore ipsius difficilius erat transferre disputationem ab eo. de quo proposita erat disceptatio ad alia, quia respondentes solebant subinde repetere: *quid hoc confert ad id, de quo ab initio quæstionem instituimus?*

6. Addit etiam Aristoteles, quod præcipuus modus ducendi ad inopinabile est, si arguens ab initio dicat, se interrogare causa discendi. Tum enim incautius respondens multa dicet, quasi auctoritate docentis et sic facilius ducetur ad falsum vel inopinabile. Rursus ad falsum concludendum proprius locus sophisticus est, ducere ad alia, circa quæ arguens multa habeat argumenta, licet hoc fieri possit et bene, ita ut res succedat e sententia, et male, ita ut respondens dicat: *quid hoc ad id, de quo initio proposita est disputatio?*

7. Rursus ad hoc ut paradoxa dicantur, videre oportet, ex quo philosophorum genere sit qui disputat: deinde interrogare, quod hi qui in eo genere philosophantur præter multorum opinionem dicunt; nam singulis quibusque est aliquid tale Horum elementum est sumere singulorum theses in propositionibus. Sed horum solutio conveniens affertur, ut patefiat non ex argumentatione evenire quod est inopinabile; semper autem hoc vult qui contendit.

8. Præterea arguendum est ex voluntatibus et ex apparentibus opinionibus, quia non eadem volunt ac dicunt, sed orationibus honestissimis utuntur, ea vero volunt quæ videntur prodesse. Veluti mori honeste potius quam jucunde vivere, aiunt oportere, et in paupertate juste vivere potius quam ditari turpiter; sed contraria volunt. Qui igitur voluntatibus consentanea dicit, ad apparentes opiniones ducendus est. qui vero his consentanea, ad voluntates occultas: utroque enim modo necesse est paradoxa dicere, quia vel apparentibus vel occultis opinionibus contraria dicent.

7. Traditis locis communibus ducendi ad falsum ac inopinabile, tradit Aristoteles loca specialia ducendi ad inopinabile ac paradoxum. *Primus locus* est: debet arguens considerare, ex qua secta sit is, cum quo disputat, et interrogare ea paradoxica, quæ plerumque admittuntur a sectatoribus talis sectæ (omnes enim sectæ dicunt aliqua præter opinionem communem): ex concessis autem debet sumere propositiones, ex quibus concludatur inopinabile. Verum respondens poterit tum convenienter respondere, quod hæc non concedit convictus rationibus arguentis, sed quia illa debent conced juxta principia sententiæ, quam defendit. Hac autem responsione allata, sophista non obtinebit suum finem, qui finis est, ut respondens videatur concedere aliquid inopinabile ex vi argumentorum, quæ sophista affert.

8. *Secundus locus* est ex occultis voluntatibus et manifestis opinionibus hominum, Pro intelligentia debet adverti. quod homines non eadem volunt in occulto ac dicunt in publico. In publico enim dicunt honestissima; ex. gr., quod oportet potius honeste mori, quam voluptuose vivere; et quod potius oportet juste agere et pauperem esse, quam injuste divitiis abundare et esse divitem; in occulto autem volunt utilia; volunt enim divitiis abundare etiam per injustitiam et injuste vivere etiam contra honestatem. Hoc posito, si defendens dicat aliquid consonum rationi atque opinionibus, quas homines profitentur in publico, debet duci ad paradoxa contra voluntatem et contra opiniones, quas habent in occulto; e converso si defendens dicat aliquid conforme voluntatibus atque opinionibus secundum sensum, quas homines habere solent in occulto, debet duci ad paradoxa contra opiniones, quas profitentur in publico; ex. gr., si quis dicat cum Epicureis voluptuose vivendum, debet duci ad contradicendum opinionibus manifestis, quod eligibilior sit honesta mors quam vita turpis et voluptuosa; si vero dicat contemnendas esse voluptates ac divitias, duci debet ad paradoxum contra voluntates. Quis enim est, qui practice non velit divitiis abundare et voluptatibus frui.

9. Latissime autem patet locus ad efficiendum ut paradoxa dicantur, sicut Callicles in Gorgia dicens inducitur et veteres omnes evenire putabant, ex natura et lege. Contraria namque esse naturam et legem inquiunt; ac justitiam secundum legem quidem esse rem honestam, secundum naturam vero non esse rem honestam. Oportet igitur ei qui secundum naturam loquitur, secundum legem occurrere, eum vero qui legi consentanea dicit, ad naturam ducere; utrovis enim modo esse dicantur, inopinabile est. Vocabant autem illi secundum naturam quod verum est, secundum legem autem quod multitudini videtur. Quare patet eos quoque, ut qui nunc disputant, conatos fuisse aut elencho redarguere aut ad paradoxa dicenda cogere respondentem.

9. *Tertius locus* est ex contrarietate

legis ac naturæ. Ut enim apud Platonem in Gorgia disputat Callicles, omnes antiqui censuerunt ea, quæ sunt secundum naturam, esse contraria iis, quæ sunt secundum legem; ex. gr., justitia, per quam imbecilliores non opprimuntur a potentioribus, est quidem bona secundum legem, non autem est bona secundum naturam, ut patet in feris; nam juxta naturam ferarum est, ut fortes et audaces capiant atque occidant timidas atque imbecilles; at leges in favorem timidorum atque imbecillium statuerunt, ne fortiores vim inferant imbecillioribus; ergo justum, quod est bonum secundum legem, non est bonum secundum naturam. Hoc igitur loco utens sophista, si adversarius dicat aliquid secundum naturam, ducet illum ad concedendum inopinabile, quod est contra legem; si dicat aliquid secundum legem, ducet illum ad inopinabile contra naturam. Callicli autem et sophistis antiquis, qui utebantur hoc loco, videbatur bonum, quod est secundum naturam, multitudini videtur bonum, quod est est secundum legem.

10. Quædam autem interrogationes utrinque responsionem opinionibus non congruentem habent; veluti utrum sapientibus an patri parere oportet? et suntne facienda quæ prosunt an quæ sunt justa? et patine injuriam est optabilius an facere? oportet autem ducere ad ea quæ multitudini et ad ea quæ sapientibus sunt contraria; nempe si quis ita dicat ut ii qui in disputationibus versantur, ad multitudini contraria duci debet, sin autem ut multitudo, ad iis contraria qui in disputationibus versantur. Hi namque ajunt, eum qui beatus est justum esse; multitudini autem inopinabile videtur, regem non esse beatum. Hoc autem modo inopinabilia colligere idem est, quod ad naturæ et legis repugnantiam ducere; lex enim est multitudinis opinio, sapientes vero secundum naturam et secundum veritatem loquuntur. Ac paradoxa quidem ex his locis quærere oportet.

10. *Quartus locus* est, cum ita proponuntur interrogationes, ut quidquid respondeatur, sit paradoxicum. Exemplum talium interrogationum est, cum quæritur, utrum sapientibus an patri sit obediendum; utrum facere oporteat utilia an iusta; utrum eligibilius sit injuriam pati an facere; utrumlibet enim respondeatur, est paradoxum. Præsertim vero proponendæ sunt quæstiones, per quas cogatur respondens dicere aliquid, vel contra opinionem multitudinis, vel contra opinionem sapientum, cum contrariæ sunt opiniones multitudinis ab opinionibus sapientum. Ex. gr., si quis interrogetur, utrum ad hoc, ut homo sit felix, debeat esse justus? utrumlibet responderit, ducetur ad paradoxum. Si enim dicat posse aliquem esse felicem, etiamsi non sit justus, contradicet opinioni communi sapientum; si vero dicat non posse, contradicet multitudini, cui videtur impossibile, ut rex, etiamsi sit injustus, sit infelix. Addit Aristoteles hunc quartum locum reduci quodammodo ad tertium. Tertius enim locus fundabatur in eo, quod sæpe quæ sunt secundum naturam, sunt contraria illis, quæ sunt secundum legem; quartus fundatur in eo, quod quæ videntur multitudini, contraria sunt iis, quæ videntur sapientibus; sed multitudini videntur vera quæ sunt secundum legem, cum lex sit opinio multitudinis, sapientibus videntur vera, quæ sunt secundum naturam et secundum veritatem; ergo, etc. Concludit Aristoteles hæc esse loca ducendi ad inopinabile.

CAPUT XIII

DE LOCIS, PER QUOS SOPHISTA DUCIT AD FINEM SEU METAM NUGATIONIS ET SOLŒCISMI.

1. [13] Quod vero ad efficiendum ut quis nugetur, quid illud sit quod appellamus nugari, supra diximus. Omnes autem hujusmodi argumentationes hoc volunt efficere; si nihil refert, utrum nomen an oratio dicatur, duplum autem et duplum dimidii idem valent; si igitur duplum est dimidii duplum, erit dimidii dimidii duplum. Rursus si loco illius verbi duplum positum sit duplum dimidii, ter erit dictum dimidii dimidii dimidii duplum. Et num est cupiditas jucundi? Hoc autem est appetitio jucundi. Cupiditas igitur erit appetitio jucundi jucundi.

2. Cernuntur autem hujusmodi argumentationes in iis, quæ ad aliquid referuntur, ubi scilicet non solum eorum genera, sed etiam ipsamet ad aliquid dicuntur, atque ad unum et idem referuntur, veluti appetitio est alicujus appetitio, et cupiditas alicujus cupiditas, et duplum alicujus duplum, ac duplum dimidii.

3. Cernuntur etiam in iis quorum essentia non est re vera in iis quæ ad aliquid referuntur; sed omnino quorum sint habitus vel affectiones vel tale quidpiam, in horum definitione explicatur, cum hæc illis attribuantur. Utputa impar est numerus medium habens; est autem numerus impar; est igitur numerus medium habens numerus. Et si simitas est concavitas nasi, nasus autem est concavus, est igitur nasus nasus concavus.

4. Videntur autem interdum nugationem efficere hujuscemodi captiones, cum re vera non efficiant, propterea quod non additur percontа-

tio, an duplum per se acceptum significet aliquid an nihil; et si quid significat, utrum idem quod conjunctum an diversum significet; sed conclusio statim profertur, ac videtur propter idem nomen eadem esse res atque eadem significatio.

1. Tradit demum Aristoteles loca, per quæ sophista potest ducere respondentem ad duas ultimas metas nugationis et solœcismi. Quid sit nugatio, patet ex dictis cap. III. Dictum est enim, quod *est crebra ejusdem repetitio.* Locus ducendi ad crebro repetendum idem est, quia semper loco nominis potest poni oratio idem significans ac nomen. Posito hoc, sophista sic argumentatur. Idem significat hoc nomen *duplum*, et hæc oratio *duplum dimidii;* ergo semper loco *dupli* potest poni *duplum dimidii;* sed tu dicis, quod duplum est duplum dimidii; ergo loco ly *duplum* potest poni *duplum dimidii,* ideoque dum dicis, quod duplum est duplum dimidii, idem dicis ac si diceres, quod *duplum est duplum dimidii dimidii;* sed adhuc loco *dupli* potest poni *duplum dimidii;* ergo potest dici, quod *duplum est dimidii, dimidii, dimidii duplum,* et sic in infinitum, infinities repetendo *dimidii.* Similiter idem est *concupiscentia ac concupiscentia delectationis;* sed concupiscentia est appetitus delectationis; ergo dum dicitur, quod concupiscentia est concupiscentia delectationis, idem dicitur ac si diceretur, quod concupiscentia est *appetitus appetitus delectationis.*

2. Addit Aristoteles allatas ratiocinationes esse de relativis, quæ non solum secundum genus, sed ipsamet dicuntur ad aliquid, et semper ad unum et idem. Pro intelligentia nota quædam relativa dici ad aliquid solum secundum genus, non autem secundum se; ex. gr., grammatica non dicitur *alicujus grammatica,* sed *alicujus disciplina,* alia dicuntur ad aliquid etiam secundum se, ut *duplum* et *concupiscentia;* duplum enim non solum dicitur *alicujus multiplex,* sed etiam *alicujus duplum;* concupiscentia non solum dicitur *alicujus appetitus,* sed etiam *alicujus concupiscentia.* Rursus quædam relativa dicuntur ad aliquid, sed non semper ad unum et idem; ex. gr., ala dicitur *avis ala,* sed non semper dicitur *avis ala,* cum dicatur etiam *ala draconis;* alia relativa semper dicuntur ad unum et idem; ex. gr., duplum semper est *dimidii duplum,* concupiscentia semper est *delectationis concupiscentia.* In talibus igitur relativis fieri potest allatum sophisma nugationis.

3. Neque solum sophisma fieri potest de relativis, sed etiam de omnibus accidentibus, quæ cum non sint substantiæ, ita dicunt ordinem ad subjectum, cujus sunt habitus et passiones, etc, ut in eorum definitione debeat exprimi tale subjectum, qualia accidentia sunt *impar* et *simum.* Impar enim ita est passio numeri, ut includit numerum in sua definitione. Potest igitur fieri syllogismus nugationis sic: *impae est numerus medium habens; sed potest impar prædicari de ternario, dicendo, ex. gr., quod ternarius est numerus impar; ergo ponendo loco nominis impar, definitionem idem significantem, potest dici, quod ternarius est numerus numerus medium habens. Similiter simus est nasus concavus; sed potest de naso prædicari simum, dicendo quod nasus est simus; ergo ponendo loco simi ejus definitionem potest dici, quod nasus est nasus nasus concavus.*

4. Addit Aristoteles, quod aliquando talia sophismata vere sunt syllogismi concludentes nugationem, aliquando non concludunt, sed videntur nugationem concludere. Vere concludunt nugationem, cum interrogatur et sumitur ex concessione respondentis, quod idem significat aliquod nomen seorsim ac oratio, ex. gr., quod idem significat *duplum* seorsim, ac hæc oratio *duplum dimidii.* Cum vero hoc non assumitur, sed solum infertur nugatio, tum videtur concludere, sed non concludit nugationem.

5. [14] Solœcismus autem cujusmodi sit, dictum est antea. Sane usuvenire potest ut quis solœcismum faciat, et ut non faciens videatur facere, et ut faciens non videatur facere, quemadmodum. Protagoras dicebat, si μῆνις et πήληξ masculum est. Nam qui dicit οὐλομένην, secundum eum eommittit solœcismum. Aliis autem committere non videtur; qui vero dicit οὐλόμενον, videtur quidem committere, non tamen committit solœcismum. Patet igitur etiam artem quamdam posse hoc facere. Ideo multæ argumentationes non concludentes solœcismum videntur eum concludere, sicut in elenchis contingebat.

6. Sunt autem fere omnes qui solœcismi videntur, ex articulo *hoc;* et quando casus nec masculum nec feminam significat, sed interjectum medium. Nam *hic* masculum significat, *hæc* feminam; sed *hoc* debet quidem medium iis interjectum significare, veruntamen sæpe alterutrum eorum significat, veluti: quid est hoc? Cal-

liope, lignum, Coriscus. Masculini igitur et feminini generis casus omnes differunt; ejus vero quod est interjectum, alii differunt, alii non. Itaque sæpe, cum datum sit hoc, perinde concludunt ac si dictum fuisset hunc. Similiter et alium casum pro alio accipiunt.

7. Paralogismus autem propterea fit, quod articulus hoc multis casibus est communis. Nam hoc modo significat hic, modo hunc. Opus autem est ut mutatis vicibus significet, cum verbo *est* hic, cum verbo *esse* hunc, ut est Coriscus, esse Coriscum. Eadem est ratio femininorum nominum; et eorum quæ cum appellentur σκεύη, id est vasa, femineam aut masculam habent inflexionem. Nam quæ in ο et ν terminantur, hæc sola vasis inflexionem habent, ut ξύλον, σχοινίον; quæ vero non ita terminantur, maris aut feminæ inflexionem habent; quorum nonnulla referimus inter σκεύη, ut ἀσκός est nomen masculinum, κλίνη vero femininum. Idcirco etiam in his verbum est et verbum esse eodem modo differentiam constituent.

8. Ac similis quodammodo est solœcismus elenchis, qui ex eo appellantur, quod non similia similiter accipiuntur. Ut enim illic in rebus fit elenchus, ita hic in vocabulis committitur solœcismus; homo enim et album tam res quam vocabulum est. Apparet ergo nitendum esse, ut solœcismus ex dictis casibus concludatur. Sunt igitur hæ species contentiosarum argumentationum et partes specierum et modi, qui commemorati sunt.

5. Explicat demum Aristoteles, quo pacto sophistæ possint ducere ad ultimam metam, quæ est solœcismus. Quid sit solœcismus explicatum est cap. III, nunc solum debet addi, aliquando solœcismum esse et videri; aliquando esse et non videri; aliquando videri et non esse. Exemplum solœcismorum, qui sunt et videntur, est *vir alba*. Exemplum solœcismorum, qui sunt et non videntur, vel e converso videntur et non sunt, proponit Aristoteles ex sententia Protagoræ, qui dixit, quod μῆνις, quod significat iram, et πήληξ, quod significat galeam, sunt generis masculini. Si igitur dicatur μῆνις οὐλομένη est solœcismus, sed non videtur; si dicatur μῆνις οὐλόμενος videtur solœcismus, sed non est. Ex eo, quod aliquando videatur esse solœcismus et non est, sequitur posse dari artem, per quam respondens videatur facere solœcismum, licet non faciat, et hanc artem debet habere sophista.

6. Ut tradat hanc artem, Aristoteles docet, omnes apparentes solœcismos fieri propter nomen demonstrativum *hic, hæc, hoc*, et præsertim propter *hoc*, quod est generis neutrius. Ratio est, quia sicut *hic* significat masculinum, *hæc* significat femininum, sic *hoc* ex sua natura significat neutrum; adhuc tamen *hoc* aliquando significat masculinum et femininum. Cum enim dicitur: *quid est hoc*? bene respondetur: *est Calliope, est lignum, est Coriscus*, sed Calliope est generis feminini, lignum generis neutrius, Coriscus generis masculini; ergo, etc. Rursus in genere masculino et feminino differunt nominativus et accusativus, atque alii casus, at in genere neutro semper tres casus sunt similes, nimirum nominativus, accusativus et vocativus.

7. Hinc potest fieri sophisma. Cum enim infertur *hoc* significans masculinum vel femininum, debet mutari masculinum vel femininum, loco unius vocis ponendo aliam, ex. gr., loco *hic* ponendo *hoc*, vel e converso; ex. gr., valet: *hoc est Coriscus; video Coriscum; ergo video hoc;* ergo valet etiam: *video Coriscum, hic est Coriscus; ergo video hic.*

8. Concludit Aristoteles sophismata adducentia ad solœcismum esse quodammodo similia sophismatibus figuræ dictionis. Sicut enim in sophismatibus figuræ dictionis, ex eo, quod figura dictionis est similis, arguitur, quod etiam res sunt similes, cum vere non sint, sic in sophismate solœcismi, ex eo, quod res sint similes, arguitur, quod figura dictionis debeat esse similis. Explicatæ sunt igitur sophisticarum ratiocinationum species et etiam partes atque ordo specierum.

CAPUT XIV

QUO PACTO SOPHISTÆ DEBEANT ORDINARE SUAS INTERROGATIONES.

1. [15] Ad celandum autem non parum refert, si quemdam in modum disponantur quæ ad interrogationem pertinent, quemadmodum et in dialecticis. Quare deinceps post ea quæ commemorata fuerunt, hæc primum dicenda sunt.

2. Valet autem ad elencho redarguendum prolixitas orationis, quia difficile est multa simul conspicere. Ad prolixitatem autem elementis antea commemoratis utendum est.

3. Item celeritas, quia tardiores minus prospiciunt.

4. Præterea ira et altercatio; nam perturbati minus possunt omnia observare. Elementa vero ad iram excitandam sunt, si quis voluntatem injuste et omnino impudenter agendi præ se ferat.

5. Præterea interrogationum permutato ordine positio, sive ad idem probandum habeat quis multas argumentationes, sive ad ostendendum ita esse et non ita esse. Fit enim hac ratione, ut adversarius a multis aut a contrariis simul cavere sibi debeat. Et omnino quæcumque ad occultationem valere antea diximus, conferunt etiam ad contentiosas argumentationes; nam occultatio est latendi gratia, latere autem fallendi causa.

1. Quia non parum conducit ad finem sophistæ, ita ordinare suas interrogationes, ut latenter interroget, ideo Aristoteles, sicut 8. Topicorum cap. I, egit de modo ordinandi interrogationes dialecticas, sic agit hic de modo ordinandi interrogationes sophisticas.

2. Primo igitur ad obtinendum finem latenter et ita, ut adversarius non advertat, valde conducit prolixitas ratiocinationis. Cum enim difficile sit ad multa attendere, facile respondens prolixis ratiocinationibus capietur.

3. Secundo juvat etiam festinatio. Tardiores enim, cum festinata profertur oratio, non possunt satis prævidere, quid respondeant, adeoque turbati facile decipiuntur.

4. Tertio juvat etiam ira et contentio. Respondentes enim ita turbati non possunt observare. Principia autem, per quæ possumus movere respondentem ad iram sunt, si dicamus ipsum injuste agere ac non bene respondere et imprudentem esse.

5. Quarto conducit plures afferre syllogismos, sive pro eadem conclusione, sive etiam pro contradictoriis conclusionibus; afferendo vero plures syllogismos, eorum præmissæ debent poni permutatim, ita ut præmissa unius syllogismi conjungatur cum præmissa alterius syllogismi. Propositionibus enim sic propositis, turbabitur adversarius, ita ut nesciat, quid debeat concedere vel negare. Universim vero omnia præcepta, quæ tradita sunt in Topicis ad occultandum intentum, servanda sunt etiam in disputationibus sophisticis. Occultatio enim utilis est ad hoc, ut lateat, quid arguens intendat; talis vero latitatio conducit ad hoc, ut possit arguens respondentem decipere.

6. Sed adversus abnuentes quæcumque putant ad argumentationem facere, aut per negationem interrogandum quasi contrarium sumere velit qui interrogat; aut saltem ex æquo utraque contradictionis pars in interrogationem deducenda, quia cum incertum est quid interrogator sumere velit, minus morosos se præbent qui respondent.

7. Cum autem per partes concedit aliquis singula, inducendo universali, sæpe non est interrogandum, sed eo ut concesso utendum. Interdum enim et ipsi respondentes se concessisse putant, et audientibus videntur ob inductionis commemorationem, ceu non frustra sint interrogata singularia.

8. Sed in quibus non significatur nomine aliquo universale, similitudine utendum est, prout expedit; sæpe enim similitudo latet.

9. Jam vero ut propositio sumatur, per collationem contrarii percontari oportet. Veluti si oporteat sumere, omnibus in rebus patri esse obtemperandum, sic interrogetur, utrum in omnibus oportet obtemperare parentibus an in omnibus repugnare? Et si oporteat sumere obtemperandum sæpius, ita interrogetur, utrum multa concedenda sunt an pauca? Magis enim, si quidem obsequi parentibus necesse est, multa videbuntur esse concedenda quam pauca. Cum enim contraria inter se componuntur, et magna et majora videntur hominibus, et deteriora et meliora.

10. Ut autem elencho aliquis convictus videatur, vehementer ac sæpe facit impostura illa maxime sophistica, cum qui nihil syllogistice proposuerunt, extremum non interrogant, sed concludendo dicunt, quasi facto syllogismo, non igitur hoc et hoc.

6. Quinto, si respondens proterve agat, adeoque neget omnia, quæ opinatur utilia ad intentum adversarii, debet arguens ita interrogare, ut videatur velle oppositum ejus, quod intendit; ex. gr., si vult admitti partem affirmativam, debet ita proponere interrogationem ac si velit admitti partem negativam, vel debet ita interrogare, ut videatur non magis curare de una parte contradictionis quam de altera. Cum enim respondens dubitat, utram partem contradictionis velit adversarius sibi concedi, minus protervit adeoque admittit, quod sibi videtur verum.

7. Sexto cum arguens facit inductionem plurium, non debet deinde interrogare de ipso universali, sed debet illud sumere ut concessum. Nam sæpe respondens putabit, se etiam universale concessisse, et auditoribus vere videbitur illud fuisse concessum, quia recordantur inductionis factæ et putant, talem inductionem non frustra factam fuisse.

8. Septimo cum argumentamur ex inductione ad universale, quod caret nomine, debemus ad illud exprimendum

uti nomine similis vel affinis, dicendo ex. gr., *bos non habet dentes ex parte superiori nec capra*, etc.; *ergo nullum simile his habet dentes ex parte superiori;* facile enim sub nomine similis possumus occulte comprehendere id, quod intendimus.

9. Octavo ut concedatur aliqua propositio, debet interrogari simul cum propositione contraria valde improbabili; ex. gr., si quis velit sibi concedi, quod patri est obediendum in omnibus, debet ita interrogare: *parentibus estne obediendum in omnibus vel in nullo?* Si velit sibi concedi, quod *parentibus sunt multa concedenda*, debet ita interrogare: *parentibus concedenda sunt multa vel pauca?* Cum enim contraria juxta se posita magis elucescant, quæ sunt minus probabilia comparatione contrarii valde improbabilis, videntur magis probabilia, et quæ sunt minus bona, comparatione contrarii pessimi videntur magis bona.

10. Nono ut sophista videatur redarguere, concessis aliquibus interrogationibus, non debet interrogare de eo, quod intendit, sed debet id inferre quasi necessario sequatur ex concessis, licet vere non sequatur, dicendo: *ergo male fuit concessum hoc et hoc.*

11. Est etiam hoc sophisticum, posito paradoxo postulare, ut quid videatur respondeatur, proposito eo quod ab initio visum fuit; atque horum interrogationem sic instituere, utrum tibi videtur? Necesse enim est, si interrogatio in eorum numero sit, ex quibus syllogismus exstruitur, aut elenchum aut paradoxum confici, aut speciem habere elenchi, elenchum, si concedat; inopinabile, si neque concedat neque sibi videri dicat; speciem elenchi, si non concedat, fateatur tamen sibi videri.

12. Præterea ut in rhetoricis, ita etiam in elenchis similiter animadvertenda sunt ea, quæ repugnant vel iis quæ ab ipso respondente dicta sunt, vel iis quos ipse fatetur recte loqui aut agere, necnon iis qui videntur tales aut similibus, iisque aut plurimis aut omnibus.

13. Sicut autem qui respondent, sæpenumero, quando elencho redarguuntur, distinctionem adhibent, si futurum est ut elencho redarguantur, ita etiam interrogantibus utendum est hoc præsidio contra objicientes, ut si illo modo contingit, hoc modo non contingit, illo modo se accepisse dicant, ut etiam Cleophon facit in Mandrobulo.

14. Oportet etiam recedendo a cœpta disputatione reliquas argumentationum partes præcidere. Ac respondentem oportet, cum præsentiat, ante occurrere et prædicere.

11. Decimo utile est, ut sophista primum proponat aliquid paradoxicum, ex gr., *utrum aliquis possit esse beatus per injustitiam.* Si vero respondens neget, laudet responsionem et simul proponat aliquid, quod ex ipsa propositione apparet probabile, ex quo sequitur inopinabile, quod respondens negavit; ex. gr., *utrum Archelaus, qui possidet regnum Macedoniæ tibi videtur felix?* Quidquid enim responderit, vel redarguetur, vel dicet inopinabile, vel videbitur dicere inopinabile. Si enim dixerit, Archelaum esse felicem, redarguitur, quia Archelaus est felix per hoc, quod sit rex Macedoniæ; sed est rex Macedoniæ per injustitiam; ergo. Si dixerit, Archelaum non esse felicem, dicet inopinabile, cum omnibus Archelaus videatur felix. Si dixerit, Archelaum sibi videri felicem, videbitur redargui et cogi ad concedendum, quod aliquis potest esse felix per injustitiam. Si demum dixerit, Archelaum sibi non videri felicem, videbitur dicere aliquid inopinabile.

12. Undecimo sicut in rhetoricis, sic etiam in sophisticis disputationibus utile est ostendere, adversarium dicere contraria, vel iis, quæ ipsemet dixit, vel iis, quæ dicunt alii, qui ex confessione communi bene dicunt et bene agunt, vel qui videntur tales vel sunt similes talibus, et quod hæc sint contraria eorum pluribus aut omnibus; ex gr., si quis dixerit aliquod spectans ad medicinam, possumus illum redarguere ex eo, quod dictum ipsius sit contrarium medicis, vel omnibus vel plurimis vel probatissimis.

13. Duodecimo sicut respondentes sæpe quando redarguuntur, respondent propositionem, in qua videntur redarguti, posse habere duplicem sensum, se vero in uno sensu negasse, in alio vero probari ab adversario, sic arguens debet prævenire respondentem ac dicere, quod cum propositio possit habere duplicem sensum, ipse in uno tantum illam probavit; sic enim videbitur obtinere intentum. Facit autem hoc Cleophon in Mandrobulo tragœdia.

14. Decimo tertio cum arguens prævidet, quam responsionem possit dare adversarius et quo pacto possit argumentum instare, divertens a proposita ratiocinatione, debet prævenire responsiones atque instantias, dicendo: *si hoc vel illud dicatur, non valet*, etc.

15. Nonnunquam etiam argumentandum est contra aliud quiddam ab eo quod dictum est di-

versum, illud sumendo, si quis non habeat argumenta contra propositum problema. Quod quidem Lycophron fecit, cum propositum problema esset lyræ encomium.

16. Sed adversus eos qui requirunt, ut contra certum quid argumenta dirigantur, quia videtur opus esse, ut explicetur, in quo culpetur; quibusdam autem expressis facilius caveri potest, dicendum est, quod universaliter accidit in elenchis, nos scilicet instituisse probare contradictionem, nempe quod ille affirmavit, esse negandum, aut quod negavit, affirmandum; non autem dicendum, nos instituisse probare, quod contrariorum sit eadem scientia vel non eadem.

17. Non oportet autem conclusionem in modum propositionis interrogare. Nonnulla vero ne interrogari quidem debent, sed his ut concessis utendum.

18. Ex quibus igitur locis interrogationes eruantur, et quomodo sit interrogandum in con tensiosis congressibus, dictum est.

15. Decimo quarto cum arguens non habet copiam argumentorum circa id, quod est propositum, debet orationem transferre ad aliud affine, circa quod major suppetat argumentorum copia, sicut facit Lycophron rhetor vel poeta, cui cum fuisset propositum, ut ex arte laudaret lyram, postquam quædam dixit de lyra sonatoria, transtulit orationem ad lyram cælestem, quæ est quædam constellatio.

16. Decimo quinto cum respondentes quærunt, ad quid arguens dirigat argumentationem vel quid intendat probare, melius est, ut arguens dicat se velle probare affirmationem ejus, quod negaverit, et negationem ejus, quod affirmaverit, quam ut determinate dicat se velle probare unam partem contradictionis; ex. gr. hanc : *contrariorum est eadem disciplina*, vel hanc : *contrariorum non est eadem disciplina.*

17. Decimo sexto demum non debet arguens interrogare conclusionem finalem, quam vult probare, sicut interrogat propositiones, sed debet conclusionem finalem ex propositionibus interrogatis et concessis probare. Imo neque debet interrogare de omnibus propositionibus, sed aliquas communes et receptas debet sumere ut concessas.

18. Concludit Aristoteles, satis esse explicatum, ex quibus sit interrogandum et quomodo sit interrogandum in disputationibus concertatoriis, quæ nimirum fiunt gratia victoriæ et gloriæ. Et per hæc finem imponit libro primo Elenchorum.



ELENCHORUM

LIBER II

CAPUT I

EXPLICANTUR UTILITATES SOPHISTICÆ, ET OSTENDITUR, TRADENDAM ESSE DOCTRINAM DE SOLUTIONE SOPHISTICARUM RATIONUM.

1. [16] Post hæc de responsione, et quomodo oporteat solvere et quid, et ad quem usum disputationes hujusmodi valeant, dicendum est.

2. Sane utiles sunt ad Philosophiam ob duas causas, primum quia, cum plerumque sumantur ex dictione, faciunt ut melius affecti simus ad dignoscendum, quot modis unumquodque dicatur, et quæ simili et quæ diverso modo accidant tam in rebus quam in nominibus.

3. Secundo quia conferunt ad inquisitiones, quas aliquis ipse secum facit ; nam qui ab aliis facile paralogismo decipitur nec id animadvertit, ipse quoque a semetipso hoc pati sæpenumero potest.

4. Tertium et reliquum emolumentum pertinet ad gloriam consequendam, quod hac ratione videatur quis in omnibus rebus exercitatus ac nullius esse imperitus. Qui enim cum altero disputans vituperat argumentationes, nec certum quid dicere potest de earum vitio, suspicionem præbet, quasi videatur eas cum indignatione audire non propter veritatem sed, propter imperitiam.

1. Postquam Aristoteles lib. I, egit de sophisticis rationibus, lib. II, agit de earum solutione. Initio igitur proponit agendum de duobus. *Primo* agendum est de responsione ad rationes sophisticas; *secundo* agendum est de utilitate doctrinæ traditæ ac tradendæ circa rationes sophisticas. Accedit deinde ad exequendum id, quod proposuit atque ipsum exequens ordine inverso, primo breviter agit de utilitate doctrinæ; secundo fuse agit de solutione sophisticarum rationum.

2. Doctrina de rationibus sophisticis utilis est ad duo ad scientiam nimirum, præsertim primæ philosopiæ seu Metaphysicæ et ad gloriam. Ad scientiam Metaphysicæ est utilis *primo*, quia doctrina de fallaciis dictionum facit, ut melius possimus distinguere quotupliciter unumquodque nomen dicatur, et ut possimus advertere, quandonam res similes significentur dictionibus similibus , quando autem res similibus dictionibus significatæ sint dissimiles; sed ad Metaphysicam spectat scire hæc, ideoque ipse Aristoteles toto lib. V, Metaph., explicat quotupliciter nomina dicantur; ergo Sophistica ex hoc capite est utilis ad Metaphysicam.

3. Secundo Sophistica non solum est utilis ad hoc, ut quando cum aliis disputamus, non decipiamur ab ipsis, sed etiam ut quando speculamur soli non decipiamur a nobis ipsis. Qui enim dum disputat ab aliis decipitur falsa ratione, nec advertit vitium, facile etiam eadem ratione decipitur a se ipso.

4. Tertio demum Sophistica est utilis ad gloriam. Qui enim callet sophisticas rationes, videbitur in omnibus exercitatus ac in nullo rudis. E converso qui cum disputat, vituperat captiosas rationes sed non potest explicare earum defectus, dat suspicionem, quod vituperat artem, quam nescit.

5. Quomodo autem respondentes occurrere debeant hujusmodi argumentationibus, apparet

siquidem antea, ex quibus locis ducantur paralogismi, recte commemoravimus, et sophistarum in percontando imposturas sufficienter enucleavimus.

6. Neque vero idem est, accepta argumentatione videre ac diluere ejus vitium, atque celeriter posse respondentem occurrere. Quod enim novimus, sæpe transpositum ignoramus. Præterea sicut in aliis rebus celeritas ac tarditas exercitatione accipit incrementum, ita etiam in disputationibus se res habet. Quare si quid nobis manifestum sit, sed meditationis expertes simus, tempore sæpe destituimur. Interdum autem accidit, ut in descriptionibus mathematicis (etenim cum eas resolverimus, quandoque rursus componere nequimus), ita etiam in elenchis; nam cognoscentes, unde argumentationis connexus eveniat, argumentationem illam dissolvere non valemus.

5. Verum hinc posset oriri dubium, quia cum actum sit de rationibus sophisticis, et earum causis ac locis, videtur, quod non sit ulterius agendum de earum solutionibus. Si enim satis explicavimus causas, locos ac defectus talium ratiocinationum, eo ipso patet ipsarum solutio, quæ affertur, ostendendo defectus earum.

6. Adhuc tamen Aristoteles docet specialiter agendum de solutione sophisticarum ratiocinationum. Probat *primo,* quia aliud est, quod quis apud se videat, aliquam ratiocinationem esse sophisticam, et sciat ipsam solvere, aliud est, quod cum proponitur ab altero, statim possit solvere; ergo tradenda est doctrina, per quam possimus etiam solvere prompte rationes sophisticas propositas ab aliis. *Secundo* sæpe quod scimus, si transponatur vel alio modo proponatur, ignoramus; ergo tradenda est doctrina, per quam sciamus solvere ratiocinationes sophisticas, quocumque modo propositas. *Tertio* sicut in aliis artibus ab exercitatione pendet, ut possimus ipsarum opera facere citius vel tardius, sic accidit in solutione sophisticarum rationum; ergo debemus diligenter præmeditari solutiones ipsarum, ut possimus ipsas solvere facile et expedite. *Quarto* sicut in geometricis, postquam per resolutionem scimus demonstrationem conclusionum, adhuc aliquando non possumus tales demonstrationes reducere in formam syllogisticam, sic aliquando, etiamsi sciamus solutionem sophisticarum rationum, adhuc non possimus ipsas bene solvere; ergo propter hæc agendum est in speciali etiam de modo solvendi sophisticas ratiocinationes.

CAPUT II

DE SOLUTIONE APPARENTI, AC DE NECESSITATE DISTINGUENDI, UT VIDEAMUR SOLVERE SOPHISMATA.

1. [17] Primum igitur, sicut dicimus syllogismos probabiles interdum esse præeligendos potius quam veros, ita et solvendum est nonnunquam probabiliter potius quam secundum veritatem. Prorsus enim cum hominibus litigiosis pugnandum est, non quasi elencho redarguant, sed quasi videantur redarguere, siquidem non dicimus, eos aliquid concludere. Quapropter eo dirigenda est responsio, ne videantur concludere.

2. Etenim si elenchus est contradictio non homonyma, quæ ex nonnullis sumptionibus colligitur, nulla utique distinctione opus est adversus ambigua et homonymiam, quoniam is qui talia interrogat, non facit syllogismum. Verum non alia de causa distinctio est præmittenda, nisi quia conclusio speciem quamdam elenchi præ se fert. Non est igitur cavendum, ne redarguamur, sed ne videamur redargui, quandoquidem interrogationes ambiguæ vel propter homonymiam multiplices et ejusmodi aliæ captiones etiam verum elenchum obscurant, et sitne aliquis elencho convictus necne, incertum reddunt. Cum enim ad extremum facta conclusione liceat respondenti dicere, non quod ipse affirmavit, negasse interrogantem, sed homonymως vel ambigue interrogasse, ideoque aliud se affirmasse, aliud sumpsisse interrogantem ac negasse in conclusione, etsi maxime ad idem retulit, incertum est, an sit convictus elencho, quia incertum est, an nunc verum dicat. Quodsi interrogans distinctione adhibita interrogasset homonymum vel ambiguum, non obscurus esset elenchus. Et quod litigiosi interrogatores nunc minus requirunt, olim magis requirebant, ut scilicet interrogatus responderet aut etiam aut non, id certe fieret. Nunc vero, quia non scite interrogant qui percontantur, necesse est ut interrogatus adjiciat aliquid responsioni, quo vitium interrogationis corrigat. Nam si interrogans distinxisset sufficienter, necesse esset ut respondens vel etiam vel non diceret.

Incipit jam Aristoteles agere de solutione sophismatum : et *primo* quidem agit de solutione apparente; *secundo* de solutione reali ac vera.

1. Docet ergo *primo,* quod sicut aliquando debemus conari, ut potius syllogizemus probabiliter quam vere, sic aliquando debemus magis conari, ut videamur solvere, quam ut solvamus. Ratio est, quia sophistæ in disputationibus sophisticis, non tam conantur, ut vere syllogizent ac redarguant, quam ut videantur syllogizare ac redarguere; ergo respondens debet conari non tam ne vere

syllogizetur ac redarguatur, sed ne videatur syllogizari ac redargui, ideoque distinctione corrigendæ sunt propositiones et interrogationes sophistarum.

2. Quod autem hæc distinctio propositionum non sit necessaria, ne sophistæ redarguant, sed ne videantur redarguere, probatur. Redargutio est syllogismus contradictionis ex præmissis non æquivocis; ergo ratiocinatio ex præmissis æquivocis non est syllogismus neque redargutio; ergo non est necessarium distinguere propositiones æquivocas et amphibologicas, ne vere redarguamur, sed solum ne videamur redargui. Interrogationes enim ac propositiones æquivocæ et aliæ similes cavillationes sophistarum obscurant veram redargutionem ac reddunt incertum, utrum arguens redarguat vel non redarguat; ergo ut manifestum sit, quod non redarguimur, debemus propositiones et interrogationes ambiguas statim distinguere. Nam si postquam arguens intulerit conclusionem, tum dicamus, nos concessisse propositiones adversarii non in sensu ipsius, sed in alio, incertum erit audientibus, an hoc sit verum, adeoque an fuerimus redarguti; ergo ut auferatur hæc incertitudo, propositiones æquivocæ et ambiguæ statim sunt distinguendæ nec differenda est earum distinctio. Quod si arguens interrogans propositiones æquivocas et ambiguas, explicaret, in quo sensu eas sumat, tum manifesta esset redargutio, siquidem respondens non posset dicere, se in alio sensu propositiones cnocessisse quam in eo, iu quo sumuntur ab adversario, et tum ad tales interrogationes possent ac deberent interrogati respondere simpliciter ac sine distinctione, illas admittendo vel negando, ac dicendo *sic vel non*. Verum quia sophistæ male interrogant, non explicando sensum, in quo interrogant, ideo licet importune quærant, ut respondeatur simpliciter ac sine distinctione, adhuc necesse est, ut interrogatus propositiones distinguat et adhibita sufficienti distinctione, dicat *sic* vel *non*. Addit Aristoteles, quod priori tempore magis quam quo hæc Aristoteles scribebat, solebant interrogantes petere, ut responderetur sine distinctione, ut videre est in dialogis Platonis, in quibus interrogationes non solent distingui; Aristoteles vero jam induxerat usum distinctionum.

3. Si quis autem, existimet eum esse elenchum, qui secundum homonymiam fit, nullo modo licebit respondenti effugere, quominus elencho redarguatur. In iis enim quæ cernuntur oculis, necesse est negare nomen, quod affirmavit aut affirmare quod negavit.

4. Ut enim corrigunt nonnulli, nihil prodest. Aiunt enim hi, non Coriscum esse musicum et immusicum, sed hunc Coriscum esse musicum et hunc Coriscum immusicum. Nam eadem erit oratio, Coriscum esse musicum, et hunc Coriscum esse musicum; quod quidem simul affirmat et negat qui respondet. Sed fortasse non unum et idem significat verbum illud hic Coriscus, quia nec illic nomen Coriscus unam habebat significationem. Itaque utrum Coriscus an hic Coriscus dicatur, nihil interest. Sin autem illi simpliciter loquendo attribuet, huic vero aliquem vel hunc adjunget, absurdum erit, quia non magis alteri inerit quam alteri; utrivis enim attribuatur, nihil interest.

5. Verum enimvero quoniam incertum est, an is qui non distinxit amphiboliam, sit convictus elencho necne (in disputationibus namque concessum est distinguere), apparet eum qui non distinguit sed simpliciter concedit, interrogationem, peccare. Quocirca si non ipse respondens, at certe ejus oratio elencho refutatæ similis est. Sæpe autem accidit, ut qui ambiguitatem vident, distinguere cunctentur propter frequentiam eorum, qui talia proponunt, ne in omnibus videantur tergiversari; deinde ipsis non putantibus, ex eo pendere argumentationem, incidit paradoxum. Quare cum sit concessum distinguere, non est cunctandum, ut antea dictum fuit.

3. Jam quia posset aliquis contendere, ratiocinationes æquivocas vere esse redargutiones, rejicit Aristoteles hunc errorem ex absurdo. Si enim redargutiones æquivocæ vere sunt redargutiones, nullus est, quamvis sapiens, qui possit effugere, ne a sophistis redarguatur; ergo, etc. Probatur sequela; sit enim Coriscus absconditus; interrogetur sapiens: *Scisne Coriscum esse musicum?* Utique concedet, cum optime cognoscat Coriscum et sciat illum esse musicum. Interrogetur rursus: *scisne hominem, qui est absconditus in hoc cubiculo, esse musicum?* Respondebit se nescire; nescit enim quis sit absconditus in cubiculo, atque adeo nescit, an sit musicus vel non sit musicus. Tum sophista cubiculum aperiet atque ostendet Coriscum latentem in cubiculo, et sic argumentabitur: *idem est Coriscus ac homo absconditus in cubiculo sed scis Corisum esse musicum; ergo scis hominem absconditum in cubiculo esse musicum; ergo falso dixisti, te nescire, utrum homo absconditus in cubiculo sit*

musicus; ergo si argumentationes sophisticæ et æquivocæ vere redarguunt, sapiens non poterit vitare, ne vere redarguatur a sophistis.

4. Addit Aristoteles non posse contradictionem vitari per id, quod dicunt aliqui, quod de alio Corisco sciunt esse musicum, de alio nesciunt, quod non est contradictio. Patet enim, quod cum idem Coriscus sit, qui est absconditus, et de quo quis dixit, se scire esse musicum, de eodem dixit, se scire ac nescire esse musicum. Non igitur sic solvenda est redargutio, sed dicendum, quod non idem omnino est, de quo scit ac de quo nescit esse musicum. Scit enim de Corisco secundum se, nescit de Corisco abscondito; sed Coriscus et Coriscus absconditus non sunt omnino idem, sed solum sunt idem per accidens; ergo non de eodem omnino scit ac nescit esse musicum, et sic argumentum peccat fallacia accidentis, quæ potest reduci ad fallaciam æquivocationis, in quantum fallacia accidentis fundatur in hoc, quod non bene distinguitur, quot modis dicatur idem, et hæc est vera solutio allati sophismatis. Illa etiam solutio, quam afferunt alii, est falsa et absurda. Dicunt enim, quod scio Coriscum esse musicum, sed nescio hunc Coriscum absconditum esse musicum. Nam scio de hoc determinato Corisco, quod sit musicus; sed hic idem est absconditus; ergo si nescio absconditum esse musicum, de eodem Corisco scio, quod sit musicus, et nescio, quod sit musicus.

5. Propositiones igitur æquivocæ sunt distinguendæ, non quidem ne redarguamur, sed ne videamur redargui; ergo peccat qui interrogationes et propositiones ambiguas admittit absolute et sine distinctione, quia licet ipse vere non redarguatur, tamen cum videatur redargui ac dicere contradictoria, oratio ipsius est similis redargutæ. Aliquando vero, quia arguens frequenter proponit propositiones æquivocas, respondentes torpent in ipsis distinguendis, ne, si omnes propositiones distinguant, videantur molesti in respondendo, ac sæpe ex propositionibus non distinctis ducuntur ad aliquid inopinabile, quod non viderunt. Ideo non est cunctandum distinguere omnes propositiones, quæ indigent distinctione.

6. Nisi vero duas interrogationes pro una quis acciperet, non fieret ex homonymia vel amphibolia paralogismus, sed aut esset verus elenchus, aut ne speciem quidem elenchi præ se ferret. Quid enim interest utrum interrogetur, sitne Callias et Themistocles musici, an sub uno communi nomine, si ambobus inter se differentibus unum sit nomen commune? Nam si nomen illud commune plura significat quam unum, certe qui eo est usus, plura interrogavit. Si igitur non recte petitur ut ad duas interrogationes una responsio sumatur simpliciter, apparet ad nihil homonymum respondendum esse simpliciter, ne tum quidem si in omnibus verum sit, ut nonnulli putant. Hoc enim idem valet ac si interrogaretur, utrum Coriscus et Callias sint domi, an non sint domi, sive adsint ambo sive non adsint, quoniam utroque modo propositiones plures sunt. Non enim si vere dicitur, propterea interrogatio una est. Nam possunt sexcentæ diversæ interrogationes alicui proponi, ad quas omnes vere possit respondere etiam aut non; verumtamen non est ad illas omnes una danda responsio; sic enim tollitur disputatio. Hoc vero perinde est, ac si rebus diversis idem nomen positum esset. Ergo si non oportet ad duas interrogationes unam responsionem dare, perspicuum est etiam in homonymis non esse dicendum etiam vel non. Non enim qui id dixit respondit, sed locutus est. Hoc tamen probatur quodammodo in disserentibus, quia non apparet quod inde sequitur.

7. Sicut igitur diximus, quia videntur quidam elenchi esse, qui non sunt, eodem modo etiam solutiones quædam videbuntur esse, quæ non erunt; quas scilicet dicimus interdum esse afferendas potius quam veras in contentiosis disputationibus, et cum paralogismo ex duplicitate ducto occurritur.

6. Confirmat Aristoteles traditam doctrinam. Si enim quis fecerit plures interrogationes et non unam, non fit paralogismus, qui videatur redarguere propter æquivocationem et amphibologiam, sed vel fit verus elenchus, vel nullo pacto fit elenchus, neque verus neque apparens; ergo signum est, quod elenchus apparens fit, quia fiunt plures interrogationes ut una; sed ad plures interrogationes factas per diversa nomina non debet dari una responsio; ergo neque ad plures interrogationes factas per unum nomen debet dari una responsio; sed interrogatio per nomen æquivocum est multiplex. Si enim duo vocentur nomine Corisci, idem est quærere : *An Coriscus sit musicus*, ac quærere : *utrum Themistocles et Callias sit musicus ;* ergo etiam ad interrogationes per nomina æquivoca debent afferri plures responsiones. Neque potest dici, quod saltem, si de utroque, quod significatur per nomen æquivocum, verificatur id, quod interrogatur, debet dari una responsio. Sicut enim si quis

interroget: *an Coriscus et Callias sint domi*, sive uterque sit domi sive neuter, adhuc sunt plures interrogationes, sic debent afferri plures responsiones; ergo etiamsi Coriscus et Callias vocarentur eodem nomine Corisci, essent plures interrogationes, adeoque deberent afferri plures responsiones. Quod vero semper sint plures interrogationes, etiamsi de omnibus verificetur, quod petitur, patet; nam potest contingere, ut ad decies mille interrogationes possit responderi *sic* vel *non*, et tamen adhuc non sunt una interrogatio, adeoque non est respondendum unica responsione; ergo nihil facit, quod de omnibus verificetur vel non verificetur id, quod interrogatur, ad hoc, ut debeat afferri unica responsio. Cum enim non constet, an illa responsio sit ad omnes interrogationes vel non ad omnes, et ad quam interrogationem st, evertitur disputatio; ergo sicut ad plures interrogationes per diversa nomina non debet dari una responsio, sic neque ad plures interrogationes sub eodem nomine æquivoco danda est unica responsio, dicendo *sic* vel *non*. Si vero quis det unam responsionem, hæc responsio erit verbalis, sed vere non satisfaciet interrogationi. Adversarii autem dicunt, posse afferri unicam responsionem, quia non advertunt absurda, quæ sequuntur.

7. Concludit Aristoteles ex dictis, patere quod, sicut sunt apparentes redargutiones, sic sunt apparentes solutiones, et sicut aliquando præstat uti potius argumentationibus apparentibus quam veris, sic aliquando præstat in sophisticis disputationibus uti potius solutionibus apparentibus quam veris.

8. Porro autem in respondendo ad ea, quæ vera videntur, dicendum *esto*; sic enim minime fiet parexelenchus.

9. At si quis aliquod paradoxum cogatur dicere, hic maxime adjungendum responsioni verbum videri; sic enim neque elenchus neque paradoxum effici videbitur.

10. Quia vero manifestum est, quomodo postuletur quæsitum initio præpositum, ac omnes id postulari putant, si quæsito proximum sit quod petitur, idcirco tollenda sunt, non concedenda nonnulla, quasi quæsitum initio propositum interrogator petat;

11. et cum tale quid postulat aliquis, quod necessario quidem consequitur ex thesi, falsum autem est vel inopinabile, dicendum est, esse idem quod quæsitum; nam quæ necessario consequuntur, ipsius thesis partes videntur

12. Præterea cum universale non nomine, sed similitudinis collatione sumptum fuerit, dicendum est, adversarium non ut datum fuit, nec ut ipse proposuit, id sumere in conclusione, quia propter hoc sæpe fit elenchus.

13. Qui vero his responsionibus excluduntur, ad id confugere debent, ut non recte probatum esse contendant, occurrendo secundum traditam syllogismi et elenchi definitionem.

8. Descendit *deinde* Aristoteles ad tradenda magis in particulari loca, per quæ ita apparenter respondeamus, ut videamur non redargui. *Primo*, in iis, quæ videntur nobis vera et non videntur contra positionem, debemus dicere *esto* seu *transeat*. Per hoc enim videmur illa admittere solum gratia disputandi, adeoque etiamsi probetur oppositum, non videmur redargui.

9. Secundo, multo magis dicendum *videtur*, quando concluditur aliquid paradoxicum. Cum enim neque dicamus illud esse verum, neque dicamus esse falsum, videmur non redargui, quodcumque probetur.

10. Tertio, quandoquidem explicatum est, quid sit petere principium, cum arguens assumit propositiones valde propinquas illi, de qua disseritur, omnes sunt negandæ ac dicendum, quod arguens dum postulat tales propositiones, petit principium.

11. Quarto, cum adversarius infert necessario ex positione aliquid falsum ac inopinabile, et dicit id esse admittendum, dicendum, quod petit principium, quia qui ponit conclusionem, eo ipso ponit illud aliud, quod est necessario connexum cum conclusione.

12. Quinto, cum quis per inductionem ex pluribus singularibus colligit aliquid universale carens nomine, illud describens, dicendum, quod hoc non est illud universale, quod sequitur ex singularibus inductis; ex. gr., si quis ex eo, quod bos, capra, etc., carent dentibus in superiori mandibula, inferat: *ergo omne animal tale caret dentibus in superiori mandibula*, dicendum, quod non sequitur de eo universali, de quo infertur, sed de universali innominato.

13. Sexto, cum nulla occurrit talis responsio, recurrendum est ad responsionem generalem ac dicendum, quod argumentum non concludit secundum definitionem syllogismi, eo quod vel latet æquivocatio, etc.

14. Sane cum nomina proprie accipiuntur,

necesse est respondere vel simpliciter vel per distinctionem. Sed quod ad ea quæ tacite subintelligentes ponimus, veluti quæ non perspicue, sed deminute interrogantur, hinc sæpe accidit elenchus. Utputa, quod est Atheniensium, estne possessio Atheniensium? Utique. Similiter autem et in aliis dicendum. At enim nonne homo (ut Græci loquuntur) est animalium? Etiam. Homo igitur est animalium possessio. Nam hominem ideo Græca phrasi dicimus esse animalium, quia est animal; et Lysandrum esse Lacedæmoniornm, quia est Lacedæmonius. Patet igitur, ubi obscurum est quod proponitur, non esse concedendum simpliciter. Cum autem duo sunt ita inter se affecta ut, si alterum sit, alterum quoque necessario esse videatur, contra vero si hoc sit, non sit necessario et illud, tunc qui interrogatur, utrum eorum esse putet, id dare debet, quod minus late patet, quia difficilius est concludere ex multis.

16. Si quis autem inde argumentetur, quod alteri est aliquid contrarium, alteri non est, etiamsi ratio vera sit, tamen dicere oportet, esse quidem etiam alterius contrarium, sed nomen ei non esse positum.

14. Septimo, cum ratiocinatio proposita utitur nominibus et oratione clare significante intentum, propositiones sunt simpliciter admittendæ vel negandæ; cum vero ratiocinatio proposita est per propositiones truncatas ac dubii sensus, propositiones non sunt admittendæ vel negandæ simpliciter, sed sunt distinguendæ, quia sæpe accidit, ut ex propositionibus truncatis absolute concessis respondens redarguatur. Exemplum redargutionis ex propositione truncata et obscura est: *quod est alicujus est possessio illius; sed homo est animalium; ergo homo est possessio animalium.* Minor enim propositio est obscura, siquidem ly *homo est animalium*, significat, *quod homo sit animal*, sicut cum dicitur, quod *Lysander est Lacedæmoniorum*, significatur, quod Lysander est Lacedæmonius. Quia ergo obscurum est quod assumitur, non est concedendum sine distinctione, sed adhibenda est aliqua distinctio.

15. Octavo, cum quis proponit duo, quorum alterum si est verum, etiam aliud est verum, non e converso, concedendum est quod est minus; ex. gr., cum proponitur, quod moveri progressive est proprietas omnium vel aliquorum animalium, concedendum est, quod est proprietas solum aliquorum. Difficile enim est ex eo, quod sit proprietas aliquorum vel etiam plurium particularium, concludere per inductionem, quod sit proprietas omnium.

16. Nono, cum arguens probat, quod aliquid non sit genus alicujus, quia cum genus habet contrarium, etiam species habet contrarium; sed genus assignatum habet contrarium, non potest autem assignari contrarium speciei; ergo male assignatur genus talis speciei. Responderi debet, quod species etiam habet contrarium, sed innominatum, ideoque non possumus illud assignare.

17. Quia vero ex iis quæ multi dicunt, nonnulla sunt ejusmodi, ut si quis illa non admittat, eum falso respondere autument: quædam vero talia non sunt, ut ea de quibus in utramque partem sunt opiniones contrariæ, (utrum enim corruptibilis an incorruptibilis sit animantium anima, non est exploratum multis), in quibus igitur incertum est, utro modo dici soleat, quod ita proponitur, ut quæratur, utrum respondenti videatur, quales sunt quæ sententiæ appellantur (nam sententias appellant et veras opiniones et universas enuntiationes, ut diameter non habet communem mensuram),

18. et præterea de cujus veritate in utramque partem sunt opiniones, in his inquam omnibus nomina transferens maxime latere poterit. Nam quia incertum est, utro modo veritas habeat, non videbitur sophistice cavillari; et quia in utramque partem sunt opiniones, non videbitur falso respondere; translatio vero efficiet ne oratio possit elencho redargui.

19. Præterea quascumque interrogationes quis præsenserit, illis, antequam dicantur, debet objicere ac prædicere; sic enim maxime percontantem impediet.

17. Decimo, quia quædam communiter admittuntur, ideoque auditores dicunt mentiri eos, qui contradicunt; quædam e converso sunt ambigua, et ab aliis admittuntur, ab aliis negantur, prima sunt admittenda simpliciter ut vera, ad secunda dicendum, quod sunt dubia pro utraque parte.

18. Undecimo, cum quod interrogatur est dubium, debet respondens orationem transferre ad referenda nomina eorum, qui circa illam quæstionem contraria senserunt, dicendo ex. gr.: *Epicurei dixerunt sic, Stoici sic*, etc.; latebit enim sub umbra eorum, et cum res sit dubia, non videbitur sophistice agere, nec falsum dicere, nec redargui.

19. Duodecimo demum, cum prævidet quæ posset adversarius opponere contra responsionem, debet respondens illa prævenire, dicendo: *posset hoc opponi, sed non valet.* Arguens enim impeditur ab illis opponendis, ne videatur argumenta mutuari a respondente.

CAPUT III

DE VERA SOLUTIONE PARALOGISMORUM IN DICTIONE.

1. [18] Quoniam autem recta solutio est patefactio falsi syllogismi, docendo ex qua interrogatione falsum efficiatur;

2. falsus autem syllogismus dicitur bifariam, nempe si aut falso conclusum est, aut si, cum non sit syllogismus, videatur esse syllogismus; erit utique et quæ nunc dicta est solutio, et ejus qui syllogismus videtur, correctio docens, ob quam interrogationem falso videatur esse syllogismus.

Postquam Aristoteles egit de solutione apparenti, agit de vera solutione paralogismorum. *Primo* ergo explicat, quid sit recta solutio falsi syllogismi, ac dividit falsum syllogismum in eum, qui est falsus ratione materiæ, et in eum, qui est falsus ratione formæ; *secundo* docet generatim modum illos solvendi; *tertio* docet specialiter modum solvendi sex fallacias dictionis; *quarto* demum capite sequenti docet modum solvendi septem fallacias extra dictionem.

1. *Quoad primum* : recta solutio est *manifestatio falsi syllogismi, ob quamcumque interrogationem seu præmissam accidat ipsum falsam.* Sensus est, quod vera solutio est manifestatio, per quam ostenditur, syllogismum esse falsum, explicando, propter quem defectum interrogationum seu præmissarum sit falsus. Cum igitur ostenditur, syllogismum esse falsum, explicando, propter quem defectum sit falsus, recte solvitur paralogismus.

2. Syllogismus potest esse falsus dupliciter, primo ratione materiæ, quia licet sit in forma, omnes vel aliquæ præmissæ sunt falsæ; secundo ratione formæ, eo quod videatur concludere, sed non concludat, adeoque videatur esse syllogismus, sed non sit syllogismus. Recta ergo solutio est, quæ explicando defectum, propter quem syllogismus non concludit, quodammodo corrigit syllogismum apparentem et peccantem in forma.

3. Unde fit ut argumentationes concludentes negatione, quæ autem concludere videntur, distinctione solvantur.

4. Rursus quia concludentium argumentationum aliæ veram aliæ falsam conclusionem habent, eæ quidem quarum falsa est conclusio, dupliciter solvi possunt, nempe et tollendo aliquam interrogationem, et ostendendo non ita se habere conclusionem. Quæ vero propositiones falsas habent, tantummodo tollendo aliquam interrogationem solvi possunt, quandoquidem conclusio vera est. Quocirca qui argumentationem solvere volunt, primum considerare debent, concluseritne an vi concludendi careat, deinde utrum conclusio vera sit an falsa, ut vel distinguendo vel tollendo solvamus, tollendo, inquam, aut hoc aut illo modo, sicut antea dictum fuit.

5. Plurimum autem interest, utrum quis interrogatus an non interrogatus solvat argumentationem ; nam statim prospicere difficile est, per otium autem videre facile.

3. *Quoad secundum :* non eodem pacto solvi debent syllogismi peccantes ratione materiæ ac peccantes ratione formæ. Syllogismi peccantes ratione materiæ solvuntur interimendo præmissas, hoc est dicendo, aliquam præmissam esse falsam. Paralogismi peccantes ratione formæ solvuntur, ipsos dividendo ac resolvendo ac per resolutionem ostendendo, quod ex præmissis non fit syllogismus, ac nihil sequitur, eo quod ratiocinatio peccet contra aliquam regulam.

4. Ex syllogismus concludentibus quidem, sed peccantibus ratione materiæ, quidam inferunt conclusionem veram, quidam falsam. Syllogismi inferentes conclusionem falsam duobus modis possunt solvi : primo directe ostendendo, quod aliqua præmissa sit falsa; secundo indirecte ostendendo, quod conclusio est falsa. Syllogismi inferentes conclusionem veram unico modo possunt solvi, interimendo nimirum omnes vel aliquas præmissas; conclusio siquidem non potest interimi, ostendendo illam esse falsam, cum non sit falsa. Ut igitur solvamus ratiocinationem propositam, primo debemus considerare, utrum concludat vel non; secundo, utrum conclusio sit vera vel falsa; et si ratiocinatio non concludit, debemus illam solvere ostendendo, præmissas non esse in forma; si concludit, debemus interimere aliquam ex præmissis, vel etiam conclusionem, si conclusio est falsa.

5. Addit Aristoteles, multo difficilius esse respondere ad sophisticas ratiocinationes, cum proponuntur ab aliis in disputatione, quam cum nos ipsi illas proponimus in privato studio. Nam facile est ex otio videre defectus ratiocinationum, at admodum difficile est, statim videre tales

defectus; ideo hic liber, in quo traditur ars solvendi paralogismos etiam in disputatione propositos, non est inutilis.

6. [19] Elenchorum igitur, qui ex homonymia et amphibolia ducuntur, alii habent aliquam interrogationem plura significantem, alii conclusionem multifariam acceptam. Ut in captione illa, σιγῶντα λέγειν, conclusio duplex est. In hac vero, eum qui scit, non simul scire (ut in hac argumentatione, qui scit dicere aut facere, illud quoque simul scit, quod dicit aut facit; atqui hic scit dicere carmina iambica; hic igitur simul scit etiam iambica) una interrogatio est ambigua

7. Ac quod duplex est, alias est verum, alias non est verum; quod enim est duplex, partim significat quod est, partim quod non est.

8. Quibus igitur in fine inest multiplicitas, nisi opponens assumpserit contradictionem, non fit elenchus; ut in captione illa, cæcum videre, quia sine contradictione non erat elenchus. Quibus vero multiplicitas inest in interrogationibus, in his non est necesse prius negare quod duplex est, quia non ad hoc, sed ex hoc exstruitur argumentatio.

6. *Quoad tertium:* descendit Aristoteles ad docendum in particulari modos solvendi sex paralogismos dictionis. Ex paralogismis æquivocationis et amphibologiæ, alii habent interrogationes seu præmissas ambiguas et plura significantes, alii habent conclusionem plura significantem. Exemplum paralogismi, in quo conclusio plura significat, est: *quemcumque contingit dicere, contingit loqui; contingit silentem dicere, ergo contingit silentem loqui.* Conclusio est ambigua; nam et potest facere hunc sensum : *contingit ut silens loquatur, dum silet*, et hic sensus est falsus; et potest facere hunc sensum verum: *contingit, ut quis loquatur silentem, puta lapidem silentem.* Exemplum paralogismi, in quo altera præmissarum plura significat, est: *omnis, qui scit aliquid dicere vel facere, scit illud, quod dicit vel facit; sed hic puer scit dicere iambica; ergo hic puer scit iambica.* Major est ambigua; potest enim intelligi, quod qui scit aliquid dicere, sciat illud secundum dictiones, et quod sciat secundum significationem; si dicatur, quod scit secundum dictionem, est verum; si dicatur, quod scit secundum significationem, est falsum. In conclusione vero, qua infertur : *ergo hic puer scit iambica*, intelligitur, quod non solum scit dictiones, sed etiam significationem et regulas scribendi jambica, et quod scits cribere jambica.

7. Propositiones ambiguæ aliquando secundum utrumque sensum significant ens, hoc est verum, eo quod in utroque sensu sint veræ, aliquando significant non ens in utroque sensu, eo quod in utroque sensu sint falsæ, aliquando in uno sensu significant ens, in alio non ens, eo quod in uno sensu sunt veræ, in altero falsæ.

8. Syllogismi concludentes conclusionem ambiguam, non sunt neque videntur redargutiones, nisi adversarius posuerit contradictorium talis conclusionis. Redargutio enim debet concludere contradictorium ejus, quod dixerit respondens. At in syllogismis sumentibus præmissas ambiguas, ad hoc ut sint vel videantur redargutiones, non est necesse, ut respondens neget aliquam præmissam; præmissæ enim non sumuntur, ut contradictoriæ respondenti, sed ad probandam conclusionem contradictoriam respondenti; ergo licet respondens non negaverit tales præmissas, si ex his infertur conclusio contradictoria positioni, quam respondens posuit, tales præmissæ sunt redargutio.

9. Initio igitur, cum duplex est nomen et oratio, sic respondendum, partim esse partim non esse. Utputa σιγῶντα λέγειν uno modo esse verum, altero falsum. Et facienda esse τὰ δέοντα de his vere dici, de illis falso, quia τὰ δέοντα multis modis dicuntur.

10. Sin ab initio multiplicitas lateat, ad extremum adjectione interrogatio est corrigenda; est igitur verum σιγῶντα λέγειν. Minime. sed τόνδε σιγῶντα. Sed et in iis quæ multiplicitatem habent in propositionibus, similiter est faciendum. Veluti, non igitur simul sciunt quod sciunt. Utique, sed non qui ita sciunt; neque enim hæc idem valent, non accidere ut qui sciunt simul sciant, et non accidere ut qui ita sciunt simul sciant. Et omnino pugnare debet respondens, etiamsi adversarius simpliciter concluserit, ac dicere non rem a se affirmatam, sed nomen eum negasse, ideoque non esse elenchum.

9. His positis, docet Aristoteles modum respondendi ad syllogismum ex æquivocis et ambiguis. Cum arguens interrogat de aliquo ambiguo, tanquam de principio disputationis, non debemus id admittere, neque negare simpliciter, sed cum distinctione, dicendo, quod in uno sensu est verum, in altero falsum. Ex. gr., si quærat quis : *contingitne silentem dicere?* debemus respondere cum distinctione, dicendo, quod in aliquo sensu contingit, in aliquo non contingit. Si

enim sensus sit. *an quis possit dicere silentem*, est verum; si autem sensus sit, *an quis possit dicere silens*, est falsum.

10. Secundo, si quis non determinans ambiguitatem, responderit sine distinctione, postquam sophista fecit ratiocinationem sophisticam, debet corrigere responsionem, distinguendo propositionem ambiguam; ex. gr., debet dicere: *negavi, quod contingat silentem dicere, ita ut ipse silens dicat; non negavi, posse contingere, ut quis dicat aliquam rem silentem, puta ligna vel lapides*. Eodem pacto cum proponuntur præmissæ ambiguæ, debent distingui. Ex. gr., dum sophista quærit, *an omnis, qui dicit, aliquid, sciat quod dicit*, debet responderi, quod aliquo modo scit, aliquo modo nescit, scit quoad voces, quoad significationem potest nescire. Si vero negaverit aliquid ambiguum sine distinctione, cum syllogizatur contradictoria affirmativa, debet respondere, quod non negavit rem, sed nomen in alio sensu, adeoque non redarguitur, quia non concluditur id, quod negavit secundum rem, hoc est in eo sensu, in quo negavit, sed secundum nomen, hoc est in alio sensu.

11. [20] Perspicuum etiam est, quomodo solvendæ sint argumentationes, quæ ex compositione et divisione ducuntur. Nam si divisa et composita oratio diversam habet significationem, id in solutione est dicendum quod conclusioni repugnat.

12. Sunt autem omnes ejusmodi argumentationes ex compositione et divisione. Num quo tu vidisti hunc vapulantem, eo hic vapulavit; et quo vapulavit, eo tu vidisti? Habet sane hæc fallacia aliquid ambiguæ interrogationis, sed nihilominus est ex compositione. Neque enim duplex est quod sumitur ex divisione, quia non eadem oratio efficitur, cum est divisa, quæ ante erat conjuncta. Nisi et ὄρος et ὅρος, cum accentu prolata, accipiuntur diversis modis; sed in scriptis idem est nomen, quando iisdem elementis scriptum est et eodem modo. Et illic igitur notæ eædem fiunt; sed quæ pronuntiantur, sunt diversa. Quare duplex non est quod ex divisione sumitur. Perspicuum quoque est, non omnes elenchos sumi ex multiplicitate, ut nonnulli autumant. Distinguere igitur debet qui respondet. Non enim idem valet, si quis dicat, aliquem videre oculis vapulantem, et si dicat, videre oculis vapulantem.

13. Huc referatur et Euthydemi ratio, num vidisti tu nunc stantes in Piræeo triremes in Sicilia existens?

14. Et rursus; num potest bonus, cum sit sutor, pravus esse? Atqui potest aliquis, cum sit bonus sutor, pravus esse; proinde sutor pravus.

15. Item, num quorum bonæ sunt scientiæ, ea sunt bona mathemata? sed mali bonum est mathema; malum igitur est bonum mathema. Atqui malum et mathema est et malum; malum igitur est malum mathema.

16. Numquid vere dicitur nunc te natum esse? natus igitur es nunc. An aliud significat divisum quam conjunctum? Vere namque dicitur, nunc te natum esse, sed non vere dicitur, nunc te natum esse.

17. Num quomodo potes, et quæ potes, hæc et eo modo utique feceris? Atqui non pulsans citharam præditus es facultate pulsandi citharam; ergo citharam pulsaveris, citharam non pulsans. An non hac præditus est facultate, ut non pulsans pulset citharam; sed quando hoc non facit, habet facultatem faciendi?

18 Solvunt autem nonnulli et aliter hoc sophisma. Nam si respondens concessit, se facturum quomodo facere potest, negant inde sequi, ut non pulsans citharam pulset, quia non quocumque modo facere potest concessit se facturum nec idem valet, quomodo potest, et quocumque modo potest facere. Sed apparet eos non recte solvere. Nam argumentationum, quæ ex eodem loco sumuntur, eadem est solutio; hæc vero non conveniet omnibus ejusdem generis argumentationibus, nec quovis modo interrogatis, sed est ad interrogantem, non ad argumentationem accommodata solutio.

11. Tradita solutione paralogismorum, qui fundantur in æquivocatione et amphibologia, tradit Aristoteles solutionem paralogismorum, qui fundantur in compositione et divisione. Quandoquidem aliud significat oratio composita, aliud divisa, cum quis concludit orationem compositam, dicendum, quod talis oratio non est vera composita, sed divisa; cum autem concludit orationem divisam, dicendum, quod talis oratio non est vera divisa, sed composita. Ex. gr., si sophista ex eo, quod *hic est bonus sutor*, velit inferre, *quod est bonus*, dicendum, quod non bene ex eo, quod sit vera hæc oratio composita: *est bonus sutor*, infertur, quod sit vera hæc oratio divisa: *est bonus*; si autem arguens ex eo, quod quis *sit bonus* et *sit sutor*, inferat, quod *est bonus sutor*, dicendum, quod ex eo, quod est vera oratio divisa, non bene infertur, quod sit vera oratio composita.

12. Affert deinde Aristoteles plura exempla sophismatum secundum compositionem et divisionem, ac eorum solutionem. *Primum* exemplum est: *quo vidisti illum percussum, eo percussus est; sed oculis vidisti hunc percussum; ergo oculis est percussus*; vel: *quo percussus est, illo vidisti percussum; sed baculo percussus est;*

ergo baculo vidisti percussum. Quia vero posset aliquis putare, quod fallacia compositionis ac divisionis reducatur ad fallaciam amphibologiæ, ideo Aristoteles docet, quod licet hæc fallacia sit affinis amphibologiæ, adhuc non coincidit cum amphibologia. Orationes enim amphibologicæ tales sunt, ut non pendeat ex earum prolatione, ut faciant unum vel alterum sensum; at orationes compositæ ac divisæ tales sunt, ut unum sensum faciant, si proferantur compositæ, alterum si proferantur divisæ, adeoque sint diversa oratio. Explicatur : ὄρος cum spiritu leni significat montem, ὅρος cum spiritu aspero significat limitem seu terminum. Si ergo talis vox proferatur sine spiritu, duplex est, si proferatur cum distinctione spirituum, non est duplex. Proportionaliter oratio composita ac divisa, si scribatur sine compositione ac divisione, duplex est; si proferatur cum compositione vel divisione, non est simpliciter duplex; ergo non coincidit cum amphibologia, ac proinde non verum est, quod omnes redargutiones coincidunt cum amphibologia vel æquivocatione, ut quidam dicunt. Solutio igitur primi paralogismi est, quod illa minor : *oculis vidisti hunc percussum,* est vera, dividendo *percussum* ab *oculis,* et faciendo hunc sensum : *oculis vidisti percussum baculo;* in conclusione vero ly *percussum* componitur cum oculis, ac infertur : *percussus est oculis.* Solutio secundi paralogismi est, quod in majori : *quo percussus est,* etc., ly *quo* seu instrumentum percutiendi est divisum a *vidisti,* et compositum cum *percussus;* in conclusione vero: *ergo baculo vidisti,* baculus, qui est instrumentum percutiendi, componitur cum oculis et cum *vidisti,* adeoque est fallacia compositionis.

13. Secundum exemplum est illa Euthydemi ratiocinatio : *putasne vidisti tu nunc existentes in Pyræo naves in Sicilia existens;* si ly *nunc* componatur cum *vidisti tu,* oratio est falsa et absurda; sensus enim est : *tu nunc vidisti naves existentes in Pyræo, cum existas in Sicilia ;* si vero ly *nunc* dividatur a *vidisti* et componatur cum *Pyræo,* oratio est vera; sensus enim est, quod *tu vidisti ante naves nunc existentes in Pyræo, cum existas in Sicilia.*

14. Tertium exemplum est : interrogat sophista : *putasne bonum sutorem esse malum sutorem?* Respondetur negative. Sophista sic arguit : *hic est bonus sutor*; *hic est malus ; ergo hic est bonus sutor malus.* Conclusio est falsa, si *malus* componatur cum *sutore* ac dicatur, quod *sutor bonus est sutor malus ;* si *malus* dividatur a *sutore* et dicatur, *quod sutor bonus* est malus simpliciter, hoc est *malus homo,* conclusio est vera.

15. Quartum exemplum est : interrogat sophista : *putasne quorum disciplinæ sunt bonæ bonas esse disciplinas?* Respondetur affirmative; arguit sophista : *cujus disciplina est bona, est bona disciplina; sed mali disciplina est bona; ergo malum est bona disciplina.* Fallacia est, quia potest subintelligi *illius* vel *illud.* Si ergo bona disciplina componatur cum *illud* et sensus sit : *illud est bona disciplina, cujus est bona disciplina,* major est falsa; si bona disciplina componatur cum *illius* et sensus sit, illius est bona disciplina, cujus est bona disciplina, major est vera, sed non sequitur conclusio. Addit Aristoteles, quod ex eo, quod et malum et aliqua disciplina, scilicet quæ docet facere malum, sit malum, non sequitur, quod disciplina malorum sit mala; potest enim contingere, ut disciplina malorum sit bona.

16. Quintum exemplum est : interrogat sophista : *putasne verum est dicere nunc quoniam tu factus es?* Respondetur affirmative. Infert sophista : *ergo nunc tu factus es,* siquidem verum est dicere, quod *nunc factus es.* Solutio est, quia ly *nunc* debet conjungi cum ly *verum est dicere* ac dividi a *factus es;* nunc enim verum est dicere, quod tu factus es; at non est verum dicere, quod tu factus es nunc.

17. Sextum et ultimum exemplum est, interrogat sophista : *putasne quæ potes, et ut potes sic facies?* Concedit respondens; arguit sophista : *sed tu non citharizans potes citharizare; ergo tu citharizabis non citharizans.* Solutio est, quia minor est vera, componendo ly *non citharizans,* cum *potes,* falsa est componendo ly *non citharizans* cum citharizare. Nam tu *non citharizans potes citharizare;* at non potes *citharizare, non citharizando.*

18. Addit Aristoteles, quod aliqui aliter respondent. Dicunt enim, quod qui concessit *citharizabis ut potes.* non concessit, ut omnino et universaliter, sed ut particulariter; ergo male infertur : *ergo citharizabis non citharizando.* Verum hæc responsio non omnino solvit. Bona enim solutio debet posse applicari omnibus paralogismis ejusdem rationis; sed plures

possunt afferri paralogismi ejusdem rationis, quibus non est applicabilis dicta solutio; ergo, etc. Vera igitur solutio est jam allata, ideoque est axioma receptum : *cum compositio decipit, divisio solvit; cum divisio decipit, compositio solvit.*

19. [21] Ex accentu vero argumentationes non sunt, neque in scriptis neque in pronuntiatis, nisi paucæ quædam fiant, ut hæc argumentatio : estne τὸ οὗ καταλύεις domus? Certe. Nonne τὸ οὐ καταλύεις est negatio τοῦ καταλύεις? etiam. Dixeras autem τὸ οὗ καταλύεις esse domum; domus igitur est negatio. Quomodo autem solvendæ sint hujusmodi captiones, manifestum est, quoniam illud ου non idem significat, cum acutius et cum gravius profertur.

19. Circa fallaciam accentus docet Aristoteles pauca ex ipsa fieri sophismata, tum in orationibus scriptis tum in prolatis. Unicum affert exemplum. Interrogat sophista : *nonne* οὗ *habitas domus est?* Annuit respondens. Arguit sophista : ly οὗ *habitas est negatio habitandi; sed* οὗ *habitas est domus; ergo domus est negatio habitandi.* Solutio est quia particula ου aliud significat cum accentu circumflexo, aliud cum acuto; οὗ cum accentu circumflexo significat ubi; οὔ cum accentu acuto significat non ; ex eo vero, quod concessum fuerit, quod οὗ, hoc est *ubi habitas*, est domus, infertur quod οὔ habitas, hoc est *non habitas* sit domus.

20. [22] Patet etiam, quomodo sit occurrendum argumentationibus ex eo ductis, quod eodem modo dicuntur, quæ non eadem sunt, quandoquidem tenemus genera categoriarum. Nam ille quidem interrogatus concessit, non esse quidpiam eorum quæ essentiam significant; hic vero probavit, esse quidpiam eorum quæ referuntur ad aliquid vel sunt in quantorum numero, ac videntur essentiam significare propter similem dictionem. Ut in hac argumentatione :

21. Acciditne, idem simul facere et fecisse? Nequaquam. Atqui eamdem rem et secundum idem simul videre et vidisse contingit.

22. Estne aliquid facere et pati? Minime. Quin hæc, τέμνεται, καίεται, αἰσθάνεται (id est secatur, uritur, sentit), similiter efferuntur, et omnia pati quiddam significant. Rursus λέγειν, τρέχειν, ὁρᾶν (id est dicere, currere, videre), simili inter se modo dicuntur. Atqui τὸ ὁρᾶν (id est videre) est αἰσθάνεσθαί τι (id est species quædam τοῦ sentire); proinde simul est et facere et pati.

23. Si quis autem illic, cum concesserit, non posse aliquem simul eamdem rem facere et fecisse, fateatur, aliquem posse videre et vidisse, nondum est convictus elencho, si videre non dicat esse facere quiddam, sed pati, quoniam opus est etiam hac interrogatione. Sed auditores existimant, eum hoc concessisse, quando concessit, secare esse facere quiddam et secuisse fecisse quiddam, et quæcumque alia similiter dicuntur. Reliquum enim ipse auditor supplet, quasi similiter dicatur. Sed hoc non similiter dicitur, verum ita videtur propter similem dictionem. Idem autem hic accidit quod in homonymiis Nam qui verborum vim ignorat, in homonymis putat, quam rem affirmavit respondens, eam negasse opponentem, non tantum nomen, cum tamen insuper sit opus interrogatione, an ad unam rem respiciens utatur verbo homonymo; hoc enim concesso erit elenchus.

20. Ultima fallaciarum dictionis est, quæ fundatur in eo, quod quæ non sunt eadem, significantur simili figura dictionis. Quoniam igitur scimus, quo pacto differant prædicamenta, possumus scire, quo pacto solvantur tales paralogismi. Explicatur : interrogat sophista, an aliquid spectans ad prædicamentum substantiæ et significans *quid est*, ex. gr. Socrates spectet ad alia prædicamenta? Respondetur negative; arguit sophista : *pater est ad aliquid; Socrates est pater; ergo Socrates est ad aliquid*, et eodem pacto potest ostendere, quod Socrates spectat ad prædicamentum quantitatis, etc.

21. Plura horum paralogismorum exempla proponit Aristoteles. *Primum* est : interrogat sophista : *putasne possibile idem numero nunc facere et ante fecisse?* Respondetur negative. Arguit sophista : *possibile est idem numero videre nunc et vidisse ante; ergo possibile est idem numero facere nunc et fecisse ante.* Argumentum nititur in eo, quod similes dictiones sint *facere* et *videre*, *fecisse* et *vidisse*, et tamen non valet. Nam *facere et fecisse* significant actionem, qua faciens facit factum, *videre et vidisse* significant passionem, qua videns movetur ad videndum ab objecto viso. Licet autem sit impossibile, ut qui nunc facit aliquid, idem ante fecerit, non est impossibile, ut qui patitur ab aliquo, ab eodem ante sit passus.

22. Secundum exemplum est : interrogat sophista : *putasne quod pati sit agere?* Respondetur negative, arguit sophista : *secatur, uritur, patitur sensationem*, similiter dicuntur ac significant pati; rursus *dicere*, *currere*, *videre* similiter dicuntur, et significant agere; sed videre est idem ac sentire, et est pati sensationem; ergo aliquid agere est pati. Solutio

est, quia licet *videre* similiter dicatur ac *currere et dicere,* adhuc non significant idem; nam *videre* significat quoddam pati, *currere ac dicere,* significant agere.

23. Addit Aristoteles, quod etiamsi respondens concedat, quod est impossibile idem facere et fecisse, et simul concedat, quod est possibile idem videre ac vidisse, adhuc non est redargutus, nisi concedat, quod videre et vidisse significant non passionem, sed actionem. Si vero interrogatus hoc concesserit propter similem figuram dictionis, tum est redargutus. Quia vero videtur audienti admisisse, quod sicut *secari, uri*, etc., significant passionem, sic *secare, urere,* et alia hujusmodi significant actionem, *videre* autem apparet simile propter figuram dictionis, licet vere non sit simile, ideo videtur etiam concessisse, quod videre significat actionem, adeoque videtur redargutus. Explicatur exemplo æquivocationis. Qui enim negavit propositionem æquivocam, si sophista probet eam in alio sensu, quam in eo, in quo fuit negata, videtur respondens redargutus, et tamen vere non est redargutus, quia non negavit rem sed nomen; audienti tamen, quia negavit nomen, videtur negasse rem. Proportionaliter qui concessit, quod possibile est idem videre et vidisse, si neget, quod possibile est idem facere et fecisse, videtur redargutus, quia propter similem figuram dictionis videtur, quod sicut *facere et fecisse* significant actionem, sic videre et vidisse significant actionem. Si tamen non concedat, quod significent actionem, non est redargutus vere, sed solum apparenter.

24. His quas exposui similes sint hæ quoque argumentationes, quæ sequuntur. Num quod quis habens postea non habet, amisit? Nam qui unum modo talum amisit, non habebit decem talos. An quod non habet, cum prius haberet, amisit; quantum vero aut quot non habet, non est necesse tot eum amisisse? Cum igitur in interrogatione dixerit quod habet, in conclusione ponit tot; nam decem sunt aliquot. Si igitur interrogasset ab initio « quot aliquis non habet, cum prius haberet, totne amisit »? nemo concederet, sed vel tot vel horum quidpiam.

25. Item captio, qua concluditur, posse aliquem dare quod non habet, quia non habet unum solum talum. An qui dedit unum solum talum, non dedit quod non habebat, sed quomodo non habebat, nempe unum? Nam illa dictio *solum* non significat hoc nec quale nec quantum, sed quomodo refertur ad alterum, veluti non haberi una cum alio.

26. Perinde igitur est ac si quis interrogasset: « quod quis non habet, potestne dare» ? Altero vero negante hoc fieri posse, quæreret, an possit aliquis dare cito, non habens cito; atque illo assentiente, concluderet, dare aliquem posse quod non habet. Perspicuumque est eum non recte conclusisse, quia cito dare non est, hoc dare, sed ita dare; ut vero quis non habet, dare potest, verbi gratia, libenter habens dare potest gravate. Expositis captionibus hæ quoque similes sunt.

27. Num ea quam non habet manu verberare potest? Aut num eo quem non habet oculo videre potest? Quia non habet unum tantum.

24. Tertium exemplum est : interrogat sophista, utrum qui habebat aliquid, et nunc non amplius id habet, amiserit illud. Respondetur affirmative. Arguit sophista : *qui habebat decem calculos, si unum amittat, non amplius habet decem calculos; ergo amisit decem calculos, quod est absurdum.* Solutio est, quia transitur a *quod* ad *quantum* vel *quot.* Qui enim habebat aliquid, et jam non habet, amisit illud; at qui tot vel tantum habebat, et jam non habet tot vel tantum, non est necesse, ut amiserit tot vel tantum. Ideo si quis interroget : *qui tot habebat et jam non habet tot, amisitne tot?* Debet negari. Ut enim aliquis, qui habebat decem, non amplius habeat decem, non est necesse, ut amittat decem, sed sufficit, ut amittat unum vel duo.

25. Quartum exemplum est : *hic dat unum solum calculum; non habet unum solum calculum; ergo dat quod non habet.* Solutio est, quod particula *solum* non significat *quid*, neque *quantum*, neque *quale*, sed quo pacto calculus se habet ad alios calculos, quod nimirum est sine aliis calculis. Quod autem qui habens calculum sine aliis calculis, det calculum sine aliis calculis, non repugnat.

26. Quintum exemplum est : interrogat sophista, an possit quis dare, quod non habet. Respondetur negative. Interrogat rursus, an possit quis dare cito, quod non habet cito. Respondetur affirmative. Arguit sophista : *dat cito; non habet cito; ergo dat, quod non habet.* Non concludit, quia *dare cito* non est *dare quid*, sed *dare hoc modo.* Potest autem quis dare modo, quo non habet; ex. gr., qui habet aliquid delectabiliter, potest dare non delectabiliter, sed moleste.

27. Sextum exemplum est : interrogat sophista : putasne potest quis percutere manu, quam non habet, vel videre oculo

quem non habet? Respondetur negative; arguit sophista: *percutit solum una manu, videt uno solum oculo; non habet unam solum manum, nec unum solum oculum; ergo percutit manu, quam non habet, et videt oculo, quem non habet.* Solutio est eadem, quæ ad exemplum quartum. Particula enim *solum* non significat id, quod habetur, sed respectum rei habitæ. Licet igitur habeat manum non solam, sed cum alia, percutit manu sola.

28. Hujusmodi captiones solvunt nonnulli, dicentes, et unum solum sive oculum sive aliud quodvis habere eum, qui plura habet.

29. Alii vero aiunt, et accepisse quempiam quod habet; dedit enim alter unum solum calculum; et hic habet (inquiunt) unum solum ab illo calculum.

30. Alii autem statim interrogationem tollentes, affirmant, fieri posse ut quis habeat quod non accepit; veluti qui vinum accepit dulce, si corruptum sit inter accipiendum, habeat acidum.

31. Verum ut antea dictum fuit, omnes hi non ad argumentationem, sed ad hominem solutionem accommodant. Nam si esset hæc solutio quam afferunt, qui contrarium daret, solvere non posset, sicut in aliis quoque captionibus usuvenit. Utputa si solutio est, quia partim est partim non est, si simpliciter concesserit, concluditur; sin autem non concluditur, non potest ea esse solutio. In captionibus vero paulo ante dictis, concessis omnibus, negamus fieri syllogismum.

28. Allata vera solutione dictorum paralogismorum, Aristoteles refert ac rejicit tres alias solutiones non rectas, quas antiqui afferebant. *Prima* solutio ad argumenta: *non habet unum solum oculum, nec unam solam manum; percutit una sola manu, videt uno solum oculo; ergo percutit manu, quam non habet, videt oculo, quem non habet; non habet unum solum calculum; dat unum solum calculum; ergo dat quod non habet* — prima inquam solutio est, negando majorem. Dicunt enim, quod qui habet plures manus aut oculos, adhuc habet etiam unum solum, et qui habet plures calculos, adhuc habet etiam unum solum.

29. Secunda solutio est: sicut accipiens unum solum calculum ab hoc, quamvis aliunde habeat alios calculos, adhuc habet unum solum calculum ab hoc dante, ita dans, licet habeat alios calculos, adhuc habet unum solum calculum, ita ut det huic accipienti; ergo eo pacto, quo accipiens habet unum solum calculum acceptum ab hoc, ita dans habet unum solum calculum, quem det huic; ergo non sequitur, quod det quod non habet.

30. Tertia solutio est: alii ad interrogationem: *utrum potest quis dare, quod non habet?* respondent, quod potest. Sicut enim potest habere, quod non accepit, ita potest dare, quod non habet; ex. gr., potest quis accipere vinum suave, et tamen si vinum post acceptionem acescat, habebit vinum acre; ergo proportionaliter potest quis habere vinum suave, et tamen si illud acescat in datione, dat vinum acre vel acidum; ergo dat quod non habet.

31. Rejicit omnes istas solutiones Aristoteles. Nam non tam solvunt paralogismos secundum rem et vere, quam ad hominem et apparenter. Si enim vera solutio talium paralogismorum consisteret in negatione talium propositionum, qui concederet dictas propositiones, non posset solvere; sed etiam concedendo tales propositiones possumus solvere et de facto nos solvimus illis propositionibus admissis; ergo allatæ solutiones non sunt veræ solutiones. Ex. gr., si vera solutio talium captionum consistit in hoc, ut dicamus propositionem dici multipliciter, et in uno sensu esse veram, in alio falsam, qui concedit propositionem dici non multipliciter, sed uno solum modo, is necessario convincetur, et dato hoc, conclusio sequetur necessario; sed dato, quod propositio non dicatur multipliciter, adhuc conclusio non sequitur necessario; ergo vera solutio non consistit in hoc, quod conclusio dicatur multipliciter.

32. Præterea hæ quoque in hujusmodi argumentationum numero sunt. Num quod scriptum est, scripsit aliquis? Scripta autem est, nunc te sedere, falsa oratio; sed vera erat, quando scribebatur; simul igitur scribebatur falsa et vera. Nam veram aut falsam orationem opinionemve esse non hoc, sed tale significat; eadem namque ratio est etiam opinionis quæ orationis.

33. Item, num quod discit discens, hoc est quod discit? Discit autem quis τὸ βραδὺ ταχύ (id est, tardum celeriter). Non enim opponens dixit, quod quis discit, sed quomodo discit.

34. Et, num quod quis perambulat, calcat? Perambulat autem totum diem. An non dixit quod quis perambulat, sed quando perambulat?

35. Neque cum dicimus « calicem bibit », indicamus, quod bibit, sed ex quo.

36. Item, num quod quis novit, inveniens vel discens novit? Quorum autem alterum invenit

alterum didicit, his si ambo simul accipiantur, neutrum convenit. An hic omne accipitur, ibi vero non omne?

32. Rejectis aliis solutionibus, pergit Aristoteles afferendo alia exempla paralogismorum ex figura dictionis. — Septimum igitur exemplum est : interrogat sophista: *quod scriptum est, nonne scripsit quis?* Respondetur affirmative; subsumit sophista : *sed quod scriptum est. est hæc oratio : Socrates sedet, quæ nunc est falsa, cum autem scribebatur erat vera ; ergo scripsit quis simul orationem veram et falsam*. Solutio est, quia *orationem esse veram vel falsam* non est *quid*, sed est qualitas orationis ; scribens vero scripsit orationem, cui uno tempore accidit, ut sit vera, alio tempore accidit, ut sit falsa. Sicut autem verum vel falsum non est *quid* orationis, sed ejus qualitas, sic verum et falsum non est *quid* opinionis, sed ejus qualitas.

33. Octavum exemplum est : interrogat sophista : *putasne quod discit aliquis, hoc est quod discit?* Respondetur affirmative, subsumit sophista : *sed aliquis discit id, quod est tarde celeriter ; ergo quod est tarde est celeriter*. Solutio est, quia ly *celeriter* non significat id, quod discitur, sed modum discendi ; est autem verum, quod id, quod discit quis, est id, quod discit ; at non est verum, quod id, quod discit quis, sit ipse modus discendi. Dum autem infertur, quod id, quod est tarde, est celeriter, infertur, quod id, quod discit quis, sit ipse modus discendi.

34. Nonum exemplum est : interrogat sophista: *putasne, quod perambulat quis pessumdat* ? Respondetur affirmative ; subsumit sophista : *sed ambulat quis totam diem ; ergo pessumdat totam diem*. Solutio est, quia mutatur locus in tempus. Nam *perambulans* pessundat locum, quem perambulat, at non pessundat tempus. Dum autem dicitur, quod *ambulat quis totam diem*, non significatur locus, sed tempus, ideoque non sequitur conclusio.

35. Decimum exemplum est : *quod bibis est liquidum* ; *bibis scyphum ; ergo scyphus est liquidus*. Solutio est, quia *scyphus non* significat id, quod bibitur, sed instrumentum, in quo bibitur ; liquidum autem est, quod bibitur, non autem instrumentum.

36. Undecimum exemplum est : sciat quis duo, alterum per inventionem ex se ipso, alterum per disciplinam ab alio. Arguit sophista : *hic ambo hæc scit ; sed ambo non scit per inventionem neque per doctrinam ; ergo quid scit, non scit per inventionem neque per doctrinam*. Solutio est, quia mutatur singulare in plurale et *omne* in *omnia*. Concessum enim fuit id, quod scit in singulari, sciri per doctrinam vel per inventionem, non autem sciri per doctrinam vel inventionem *omnia*, quæ scit in plurali.

37. Item, esse quemdam tertium hominem præter ipsum hominem et singulos homines. Nam homo, et quidquid commune est, non hoc aliquid, sed quale quidpiam vel ad aliquid vel quomodo vel ejusmodi quidpiam significat. Idem contingit in quæstione, utrum Coriscus et Coriscus musicus sint eadem res an diversa. Nam alterum hoc aliquid, alterum quale significat. Quare non licet hoc exponere. Neque vero expositio tertium hominem facit, sed illa concessio, id quod est commune, esse id ipsum quod hoc aliquid. Sic enim fit, ut hoc aliquid esse, non sit id ipsum quod Callias, et sit id ipsum quod homo. Nec si quis dicat id quod exponitur, non esse id ipsum quod hoc aliquid, sed id ipsum quod quale, quidquam refert ; erit enim nihilominus præter multos unum aliquid, ut homo. Apparet igitur non esse concedendum, hoc aliquid esse quod communiter multis attribuitur, sed vel quantum vel quale vel ad aliquid vel hujus generis aliud quidpiam significare.

37. Duodecimum exemplum est : *homo est quid præter Socratem, Calliam et alios homines singulares ; ergo præter homines singulares datur tertius homo universalis*. Solutio est, quod homo et omne universale, quod dicitur de pluribus, licet significentur nomine substantivo sive singulari, adhuc non sunt *hoc aliquid per se existens*, sicut singularia, sed sunt aliquid tale, vel aliquid relativum, vel aliquo modo se habens ; ergo non bene infertur, quod sit tertius homo præter singularia, sed quod sit homo existens in singularibus ac qui dicatur de singularibus. Hoc sophisma est simile huic : *Coriscus musicus differt a Corisco ; ergo præter Coriscum datur Coriscus musicus* . Coriscus enim musicus non significat *hoc aliquid*, sed *quale aliquid ;* ergo Coriscus musicus non est quid præter Coriscum, sed supra Coriscum addit *esse musicum*, quod est accidens Corisci. Quia ergo simile est sophisma. similis est solutio. Quod vero homo universalis sit tertius homo præter singulares, non sequitur ex eo, quod dicatur de singularibus, sed ex eo, quod supponatur, homine muniversa-

lem esse *hoc aliquid*, quod tamen est falsum, ideoque non est admittendum.

38. [23] Omnino autem in disputationibus a dictione sumptis semper oppositum ei ex quo argumentatio ducitur erit solutio. Utputa si ex compositione sumitur argumentatio, solutio erit per divisionem, si ex divisione, per compositionem. Rursus si ex accentu acuto arguatur, gravis accentus erit solutio, si vero ex gravi, acutus. Sin autem ex homonymia, licet oppositum nomen dicendo solvere. Utputa si ex argumentatione sequitur ut negando dicatur non esse animatum, ostendatur esse animatum. Quodsi respondens dixit inanimatum, ille autem qui argumentatur conclusit esse animatum, dicere oportet esse animatum. Similiter faciendum est et in amphibolia. At si ex similitudine dictionis ductum sit argumentum, oppositum erit solutio. Veluti num quod non habet, dare aliquis potest? An non potest quod non habet, sed quomodo non habet? Ut unum solum talum. Num, quod scit, discens an inveniens scit? Sed non quæ scit. Et, num quod perambulat, calcat? Sed non quando. Similiter et in aliis ejusmodi captionibus est faciendum.

38. Ex dictis concludit Aristoteles, quo pacto universaliter solvendi sint omnes paralogismi dictionis. Solutio paralogismorum dictionis semper consistit in opposito ejus, in quo consistit paralogismus; ex. gr., si ratiocinatio paralogizat, quia componit, solutio consistit in divisione; si paralogizat, quia dividit, solutio consistit in compositione. Si paralogizat propter accentum gravem, solutio consistit in hoc, quod nomen debet notari accentu acuto et e converso. Si paralogismus consistit in æquivocatione, per quam nomen æquivocum intelligitur de animato, solutio consistit in hoc, quod debet intelligi de inanimato et e converso; ex. gr., si quis arguat: *omnis canis moritur; aliqua stella est canis; ergo aliqua stella moritur;* paralogismus est, quia ut sit vera major, *canis* debet intelligi de solo animato, in minori vero intelligitur etiam de inanimato, et sic infertur conclusio, quæ non deberet inferri. In amphibologia, si paralogismus fundetur in eo, quod oratio sumatur in uno sensu, solutio est, quod debet sumi in alio sensu. Demum in paralogismo figuræ dictionis, si paralogismus fundetur in eo, quod dictio sumatur ut significans *quid* propter similitudinem cum aliis dictionibus significantibus *quid*, solutio erit, quod talis dictio non significat *quid*; ex. gr., quia paralogismus: *non habet unum solum calculum; dat unum solum calculum; ergo dat quod non habet*, fundatur in eo, quod ly *solum* sumitur tanquam significans *quid*, solutio est, quod *solum* significat *ad aliquid*, adeoque non sequitur, quod det quod non habet, sed quod det, ut non habet. Si paralogismus fundetur in eo, quod singulare mutetur in plurale, solutio erit, quod debet sumi solum singulare; ex. gr., solutio hujus: *quod scit Petrus, scit per inventionem vel disciplinam; hæc duo scit; ergo*, etc. solutio inquam hujus est, quia quod scit, scit per inventionem aut disciplinam, non autem *omnia*, quæ scit, scit per inventionem aut disciplinam. Si paralogismus fundatur in eo, quod locus mutatur in tempus, solutio est, quia est verus de loco, non de tempore; ex. gr., quia hic paralogismus: *quod perambulat quis pessumdat; perambulat totam diem; ergo pessumdat totam diem*, — fundatur in eo, quod locus mutatur in tempus, ideo solutio est, quod quis pessundat locum, in quo perambulat, non autem tempus, in quo perambulat.

CAPUT IV

DE SOLUTIONE FALLACIÆ ACCIDENTIS.

1. [24] Quod vero ad captiones, quæ ex accidente ducuntur, una et eadem est omnium solutio. Nam quia incertum est quando dicendum sit de re quod accidenti inest, ac in nonnullis quidem hoc videtur et vulgo concedunt, in aliis vero negant esse necessarium, dicendum est igitur, accomodata ad omnes eadem solutione, non esse necessarium. Oportet autem habere in promptu exemplum, quod proferatur.

2. Sunt autem omnes hæ argumentationes ex accidente, scisne quod sum interrogaturus?

3. Nostin' eum qui accedit aut qui absconsus est?

4. Num hæc statua tuum est opus?

5. Numquid hic canis tuus est pater?

6. Numquid pauca paucis vicibus accepta pauca sunt?

7. Perspicuum enim est, in his omnibus non necesse esse, ut quod de accidente vere dicitur, etiam de re ipsa vere dicatur. Nam in iis solis quæ secundum essentiam indifferentia et unum sunt, omnia videntur eadem inesse. Ei vero quod est bonum, non idem est esse bonum et fore interrogandum. Neque ei qui accedit vel absconsus est, idem est accedentem vel absconsum esse et Coriscum esse. Itaque non si Coriscum novi, eum vero qui accedit non novi, propterea eumdem novi et non novi. Neque si hoc est opus meumque est, ideo meum est opus,

sed vel possessio vel res vel aliud quodvis. Eodem modo et in aliis se res habet.

1. Solutis fallaciis dictionis docet Aristoteles modum solvendi fallacias extra dictionem. Prima est fallacia accidentis. Omnium paralogismorum accidentis est una et universalis solutio. Cum enim sit indefinitum, quandonam quod dicitur de accidente, dicatur etiam de subjecto, quando autem non dicatur; (in quibusdam enim casibus quod dicitur de accidente, dicitur de subjecto, in aliis non necessario dicitur de subjecto), — ideo ad omnes paralogismos, per quos ex eo, quod aliquid dicitur de accidente, probatur de subjecto, vel ex eo, quod aliquid dicitur de subjecto, probatur de accidente, dicendum est, quod conclusio non sequitur necessario. Verum oportet in medium proferre aliquid simile, in quo ex eo, quod aliquid dicatur de accidente, non sequitur quod dicatur de subjecto, vel e converso.

2. Proponit deinde Aristoteles varia exempla paralogismorum accidentis. *Primum* exemplum est : interrogat sophista : *nostine de quo debeo te interrogare?* respondetur negative; arguit sophista : *bonum est, de quo debeo te interrogare; nosti bonum; ergo nosti de quo debeo te interrogare.*

3. Secundum est : interrogat sophista : *agnoscisne venientem vel coopertum?* respondetur negative; arguit sophista : *Coriscus est veniens vel coopertus; cognoscis Coriscum; ergo cognoscis venientem vel coopertum.*

3. Tertium est : interrogat sophista : *hæc statua estne opus tuum?* respondetur negative, est enim opus Phidiæ; arguit sophista : *statua est tua; statua est opus; ergo statua est opus tuum.*

5. Quartum est : interrogat sophista : *hic canis estne tuus pater?* respondetur negative; arguit sophista : *hic canis est tuus; hic canis est pater; ergo hic canis est pater tuus.*

6. Quintum est : interrogat sophista : *paucies pauca nonne sunt pauca?* respondetur affirmative : arguit sophista : *centum sunt paucies pauca, sunt enim decies decem; sed centum sunt multa; ergo multa sunt pauca.*

7. Solutio omnium est, quia quod dicitur de subjecto non dicitur necessario de accidente, neque e converso. Ratio est, quia tum solum quod dicitur de uno, dicitur de alio, cum ita sunt unum, ut non differant definitione et essentia; sed *esse bonum*, et *esse id, de quo debeo interrogare,* non sunt idem definitione et essentia, sed solum sunt idem per accidens; ergo non omne, quod dicitur de bono, dicitur de eo, de quo debeo interrogare; adeoque licet de bono dicatur, quod bonum nosti, adhuc de eo, de quo debeo interrogare, non dicitur, quod nosti id, de quo debeo interrogare. Rursus *esse Coriscum, et esse venientem vel coopertum,* non sunt idem definitione; ergo licet Corisco accidat *esse venientem vel coopertum,* adhuc quod dicitur de Corisco, non dicitur de veniente vel cooperto; ergo ex eo, quod cognoscam Coriscum, non sequitur, quod cognoscam venientem vel coopertum, neque sequitur, quod idem cognoscam vel non cognoscam, intelligendo ly *idem* de eodem secundum definitionem, sed solum de eodem per accidens, quod simpliciter non est idem. Idem dic ad alios allatos paralogismos.

8. Solvunt autem has captiones nonnulli distinguendo interrogationem ; ajunt enim fieri posse ut eadem res sciatur et ignoretur, non tamen secundum idem. Cum igitur eum qui accedit non cognoscant, Coriscum vero cognoscant, idem se cognoscere et ignorare fatentur, non tamen eodem modo.

9. Atqui primum quidem, sicuti jam diximus, oportet earum argumentationum, quæ ex eodem loco ducuntur, eamdem esse correctionem ; hæc autem non erit solutio, si quis non ex verbo cognoscere, sed ex verbo esse aut modo quodam affectum esse idem axioma sumat. Veluti si hic est pater, et est tuus. Ut enim in quibusdam id verum sit, idemque possit sciri et ignorari, at certe huc dicta solutio nullo modo quadrat.

10. Cæterum nihil vetat, eamdem argumentationem pluribus vitiis laborare; attamen non cujuscunque peccati patefactio solutio est. Nam fieri potest, ut quis ostendat, falsum esse conclusum, unde autem, non ostendat; utputa solvens argumentationem Zenonis, qua concluditur nihil posse moveri. Quapropter et si quis respondens nitatur argumentando ducere tanquam ad impossibile, peccat, etiamsi decies millies concludat, quia non est hæc solutio. Erat enim solutio patefactio falsi syllogismi, ostendens, cur falsus sit. Si igitur opponens nihil conclusit, sive verum sive falsum conetur argumentatione colligere, ejus rei declaratio solutio est.

11. An fortassis hoc in quibusdam usuvenire nihil prohibet, sed in his captionibus ne hoc quidem videri potest. Nam et Coriscum novit esse Coriscum, et eum qui accedit, esse eum qui accedit. Sed contingit idem scire ac nescire, veluti album esse scire, musicum vero esse igno

rare; sic enim idem novit et non novit; non tamen secundum idem. Verum hic, et id quod accedit, et Coriscum scit, esse id quod accedit et esse Coriscum.

8. Allata vera et radicali solutione paralogismorum accidentis, rejicit Aristoteles quasdam falsas solutiones. Primo ad paralogismum : *cognoscis Coriscum, non cognoscis venientem; Coriscus est ipse veniens; ergo idem cognoscis et non cognoscis, quod est absurdum*, respondent negando esse absurdum, quod idem cognoscatur secundum unum et non cognoscatur secundum aliud; sed non est idem *esse Coriscum* et *esse venientem;* ergo idem cognoscis secundum unum, non cognoscis secundum aliud, quod non repugnat.

9. Rejicit Aristoteles hanc responsionem, *primo*, quia oportet solutionem ratiocinationis laborantis aliquo vitio posse applicari ad omnes similes ratiocinationes laborantes eodem vitio; sed allata solutio, quod possit idem cognosci secundum unum et non secundum aliud, non potest applicari aliis similibus ratiocinationibus laborantibus eodem vitio; si enim loco verbi *cognoscitur*, ponatur verbum *est*, vel aliud simile, ut cum dicitur : *hic canis est pater; hic canis est tuus; ergo hic canis est pater tuus*, non poterit applicari talis solutio, et tamen erit idem vitium argumenti; ergo mala est allata solutio.

10. Confirmatur, quia potest aliqua ratiocinatio habere plures defectus, puta quod præmissæ sint falsæ, quod non concludat, et quod conclusio sit falsa, et tamen talis ratiocinatio non solvitur manifestando qualemcumque defectum. Si enim solum dicatur et demonstretur, quod hæc oratio infert falsum, at non explicetur propter quod vitium infert falsum, proculdubio ratiocinatio non solvitur. Ex. gr., argumentum Zenonis, quo probatur, non dari motum, quia non possunt infinita pertransiri, non solvitur, dicendo falsum esse, quod motus non datur, et quod si motus non daretur, sequeretur impossibile, etiamsi per mille syllogismos hoc demonstraretur. Ratio, quare non solvatur, est, quia solutio est manifestatio, per quam ostenditur, propter quid syllogismus sit falsus; sed ostendendo, quod conclusio illa sit falsa, non ostenditur propter quid syllogismus sit falsus; ergo ostendendo, quod conclusio illa est falsa, non solvitur syllogismus; ergo cum syllogismus est falsus, quia ex præmissis non sequitur conclusio, non solvitur, dicendo, quod conclusio illata est vera vel falsa, sed debet dici, quod conclusio non sequitur; ergo cum ex allato paralogismo : *Coriscus est veniens; nosti Coriscum; ergo nosti venientem*, conclusio non sequatur, hoc debet dici ad illum solvendum, et nisi hoc dicatur, non solvitur talis syllogismus.

11. Secundo rejicit Aristoteles eamdem responsionem, quia licet possit aliquid cognosci secundum unum et non cognosci secundum aliud, eo pacto, quo si idem sit album et musicum, potest cognosci ut album et non cognosci ut musicum, adhuc hoc non verificatur in casu nostro. Nam ego non solum cognosco, quod Coriscus est Coriscus, sed quod veniens est veniens; sed Coriscus et veniens sunt idem; ergo idem cognosco secundum utrumque; ergo non verificatur, quod idem cognoscam secundum unum, non cognoscam secundum aliud.

12. Similiter ut ii quos diximus, peccant et qui ita solvunt captionem, dicentes, omnem numerum et multum et paucum esse. Etenim si, cum nihil concludatur, hoc prætermisso verum conclusum esse fateantur (omnem enim numerum et multum esse et paucum), profecto peccant.

13. Sunt etiam qui ex duplicitate dissolvunt hos syllogismos, quibus concluditur, tuum esse patrem aut filium aut servum.

14. Atqui perspicuum est, si ex multiplicitate videtur sumi elenchus, opus esse ut nomen vel oratio proprie multorum dicatur; hunc vero esse hujus filium, nemo dicit proprie, si dominus est filii; sed ex accidente est hæc compositio. Estne hoc tuum? Etiam. Hoc autem est filius; hoc igitur est tuus filius; quoniam accidit ut sit et tuus et filius, non tamen tuus filius.

15. Huic similis est et captio, qua concluditur aliquod bonum esse τῶν κακῶν (id est malorum), quia prudentia est scientia malorum.

16. Sed hoc esse horum non dicitur multifariam, sed tantum possessionem significat. Aut si forte multifariam dicitur (etenim dicimus hominem esse τῶν ζῴων, id est animalium, non tamen esse eorum possessionem), etiam si quid ad mala ita referatur, ut aliquid dicitur esse alicujus, ob id τῶν κακῶν (id est malorum) est; sed hoc non est omnino et simpliciter τῶν κακῶν. Ergo propter significationem quadamtenus et simpliciter acceptam videtur elenchus.

17. At fortasse contingit, ut aliquid bonum sit τῶν κακῶν bifariam; non tamen in hac argumentatione, sed potius in illa : estne aliquod mancipium bonum pravi domini? quanquam fortasse ne sic quidem est multiplicitas; neque enim si bonum est et hujus est, conjunctim quoque est bonum hujus. Quin ne illud quidem, cum

dicimus hominem esse τῶν ζῴων, multifariam accipitur. Non enim si quando aliquid significamus suppressa aliqua parte, id dicitur multipliciter. Nam et dimidio versu pronuntiato « da mihi Iliadem» significamus, veluti : da mihi μῆνιν ἄειδε θεά.

12. Iisdem argumentis rejicitur solutio eorum, qui ad paralogismum, quo probatur, quod multa sunt pauca, respondent, id non esse absurdum, quia omnia sunt multa et pauca respectu diversorum. Cum enim paralogismus non concludat, solutio debet hoc dicere; illi vero hoc omittentes, dicunt solum, omnia esse multa et pauca respectu diversorum.

13. Secundo ad paralogismos, in quibus sic arguitur : *hic pater est; hic est tuus; ergo hic est tuus pater : hic est filius; ergo hic est tuus filius*, etc., respondent, quod conclusio est æquivoca. Ly enim *tuus* potest significare, vel quod sit tuus, ut possessio aut servus, vel quod sit tuus, ut pater vel filius; conclusio autem sequitur in uno sensu, non sequitur in alio, adeoque est fallacia ejus, quod dicitur multipliciter.

14. Rejicit Aristoteles hanc solutionem. Ut enim sit fallacia æquivocationis, debet nomen vel oratio proprie significare plura; sed hæc oratio: *hic est tuus filius*, proprie significat solum, quod hic sit tuus ut filius, non autem ut servus aut possessio; ergo non est fallacia multiplicis, sed est fallacia accidentis. Quia enim eidem accidunt *tuus* et *filius*, componuntur tuus et filius inter se, et infertur, quod hic est tuus filius. Talis autem compositio non sequitur. Non enim quæ dicuntur de eodem subjecto, et cum ipso componuntur, dicuntur et componuntur ad invicem.

15. Similis est solutio, qua aliqui respondent ad paralogismum : *prudentia est bona; prudentia est disciplina malorum; ergo aliquid malorum est bonum*. Dicunt enim, quod conclusio: *aliquod malorum est bonum*, dicitur dupliciter. Potest enim significare, vel quod aliquid ex numero malorum est bonum, et hoc est falsum; vel quod aliquid contemplativum malorum est bonum, et hoc est verum.

16. Rejicitur hæc responsio, quia proprie hæc propositio : *aliquid malorum est bonum*, non potest habere hunc sensum, quod aliquid contemplativum malorum sit bonum; ergo ex hoc capite illa conclusio non est æquivoca, nec est æquivoca, in quantum infertur per allatam ratiocinationem, licet possit esse æquivoca, in quantum potest significare, quod aliquid, quod est possessio malorum, est bonum, eo pacto, quo bonus servus potest esse possessio malorum dominorum; ergo vera solutio est, quod conclusio non sequitur. Ex eo enim, quod prudentiæ accidat *esse bonam*, et *esse disciplinam malorum*, non sequitur, quod bono accidat esse malorum, sed est paralogismus accidentis, in quo ex eo, quod duo dicantur de eodem subjecto, infertur, quod dicantur ad invicem.

17. Addit Aristoteles, fortasse non proprie dici aliquid malorum bonum, eo quod bonus servus sit mali domini. Neque enim valet : *hic est bonus; hic est servus mali domini; ergo aliquod bonum est mali;* nam est eadem fallacia accidentis. Hæc etiam oratio : *homo est animalium*, non videtur dici multipliciter, sed solum videtur significare, quod homo est aliquid in numero animalium. Quando enim aliquid intelligitur, etiamsi illud auferatur et non exprimatur, adhuc oratio non dicitur multipliciter; ex. gr., licet significetur Ilias per dimidium primi versus, intelligendo reliqua, ut cum dicitur : *da mihi iram cane dea*, adhuc hæc oratio non dicitur multipliciter, neque significat, vel : *da mihi Iliadem*, vel : *da mihi dimidium hujus versus*, sed solum significat : *da mihi Iliadem*, quia ad dimidium versus expressi subintelliguntur reliqui.

CAPUT V. — ART. I.

DE SOLUTIONE PARALOGISMORUM A SECUNDUM QUID AD SIMPLICITER.

1. [25] Argumentationes autem ex eo ductae, quod proprie dicitur hoc vel quadamtenus vel alicubi vel quodammodo vel ad aliquid, non simpliciter solvendæ sunt perpendendo conclusionem collatam cum contradictione, ut intelligatur, an aliquid ejusmodi in ea contingat. Nam contraria et opposita et affirmatio ac negatio simpliciter quidem eidem rei inesse nequeunt; sed quominus quadamtenus utrumque, aut facta ad aliquid comparatione, aut quodammodo, aut alterum quadamtenus alterum simpliciter insit, nihil prohibet. Quare si alterum simpliciter dicitur alterum quadamtenus, nondum est elenchus. Hoc autem in conclusione ad contradictionem collata spectandum est.

2. Omnes autem ejusmodi argumentationes hoc habent. Fierine potest ut quod non est sit? Atqui aliquid est id quod non est. Simili ratione, quod est, non erit, quia non erit aliquid eorum quæ sunt. Fierine potest, ut idem simul liquido

juret ac pejeret? Fierine potest, ut idem eidem simul credat et non credat?

3. An neque esse aliquid et esse simpliciter idem sunt? Quod vero non est, non si est aliquid, propterea etiam simpliciter est; neque si liquido jurat hoc et quadamtenus, necesse est eum liquido jurare? (etenim jurans se pejeraturum, dum pejerat, liquido jurat hoc solum, sed non simpliciter liquido jurat); nec qui fidem non habet, credit?

4. Similis quoque est argumentatio illa, qua eumdem aliquid simul falso et vere dicere ostenditur. Verum quia non facile intelligitur, utrum illud *simpliciter* aptandum sit ad veracem esse, an ad mendacem esse, sophisma explicatu difficile videtur. Sed nihil vetat, eumdems impliciter quidem esse mendacem, quadamtenus autem veracem vel de aliquo; aut esse vera quædam, vera autem simpliciter non esse.

1. Secunda ex fallaciis extra dictionem est fallacia *a secundum quid ad simpliciter*. Docet igitur Aristoteles, quod paralogismi fundati in eo, quod aliquid dicitur simpliciter vel secundum quid, hoc est vel qua tale, vel alicubi, vel aliquo modo, vel respectu ad aliquid, solvendi sunt considerando, an conclusio passa sit aliquid tale ad suum contradictorium, ita ut cum ad redarguendum deberet inferri conclusio simpliciter affirmans vel negans, inferatur conclusio affirmans vel negans secundum quid. Licet enim opposita affirmatio et negatio non possit eidem inesse simpliciter, possunt tamen inesse secundum quid et ex parte, vel respectu diversorum, vel aliquo modo, vel etiam unum simpliciter, alterum secundum quid. Si igitur arguens probet, unum inesse simpliciter et non inesse secundum quid, non redarguit. Ad cognoscendum vero, an hoc solum arguens probet, conferenda est conclusio cum sua contradictoria.

2. Affert deinde Aristoteles exempla paralogismorum ex simpliciter ad secundum quid, et eorum solutiones. Primum est : interrogat sophista : *putasne non ens esse?* respondetur negative; arguit sophista : *non ens est opinabile; quod est opinabile est; ergo non ens est*. Secundum est : interrogat sophista : *putasne ens non est ens*? respondetur negative; arguit sophista : *Socrates est ens; sed Socrates non est Callias; ergo ens non est*. Tertium est: interrogat sophista : *putasne posse aliquem implendo juramentum pejerare*? Respondetur negative. Proponit casum sophista, quod aliquis juraverit se pejeraturum et non satisfacturum alicui juramento, tum sic argumentatur : *iste pejerando satisfecit juramento; ergo potest aliquis implendo juramenta pejerare*. Quartum est : interrogat sophista : *putasne potest idem alicui credere et non credere?* respondetur negative. Arguit sophista : *si quis duo dicat, possum unum credere, alterum non credere; ergo possum eidem credere et non credere*.

3. Omnes isti paralogismi solvuntur dicendo, quod non redarguunt, quia non probant contradictorium illius, cujus debent probare contradictorium. In primo ergo paralogismo debet probari, quod non ens est simpliciter, ac solum probatur, quod non ens est opinabile; quod autem est opinabile non est simpliciter, sed solum secundum quid. In secundo probatur, Socratem, qui est ens, non esse Calliam; at non esse Calliam non est simpliciter non esse, sed solum est, non esse quid. In tertio paralogismo probatur, eum, qui pejerat, implere juramentum pejerandi; at non probatur, simpliciter implere juramentum, cum transgrediatur aliud juramentum. Demum in quarto exemplo probatur, posse aliquem credere eidem secundum quid et secundum aliquid, et non credere simpliciter et secundum omnia, non autem probatur, posse simpliciter credere et non credere.

4. Eodem pacto solvitur paralogismus, quo sic probatur, posse eumdem simul mentiri et verum dicere. Dicat aliquis : *ego dico nunc, equum volare, et hoc dicendo falsum dico*. Videtur, quod simul dicat verum et falsum. Dicit enim, se falsum dicere, et hoc est verum; dicit, equum volare, et hoc est falsum; ergo mentitur et simul verum dicit. Dicendum, quod simpliciter mentitur, sed verum dicit de hoc, quod falsum dicat. Quia vero difficile est advertere, an simpliciter mentiatur, an potius simpliciter verum dicat, ideo videtur, quod simpliciter mentiatur et verum dicat (1).

5. Similiter se res habet in his limitationibus, ad aliquid, alicubi, aliquando; omnes enim hujusmodi argumentationes hinc proficiscuntur. Estne sanitas vel divitiæ res bona? Sed imprudenti ac non recte utenti non est res bona; est igitur res bona et non bona.

6. Numquid bene valere aut in civitate potentem esse bonum est? Sed aliquando hoc non est melius; idem igitur eidem est bonum et non

(1) Videtur legendum : « et verum dicat secundum quid ».

bonum. An nihil prohibet, quod simpliciter est bonum, huic non esse bonum? Vel huic quidem esse bonum, non tamen hoc tempore aut non hoc loco?

7. Num quod nollet prudens, malum est? non vult autem perdere quod est bonum; malum igitur est, quod est bonum. Non est enim idem, si quis dicat bonum esse malum, et bonum perdere esse malum.

8. Similiter solvenda est argumentatio de fure; non enim si fur est res mala, etiam eum capere est res mala. Qui igitur eum vult capere, non rem malam vult sed bonam, quia furem capere est res bona.

9. Et morbus quoque est res mala, non tamen perdere morbum.

5. Eodem etiam pacto solvuntur paralogismi, qui loco probandi affirmationem vel negationem simpliciter, probant affirmationem vel negationem respective, vel cum determinatione ad locum aut tempus. *Primum* exemplum est : interrogat sophista : *putasne sanitas ac divitiæ sunt bonum?* Respondetur affirmative; arguit sophista: *sanitas et divitiæ insipienti non sunt bonæ; ergo sunt bonæ et non sunt bonæ.* Solutio est, quia non repugnat idem esse bonum simpliciter et huic non esse bonum.

6. Secundum exemplum est : interrogat sophista : *estne bonum esse sanum et habere potentiam in civitate?* Respondetur affirmative. Arguit sophista : *aliquando non est bonum esse sanum et habere potentiam in civitate; ergo idem eidem est bonum et non est bonum.* Solutio est, quia non repugnat idem alicui esse bonum simpliciter, at aliquando non esse bonum.

7. Tertium exemplum est : interrogat sophista : *putasne, quod non vult sapiens, est malum?* Respondetur affirmative; subsumit sophista : *sed sapiens non vult amittere bonum; ergo bonum est malum.* Solutio est, quia loco concludendi : *ergo amittere bonum est malum*, concluditur : *ergo bonum est malum*, cum profecto non idem sit *bonum* ac *amittere bonum*. Est autem fallacia a *secundum quid* ad *simpliciter*, quia sumitur, quod idem sit non velle amittere bonum, quod est solum non velle bonum ut amissum, ac non velle bonum simpliciter.

8. Quartum exemplum, quod Aristoteles solum innuit, est paralogismus furis, qui videtur talis : *fur est malus; judex vult capere furem; ergo judex vult malum.* Fallacia est, quia licet fur sit malus, capere furem non est malum, sed bonum. Fit autem transitus a *secundum quid* ad *simpliciter*, quia sumitur, quod velle capere malum, quod est velle malum *secundum quid* et cum addito, sit velle malum simpliciter.

9. Quintum exemplum affine est : interrogat sophista : *ægritudo nonne est malum?* Respondetur affirmative; subsumit sophista : *sed ægrotus vult amittere ægritudinem; ergo vult malum.* Fallacia est, quia sumitur, quod velle amittere ægritudinem, quod est velle ægritudinem secundum quid et ut amissam, sit idem ac velle ægritudinem simpliciter.

10. Numquid justum est optabilius quam injustum et juste quam injuste? atqui injuste mori est optabilius quam mori juste.

11. Num justum est sua quemque habere? quæ tamen ex sententia sua quis judicaverit, etiamsi falsa ea sententia sit, rata sunt lege; idem igitur est justum et non justum.

12. Et utrum oportet condemnare eum qui justa dicit, an eum qui injusta?

13. Atqui justum est ut et is qui injuria est affectus, sufficienter dicat quæ passus est; haec vero sunt injusta. Non enim si quid pati injuste optabile est, ideo injuste est optabilius quam juste. Sed simpliciter quidem τὸ juste est optabilius; hoc vero quominus injuste sit optabilius quam juste, nihil vetat. Et sua quemque habere justum est, aliena vero habere non justum, hoc tamen judicium justum esse nihil vetat, veluti si ex sententia judicantis sit. Non enim si justum est hoc vel sic, etiam simpliciter est justum. Similiter cum haec injusta sint, nihil prohibet, quominus ea dicere justum sit. Non enim si justum est ea dicere, necesse est ea justa esse, quemadmodum nec si utile est ea dicere, necesse est ea esse utilia. Similiter enim et de rebus justis est sentiendum. Itaque non si ea quæ dicuntur injusta sunt, proptera qui dicit injusta vincit; ea namque dicit quæ dictu sunt justa, simpliciter autem et ad ferendum injusta.

10. Sextum exemplum est : interrogat sophista : *nonne justum est eligibilius injusto, et quod est juste, magis est eligendum quam quod injuste?* Respondetur affirmative; arguit sophista : *eligibilius est mori injuste quam mori juste; ergo aliquando injuste eligibilius est quam juste, et injustum est eligibilius justo.*

11. Septimum exemplum est : interrogat sophista : *nonne justum est unumquemque habere, quod suum est; habere autem aliena est injustum?* Respondetur affirmative: subsumit sophista : *sed cum judex secundum opinionem falsam adjudicat alicui aliena, illa ex lege sunt illius*

cui adjudicantur: ergo tum illa possidere est justum et injustum; est justum, quia est possidere ex lege; est injustum, quia est possidere aliena.

12. Octavum exemplum est : interrogat sophista, utrum oporteat judicio condemnare eum, qui dicit justa, an eum qui dicit injusta. Respondetur, quod eum, qui dicit injusta; subsumit sophista : *sed qui passus est injuriam, dicit injusta, quæ passus est; ergo oportet judicio condemnare eum, qui passus est injuriam, quod est absurdum.*

13. Solutio horum trium paralogismorum est, quia transitur a *secundum quid* ad *simpliciter*. In sexto enim exemplo, eligibilius est, quod simpliciter *juste* quam quod *injuste;* at juste mori non est simpliciter *juste*, ideo est minus eligibile, quam injuste mori, quod non est simpliciter injuste. In septimo exemplo : aliquem habere, quæ illi adjudicantur ex falsa opinione, justum est solum secundum quid, hoc est secundum opinionem judicantis, simpliciter autem et secundum veritatem est injustum; ergo idem est justum secundum quid et secundum opinionem, injustum simpliciter et secundum veritatem, quod non repugnat. In octavo exemplo : oportet judicio condemnare eum, qui dicit ea, quæ dicere est injustum, non autem eum, qui dicit injusta, quæ passus est, et quæ dicere est justum; sed qui dicit in judicio, quæ passus est injuste, dicit injusta, quæ passus est, et quæ dicere est justum; ergo non oportet eum condemnare. Porro non sequitur : *quæ dicit sunt injusta; ergo injustum est illa dicere:* sicut non sequitur : *quæ dicit sunt utilia; ergo utile est illa dicere*. Sæpe enim dicere utilia non est utile, sed damnosum.

CAPUT V. — ART. II

DE SOLUTIONE PARALOGISMORUM PROPTER IGNORANTIAM ELENCHI, PETITIONIS PRINCIPII, CONSEQUENTIS, NON CAUSÆ UT CAUSÆ, ET PLURIUM INTERROGATIONUM UT UNIUS.

14 [26] Iis autem argumentationibus, quæ ex definitione elenchi exsistunt, prout elenchus descriptus antea fuit, occurrendum est conclusione ad contradictionem examinata, quomodo erit ejusdem et secundum idem et ad idem, et eodem modo et eodem tempore. Quod si quis ab initio rogetur, non est ei fatendum, quasi non possit idem esse et duplum et non duplum, sed concedendum, non sic tamen ut fieri elenchum in confesso est.

15. Sunt autem omnes hæ argumentationes ex hoc loco. Num qui unumquodque novit esse unumquodque, rem novit? et qui ignorat itidem? Sed fieri potest, ut aliquis sciens Coriscum esse Coriscum, ignoret eum musicum; itaque eamdem rem et scit et ignorat.

16. Et rursus, num quadricubitum tricubito majus est? sed fieri potest ex tricubito quadricubitum in longitudinem; majus autem est minore majus; igitur se ipso majus est et minus.

14. Docet demum Aristoteles modum solvendi quinque ultimas fallacias extra dictionem. — *Tertia* fallacia extra dictionem est propter ignorantiam elenchi. Paralogismi propter ignorantiam elenchi consistunt in hoc, quod sumantur ut contradictoria ea, quibus non conveniunt omnes particulæ positæ in definitione redargutionis et contradictoriorum. Solvuntur dicendo, quod conclusio non est contradictoria propositioni, cui sumitur esse contradictoria, eo quod non sunt affirmatio et negatio ejusdem secundum idem, respectu ejusdem similiter et in eodem tempore. Ex. gr., si quis arguat : *sex sunt duplum trium; non sunt duplum quatuor; ergo sex sunt duplum et non sunt duplum*, — solutio est, quia sunt duplum respectu unius, non sunt duplum respectu alterius, quod non est contradictio, ad quam requiritur, ut idem affirmetur ac negetur respectu ejusdem. Addit Aristoteles, quod si sophista ab initio interroget ex. gr., *utrum impossibile sit idem esse duplum et non esse duplum*, respondens non debet simpliciter admittere, quod est impossibile, sed debet dicere, quod est impossibile, si sumantur cum omnibus particulis positis in definitione contradictoriorum, si aliter sumantur non est impossibile. Ratio est, quia si respondens absolute admittat id esse impossibile, videtur redargui.

15. Proponit deinde Aristoteles duo exempla paralogismorum propter ignorantiam elenchi. *Primum* est : interrogat sophista: *nonne sciens de unoquoque, quod est id, quod est, scit rem, ignorans de unoquoque, quod est id, quod est, ignorat rem?* Respondetur affirmative; subsumit sophista : *sed potest aliquis scire, quod Coriscus est Coriscus, et ignorare, quod Coriscus est musicus; ergo potest quis idem scire et ignorare.* Solutio est, quia potest quis idem scire et ignorare secundum diversa, non autem secundum idem;

sed *esse Coriscum* et *esse musicum* sunt diversa; ergo potest quis scire de eodem, quod sit Coriscus, et ignorare, quod sit musicus, nec hoc est contradictio, quia licet idem sciatur et non sciatur, non tamen secundum idem.

16. Secundum exemplum est : interrogat sophista : *putasne quadricubitum est majus tricubito?* Respondetur affirmative; proponit casum sophista, quod cera tricubita extendatur secundum longitudinem et fiat quadricubita; tum sic arguit : *cera quadricubita est major tricubita ; ergo cera quadricubita* est major se ipsa secundum idem, hoc est secundum longitudinem. Solutio est, quod non eodem tempore vel quod non secundum eamdem longitudinem. Cera enim uno tempore habens unam longitudinem, est major se ipsa alio tempore et ut habente minorem longitudinem.

17. [27] Quæ vero ex eo ducuntur, quod postulatur et sumitur quæsitum initio propositum, percontanti quidem, si id manifestum sit, non sunt concedendæ, ne tum quidem si probabile sit eum vera dicere. Sin ab initio id latuerit, ad postremum ignorantia propter hujusmodi argumentationum vitium in ipsum interrogantem est retorquenda, ceu qui non bene disputarit. Nam elenchus tum demum est, cum syllogismus exstruitur sine eo, quod ab initio quæsitum fuit. Deinde quod datum id sit, non quasi adversarius eo usurus esset, sed quasi argumentando probaturus contrarium quam in parexelenchis fecerit.

17. Quarta fallacia extra dictionem est fallacia petitionis principi. In paralogismis, in quibus sumitur ut præmissa et petitur quod est probandum, si respondenti sit manifestum, quod petitur principium, non est concedendum id, quod petitur, etiamsi sit probabile vel verum, sed dicendum, quod debet probari. Si vero obscurum sit respondenti, *an quod petitur sit ipsum principium, an non*, hæc ipsa obscuritas retorquenda est in adversarium ac dicendum, quod latenter petit principium, adeoque non redarguit, quia in definitione redargutionis est, quod non debet poni in præmissis id, quod est probandum. Si autem respondens concesserit aliquid, quod deberet probari adeoque contineat petitionem principii, cum ex illo redarguitur, debet defendens respondere, quod illud dederit, non ut eo uteretur ad redarguendum, sed ut probaret oppositum, sicut fit in redargutionibus exercitatoriis, in quibus aliqua admittuntur, non quia censentur vera, neque ut iis utatur adversarius ad probandum id, de quo est principalis controversia, sed solum ut argumentans contra id, quod datur, conetur redarguere.

18. [28] Quæ autem ex consequente probant, in ipsa argumentatione illud vitium continere ostendantur. Est autem duplex consequentium consecutio. Aut enim ut particulari universale consequens est, puta homini animal, quia postulatur, si hoc cum illo junctum est, etiam illud cum hoc esse connexum; aut secundum oppositiones, quia si hoc illi consequens est, etiam oppositum opposito consequens esse videtur.

19. Unde et Melissi argumentatio orta est. Nam si quod est genitum, habet principium, etiam ingenitum non habere, postulat sibi concedi; itaque si cœlum est ingenitum, est etiam infinitum. Sed hoc non ita est; converso enim ordine valet consecutio.

18. Quinta fallacia extra dictionem est fallacia consequentis. Generalis solutio paralogismorum consequentis est, ut dicatur ratiocinationem non concludere. Dupliciter enim inferunt : primo affirmative. Quia enim duo se habent, ut antecedens et consequens; ex. gr., ut particulare et universale, ut *homo* et *animal*, postulant arguentes, ut sicut si est antecedens, est consequens, sic admittatur, quod si est consequens, est antecedens, adeoque quod sicut ex eo, quod *est homo*, sequitur, quod *sit animal*, sic admittatur, quod ex eo, quod *est animal*, sequatur, *quod sit homo*. Secundo inferunt negative. Postulant enim, quod sicut ex antecedente sequitur consequens, sic admittatur, quod ex opposito antecedentis sequitur oppositum consequentis. Hoc autem non est verum. Licet enim valeat : *est homo ; ergo est animal*, non tamen valet : *non est homo; ergo non est animal.*

19. Hinc solvitur sophisma Melissi. Arguit enim : *omne, quod est genitum habet principium; ergo omne, quod non est genitum, non habet principium, sed cœlum non est genitum; ergo cœlum non habet principium ; ergo neque finem ; ergo est infinitum* Fallacia est, quia arguit ex opposito antecedentis ad oppositum consequentis, quod non valet. Licet enim omne genitum habeat principium, non sequitur, quod non genitum non habeat principium; sicut licet homo sit animal, non sequitur, quod non homo non sit animal. Valet igitur consequentia contrario modo. Cum enim ex antecedente

sequitur consequens, ex opposito consequentis sequitur oppositum antecedentis.

20. [29] In iis autem quæ propter aliquam adjectionem concludunt, videre oportet, an aliquo dempto nihilominus eveniat impossibile; deinde hoc patefaciendum est ac dicendum, se id concessisse, non quasi sibi videretur, sed quasi ad disputationem esset accommodandum; ille autem non est usus ad disputationem.

20. Sexta fallacia est non causæ ut causæ. Paralogismi non causæ ut causæ, solvuntur ex eo, quia impossibile non sequitur ex propositione, quam arguens evertere intendit, sed aliunde. Probatur autem, quod sequatur aliunde, quia etiam ablata tali propositione ac remanentibus reliquis, eodem pacto sequitur impossibile. Debet addere respondens, quod concessit aliquam propositionem inutilem ad propositum, non quia videretur vera, sed ut daret copiam ratiocinandi; arguens vero usus est propositione nihil conferente ad propositum ac si conferret.

21. [30] Sed adversus eas, quæ ex pluribus interrogationibus unam faciunt, statim adhibenda est definitio. Interrogatio namque una est, ad quam una est responsio. Quare nec plura de uno nec unum de multis, sed unum de uno vel affirmandum vel negandum.

22. Sicut autem in homonymis accidit, quia interdum utrisque significatis, interdum neutri inest attributum, adeo ut cum non sit simplex interrogatio, qui simpliciter respondent, nihil inde incommodi patiantur, similiter et in his, quando vel plura uni vel unum multis inest aut non inest, nihil ei qui simpliciter concessit et hoc peccatum admisit, repugnans colligitur, sed tunc cum alterum est, alterum non est, aut multa de multis dicuntur, et utraque utrisque partim insunt, partim non insunt; ideoque hoc est cavendum.

21. Septima et ultima fallaciarum extra dictionem est fallacia plurium interrogationum, ut unius. Cum fiunt tales interrogationes, statim respondendum est, quod non est una interrogatio, sed sunt plures interrogationes, adeoque non debet dari una responsio, sed debent afferri plures responsiones. Una enim interrogatio est, ad quam debet dari una responsio; sed una responsio et una enunciatio est, in qua neque plura prædicata dicuntur de uno subjecto, neque unum prædicatum dicitur de pluribus subjectis, sed unum prædicatum dicitur de uno subjecto; ergo una interrogatio est, in qua unum prædicatum quæritur de uno subjecto. Si vero vel plura prædicata quærantur de uno subjecto, vel unum prædicatum quæratur de pluribus subjectis, non est una interrogatio, sed sunt plures interrogationes.

22. Jam sicut aliquando potest quæri, utrum aliquod prædicatum conveniat nomini æquivoco, et si illud prædicatum conveniat utrique vel neutri æquivoce significato, licet interrogatio sit duplex, adhuc respondens simpliciter et sine distinctione nullum patitur incommodum, cum non possit redargui, ne apparenter quidem ; sic aliquando potest esse multiplex interrogatio, et si id, quod interrogatur, similiter insit vel non insit, potest respondens respondere simpliciter, quin aliquod incommodum patiatur et absque eo, quod possit etiam apparenter redargui. At quando fiunt plures interrogationes ut una, et hoc inest, illud non, vel prædicatum huic inest, alteri non, tum cavendum est, quia si datur unica responsio, respondens periculo exponitur, ne saltem apparenter redarguatur.

23. Ut in his argumentationibus. Si alterum est bonum alterum malum, hæc vere dici bonum et malum, rursusque nec bonum nec malum, quia utrumque non est utrumque. Itaque idem est bonum ac malum, et neque bonum neque malum.

24. Item, res quæque estne ipsa secum eadem et ab aliis diversa? Quia vero hæc non cum aliis, sed secum sunt eadem et secum sunt diversa, eadem ab iisdem diversa et eadem erunt.

25. Præterea si quod bonum est, malum fit, et quod malum bonum, utique duo facta erunt.

26. Cumque duo inæqualia sint, utrumque erit ipsum sibi æquale; itaque æqualia et inæqualia eadem iisdem erunt.

27. Incidunt autem hæ argumentationes et in alias solutiones. Nam et verbum ambo et verbum omnia plures significationes habet.

28. Non igitur ejusdem præterquam nominis affirmatio et negatio colligitur, hoc autem non erat elenchus. Sed perspicuum est, nisi plures interrogationes pro una sumantur, sed unum de uno affirmetur vel negetur, non fore impossibile.

23. Proponit deinde Aristoteles aliqua exempla paralogismorum, qui fundantur in pluribus interrogationibus ut una. *Primum* est : sint duo, quorum alterum sit bonum, alterum malum; ex. gr., fortitudo et timiditas, interrogat sophista : *hæc duo suntne bonum, an malum, an neque bonum neque malum?* Si responde-

tur: *sunt bonum;* arguit sophista: *ergo timiditas est bonum : et malum;* si dicatur, *sunt malum*, arguit sophista : *ergo fortitudo est bonum et malum;* si dicatur : *neque sunt bonum neque malum;* arguit sophista : *ergo fortitudo est bona et simul non est bona, timiditas est mala et simul non est mala.*

24. Secundum exemplum est : interrogat sophista : *hæc duo prædicata, quæ sunt, esse idem secum ac diversum a se, conveniuntne omnibus?* Si respondeatur, quod conveniunt, infert sophista : *ergo omnia sunt idem secum et diversa a se;* si dicatur, quod non conveniunt, infert sophista : *ergo non omnia sunt idem secum.*

25. Tertium exemplum est : interrogat sophista : *nonne hic fit ex bono malus, hic autem ex malo bonus?* Respondetur affirmative; infert sophista : *ergo hi duo fiunt ex bonis mali et ex malis boni.*

26. Quartum exemplum est : interrogat sophista : *nonne ex his duobus inæqualibus utrumque est æquale sibi ipsi?* Respondetur affirmative; infert sophista : *ergo hæc duo sunt sibi æqualia et inæqualia.*

27. Addit Aristoteles, quod hi paralogismi habent etiam aliam solutionem. Cum enim quæritur : *hæc duo suntne bona vel mala?* interrogatio est ambigua, quia potest facere vel sensum collectivum, *an hoc binarium sit bonum vel malum*, vel sensum distributivum, *an hoc sit bonum et aliud sit bonum.* Si faciat sensum collectivum, est unica interrogatio, ideoque debet dari unica responsio, per quam dicatur, ex. gr., quod hoc binarium non est bonum sed malum, vel partim bonum et partim malum; si faciat sensum distributivum, dandæ sunt plures responsiones.

28. Concludit Aristoteles, quod cum plura interrogantur ut unum, tum est impossibile dare unam responsionem, per quam unum de uno affirmetur, de altero negetur.

CAPUT VI.

DE SOLUTIONE PARALOGISMORUM NUGATIONIS ET SOLŒCISMI.

1. [31] Quod vero ad eos paralogismos, qui ad idem sæpius dicendum perducunt, perpicuum est non esse concedendum relatorum categorias separatas et per se acceptas aliquid significare : ut duplum, seorsum ab oratione, duplum dimidii, quoniam unum esse apparet.

2. Nam et decem ponuntur in oratione uno minus decem, et verbum facere in oratione non facere, et omnino in negatione affirmatio; neque tamen si quis dicat hoc non esse album, dicit ipsum album esse. Duplum vero fortasse nihil significat solum et per se, sicuti nec quod in dimidio; aut si quid significat, non tamen idem atque conjunctum.

3. Neque scientia in specie, veluti si est scientia medica, significat id quod commune; illud autem erat scientia rei scibilis.

Solutis paralogismis, per quos sophistæ conantur ducere ad metas redargutionis, docet Aristoteles modum solvendi paralogismos, per quos conantur ducere ad metas nugationis et solœcismi. Et quia sophistæ conantur ducere ad nugandum tum in relativis tum in accidentibus, quæ connotant subjectum, ideo Aristoteles docet solvere paralogismos negationis *primo* in relativis, *secundo* in accidentibus connotantibus subjectum.

1. *Quoad primum :* cum sophistæ conantur ducere ad idem sæpius repetendum in aliquo nomine relativo, negandum est, quod nomina relativa separatim sumpta significent id, ad quod dicuntur. Licet enim non possit intelligi id, quod significatur per nomen relativum separatim, nisi etiam intelligatur id, ad quod dicitur tale nomen, adeoque in significatione nominis relativi reluceat etiam id, ad quod dicitur, adhuc nomen relativum non significat id, ad quod dicitur, sed solum id, quod dicitur ad aliquid; ex. gr., duplum non significat dimidium, sed solum significat id, quod dicitur ad dimidium, et in quo elucet ipsum dimidium.

2. Explicatur; potest nomen vel oratio aliquid significare, quod non possit intelligi sine alio, et tamen non significare illud; ex. gr., hæc oratio : *numerus uno deficiens a decem,* talis est, ut non possit intelligi ejus significatum, quin intelligantur decem, et tamen non significat decem; rursus cum dico : *non facere*, non potest intelligi significatum harum vocum, nisi intelligitur *facere*, et tamen non significo *facere;* et universim negatio non significat affirmationem, et tamen non potest intelligi sine affirmatione, adeoque cum dico : *Socrates non est albus,* licet non possit intelligi quod dico, nisi intelligatur affirmatio albi, adhuc non significo affirmationem albi ; ergo aliud est, quod nomen vel oratio significet aliquid, quod non potest intelligi sine alio, aliud est, quod significet illud aliud. Licet igi-

tur non possit intelligi significatum dupli, nisi intelligatur dimidium, ad quod dicitur duplum, adhuc duplum non significat dimidium, imo fortasse nec significat aliquid, ad quod dicitur; quod si significat in genere aliquid, ad quod dicitur, adhuc non significat idem per se sumptum ac positum in oratione. Hinc patet non esse nugationem. Quando enim dicitur, quod *duplum est duplum dimidii*, cum duplum secundum se non significet dimidium, saltem expresse, non fit repetitio, neque sequitur, quod dicatur: *duplum est duplum dimidii dimidii.*

3. Sicut relativa, quæ ipsamet dicuntur alicujus, non significant id, ad quod dicuntur, sic relativa, quæ dicuntur ad aliquid secundum genus, non significant id, ad quod dicuntur secundum genus. Ex. gr., Medicina dicitur ad aliquid, non secundum se, sed secundum genus commune scientiæ; non enim Medicina dicitur *alicujus medicina*, sed *alicujus scientia ;* ideo Medicina non significat scibile, cujus est scientia, licet fortasse non possit intelligi sine scibili. Si igitur de Medicina fieret paralogismus nugationis, eodem pacto esset solvendus, sicut solutus est paralogismus dupli.

4. In attributis autem, quæ per subjecta declarantur, hoc dicendum est, non idem esse quod seorsum et quod in oratione significatur. Nam curvum si communiter ac per se accipiatur, idem significat in simo et in varo; adjunctum autem subjecto nihil prohibet quo minus aliud atque aliud significet; sed alterum naso, alterum cruri accidit; illic namque simum, hic vero varum significat; nec quidquam refert, nasus simus an nasus curvus dicatur.

5. Præterea non est dictio concedenda in recto casu, quia id falsum est. Non enim simum est nasus curvus, sed nasi hoc, puta affectio. Quare nihil absurdi sequitur, si nasus simus est nasus habens curvitatem nasi.

4. *Quoad secundum :* cum sophista conatur ducere ad idem repetendum in aliquo nomine accidentis, quod licet non dicatur ad aliquem terminum, tamen dicit ordinem ad subjectum, duplex potest afferri responsio. *Prima* responsio est pro accidentibus, quæ dicunt ordinem ad subjectum, sed non ad determinatum, quale est *concavum*. De his dicendum, quod non idem significant ac oratio; ex. gr., *concavus* non idem significat ac hæc oratio *nasus concavus*. Ratio est, quia *concavus* seorsim tam potest significare *simum*, hoc est *nasum concavum*, quam *varum*, hoc est tibiam concavam; sed *nasus concavus* idem significat ac simus, et non retinet indeterminationem ad significandum *varum*, ergo *concavus* non idem significat ac *nasus concavus*.

5. Secunda responsio pro accidentibus, quæ dicunt ordinem ad subjectum determinatum, quale est *simum*, est : non est concedendum, quod *simus* seorsim significat subjectum in recto, sed ad summum dandum est, quod connotat illud in obliquo; ex. gr., *simus* non significat *nasus concavus*, sed significat *habens concavitatem nasi*. Hoc pacto etiamsi loco nominis *simi* ponatur oratio, quam significat nomen, adhuc cum dicitur *nasus simus*, non fit nugatio. Cum enim oratio, quam significat *simus* non sit *nasus habens concavitatem*, sed *habens concavitatem nasi*, cum dicitur *nasus simus*, non est idem ac *nasus nasus habens concavitatem*, sed est idem, ac *nasus habens concavitatem nasi.*

6. [32] De solœcismis autem, unde videantur effici, diximus antea; quomodo vero solvendi sint, in ipsis argumentationibus apparebit.

7. Hæ namque omnes hoc volunt efficere. Num quod dicis vere, etiam est hoc re vera? Ais autem aliquid esse lapidem; est igitur aliquid lapidem. An qui dicit lapidem, non dicit quod sed quem, neque hoc sed hunc? Quare si quis ita interroget « num quem vere dicis est hunc? » non videbitur latine loqui, quemadmodum nec si interroget « num quam dicis esse, est hic? » At cum hic lignum dixit, vel quæcumque alia neque feminam neque masculum significant, nihil refert. Ideoque non fit solœcismus, si quod dicis esse, est hoc, lignum autem dicis esse, est igitur lignum. Sed lapis et articulus hic masculi habet appellationem.

8. Si quis autem interroget « num hic est hæc? » Deinde rursus « Quid? Nonne hic est Coriscus? » postea dicat « hic igitur est hæc, » non collegit syllogismo solœcismum, ne tum quidem si Coriscus significet id quod hæc, non tamen concedatur, a respondente; sed id prius interrogatum oportuit. Quodsi neque est neque conceditur, non est syllogismus, nec re vera nec adversus eum qui interrogatur. Ergo similiter et ibi oportet lapidem significare hic. Si vero nec est nec conceditur, non est admittenda conclusio; videtur tamen, quia nominis casus dissimilis videtur similis.

6. Docet demum Aristoteles modum solvendi paralogismos, per quos sophistæ conantur ducere ad ultimam metam solœcismi. Causa, propter quam videtur sequi conclusio, in qua committatur solœcismus, allata est lib. I, cap. XIII. Quo-

modo vero solvendi sint tales paralogismi, patebit proponendo in particulari ratiocinationes ducentes ad solœcismos. Omnes enim tales ratiocinationes conantur ducere ad solœcismum per pronomen *hoc*.

7. Primum ergo exemplum est : interrogat sophista : *putasne, quod vere hoc dicis esse, hoc vere istud est?* Respondetur affirmative; subsumit sophista : *sed dicis, hoc lapidem esse; ergo hoc lapidem est.* Solutio est, quia eo pacto in conclusione prædicatum debet dici de subjecto per verbum est, sicut dictum est in majori interrogata et concessa; sed in majori dicitur in nominativo, nam cum dicitur : *quod dicis hoc vere esse, hoc vere istud est*, ly *hoc* et *istud* sunt nominativa, si vero ponatur in accusativo in genere masculino, in quo nominativus et accusativus habent diversam terminationem; et dicatur : *nonne quem putas vere esse hunc, hunc vere est istum?* statim apparet incongrua locutio, tum contra syntaxim græcam, tum contra latinam; ergo etiam in conclusione debet inferri : *ergo iste vere est lapis.* Latet autem paralogismus, propterea quod in genere neutro nominativus, et accusativus non habent diversam terminationem, et quia *hoc et quod*, quæ sunt neutra, possunt etiam poni loco masculini et feminini; dicitur enim sine solœcismo : *putasne quod dicis hoc esse, hoc iste est?* ponendo *quod* et *hoc* loco masculini, ut si diceretur : *putasne quem dicis hunc esse, iste est?* Ex eo vero quod in neutris nominativus et accusativus significentur eadem voce materiali, ideo in neutris non fit paralogismus ducens ad solœcismum; ex. gr., licet fiat paralogismus allatus in nomine masculino *lapis*, non tamen fit in nomine neutro *saxum* vel *lignum*. Si enim dicatur : *putasne quod vere dicis esse, hoc vere istud est? Sed dicis hoc saxum vel lignum esse : ergo vere hoc saxum vel lignum est;* nullus in conclusione apparet solœcismus, eo quod *saxum* et *lignum* significant tum accusativum, tum nominativum.

8. Explicatur exemplo : interrogat sophista : *hic estne hæc?* Respondetur negative; arguit sophista : *hic est Coriscus; ergo hic est hæc;* non est syllogismus concludens solœcismum *hic est hæc*, etiamsi vere Coriscus esset hæc, eo quod esset generis feminini, quia non est assumptum, quod Coriscus sit hæc ; sed ut syllogistice concludatur: *ergo hic est hæc*, debet assumi et a respondente concedi, quod Coriscus et est hic et est hæc, nisi vero hoc assumatur et concedatur, neque concluditur solœcismus simpliciter, neque contra respondentem. Proportionaliter cum arguitur : *quod vere hoc dicis esse, hoc vere est ; sed dicis hoc lapidem esse : ergo hoc lapidem est*, — etiamsi in majori : *quod vere dicis hoc vere est*, ly *hoc* significaret *hunc*, adhuc cum hoc non sit assumptum neque concessum a respondente, neque simpliciter, neque contra respondentem concluditur : *ergo hoc est lapidem*, sed ut concluderetur deberet assumi et concedi : *quod dicis hoc esse, hunc vere est.*

9. Num vere dicitur, quod hæc est id quod dicis hanc esse? Ais autem esse parmam; est igitur hæc parmam. An non est necesse hanc conclusionem admittere, si hæc non significat parmam, sed parma, τὸ parmam vero est hanc.

10. Nec si quod ais esse hunc est hic, ais autem esse Cleonem, idcirco hic est Cleonem; non enim est hic Cleonem ; quippe dictum fuit « quem aio hunc esse, est hic, » non hunc, quia non est latina sic prolata interrogatio.

11. Num scis hoc? est autem lapis; scis igitur lapis An non idem significat in oratione : num scis hoc? et in oratione: hoc autem est lapis? sed in priore hunc, in posteriore hic.

12. Num cujus scientiam habes, hoc scis? Habes autem scientiam lapidis; scis igitur lapidis. An cum dicis hujus, dicis lapidis, cum hoc, lapidem? Concessum est autem, cujus scientiam habes, te scire, non hujus, sed hoc; proinde non lapidis, sed lapidem.

13. Quod igitur hujuscemodi argumentationes non concludant solœcismum, sed modo videantur concludere, et cur videantur, et quomodo sit ipsis occurrendum, ex iis quæ diximus apparet.

9. Secundum exemplum est : interrogat sophista : *putasne verum esse, quod res ista est id, quod esse scis eam?* Respondetur affirmative; subsumit sophista : *sed scis eam esse parmam seu clypeum : ergo res ista est parmam seu clypeum.* Solutio est, quia in majori ly *est id* significat nominativum parma seu clypeus, non autem accusativum parmam seu clypeum; ergo in conclusione etiam debet inferri : *ergo res ista est parma seu clypeus*, non autem : *est parmam seu clypeum.*

10. Tertium exemplum est : interrogat sophista : *putasne quem dicis istum esse, iste est?* Respondetur affirmative; subsumit sophista : *sed dicis istum esse Cleonem : ergo iste est Cleonem.* Solutio est eadem. Nam in majori interrogata *iste* est

nominativus; ergo etiam sequitur : *ergo iste est Cleon* in nominativo. Si vero interrogatio sic formaretur : *putasne quem dicis istum esse, istum est*? solœcismus fieret in ipsa interrogatione.

11. Quartum exemplum est : *putasne istud scis?* Respondetur affirmative; subsumit sophista : *sed istud est lapis; ergo scis lapis.* Solutio est, quia istud in majori est accusativus; ergo debet inferri : *scis lapidem*, non autem : *scis lapis*.

12. Quintum exemplum est : interrogat sophista : *putasne istud, cujus scientiam habes, scis?* Respondetur affirmative; subsumit sophista : *sed habes scientiam lapidis; ergo scis lapidis.* Solutio est, quia in majori dictum est : *cujus scientiam habes, istud scis,* in accusativo, non autem *istius scis* in genitivo; ergo debet in conclusione colligi : *ergo scis lapidem*, non autem : *ergo scis lapidis*.

13. Concludit Aristoteles manifestum ex dictis esse, quod hæ ratiocinationes non syllogizant solœcismum, sed videntur syllogizare, adeoque paralogizant; manifestum etiam est, propter quam causam videntur syllogizare, cum vere non syllogizent, et quomodo sit ipsis respondendum.

CAPUT VII.

QUÆ SIT RATIOCINATIO FACILIS VEL DIFFICILIS AD SOLVENDUM, ET QUÆ SIT RATIOCINATIO ACUTA VEL ACUTISSIMA.

1. [33] Oportet autem intelligere ex omnibus argumentationibus quasdam esse, in quibus facile perspicitur, alias in quibus difficulter deprehenditur, quam ob causam et in quo decipiant auditorem, cum hæ sæpe sint eædem atque illæ. Nam eamdem argumentationem oportet appellare, quæ ex eodem loco ducitur. Eadem vero argumentatio aliis ex dictione sumi, aliis ex accidente, aliis ex alio loco videri potest, quia singula, cum transferuntur, non æque sunt perspicua.

2. Quemadmodum igitur in captionibus ex homonymia ductis, qui quidem modus frequentissimus est inter paralogismos, quædam sunt quibuslibet perspicua, (ac fere omnes orationes ridiculæ sumuntur ex dictione,

3. veluti vir ferebat per scalas δίφρον. Et ὅπου στέλλεσθε? Ad ante nam. Et utra bonum ante pariet? Neutra, sed retro ambæ. Et estne Boreas καθαρός? Nequaquam; interfecit enim mendicum et mercatorem. Estne Euarchus? Minime, sed Appollonides. Eodemque modo fiunt aliæ ferme pleræque captiones).

Postquam Aristoteles egit de paralogismis et eorum solutione, quia aliquæ ratiocinationes sunt ad solvendum faciles, aliæ difficiles, et inter difficiles præcipuæ sunt, quæ dicuntur acutæ, explicat, quid sit ratiocinatio facilis vel difficilis, acuta vel non acuta.

1. Ex ratiocinationibus sophisticis quædam sunt faciles ad solvendum, eo quod statim appareat, in quo consistat vitium, aliæ sunt difficiles ad solvendum. Porro etiam ex paralogismis specie iisdem, aliqui sunt faciles, aliqui difficiles ad solvendum. Dicuntur paralogismi iidem specie, qui laborant eodem vitio; ex. gr., omnes paralogismi fundati in æquivocatione dicuntur ejusdem speciei, etc. Potest vero contingere, ut idem paralogismus aliquibus videatur paralogismus æquivocationis, aliis paralogismus accidentis. Idem vero paralogismus, qui applicatus aliquibus terminis statim manifestat vitium, translatus ad alios terminos, non ita facile prodit vitium, ideoque difficile solvitur.

2. Explicat deinde Aristoteles magis in particulari, quo pacto ex paralogismis iisdem specie, aliqui sint faciles ad solvendum, aliqui difficiles. Primo ex paralogismis æquivocationis, qui videntur esse omnium ineptissimi, quidam sunt ita faciles ac vitium eorum est ita manifestum omnibus, ut ex iis efficiantur ratiocinationes ridiculæ et jocosæ.

3. Proponit Aristoteles quinque exempla jocorum desumptorum ex manifesta æquivocatione. Primum exemplum est : dicit quis; *vir ferebat per scalam* δίφρον : δίφρον est nomen æquivocum, et significat tum scamnum tum bigam. Hinc potest quis jocari, quasi fuerit dictum, quod *vir ferebat per scalam bigam*. — Secundum exemplum est : interrogat quis; ὅπου στέλλεσθε : ὅπου στέλλεσθε est æquivocum, et significat, vel *quo tenditis*, vel *quo solvitis vela*? Respondens ludit in æquivoco, et quasi interrogatum fuerit : *quo solvitis vela* : respondet : *solvimus ad antemnam*. — Tertium exemplum est : interrogat quis : *utra boum ante pariet?* Ly ante est æquivocum, et significat vel tempus prius, vel partem anteriorem. Respondens jocatur ac dicit : *neutra pariet ante, sed utraque retro*. — Quartum exemplum est : interrogat quis; *Boreas estne* καθαρός? καθαρός est æquivocum, et significat vel purum seu serenum, vel innocentem. Respondens jocatur ac dicit, quod Boreas non est innocens, quia frigore interficit mendicum et

mercatorem iter facientem. — Quintum exemplum est : interrogat quis : estne hic Euarchus? εὔαρχος græce est æquivocum, et vel significat nomen proprium, vel significat eum qui custodit rem suam. Respondens quasi interrogatum fuerit, non : an hic sit homo, qui vocatur Euarchus, sed : an sit homo, qui custodit rem suam, respondet, quod non est Euarchus, sed Apollonides. Apollonides enim græce vel significat nomen proprium, vel significat eum, qui rem suam perdit.

4. Alia vel maxime peritos videntur latere, cujus rei signum est, quia contendunt sæpe de nominibus, veluti utrum ens et unum eadem significatione de omnibus dicantur an diversa: nonnullis enim videtur et ens et unum eodem modo semper accipi; alii vero Zenonis et Parmenidis argumentationem ex eo dissolvunt, quod ens et unum multifariam dici videntur. Ita argumentationum, quæ ex accidente et singulis aliis locis ducuntur, aliæ sunt visu faciliores, aliæ difficiliores; et perspicere in quo sint captionum genere, et utrum elenchus an non elenchus sit, non æque facile est in omnibus.

5. Est autem acuta argumentatio, quæ dubitare maxime facit: hæc enim maxime mordet. Dubitatio vero est duplex, altera in argumentationibus syllogistice concludentibus, utra interrogatio sit tollenda, altera in litigiosis, quomodo quis dicat quod propositum est.

4. Verum alii paralogismi fundati in æquivocatione sunt ita difficiles, ut fallant etiam peritissimos et doctissimos. Signum autem difficultatis est, quia controversia est inter doctissimos, an talia nomina significent unum vel plura, adeoque sint univoca vel æquivoca vel saltem analoga; ex. gr., magna est controversia, an *ens* et *unum* significent idem, an vero dicantur multipliciter. Multi enim putant *ens* et *unum* significare idem; alii censent *ens* et *unum* dici multipliciter, et ex hoc conantur solvere rationem, qua Parmenides et Zeno probant omnia esse unum, quia *omnia sunt ens; sed ens est unum* : *ergo omnia sunt unum*, Solvitur enim hoc argumentum ex eo, quod *ens* et *unum* multipliciter dicuntur. Similiter ex paralogismis accidentis et aliorum modorum, alii sunt faciles, alii difficiles. In quibusdam etiam difficile est advertere, ex quo genere sint : utrum sint redargutiones vel non, utrum concludant vel non concludant; in aliis vero facile id advertitur.

5. Inter ratiocinationes difficiles ad solvendum, præcipuæ sunt, quæ dicuntur acutæ. Ratiocinatio acuta est, quæ maxime facit dubitare. Ratio, cur hæc ratiocinatio dicatur acuta est, quia eo ipso pungit ac mordet maxime mentem respondentis. Duplex est dubitatio : prima est, cum ratiocinatio non peccat in forma, sed in sola materia, adeoque respondens videt negandam esse aliquam ex præmissis, sed dubitat utram neget; secunda est, cum ratiocinatio peccat in forma, sed respondens dubitat, quo pacto concludat propositum.

6. Idcirco in syllogisticis disputationibus acutiores argumentationes maxime faciunt, ut quæratur. Est autem syllogistica argumentatio acutissima, si quis ex iis quæ quam maxime videntur probabilia, id quod quam maxime est probabile refutet et adstruat. Cum enim una sit disputatio, transposita contradictione similes omnes syllogismos habebit, quia semper ex probabilibus æque probabile refellet aut adstruet; ideoque dubitare necesse erit. Ergo hujusmodi argumentatio est maxime acuta, quæ conclusionem interrogatis parem facit.

7. Secunda est, quæ ex omnibus sumptionibus similibus constat ; hæc enim similiter faciet ut dubitetur, quodnam interrogatum tollendum sit. Hoc autem est difficile, quia tollendum quidem est, sed quodnam tollendum, non apparet.

6. Ex ratiocinationibus, quæ peccant in sola materia, illæ sunt acutiores, quæ magis faciunt respondentem quærere utram ex præmissis neget. Ex his omnium acutissima est, quæ ex maxime probabilibus præmissis evertit aliquid maxime probabile. Ratio est, quia illa ratiocinatio est maxime acuta, quæ facit maxime dubitare; sed hæc facit maxime dubitare : ergo, etc. *Probatur minor* ; nam et utraque præmissa et propositio, quæ evertitur, est maxime probabilis ; si igitur admittantur præmissæ maxime probabiles, debet negari aliqua propositio maxime probabilis; si admittatur hæc propositio maxime probabilis et altera præmissarum, debet negari alia maxime probabilis, siquidem ex contradictoria conclusionis et altera præmissarum evertitur reliqua; ergo propter hæc animus maxime dubitat, quam neget ex tribus propositionibus maxime probabilibus.

7. Secundum gradum inter ratiocinationes acutas peccantes in materia tenet, quæ ex similibus, hoc est æque probabilibus, evertit propositionem æque probabilem. Ratio est, quia licet pateat aliquam ex præmissis esse negandam, est dubium, utra sit neganda.

8. Inter litigiosas autem acutissima ea est, in qua primum statim non apparet, an syllogistice concluserit necne, et utrum per id quod falsum est, negatum, an per distinctionem solvatur. Secunda ex cæteris est, quam constat solvendam esse per distinctionem vel per negationem, sed non apparet per cujus interrogati negationem aut distinctionem sit solvenda, immo utrum hæc negatio vel distinctio ad conclusionem, an ad aliquod interrogatum sit accommodanda.

9. Interdum igitur non concludens argumentatio fatua est, videlicet, si sumptiones sint valde incrdibiles aut falsæ; interdum non contemnenda. Cum namque deest talis aliqua interrogatio, de qua et per quam disputatio est, syllogismus est fatuus, qui neque hanc sumpsit neque conclusit; cum autem deest interrogatio, quæ extinsecus assumi potest, nullo modo est argumentatio aspernanda; quin ipsa argumentatio bona est, sed interrogans ille non bene interrogavit.

10. Sicut autem solutio modo ad argumentationem spectat, alias ad interrogantem et interrogationem, quandoque ad neutrum horum, sic licet interrogare atque concludere et adversus thesim et adversus respondentem, et ratione temporis, nimirum cum plus temporis solutio requirit, quam ut præsentis opportunitatis sit disserere adversus solutionem.

8. Ex ratiocinationibus contentiosis, hoc est peccantibus in forma, acutissima est, de qua dubitatur, utrum syllogizet vel non, et utrum sit solvenda, negando conclusionem, eo quod sit falsa, vel conclusionem distinguendo, eo quod sit ambigua. Secundum locum tenent illæ, de quibus licet sit manifestum, quod debent solvi negando vel distinguendo, adhuc est dubium, utra ex præmissis sit neganda vel distinguenda, et utrum neganda vel distinguenda sit conclusio vel præmissæ.

9. Ratiocinationes non concludentes aliquando sunt facile solubiles, adeoque despicabiles, eo quod sumant in conclusione vel præmissis aliqua manifeste falsa et inopinabilia aliquando vero despici non debent. Porro cum ratiocinatio non concludit, quia deest illa propositio seu præmissa, propter quam videri posset concludere, tum talis ratiocinatio est inepta, et qui sic ratiocinatur, et non syllogizat et inepte ratiocinatur. Si vero omittitur id, propter quod ratiocinatio habet apparentiam, sed ratiocinatio concludit, ratiocinatio est bona et æqua, sed arguens male argumentatur, quia omittit illam propositionem, in qua consistit tota vis argumenti.

10. Concludit Aristoteles, quod respondens aliquando solvit ipsam ratiocinationem, et tum recte solvit; quandoque solvit ad hominem et juxta interrogationes factas, et tum solvit solum apparenter; quandoque vero neque solvit ad ratiocinationem neque ad hominem, sed ad tempus, afferens aliquam responsionem, cujus examinatio requirit majus tempus, quam quod est disputationi præscriptum. Similiter arguens aliquando argumentatur contra positionem, aliquando ad hominem, aliquando ad tempus, cum nimirum aliquid proponit, cujus solutio requirit plus temporis, quam quod est disputationi præscriptum.

CAPUT VIII. — ART. I.

EPILOGUS HORUM LIBRORUM.

1. [34] Ex quot igitur et qualibus paralogismi fiant iis qui disputant, et quomodo falsum probemus et paradoxa dicere cogamus, præterea ex quibus colligatur syllogismus, et quomodo interrogandum, et quæ sit interrogationum collocatio; præterea ad quid utiles sint omnes hujusmodi disputationes, ac de omni responsione simpliciter, et quomodo sint solvendæ argumentationes et syllogismi, de his, inquam, omnibus hæc a nobis dicta sunto.

2. Reliquum est, ut eo in memoriam revocato quod initio propositum fuit, pauca de eo dicamus ac finem dictis imponamus. Instituimus igitur invenire quamdam facultatem syllogisticam de re ad disserendum proposita, ex iis quæ sunt quam maxime probabilia. Hoc enim officium est Dialecticæ per se et Pirasticæ Quia vero huic adjunctum est, ob Sophisticæ affinitatem, ut non solum possit quis periculum facere dialectice, sed etiam quasi sciens, idcirco non solum quod dictum est supposuimus esse hujus tractationis officium, nempe argumentationem sumere posse, verum etiam ut disputationem sustinentes tueamur thesim simili modo per quam maxime probabilia. Atque hujus rei causam diximus. Nam ideo Socrates quoque interrogabat, non respondebat, quia se nihil scire profitebatur.

3. Declaratum porro est in prioribus libris et ad quot problemata et ex qualibus et quot sumptionibus hoc sit futurum, et unde eorum copia nobis suppetat; præterea quomodo sit interrogandum, vel quomodo collocanda sit omnis interrogatio; necnon de responsionibus et solutionibus, quæ ad syllogismos afferuntur. Sed et cætera declarata sunt, quæcumque ad disputationum methodum pertinent. Ad hæc de paralogismis egimus, ut paulo ante diximus. Quæ igitur docere instituimus, ea finem satis commode habere perspicuum est.

In fine libri Aristoteles epilogat omnia quæ dicta sunt in his duobus libris Elenchorum, et deinde epilogando revocat in memoriam omnia. quæ dicta sunt in octo libris Topicorum.

1. Libro primo Elenchorum explicatum est, ad quot. et quas metas seu fines. et ex quibus locis fiant paralogismi disputantium. Expositum est, quo pacto possimus ostendere falsum et possimus facere, ut respondens dicat paradoxa et inopinabilia; dictum est etiam, ex quibus fiant paralogismi concludentes solœcismos et orationes nugatorias atque idem repetentes, ac demum explicatum est. quo pacto et quo ordine sit interrogandum.—Lib. II, explicatum est, ad quid sit utilis scientia ratiocinationum sophisticarum; actum est universim de omni responsione, et in particulari explicatum est, quo pacto sint solvendæ ratiocinationes et syllogismi sophistici.

2. Reliquum igitur est, ut revocantes etiam in memoriam, quæ dicta sunt in libris Topicorum, ea breviter dicamus ac finem Logicæ imponamus. Initio librorum Topicorum præmisimus intentum nostrum esse invenire facultatem quamdam syllogizandi ex iis, quæ sunt probabiliter vera; hoc enim est opus et officium Dialecticæ secundum se ac Tentativæ. Quia vero per Dialecticam, non solum instruimur ad argumentandum ex probabilibus, et ad experimentum sumendum de scientia respondentis dialectico modo, sed etiam propter affinitatem cum Sophistica instruimur ad defendendum posita, ac si illa sciamus, sicut faciunt sophistæ, qui, quia profitentur se omnia scire, non solum disputando opponunt, sed etiam respondent ad omnes interrogationes et defendunt quæ dicunt. ac si illa scirent; ideo lib. I. Topicornm diximus officium Dialecticæ esse, non solum posse sumere orationem, per quam de quocumque proposito argumentetur. sed etiam positiones defendendo tueri illas per maxime probabilia; causam autem, propter quam Dialectica debet etiam posita defendere, esse affinitatem cum Sophistica, quæ, cum profiteatur se omnia scire, ad omnia respondet et posita defendit, ideoque Socrates, qui profitebatur se purum dialecticum, non autem Sophistam, ac dicebat se nihil scire, solum interrogabat alios et contra ipsos argumentabatur, nunquam autem respondebat.

3. Deinde explicavimus, ex quot et quibus propositionibus fiant syllogismi dialectici, et ad quot et quæ problemata concludenda ordinentur. Diximus enim, quatuor esse genera propositionum et problematum; accidens nimirum, genus proprium et definitionem; libro vero secundo et sequentibus usque ad septimum inclusive, tradidimus loca, ex quibus possimus colligere propositiones et præmissas ad quodlibet genus problematum resolvendum. Octavo demum et ultimo libro Topicorum docuimus modum interrogandi et ordinandi disputationem; egimus etiam de modo respondendi ac de solutionibus, quæ possunt afferri syllogismis ab adversario propositis, ac demum egimus etiam de aliis, quæ spectant ad Dialecticam. Rursus in duobus libris Elenchorum egimus de paralogismis, ut dictum est etiam prius. —Patet igitur, quod nos sufficienter tradidimus et ad finem perduximus disciplinam disputandi probabiliter vel apparenter. quam disciplinam tradere proposuimus.

CAPUT VIII. — ART. II.

QUO PACTO LOGICA FUERIT AB ARISTOTELE INVENTA ET PERFECTA.

4. Jam vero non oportet nos latere, quod in hac tractatione accidit.

5. Nam eorum omnium quæ inveniuntur. quædam ab aliis accepta prius elaborata sunt, postea per partes adaucta ab iis qui exceperunt; alia vero ab initio inventa exiguum primo incrementum suscipere consueverunt, multo tamen utilius amplificatione, quæ ab his, qui sequuntur, proficiscitur. Nam principium fortasse est maxima totius pars, ut dici solet; ideoque est difficillimum. Cum enim quo potentiore est facultate, eo minore sit magnitudine, difficillimum est visu. Hoc autem reperto facilius est adjungere et conferre quod reliquum est. Quod quidem et in politicis orationibus accidit et fere in omnibus aliis artibus Etenim qui principia invenerunt, parum admodum sunt progressi; qui vero nunc sunt celebres, accepta quasi per successionem a multis per partes promoventibus sic auxere, Tisias quidem post primos auctores, Thrasymachus vero post Tisiam, Theodorus autem post hunc, ac multi alii multas partes contulerunt. Quocirca non est mirum artem illam continere multitudinem quamdam præceptorum.

4. Concludit demum Aristoteles libros Elenchorum ac totam Logicam expli-

cando, quo pacto cæteræ artes fuerint inventæ ac paulatim perfectæ a pluribus, et quo pacto ipse solus invenerit ac perfecerit Logicam.

5. Omnes artes, quæ inveniuntur, ita inveniuntur, ut posteriores sumentes quædam a prioribus paulatim illas augeant ac perficiant. Porro artes ab initio parum ab inventore augentur et perficiuntur; illud tamen parum, quod primus inventor invenit, est utilius toto, quamvis maximo incremento, quod a successoribus additur. Ratio est, quia principium unuscujusque rei est maximum omnium, ideoque difficillimum. Cum enim principium sit minimum mole et magnitudine, virtute autem maximum, sicut etiam accidit in seminibus, difficile conspicitur; principio autem invento, facile est reliqua addendo ac coaptando rem perficere. Hoc, quod dictum est de artium inventione et incremento, accidit in Rhetoricis ac pæne in omnibus artibus. Nam qui invenerunt Rhetoricam et alias artes, parum illas auxerunt et perfecerunt; qui autem nunc celebriores habentur in iis artibus, a multis inventa ac veluti successione quadam particulas artis colligentes, tales artes auxerunt et perfecerunt. Tisias enim addidit aliquid præceptis Rhetoricæ, quæ tradita fuerant ab antiquioribus; Thrasimacus quædam addidit iis, quæ acceperat a Tisia; Theodorus autem multa addidit iis, quæ accepit a Thrasimaco, idemque dic de aliis; ideoque multis multas Rhetoricæ artis partes addentibus, non est mirum, si ars Rhetorica valde fuerit amplificata.

6. Hujus autem dialecticæ tractationis non aliud erat aliud non erat excultum, sed nihil prorsus exstabat. Nam eorum qui in litigiosis disputationibus quæstum faciebant, institutio quædam erat similis Gorgiæ tractationi. Alii namque orationes rhetoricas, alii ad interrogandum comparatas tradebant ediscendas, in quas utrique putabant mutuos sermones sæpe numero incidere, idcirco celeriter quidem, sed citra artem discipulos suos docebant; non enim artem, sed quæ ab arte efficiuntur, tradendo putabant, se recte instituere, perinde ac si quis professus se traditurum scientiam cavendi, ne pedes doleant, postea non doceat corium incidere, nec unde ejusmodi instrumenta parari possint, sed multa det genera variorum calceorum; hic enim ad usum quidem profuit, sed artem non tradidit. Ac de rhetoricis quidem multa et antiqua dicta exstabant; de syllogismis autem conficiendis nihil aliud habebamus antea, quod diceremus, sed exercitatione quærentes multum temporis laboravimus. Si igitur vobis scipta nostra inspicientibus videtur non esse hæc methodus ex talibus initio exstantibus perfecta, si comparetur ad alias tractationes, quæ ex traditione sunt auctæ; quod reliquum est, vestræ auditorumve partes erunt, ea quæ ad hujus methodi consummationem sunt prætermissa, venia dignari, quæ vero sunt inventa, multa prosequi gratia.

6 Verum licet aliarum artium ante nos fuerint quædam principia tradita, logicæ artis, in quantum agit de syllogismo, de demonstratione ac de disputatione dialectica et sophistica, nihil omnino traditum fuerat, antequam nos de illa ageremus. Licet enim aliqui sophistæ mercenarii docerent sophisticas orationes, tamen doctrina eorum erat similis doctrinæ Gorgiæ. Sicut enim Gorgias ejusque sectatores loco tradendi præcepta faciendi orationes Rhetoricas, tradebant discipulis orationes quasdam circa quædam communia, quorum frequens occasio incidebat, et docebant eos recitare et ad earum imitationem alias similes orationes scribere; sic sophistæ loco docendi artem argumentandi, tradebant discipulis quasdam argumentationes de aliquibus communibus, in quæ frequenter incidebat disputatio, ac docebant etiam similes argumentationes construere. Ideo velociter discipuli instruebantur, quippe cum non docerentur artem, sed traderentur illis quædam ex arte memoriter discenda, quæ cum didicissent, putabant se artem scire et erudite loqui vel disputare. Gorgias igitur ac sophistæ fuerunt similes alicui, qui profiteretur se traditurum disciplinam calceandi pedes, ut non dolerent; deinde vero loco docendi artem sutoriam, et loco tradendi præcepta faciendi calceos, produceret in medium plura genera calceorum. Hic enim, licet exponens calceos vendibiles, prodesset quoad usum, adhuc non traderet artem calceandi. Ergo proportionaliter Gorgias tradens orationes disputatorias, profuerunt quidem ad usum orandi ac disputandi, sed Rhetoricam et Dialecticam non tradiderunt. Verum multa præcepta spectantia ad artem construendi rhetoricas orationes accepimus ab antiquis, ideoque Rhetoricam nos non invenimus, sed auximus. At circa artem syllogizandi, demonstrandi ac disputandi, nihil omnino accepimus ab antiquis, sed omnia artis principia nos ipsi magno labore per multum tempus insudantes invenimus, quæ tradidimus in his

libris. Si igitur ex nostro studio et ex nostris speculationibus hæc disciplina, nimirum Logica videtur aliquid habere supra id, quod reliquæ artes, quæ deinde sunt paulatim perfectæ, habuerunt a suis inventoribus, reliquum est, ut qui legerint vel audierint hoc opus, dignentur nos venia propter ea, quæ in hujus artis traditione omisimus vel peccavimus, et ut nobis gratias habeant propter ea, quæ invenimus. Principium enim, ut diximus, est maximum et difficillimum. Et per hæc Aristoteles concludit libros Elenchorum et totam Logicam.

HÆC DE LOGICA.

IN TRES LIBROS
RHETORICORUM

PROŒMIUM

DE NATURA ET SUBJECTO RHETORICÆ

1. Rhetorica est valde affinis Dialecticæ, ut initio horum librorum Aristoteles docet; sed natura facultatum affinium optime explicatur, illas invicem conferendo; ergo ad explicandam naturam Rhetoricæ conferenda est cum Dialectica, et inspiciendum, in quibus hæ duæ facultates conveniant ac differant.

2. Dialectica dicitur a disputando, et est ars disputandi; Rhetorica nomen sortitur a dicendo, et est ars dicendi; sed ars disputandi consistit in eo, ut possimus de quocumque proposito problemate apud aliqualiter sapientes disputare in utramque partem et utramlibet partem defendere; ars dicendi consistit in eo, ut quocumque proposito problemate, possimus de eo persuasibiliter dicere in utramque partem et utramque partem tueri apud populum; ergo Dialectica est ars probabiliter disputandi apud aliqualiter sapientes de quocumque proposito problemate in utramque partem et utramlibet partem defendendi; Rhetorica vero est ars de quocumque proposito problemate persuasibiliter dicendi apud populum et utramque partem tuendi.

3. Ex hac definitione potest *primo* inferri, quodnam sit subjectum harum duarum facultatum. Dicendum, quod subjectum Dialecticæ sunt res omnes in quantum probabiliter disputabiles in utramque partem; subjectum Rhetoricæ sunt res omnes in quantum persuasibiles.

4. Infertur *secundo* in quibus Dialectica ac Rhetorica conveniant ac differant. *Primo* conveniunt in hoc, quod utraque facultas disserit de omnibus. *Secundo* conveniunt in hoc, quod utraque disserit in utramque partem. *Tertio* conveniunt in hoc, quod utraque procedit non ex veris, sed ex probabilibus, Ratio est, quia ex duabus partibus problematis contradictorie oppositis altera necessario est falsa; sed Dialectica et Rhetorica disserunt de utraque parte problematis et utramque defendunt; ergo non solum probant ac defendunt vera, sed etiam falsa; sed falsa non possunt probari ac defendi ex veris, sed solum ex probabilibus; ergo Rhetorica ac Dialectica non procedunt ex veris, sed ex probabilibus. *Quarto* conveniunt in hoc, quod utraque non procedit ex propriis, sed ex communibus. Ratio est primo, quia, si deberent agere de quolibet proposito problemate ex propriis, confunderentur cum omnibus scientiis. Ratio est secundo, quia debent uti principiis aptis ad agendum de problematibus propositis in utramque partem; sed sola principia communia sunt hujusmodi; ergo etc. Ratio est tertio, quia debent agere de rebus ex principiis notis omnibus, etiam imperitis scientiarum particula-

rium; ergo, etc. *Quinto* conveniunt in hoc, quod utraque debet tradere loca quædam communia seu principia, ex quibus possimus de quolibet proposito problemate disputare vel dicere apte ad persuadendum in utramque partem. *Sexto* conveniunt in hoc, quod non sunt scientiæ, sed quædam potentiæ et facultates. Ratio est, quia scientiæ non probant nec persuadent utramque partem contradictionis, sed illam tantum, quæ est vera, adeoque est demonstrabilis; sed Dialectica ac Rhetorica possunt æque probare ac persuadere utramque partem contradictionis; ergo Dialectica ac Rhetorica non sunt scientiæ sed sunt facultates ac potentiæ quædam probabiliter ostendendi ac persuadendi utramque partem contradictionis. Potentiæ enim proprie dicuntur, quæ æque se habent ad opposita.

5. Differunt Dialectica et Rhetorica in hoc, quod Dialectica ordinatur ad disputandum probabiliter coram aliqualiter sapientibus; Rhetorica ordinatur ad dicendum apte ad persuadendum populo. Quia vero in cœtibus aliqualiter sapientum solet disputari præsertim de problematibus universalibus abstrahentibus a circumstantiis singularibus personarum, locorum, temporum etc.; ad populum vero agendum est de materiis moralibus aut politicis ac de problematibus restrictis ad singulares personas, loca, tempora etc.; ideo Dialectica ut plurimum disputat de problematibus universalibus abstrahentibus a circumstantiis singularibus personarum, locorum ac temporum; Rhetorica e converso disserit præsertim de materiis moralibus ac politicis ac de problematibus restrictis ad singulares personas, loca et tempora. Secundo differunt, quod Dialectica utitur forma argumentandi stricta et contracta, Rhetorica utitur forma argumentandi ampliori ac dilatata. Tertio differunt, quod Dialectica ad probandum utitur solis rationibus; at Rhetorica ad persuadendum non solum utitur rationibus, sed etiam moribus et affectibus, ut fuse explicat Aristoteles in progressu horum librorum.

6. Aristoteles Rhetoricam tradit tribus libris, qui possunt dividi in *sex partes*. *In prima* parte, quæ continetur libro I, capite I, et initio capitis II, ponit prooemium, in quo ostendit, quo pacto Rhetorica se habeat ad Dialecticam: circa quod subjectum utraque versetur; qua ratione utraque fuerit inventa; quam diminute Rhetorica fuerit tradita ad antiquis: ex quibus fontibus hauriri debeat facultas probandi; quæ sit Rhetoricæ utilitas; quod opus ac quæ definitio.

7. In *secunda* parte, quæ incipit a cap. II, et protenditur usque ad finem libri I, quia Rhetorica debet persuadere probationibus, moribus et affectibus, adeoque debet considerare hæc tria, agit de probationibus, ac distinctis tribus generibus dicendi, deliberativo nimirum, demonstrativo ac judiciali, tradit loca propria seu species et formas, ex quibus possunt desumi probationes artificiales et enthymemata propria singulorum generum et capite ultimo disputat de probationibus inartificialibus.

8. In *tertia* parte, quæ ab initio libri II, protenditur usque ad caput XVII, inclusive, disputat de moribus et affectibus et tradit artem persuadendi, excitando affectus in auditoribus et præseferendo mores fide dignos et auditoribus accommodatos.

9. In *quarta* parte, quæ incipit a cap. XVIII, libri II, et protenditur usque ad finem libri II, tradit loca communia, ex quibus possunt desumi probationes omnibus tribus generibus dicendi accommodatæ.

10. In *quinta* parte, quæ ab initio libri III, protenditur usque ad cap. XII, inclusive, disserit de elocutione ad persuadendum accommodata ac de ejus virtutibus.

11. In *sexta* demum parte, quæ cap. XIII libri III, protenditur usque ad finem agit de dispositione ac de partibus orationis et concludit hos libros.

RHETORICORUM

LIBER I

CAPUT I. — ART. I

QUO PACTO RHETORICA SE HABEAT AD DIALECTICAM, CIRCA QUOD SUBJECTUM VERSETUR, ET QUO PACTO FUERIT INVENTA.

1. Rhetorica convienentiam habet cum Dialectica; ambæ enim in ejusmodi rebus versantur quæ communiter quodammodo cognoscuntur ab omnibus et nullius sunt scientiæ definitæ.

2. Quamobrem etiam omnes quodammodo ambarum participes sunt; omnes enim quadamtenus et exquirere et sustinere rationem et, defendere et accusare conantur.

3. Ac ex imperita quidem multitudine alii temere hæc faciunt, alii consuetudine et habitu. Quoniam vero utroque modo contingit manifestum est, licere eadem etiam facere certa via et ratione. Cur enim finem consequantur tum qui hæc faciunt consuetudine tum qui casu, causam intueri contingit. Jam vero omnes confessi fuerint, hujusmodi esse artis munus.

Rhetorica est affinis Dialecticæ, præsertim in eo, quod sicut Dialectica docet viam ad inveniendas rationes probabiles, ita Rhetorica docet viam ad inveniendas rationes persuasivas. Hanc convenientiam quia non adverterunt antiqui, admodum diminute Rhetoricam tradiderunt, dum cætera minus præcipua persequentes, de arte inveniendi rationes persuasivas nihil dixerunt. Aristoteles igitur ut antiquorum errorem corrigat ac viam sternat modo, quo Rhetoricam ipse est traditurus, initio horum librorum præmittit procœmium, in quo *primo* explicat, quo pacto Rhetorica se habeat ad Dialecticam, circa quod subjectum utraque versetur, et qua ratione utraque fuerit inventa. *Secundo* ostendit, quam diminute fuerit ab antiquis tradita, præsertim ex eo, quod non docuerint id, quod est in Rhetorica præcipuum, hoc est modum probandi. *Tertio* probat, facultatem probandi et enthymemata conficiendi hauriendam esse ex fontibus Logicæ. *Quarto* demum exponit, quæ sit Rhetoricæ utilitas atque ejus opus.—Hæc quatuor majoris distinctionis gratia quatuor articulis a nobis sunt explicanda.

1. Quoad primum; Rhetorica est affinis Dialecticæ ac proportionaliter illi ex altera veluti parte respondet. Hæc proportionalis convenientia consistit præsertim in duobus : primo in eo, quod utraque versatur circa quædam communia, quæ quodammodo sunt omnibus nota; secundo in eo, quod neutra versatur circa aliquod determinatum subjectum ullius scientiæ. Explicatur; cæteræ facultates versantur circa quædam, quæ nota sunt solis professoribus talium artium, aliis vero sunt ignota; ex. gr., geometra versatur circa geometrica, quæ nota sunt solis geometris; medicus versatur circa medica, quæ nota sunt solis medicis, ex quo oritur, ut multitudo non intelligat medicos medice loquentes, nec geometras geometrice disserentes; idemque dic de cæteris facultatibus. At dialecticus et rhetor versantur circa ea, quæ quodammodo nota sunt omnibus, ex quo oritur, ut dialectice et rhetorice loquentes omnes quodammodo intelligant. Rursus cæteræ facultates versantur circa aliquod determinatum genus rerum; ex. gr., Geometria agit solum de magnitudinibus, Arithmetica de numeris, Medicina de corpore

sanabili. At Dialectica et Rhetorica non contrahuntur ad ullum genus determinatum, sed vagantur per omnia rerum genera ac de omnibus disserunt, non quidem ex principiis propriis, quæ sunt nota solis professoribus facultatum particularium, sed ex communibus, quæ quodammodo nota sunt omnibus.

2. Ex eo, quod Dialectica et Rhetorica versentur circa ea, quæ quodammodo nota sunt omnibus, oritur, ut omnes quodammodo sint harum duarum facultatum participes atque earum opus exerceant. Opus siquidem Dialecticæ est, disputando vel rationibus impugnare, quod alter asseruit, vel quod nos asseruimus contra rationes ab altero oppositas sustinere; opus Rhetoricæ est accusare vel defendere; sed omnes aliquando conantur, vel rationibus impugnare, quæ alter asseruit, vel quæ ipsi asseruerunt sustinere vel accusare vel defendere: ergo omnes quodammodo sunt participes Dialecticæ ac Rhetoricæ et eorum opus exercent.

3. Hinc vero patere potest, quo pacto Dialectica et Rhetorica fuerint inventæ atque in formam artis redactæ. Ex iis, qui conantur disputando sua asserta probabilia reddere ac dicendo, quæ dicunt persuadere, aliqui casu, aliqui ex habitu et consuetudine consequuntur finem, quem intendunt; ergo potuerunt homines advertere, propter quam causam aliqui vel casu vel habitu per consuetudinem acquisito sua asserta probabilia reddant, ac quæ dicunt persuadeant; sed inventa hac causa, invenerunt etiam certas rationes ac vias sua asserta ac dicta probabilia ac persuabilia reddendi. In hac autem certa ratione ac via consistit ars, quæ ex omnium confessione est certa ac vera ratio aliquod opus conficiendi; ergo hac ratione inventæ fuerunt et in formam artis redactæ Dialectica et Rhetorica, quæ sunt facultates tradentes certas vias ac modos, nostra asserta ad dicta probabilia ac persuasibilia reddendi.

CAPUT I. — ART. II

OSTENDITUR RHETORICAM DIMINUTE FUISSE TRADITAM AB ANTIQUIS, PRÆSERTIM EX EO, QUOD NON DOCUERINT ID, QUOD EST IN RHETORICA PRÆCIPUUM, HOC EST MODUM PROBANDI.

4. Ac nunc quidem qui artes orationum componunt, exiguam ipsarum particulam confecerunt. Fides enim artificiosa est solum; alia vero additamenti sunt loco. At hi nihil quidem de enthymematibus dicunt, id quod est robur fidei; de iis vero quæ sunt extra rem plurima tradunt. Criminatio enim et misericordia et ira et hujusmodi animi perturbationes non de re sunt, sed ad judicem.

5. Quod si in omnibus judiciis eveniret quemadmodum in nonnullis etiam nunc evenit civitatibus, maxime vero in iis quæ bene sunt institutæ, nihil haberent quod dicerent. Omnes enim partim arbitrantur oportere sic leges cavere, partim hoc institutum retinent et prohibent extra rem dicere, ut etiam in Areopago, recte sic statuentes. Non enim oportet judicem pervertere ad iram excitando vel invidiam vel misericordiam, quia id simile est ac si quis qua usurus est regula, eam reddat perversam.

4. Licet modo explicato Rhetorica fuerit inventa, nihilominus, qui nunc Rhetoricam tradunt, valde diminute illam tradunt atque exiguam tantum et accessoriam ipsius particulam exponunt; præcipuam vero artis partem omittunt. Probatur, quia Rhetorica est ars reddendi credibilia ac persuasibilia ea, quæ dicimus; ergo qui Rhetoricam tradit, debet præcipue tradere modum reddendi credibilia ac persuasibilia ea, quæ dicimus; sed ea, quæ dicimus, præcipue redduntur credibilia per quasdam probationes, quæ vocantur enthymemata; ergo qui Rhetoricam tradit debet præcipue docere modum conficiendi enthymemata; sed qui nunc tradunt Rhetoricam, id non docent, sed toti sunt in explicando, quo pacto possint in auditoribus excitari affectus misericordiæ, iræ, etc.; quo pacto possint res amplificari vel imminui; quale debeat esse exordium, narratio, etc. Hæc autem omnia non sunt præcipua in hac arte, sed sunt solum quædam artis additamenta; ergo qui tradunt Rhetoricam, omittunt id, quod est in hac arte præcipuum, ac solum versantur circa quædam additamenta. Quod autem solæ probationes præcipuæ sint in Rhetorica; excitationes autem affectuum, amplificationes, exordium, narratio etc., sint solum quædam artis additamenta, probatur et primo de excitatione affectuum: orator enim debet ostendere rem, de qua agitur et dubitatur; sed solæ probationes ostendunt rem, de qua agitur et dubitatur; criminationes autem et alia, per quæ judices moventur ad indignationem, ad misericordiam, ad iram et ad alios similes affectus ac perturbationes, non conferunt ad rem ostendendam, sed solum ad judicem sic vel sic di-

sponendum; ergo excitatio affectuum non est præcipuum in Rhetorica, sed solum est quoddam hujus artis additamentum.

5. Confirmatur, quia in quibusdam civitatibus, præsertim bene institutis, jubentur oratores afferre solum probationes rei, interdicitur vero iisdem, dicere quidquam extra rem, puta afferre ea, quæ spectant ad judicem sic disponendum, excitando in eo affectus iræ, misericordiæ, amoris, odii, invidiæ etc. Hoc autem institutum sicut servatur in Areopago, ita deberet servari in omnibus judiciis ac deberet lege sanciri. Sicut enim cum quis usurus est regula recta, non debet illam ante inflectere, sic cum debemus uti judice tanquam regula rectitudinis, non debemus illum ad hanc vel illam partem inflectere, excitando in eo iram, misericordiam, invidiam etc.; sed qui nunc tradunt Rhetoricam, non docent modum probandi rem, sed solum docent modum excitandi affectus ac judicem disponendi; ergo in Areopago et in judiciis recte institutis nihil possent dicere, adeoque Rhetorica, quam tradunt, est utilis solum per accidens, quia judicia sunt male instituta, si vero judicia bene essent instituta, esset omnino inutilis.

6. Præterea vero apparet ejus qui controversatur, nihil esse nisi ut demonstret rem esse vel non esse, vel factam vel non factam esse; at vero utrum magna an parva sit, utrum justa an injusta, quæcumque legislator non distinxit, ipsum nempe judicem oportere cognoscere, et et non discere a controversantibus.

7. Maxime igitur convenit recte latas leges, quæcumque possunt, omnia ipsas distinguere, et quam paucissima relinquere iis qui judicant, primum quia facilius est unum habere et paucos quam multos, qui bene existiment et possint legem ferre ac jus conformare. Deinde legum lationes ex longi temporis considerationibus fiunt; at judicia derepente, ut difficulter rectam habeant justitiæ et utilitatis rationem illi qui judicant Atque quod omnium est maximum, quia legislatoris judicium non est de rebus singularibus nec de præsentibus, sed de futuris et de universalibus; at concio et judex de præsentibus ac definitis judicant, quibuscum et amor et odium et propria utilitas conjuncta sæpenumero est, ut non amplius possint perspicere satis id quod verum est, sed obscuret judicium propria jucunditas vel molestia. Ac de aliis quidem, quemadmodum dicebamus, oportet quam paucissimis efficere dominum disceptatorem. Verum de re facta aut non facta futura aut non futura, quæ est aut non est, omnino disceptatoribus relinquendum judicium est; non enim fieri potest, ut hæc legislator provideat.

6. Quod etiam amplificationes ac diminutiones, quibus ostenditur id, de quo agitur, esse magnum vel parvum, non sint præcipuæ in Rhetorica, probatur, quia ea præcipua sunt in oratoria, quæ judex debet a litigantibus et ab oratoribus eorum causas agentibus addiscere; quæ vero judex non debet addiscere a litigantibus, sed per se cognoscere, sunt solum artis additamenta; sed judex debet solum a litigantibus addiscere, utrum res sit vel non sit, utrum facta fuerit vel non fuerit, puta, utrum Callias fuerit a Socrate occisus an non. Posito vero, quod res sit, puta quod Callias fuerit occisus; judex debet per se ipsum posse dignoscere, utrum res sit magna vel parva, justa vel injusta ac universim posita notitia facti debet posse per se ipsum dijudicare de iis, quæ non sunt per legem definita; ergo solæ probationes ostendentes, rem esse vel non esse, fuisse factam vel non fuisse factam, per se spectant ad oratorem; amplificationes ac diminutiones, quibus ostenditur rem esse magnam vel parvam, justam vel injustam, ad oratorem spectant quodammodo per accidens, siquidem possunt judices nolle hæc ab oratoribus addiscere immo nec audire.

7. Confirmatur, quia oratores per suas probationes debent per se versari circa ea, quæ per se leges recte constitutæ debent relinquere judicio judicis; sed leges recte constitutæ debent per se relinquere judicio judicis, quæ spectant ad quæstionem facti, puta, *utrum res sit facta vel non, sit facienda vel non sit facienda, sit vel non sit;* cætera vero debent leges determinare, quam paucissima ex iis relinquendo judicio judicis; ergo oratores per suas probationes debent per se versari circa quæstiones facti, etc. — Probatur et explicatur minor, ac primo tribus rationibus ostenditur, leges recte constitutas debere definire omnia, quæ possunt definiri, ac paucissima relinquere judicio judicis. *Prima* ratio est, quia facilius est invenire unum vel paucos, quam invenire multos, qui possint recte de rebus statuere; sed leges constituuntur ab uno vel paucis, judicia exercentur a multis; ergo facilius est, ut legumlatores, quam ut judices recte de rebus statuant; ergo legumlatores per leges debent statuere de omnibus, in quantum possunt. *Secunda* ratio est, quia facilius est recte statuere de rebus, longa adhibita consideratione, quam repente; sed legumlatores per leges

de rebus statuunt, longa adhibita consideratione, judices statuunt repente; ergo facilius est, ut leges, quam ut judices recte statuant de rebus, adeoque leges debent omnia definire, in quantum possunt. *Tertia* et præcipua ratio est, quia cum passiones amoris atque odii, jucunditatis ac molestiæ, proprii commodi vel incommodi obscurent ita judicium rationis, ut non possimus recte judicare de veritate circa agibilia, melius est, ut de agendis statuant, qui sunt a talibus passionibus immunes, quam qui iis perturbantur; sed legumlatores, cum non statuant de singularibus, sed de universalibus, non de præsentibus, sed de futuris, non dimoventur a recto judicio passionibus; e converso consultores ac judices, cum judicent de singularibus ac præsentibus, cum quibus conjuncta est privata eorum utilitas, dimoventur a recto judicio passionibus amoris aut odii, jucunditatis ac molestiæ, et universim a sensu privati commodi vel incommodi; ergo melius est, ut de agendis leges definiant, quæcumque possunt, paucissima vero quæque providere non possunt, relinquant judicio judicis; sed quæ spectant ad factum, puta, *an res sit facta vel non sit facta, an sit facienda vel non facienda, an sit vel non sit*, non possunt a legumlatore provideri; ergo quæ spectant ad quæstiones facti per se sunt judicio judicis relinquenda; sed orator debet per suas probationes principaliter et per se versari circa ea, quæ judicio judicis per se relinquuntur; ergo orator debet per suas probationes principaliter et per se versari circa quæstiones facti, adeoque amplificationes ac diminutiones, quibus oratores ostendunt rem esse magnam vel parvam, justam vel injustam, minus principaliter ad oratorem spectant et sunt quædam Rhetoricæ additamenta.

8. Jam si hæc ita se habent, apparet ea quæ sunt extra rem illos præcipere, quicumque in aliis rebus versantur, ut quid oporteat procemium aut narrationem habere, et aliarum unamquamque particularum. Nihil enim in ipsis aliud tradunt, nisi quomodo disceptatorem cujusdammodi efficiant. De artificiosa vero fide nihil demonstrant, hoc est unde aliquis fieri enthymematicus possit.

9. Hac enim de causa cum eadem sit via et ratio in deliberativis et judicialibus, sitque pulchrior ac civilior deliberationis traditio, quam ea quæ de contractibus est, de illa quidem nihil dicunt, at de litigando omnes conantur præcepta tradere, quia minus prodest ea quæ sunt extra rem dicere in deliberativis, ac minus malitiosa est concio quam de jure disceptatio, quia res communior sit. Hic enim disceptator de propriis judicat; ut nihil aliud opus sit, nisi demonstrare, rem ita se habere, ut ait is qui consulit. In judicialibus vero id non sat est, sed operæ pretium est arripere auditorem. De alienis enim judicium est. ut dum se ipsos spectant et ad gratiam audiunt, se dent illis qui controversantur, non autem judicent. Itaque multis in locis, ut etiam prius dicebamus, lex prohibet extra rem dicere. Ibi autem ipsi disceptatores hoc custodiunt satis.

8. Ex eadem ratione exordium, narratio, etc., non spectant ad probandam rem, sed ad judicem et auditorem disponendum; ergo qui Rhetoricam tradunt, cum docent, quale debeat esse exordium, qualis narratio, etc., non agunt de iis, quæ principaliter spectant ad rem; sed qui nunc Rhetoricam tradunt, solum docent modum faciendi exordium et narrationem, amplificandi ac diminuendi, excitandi affectus, at non docent viam, per quam quis possit fieri enthymematicus, hoc est, habens facultatem inveniendi probationes artificiosas ad probandam rem, de qua est controversia; ergo qui Rhetoricam tradunt, valde diminute eam tradunt; præcipuam enim ejus partem omittunt ac solum ea persequuntur, quæ sunt hujus artis additamenta.

9. Quia qui Rhetoricam tradunt, solum persequuntur additamenta quædam, idcirco non agunt de omni genere, circa quod oratoria versatur, sed solum de eo genere, in quo magis locum habent hæc additamenta; sed hæc additamenta magnum habent usum in genere judiciali, in quo agitur de contractibus ac de aliis negotiis forensibus; parvum habent usum in genere deliberativo, in quo agitur de negotiis publicis; ergo non est mirum, quod qui Rhetoricam tradunt, agant pene solum de genere judiciali, non vero de genere deliberativo, licet oratoria versetur circa utrumque genus, et licet genus deliberativum sit pulchrius magisque civile, quam genus judiciale. Ratio vero, cur additamenta, quæ non spectant ad rem probandam, sed ad judicem vel deliberantem certo modo disponendum, magnum habeant usum in judiciis, parvum in deliberationibus, est, quia genus dicendi deliberativum est communius ac simplicius minusque versutiarum capax, quam genus dicendi judiciale. Cum enim qui in concione deliberant, deliberent de propriis, quæque ad ipsos spectant, nihil

aliud opus est oratori, nisi ut ostendat rem ita se habere, ut dicit ipsemet, qui ad rem faciendam adhortatur, hoc est, rem esse utilem deliberantibus; hoc enim ostenso statim deliberantes, qui suam sequuntur utilitatem, consilium oratoris capessunt. At in judiciis judices judicant de alienis; ergo non sufficit ostendere rem esse justam, ut orator dicit, sed operæ pretium est, etiam oratoriis lenociniis judicantis animum aucupari, quippe qui sæpe non justitiam solum, sed suam quoque utilitatem respicit et ad gratiam audiens, non tam incorrupte judicat de re ipsa, quam sententiam ferendo alteri ex litigantibus gratificatur. Quia igitur periculum est, ne oratores extra rem dicendo judicum gratiam aucupentur et sic judicia corrumpant, ideo multis in locis lege statutum est, ut oratores in judiciis nihil extra rem dicant; hac autem lege opus non fuit in deliberationibus. Cum enim deliberantes de suis rebus statuant, ipsimet cavent, ne ab oratoribus extra rem dicentibus corrumpantur.

CAPUT I. — ART. III

OSTENDITUR FACULTATEM PROBANDI ET ENTHYMEMATA CONFICIENDI HAURIENDAM ESSE EX FONTIBUS LOGICÆ.

10. Quoniam vero apparet artificiosam methodum ad fidem pertinere, et fides demonstratio quædam est (tunc enim fidem habemus maxime, cum demonstratum esse arbitramur), et demonstratio oratoria est enthymema, et est hoc, ut simpliciter dicam, potentissimum ad faciendum fidem, et enthymema est syllogismus quidam, et quæ ad syllogismum pertinent æque omnem, Dialecticæ est videre, vel ipsius universæ vel partis alicujus, non est dubium, qui maxime hoc potest intueri, ex quibus et quomodo fiat syllogismus, eum etiam enthymematicum esse maxime, cum assumpserit et in cujusmodi rebus versentur enthymemata, et quas habeant differentias ad logicos syllogismos.

11. Nam verum et simile vero ejusdem est facultatis videre. Simul autem et homines ad verum natura conformati sunt satis, et plerumque consequuntur veritatem. Quamobrem ad probabilia conjicienda se habere ejus est, qui eodem modo se habeat ad veritatem.

12. Ac alios quidem ea quæ sunt extra rem præcipere, et qua de causa magis deflexerint ad juris disputationem, apparet.

10. Verum quandoquidem antiqui non docuerunt rationem, artificiose, quæ diximus, probandi, quæri potest, ex quibus fontibus possimus hanc facultatem haurire. Insinuat responsionem Aristoteles ac docet hanc facultatem hauriendam ex fontibus Dialecticæ, nomine Dialecticæ intelligendo non solum Topicam, sed Logicam universam, quæ agit de omni syllogismo.

Probat, quia per artem, per quam habemus facultatem conficiendi syllogismos universim et varias syllogismorum species in variis materiis, possumus etiam facile acquirere facultatem conficiendi aliquam aliam speciem syllogismorum et in aliqua alia materia, dummodo edoceamur de iis, quæ sunt propria talis speciei et talis materiæ; sed vel per Dialecticam totam vel per aliquam ejus partem, puta per illam, quæ traditur in libris Priorum, habemus facultatem conficiendi syllogismos universim et varias species syllogismorum, puta syllogismos evidentes ac probabiles in materia certa vel probabili, edocemur etiam, ex quibus et quomodo fiat syllogismus, demonstratio etc.; ergo per Dialecticam possumus etiam facile acquirere facultatem conficiendi enthymemata, quæ sunt quædam species syllogismi et versantur circa materiam rhetoricam, si tamen edoceamur, circa quam materiam versentur enthymemata, et quo pacto syllogismi rhetorici differant a logicis. Rhetorica igitur principaliter debet docere viam ac modum conficiendi probationes artificiosas ad faciendam fidem eorum, quæ dicimus; sed probationes facientes fidem sunt quædam demonstrationes, tum enim maxime credimus, cum existimamus oratorem demonstrare, quæ proposuit; ergo Rhetorica docet viam ac modum conficiendi rhetoricas demonstrationes; sed rhetoricæ demonstrationes sunt enthymemata, siquidem enthymemata inter probationes rhetoricas habent maximam vim ad faciendam fidem et majorem etiam, quam exempla; ergo Rhetorica docet viam faciendi enthymemata; sed enthymemata sunt quidam syllogismi; ergo Rhetorica docet viam faciendi quosdam syllogismos; sed Logica dat facultatem conficiendi syllogismos universim; ergo per Logicam possumus etiam facile acquirere facultatem conficiendi enthymemata et probationes rhetoricas.

11. Confirmatur, quia qui potest videre verum, potest etiam videre verisimile, ideoque iidem homines, qui apti sunt ad

inveniendam veritatem in certis, apti sunt ad plerumque assequendam veritatem in probabilibus, et qui dispositi sunt ad cognoscendum verum, dispositi sunt etiam ad bene conjiciendum probabile; sed per Logicam, quæ traditur in libris Posteriorum, efficimur idonei ad inveniendas probationes certas in materiis scientificis; ergo per eamdem efficimur idonei ad inveniendas probationes verisimiles in Rhetoricis.

12. Ex his potest colligi, Rhetoricam secundum principalem partem, secundum quam docet viam conficiendi enthymemata seu probationes rhetoricas, esse quodammodo partem Logicæ. Ratio est, quia facultas docens modum conficiendi aliquam speciem syllogismi, est quodammodo pars facultatis docentis modum syllogismi universim conficiendi; sed Rhetorica docet modum conficiendi enthymemata, quæ sunt species syllogismi; ergo Rhetorica est quodammodo pars Logicæ, quæ docet modum universim conficiendi syllogismum. Concludit Aristoteles, quod, cum antiqui non docuerint rationem probandi, non tradiderunt præcipuam partem Rhetoricæ, et quod propter hanc causam, omisso genere deliberativo, declinarunt ad agendum pæne solum de genere judiciali.

CAPUT I. — ART. IV

QUÆ SIT RHETORICÆ UTILITAS, ET QUOD EJUS OPUS.

13. Utilis autem est Rhetorica propterea, quod natura sunt meliora vera et justa quam contraria. Quare nisi prout convenit judicia fiant, necesse est per ipsa superari. Atque hoc est dignum reprehensione.

14. Præterea vero apud nonnullos nec si exquisitissimam haberemus scientiam, facile est per illam persuadere dicendo. Doctrinæ enim est ea quæ a scientia proficiscitur oratio. Id autem fieri non potest, sed necesse est ex communibus duci fidem et rationem, quemadmodum etiam in Topicis dicebamus de collocutione cum imperita hominum multitudine:

15. Deinde vero contraria oportet posse persuadere, quemadmodum etiam in syllogismis, non ut utraque faciamus (non enim oportet mala persuadere), sed ut ne lateant quomodo se habent, et alio utente rationibus ipsis minus juste solvere possimus. Ac ex aliis quidem artibus nulla contraria syllogismo concludit, Dialectica vero et Rhetorica solæ id faciunt; æque enim sunt ambæ contrariorum. At quæ subjectæ sunt, non æque se habent, sed semper veræ et meliores natura aptiores ad syllogismum et magis idoneæ ad persuasionem sunt, ut simpliciter dicam.

16. Ad hæc absurdum est, si corpore quidem turpe sit non posse opitulari sibi ipsi, oratione vero turpe non sit, quæ magis propria est hominis quam corporis usus.

13. Descendit demum Aristoteles ad proponendas Rhetoricæ utilitates et ad explicandum, quod sit ejus opus. Rhetorica utilis est ad multa. *Primo* utilis est ad defendendas in judiciis causas veras et justas. Explicatur; licet causæ veræ et justæ sint ex sua natura meliores falsis et injustis, adhuc, nisi convenienter judicia exerceantur ac diligens veritati ac justitiæ patrocinium adhibeatur, necesse est, ut sæpe vincantur a falsis et injustis; sed dignum reprehensione est, si quis ex defectu Rhetoricæ, quamvis habeat pro sua causa justitiam et veritatem, adhuc sinat se in judiciis vinci; ergo Rhetorica utilis est ad afferendum præsidium justitiæ ac veritati, cum in judiciis periclitantur.

14. *Secundo* utilis est Rhetorica ad quædam hominibus vulgaribus persuadenda. Explicatur; licet habeamus exactissimam scientiam, adhuc, ut dictum est etiam in proœmio Topicorum, in congressibus, quos habemus cum hominibus vulgaribus, non est facile, ut per rationes scientificas persuadeamus id, quod debemus persuadere, cum rationes ac sermones scientifici non possint intelligi, nisi ab iis, qui sunt disciplinis ac doctrinis exculti; ergo ut hominibus vulgaribus persuadeamus, quæ volumus, necesse est, ut utamur probationibus ac sermonibus ex quibusdam communibus et ad captum populi accommodatis; sed Rhetorica docet rationem probandi, quod volumus ex quibusdam communibus et ad captum populi accommodatis; ergo etc.

15. *Tertio* sicut utile est, ut possimus per syllogismos dialecticos concludere contraria, sic utile est, ut possimus per rhetorica enthymemata suadere contraria, non quidem ut utrumque contrariorum suadeamus, (cum enim ex contrariis alterum sit bonum, alterum malum, non debemus suadere mala, sed solum bona), sed ut nos non lateat modus ac ratio suadendi contraria, et ut altero utente hac arte ad persuadendum aliquid injustum, possimus ejus rationes solvere; sed nulla ars præter Rhetoricam et Dialecticam syl-

logizant contraria, ideoque hæ duæ tantum sunt facultates contrariorum; ergo Rhetorica etiam ex hoc capite est utilis. Addit tamen Aristoteles, quod licet Rhetorica et Dialectica sint facultates syllogizandi ac persuadendi contraria, nihilominus contraria ex natura sua non sunt æque syllogizabilia ac persuasibilia, sed vera ex natura sua sunt simpliciter magis syllogizabilia falsis, meliora sunt magis persuasibilia deterioribus.

16. *Quarto* magis est propria hominis oratio, quam vires corporis; sed turpe est, quod homo non possit sibi opitulari per vires corporis; ergo absurdum est, ut non sit turpius, quod homo non possit sibi opitulari per orationem; ergo utilis est Rhetorica, per quam habemus facultatem nobis ipsis per orationem opitulandi.

17. Si vero objiciatur, quod valde nocebit is, qui utatur injuste hujusmodi facultate rationum, id commune est adversus omnia bona, præter virtutem, et maxime adversus utilissima, ut robur, valetudinem, divitias, disciplinam militarem; his enim aliquis profuerit maxime, si utatur juste et nocuerit, si injuste.

18. Ac non esse quidem alicujus generis definiti Rhetoricam, sed talem qualis est Dialectica, et utilem esse apparet. Neque vero persuadere esse munus ipsius, sed videre quæ possunt apponi ad persuadendum in quaque re, quemadmodum etiam in aliis artibus omnibus, neque enim Medicinæ est sanum facere, sed quousque fieri potest, eousque perducere; licet enim etiam illos, qui non possunt recuperare sanitatem, tamen curare bene. Ad hæc autem ejusdem esse tum appositum ad persuadendum, tum quod videtur appositum, videre, ut etiam in Dialectica tum syllogismum tum qui videtur syllogismus; sophisticus enim non est in facultate, sed in prælectione. Tamen hic quidem erit partim secundum scientiam, partim secundum prælectionem orator; ibi vero sophista quidem secundum prælectionem, dialecticus autem non secundum prælectionem, sed secundum facultatem. Jam vero de ipsa methodo conemur dicere, et quomodo et ex quibus poterimus consequi ea quæ proposuerimus. Rursus igitur tanquam de integro ordientes, cum definiverimus ipsam, quid sit, reliqua dicamus.

17. Opponunt aliqui contra Rhetoricæ uilitatem, quia, si aliquis male et injuste utatur hac facultate ad persuadendas res malas et injustas, magna afferet damna; ergo, etc. Respondet Aristoteles omnibus bonis, excepta virtute, commune esse, ut possimus ipsis male uti et, si male utamur, maxima damna afferamus; imo quo bona sunt utiliora, eo majora illis male utendo possimus mala facere; ex. gr., sicut bene utendo robore, sanitate, divitiis, arte imperatoria possumus afferre reipublicæ maxima emolumenta, sic male iisdem utendo possumus eidem afferre maxima detrimenta; ergo sicut ex eo quod male utendo robore, sanitate, divitiis, arte imperatoria, etc possimus afferre maxima damna, non probatur horum inutilitas, sic neque simili argumento probatur inutilitas Rhetoricæ.

18. Concludit Aristoteles epilogando dicta, proponendo dicenda et quædam, quæ ex dictis sequuntur, inferendo. *Primo* ex dictis patet, quod Rhetorica non versatur circa ullum genus determinatum, sed vagatur per omnia rerum genera, sicut Dialectica. *Secundo* patet Rhetoricam esse utilem. *Tertio* potest ex dictis inferri, quod opus Rhetoricæ non est persuadere, sed videre et afferre, quæ in singulis, de quibus agitur, sunt apta ad persuadendum. Probatur autem hoc exemplis aliarum artium; Medicinæ enim opus non est sanare ægrotum, sed facere omnia, quæ possunt fieri ad illum sanandum, ideoque potest medicus bene curare ac suum opus efficere, etiam circa ægrotum insanabilem; ergo proportionaliter Rhetoricæ opus non est persuadere, sed afferre omnia, quæ sint apta ad persuadendum. *Quarto* potest inferri, quod sicut eadem Dialectica contemplatur non solum syllogismum verum, sed etiam apparentem, sic Rhetorica contemplatur non solum, quæ sunt apta ad persuadendum, sed etiam quæ videntur apta. Adhuc tamen aliqua quoad hoc est differentia inter dialecticum et rhetorem. Dialectici enim munus est, solum cognoscere syllogismum dialecticum, uti vero syllogismo dialectico non est munus dialectici, sed sophistæ, ideoque dialecticus dicitur solum, qui habet scientiam syllogismi apparentis, non autem qui eo utitur. At vero rhetor dicitur non solum, qui habet scientiam eorum, quæ videntur apta ad persuadendum, sed etiam qui iis utitur, ideoque dicitur tum secundum scientiam, tum secundum prælectionem. Hæc cum circa Rhetoricam fuerint explicata, superest ut rhetoricam artem tradere incipiamus et ut explicemus, qua ratione possimus consequi finem huic arti propositum. *Primo* ergo debemus explicare, quid sit Rhetorica; *deinde* debemus persequi cætera.

CAPUT II. — ART. I

QUID SIT RHETORICA.

1. [2] Sit autem Rhetorica facultas in quaque re videndi, quod contingit esse idoneum ad faciendam fidem. Hoc enim nullius alterius est artis munus. Nam ex aliis unaquæque in re sibi subjecta exercet vim docendi et persuadendi, quemadmodum Medicina in sanabili et morboso, et Geometria in affectionibus quæ accidunt magnitudinibus, et Arithmetica in numero. Similiter vero etiam reliquæ artes et scientiæ. At Rhetorica de re proposita, ut ita dicam, videtur posse intueri, quod appositum est ad faciendam fidem. Quamobrem etiam dicimus ipsam non in aliquo genere proprio definito habere vim artificiosam.

1. Præmisso procemio, incipit Aristoteles Rhetoricam tradere ac primo illam definit. Rhetorica igitur *est facultas in unaquaque re videndi, quid sit aptum ad faciendam fidem ejus rei illamque persuadendam.* Hæc definitio explicat genus, per quod Rhetorica convenit cum cæteris facultatibus, ac differentiam, per quam differt. Convenit in hoc, quod est quædam facultas; differt in hoc, quod cæteræ facultates versantur circa aliquam materiam particularem, Rhetorica vagatur per omnes materias et per omnia genera rerum. Explicatur; Medicina docet et persuadet solum ea, quæ spectant ad corpus sanum vel ægrotum; Geometria docet et persuadet passiones et proprietates magnitudinum; Arithmetica docet et persuadet ea, quæ spectant ad numeros et eorum proprietates, idemque dic de cæteris artibus ac scientiis; at Rhetorica debet videre, quid sit aptum ad faciendam fidem et persuasionem de quolibet dato, ideoque dicimus, hanc artem non versari circa ullum determinatum genus, sed vagari per omnia genera. Licet tamen Rhetorica vagetur per omnia genera, tamen circa illa non considerat, quæ sunt propria talium generum, adeoque intelliguntur a solis professoribus particularium disciplinarum, sed quæ sunt communia et quodammodo intelliguntur ab omnibus, ut dictum est cap. II, num. 11.

CAPUT II — ART. II

PROPONITUR DIVISIO PERSUASIONUM, HOC EST EORUM, QUÆ SUNT APTA AD FACIENDAM FIDEM.

2. Fides autem una non artificiosa est, altera artificiosa. Res non artificiosas voco, quæcumque non a nobis excogitatæ sunt, sed ante erant, ut testes, quæstiones syngraphæ, et quæcumque sunt hujusmodi.

3. Artificiosas vero, quæcunque ut methodo et opera nostra comparentur fieri potest. Quare oportet illis quidem uti, has vero etiam invenire. Ac quæ ratione excogitatur, fides triplex est. Nam partim consistit in moribus ejus qui dicit, partim in eo ut auditor afficiatur aliquo modo, partim in ipsa ratione, quid demonstret vel videatur demonstrare. Ac propter mores quidem, quoties ita prolata sit oratio ut fide dignum reddat eum qui dicit. Probis enim magis et celerius credimus in omnibus quidem simpliciter, sed in iis in quibus certi nihil sit, verum opinio dubia, etiam præcipue. Oportet vero etiam id accidere propter orationem, sed non quia anticipatum opinione sit, cujusdammodi esse eum qui dicit. Non enim recte se habet, quod nonnulli faciunt ex dicendi magistris. Ponunt in parte probitatem ejus qui dicit, quasi nihil conferat ad id quod est appositum ad fidem, sed propemodum, ut ita dicam, potentissimam continent fidem mores. Propter auditores autem, quoties in affectum ab oratione perducti sint. Non enim similiter judicamus, dum mæremus et gaudemus aut amamus et odio habemus. Qua de re etiam sola conari dicimus præcepta tradere eos, qui nunc artem conscribunt. Atque hæc quidem declarabuntur singillatim, cum de affectibus dicemus. Propter rationes vero fidem habent, cum verum aut id quod apparet, demonstraverimus ex iis quæ in quaque re sunt apposita ad persuadendum.

Proposita definitione Rhetoricæ, agendum est de iis, circa quæ Rhetorica versatur; sed Rhetorica cum sit facultas videndi, quid sit aptum ad faciendam fidem, præcipue versatur circa ea, quæ sunt apta ad faciendam fidem; ergo agendum est de iis, quæ sunt apta ad faciendam fidem, quæ vocantur ab Aristotele fides ac possunt etiam vocari persuasiones. *Primo* igitur proponenda est divisio eorum, quæ sunt apta ad faciendam fidem; *secundo* ostendendum est, quod, ut Rhetorica possit per hæc fidem facere, debet considerare, quæ spectant ad syllogismos, ad virtutes ac mores et ad affectus sive passiones, adeoque est affinis et agnata Dialecticæ ac Morali seu Politicæ, licet vere non sit scientia moralis neque politica.

2. *Quoad primum;* quæ sunt apta ad faciendam fidem dividuntur primo in artificialia et inartificialia. Inartificialia sunt, quæ non per artem inveniuntur et parantur, sed præexistere debent ante omnem inventionem artificiosam, cujus-

modi sunt testes, quæstiones syngraphæ et alia hujusmodi. Artificialia sunt, quæ possumus per artificiosam methodum ac nostro ingenio invenire et parare. Oportet igitur, ut orator persuasiones quidem inartificiales non inveniat, sed iis dumtaxat utatur; persuasiones autem artificiales etiam inveniat.

3. Artificialia, quæ sunt apta ad faciendam fidem, subdividuntur in tres species. Prima species complectitur ea, quæ habent vim persuadendi propter mores dicentis. Secunda complectitur ea, quæ habent vim persuadendi propter dispositionem audientis. Tertia complectitur ea, quæ habent vim persuadendi propter ea, quæ dicuntur, eo quod propositum demonstrent vel videantur demonstrare. Primo igitur oratio habet vim persuadendi propter mores loquentis. Cum enim magis ac celerius credamus viris probis, quam improbis, præsertim in iis, de quibus non habemus certitudinem, sed videntur dubia in utramque partem, si orator in dicendo se virum probum ac fide dignum exhibebit, facilius fidem obtinebit, non propter ea, quæ dicit, sed quia se talem exhibet. Non igitur sequimur opinionem eorum dicendi magistrorum, qui in sua arte tradunt, probitatem dicentis nihil conferre ad persuadendum, sed existimamus mores dicentis maximam fere vim habere ad faciendam fidem. Secundo oratio habet vim persuadendi propter dispositionem auditorum. Cum enim diversum judicium de rebus feramus cum lætamur ac cum tristamur, cum amamus ac cum odimus, orator se per hoc, quod hos aut illos affectus in auditoribus excitent, fidem faciunt. Hinc ortum est, ut, sicut capite I, num. 9 dicebamus, ii qui hoc tempore Rhetoricam docent, de nullo pæne alio quam de affectibus commovendis præcepta tradant, quæ præcepta nos etiam afferemus lib. II, in quo de affectibus agetur. Tertio demum auditores fidem adhibent dictis propter ea, quæ dicuntur, cum orator ex iis, quæ circa singula sunt credibilia, ostendit verum aut verisimile esse id, quod dicit.

4. Quoniam vero fides ex his est, apparet tria hæc consequi esse ejus qui concludere syllogismo possit, et qui speculari de moribus et virtutibus, et tertio loco qui de affectibus, nempe quid unusquisque sit ex affectibus, et qualis, et ex quibus excitetur, et quomodo. Quo fit ut Rhetorica tanquam agnatum quiddam Dialecticæ sit, et ejus quæ de moribus est traditionis, quam justum est appellare politicam. Quare etiam subit personam politicæ Rhethorica, et qui sibi hanc vindicant partim propter ignorantiam, partim propter arrogantiam, partim etiam propter alias causas humanas. Est enim particula quædam Dialecticæ et similitudo, quemadmodum etiam exordientes dicebamus. De aliqua enim re definita neutra ipsarum est scientia, quomodo se habeat, sed facultates quædam sunt parandi rationes. At de facultate quidem ipsarum, et quomodo se habeant inter se, dictum est propemodum satis.

4. *Quoad secundum* Rhetorica ex dictis est facultas videndi, quæ conducunt ad faciendam fidem; sed ad fidem faciendam conducunt tum rationes, quæ afferuntur, tum mores, quos orator exhibet, tum affectus, ad quos auditorem movet; ergo Rhetorica debet circa hæc versari ac debet primo habere facultatem syllogizandi; secundo debet posse considerare, quæ spectant ad mores et virtutes; tertio debet posse considerare, quæ spectant ad affectus ac passiones, ac debet scire, quid et qualis sit unusquisque affectuum, et ex quibus ac quomodo excitentur; sed contemplatio syllogismorum principaliter spectat ad Dialecticam, contemplatio morum, virtutum et affectuum spectat ad moralem, quæ merito vocatur politica: ergo Rhetorica, in quantum considerat syllogismos, est quoddam quasi germen Dialecticæ seu Logicæ; in quantum considerat mores, virtutes atque affectus, est quoddam quasi germen politicæ. Hinc ortum est, ut Rhetorica sumat habitum politicæ, et ut qui Rhetoricam profitentur, partim propter ignorantiam, partim propter arrogantiam et alias humanas causas, jactent, se esse politicos, licet vere Rhetorica non sit politica neque moralis. Ratio, cur Rhetorica, licet consideret affectus, virtutes ac mores, adhuc non sit politica neque moralis, est, quia politica et moralis sunt scientiæ de moribus, considerantes ea, quæ ad mores spectant ex propriis principiis et causis; sed Rhetorica, ut dictum est cap. I, num. 2, est quædam pars et similitudo Dialecticæ, adeoque Rhetorica, sicut etiam Dialectica, licet omnia considerent, nullius rei sunt scientiæ, cum considerent res solum secundum quædam communia et verisimilia, quæ quodammodo nota sunt omnibus; ergo Rhetorica non est moralis neque politica. Rhetorica ac Dialectica non sunt scientiæ, sed sunt quædam facultates conficiendi rationes

de rebus in utramque partem, circa quas facultates, et quomodo se habeant ad invicem, dictum est fere sufficienter.

CAPUT II — ART. III

DE PROBATIONIBUS RHETORICIS, ENTHYMEMATE NIMIRUM ATQUE EXEMPLO ET EORUM AB INVICEM DIFFERENTIA.

5. Quæ vero cernuntur in eo quod demonstrent vel appareant demonstrare, quemadmodum etiam in dialecticis eorum quidem unum inductio est, alterum autem syllogismus et qui apparet syllogismus, ita hic quoque similiter se res habet. Nam exemplum est inductio. enthymema syllogismus est. Ac enthymema quidem voco oratorium syllogismum, exemplum vero inductionem oratoriam. Omnes autem fidem faciunt demonstrando, aut exempla proferentes aut enthymemata, et præter hæc nihil quodammodo. Quare si etiam omnino necesse est syllogismo aut inductione utentem demonstrare quodcumque aut quemcumque (manifestum autem est nobis id ex Analyticis), necessario utrumque ipsorum cum utroque horum idem est.

6. Quæ vero sit differentia exempli et enthymematis. apparet ex Topicis; ibi enim de syllogismo et inductione dictum est prius. Nempe cum in multis et similibus demonstratur rem ita se habere, ibi quidem inductionem esse, hic vero exemplum ; at cum quibusdam positis aliud quid ex his evenit præter hæc, eo quod hæc sint, vel in universum vel plerumque, ibi quidem syllogismum, hic vero ethymema vocari. Apparet autem etiam utrumque habere bonum speciem Rhetoricæ. Nam quemadmodum in Methodicis dictum est, etiam in his similiter res se habet; sunt enim aliæ quidem exemplorum plenæ orationes, aliæ vero enthymematum; et oratores similiter alii quidem exemplis delectantur, alii vero enthymematibus. Et ad persuadendum quidem non minus valent orationes. quæ exemplis constant, perturbant vero magis, quæ enthymematibus. Causam autem ipsorum, et quomodo utroque utendum, dicemus posterius. Nunc vero de his ipsis apertius et distinctius disseremus.

Postquam Aristoteles distinxit tria, quibus possumus fidem facere, agit de singulis in particulari; et quia primum, ac principalem locum in fide facienda habent probationes, ideo primo agit de probationibus atque hoc libro tradit artem omissam ab antiquis, ostendendi quod propositum est; libro vero secundo tradit artem excitandi in auditoribus affectus ac mores fide dignos exhibendi.

5. Ex dictis in Dialectica duo sunt, per quæ possumus vere ostendere id, quod est propositum, syllogismus nimirum et inductio; ac duo sunt etiam, per quæ possumus apparenter ostendere, syllogismus nimirum apparens et inductio apparens. Licet enim ad rem probandam aliquando utamur etiam exemplo et enthymemate, tamen exemplum est quædam inductio, et enthymema est quidam syllogismus, ideoque possumus enthymema comprehendere sub genere universali syllogismi illudque vocare syllogismum rhetoricum, exemplum sub genere universali inductionis illudque vocare inductionem rhetoricam. Quod autem enthymema rhetoricum reducatur ad syllogismum, exemplum rhetoricum reducatur ad inductionem, probatur, quia, ut dictum est in Analyticis, necesse est, ut quicumque quodcumque demonstrent, vel syllogismo vel inductione; sed rhetores fidem demonstrando faciunt afferendo vel enthymemata vel exempla, nec habent alium modum probandi propositum; ergo necesse est, ut enthymema et exemplum coincidant cum syllogismo et inductione, adeoque quod enthymema sit quædam species syllogismi, exemplum sit quædam species inductionis.

6. Differentia inter enthymema et exemplum patere potest ex differentia in Topicis assignata inter syllogismum et inductionem. Ex doctrina igitur in Topicis tradita, cum ex eo, quod in multis atque similibus sic se habet, ostenditur, quod etiam in casu præsenti sic se habet, in Dialecticis quidem est inductio, in Rhetorica exemplum; cum vero ex quibusdam positis alterum quid accidit propter hæc, eo quod hæc sunt, vel universaliter vel ut plurimum, in Dialecticis quidem vocatur syllogismus, in Rhetoricis enthymema. Sicut autem in libris Methodicis diximus, quod tum syllogismi tum inductiones suam specialem bonitatem et utilitatem habent ad probandum, sic nunc dicimus, quod tum enthymemata, tum exempla suam habent bonitatem et utilitatem ad persuadendum. Hinc est, ut aliqui rhetores magis approbent exempla, adeoque utantur exemplaribus orationibus, alii magis approbent enthymemata et utantur orationibus enthymematicis. Et licet orationes exemplares non minus persuadeant, quam enthymematicæ, adhuc orationes enthymematicæ magis auditores commovent et conturbant ac quodammodo per vim ad credendum trahunt. Sed hæc inferius

sunt magis explicanda, ubi afferenda est causa, cur orationes enthymematicæ magis auditores conturbent, et explicandum, quo pacto tum exemplis tum enthymematibus debeamus uti, nunc vero his relictis breviter, quæ dicta sunt, magis explicare debemus,

---

CAPUT II. — ART. IV

EX QUIBUS PROPOSITIONIBUS AC PRINCIPIIS FIANT, ET CIRCA QUAS CONCLUSIONES AC QUÆSTIONES VERSENTUR ENTHYMEMATA ET EXEMPLA RHETORICA.

7. Quoniam enim quod appositum est ad persuadendum, alicui appositum est, et unum quidem statim est appositum ad persuadendum per se et credibile, alterum vero, quod demonstrari videatur ex talibus,

8. et nulla ars considerat singulare, ut Medicina quid Socrati salubre sit vel Calliæ, sed quid tali vel talibus (hoc enim artificiosum est, singulare autem infinitum et sub scientiam non cadens), ne Rethorica quidem singulare probabile intuebitur, ut Socrati vel Hippiæ, sed quod talibus, quemadmodum etiam Dialectica. Etenim illa syllogismo concludit non ex quibuslibet (apparent enim quædam etiam iis qui delirant), sed illa quidem ex iis quæ ratione indigent, Rhetorica vero ex iis quæ in consultationem venire consueverunt.

Explicata differentia inter enthymema et exemplum, debemus explicare, ex quibus propositionibus ac principiis fiant, et circa quas conclusiones ac quæstiones versentur.

7. Dicendum igitur *primo*, quod enthymemata et exempla rhetorica versantur circa conclusiones persuasibiles ac procedunt ex principiis persuasibilibus. Ratio est, quia Rhetoricæ finis est persuadere ; sed solæ conclusiones persuasibiles possunt persuaderi, ac persuaderi possunt solum ex principiis persuasibilibus : ergo enthymemata et exempla versantur circa conclusiones persuasibiles et procedunt ex principiis persuasibilibus. Quia vero illud solum est persuasibile ut principium, quod est credibile *per se*, illud est persuasibile ut conclusio, quod potest ostendi per propositiones per se credibiles, ideo enthymemata et exempla rhetorica procedunt ex principiis per se credibilibus, versantur vero circa conclusiones, quæ possunt ostendi per propositiones per se credibiles.

8. Dicendum *secundo*, quod Rhetorica in suis enthymematibus atque exemplis procedit ex propositionibus ac principiis per se credibilibus non quidem huic vel illi homini singulari, sed illi hominum generi, qui in consiliis, judiciis ac concionibus versantur. Ratio est, quia nulla ars considerat singularia, quia cum hæc sint infinita, non sunt scibilia neque possunt cadere sub artem ; ex. gr., medicina non considerat, quid sit salubre Socrati vel Calliæ, sed quid sit salubre hominibus hoc pacto affectis, puta cholericis ac melancholicis ; ergo neque Rhetorica considerat quid sit persuasibile huic, vel illi singulari, Socrati vel Hippiæ, sed quid sit persuasibile certis hominum generibus, nobilibus nimirum aut ignobilibus, divitibus aut pauperibus, juvenibus aut senibus etc. Sicut igitur Dialectica syllogizat ex iis, quæ videntur probabilia, non quibuscumque, (nam quædam videntur probabilia etiam fatuis), sed quæ videntur probabilia iis, cum quibus agit, hoc est disputantibus, sic Rhetorica enthymemata facit ex iis, quæ videntur credibilia hominibus versantibus in judiciis, in consiliis atque in concionibus, siquidem cum talibus plerumque agit orator.

9. Est autem munus ipsius et de ejusmodi rebus, de quibus consultamus et artes non habemus, et apud ejusmodi auditores, qui non possunt ex multis contueri neque ratiocinari longius. At consultamus de iis quæ videntur posse se utroque modo habere. De iis vero quæ fieri non potest, ut aliter vel facta sint vel futura sint vel se habeant, nemo consultat sic existimans. Nullo enim alio modo nisi sic contingit consulere. Contingit autem concludere syllogismo, et colligere alia quidem ex syllogismo conclusis prius, alia vero ex non conclusis quidem syllogismo, sed indigentibus syllogismo, propterea quod non sint probabilia. Ac necesse est illud quidem non esse facile ad consequendum propter longitudinem. Nam disceptator supponitur esse simplex ; hæc vero minus apposita ad persuadendum, quia nec ex confessis sint nec probabilibus. Quare necessarium est enthymema esse et exemplum de iis quæ contingunt ita, ut sæpe se habeant etiam aliter, exemplum quidem inductionem, enthymema vero syllogismum, et ex paucis, et sæpe paucioribus quam ex quibus est primus syllogismus. Si enim sit aliquid horum notum, non oportet dicere ; ipse enim id supplet auditor. Quemadmodum, quod Dorieus coronarium certamen vicit, satis est dicere eum Olympia vicisse, coronarium autem certamen esse Olympia, non oportet adjungere ; cognoscunt enim omnes. Quoniam autem sunt pauca necessaria, ex quibus oratorii syllogismi conficiuntur (multa enim de quibus judicia ac deliberationes

sunt, contingit etiam aliter se habere ; quæ enim agunt, de iis consultant et deliberant ; quæ vero aguntur, omnia hujusce generis sunt, et nihil horum, prope dixerim, ex necessitate est ; quæ autem plerumque accidunt et contingunt, ex talibus necesse est aliis syllogismo concludi, necessaria vero ex necessariis ; id quod manifestum est nobis ex Analyticis), apparet, ex quibus enthymemata ducuntur, alia quidem necessaria futura esse, plurima vero quæ plerumque se habent.

9. Dicendum *tertio* : Rhetorica ut plurimum versatur circa contingentia, hoc est quæ plerumque ita se habent, sed possunt aliter se habere, ac suas conclusiones concludit ex paucis atque ut plurimum ex principiis, quæ non necessario, sed plerumque ita se habent; at possunt aliter se habere. Quod Rhetorica ut plurimum versetur circa contingentia, probatur, quia Rhetorica versatur circa ea, de quibus consultamus, ac circa quæ per certam artem non possumus determinare; sed consultamus solum de his, quæ possunt aliter se habere; de iis vero, quæ aliter aut fieri aut fore aut esse et se habere non possunt, consultat nemo, qui existimet, illa non posse aliter se habere : ergo Rhetorica versatur circa contingentia, quæ plerumque sic se habent, sed possunt etiam aliter se habere. Quod Rhetorica concludat ex paucis, probatur, quia Rhetorica persuadere conatur auditoribus, qui non possunt videre, quo pacto conclusio sequatur ex multis ac longa ratiocinatione illatis ; siquidem qui judiciis, consiliis ac concionibus intersunt, solent esse simplices et ineruditi; sed ad persuadendum talibus concludendum est ex paucis : ergo Rhetorica concludit ex paucis. Cum igitur possimus conclusiones inferre vel ex propositionibus non per se credibilibus, sed probatis per alios syllogismos, vel ex propositionibus non per se credibilibus neque syllogizatis per alios syllogismos, vel ex propositionibus per se credibilibus; enthymemata rhetorica neque debent fieri ex propositionibus per se non credibilibus ac non syllogizatis alio syllogismo, quia tales propositiones, utpote neque per se credibiles neque probatæ per alias propositiones, sunt ineptæ ad conclusionem persuadendam ; neque debent fieri ex propositionibus probatis per alios syllogismos, quia tales ratiocinationes propter longitudinem non sunt accommodatæ intelligentiæ judicum, qui supponuntur esse ineruditi ; sed debent fieri ex propositionibus per se credibilibus, adeoque ex paucis. Addit Aristoteles, quod sæpe enthymemata rhetorica debent fieri ex paucioribus quam primus syllogismus; sed primus et immediatus syllogismus constat ex duabus tantum præmissis ; ergo sæpe enthymemata rhetorica debent habere unam tantum præmissam, omittendo nimirum alteram præmissam, quam utpote omnibus notam auditores subintelligunt; ex. gr., ad concludendum, quod Doricus vicerit certamen, in quo victores coronabantur, sufficit sic arguere : *Doricus vicit Olympia ; ergo vicit certamen, in quo victores coronabantur;* alteram vero præmissam, quod nimirum in *Olympiis victores coronabantur*, debemus omittere, quia utpote omnibus notam, auditores subintelligunt. Quod demum Rhetorica ut plurimum concludat conclusiones ex principiis non necessario, sed plerumque sic se habentibus, probatur : nam ut dictum est in Analyticis, conclusiones necessariæ syllogizantur et inferuntur ex præmissis necessariis; conclusiones contingentes ac plerumque sic se habentes, inferuntur ex principiis contingentibus ac plerumque sic se habentibus ; sed Rhetorica ut plurimum concludit contingentes : ergo etc. Minor et jam probata est et iterum confirmatur; Rhetorica syllogizat de iis, de quibus deliberantes ac judicantes consultant; sed judicantes ac deliberantes consultant de agibilibus, nullum autem agibile est necessarium, sed omnia sunt contingentia; ergo Rhetorica ut plurimum concludit conclusiones contingentes, adeoque ex principiis, quæ licet plerumque sic se habeant, adhuc possunt aliter se habere; raro autem syllogizat de necessariis atque ex necessariis.

CAPUT II. — ART. V

DE VERISIMILIBUS AC SIGNIS, EX QUIBUS FIUNT ENTHYMEMATA.

10. Ducuntur enim enthymemata ex verisimilibus et signis, ut necesse sit horum utrumque cum utroque idem esse.

11. Verisimile enim est, quod plerumque fit, non simpliciter autem, quemadmodum definiunt nonnulli, sed quod in iis quæ contingit aliter se habere, sic se habet ad illud cui est verisimile, ut universale ad singulare.

12. Ex signis autem unum quidem ita se habet ut singularium aliquid ad universale, alterum vero ut universale aliquid ad singulare.

Atque ex his quod necessarium est, tecmerium est; at quod non est necessarium, nomine caret, quo distingui possit. Ac necessaria quidem voco, ex quibus fit syllogismus. Quamobrem etiam tecmerium tale ex signis est; cum enim non contingere arbitrantur, ut solvatur id quod dictum est, tunc se afferre putant tecmerium, tanquam demonstratum et terminatum, quia tecmar et terminus idem est juxta antiquam linguam.

13. Est autem ex signis unum quidem ut singulare ad universale, non secus ac si quis diceret, signum esse sapientes esse justos, quia Socrates sapiens erat et justus. Atque hoc quidem signum est; sed solvi potest, etiamsi verum sit quod dictum est; non enim cadit in syllogismum. Hæc autem, ut si quis diceret, signum esse aliquem ægrotare, quia febrem habet, vel aliquam peperisse, quia lac habet, necessarium est. Quod ex signis tecmerium solum est; solum enim si verum sit, solvi non potest. Alterum vero ut universale ad id quod singulariter se habet, ut si quis diceret, aliquem febre laborare, signum esse quia frequenter anhelat; ac solvi potest hoc quoque, etiamsi verum sit; contingit enim etiam non laborantem febri anhelare. Quid igitur verisimile sit et quid signum et tecmerium, et quid differant, dictum est adhuc. Apertius vero etiam de his, et qua de causa alia syllogismo concludi possint, alia non possint, in Analyticis disputatum est.

10. Dictum est num. 9. hujus cap., enthymemata rhetorica sæpe fieri ex iis, quæ plerumque contingunt, aliquando fieri ex necessariis; sed communiter dicitur, quod enthymemata fiunt ex verisimilibus ac signis, ut etiam dictum est lib. II. Priorum cap. XXXIII : ergo verisimilia ac signa debent coincidere cum iis, quæ plerumque contingunt et cum necessariis, ita ut verisimilia reducantur ad ea, quæ plerumque contingunt, signa vero ad propositiones necessarias. Hæc ut magis pateant, agendum est de verisimilibus ac signis atque explicandum, quo pacto enthymemata ex verisimilibus fiant ex plerumque contingentibus, enthymemata ex signis fiant ex necessariis; distinguendæ sunt etiam variæ species signorum atque enthymematum ex signis constantium.

11. Verisimile seu probabile est, *quod ut plurimum fit et est ex contingentibus, quæ possunt aliter se habere, et ita se habet ad id, quod ex illo infertur, sicut universale ad particulare.* Non ergo, ut quidam existimant, sufficit ad verisimile, ex quo ducitur enthymema rhetoricum, quod ut plurimum fiat, sed requiritur præterea, ut sit ex contingentibus, ac ut ita se habeat ad id, quod ex ipso infertur, ut universale ad particulare; ex. gr., quod *adolescentes ut plurimum proclives sint ad libidinem* est verisimile, ex quo probabiliter infertur hunc etiam adolescentem proclivem esse ad libidinem, siquidem et ut plurimum fit et est ex contingentibus, et hoc, quod est *adolescentes proclives esse ad libidinem*, se habet ad hoc, quod est, *hunc adolescentem proclivem esse ad libidinem*, sicut universale ad singulare.

12. Signorum atque etiam enthymematum constantium ex signis plura sunt genera, quæ possunt explicari per duas divisiones. Prima divisio est : signorum aliqua se habent ad id, quod ex ipsis infertur, sicut singulare ad universale; alia se habent sicut universale ad singulare. Secunda divisio est : signorum aliqua sunt necessaria, ita ut, si ipsa sint, non possit non esse id, cujus sunt signa, et hæc vocantur tecmyria; alia sunt non necessaria, ita ut, etiamsi ipsa sint, adhuc possit non esse id, cujus sunt signa, et hæc carent nomine proprio ac eorum differentiam significante. Signa necessaria sunt, ex quibus fit syllogismus necessario concludens, ideoque *tecmyrion* est syllogismus conclusionem necessario inferens ex signo necessario. Probatur hoc, quia arguentes, cum ad aliquid probandum attulerunt signum insolubile, tum putant se attulisse *tecmyrion*, quasi per illud demonstrarint rem ac ratiocinationem absolverint, siquidem juxta antiquam linguam græcam *tecmar* idem significat ac finem, adeoque *tecmyrion* idem est ac ratiocinatio absoluta.

13. Hæc omnia exemplis patebunt. *Primo* ergo exemplum signorum non necessariorum, quæque se habent ad id, quod ex ipsis infertur, sicut singulare ad universale est, si quis ad probandum hoc universale, quod *sapientes sint justi*, afferat in signum hoc singulare, *quod Socrates fuit sapiens et justus*. Hoc argumentum est solubile. Neque enim ex eo, quod Socrates fuerit sapiens et justus, potest syllogistice inferri, quod sapientes sint justi. *Secundo* exempla signorum necessariorum, quæque se habent ad id, quod ex ipsis infertur, ut universale ad particulare, sunt, si quis probet aliquem ægrotare ex eo, quod febri laboret, vel aliquam mulierem peperisse ex eo, quod lac habeat. Hæc sola signa sunt tecmyria, quia sunt insolubilia. Cum enim omnis

febri laborans ægrotet et omnis mulier lac habens pepererit, ex eo, quod aliquis febri laboret, syllogistice atque in prima figura sequitur, quod ægrotet, et ex eo, quod aliqua mulier lac habeat, syllogistice atque in prima figura sequitur, quod peperit. *Tertio* exemplum signorum non necessariorum, quæque se habent ad id, quod infertur, sicut universale ad particulare est, si quis probet aliquem febri laborare ex eo, quod frequenter respiret. Hoc argumentum est solubile. Possibile enim est, ut etiamsi quis febri non laboret, adhuc frequenter respiret ex alia causa, ideoque hoc argumentum : *omnis febri laborans frequenter respirat ; hic frequenter respirat : ergo febri laborat*, non concludit, cum sit in secunda figura ex puris affirmativis. Concludit Aristoteles satis esse nunc explicatum, quid sit verisimile, quid signum, ac quomodo differant ad invicem, libro vero II. Prior. cap. XXXIII et XXXIV, diligentius actum fuisse de his, ubi etiam allata fuit causa, propter quam ex aliquibus signis possit fieri syllogismus necessario concludens, ex aliis non possit.

CAPUT II. — ART. VI

DE EXEMPLO.

14. Jam exemplum esse inductionem, et in qualibus sit inductio, dictum est. Atque est neque ut pars ad totum neque ut totum ad partem neque ut totum ad totum, sed ut pars ad partem, simile ad simile, cum ambo subsint eidem generi, sed notius alterum sit alterio. Exemplum est, quemadmodum affectare tyrannidem Dionysium, cum postulet custodiam ; etenim Pisistratus prius affectans postulavit custodiam, et cum obtinuisset, tyrannidem occupavit, et Theagenes Megaris. Et alii, quoscumque sciunt, exemplum omnes fiunt Dionysii, quem nondum sciunt ob id postulare. Omnia autem hæc subsunt eidem universali, quod affectans tyrannidem custodiam petit. Ac ex quibus quidem ducatur, quæ videtur esse fides demonstrativa, dictum est.

14. De exemplo jam egimus num. 5. Solum igitur est addendum, quod exemplum respectu ejus, quod infertur, neque se habet ut particulare ad universale, neque ut universale ad particulare, neque ut universale ad aliud universale, sed se habet ut unum particulare ad aliud particulare, et ut unum simile ad aliud simile, quando utrumque est sub eodem genere, sed alterum est notius altero. Ex. gr., si quis Dionysio petente custodiam, ad ostendendum, quod affectabat tyrannidem, sic fuisset argumentatus : Pisistratus tyrannidem affectans custodiam petiit et accepta custodia tyrannidem occupavit; Theagenes Megaris custodiam petiit eaque accepta tyrannidem occupavit; idemque alii fecerunt; ergo etc.; usus fuisset aliis particularibus similibus ac magis notis ad probandum hoc particulare simile ac minus notum, quod Dionysius custodiam petens tyrannidem affectat, quæ omnia similia sunt sub eodem genere, nimirum sub hoc, quod *qui custodiam petit tyrannidem affectat*. De exemplo actum est fusius lib. II. Prior. cap. XXX. Hæc igitur de enthymemate atque exemplo, per quæ facimus probationes, quibus videmur rem demonstrare, dicta sufficiant.

CAPUT II. — ART. VII

DE DIFFERENTIA ENTHYMEMATUM RHETORICORUM AB ENTHYMEMATIBUS ALIARUM ARTIUM PROPRIIS.

15. Enthymematum vero magna est differentia, et maxime latet ferme omnes, quæ etiam est in dialectica methodo syllogismorum. Alia enim ipsorum sunt in rhetorica, ut etiam in dialectica methodo syllogismorum, alia in aliis artibus et facultatibus partim exstantibus partim nondum compertis. Quamobrem etiam latent auditores, et qui magis ea attingunt, quam par est, recedunt a se ipsis.

16. Magis autem aperietur quod dicitur, si id pluribus fuerit explicatum. Dico enim dialecticos et rhetoricos syllogismos esse, de quibus locos dicimus. Atque hi sunt communiter de justis et naturalibus et de civilibus et de multis differentibus specie, ut majoris et minoris locus; nihil enim magis licebit ex hoc concludere syllogismo vel enthymema dicere de justis quam naturalibus aut de quacumque re. Atque hæc specie differunt. Propria vero, quæcumque ex propositionibus unicuique speciei aut generi insiti sunt. Ut de naturalibus sunt propositiones, ex quibus neque enthymema neque syllogismus est de moralibus, et de his aliæ, ex quibus non erit de naturalibus. Similiterque id se habet in omnibus. Atque illa quidem non efficiunt in aliquo genere prudentem, quia nullam certam materiam habent. Hæc vero quo quis meliora seligat ad propositiones conficiendas, clam efficiet diversam scientiam a Dialectica et Rhetorica ; nam si incidat in principia, non est Dialectica neque Rhetorica, sed illa erit cujus habet principia. Sunt autem plura enthymemata ex his formis ducta, quæ singulares sunt et propriæ, ex communibus vero pauciora.

Postquam Aristoteles egit de enthymemate atque exemplo, traditurus magis in particulari loca et propositiones, ex quibus fiunt enthymemata rhetorica, prius explicat discrimen enthymematum rhetoricorum ab enthymematibus aliarum artium propriis.

15. Docet igitur, quod magna est in Rhetorica differentia enthymematum, sicut in Dialectica magna est differentia syllogismorum; hanc autem differentiam videntur ignorasse pene omnes Rhetoricæ professores. Sicut enim ex syllogismis alii sunt proprii Dialecticæ, alii sunt proprii aliarum artium ac facultatum, quarum aliquæ jam sunt inventæ, aliæ non sunt inventæ; sic ex enthymematibus alii sunt proprii Rhetoricæ, alii sunt proprii aliarum artium et facultatum, puta Arithmeticæ, Geometriæ, Medicinæ, etc. Enthymemata rhetorica, sicut etiam syllogismi dialectici, quia procedunt ex communibus, quæ quodammodo nota sunt omnibus, facile ab auditoribus intelliguntur; at enthymemata ac syllogismi proprii aliarum artium, quia procedunt ex propriis, quæque nota sunt solis professoribus specialium artium, non solent intelligi, ac si dialectici vel oratores magis illis utantur, quam par est, a suo instituto recedunt.

16. Sed magis est explicanda differentia enthymematum rhetoricorum ac syllogismorum dialecticorum ab enthymematibus et syllogismis aliarum artium propriis. Enthymemata rhetorica ac dialectici syllogismi sunt, qui fiunt ex propositionibus desumptis ex quibusdam locis communibus. Dicuntur autem loci communes, quia ex propositionibus talium locorum possunt fieri syllogismi atque enthymemata de omnibus, etiam specie ac genere differentibus. Ex. gr., loci a majori ad minus, a minori ad majus, a pari, a simili, etc., sunt communes, quia propositionibus ex talibus locis desumptis possumus uti ad faciendos syllogismos atque enthymemata de justis, de naturalibus, de civilibus ac de aliis specie ac genere differentibus. Enthymemata ac syllogismi proprii aliarum artium sunt, qui fiunt ex propositionibus propriis generis subjecti talibus artibus, quibus proinde uti non possumus ad faciendos syllogismos atque enthymemata circa alia genera; ex. gr., enthymemata physica sunt, quæ fiunt ex propositionibus propriis rerum naturalium, ex quibus proinde non possunt fieri enthymemata de moralibus, etc.; enthymemata moralia sunt,quæ fiunt ex propositionibus propriis rerum moralium, ex quibus proinde non possunt fieri enthymemata de rebus naturalibus, etc. Syllogismi atque enthymemata rhetorica ac dialectica, quia non sunt ex propriis ullius subjecti, non faciunt hominem in ullo genere prudentem aut scientem, sed soli syllogismi atque enthymemata ex propriis faciunt prudentem ac scientem in singulis generibus. Ex. gr., per hoc, quod quis agat de geometricis aut physicis ex communibus, nunquam evadet geometra vel physicus; at si de iis disserat ex propriis, tum evadet physicus vel geometra. Si vero rhetor, aut dialecticus utatur propriis disciplinarum, quo meliores propositiones ex ipsis mutuabitur, eo magis recedet a Rhetorica ac Dialectica, atque in eam scientiam et facultatem ignorans incidet, cujus propriis propositionibus ac principiis utetur.

17. Ut igitur etiam in Topicis, sic his in libris distinguendæ sunt enthymematum et formæ et loci, ex quibus assumendum est. Voco autem formas uniuscujusque generis proprias propositiones, at locos communes similiter omnium. Ac prius quidem explicemus formas. Sed prius assumamus genera Rhetoricæ, ut cum distinxerimus quot sint, de his separatim assumamus elementa et propositiones.

17. Tum in Rhetorica tum in Dialectica possunt distingui species seu formæ ac loci. Loci sunt, ex quibus desumuntur propositiones communes omnibus generibus quæstionum ac rerum, circa quæ tales facultates versantur : ex. gr., ex locis dialecticis desumuntur propositiones tum ad quæstiones accidentis tum ad quæstiones generis tum ad quæstiones proprii tum ad quæstiones definitionis. Species ac formæ sunt, ex quibus desumuntur propositiones accommodatæ singulis generibus, puta in Dialectica aliquæ sunt formæ, ex quibus desumuntur propositiones ad quæstiones definitionis, etc. Proportionaliter igitur in Rhetorica dantur tum loci, ex quibus desumuntur propositiones ad conficienda enthymemata æque in genere deliberativo, judiciali ac demonstrativo, tum species seu formæ, ex quibus desumuntur propositiones singulorum generum propriæ, hoc est vel propriæ generis deliberativi vel propriæ generis judicialis, etc. Multo autem plura

sunt enthymemata, quæ fiunt ex formis uniuscujusque generis propriis, quam quæ fiunt ex locis communibus omnium generum. Sicut igitur in Dialecticis proposuimus dialecticorum syllogismorum tum formas tum locos, sic in Rhetorica debemus proponere tum formas tum locos enthymematum rhetoricorum; ac primo quidem debemus explicare formas; sed non possumus explicare formas generum proprias, nisi prius distinguamus genera, circa quæ Rhetorica versatur : ergo debemus distinguere talia genera, ac deinde separatim assumere propositiones, quæ sunt elementa, ex quibus fiunt enthymemata circa unumquodque genus.

CAPUT III

DE TRIBUS RHETORICÆ GENERIBUS, DELIBERATIVO NIMIRUM, JUDICIALI AC DEMONSTRATIVO ; DE EORUM PARTIBUS, TEMPORIBUS AC FINIBUS, AC DE PROPOSITIONIBUS, QUÆ CIRCA IPSA DEBENT SUMI.

1. [3] Jam vero Rhetoricæ sunt tres numero formæ; totidem enim auditores sunt orationum. Etenim constat ex tribus oratio, tum ex eo qui loquitur, tum ex eo de quo loquitur, tum ex eo ad quem. Ac finis ad hunc refertur, id est ad auditorem. Necesse autem est auditorem aut auscultatorem esse aut disceptatorem, et quidem disceptatorem aut præteritorum aut futurorum. Est vero qui futura disceptat, ut concio, qui præterita, judex, qui facultatem, auscultator. Itaque ex necessitate sunt tria genera orationum oratoriarum deliberativum judiciale, demonstrativum.

Antequam seorsim agamus de singulis dicendi generibus, debemus *primo* distinguere hæc genera; *secundo* debemus assignare eorum partes, tempora ac fines; *tertio* debemus explicare, quænam propositiones circa ipsa sint sumendæ.

1. *Quoad primum;* tot sunt Rhetoricæ species seu genera dicendi, quot sunt genera auditorum, ad quos orator loquitur. Ratio est, quia cum oratio ex tribus fere constet, ex eo, qui dicit, ex eo, de quo dicit, et ex auditore, ad quem dicit, finis orationis est auditor, siquidem orator dicit gratia auditoris, ad hoc, ut illi persuadeat; sed oratio debet proportionari fini : ergo cum diversis auditorum generibus utendum est diversis generibus orationum, adeoque tot sunt genera orationum, quot sunt genera auditorum; sed tria sunt genera auditorum, spectator nimirum deliberator ac judex : ergo tria sunt genera dicendi, demonstrativum, deliberativum ac judiciale. — Probatur et explicatur assumptum; vel enim auditor audit tantum, ut audiat ac contempletur cum delectatione tum ea, quæ dicuntur, tum facultatem dicentis; vel audit non solum ut audiat, sed ut decernat ac judicet; rursus si audit, ut decernat ac judicet; vel audit, ut decernat ac judicet de præteritis, quæ proponuntur ut facta, vel ut decernat ac judicet de futuris, quæ proponuntur ut facienda; si audit, ut decernat de futuris, quæ proponuntur ut facienda, est deliberator; si audit, ut judicet de præteritis, quæ proponuntur ut facta, est judex; si audit, ut mere audiat et contempletur cum delectatione tum ea, quæ dicuntur, tum facultatem dicentis, est quodammodo orationis spectator : ergo tria sunt genera auditorum, deliberator, judex et spectator; ergo tria sunt orationum genera, deliberativæ, judiciales ac demonstrativæ.

2. Ac deliberationis quidem una pars est suasio, altera dissuasio; semper enim tum qui privatim deliberant, tum qui publice concionantur, horum alterum faciunt. Judicii vero una pars accusatio, altera defensio ; horum enim alterum facere necesse est eos qui controversantur. At demonstrativi una pars est laus, altera vituperatio.

3. Tempora etiam unicuique horum accommodantur. Deliberanti quidem futurum ; nam de futuris deliberat aut suadens aut dissuadens. Judicia vero tractanti præteritum ; nam de factis semper unus accusat, alter defendit. At demonstrativo maxime proprium quidem est præsens (ex iis enim quæ insunt, laudant aut vituperant omnes), sed assumunt sæpe etiam præterita, quæ in memoriam revocant, et futura, quæ conjectant.

4. Finis præterea singulis his diversus est, et tribus sunt tres, deliberanti quidem utile et perniciosum ; etenim suadens ut melius deliberat, dissuadens ut pejus dissuadet ; alia autem ad hoc simul assumit, vel justum vel injustum, vel honestum vel turpe. Judicia vero tractantibus justum et injustum ; alia vero etiam hi simul assumunt ad hæc. At laudantibus et vituperantibus honestum et tupe ; alia autem et hi ad hæc referunt.

5. Signum vero est, quem diximus singulis finem esse, quod de aliis interdum non controversabuntur, ut judicio provocatus se non fecisse aut non nocuisse ; at se injuste fecisse nunquam confitebitur; nihil enim opus esset judicio. Similiter etiam qui deliberant, alia quidem sæpenumero dimittunt, se vero inutilia deliberare aut ab utilibus dissuadere non confitebuntur.

Non esse autem injustum finitimos in servitutem redigere et nullam injuriam inferentes, sæpe non cogitant. Eodem modo etiam qui laudant et qui vituperant, non considerant utiliane egerit an perniciosa, sed in laude sæpe ponunt aliquem, neglecto eo quod sibi prodesset, egisse aliquid honesti, quemadmodum Achillem laudant quod adjuverit sodalem Patroclum, cum sciret se mori oportere et ipsi liceret vivere. At ei ejusmodi quidem mors honestior fuit, sed vivere utile.

2. *Quoad secundum;* unumquodque horum trium generum suas habet partes, suum respicit tempus ac suum peculiarem finem intendit. Generis deliberativi duæ sunt partes, suasio ac dissuasio, ideoque tum qui privatim consilium dant, tum qui loquuntur ad deliberantes in concione, aut suadent aut dissuadent. Partes generis judicialis sunt accusatio ac defensio, ideoque qui in judicio contendunt, aut accusent aut defendant necesse est. Partes generis demonstrativi sunt laus ac vituperatio.

3. Genus deliberativum refertur ad tempus futurum; nam qui deliberantibus suadet aut dissuadet, suadet ac dissuadet futura et nondum facta, sed facienda. Genus judiciale refertur ad tempus præteritum; qui enim in judicio accusat aut defendit, de præteritis et jam factis accusat aut defendit. Genus demonstrativum præcipue respicit tempus præsens, siquidem unusquisque est laudabilis aut vituperabilis propter virtutes ac vitia, bonos et malos habitus, qui ipsi actu insunt. Sæpe tamen qui laudant ac vituperant, laudant etiam ex præteritis, quorum memoriam recolunt, et ex futuris, quorum excitant exspectationem ac spem.

4. Finis generis deliberativi est, ut ostendat id, de quo deliberatur, esse utile vel perniciosum. Qui enim aliquid suadet, suadet illud ut utile, qui aliquid dissuadet, dissuadet illud ut perniciosum; ergo finis suadentis est, ut ostendat id, quod suadet, esse utile; finis dissuadentis est, ut ostendat id, quod dissuadet, esse perniciosum, licet suadens aliquando conetur etiam ostendere id, quod suadet, esse etiam honestum ac justum; qui dissuadet conetur etiam ostendere id, quod dissuadet, esse etiam inhonestum atque injustum. Finis generis judicialis est, ut ostendat id, de quo est judicandum, esse justum vel injustum. Qui enim alterum accusat, accusat illum quasi injusta egerit; qui defendit, defendit quasi egerit justa, vel saltem non egerit injusta. Adhuc tamen conantur etiam ostendere ea, de quibus reum accusant aut defendunt, esse utilia vel perniciosa, honesta vel inhonesta. Finis generis demonstrativi est, ut ostendat ea, ex quibus aliquis laudatur aut vituperatur, esse honesta vel inhonesta, licet etiam conetur simul ostendere, eadem esse simul utilia vel perniciosa, justa vel injusta.

5. Quod autem his generibus propositi sint fines allati, probatur ex signo. Illud enim est finis orationis, cujus oppositum nunquam orator concedet vel dabit adversario; illud vero, cujus oppositum aliquando orator concedit vel dat adversario, non est finis orationis; sed qui suadet, nunquam concedet se suadere inutilia et perniciosa, ac aliquando præscindet ab eo, utrum suadet justa vel injusta, honesta vel turpia, eo pacto, quo suadentes, ut inferatur bellum finitimis, sæpe præscidunt ab eo, utrum justum vel injustum, honestum vel turpe sit inferre bellum finitimis nullam facientibus injuriam; qui se, vel alterum defendit, sæpe se rem perniciosam fecisse confitetur, at nunquam dat, se fecisse rem injustam; qui laudant ac vituperant, sæpe præscindunt ab hoc, utrum qui laudatur aut vituperatur, egerit utilia, an perniciosa, ac solum contendunt illum egisse honesta vel turpia, imo aliquando laudi vertunt hoc ipsum, quod utilitate neglecta egerit honesta, eo pacto, quo Achilles laudatur, quod voluerit adjuvare Patroclum sodalem et amicum, sciens sibi imminere mortem, adeoque mortem honestam prætulerit vitæ, quæ fuisset utilis : ergo, etc.

6. Apparet autem ex iis quæ dicta sunt, necesse esse de his ut habeantur prius propositiones. Tecmeria enim et verisimilia et signa propositiones sunt oratoriæ. Etenim omnino syllogismus ex propositionibus constat, enthymema vero syllogismus est, constitutus ex iis quæ dictæ sunt propositionibus.

7. Et quoniam fieri non potest, ut facta sint neque ut in futurum fiant, quæ fieri non possunt, sed quæ possunt, neque ea quæ non facta sunt nec erunt, fieri potest ut facta sint neque ut in futurum fiant, necessarium est tum deliberanti tum judicia tractanti tum demonstrativo habere propositiones de eo quod fieri et non fieri potest, et an factum sit necne, et an erit necne. Præterea vero, quoniam omnes tum qui laudant et qui vituperant, tum qui suadent et qui dissuadent, tum qui accusant et qui defendunt, non solum quæ dicta sunt demonstrare conantur, sed etiam rem magnam esse vel parvam eam

quæ est vel bona vel mala vel honesta vel turpis vel justa vel injusta. sive per se dicant sive in vicem ex altera parte comparent, manifestum est oportere etiam de magno et parvo et majori et minori propositiones habere tum in universum tum de unaquaque re, ut quodnam sit majus bonum vel minus, aut injuria vel jus, et similiter de aliis. Ac de quibus quidem necessario oportet assumere propositiones, dictum est; post hæc vero distinguendum est separatim unumquodque horum, ut de quibus deliberatio sit et de quibus demonstrativæ orationes, tertio autem de quibus judicia.

6. *Quoad tertium ;* quandoquidem finis generis deliberativi est, ut ostendat aliquid esse utile vel perniciosum; finis generis judicialis est, ut ostendat aliquid esse justum vel injustum; finis generis demonstrativi est, ut ostendat aliquid esse honestum aut turpe; non possumus autem ostendere hæc, nisi habeamus aliquas propositiones de utilibus et inutilibus, de justis et injustis, de honestis ac turpibus; patet necesse esse, ut in Rhetorica ponantur propositiones de omnibus his. Quod autem ad ostendendum, aliquid esse utile vel inutile, etc., debeamus habere propositiones circa hæc, probatur; nam non possumus hæc ostendere, nisi per enthymemata; sed enthymemata sunt quidam syllogismi, syllogismus autem fit ex propositionibus : ergo non possumus ostendere, aliquid esse utile vel perniciosum, etc., nisi habeamus aliquas propositiones de utilibus vel perniciosis, de justis vel injustis, de honestis ac turpibus; sed enthymemata rhetorica constant ex verisimilibus, tecmyriis ac signis, ut dictum est cap. II, num. 19 : ergo tales propositiones debent circa utilia vel perniciosa, etc., proponere verisimilia, tecmyria ac signa.


7. Neque solum ad consequendos fines propositos indigemus propositionibus de finibus uniuscujusque generis, quæ propositiones sunt propriæ talium generum, sed etiam indigemus propositionibus circa quædam communia omnibus generibus ; sed omnibus generibus commune est, ut ostendant. quædam fuisse facta vel non fuisse facta, in futurum facienda vel non facienda; sola autem possibilia possunt esse facta vel in futurum fieri, impossibilia vero neque possunt esse facta neque in futurum fieri : ergo indigemus etiam propositionibus ad ostendendum aliquid esse possibile vel impossibile, esse factum vel non factum, esse in futurum faciendum vel non faciendum; sed etiam omnes, tum qui laudant aut vituperant, tum qui suadent ac dissuadent, tum qui accusant ac defendunt, non solum conantur rem ostendere, sed etiam conantur demonstrare rem, quæ est bona vel mala, honesta vel turpis, justa vel injusta, esse magnam aut parvam absolute, vel majorem aut minorem comparative : ergo necesse est, ut habeamus etiam propositiones de magno aut parvo, de majori aut minori, tum in universum, tum etiam in unoquoque genere; puta ad ostendendum, quid sit majus aut minus bonum, magis aut minus honestum, magis aut minus justum vel injustum, etc. — De omnibus igitur his afferendæ sunt propositiones, partim hoc libro, partim libro sequenti, in quo ponentur propositiones de possibili et impossibili, facto esse vel non esse, in futurum faciendo vel non faciendo. Hoc autem primo libro ponendæ sunt propositiones singulis generibus accommodatæ, ac primo ponendæ sunt propositiones pro genere deliberativo, secundo pro demonstrativo, tertio pro genere judiciali.

CAPUT IV

DE IIS, CIRCA QUÆ VERSATUR DELIBERATIO.

1. [4] Ac primum quidem sumendum est, cujusmodi in bonis aut malis is qui deliberat versetur, quoniam non in omnibus, sed in iis quæcumque contingit et fieri et non fieri. Quæcumque vero ex necessitate vel sunt vel erunt vel non possunt esse vel fieri, de his non est deliberatio. Jam vero nec de iis quæ fieri contingit omnibus; sunt enim etiam natura quædam, et quæ a fortuna fiunt, bona, quæ contingit et fieri et non fieri, de quibus non præstat deliberare, sed de iis certe quæcumque cadunt sub consultationem. Ejusmodi vero sunt, quæcumque referri ad nos possunt, et quorum principium, ut oriantur, a nobis pendet. Nam usque eo consideramus, donec inveniamus, possimusne nos ea an non possimus agere.

Distinctis tribus generibus dicendi, descendit Aristoteles ad agendum de singulis in particulari ac primo agit de genere deliberativo; et quia circa genus deliberativum debet considerari, tum circa quid deliberatio versetur, tum finis deliberantium, ideo hoc capite agit de iis, circa quæ versatur deliberatio, capite sequenti agit de fine deliberantium. — Ut igitur hoc capite agat de iis, circa quæ



deliberatio versatur, *primo* explicat generatim, quid sit id, quod in deliberationem cadit; *secundo* ostendit, quod exacta scientia deliberabilium non spectat ad Rhetoricam, sed ad Politicam; *tertio* enumerat quinque præcipua, circa quæ versantur deliberationes, et explicat, quid circa ea debeat orator scire, ut habeat facultatem suadendi vel dissuadendi.

1. *Quoad primum :* deliberans deliberat quidem de bonis aut malis, non tamen de omnibus, sed solum de iis, quæ contingit fieri; de iis autem, quæ necessario sunt, erunt aut fient, ac de iis, quæ impossibile est esse vel fieri, nemo deliberat ; ex. gr., nemo deliberat, an sol cras oriatur, quia sol orietur necessario ; nemo deliberat de hircocervo, quia impossibile est hircocervum esse. Rursus neque de omnibus contingentibus deliberamus. Sunt enim aliqua contingentia pendentia mere a natura vel a fortuna ac nullo pacto nostræ subjecta potestati, de quibus nemo deliberat, sed solum deliberamus de iis, quæ possunt in consultationem cadere, cujusmodi sunt, quæ ad nos reducuntur, ita ut in nobis sit principium et potestas, ut ea efficiantur vel non efficiantur, ideoque tamdiu de aliquibus deliberamus, quamdiu inveniamus, num illa in nostra potestate sint vel non sint; si vero inveniamus, aliqua non esse in nostra potestate, statim a deliberatione et consultatione desistimus. Deliberabile igitur definiri potest : *contingens, quod ut sit vel non sit, in nostra est potestate.* Genus deliberabilis est, ut sit contingens; differentia est, ut in nostra sit potestate.

2. Ac ut singula quidem exacte enumerentur et digerantur in formas, de quibus soliti sunt statuere, præterea vero ut, quantum fieri potest, de ipsis disputetur ex veritate, non oportet in præsentia quærere, propterea quod id non est rhetoricæ artis sed prudentioris ac verioris, et quia multo plura data sunt etiam nunc ipsi quam propriæ postulent contemplationes. Quod enim etiam prius diximus, verum est, Rhetoricam compositam esse tum ex analytica scientia tum ex politica, quæ in moribus versatur, similem vero esse partim Dialecticæ partim sophisticis sermonibus. Quod si quis vel Dialecticam vel hanc non tanquam facultates sed scientias conetur instruere, latenter naturam ipsarum demolietur, eoquod transeat concinnans in scientias subjectarum quarumdam rerum, sed non solummodo rationum.

2. *Quoad secundum :* non est hujus loci, exacte enumerare singula, circa quæ deliberationes versantur, eaque suas in species distinguere ac de singulis deliberabilium speciebus secundum veritatem determinare. Ratio est, quia in præsentia tradimus artem rhetoricam; sed non spectat ad Rhetoricam, sed ad facultatem nobiliorem ac veriorem, hoc est ad Politicam, exacte ac secundum veritatem determinare de singulis deliberabilibus ; ergo si nunc exacte ac secundum veritatem determinaremus de singulis deliberabilibus tribueremus Rhetoricæ considerationem multo plurium, quam ad ipsam spectent. Probatur minor : ut enim prius diximus cap. II, num. 4, Rhetorica componitur quidem ex Analytica, quæ versatur circa syllogismos, et ex Politica, quæ versatur circa mores, in quantum etiam Rhetorica et syllogismos et moralia considerat; at in agendo de his similis est partim Dialecticæ, partim Sophisticæ, in quantum non procedit ex certis, sed solum ex probabilibus et apparentibus; ergo si quis Dialecticam aut Rhetoricam tradere voluerit, non ut quasdam facultates disserendi de rebus probabiliter et apparenter in utramque partem, sed ut scientias agendo de iis exacte ex propriis ac secundum veritatem propter ignorantiam, harum facultatum naturam tollet, dum illas efferet ad hoc, ut non solum sint facultates conficiendi rationes probabiles et persuasibiles de qualibet re proposita, sed etiam scientiæ certæ quarumdam rerum subjectarum.

3. Verumtamen quæcumque melius est ut explicentur, ac præterea relinquunt meditationem politicæ scientiæ, dicamus etiam nunc. Ferme enim, de quibus consultant omnes et de quibus concionantur illi qui deliberant, res maximæ sunt quinque numero. Atque hæ sunt de apparationibus pecuniarum, et bello et pace, præterea vero de custodia regionis, et iis quæ importantur et exportantur, et legum latione.

4. Quare de apparationibus pecuniarum qui deliberaturus fuerit, eum oportebit reditus civitatis scire, qui et quanti sint, ut si quis desit adjungatur, et si quis minor sit, augeatur. Præterea vero sumptus civitatis omnes, ut si quis supervacaneus sit tollatur, et si quis major sit minor efficiatur ; non enim solum ad ea quæ adsunt adjungendo ditiores fiunt, sed etiam detrahendo de sumptibus. Atque hæc non solum ex rerum privatarum experientia contingit contueri, sed necessarium est eorum quæ alii invenerunt historicum esse ad eam quæ de his habetur deliberationem.

3. *Quoad tertium :* licet Rhetorica non

debeat exacte agere de singulis deliberabilibus, adhuc debet aliqua circa ipsa delibare, ideoque operæ pretium est, ut etiam nos quædam dicamus de iis, quæ in deliberationem cadunt, ita tamen, ut accuratiorem eorum contemplationem Politicæ relinquamus. Sunt igitur ea, quæ in deliberationem cadunt, ac de quibus oratores solent in publicis concionibus agere, numero quinque. Primo enim agunt de pecuniis ac reditibus; secundo de bello ac pace; tertio de custodia regionis; quarto de iis, quæ importantur et exportantur; quinto demum de legum positione vel abrogatione. Sed explicandum est, quæ debeat orator circa hæc scire, ut possit de singulis apte in concione disserere.

4. Ut ergo orator de pecuniis ac reditibus possit orationes deliberativas habere, debet *primo* scire, quot et quanti sint reditus civitatis, ut, si quis desit, adjungatur, si quis minor sit, augeatur. *Secundo* debet scire omnes sumptus civitatis, ut si quis sumptus sit supervacaneus, auferatur, si quis sit major, quam oporteat, minuatur. Possunt enim civitates ac privati ditiores fieri, non solum augendo reditus, sed etiam minuendo sumptus. *Tertio* ut melius circa hæc possit orator disserere, expedit, ut non solum privata hæc didicerit experientia, sed etiam ex historiis comperta habeat ea, quæ alii ad pecunias comparandas fecerunt.

5. At de bello et pace facultatem scire civitatis, et quanta jam adsit et quantam contingat adesse, et qualis sit ea quæ habeatur et quæ possit adjungi. Præterea vero bella quomodo et quæ gesserit; ac non solum propriæ civitatis, sed etiam finitimorum hæc ipsa necessarium est scire; vel etiam quibuscum gloriosum sit bellare, ut cum potentioribus quidem pax exerceatur, cum minoribus vero in ipsorum arbitrio sit bellare, et facultates, utrum similes an dissimiles; consistit enim etiam in hac parte, ut plus possideamus aut inferiores simus. Necessarium vero est harum quoquererum causa non solum propriabella animadvertisse, sed etiam aliorum, quem eventum habuerint. Nam ut ex similibus fiant, similia naturam habent.

6. Præterea vero de custodia regionis non latere quomodo custodiatur, sed et multitudinem scire custodiæ et formam et loca præsidiorum. Hoc autem esse non potest, nisi quis sit peritus regionis, ut si minor sit custodia augeatur, et si qua sit supervacanea tollatur, et opportuna loca serventur magis.

7. Tum de re cibaria quantus sumptus sit satis civitati, et quanta sit ea quæ ibi nascitur et ea quæ importatur, et quarum rerum exportatione indigeant et quarum importatione, ut cum iis qui ad has sunt utiles conventiones et pactiones fiant; apud duo enim hominum genera custodire necesse est culpa carentes cives, tum apud potentiores, tum apud eos qui ad has res utiles sunt.

5. Ut agat de bello ac pace, necesse est, ut orator *primo* sciat, quæ sint copiæ militares civitatis, tum quas jam paratas habet, tum quas potest parare. *Secundo* debet scire, quæ bella civitas gesserit et quomodo. *Tertio* necesse est, ut sciat non solum propriæ civitatis, sed etiam finitimorum ac eorum, cum quibus bellandum est, copias ac bella ab aliis gesta eorumque eventus, ut cum potentioribus firmetur pax, bellum autem adversus inferiores suscipiatur. *Quarto* ut majorem facultatem de his agendi habeat, utile est, ut etiam extera sciat bella eorumque eventus. Cum enim ex similibus soleant similia fieri, ex iis, quæ aliis acciderunt, poterit divinare, quid civitati in similibus circumstantiis sit eventurum.

6. Ut agat de custodia regionis, debet scire, quo pacto de facto custodiatur regio; quanta sit custodientium multitudo, quæ forma ac modus custodiendi, quibus locis præsidia sint imposita; et quia non potest hæc scire, nisi sit peritus regionis, ideo debet esse peritus regionis. His autem perspectis, poterit suadere, ut, si custodia sit minor, augeatur, si supervacanea, tollatur; si loca aliqua sint opportuna, custodiantur magis.

7. Ut habeat facultatem agendi de importandis atque exportandis et universim de re cibaria, necesse est, ut orator sciat, quot sumptus ad civitatem alendam sufficiant quænam alimenta nascantur in regione vel aliunde importentur, quarum rerum exportatione vel importatione civitas indigeat, ut fœdera ac pactiones fiant cum iis hominibus, quibus civitas indiget ad exportationes vel importationes necessariorum; siquidem curandum est, ut cives procul sint ab ullo crimine patrando contra duo præsertim hominum genera, contra potentiores nimirum et contra eos, quibus indigent ad exportationem atque importationem necessariorum.

8. Ad securitatem autem omnia quidem hæc necesse est posse perspicere, sed non minimum est legum lationem intelligere; in legibus enim

consistit salus civitatis. Quare necessarium est scire, quot sint rerum publicarum formæ, et quæ prosint cuique, et a quibus ut corrumpantur naturam habeant, tum propriis civitatis tum contrariis. Dico autem a propriis corrumpi, quia præter optimam rem publicam aliæ omnes, tum si remittantur tum si intendantur, corrumpuntur, quemadmodum democratia non solum si remittatur debilior fit, ut tandem perveniat ad oligarchiam, sed etiam si intendatur nimis: ut et grypitas et simitas non solum si remittantur perveniunt ad medium, sed etiam si nimis grypa fiant vel sima, ita disponunt, ut ne nares quidem videantur esse. Utile vero est ad legum lationes non solum intelligere, quæ rei publicæ prosit, cum ex præteritis aliquis contemplatur, sed etiam quæ sunt apud alios, scire quales qualibus congruant. Quare manifestum est, ad legumlationem terræ peregrinationes utiles esse (hinc enim accipere licet gentium leges), ad civiles vero deliberationes eorum qui de actionibus scribunt historias. Omnia autem hæc Politicæ sed non Rhetoricæ munus sunt. Ac quæ quidem tenere oportet eum qui deliberaturus est maxima, tam multa sunt. Ex quibus vero oporteat tum de his tum de aliis suadere aut dissuadere, dicamus rursus.

8. Licet omnium dictorum cognitio multum ad civitatem conservandam conferat, tamen non parum etiam conducit cognitio legum ferendarum, siquidem in legibus salus civitatis est constituta. Ut orator possit de legibus sanciendis vel abrogandis disserere, *primo* debet scire, quot et quæ sint genera politiarum, quæ cuique politiæ sint consentanea, et ex quibus possit unaquæque politia corrumpi, tum ejus politiæ propriis, tum etiam contrariis. Dico autem politias corrumpi etiam ex iis, quæ sunt propria tali politiæ, quia excepta optima politia, omnes aliæ possunt corrumpi tum intensione tum remissione: ex. gr., democratia potest debilitari ac tandem in oligarchiam mutari, non solum si remittatur recedendo ab institutis popularibus, sed etiam si nimis intendatur, quotidie gubernationem faciendo magis ac magis popularem. Sicut enim simitas nasi potest corrumpi non solum remissione, per quam nasus fiat semper minus ac minus simus, donec tandem evadat rectus, sed etiam intensione, siquidem si nasus fiat magis et magis simus, tandem amittit etiam figuram nasi, sine qua non potest simitas conservari, idemque dic proportionaliter de naso aquilino: sic democratia, et oligarchia possunt corrumpi, non solum remissione, sed etiam intensione, ut magis explicatum est libro V. Politic. *Secundo* ut orator possit recte de ferendis legibus disserere, debet etiam ex iis, quæ præteritis temporibus civitati acciderunt, cognoscere, qui status conveniat civitati, et ex aliarum gentium legibus deprehendisse, quæ quibuslibet politiis congruant instituta. Hinc patet, quod ad acquirendam facultatem disserendi de legibus ac de rebus civilibus, utilis est tum peregrinatio tum historiarum lectio; peregrinatio quidem ad multarum gentium leges cognoscendas; lectio autem historiarum ad sciendos civitatum eventus. Verum hæc ad Politicam magis spectant, quam ad Rhetoricam. Hæc igitur dicta sufficiant de iis, quæ debet orator scire, ut de rebus maximis sententiam dicat. Superest, ut agamus de iis, ex quibus debet tum de rebus maximis tum de aliis quibuslibet suadere vel dissuadere.

CAPUT V

DE FINE, QUEM DELIBERANTES INTENDUNT, HOC EST DE FELICITATE ET EJUS PARTIBUS.

1. [5] Ferme autem tum privatim cuique tum communiter omnibus scopus quidam est, quem spectantes et eligunt et fugiunt. Isque est, ut summatim dicam, tum felicitas tum quæ sunt ipsius. Quare exempli gratia sumamus, quid sit, ut simpliciter dicam, felicitas, et ex quibus particulæ ipsius sint. Nam de hac, et de iis quæ ad hanc referuntur, et de iis quæ contraria huic sunt, tum suasiones tum dissuasiones omnibus sunt. Quæ enim parant hanc vel particularum aliquam, vel majorem ex minore efficiunt, oportet agere, quæ vero corrumpunt vel impediunt vel contraria efficiunt, non agere.

1. Ut orator habeat facultatem deliberantibus aliquid suadendi vel dissuadendi, non solum debet scire, de quibus homines deliberent, sed etiam ex quibus deliberent: sed homines de agendis deliberant ex fine; proponunt enim sibi aliquem finem ac bonum et eligunt, quæ existimant conducere ad talem finem, contraria vero repudiant ac fugiunt: ergo orator debet scire, quem finem homines intendant, et quid sit talis finis: sed finis, quem homines in suis deliberationibus intendunt, est felicitas atque ejus partes; ergo orator debet saltem superficialiter scire, quid sit felicitas et ejus partes. Cum enim omnes suasiones sint de iis, quæ oportet agere, dissuasiones vero de iis, quæ opor-

tet non agere; oporteat autem agere, quæ conducunt ad felicitatem et ejus partes acquirendas vel augendas, oporteat non agere, quæ felicitatem et ejus partes corrumpunt aut prohibent vel causant, quæ sunt felicitati contraria; omnes suasiones sunt de felicitate aut de iis, quæ ad felicitatem conducunt, omnes dissuasiones sunt de contrario felicitati, adeoque est summopere necessarium ad habendam facultatem suadendi ac dissuadendi, ut orator sciat saltem modo crasso ac populari, quid sit felicitas et ejus partes, licet exacta ac perfecta felicitatis cognitio spectet ad moralem. — Operæ pretium igitur est, ut hoc loco explicemus *primo*, quid sit felicitas; *secundo* ex quibus partibus constet; *tertio*, quid sit unaquæque partium felicitatis.

2. Sit igitur felicitas bene se habens actio cum virtute, vel sua sorte contenta vita, vel vita cum securitate jucundissima, vel bona constitutio possessionum et corporum cum facultate quæ conservet et efficiat hæc; ferme enim ex his unum vel plura felicitatem confitentur esse omnes.

3. Quod si est felicitas ejusmodi, necesse est ipsius esse partes nobilitatem, multorum amicitiam, bonorum amicitiam, divitias, bonam prolem, multam prolem, bonam senectutem, deinceps corporis virtutes, ut sanitatem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, facultatem certandi, gloriam, honorem, bonam fortunam, virtutem, aut etiam partes ipsius, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, justitiam. Sic enim sua sorte maxime contentus sit, si adsint ipsi tum quæ in ipso tum quæ extra bona sunt; non enim sunt alia præter hæc. Ac in ipso quidem sunt quæ in animo et quæ in corpore sunt, extra autem nobilitas et amici et pecuniæ et honor. Præterea vero congruere arbitrantur, ut facultates adsint et fortuna; sic enim maxime secura vita sit.

2. *Quoad primum;* plures felicitatis definitiones ex communi hominum opinione desumptæ possunt afferri. Primo igitur felicitas definiri potest: *bene agere cum virtute;* secundo: *per se sufficientia vitæ;* tertio: *vita cum securitate jucundissima;* quarto: *bene se habere quoad possessiones et corpora, cum potentia hæc conservandi et faciendi.* Omnes igitur homines fatentur felicitatem consistere vel in uno ex his vel etiam in pluribus.

3. *Quoad secundum;* ex eo, quod felicitas sit, qualis est descripta, sequitur partes felicitatis esse nobilitatem, multorum amicitiam et gratiam, proborum amicitiam et gratiam, divitias, bonam prolem, multam prolem, commodam senectutem, virtutes etiam corporis, hoc est sanitatem, pulchritudinem, robur, magnitudinem, vires ad certandum, præterea gloriam, honorem, prosperam fortunam, ac demum virtutem animi, cujus partes sunt prudentia, fortitudo, temperantia et justitia. Ratio est, quia felicitas est vita per se sufficientissima et securissima; sed ad vitam sufficientissimam debent inesse tum bona interna, quæ consistunt in bonis ac virtutibus corporis atque animi, tum bona externa, quæ sunt nobilitas, amici, pecuniæ et honor; ad vitam securissimam requiritur potentia et prospera fortuna: ergo hæc omnia sunt partes felicitatis.

4. Sumamus igitur similiter et horum unumquodque quid sit. Ac nobilitas quidem genti et civitati est, si indigenæ et antiqui sint, et duces primi illustres, et multi illustres nati sint ex ipsis in iis quæ cadunt sub æmulationem. Privata vero nobilitas vel a viris vel a feminis est, et legitima origo ab utrisque; et ut in civitate, si primi clari sint vel virtute vel divitiis vel alia earum rerum quæ honorantur, et multi illustres sint ex genere tum viri tum mulieres, tum juvenes tum senes.

5. Bona proles vero et multa proles non sunt incerta. Est autem in communi quidem bona proles, si juventus sit multa et bona, bona vero ex virtute corporis, ut magnitudine, pulchritudine, robore, facultate certandi. Quod ad animum attinet, temperantia et fortitudo juvenis sunt virtutes. Privatim autem bona proles et multa proles est, si proprii liberi multi sint, et tales sint tum feminæ tum mares. Feminarum vero virtus est, si spectetur corpus, pulchritudo et magnitudo, si animus, temperantia et studium operis sine sordibus. Similiter autem tum privatim tum communiter et in viris et in feminis oportet quærere, ut unumquodque insit ex his; quibuscumque enim quæ ad feminas pertinent vitiosa sunt, ut Lacedæmoniis, ferme ex dimidio non sunt felices.

4. *Quoad tertium;* enumeratis partibus felicitatis, singulæ sunt definiendæ. *Primo* igitur nobilitas alia est civitatis aut gentis, alia est privatorum. Nobilitas civitatis aut gentis est, *quod vel homines sint indigenæ, hoc est in iis locis orti, quos incolunt, vel saltem antiquitus eas incoluerint terras; quod primos duces habuerint illustres ac multi ex ipsis prodierint insignes ac præstantes in iis, quæ summo studio ac æmulatione homines quærunt.* Nobilitas privata est *aut a viris aut a mulieribus per antiquam originem tracta et quod*

primi generis auctores clari fuerint in virtute aut in divitiis aut in alio eorum, quæ habentur in pretio et quod multi ex tali genere prodierint illustres viri, mulieres, juvenes ac seniores.

5. *Secundo* quid sit bona proles aut multa proles, non est obscurum. Potest autem proles considerari tum respectu civitatis aut gentis, tum respectu privatorum. Civitas ac gens tum bona ac multa fruitur prole, cum multa ac proba illi juventus est. Dicitur autem juventus proba, cum virtutibus animi excellit et corporis, hoc est magnitudine, pulchritudine, robore et potentia certandi, quæ sunt virtutes corporis, et temperantia ac fortitudine, quæ sunt virtutes animæ juvenum propriæ. Privatorum proles tum dicitur proba ac multa, cum privati multos habent filios, masculos ac feminas ac præterea tales, quales esse oportet. Quæ sint masculorum propriæ virtutes jam explicatum est. Feminarum virtutes ad corpus spectantes sunt magnitudo et pulchritudo; virtutes autem spectantes ad animam sunt temperantia et studium operandi sine illiberalitate. Curandum est autem tum privatim tum publice, ut et mulieres et viri sint, quales oportet. Illæ enim civitates, in quibus quæ spectant ad mulieres male se habent, qualis est civitas Lacedæmoniorum, secundum dimidiam sui partem non sunt felices.

6. Divitiarum partes sunt nummi, multitudo terræ, locorum possessiones, præterea vero supellectilium possessiones et pecorum et servorum, qui multitudine et magnitudine et pulchritudine excellant. Hæc autem omnia et secura et liberalia et utilia oportere esse manifestum est. Sunt utilia quidem magis fructuosa, at liberalia quæ sunt ad voluptatem. Fructuosa dico a quibus sunt proventus, voluptaria a quibus nihil præter usum fit, quod æstimandum sit. Terminus securitatis est, eo in loco et eo modo possedisse, ut in ipso sit usus ipsorum, proprietatis vero vel contra, quando in ipso est alienatio. Voco alienationem donationem et venditionem. Omnino divitem esse consistit in eo ut utatur, magis quam in eo ut possederit; etenim actus talium et usus sunt divitiæ.

6. Divitiarum partes sunt pecuniæ, multitudo agrorum, possessiones villarum, possessio supellectilis, armentorum et mancipiorum, multitudine, magnitudine et pulchritudine excellentium. Hæc bona, in quibus divitiæ consistunt, habere debent tres conditiones; nimirum ut sint secura, liberalia et utilia. Fructuosa sunt utiliora infructuosis; at quæ licet sint infructuosa, adhuc multum ad voluptatem et delicias conferunt, sunt magis liberalia fructuosis. Fructuosa vero dicuntur, *ex quibus proventus existunt;* deliciosa vero, *ex quibus nihil præter usum capitur, quod in æstimatione sit habendum.* Securitas bonorum definitur per hoc, *ut ea in tali loco sint sita et tali modo possideantur, ut in potestate possidentis sit, iis uti.* Tum vero bona dicuntur propria possidentis, cum in ejus potestate est, illa alienare donando vel vendendo, siquidem alienatio consistit in donatione et venditione. Porro hoc, quod est, *esse divitem*, magis consistit in libero usu eorum, quæ possidentur quam in possessione; siquidem talium rerum actus atque usus divitiæ sunt.

7. Bona fama est, si quis ab omnibus virtute præditus existimetur, vel tale aliquid habere quod omnes appetunt vel multi vel boni vel prudentes.

8. Honor est signum beneficæ opinionis. Honorantur autem juste quidem et maxime illi qui benefecerunt; verumtamen honoratur etiam qui potest benefacere. Beneficium vero est vel ad salutem, et quæcumque sunt causa cur simus, vel ad divitias vel ad aliquod ex aliis bonis, quorum non facilis est possessio vel omnino vel ibi vel aliquando. Multi enim ob illa quæ parva existimantur honorem consequuntur, sed modi et occasiones causæ sunt. Partes vero honoris sunt sacrificia, monumenta in metris et sine metris, præmia, delubra, possessiones, sepulchra, statuæ, nutrimenta publica, barbarica ut adorationes et excessiones, dona apud quosque honoranda. Etenim donum est possessionis donatio et honoris signum; quamobrem et studiosi pecuniæ et studiosi honoris appetunt ipsa; utrique enim inveniunt ea, quorum indigent. Etenim possessio est, quam appetunt studiosi pecuniæ, et honorem habet, quem studiosi honoris.

7. Gloria et fama est, ut *quis existimetur virtute præditus aut aliquid tale habere, quod omnes aut plures, aut probi aut prudentes expetunt.*

8. *Honor est signum opinionis, quam homines habent de beneficentia ejus, quem honorant.* Hinc est, ut illi omnium justissime honorentur, qui jam benefecerunt; at illi etiam honorantur, qui possunt benefacere. Ea vero beneficia honore digna censentur, quæ vel ad salutem conferunt, et causa sunt, ut vivamus, ac simus; vel ad divitias spectant aut ad aliud bonum, quod non facile potest obtineri, vel simpliciter vel hic et nunc. Multi siquidem consequuntur honores ob quædam, quæ

videntur parva, sed modus et occasio conferendi aliæque circumstantiæ in causa fuerunt, ut magna censerentur. Partes ac species honoris sunt sacrificia, commemorationes carminibus vel soluta oratione exhibitæ, præmia, delubra, primi consessus, imagines, alimenta ex publico, illa etiam barbarica, hoc est venerationes per inclinationes corporum exhibitæ et honor assurgendo datus; munera etiam, quæ apud unamquamque gentem in pretio sunt. Donum enim et confert aliquid, cujus possessio est utilis, et honoris est signum, ideoque et ab avaris et ab ambitiosis appetitur, siquidem utrique in dono inveniunt id, quo indigent, avari nimirum possessionem rei utilis, ambitiosi honorem.

9. Corporis virtus est sanitas, eaque sic ut morbi expertes sint, qui habeant usum corporum. Multi enim sani sunt, ut Herodicus dicitur, quem nemo felicem dixerit causa sanitatis, propter omnium abstinentiam humanorum aut plurimorum.

10. Pulchritudo diversa est in unaquaque ætate. Ac juvenis quidem pulchritudo est, si ad labores utile habeat corpus et ad cursum et ad vim, cum jucundus sit visu ad voluptatem; quamobrem quinquertiones pulcherrimi sunt, quod ad vim et ad velocitatem simul nati sunt. Vigentis vero, si ad labores bellicos, ac jucundus esse videatur cum terrore. At senis, si ad labores necessarios sit idoneus, atque indolens, quod nihil habeat eorum, quibus senectus offenditur.

9. Sanitas est *virtus corporis, per quam possimus ita corporibus uti, ut sine ægritudine simus.* Duæ igitur requiruntur conditiones ad hoc, ut quis sit sanus. Prima est, ut morbo sit vacuus; secunda est, ut possit uti corpore ad actiones vitæ. Hinc sequitur, quod multi, qui ita valent, ut Herodicus valere ferebatur, qui ad sanitatem conservandam ab omnibus aut plerisque actionibus vitæ humanæ abstinere cogebatur, vere non sunt sani, nec ponendum est in parte felicitatis, si quis tali valetudine utatur.

10. Pulchritudo in diversis ætatibus est diversa, ita ut alia sit pulchritudo juvenis, alia viri, alia senis. Juvenis igitur pulchritudo est, *per quam habet corpus aptum ad labores currendi et vim inferendi, cum sit visu jucundus ac delectabilis.* Hinc est, ut Pentathli, hoc est qui apti erant ad vincendum in quinque certaminibus, pulcherrimi sint; habent enim corpora facta ad velocitatem cursus et ad vim inferendam. Pulchritudo viri jam ætate vigentis est, *per quam habet corpus aptum ad labores bellicos, aspectum vero jucundum cum terrore.* Pulchritudo senis est, *per quam habet corpus sufficiens ad ferendos labores necessarios et caret dolore, eo quod nihil habeat eorum, quibus senectus offenditur.*

11. Robur est facultas movendi alterum ut vult. Necesse autem est movere alterum vel trahendo vel pellendo vel tollendo vel deprimendo vel collidendo, ita ut robustus vel omnibus vel horum aliquibus robustus sit.

12. Magnitudinis virtus est superare longitudine vel profunditate vel latitudine multos, tanto magis ut ne tardiores efficiat motiones propter exsuperantiam.

13. Certandi virtus corporis constat ex magnitudine et robore et velocitate. Etenim velox robustus est; nam qui potest crura projicere quodammodo et movere et velociter et longe, cursor est; qui vero stringere et tenere, luctator; at qui pellere plaga, pugil; qui autem utrisque his, pancratiasticus; verum qui omnibus his, quinquertio.

14. Bona senectus est tarditas senectutis cum indolentia; neque enim si velociter senescat, bonam senectutem habet, neque si vix quidem, sed dolenter. Est vero et ex iis quæ sunt corporis virtutibus, et ex iis quæ fortunæ; nam qui expers morbi non sit neque robustus, non erit perturbationis expers, neque indolens etiam erit longævus, nec sine fortuna durare poterit. Est vero quædam etiam separatim a robore et sanitate alia facultas diu vivendi; multi enim sine corporis virtutibus diu vivunt. Verum diligens disputatio de his non est utilis ad ea quæ nunc disputamus.

11. Robur est *facultas alterum pro voluntate movendi.* Porro quinque sunt modi alterum movendi. Possumus siquidem movere trahendo, pellendo, elevando, dejiciendo ac conterendo. Robustus igitur est, qui aut omnibus aut aliquo ex his modis potest alterum movere.

12. Magnitudo, quæ est corporis virtus, est *per quam multos excedimus longitudine, latitudine ac profunditate, tanto tamen excessu, ut propter excessum motus corporis non fiant tardiores.*

13. Virtus certandi constat ex magnitudine, robore et celeritate. Celeritas vero reduci potest ad robur. Qui igitur habet vim crura quodammodo jaculandi atque illa celeriter et longe movendi, naturaliter est cursor; qui potest alterum continere et premere est luctator; qui potest ictu procul a se pellere, est pugil; qui habet facultatem simul premendi et pellendi, est pancratiasta; qui vero potest omnibus quinque modis enumeratis num. 11. al-

terum movere, is est pentathlus sive quinquertio.

14. Bona et commoda senectus est, *cum et tarde invadit et dolores non infert.* Ex opposito enim qui vel cito senescit vel tarde, sed cum dolore, incommoda utitur senectute. Ad commodam senectutem obtinendam requiruntur tum corporis virtutes, sanitas nimirum et robur, tum fortuna. Nisi enim quis morbo vacet ac robustus sit, prout ætas senilis fert, non erit expers passionum atque dolorum, nec erit longævus, nec ullo modo secundam fortunam retinere poterit. Non tamen nego, posse dari diuturnitatem vitæ sine sanitate ac sine corporis virtutibus, siquidem multi sine his longævi sunt. Sed diligens de his tractatio non est utilis ad ea, de quibus nunc agimus.

15. Multorum amicitia et bonorum amicitia non sunt incerta, amico definito, ut sit ejusmodi amicus, quicumque quæ arbitratur bona esse illi, effector est ipsorum propter illum. Jam cui multi sunt tales, est multorum amicus, cui vero etiam boni viri, bonorum amicus.

16. Bona fortuna est, quorum fortuna bonorum causa est, ea effici et adesse vel omnia vel plurima vel maxima. Causa autem est fortuna nonnullorum quidem etiam, quorum artes sunt, multorum vero non artificiosorum, ut quorum natura est et contingit etiam ut præter naturam sint. Nam sanitatis quidem ars est causa, at pulchritudinis et magnitudinis natura. Omnino talia ex bonis sunt a fortuna, in quibus versatur invidia. Ac præter rationem bonorum causa est fortuna, ut si alii deformes sunt fratres, hic autem pulcher; aut alii non viderunt thesaurum, hic autem invenit, aut si eum qui prope erat attingit telum, hunc autem non; aut si non venit solus semper frequentans, qui vero semel venerunt, perierunt ; omnia enim ejusmodi bonæ fortunæ eventus videntur esse.

17. De virtute, quoniam maxime proprius de laudibus locus est, cum de laude conficiemus sermonem, tum erit disserendum.

18. [6] Ac in quæ quidem oportet intueri eos qui suadent tanquam futura aut præsentia, et in quæ eos qui dissuadent, apparet ; contraria enim horum sunt.

15. Quid sit proborum amicitia et gratia non erit obscurum, si definiverimus amicum. Amicus igitur definiri potest : *Qui eorum, quæ arbitratur bona esse illi, cujus est amicus, effectivus est propter illum.* Is igitur multorum floret amicitia et gratia, cui multi sunt tales ; si vero ii sint etiam viri probi, proborum amicitiam, et gratiam obtinet.

16. Bona fortuna est : *cum ea, quorum fortuna est causa, alicui adsunt ac fiunt vel omnia vel plurima vel maxima.* Sed explicandum, quorum bonorum fortuna sit causa. Dicendum, quod fortuna est causa aliquorum, quorum etiam ars potest esse causa, at multo plurium, quorum ars non est causa, sed causantur a natura vel a causa præter naturam. Exemplum, bonorum, quorum tum ars, tum fortuna potest esse causa, est sanitas, quæ potest causari vel per artem medicinæ vel sine arte ab aliquo casu fortuito. Exemplum bonorum, quæ possunt causari a natura, est magnitudo et pulchritudo, quæ etiam possunt alicui accidere præter rationem, adeoque a fortuna. Universim igitur videntur causari a fortuna illa bona, circa quæ versatur invidia, puta divitiæ et alia hujusmodi. Dicitur etiam fortuna esse causa eorum bonorum, quæ præter rationem accidunt; ex. gr., si, cum cæteri fratres sint deformes, unus sit formosus, dicitur is accepisse pulchritudinem a fortuna, quia præter rationem accidit, ut is tantum esset formosus ; si cum cæteri effodientes terram thesaurum non viderint, unus viderit, is dicitur vidisse ex fortuna ; si cum propinquus sit a sagitta percussus, hic non sit percussus ; si cum cæteri, qui non solebant venire, in hunc locum venerint et sint occisi, hic unus non venerit et sic mortem evaserit, hæc omnia dicuntur accidere ex fortuna, quia accidunt præter rationem.

17. Superesset, ut ageremus de virtutibus animi, sed quia proprius locus de his agendi est, cum agemus de genere demonstrativo, cujus partes sunt laus et vituperatio, ideo tractatum de virtutibus animi ad eum locum rejicimus.

18. Ex dictis patet, quæ proponere sibi debeant ut futura vel ut præsentia et instantia, qui suadent ac dissuadent. Qui enim suadent, debent sibi proponere, aliquid ex his bonis, quæ sunt partes felicitatis, ac debent ostendere id, quod suadent, utile esse ad id consequendum ; qui dissuadent, debent sibi proponere contraria mala et ostendere id, quod dissuadent, fore causam alicujus, quod sit contrarium felicitati aut alicui parti felicitatis.

CAPUT VI

QUID SIT BONUM ET UTILE, ET QUÆ SINT PRINCIPIA AD OSTENDENDUM ALIQUID ESSE BONUM ET UTILE.

1. Quoniam autem propositus est deliberandi scopus id quod utile est, et consultant non de fine, sed de is quæ sunt ad finem, et hæc sunt utilia in actionibus et utile est bonum, sumenda erunt elementa de bono ac utili simpliciter.

2. Jam sit bonum, quod ipsum sui causa eligendum est, et cujus causa aliud eligimus, et quod appetunt omnia. aut omnia sensum habentia aut mentem, aut si assumerent mentem; et quæcumque mens unicuique dictaverit; et quæcumque de unoquoque mens dictaverit unicuique illud est unicuique bonum. Et quo præsente bene dispositum est et se ipso contentum est. Et quod sibi sat est.

1. Postulat instituti operis ratio, ut cum egerimus de fine, agamus etiam de utili atque universim de bono. Ratio est, quia qui deliberant, non deliberant de fine, sed supponentes finem, deliberant de iis, quæ sunt ad finem; sed ea ad finem sunt, quæ utile est, ut fiant ad consequendum finem; hæc autem sunt utilia : ergo qui deliberant, de utilibus deliberant; ergo qui suadendo consilium dant, debent eum sibi proponere scopum, ut ostendant id, quod suadent, esse utile; ergo agendum est de utili; sed utile est bonum, ergo agendum est etiam de bono, et ponenda sunt elementa ac principia de bono et utili simpliciter. — *Primo* ergo ponendæ sunt aliquæ definitiones tum boni finalis, tum boni utilis; *secundo* enumeranda sunt aliqua, quæ sine controversia sunt bona; *tertio* statuenda sunt quædam principia, ex quibus possint fieri syllogismi et enthymemata ad ostendendum, quod quædam, de quibus dubitatur, sint bona.

2. *Quoad primum ;* bonum ut finis potest definiri tum in ordine ad electionem, tum in ordine ad appetitum, tum in ordine ad intellectum, tum in ordine ad subjectum, cui inest. In ordine ad electionem definitur dupliciter; primo definitur : *id, quod gratia sui est eligendum ;* secundo definitur : *cujus gratia eliguntur alia*; ex. gr., sanitas est bonum ut finis; quia est eligenda gratia sui, et gratia sanitatis recuperandæ est eligenda medicina et alia, quæ sunt utilia ad sanitatem. In ordine ad appetitum definitur dupliciter; primo definitur in ordine ad appetitum, abstrahendo ab innato et elicito, ac dicitur : *id quod omnia appetunt ;* secundo definitur in ordine ad appetitum elicitum et dicitur : *id quod appetunt omnia, quæ habent sensum vel intellectum ;* omnia enim, quæ vel per sensum vel per intellectum cognoscunt suum bonum, moventur ad illud appetendum. Quia vero intellectio boni necessario movet ad ejus appetitum, potest etiam bonum definiri : *id, quod omnia appeterent, si haberent intellectum.* In ordine ad intellectum potest bonum definiri : *quod intellectus unicuique dederit tanquam illi conveniens;* ex. gr., quia divinus intellectus dat aquæ frigus ut illi conveniens, igni vero calorem, ideo frigus est bonum aquæ, calor est bonum ignis. Quia vero poterat dubitari, de quo intellectu esset sermo, ideo ad id explicandum Aristoteles addit aliam definitionem ac dicit : *id quod intellectus, qui de unoquoque est, intellectus nimirum divinus, dederit unicuique, id esse bonum uniuscujusque.* In ordine ad subjectum bonum definiri potest : id, quo præsente bene res disponitur et sufficienter se habet; vel : id, quod sufficiens est subjecto ad hoc, ut bene se habeat.

3. Bonum utile definiri potest : *quod est effectivum vel conservativum eorum, quæ superioribus definitionibus sunt descripta; vel ad quod ea sequuntur; vel quod est prohibitivum aut corruptivum contrariorum ;* ex. gr., eo ipso, quod sanitas sit bona in ratione finis, omnia sanitatis effectiva et conservativa, vel ad quæ quomodolibet sequitur sanitas vel quæ prohibent aut corrumpunt ægritudines sanitati contrarias, habent rationem boni utilis ad sanitatem. Quia vero in definitionibus allatis dictum est, bonum utile esse id, quod est effectivum boni finalis, et ad quod sequuntur bona finalia, ideo Aristoteles distinguit varios modos, quibus aliqua possunt esse effectiva aliorum vel talia, ut ad ipsa sequantur alia. Dupliciter igitur potest unum sequi ex alio: primo ut sit simul cum illo, ex quo sequitur; secundo ut sit post; ex. gr., ex eo, quod aliquis addiscat, sequitur, ut sciat id, quod addiscit, non quidem tum, cum addiscit; neque enim simul addiscit ac scit; sed postquam didicerit. E converso ex eo, quod aliquis bene valeat, sequitur, ut vivat tum, cum bene valet. Tripliciter potest unum esse effectivum alterius. Primo potest esse effectivum in genere causæ formalis, eo pacto, quo *bene-*

valere est effectivum sanitatis formaliter; secundo in genere causæ efficientis, eo pacto, quo alimenta sanitatem efficiunt; tertio in genere causæ disponentis, eo pacto, quo exercitium ut plurimum disponit ad sanitatem.

3. Et quod idoneum est ad efficienda et custodienda talia. Et quod consequuntur talia. Et quæ idonea sunt ad prohibenda contraria, et quæ ad corrumpenda. Consequuntur autem dupliciter; aut enim simul aut posterius, ut disciplinam quidem scientia posterius, sanitatem vero vita simul. Ac idonea sunt ad efficiendum tripliciter, partim ut sanum esse sanitatem, partim ut cibaria sanitatem, partim ut exerceri, quod plerumque efficit sanitatem.

4. His autem positis necesse est, ut et sumptiones bonorum bonæ sint et malorum depulsiones; consequitur enim illud ut non habeamus malum simul, hoc autem ut habeamus bonum posterius.

5. Et pro minore bono majoris sumptiones et pro majore malo minoris; quo enim superat majus id quod est minus, id fit illius quidem sumptio, hujus vero depositio.

6. Et virtutes necesse est ut bonum sint; nam his bene afficiuntur qui habent, et idoneæ ad bona efficienda sunt et agenda. De unaquaque autem et quæ et cujusmodi sit separatim dicendum,

7*. et ut voluptas bonum sit; omnia enim appetunt animalia ipsam natura. Quare ut et jucunda et honesta necesse est bona sint; illa enim voluptatis efficientia sunt, honesta vero partim jucunda partim ipsa per se eligenda sunt.

4. *Quoad secundum ;* ex positis definitionibus sequitur ita manifeste, aliqua esse bona, ut de iis dubitari non possit. *Primo* ergo infertur tum bonorum sumptiones, tum malorum abjectiones ac depulsiones esse bona. Ex dictis enim id, ex quo sequitur bonum, est bonum; sed ad malorum abjectiones sequitur simul *non habere malum;* ex. gr., ex eo, quod quis abjiciat ægritudinem, sequitur simul, ut non habeat ægritudinem; ex eo quod quis per disciplinam acquirat scientiam, sequitur, ut postquam didicerit, habeat bonum scientiæ; ergo, etc.

5. *Secundo* sequitur, bonam esse sumptionem majoris boni loco minoris et sumptionem minoris mali loco majoris. Qui enim accipit majus bonum loco minoris, acquirit illum excessum boni; qui accipit malum minus, abjicit et depellit excessum mali; sed excessus boni est bonus, excessus mali est malus: ergo qui accipit bonum majus loco minoris, accipit aliquod bonum: qui accipit malum minus loco majoris, abjicit aliquod malum; sed acceptio boni est bona, abjectio mali est bona : ergo, etc.

6. *Tertio* infertur, virtutes esse bonas. Ex dictis enim num. 2 et 3, ea per quæ bene afficitur subjectum, et sunt effectiva atque activa bonorum, bona sunt; sed virtutes effectivæ sunt actuum bonorum ac bene subjectum disponunt : ergo, etc. De unaquaque vero virtute, quæ et qualis sit, agendum est infra.

7. *Quarto* infertur, voluptatem esse bonam. Ex dictis enim num. 2, bonum est, quod appetunt omnia, quæ sensum habent; sed omnia animalia, quæ sensum habent, naturaliter appetunt voluptatem : ergo, etc. Hinc ulterius sequitur, omnia jucunda et honesta esse bona, sed diversimode. Jucunda enim sunt bona, in quantum sunt voluptatis effectiva; honesta sunt bona, in quantum sunt per se et gratia sui eligibilia.

8. Ut autem de singulis dicam, necesse est ut bona sint hæc, felicitas, quia et per se eligenda est et se ipsa contenta, et causa ipsius multa eligimus. Justitia fortitudo, temperantia, magnanimitas, magnificentia, et alii ejusmodi habitus; virtutes enim animi sunt. Et sanitas et pulchritudo et talia; virtutes enim corporis et conficientes multorum sunt, ut sanitas et voluptatis et vitæ. Quamobrem etiam optimum videtur esse, quia duorum, quæ apud multitudinem maxime honorantur, causa est, voluptatis et vitæ. Divitiæ, quia sunt virtus possessionis et conficientes multorum. Amicus et amicitia; etenim per se res electione digna est amicus, et conficiens multorum. Honor, gloria; etenim jucunda sunt et conficientia multorum, et consequitur ipsa plerumque, ut adsint illa in quibus honorantur. Facultas dicendi, agendi, quia conficientia sunt omnia hæc bonorum. Deinceps ingenium, memoriæ, docilitas, velox animi motus, omnia ejusmodi; conficientes enim ipsæ bonorum facultates sunt. Similiter vero etiam scientiæ omnes et artes. Et vivere; si enim nullum aliud sequeretur bonum, per se eligendum est. Et justum; utile enim quoddam communiter est. Atque hæc quidem ferme confessa bona sunt.

9. In controversis autem ex his syllogismi sunt. Cui contrarium malum, id bonum.

8. *Quinto* ut breviter sub unum aspectum ponamus ea, quæ manifeste sunt bona, primo felicitas necessario est bona; est enim per se eligibilis, per se sufficiens et gratia felicitatis multa eligimus. Secundo boni sunt habitus fortitudinis, temperantiæ, magnanimitatis, magnificentiæ, etc., siquidem sunt virtutes animi. Tertio bona etiam sunt sanitas, pulchri-

tudo, etc.; nam et sunt virtutes corporis et præterea habent vim effectivam aliorum bonorum; ex. gr., sanitas est effectiva voluptatis et vivendi. ideoque videtur optima. cum sit effectiva duorum, quæ ab aliquibus maximo habentur in pretio, hoc est voluptatis ac vitæ. Quarto etiam divitiæ sunt bonæ; nam et sunt virtutes possessionis ac potentiæ possessivæ et sunt effectivæ multorum bonorum. Quinto amicitia et amicus habent rationem boni; nam et amicus est per se eligibilis et est multorum bonorum effectivus. Sexto bona sunt etiam honor et gloria; nam et jucunda sunt et multorum bonorum effectiva, et ut plurimum ipsa comitantur ea bona, propter quæ homines honorantur. Septimo bona est etiam potentia dicendi et agendi; nam multorum bonorum sunt effectivæ. Octavo bonum est ingenium, memoria, docilitas, perspicacia, etc.; nam tales potentiæ naturales sunt effectivæ bonorum. Nono bonæ sunt omnes scientiæ et artes atque ipsum vivere, siquidem est per se eligibile, etiamsi nullum aliud ex ipso bonum sequatur. Decimo demum justum est bonum, siquidem conducit ad bonum commune. Ex definitionibus igitur allatis sequitur, omnia hactenus enumerata indubitanter esse bona.

10. Et cujus contrarium inimicis prodest, ut si timidos esse maxime prodest inimicis, manifestum est fortitudinem maximo emolumento civibus esse.

11. Et omnino quod inimici volunt vel quo gaudent, contrarium huic emolumento esse apparet. Itaque recte dictum est « certe gaudebit Priamus ». Est autem non semper id, sed plerumque; nihil enim prohibet aliquando idem prodesse contrariis, unde dicitur mala conciliare homines, quando sit idem perniciosum ambobus.

12. Et cujus non est exsuperantia, id bonum; quod autem est majus quam oportet, malum.

13 Et cujus causa multum laboratum est et multum insumptum; videtur enim jam bonum, et ut finis jam tale habetur, et finis multorum. Finis autem bonum; unde illa dicta sunt « et certe famam Priamo » et « turpe manere diu », et proverbium hoc, « in foribus hydriam ».

9. *Quoad tertium;* plura sunt principia pluresque propositiones, quibus possumus ostendere aliqua, de quibus dubitatur, utrum sint bona necne, vere esse bona. *Prima propositio* est: cujus contrarium est malum, id est bonum.

10. *Secunda* est: illud est bonum, cujus contrarium inimicis conducit; ex. gr., quia hostibus conducit, cives esse timidos, fortitudo timiditati contraria utilis est civibus.

11. *Tertia* est: universaliter illud est bonum, cujus contrarium volunt hostes eoque gaudent, ideoque bene Homerus ad ostendendum aliquid esse Græcis malum dixit: *Profecto gaudebit Priamus.* Addit tamen Aristoteles, non semper, sed plerumque accidere, ut id sit bonum, cujus contrarium expedit inimicis. Non enim repugnat eadem esse inimicis utilia vel perniciosa, ideoque cum eadem res inimicis est mala et perniciosa dicitur, *malam homines unire et congregare,* ut cum duo, qui erant inimici, uniuntur contra aliquem tertium hostem communem.

12. *Quarta propositio* est: illud est bonum, cujus non est excessus; quod enim est majus, quam oporteat, est malum.

13. *Quinta* est: illud est bonum, cujus gratia multi suscepti sunt labores ac multi sumptus facti. Licet enim possit non esse bonum verum, saltem est bonum apparens, siquidem propositum est, ut finis multorum laborum et impensarum; finis autem habet rationem boni. Hinc apud Homerum Græci incitabantur ad Trojam expugnandam ex eo, quia alioquin tot pro ejus expugnatione labores suscepti, in gloriam Priami redundassent; et quia turpe erat, longiorem moram trahere post tot expensas. Proverbii etiam loco dicitur: *in foribus hydriam;* fortasse de iis, qui postquam hydriam aqua plenam magno labore ex longinquo fonte domum usque detulerunt, in ipsis januis domus sinunt illam e manibus elabi ac frangi.

14. Et quod multi appetunt, et quod pugna dignum apparet; quod enim omnes appetunt, id bonum erat, multi autem tanquam omnes videntur.

15. Et quod laudandum est; nemo enim non bonum laudat. Et quod inimici et improbi laudant; quasi enim omnes jam confitentur, si etiam illi qui male affecti sunt. Nam propterea quod apparet. confiteantur, ut et improbi, quos amici vituperant, et probi, quos inimici laudant. Quamobrem se convicio affectos esse existimarunt Corinthii a Simonide, qui cecinit « Corinthios vero non accusat Ilium ».

16. Et quod ex prudentibus aliquis vel bonis viris vel mulieribus præjudicavit, ut Ulyssem Minerva, et Helenam Theseus, et Alexandrum deæ, et Achillem Homerus.

17. Et omnino quæ præeligenda sunt. Præe-

ligunt autem, ut agant tum quæ dicta sunt, tum inimicis mala, tum amicis bona, tum quæ fieri possunt. Atque hæc duobus modis sunt, et quæ facile fiunt. Facilia vero sunt, quæcumque vel sine dolore sunt vel brevi tempore. Difficile enim definitur vel dolore vel longitudine temporis.

14. *Sexta propositio* est : illud est bonum, quod multi expetunt ac de quo contendere inter se homines consueverunt. Multi siquidem videntur quasi omnes; ergo sicut id, quod omnes expetunt, indubitanter est bonum, ita quod multi expetunt, bonum videtur.

15. *Septima propositio* est : quod est laudabile, est bonum, præsertim vero quod etiam inimici ac pravi laudant. Ratio est, quia nemo laudat id, quod non existimat bonum; ergo cum etiam inimici ac pravi, adeoque male erga aliquid affecti, adhuc ipsum laudant, omnes confitentur id esse bonum : ergo evidens est, illud esse bonum; nam sola evidentia potest cogere inimicos, pravos et male affectos ad confitendum aliquid esse bonum. Simili ratione ostenditur eos, quos etiam amici vituperant, esse pravos, eos autem, quos etiam inimici laudant, esse bonos. Hinc Corinthii arbitrati sunt, se contumelia affectos fuisse a Simonide poeta, cum cecinit : *De Corinthiis autem non conqueritur Ilium*, quasi Trojani hostes, cum conquerendo de cæteris Græcis, eorum fortitudinem laudarent, de solis Corinthiis non conquererentur, adeoque solos illaudatos relinquerent.

16. *Octava propositio* : illud est bonum, quod cæteris suo judicio prætulit aliquis vir prudens ac probus vel aliqua femina prudens ac proba; ex. gr., quia Minerva cæteris prætulit Ulyssem, Theseus Helenam, tres Deæ Paridem, Homerus Achillem, ideo omnes isti boni sunt censendi.

17. *Nona propositio* est : bona sunt universim, quæ sunt eligibilia. Sed explicandum est, quænam communiter homines eligant. Homines eligunt facere primo, quæ hactenus sunt explicata; secundo eligunt facere quæ sunt inimicis mala, amicis autem bona; tertio eligunt facere quæ sunt possibilia. Possibilia porro dicuntur dupliciter. Primo possibilia dicuntur, quæ quomodocumque possunt effici; secundo possibilia dicuntur, quæ facile possunt effici. Facilia vero dicuntur, quæ vel fiunt sine molestia vel fiunt brevi tempore; sicut e contrario difficile definitur, quod vel fit cum dolore vel fit longo tempore. Quia igitur quæ mala sunt inimicis, bona amicis, ac quæ sunt possibilia atque facilia, censentur eligibilia, ideo censenda sunt etiam bona.

18. Et si ut volunt. Volunt autem vel nullum malum vel minus quam bonum. Hoc vero erit, si vel lateat pœna vel parva sit. Et propria. Et quæ nemo. Et eximia; honor sic enim magis. Et congruentia ipsis; talia autem sunt, tum quæ conveniunt propter genus, tum propter facultatem. Et quæ deficere arbitrantur, etiamsi parva sint; nihilo enim minus præeligunt ea, ut agant.

19. Et quæ bene deducuntur in actum ; fieri enim possunt ut facilia. Bene autem deducuntur in actum, quæ omnes vel multi vel similes vel minores recte egerunt. Et quæ grata facient amicis, et quæ odiosa facient inimicis. Et quæcumque quos admirantur præeligunt, ut agant. Et in quibus ingeniosi sunt et experti ; facilius enim se recte acturos arbitrantur. Et quæ nemo improbus ; laudanda enim magis. Et quæ cupiunt ; non enim solum jucundum sed et melius apparet. Et in quibus maxime sunt singuli tales, ut studiosi victoriæ, si victoria aderit, studiosi honoris, si honor, studiosi pecuniarum, si pecuniæ, et alii eodem modo. Ac de bono quidem et utili ex his sumenda est fides.

18. *Decima propositio* est : bonum est, cum ut homines volunt atque optant, ita fit. Sed explicandum, quænam communiter homines velint atque optent. *Primo* homines volunt bonum purum ac sine ulla mistione mali vel saltem, ut, si tali bono admistum est aliquid mali, malum sit minus bono; ex. gr., qui deliquit, optat nullam subire pœnam, si vero non potest omnem pœnam effugere, optat, ut talis pœna sit occulta, vel saltem, ut sit parva. *Secundo* cupiunt homines possidere bona, quæ sint ipsorum propria. *Tertio* optant ea, quæ nullus alius possidet. *Quarto* optant, quæ sunt ultra necessarium usum; majorem enim ex his honorem consequuntur. *Quinto* optant bona ipsis proportionata, hoc est convenientia generi ac potentiæ ipsorum. *Sexto* optant, quæ existimant sibi ad suum statum deesse, quamvis parva sint, ideoque hæc pusilla agenda sibi putant non minori studio, quam si essent magna.

19. *Undecima propositio* est : bona sunt, quæ homines solent aggredi. Sed explicandum, quænam soleant homines aggredi. *Primo* solent aggredi ea, quæ putant facile posse ad exitum perduci; siquidem hæc possibilia sunt et facilia. Ea autem facile videntur posse ad exitum perduci, quæ vel omnes vel plures vel

similes ac pares vel minores ad exitum perduxerunt. *Secundo* aggrediuntur ea, quæ sunt amicis grata, inimicis molesta. *Tertio* aggrediuntur ea, quæ facere eligunt ii, quos admirantur. *Quarto* aggrediuntur ea, ad quæ facienda se vel propter naturam vel propter experientiam aptos intelligunt; existimant siquidem, facile se illa ad exitum perducturos. *Quinto* aggrediuntur ea, quæ nemo malus aggreditur; videntur enim magis laudabilia. *Sexto* aggrediuntur ea, quæ cupiunt; nam non solum jucunda videntur, sed etiam meliora. *Septimo* demum maxime unusquisque aggreditur ea, a quibus talis ducitur; ex. gr., quia victoriæ cupidus ducitur a victoria, maxime aggreditur facere, quæ ad vincendum pertinent; quia ambitiosus ducitur ab honore, avarus a pecuniis, ambitiosus maxime aggreditur ea, quæ conducunt ad consequendos honores, avarus quæ conducunt ad consequendas pecunias, idemque dic de aliis. His igitur propositionibus possumus uti ad probandum, aliquid esse bonum vel utile.

CAPUT VII

DE PRINCIPIIS ET PROPOSITIONIBUS, EX QUIBUS POTEST OSTENDI, ALIQUID ESSE MAGIS AUT MINUS BONUM.

1. [7] Quoniam autem sæpe qui confitentur utrumque utile esse, de eo quod est utilius controversantur, deinceps sequitur ut dicamus de majori bono et de eo quod est utilius.

2. Sit igitur superans tantum et amplius, quod vero superatur, id quod inest. Et majus quidem semper et plus ad minus, magnum vero et parvum et multum et paucum ad multorum magnitudinem. Et superans quidem magnum, at deficiens parvum. Et multum et paucum itidem.

3. Quoniam igitur bonum dicimus et quod ipsum propter se et non aliud eligendum est, et quod omnes appetunt, et quod illi qui mentem et prudentiam acceperint eligerent, et quod idoneum est ad efficiendum et custodiendum, et quod consequuntur talia, id autem cujus causa res est finis est, finis vero est cujus causa alia sunt, ipsique bonum est, quod ad ipsum accommodatum est,

1. Quia sæpe qui deliberant, fatentur, utrumque eorum, quæ in deliberationem cadunt, esse utile, ac solum dubitant, utrum sit utilius; ideo proponendæ sunt etiam definitiones ac propositiones, quibus tanquam principiis possit orator uti ad ostendendum, aliquid esse majus bonum ac magis utile alio, de quo est controversia. — *Primo* ergo ponendæ sunt definitiones, quibus explicetur, quid sit excedens et excessum, majus aut minus, magnum ac parvum, ac in memoriam revocandæ sunt definitiones boni, quas capite superiori attulimus; *secundo* ex his inferendæ sunt propositiones, ex quibus possit ostendi, aliquid esse majus aut minus bonum, quam aliud.

2. *Quoad primum ;* excedens est : *quod est tantum et amplius ; excessum est, quod inexistit alteri.* Majus et plus manifeste dicuntur cum relatione ad minus; at magnum et parvum, multum et paucum, licet non ita expresse dicant relationem, adhuc etiam ipsa sunt relativa. Magnum enim est, quod excedit pleraque ejusdem generis; parvum est, quod exceditur a plerisque ejusdem generis. Multum etiam est, quod excedit; paucum quod deficit; ex. gr., magnus homo est, qui excedit plerosque homines; parvus est, qui a plerisque exceditur, etc.

3. Bonum ex dictis capite superiori est : *et quod sui, non autem alterius gratia est eligibile; et quod omnes appetunt; et quod eligerent, qui habent intellectum ac prudentiam; et quod est horum efficiens aut conservativum aut universim tale, ut ad ipsum hæc sequantur.* Ex his bonis id *cujus gratia* est finis; siquidem finis est, cujus gratia cætera fiunt. Illud vero, quod licet non sit tale absolute, adhuc est tale huic, bonum est huic. Nam præter bonum absolute, datur etiam bonum uniuscujusque.

4*. necesse est etiam plura uno et paucioribus, connumerato uno vel paucioribus, majus bonum esse, propterea quod superat ; at quot inest, superatur.

5. Et si maximum maximo præstat, etiam genera generibus, et si quæcumque genera generibus, etiam maximum maximo ; ut si maximus vir muliere maxima major, etiam omnino viri mulieribus majores, et si viri mulieribus omnino majores, etiam vir maximus maxima muliere major ; proportione enim respondent exsuperantiæ generum et maximarum, quæ sunt in ipsis.

6. Et quando hoc quidem illi consequens est, illud vero huic nequaquam. Consequens vero est vel huic simul vel illi posterius vel facultate. Inest enim usus consequentis in usu alterius. Et consequens simul est, si est sanus, ut vivat ; huic vero non illud. At posterius, si discit, ut sciat. Facultate vero, si sacrilegus est, ut sur-

ripiat ; qui enim sacrilegus fuerit, etiam surripiet,

4. *Quoad secundum ;* ex positis definitionibus inferuntur propositiones seu loci, quibus uti possumus ad ostendendum, aliquod bonum esse majus altero. *Prima* ergo propositio seu primus locus est : necesse est, plura bona esse meliora uno et paucioribus, si illud unum vel illa pauciora connumerentur et contineantur in pluribus; ex. gr., justitia, fortitudo ac temperantia sunt meliora sola justitia, ac justitia et fortitudine simul sumptis. Ratio est, quia excedens est majus excesso et continens est majus contento; sed plura bona se habent ad unum vel pauciora, quæ connumerantur inter plura, sicut excedens ad excessum et sicut continens ad contentum : ergo, etc. Non tamen est necesse, ut plura bona sint meliora uno vel paucioribus, quæ non contineantur in pluribus, eo pacto, quo non est necesse, ut plura bona jucunda sint meliora uno vel paucioribus bonis honestis.

5. *Secunda propositio* est : si maximum unius generis excedit maximum alterius generis, etiam tale genus excedit aliud genus, et e converso, si unum genus excedit aliud genus, etiam maximum talis generis excedit maximum alterius generis; ex. gr., si maximus inter viros est major maxime inter feminas, etiam viri sunt majores feminis, et si viri sunt majores feminis, etiam maximus inter viros est major maxima inter feminas. Ratio est, quia excessus generum et eorum, quæ maxima sunt in talibus generibus, proportionaliter sibi respondent.

6. *Tertia propositio* est : cum duo bona ita se habent, ut unum sequatur ex alio, non e converso, illud, quod ex alio non sequitur, est majus; ex. gr., quia *vivere* ac *bene vivere* ita se habent, ut *vivere* sequatur ad *bene vivere, bene autem vivere* non sequatur ad *vivere,* ideo *bene vivere* est majus bonum, quam *vivere.* Porro tripliciter potest aliquid ex altero sequi; primo ita, ut sit simul tempore cum eo, ex quo sequitur; secundo ita, ut sit posterius tempore; tertio ita, ut contineatur potestate ac virtute in eo, ex quo sequitur, ita ut usus ejus, quod consequitur, quodammodo includatur ac lateat in usu alterius. Simul tempore ex eo, quod aliquis sit sanus, sequitur, ut vivat ; necesse est enim, ut, dum aliquis est sanus, vivat, licet non sit necesse e converso, ut, dum aliquis vivit, sit sanus. Posterius tempore ex eo, quod aliquis discat, sequitur, ut sciat; postquam enim aliquid didicimus, scimus illud. Potestate ac vi ex eo, quod aliquis sacrilegium faciat, sequitur, ut furtum etiam privatum faciat. Qui enim rem sacram deprædatur, multo magis, si præbeatur occasio, res privatas furabitur. Quocumque ex his modis unum sequatur ex alio, id ex quo aliud sequitur, est majus eo, quod sequitur.

7. Et quæ superant ipso majus, majora sunt ; necesse enim est superare etiam majus.

8. Et majoris boni efficientia majora sunt ; hoc enim erat majoris efficiens esse.

9. Et cujus efficiens majus itidem; si enim salubre magis eligendum est quam jucundum, etiam majus bonum est, et sanitas quam voluptas major.

10. Et quod magis eligendum est per se, quam quod non per se, ut robur quam salubre ; hoc enim non propter se, illud vero propter se ; id quod erat bonum.

11. Et si alterum quidem sit finis, alterum vero non finis ; hoc enim propter illud, at illud propter se, ut exerceri, ut bene se habeat corpus.

12. Et minus indigens altero vel alteris ; se enim contentum magis. Minus vero indiget paucioribus vel facilioribus indigens.

13. Et quando unum quidem sine hoc non sit vel non possit fieri, alterum vero sine hoc sit vel possit fieri ; se enim magis contentum est non indigens; itaque apparet majus bonum esse.

14. Et si unum principium sit, alterum vero non principium; et si unum sit causa, alterum vero non causa, propter idem ; nam sine causa vel principio non potest esse vel fieri.

7. *Quarta propositio* est : ex duobus excedentibus idem tertium, quod magis excedit, est majus. Necesse enim est, ut excedat alterum eo majori excessu, quo excedit tertium. Ex. gr., quia tum numerus quaternarius tum ternarius excedit binarium, quaternarius autem excedit magis quam ternarius, necesse est, ut quaternarius excedat ternarium.

8. *Quinta propositio* est : quod est effectivum majoris boni, est majus bonum. Ratio est, quia essentia effectivi consistit in hoc, ut habeat in se id, cujus est effectivum; ergo quod est effectivum majoris boni, habet in se majus bonum, adeoque est majus bonum.

9. *Sexta propositio*, quæ est conversa antecedentis est : id, cujus efficiens est melius, etiam ipsum est melius; ex. gr.,

quia sanitas efficitur a salubri, voluptas a jucundo, si salubre est melius et eligibilius jucundo, sanitas etiam est melior et eligibilior voluptate.

10. *Septima propositio* est : quod est expetibile gratia sui, melius est eo, quod non est expetibile gratia sui; ex. gr., quia robur est expetibile gratia sui, sanativum autem non est expetibile gratia sui, sed gratia sanitatis, robur est melius sanativo; siquidem ratio boni consistit in hoc, ut sit expetibile gratia sui.

11. *Octava propositio* est : si alterum sit finis, alterum non, quod est finis, est melius; eo enim ipso quod est finis, est expetibile gratia sui ; quod non est finis, non est expetibile gratia sui ; ex. gr., quia exercitivum non expetitur ut finis, sanitas expetitur ut finis, sanitas est melior exercitio.

12. *Nona propositio* est : quod minus indiget alio vel aliis, est melius, siquidem est sufficientius. Dicitur autem minus indigere, quod facilioribus aut paucioribus indiget.

13. *Decima propositio* est : cum duo se habent ita, ut unum sine altero non possit esse ac fieri, alterum vero e converso possit esse sine illo, quod potest esse sine altero, est majus bonum. Ratio est, quia cum sit minus indigens, eo ipso est magis sufficiens, adeoque est melius.

14. *Undecima propositio* est : quod est principium aut causa, est melius eo, quod non est principium neque causa. Cum enim impossibile sit, ut quod non est a se, sine principio ac causa sit aut fiat, indiget causa et principio, adeoque quod est principium et causa, est melius illo.

15. Et ex duobus principiis quod est a majore principio, majus est; et ex duabus causis quod est a majore causa, majus est. Et e converso ex duobus principiis majoris principium majus. Et ex duabus causis majoris causa res major. Manifestum igitur est ex iis quæ dicta sunt, quod utroque modo majus est. Et si principium unum, alterum vero non principium, videbitur majus esse; et si unum non principium, alterum vero principium. Finis enim major et non principium, ut Leodamas dixit accusans Callistratum, eum qui consuluerit, quam qui egerit, injustius egisse, quod non actum fuisset, nisi consuluisset. Rursus vero etiam Chabriam, eum qui egerit, quam qui consuluerit, quod non factum esset, nisi fuisset qui ageret ; nam propter hoc consilium est, ut agant.

16. Et rarius quam copiosum, ut aurum quam ferrum, cum minus bonum sit ; major enim est possessio, propterea quod difficilior sit. Alio autem modo copiosum quam rarum, quia usus superat ; quod enim sæpe habetur, superat quod raro ; unde dicitur « optima quidem aqua ». Et omnino difficilius quam facilius, quia rarius. Alio autem modo facilius quam difficilius ; se enim habet ut volumus.

15. *Duodecima propositio* est : ex duobus principiatis vel causatis id, quod est a majori principio et causa, est majus, et e converso ex duobus principiis et causis, quod est principium et causa majoris, est majus. Addit Aristoteles, ex una parte videri, quod principium sit majus non principio. ex alia parte videri, quod non principium sit majus principio. Finis enim est majus, et tamen non est principium. Idcirco Leodamas Callistratum accusans dixit, eum, qui consuluit, magis peccasse, quam qui fecit, quia alter non fecisset, nisi alter consuluisset. Chabrias e converso asseruit, eum, qui fecit, peccasse magis quam qui consuluit, neque enim fuisset factum, nisi inventus fuisset, qui faceret, siquidem consilium habet pro fine opus; ideo enim consulunt, ut alter faciat.

16. *Decima tertia propositio* est : ex una parte quod est rarius, videtur præstantius eo, quod est minus rarum; ex. gr., aurum quia rarius est ferro, licet sit inutilius, adhuc est præstantius ferro, siquidem possessio auri pluris æstimatur propter difficultatem possidendi ipsum. Ex alia parte id, cujus major est copia, videtur melius eo, quod est rarius. Tales enim res expetuntur propter usum ; sed major est usus eorum, quorum est major copia : ergo ea, quorum major est copia, sunt meliora et appetibiliora, ideoque dicitur, quod optima est aqua, quia maxima est copia ipsius. Universim autem ex una parte difficiliora videntur meliora facilioribus, quia sunt rariora ; ex alia parte faciliora videntur meliora difficilioribus, quia habemus illa, cum volumus.

17. Et cui quod est contrarium, majus est. Et cujus privatio major.

18. Et virtus quam non virtus, et vitiositas quam non vitiositas majus est ; nam illa sunt fines, hæc non fines.

19. Et quorum opera honestiora vel turpiora sunt, majora ipsa sunt. Et quorum vitia et virtutes majores sunt, etiam opera majora sunt, quoniam ut causæ et principia, etiam eventa, et ut eventa, etiam causæ et principia.

20. Et quorum exsuperantia magis eligenda vel honestior, ut exquisite videre magis eligendum quam odorari ; etenim visus quam odora-

tus. Et studiosiorem sodalium esse quam pecuniarum honestius est; quare etiam studium sodalium quam pecuniarum. Et contra meliorum exsuperantiæ meliores et honestiorum honestiores.

17. *Decima quarta propositio* est : cujus contrarium aut privatio est majus, etiam ipsum est majus; ex. gr., quia ægritudo contraria sanitati est pejor paupertate, quæ est contraria divitiis, sanitas est melior divitiis; et quia cæcitas, quæ est privatio visus, est pejor surditate, quæ est privatio auditus, visus est melior auditu.

18. *Decima quinta propositio* est : virtus est major ac melior non virtute, et vitium est majus et pejus non vitio; ex. gr., quia temperantia est virtus, continentia autem, licet sit habitus bonus, adhuc non est virtus, temperantia est melior continentia. Quia rursus intemperantia est vitium, incontinentia autem, licet sit habitus malus, adhuc non est vitium, intemperantia est pejor incontinentia. Ratio autem est, quia virtus et vitium habent rationem finis et perfecti in genere habitus boni vel mali; habitus autem boni aut mali habent rationem imperfecti; sed perfectum est majus imperfecto : ergo, etc.

19. *Decima sexta propositio* est : virtutes ac vitia, quorum actus et opera sunt honestiora et inhonestiora, sunt majora, et e converso opera, quæ procedunt a majoribus virtutibus et vitiis sunt majora; ex. gr., quia honestiora sunt opera fortitudinis, quam opera temperantiæ, fortitudo est virtus major temperantia; et e converso, quia fortitudo est virtus major temperantia, opera fortitudinis sunt majora et honestiora operibus temperantiæ. Ratio est, quia causæ et principia proportionantur effectibus et effectus proportionantur causis ac principiis, ex quibus proficiscuntur.

20. *Decima septima propositio* est : ea sunt meliora, quorum excessus sunt meliores et eligibiliores, et e converso rerum meliorum excessus sunt meliores; ex. gr., quia eligibilius est exquisite videre, quam exquisite olfacere, visus est melior olfactu; et quia honestius est esse studiosum sodalium, quam esse studiosum pecuniarum, studium acquirendi sodales melius est studio comparandi pecunias.

21. Et quorum cupiditates honestiores vel meliores; majores enim appetitiones majorum sunt. Et honestiorum vel meliorum cupiditates meliores, et honestiores propter idem.

22. Et quarum scientiæ honestiores vel probiores, etiam res honestiores sunt et probiores; ut enim scientia se habet, ita etiam id quod verum est. Præcipit autem, quod suum est, unaquæque. Et probiorum ac honestiorum scientiæ ex proportione eadem de causa.

23. Et quod judicarent vel judicarunt prudentes vel omnes vel multi vel plures vel optimi bonum vel majus, necesse est sic se habere, vel simpliciter vel si ex prudentia judicarunt. Est vero hoc commune etiam in aliis; etenim quid et quale et quantum sic se habet ut scientia et prudentia affirmaverit. Verum de bonis diximus; nam definitum est bonum esse, quod quæ acceperint res prudentiam, eligerent singillatim. Manifestum igitur est, etiam majus esse, quod magis prudentia dicit.

21. *Decima octava propositio* est : ea quorum cupiditates sunt honestiores, sunt meliora; majorum enim majores sunt appetitiones, et e converso cupiditates honestiorum ac meliorum sunt honestiores ac meliores ex eadem causa; ex. gr., quia honestior est cupiditas scientiarum quam cupiditas divitiarum, scientiæ honestiores sunt divitiis, et e converso quia scientiæ honestiores sunt divitiis, cupiditas scientiarum honestior est cupiditate divitiarum,

22. *Decima nona propositio* est : ea, circa quæ versantur scientiæ honestiores et meliores, sunt honestiora et meliora, et proportionaliter scientiæ, quæ versantur circa honestiora et meliora, sunt honestiores et meliores. Ratio est, quia proportionaliter se habent scientiæ ac veritates, circa quas tales scientiæ versantur. Singulæ vero scientiæ negotiantur circa proprium subjectum.

23. *Vigesima propositio* est : id, quod prudentes vel omnes vel multi vel plures vel præstantes judicarent vel judicarunt esse bonum vel esse majus bonum, necesse est, tale esse vel simpliciter vel saltem si secundum prudentiam judicarunt. Porro hoc principium est commune etiam aliis prædicatis. Unumquodque enim tale est secundum substantiam, quantitatem et qualitatem, quale scientia ac prudentia ipsum esse affirmaverit; ideoque quemadmodum supra cap. v. applicantes hoc principium bono diximus, bonum esse id, quod unaquæque res expeteret, si prudentiam haberet, sic nunc dicimus, illud esse majus bonum, quod prudentia judicat esse majus bonum.

24. Et quod melioribus inest vel simpliciter vel quatenus meliores sunt, ut fortitudo quam robur.

25. Et quod eligeret melior vel simpliciter vel quatenus melior, ut injuria affici magis quam injuria afficere ; id enim justior eligeret.

26. Et jucundius quam minus jucundum ; voluptatem enim omnia sequuntur, et propter ipsam, ut jucunditate perfundantur, appetunt ; definitum autem est his bonum et finis. Jucundius vero est tum minus molestum tum diutius jucundum.

27. Et honestius quam minus honestum ; nam honestum est aut jucundum aut per se eligendum.

28. Et quorum ipsi ipsis aut amicis volunt causa esse magis, ea majora sunt bona, quorum vero minime volunt, majora mala.

29. Et diuturniora quam minus diuturna, et firmiora quam minus firma ; superat enim usus illorum quidem tempore, horum vero voluntate. Nam quando volunt, adest magis usus rei firmæ.

24. *Vigesima prima propositio* est : illud, quod inest melioribus, est melius vel simpliciter vel saltem si inest ipsis, quatenus meliora sunt; ex. gr., quia fortitudo inest animæ, robur inest corpori, anima autem est melior corpore, fortitudo est melior robore.

25. *Vigesima secunda propositio* est : illud est melius, quod melior eligeret vel simpliciter vel in quantum est melior; ex. gr., quia melior et justior potius eligeret injuriam pati quam injuriam facere, ideo melius est injuriam pati quam injuriam facere.

26. *Vigesima tertia propositio* est : quod est jucundius, est melius minus jucundo. Ratio est, quia ex dictis bonum est, quod omnia appetunt, finis autem est, quod expetitur gratia sui; sed omnia prosequuntur voluptatem et appetunt delectari propter ipsum delectari : ergo voluptas est bonum ac finis, adeoque quod est jucundius, est etiam melius. Jucundius porro dicitur tum quod minus molestiæ habet admistum, tum quod diuturniori delectatione nos afficit.

27. *Vigesima quarta propositio* est : honestius est melius quam minus honestum. Honestum enim aut est jucundum aut per se eligibile; ergo honestius vel est jucundius vel per se eligibilius ; sed tum jucundiora, tum per se eligibiliora sunt meliora : ergo honestius est melius minus honesto.

28. *Vigesima quinta propositio* est : ea sunt majora bona, quorum magis volumus esse causa nobis ipsis et amicis; ea vero, quorum minus volumus esse causa nobis et amicis, sunt majora mala; ex. gr., quia magis volumus nobis atque amicis esse causa salutis quam divitiarum, ideo salus est melior divitiis.

29. *Vigesima sexta propositio* est : diuturniora sunt meliora minus diuturnis, ac stabiliora seu promptiora ad nostra servitia sunt meliora minus stabilibus. Ratio est, quia diuturnioribus longiori tempore utimur; stabilioribus autem magis utimur juxta nostram voluntatem, cum stabilitas consistat in hoc, ut cum volumus, possimus uti re.

30. Et ut ex conjugatis et similibus casibus etiam alia consequuntur, ut si quod fortiter agitur et honestius, magis eligendum est quam quod temperanter, etiam fortitudo quam temperantia magis eligenda, et fortem esse quam temperantem.

31. Et quod omnes eligunt, quam quod non omnes; et quod plures, quam quod pauciores ; nam bonum erat, quod omnes appetunt ; quare etiam majus, quod magis.

32. Et quod controversantes vel inimici vel judicantes, vel quod isti judicant ; illud enim est perinde, acsi omnes affirmarent, hoc vero perinde, acsi potentes et scientes.

33. Et interdum cujus omnes participes sunt, majus est ; dedecus enim est, non esse participem. Interdum, cujus nemo aut cujus pauci, quia rarius.

34. Et magis laudanda, quia honestiora. Et quorum honores majores, itidem ; nam honor tanquam pretium quoddam est. Et quorum pœnæ majores.

30. *Vigesima septima propositio* potest desumi ex conjugatis ac similibus casibus; ex. gr., si quod fortiter agitur, est honestius atque eligibilius eo, quod agitur temperate, etiam fortitudo est eligibilior temperantia, et melius est *esse fortem* quam *esse temperantem*.

31. *Vigesima octava propositio* est : melius est id, quod omnes eligunt, quam quod non omnes eligunt, et quod eligunt plures, quam quod eligunt pauciores. Ratio est, quia bonum est, quod omnes appetunt; ergo quod magis appetunt omnes, est majus bonum.

32. *Vigesima nona propositio* est : melius est id, quod communi consensu melius existimant disceptantes invicem et inimici, et qui utpote periti de ea re judicant, vel quibus periti tale judicium commiserunt. Ratio est, quia cum etiam disceptantes et inimici conveniunt in

existimando, quod aliquid est melius altero, omnes videntur in hoc convenire. Cum vero id judicant periti vel quibus periti tale judicium commiserunt, tum videtur tale judicium a scientibus proficisci.

33. *Trigesima propositio* est : aliquando majus est bonum, cujus omnes sunt participes; dedecus enim est eo carere; aliquando majus est bonum id, cujus nemo vel pauci sunt participes; est enim rarius.

34. *Trigesima prima propositio* est : laudabiliora sunt meliora, cum sint magis honesta. Videntur etiam meliora ea, quibus major tribuitur honor, siquidem honor quodammodo auget dignitatem rei. Ex eadem ratione pejora sunt ea, quæ majoribus pœnis afficiuntur.

35. Et quæ sunt confessis, et iis quæ apparent magna, majora.

36. Et quæ dividuntur in partes, ipsa majora apparent ; plurium enim exsuperantia apparet, unde et poeta ait, illam persuasisse Meleagro, ut exsurgeret, exponentem : « quot mala concurrunt, quando sunt oppida capta ; occidunt homines, tectisque incendia miscent. Ast alii abducunt natos, necnon mulieres ornate cinctas ».

37. Et si componantur ac destruantur, ut Epicharmus faciebat, tum propter idem quod evenit divisioni (nam compositio exsuperantiam demonstrat multam), tum quod principium apparet magnorum et causa.

38. Quoniam vero difficilius et rarius est majus, etiam occasiones et ætates et loci et tempora et facultates reddunt magna. Si enim supra facultatem et supra ætatem et supra similes, et si sic vel ibi vel tunc, habebit magnitudinem et honestorum et bonorum et justorum et contrariorum. Unde et epigramma in olympionicem :

His humeris dura imposita mihi urbe redibam
Ex Argo pressus piscibus ad Tegeam.

Et Iphicrates se ipsum encomio ornavit, dicens :
Ex quibus extiterunt hæc ?

35. *Trigesima secunda propositio* est : ea sunt meliora, quæ superant illa, quæ ex communi confessione sunt magna vel saltem videntur magna.

36. *Trigesima tertia propositio* seu *trigesimus* tertius locus desumitur ex divisione; quæ enimpro ponuntur per divisionem enumerantem singulas partes, multo majora apparent, quam ante divisionem viderentur; cujus ratio est, quia per talem divisionem ob oculos ponitur excessus plurium. Hoc loco usa est apud Homerum lib. IX. Iliados uxor Meleagri, dum ut Meleagrum impelleret ad hoc, ut succurreret patriæ periclitanti, ne ab hostibus caperetur, per divisionem enumerat mala, quæ accidunt urbi ab hostibus captæ, dicens :

Quot mala concurrunt, quando sunt oppida capta?
Occidunt homines tectisque incendia miscent.
Ast alii abducunt natos nec non mulieres ornate [cinctas.]

37. *Trigesima quarta propositio* seu locus est per compositionem et exaggerationem, per quam una eademque res pluribus verbis vehementer dicitur. Hoc loco usus est Epicharmus. Sed quia Epicharmi verba non afferuntur ab Aristotele, et ejus opera perierunt, ideo exemplum Epicharmi proponi nequit. Potest igitur afferri exemplum ex Catone, dum ait : decem funera facis; decem capita libera interficis; decem hominibus vitam eripis. Ratio est, quia sicut divisio, sic etiam compositio magnum ostendit excessum, ac videtur esse principium et causa rerum magnarum.

38. *Trigesimus quintus locus* desumitur ex circumstantiis. Quia enim quod est difficilius ac rarius, censetur majus, occasiones autem, ætas, loca, tempora et vires possunt quædam reddere difficiliora atque rariora, possunt etiam eadem majora reddere. Ea igitur, quæ gesta sunt honesta, bona, justa vel his contraria, habebunt excessum honestatis aut justitiæ vel inhonestatis et injustitiæ ex eo, quod gesta fuerint supra vires, supra ætatem, supra æquales, hoc modo, hoc loco, hoc tempore, etc. Hinc in quodam epigrammate quidam, qui in ludis Olympicis fuerat victor, de se ipso dicit :

Antea quidem super utrumque humerum asperum [habens sacculum]
Pisces ex Argis ferebam Tegeam Arcadiæ urbem.

Quasi major fuerit victoria ex eo, quod relata fuerat ab homine, qui tam vili opere se exercebat. Iphicrates etiam se ipsum laudavit dicens : *ex quibus ea fuerunt?* Mirabile enim fuit, ut Iphicrates, sutoris filius, ob rei militaris scientiam amplissimos honores sit consecutus et copias Atheniensium duxerit.

39. Et nativum quam ascitum; difficilius enim; unde et poeta ait « sum mihimet doctor. »

40. Et ejus quod magnum est maxima pars, ut Pericles funebrem orationem habens, si juventus ex civitate sublata sit, perinde esse ac si ver ex anno sublatum sit.

41. Et in necessitate majore utilia, ut in senectute et morbis.

42. Et ex duobus, quod proprius accedit ad finem.

43. Et quod ipsi, quam quod simpliciter. Et id quod fieri potest, quam quod non potest; illud enim est ipsi bonum, hoc vero nequaquam.

44. Et quæ sunt in fine vitæ; fines enim magis, quam quæ ad finem.

45. Et quæ sunt ad veritatem, quam quæ ad opinionem. Terminus autem ejus, quod est ad opinionem, est, si latiturus esset, eum non electurum. Quamorbem ut quis beneficio afficiatur, quam ut afficiat, videtur magis eligendum esse; illud enim, etiamsi lateat, eliget, ut autem beneficio afficiat, si lateat, non videtur esse electurus.

39. *Trigesima sexta propositio* est : quod a nobis ipsis habemus majus est, quam quod accepimus ab aliis; est enim difficilius .Idcirco Poeta, hoc est Homerus, se ipsum laudans dixit : a me ipso didici.

40. *Trigesima septima propositio* est : quod est rei magnæ maxima pars, majus est eo, quod vel est maxima pars rei parvæ, vel est parva pars rei magnæ. Hinc Pericles in oratione funebri dixit, civitatem Atheniensem juventute in bello ablata deformem remansisse, ut annus remaneret deformis, si ab eo ver auferretur, adeoque ostendit civitatis jacturam fuisse maximam ex eo, quod præcipuam partem amisisset.

41. *Trigesima octava propositio* est : ea, quibus indigemus in majore inopia ac necessitate, majora sunt iis, quibus indigemus in minore inopia et necessitate; ex. gr., ea, quibus indigemus in senectute et morbo, majora sunt iis, quibus indigemus extra tempus senectutis ac morbi.

42. *Trigesima nona propositio* est : ex duobus bonis illud est majus, quod est propinquius fini; ex. gr., philosophari melius est quam philosophiam discere, quia propinquius est fini.

43. *Quadragesimus locus* est : quod est alicui bonum, est melius illi quam id, quod, cum sit bonum simpliciter, non est bonum illi; similiter quod est alicui possibile, est melius eo, quod ipsi est impossibile. Nam quod est alicui impossibile, non est bonum illi; quod autem est possibile alicui eo ipso bonum est illi.

44. *Quadragesimus primus locus* est : quæ bona sunt in fine vitæ, meliora sunt iis, quæ sunt bona aliis ætatibus; ex. gr., prudentia, quæ convenit homini in fine vitæ, melior est fortitudine, quæ convenit homini aliis ætatibus. Ratio est, quia quæ conveniunt homini in fine vitæ, magis habent rationem finis, quam ea, quæ conveniunt homini, cum est remotior a fine vitæ.

45. *Quadragesimus secundus locus* est : quæ sunt bona propter ipsam veritatem, meliora sunt, quam quæ sunt bona propter opinionem. Illa vero dicuntur bona propter opinionem, quæ si laterent, nemo eligeret. Ex hoc loco potest ostendi, beneficio affici melius esse quam beneficium conferre. Nam omnes eligunt beneficiis affici, etiamsi beneficia accepta debeant latere; at non videntur beneficium collaturi, si beneficia collata deberent latere.

46. Et quæcumque esse magis quam videri volunt; ad veritatem enim sunt magis. Quamobrem et justitiam aiunt, rem parvam esse, quia ut quis videatur, quam ut sit, magis eligendum est; de sanitate vero nequaquam.

47. Et ad multa utilius, ut ad vitam et bonam vitam et voluptatem et administrationem honestorum. Quamobrem et divitiæ et sanitas res maximæ videntur esse; omnia enim hæc ipsæ habent.

48. Et minus molestum est quod est cum voluptate; plura enim sunt uno; quare est etiam voluptas bonum et indolentia. Et ex duobus, quod eidem adjunctum, majus totum efficit.

49 Et quæ non latent præsentia, quam quæ latent; ad veritatem enim hæc sunt; quamobrem divitem esse apparebit majus bonum quam videri.

50. Et quod amandum est, et aliquibus quidem solum, aliquibus vero cum aliis. Itaque non æqualis pœna est, si quis altero oculo utentem cæcaverit, et duos habentem; quod enim amandum est, sublatum est Ac ex quibus quidem oporteat fidem afferre tum suadendo tum dissuadendo, ferme dictum est.

46. *Quadragesima tertia propositio* est: id, quod potius volumus esse quam videri, melius est eo, quod potius volumus videri quam esse. Ratio est, quia illud magis refertur ad veritatem, hoc magis refertur ad opinionem. Ex hoc loco potest ostendi, sanitatem esse meliorem justitia; homines enim communiter potius volunt esse sani quam videri; e converso potius volunt videri justi quam esse.

47. *Quadragesima quarta propositio* est : quod est utile ad multa, melius est eo, quod non est utile ad multa. Ex hoc loco potest ostendi, sanitatem et divitias esse magna quædam bona. Sunt enim utiles ad multa, hoc est ad vivendum, ad bene vivendum, ad voluptatem, ad agendum honesta, etc.

48. *Quadragesima quinta propositio* est : quod cum sit absque dolore, est etiam cum voluptate, majus bonum est, quam id, quod est solum absque dolore, vel habet voluptatem admistam cum dolore. Plura enim bona sunt meliora uno; sed tum voluptas tum indolentia est bona : ergo ex conjunctione utriusque resultat aliquid melius singulis seorsim acceptis.

49. *Quadragesima sexta propositio* est : quæ cum præsentia fuerint, non latent, meliora sunt iis, quæ latent ; eo enim ipso magis sunt secundum veritatem. Ex. gr., quia cum quis est dives, non latet ipsum, *an sit dives;* e converso, cum habet opinionem veram, latet ipsum, *an talis opinio sit vera,* melius est esse divitem quam habere opinionem veram.

50. *Quadragesima septima et ultima propositio* est : quod est carum est melius. Et quia quædam cariora sunt, cum possidentur sola, quam cum possidentur una cum aliis, ideo cum possidentur sola, censenda sunt meliora. Idcirco majori pœna mulctatur, qui eruit oculum homini habenti unicum oculum, quam qui eruit oculum habenti duos oculos, quia qui eruit oculum habenti unicum oculum, aufert illi aliquid carius, adeoque melius. Istæ igitur sunt propositiones et loci, quibus possumus uti ad faciendam fidem dictorum, dum suademus aut dissuademus.

CAPUT VIII

DE SPECIEBUS POLITIARUM, EARUM FINIBUS, MORIBUS ET INSTITUTIS.

1. [8] Maximum autem et potentissimum omnium est, ut possimus persuadere et egregie deliberare, respublicas omnes assumere et uniuscujusque mores et instituta ac utilia distinguere. Persuadetur enim apud omnes eo quod utile est,

2.* utile vero est, quod civitatem conservat. Præterea dominatus est domini enuntiatio. Ac dominatus ex rebus publicis distincti sunt; quot enim reipublicæ, tot etiam dominatus sunt. Atqui res publicæ sunt quatuor, democratia, oligarchia, aristocratia, monarchia. Quare dominatus, et id quod judicat, harum erit particula aut totum harum.

3. Democratia est respublica, in qua sortes distribuunt magistratus; oligarchia, in qua qui valent censibus, aristocratia in qua ex disciplina. Disciplinam voco a lege constitutam; nam qui in legibus instituerunt, in aristocratia dominantur. Necesse vero est, hos apparere optimos, unde et nomen accepit hujusmodi. Monarchia est secundum nomen, in qua unus omnium dominus est. Atque ex iis quæ monarchiæ nomine continentur, illa quidem, quæ ordinem quemdam habet, regnum est, at indefinita tyrannis.

1. Ad hoc, ut orator possit bene persuadere, non sufficit, ut sciat, quem finem homines communiter intendant, et quæ sint utilia ad talem finem consequendum, sed requiritur etiam multo magis, ut sciat, quem finem specialiter intendant illi homines, quibus debet persuadere, et quæ sint utilia ad talem finem obtinendum; sed orator debet persuadere hominibus deliberantibus in variis politiis : ergo ad hoc, ut possit bene persuadere, summopere est necessarium, ut sciat politiarum differentias, earum fines, mores et instituta et quæ sint singulis politiis utilia. Cum enim homines sinant sibi persuaderi, cum ostenditur id, quod persuadetur. esse illis utile, si scierimus, quæ sint singulis politiis utilia, poterimus persuadere hominibus viventibus in singulis politiis. Operæ igitur pretium est, ut breviter proponamus, quid sit politiis utile; quorum decreta in singulis politiis rata sint; quot sint species politiarum et quo pacto secundum species politiarum distinguantur magistratus habentes supremam potestatem; quem finem singulæ politiæ intendant. His enim perspectis, poterit etiam orator distinguere mores et instituta singulis politiis consentanea et utilia.

2. *Primo* igitur illud est singulis politiis utile, quod illas conservat; ex. gr., illud est utile regno, quod conservat regnum; illud est utile democratiæ, quod conservat democratiam. *Secundo* in unaquaque politia firma ac rata sunt decreta, quæ a suprema potestate emanant. *Tertio* suprema potestas in diversis politiis est diversa, ac diversificatur secundum diversitatem politiarum, ac proinde tot sunt supremæ potestates, quot sunt species politiarum ; sed quatuor sunt species politiarum, democratia, oligarchia, aristocratia et monarchia : ergo quatuor sunt supremæ potestates; siquidem quod cum suprema potestate dominatur et judicat, vel est pars politiæ, vel est tota politia.

3. Sed jam explicandum est, quid sint singulæ politiæ. Democratia est *politia, in qua magistratus distribuuntur indifferenter omnibus civibus, ideoque distribuuntur sorte.* Oligarchia est, *in qua ma-*

gistratus distribuuntur solis divitibus, ideoque distribuuntur secundum censum. Aristocratia est, *in qua magistratus distribuuntur secundum disciplinam,* disciplinæ nomine intelligendo modum vivendi legibus constitutum. Illi igitur in aristocratia magistratus obtinent et dominantur, qui secundum leges vitam instituerunt; et quia hi videntur optimi, ideo qui in aristocratia dominantur, videntur optimi, unde etiam aristocratia sortita est nomen ac dicitur respublica optimatum. Monarchia juxta nominis significationem est, *in qua unus dominus est omnium.* Monarchia, in qua unus dominatur secundum ordinem quemdam constitutum per legem et rationem, vocatur regnum; monarchia, in qua unus habet potestatem indefinitam et inordinatam, ac dominatur secundum voluntatem, est tyrannis.

4. Jam finem cujusque reipublicæ non oportet latere; eligunt enim ea quæ referuntur ad finem. Ac democratiæ quidem finis est libertas, oligarchiæ vero divitiæ, at aristocratiæ quæ pertinent ad disciplinam et instituta, tyrannidis autem custodia. Manifestum igitur est, qui pertinent ad finem cujusque mores et instituta et utilia, distinguenda esse, siquidem eligunt ad hæc referentes.

5. Et quoniam non solum fides fit ea, quæ demonstrat, oratione, sed etiam morata (nam eo quia cujusdam modi apparet is qui dicit, fidem habemus, id est, si bonus appareat vel amicus vel utrumque), oportebit mores reipublicæ cujusque nos tenere; cujusque enim mores maxime idoneos ad faciendam fidem necesse est in quaque esse. Hæc vero accipientur ex iisdem; nam mores apparent ex præelectione, at præelectio refertur ad finem.

6. Ac quæ quidem oportet appetere illos qui suadent tanquam futura vel præsentia, et unde oporteat de utili fidem sumere, præterea vero de rerum publicarum moribus et institutis, tum quibus, tum quomodo abundabimus, quantum erat præsenti tempori accommodatum, dictum est; exquisite enim disputatum est in Politicis de his.

4. Oportet etiam, ut oratorem non lateat, quis sit uniuscujusque politiæ finis. Cum enim qui in unaquaque politia deliberant, eligant ea, quæ conducunt ad finem, perspecto fine, scire poterit, quænam sint illis eligibilia, qui in singulis politiis versantur. Democratiæ finis est libertas; finis oligarchiæ sunt divitiæ; finis aristocratiæ ac regni est, ut vita instituatur secundum disciplinam et leges civitatis; finis tyrannidis est custodia, siquidem tyrannus omnia consilia dirigit ad conservationem tyrannidis. Quia vero in unaquaque politia cives habent mores et eligunt instituta consentanea fini, debet etiam orator distinguere mores et instituta unicuique politiæ consentanea, ut possit deliberantibus in unaquaque politia persuadere id, quod tali politiæ est consentaneum.

5. Addit Aristoteles, quod, quia fidem facimus eorum, quæ dicimus, non solum ostendendo ea, quæ persuademus, esse auditoribus utilia, sed etiam oratione morata, per quam videmur tales, puta boni vel amici vel boni simul et amici (fidem enim adhibemus probis et amicis), etiam ex hoc capite debet orator scire mores unicuique politiæ consentaneos, ut possit per orationem similes mores exprimere; ex. gr., ut possit ad populum loquens exhibere mores populares, etc. In unaquaque enim politia mores tali politiæ consentanei sunt maxime idonei ad obtinendam fidem; sed unusquisque tales habet mores, qualia sunt ea, quæ eligit, et omnes eligunt consentanea fini: ergo ex fine et electione cujusque politiæ poterimus scire, quinam mores sunt tali politiæ consentanei, adeoque debeant exprimi in oratione nostra.

6. Concludit Aristoteles epilogando dicta. Explicatum est, quænam debeant appetere ac sibi proponere, qui de futuris aut jam instantibus suadent; traditi sunt loci, ex quibus possumus desumere argumenta ad ostendendum, aliquid esse utile; actum est de politiarum moribus et institutis, ac dictum est, quorum auxilio possimus acquirere copiam eorum, quæ ad hæc spectant. Hæc autem omnia, prout Rhetoricæ congruunt, sunt pertractata, siquidem exactior de ipsis disputatio ad Politicam spectat. Cum igitur expedierimus ea, quæ pertinent ad genus deliberativum, agendum est de iis, quæ spectant ad genus demonstrativum.

CAPUT IX — ART. I

DE IIS, QUÆ PROPONERE SIBI DEBET LAUDANS AC VITUPERANS, HOC EST DE HONESTO AC TURPI, VIRTUTE AC VITIO.

1. [9] Post hæc autem dicamus de virtute et vitio, et honesto et turpi; res enim hujusmodi propositæ sunt ei qui laudat et qui vituperat. Continget vero simul, dum de his dicemus, ut etiam illa aperiamus, ex quibus cujusdam modi existimabimur secundum mores, quæ erat secunda fides; ex iisdem enim et nos et alium fide dignum poterimus efficere propter virtutem.

Quoniam vero contingit et jocose et serio laudare sæpenumero, non solum hominem aut Deum, sed etiam inanimata et aliorum animalium quodlibet, eodem modo etiam de his sumendæ sunt propositiones. Itaque quodammodo exempli gratia dicamus etiam de his.

2. Ac honestum quidem est, quod cum per se eligendum sit, laudabile est, vel quod cum bonum sit, jucundum est, quia bonum. Quodsi hoc est honestum, necesse est ut virtus honesta sit. Bona enim cum sit, laudabilis est.

3. Virtus vero est facultas, ut videtur, quæ parat bona et quæ conservat, et facultas, quæ beneficia facit multa et magna et omnia in omnibus.

1. Ex dictis cap. III, num. 4, sicut finis generis deliberativi est, ut ostendat id, quod suadet ac dissuadet, esse utile vel perniciosum, ita finis generis demonstrativi est, ut ostendat id, quod laudat aut vituperat, esse honestum vel turpe; ergo sicut agentes de genere deliberativo, egimus de bono et utili, ac præmissis definitionibus boni et utilis proposuimus loca ac propositiones, quibus uti possimus ad ostendendum, aliquid esse bonum et utile, vel esse magis bonum ac magis utile; ita nunc de genere demonstrativo disserentes, debemus agere de honesto ac turpi, ac præmissis hoc capite definitionibus tum honesti ac turpis, tum virtutis ac vitii, necnon singularum virtutum ac vitiorum in particulari, debemus capitibus sequentibus proponere loca ad ostendendum, aliquid esse honestum aut turpe, ac magis vel minus honestum aut turpe. Hæc porro de virtutibus ac vitiis tractatio non solum est utilis ad laudandum et vituperandum, quæ duo spectant ad genus demonstrativum, sed etiam ad suadendum vel dissuadendum, quæ pertinent ad genus deliberativum. Cum enim ad persuadendum conferat, ut per orationem ostendamus nos probos ac fide dignos, per virtutes autem efficiamur probi ac fide digni; si virtutes perspectas habeamus, intelligemus, quo pacto tum nos tum alii probi ac fide digni efficiamur. Quia vero contingit, ut aliquando adhibito studio, aliquando vero nullo studio adhibito laudemus non solum homines, sed etiam Deum et quædam animalia, immo et res inanimatas, ideo ponendæ sunt propositiones et loca, ex quibus possimus studiose atque ex arte laudare vel vituperare. Ac primo quidem ponendæ sunt definitiones, per quas non exacte, sed ruditer ac veluti exemplariter honestum ac turpe, virtutes ac vitia describamus.

2. Honestum definitur dupliciter: primo definitur : *quod cum per se eligibile sit, laudabile est;* secundo definitur : *quod cum bonum sit, est jucundum, quia bonum.* Per hoc igitur honestum differt a jucundis, quæ non sunt honesta, quod hæc non sunt jucunda, quia bona simpliciter; at honestum, quia est bonum simpliciter, ideo est jucundum. Ex tradita definitione honesti infertur, virtutem esse honestam; nam cum bona sit, est etiam laudabilis.

3. Virtus definiri potest : *facultas, quæ parat bona et conservat*; vel : *facultas, quæ beneficia facit multa et magna et omnia in omnibus.* Sola igitur virtus parat et conservat, quæ sunt simpliciter bona; sola facit beneficia multa et simpliciter magna; sola demum præstat omnia in omnibus, cum facultates, quæ non sunt virtutes, parent et conservent bona *secundum quid* et parva et insufficientia.

4. Partes autem virtutis sunt justitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, mansuetudo, prudentia, sapientia. Necesse vero est maximas esse virtutes, quæ aliis utilissimæ sunt, siquidem est virtus facultas, quæ beneficia facit. Idcirco justos et fortes maxime honorant; hæc enim in bello, illa vero etiam in pace utilis est ipsis. Et liberales; nam effundunt et non certant de pecuniis, quas maxime appetunt alii.

5. Justitia est virtus, per quam quæ sunt sua singuli habent, et ut jubet lex. Injustitia, per quam aliena, non ut præcipit lex. Fortitudo, per quam actores sunt honestorum operum in periculis, et ut lex præcipit atque administri legis; timiditas contrarium. Temperantia est virtus, per quam ad voluptates corporis sic se habent, ut lex præcipit; intemperantia contrarium. Liberalitas, quæ in pecuniis benefacit, illiberalitas contrarium. Magnanimitas virtus magnorum effectrix beneficiorum, pusillanimitas contrarium. Magnificentia virtus in sumptibus magnitudinis effectrix, parvificentia contrarium. Prudentia est virtus rationis, per quam bene consultare possunt de bonis et malis, quæ dicta sunt pertinere ad felicitatem. Ac de virtute quidem et vitio in universum et de particulis dictum est, quod præsenti tempori satis sit.

4. Partes subjectivæ seu species virtutis sunt justitia, fortitudo, temperantia, magnificentia, magnanimitas, liberalitas, mansuetudo, prudentia, sapientia. Quia vero virtus est facultas beneficia faciens, necesse est illas virtutes esse maximas, quæ sunt utilissimæ. Ideo valde honorantur justi ac fortes; nam fortitudo maxime est utilis in bello, justitia vero maxime est utilis in pace; honorantur etiam libe-

rales, quia non contendunt de pecuniis, sed largiuntur eas, quas alii summopere cupiunt. Sed afferendæ sunt singularum virtutum ac contrariorum vitiorum definitiones.

5. Justitia est *virtus, per quam singuli habent, quæ sua sunt secundum legem ;* injustitia est : *per quam quis habet aliena et non secundum legem.* Fortitudo est : *per quam, qui illam habent, activi sunt honestorum operum in periculis, prout lex jubet, atque sunt administri legis ;* timiditas est contrarium, hoc est : *per quam in periculis sunt activi turpium et contra legem.* Temperantia est *virtus, per quam homines quoad voluptates corporis ita se habent, sicut lex præcipit ;* intemperantia est contrarium temperantiæ, *per quam nimirum homines indulgent voluptatibus corporis contra legem.* Liberalitas est *virtus benefactiva in pecuniis* ; avaritia est contrarium. Magnanimitas est : *virtus magnorum effectiva beneficiorum ;* pusillanimitas est contrarium. Magnificentia est *virtus in sumptibus magnitudinis effectiva ;* parvificentia est contrarium. Prudentia est *virtus rationis, per quam homines bene consultare possunt de bonis ac malis, quæ spectant ad felicitatem.* Hæc autem in præsentia de virtute ac vitio in universali, ac de singulis virtutibus ac vitiis in particulari dicta sufficiant, siquidem exactior de ipsis tractatio non spectat ad Rhetoricam, sed ad Moralem.

CAPUT IX — ART. II

DE LOCIS SEU PROPOSITIONIBUS, QUIBUS UTI POSSUMUS AD OSTENDENDUM, ALIQUID ESSE HONESTUM

6. De aliis vero non est difficile videre ; apparet enim necesse esse ut et ea quæ efficiunt virtutem, sint honesta, (referuntur enim ad virtutem), et quæ a virtute efficiuntur. Ejusmodi autem sunt signa virtutis et opera. Et quoniam signa et talia, quæ sunt boni opera vel perpessiones, honesta sunt, necesse est ut etiam quæcumque sunt fortitudinis opera, signa fortitudinis, vel fortiter gesta, honesta sint. Et justa et juste se habentia opera. Perpessiones vero minime ; in sola enim hac inter virtutes non semper quod juste se habet, honestum est, verum cum quis damnatur, turpius est, si id fiat juste, quam si injuste. Et de aliis virtutibus similiter.

7. Et in quibus præmia sunt honor, honesta sunt. Et in quibus honor magis quam pecuniæ.

8. Et quæcumque non sui causa agit aliquis ex iis quæ eligenda sunt.

9. Et simpliciter bona. Et quæcumque pro patria gesserit aliquis, negligens suum ipsius.

10. Et naturaliter bona.

11. Et quæ non ipsi bona ; ipsius enim causa talia sunt.

12. Et quæcumque mortuo contingit, ut adsint magis quam viventi ; id enim quod sui causa est, continent magis quæ sunt viventi

13 Et quæcumque opera aliorum sunt causa ; minus enim sui.

14. Et quæcumque bonæ actiones sunt erga alios, sed non erga se. Et erga eos qui benefecerunt, quia id justum est.

15 Et beneficia, quia non sunt erga ipsum.

6. Præmissis definitionibus honesti ac virtutis in communi necnon singularum virtutum in particulari, proponit Aristoteles loca seu propositiones, quibus uti possumus ad ostendendum, aliquid esse honestum. *Prima* ergo propositio seu locus est : quandoquidem virtus primo et principaliter est honesta, etiam quæ sunt effectiva virtutis, ex. gr., actus, qui vitutem generant, et quæ a virtute efficiuntur, sunt honesta. A virtute porro efficiuntur tum operationes virtutis tum virtutis signa ; signa vero virtutis sunt voluptas et dolor, per quas delectamur ac dolemus sicut oportet. Quia vero universim signa virtutis, et quæcumque sunt boni viri actiones aut passiones, honesta sunt, etiam signa et opera ac passiones virtutum particularium honesta sunt, ac proinde signa et opera fortitudinis, et quæ quis fortiter agit aut patitur, honesta sunt; signa etiam et opera justitiæ, ac quæ quis juste gerit, honesta sunt ; quæ tamen quis juste patitur, non sunt honesta. In sola enim justitia non semper, quod juste se habet, honestum est ; ex. gr., cum quis damnatur, turpius est, si damnetur juste, quam si damnetur injuste. Quod diximus de fortitudine, dicendum est etiam de aliis virtutibus.

7. *Secunda propositio* est : ea, quorum præmium est honor, honesta sunt ; honesta etiam sunt ea, quorum præmium est honor simul ac pecunia, sed magis honor. Ratio est, quia honor est præmium proprium virtutis atque ejus signum.

8. *Tertia propositio* est : ea, quæ, cum sint eligibilia, adhuc non sui, sed aliorum gratia quis gerit, honesta sunt ; ex. gr., honestum est benefacere amicis, non sui, sed ipsorum gratia.

9. *Quarta propositio* est : quæ, cum

simpliciter bona sint, pro patria vel pro civibus agit quis, contemnens proprium commodum, honesta sunt.

10. *Quinta propositio* est : quæ ex sua natura bona sunt, honestiora sunt iis, quæ habent bonitatem quamdam non naturalem; ex. gr., pulchritudo naturalis honestior est pulchritudine fucata.

11. *Sexta propositio* est : quæ non sunt bona agenti, honestiora sunt iis, quæ sunt agenti bona. Ratio est, quia unusquisque quæ bona sunt sibi, ut plurimum agit gratia sui; quæ vero non sunt bona sibi, agit gratia aliorum; sed honestius est agere gratia aliorum quam gratia sui : ergo honestiora sunt, quæ non sunt bona agenti, quam quæ bona sunt agenti.

12. *Septima propositio* est : quæ mortuo contingunt magis quam viventi, honestiora sunt; ex. gr., honores, qui decernuntur mortuis, honestiores sunt honoribus, qui decernuntur viventibus. Ratio est, quia ea, ex quibus quis consequitur præmia, dum vivit, magis videntur facta gratia proprii commodi, quam ea, ex quibus præmia consequitur solum post mortem.

13. *Octava propositio* est : quæ fiunt gratia aliorum sunt honestiora; minus enim fiunt gratia propriæ utilitatis.

14. *Nona propositio* est : prospere conficere aliena negotia, quæ ad nostram non referuntur utilitatem, honestius est, quam prospere conficere negotia propria; præcipue vero honestum est bene conficere negotia illorum, a quibus beneficia recepimus; id enim continet quamdam justitiam.

15. *Decima propositio* est : universim beneficia aliis collata honesta sunt; non enim ad propriam referuntur utilitatem.

16. Et contraria iis in quibus verecundantur; nam verecundantur, qui turpia et dicunt et faciunt et dicturi sunt et facturi, ut etiam Sappho cecinit, cum diceret Alcæus : « Volo aliquid loqui, sed me prohibet pudor »; « Si venisses in bonarum rerum desiderium aut honestarum, neque dicere lingua tentasset malum, pudor nequaquam occuparet oculos, sed loquereris de re justa ».

17. Et de quibus anguntur, cum minime metuant, quia in bonis, quæ ad gloriam referuntur, hoc modo afficiuntur.

18. Et qui natura sunt meliores, eorum virtutes honestiores et opera, ut viri quam mulieris.

19. Et quæ voluptariæ aliis magis quam ipsis; quamobrem justum et justitia honesta est.

20. Et inimicos ulcisci magis, et non reconciliari; nam par pari referri justum est, justum autem est honestum; ad fortitudinem vero pertinet non cedere.

21. Et victoria et honor inter honesta; nam eligenda sunt, etiamsi nullum fructum ferunt, et excellentiam virtutis declarant.

16. *Undecima propositio* est : honesta sunt ea, de quorum contrariis homines erubescunt. Ratio est, quia homines erubescunt de turpibus, non solum dum illa dicunt aut faciunt, sed etiam dum sunt illa dicturi vel facturi; sed contraria turpibus sunt honesta ac pulchra : ergo contraria iis, de quibus homines erubescunt, sunt honesta. Quod vero homines erubescant etiam cum turpia sunt dicturi vel facturi, confirmat Aristoteles exemplo. Cum enim Alcæus dixisset Sappho : *Volo tibi aliquid dicere, sed retinet pudor*, respondit Sappho : *Si venisses in bonarum et honestarum rerum desiderium, nec dicere lingua tentasset malum, pudor nequaquam occupasset oculos, sed sine ullo pudore justa locutus fuisses.*

17. *Duodecima propositio* est : ea, pro quibus decertant et anguntur homines non timidi, honesta sunt. Homines enim non timidi solent angi ac decertare pro iis, quæ gloriam afferunt; sed quæ gloriam afferunt, honesta sunt : ergo ea, de quibus homines non timidi solent decertare, honesta sunt.

18. *Decima tertia propositio* est : virtutes et opera eorum, qui natura meliores sunt, honestiora sunt; ex. gr., honestiores sunt virtutes et operationes virorum quam mulierum.

19. *Decima quarta propositio* est : quæ majorem afferunt jucunditatem aliis, quam habenti et exercenti, honesta sunt; ex. gr., justitia et justum etiam ex hoc capite sunt honesta, quia tum justitia tum justum majorem affert voluptatem aliis quam homini justo ac justa facienti.

20. *Decima quinta propositio* est : inimicos ulcisci ac non reconciliari cum ipsis honestius est, quam reconciliari. Ratio est, quia ultio inimicorum videtur continere actus justitiæ et fortitudinis; justitiæ quidem, quia par referre justum est; fortitudinis vero, quia non cedere ad fortitudinem spectat.

21. *Decima sexta propositio* est : victoria et honor inter honesta referuntur. Ratio est, quia quæ eligenda sunt, etiamsi nullam afferant utilitatem, atque excellentiam virtutis declarant, honesta sunt; sed victoria et honor eligenda sunt,

etiamsi nullam afferant utilitatem, et excellentiam virtutis declarant : ergo, etc.

22. Et memorabilia. Et quæ memoria digniora sunt, honestiora sunt. Et quæ non viventem sequuntur. Et quæ honor consequitur. Et quæ excellunt. Et quæ soli adsunt, honestiora sunt; valde enim memorabilia sunt.
23. Et possessiones non frugiferæ, quia liberaliores.
24. Et quæ singulorum sunt propria, honesta sunt.
25. Et quæcumque signa sunt eorum, quæ apud quosque laudantur, ut Lacedæmone comam alere honestum est; nam libertatis est signum; non enim est ei qui comam alit facile, ullum obire munus servile.
26. Et nullam exercere operosam artem, quia pertinet ad liberatem, nequaquam ad alterius arbitrium vivere.

22. *Decima septima propositio* est : memorabilia honesta sunt, memorabiliora autem honestiora; honesta sunt etiam ea bona, quæ hominem sequuntur post mortem; et quæ consequitur honor; et quæ habent quamdam excellentiam; et quæ soli adsunt honestiora sunt, quia valde sunt memorabilia.

23. *Decima octava propositio* est : possessiones non frugiferæ sunt honestiores frugiferis, quia sunt liberaliores, sicut frugiferæ sunt utiliores.

24. *Decima nona propositio* est : quæ propria sunt singulorum, laudabiliora sunt, adeoque etiam honestiora, quam quæ communia sunt aliis.

25. *Vigesima propositio* est : honesta sunt, quæ signa sunt eorum, quæ apud quosque laudantur; ex. gr. *comam alere* honestum erat apud Lacedæmones, quia erat signum libertatis, quæ apud Lacedæmones laudabatur. Ratio vero, cur comam alere signum erat libertatis est, quia non est facile, ut qui comam alit, servilibus ministeriis se exerceat, cum coma ministeriis servilibus afferat impedimentum.

26. *Vigesima prima propositio* est : honestum est nullam exercere artem operosam, per quam necesse sit, ut, qui illam exercet, præsto sit requirentibus ejus operam. Ratio est, quia spectat ad libertatem, nequaquam ad alterius arbitrium vivere.

CAPUT IX. — ART. III

DE ALIIS LOCIS, QUIBUS POSSUMUS UTI AD LAUDANDUM VEL VITUPERANDUM

27. Sumere vero oportet etiam ea quæ vicina sunt iis quæ adsunt, quasi eadem sint et ad laudem et ad vituperationem, ut cautum et animosum timidum et insidiosum, stolidum et bonum et indolentem lenem, et unumquodque ex consequentibus semper secundum id quod optimum est, ut iracundum et furiosum simplicem, et contumacem magnificum et grandem. Et qui sunt in exsuperationibus, perinde ac in virtutibus essent, ut audacem fortem et prodigum liberalem; nam et id videbitur multis, et simul paralogismi vim habebit ex causa. Si enim, ubi non est necesse, ad pericula paratus est, multo magis videbitur, ubi honestum sit; et si paratus est ad largiendum quibuslibet, etiam erit amicis; excellentia enim est virtutis omnibus benefacere.
28. Considerare etiam oportet, apud quos laus sit; quemadmodum enim Socrates dicebat, non est difficile, Athenienses apud Athenienses laudare. Quod autem apud quosque in honore est, dicendum est quasi adsit, ut apud Scythas aut Laconas aut Philosophos. Et omnino quod in honore est, reducendum est ad honestum, siquidem videtur esse vicinum.

27. Ad laudandum vel vituperandum possumus uti non solum propositionibus, quibus ostenditur aliquid vere esse honestum vel inhonestum, sed etiam aliis locis, qui valent ad causandam quamdam apparentiam honestatis vel inhonestatis. — *Primus* igitur locus est ex propinquis. Explicatur : non solum debemus laudi aut vituperationi vertere ea, quæ vere sunt honesta vel inhonesta, sed etiam propinqua, quasi sint eadem cum illis; ex. gr., quia cautelæ propinqua est timiditas, qui vituperat hominem cautum, vocabit illum timidum; quia animositati, per quam quis est fortis ad aggrediendum, affinis est audacia, per quam audacter ex insidiis aggreditur, qui vituperat hominem fortem, vocabit illum insidiatorem. E converso qui laudat hominem hebetis ingenii, vocabit illum bonum; hominem nimis insensatum in tolerandis injuriis, vocabit mansuetum; et universim ex iis, quæ quadam propinquitate se consequuntur, id unicuique tribuet, quod optimum est, ita ut eum, qui iracundus est ac furiosus et plus æquo liber, simplicem ac sincerum appellet; contumacem ac timidum magnificum dicat et grandem, et eos, qui peccant per excessum, laudet, acsi me-

dium virtutis tenerent, audaces celebrando ut fortes, prodigos ut liberales. Nam præterquam quod multis audaces videbuntur fortes, ac prodigi videbuntur liberales, poterit etiam fieri paralogismus ad id ostendendum per aliquam apparentem rationem. Cum enim audax paratus sit ad subeunda pericula, etiam cum nulla est necessitas aut honestas talia pericula subeundi, videtur multo magis subiturus pericula, cum honestum est pericula subire, quod est proprium fortis; et cum prodigus largiatur quibuslibet, etiam cum non oportet, multo magis videtur largiturus amicis et cum oportet, quod est proprium liberalis. Omnibus enim benefacere pecuniis, ut prodigi faciunt, videtur quidam excessus liberalitatis atque virtutis.

28. *Secundus locus* est ex iis, quæ in unaquaque regione sunt in honore. Licet enim apud aliquas civitates quædam sint in honore, quæ vere non sunt honesta, adhuc cum quis apud tales nationes laudatur, laudari debet ex iis, quasi vere essent honesta. Considerandum igitur est, apud quos laudetur quis. Debet enim laudari ex iis, quæ apud auditores in honore sunt, puta apud Athenienses laudandus est ex iis, quæ in honore sunt apud Athenienses; apud Scythas vel Lacedæmonios ex iis, quæ in honore sunt apud ipsos; apud Philosophos ex iis, quæ in honore sunt apud Philosophos, ideoque bene dicebat Socrates, non esse difficile laudare Athenienses apud Athenienses.

29. Et quæcumque prout convenit, ut si digna gessit majoribus et rebus ante gestis; ad felicitatem enim pertin et ethonestum est, adaugere honorem. Aut si præterquam convenit, in melius et honestius, ut si prospera fortuna utens moderatus sit, adversa autem magnanimus, aut cum major evaserit, melior sit et placabilior. Atque hujusmodi est illud Iphicratis « ex quibus in quæ ». Et illud Olympionicæ « prius quidem ambobus in humeris ferebam duram », etc. Et illud Simonidæ « quæque parentem habuit regem fratremque virumque ».

30. Et quoniam ex actionibus manat laus, et proprium probi est, quod fit ex præelectione, conandum est ostendere, actorem esse ex præelectione. Atque utile est, si sæpe appareat egisse. Quamobrem et quæ contingerunt casu fortuitoque, quasi ex præelectione sumenda sunt; nam si multa et similia proferantur, signum virtutis esse videbitur et præelectionis. Est autem laus oratio, quæ indicat magnitudinem virtutis; oportet ergo actiones demonstrare esse tales. Encomium vero operum est. At quæ circum sunt, ad fidem referuntur, ut nobilitas et educatio; verisimile enim est, ex bonis bonos esse et sic educatum talem esse. Itaque etiam encomio celebramus eos qui egerunt. Opera autem signa habitus sunt, quoniam laudaremus etiam qui non egisset, si crederemus esse talem. Beati vero effectio et felicis effectio inter se quidem eadem sunt; at cum his non eadem, verum quemadmodum felicitas virtutem, sic felicis effectio continet hæc.

29. *Tertius locus* est ex eo, quod quis se gesserit, ut decebat, vel præterquam decebat, in meliorem tamen atque honestiorem partem; ex. gr., si quis, cum esset nobilis et ante egregie se gesserit, de novo aliquid egregium fecerit, laudandus est ex eo, quod gesserit digna majoribus ac rebus antea gestis et prout decebat. Ad felicitatem enim spectat et honestum est, honorem a majoribus acceptum vel aliis factis acquisitum adaugere. Si quis autem in prospera fortuna sit moderatus, in adversa magnanimus, aut cum evaserit major, factus sit melior et placabilior, laudandus est ex eo, quod se gesserit præterquam convenire videbatur, sed meliorem in partem et præterquam plerique se gerere consueverunt. Ad hunc locum reduci potest illud Iphicratis relatum cap. VII, num. 38, qui cum ex patre natus sutore maximos honores obtinuisset, de se ipso dicebat : *ex quibus ad quæ?* Et illud Olympionicæ ibidem relatum : *Prius quidem ambobus humeris*, etc., et illud Simonidæ, laudantis quamdam mulierem, quæ cum tam prospera fortuna fuisset usa, ut ejus parens, frater et vir fuerint fratres regum, adhuc non sit facta insolentior.

30. *Quartus locus* est : quia laus ex actionibus manat, proprium autem est viri probi honesta agere ex electione, conandum est, ut ostendamus eum, quem laudamus, ex electione egisse res honestas. Ad ostendendum autem, quod ea etiam, quæ casu et fortuito contigerunt, ex electione patraverit, utile erit, si sæpe appareat similia egisse. Si enim multa ac similia afferantur, erunt signum virtutis atque electionis. Quia vero Aristoteles dixit, laudem ex actionibus manare, affert definitionem laudis, ex eaque id probat. Laus est *oratio indicans magnitudinem virtutis;* sed non potest indicari magnitudo virtutis, nisi ostendatur, actiones esse tales, ut non potuerint nisi ex magna virtute procedere : ergo qui laudat, debet ostendere, actiones fuisse valde honestas. Hoc autem est encomium, quod

proprie versatur circa actiones atque opera, et eorum honestatem ostendit. Quæ vero circumstant eum, qui laudatur, ex. gr., nobilitas et educatio, referuntur ad verisimiliter ostendendam virtutem ejus, qui laudatur. Verisimile enim est, virum nobilem, quique ex probis ac claris genitoribus sit ortus, probum esse atque a progenitoribus non degenerem ac virum bene educatum, virtute præditum evasisse. Ideo laudamus etiam eos, qui honesta patrarunt, quia opera sunt signa virtutis atque habitus, ac proinde etiam eum, qui honesta non egit, laudaremus, si censeremus illum habere habitum virtutis. Macarismus porro et eudæmonismus, hoc est illa prædicatio, per quam aliquos ut felices et beatos celebramus, inter se quidem non differunt, at differunt a propria laude, quæ tribuitur virtuti, sicut felicitas differt a virtute. Quemadmodum enim felicitas ita continet virtutem, ut sit aliquid virtute majus ac melius, ita illa prædicatio, per quam aliquem ut felicem celebramus, ita continet laudem, ut sit aliquid majus laude.

31. Habet autem communem formam laus et consilia; quæ enim consulendo præciperes, ea transposita dictione encomia fiunt. Quoniam igitur tenemus, quæ oportet agere et qualem esse, debemus ea tanquam præcepta proferentes dictione transponere et convertere, ut non oportere valde gloriari iis quæ a fortuna proficiscuntur, sed iis quæ propria sunt. Ac ita quidem dictum præcepti vim habet; sic vero laudis « valde glorians non iis quæ a fortuna dantur, sed propriis ». Quare cum laudare vis, vide, quid præciperes; et cum præcipere, vide, quid laudares. Dictio vero erit opposita ex necessitate, cum unum quidem prohibens, alterum vero non prohibens transponetur.

32. Utendum est autem etiam eorum quæ valent ad amplificandum multis, ut sit solus vel primus vel cum paucis vel hic maxime fecit; omnia enim hæc honesta sunt. Et quod ex temporibus et occasionibus; ea enim sunt præter id quod convenit. Et si sæpe idem recte egit; magnum enim et non a fortuna, sed proprium existimabitur. Et si, quæ suadent et honorant, propter hunc inventa sunt et parata, ut in quem primum encomium factum est, quod contingit Hippolocho; et Harmodio et Aristogitoni statuæ in foro fuerunt collocatæ. Similiter vero etiam in contrariis.

31. *Quintus locus* est ex consiliis. Explicatur : consilium et laus conveniunt in aliqua veluti specie communi, in quantum ea ipsa, quæ consulendo præciperes, mutata dictione encomia fiunt. Quoniam igitur ex iis, quæ de virtutibus dicta sunt, comperta habemus, quæ oporteat agere, qualemque oporteat esse virum probum, postquam illa per modum præcepti protulerimus, dictionem transponentes debemus in laudes convertere. Sicut enim si dixeris, non oportere valde gloriari iis, quæ a fortuna proficiscuntur, sed iis, quæ in nostra sunt potestate, præceptum est; sic si dixeris, valde gloriabatur non iis, quæ a fortuna proficiscuntur, sed iis, quæ in ejus potestate constituta erant, laus erit. Quare cum laudare vis, vide, quid præciperes; cum autem vis præcipere, vide, quid laudares. Dictio porro, qua præcipis, ex necessitate erit opposita dictioni, qua laudas; siquidem dictio prohibens mutatur in dictionem non prohibentem eo pacto, quo in exemplo allato, dum dicitur, non oportere gloriari, prohibetur gloriatio, etc.; dum vero dicitur, *non gloriabatur*, nihil prohibetur.

32. *Sextus locus* est ex iis, quæ ad res amplificandas atque augendas conferunt; ut si solus aut primus id gessit, aut paucos habuit facti socios, aut præcipuus inter eos, qui gesserunt, fuit. Omnia enim hæc sunt valde honesta ac dignitatis plena. Augetur etiam laus ex consideratione temporum et occasionum; ut si difficillimis temporibus, et cum nulla apparebat rei bene gerendæ occasio, egregia perpetravit. Videtur enim id pertinere ad locum laudis, qui desumitur ex eo, quod quis se gesserit, præterquam decebat, meliorem in partem, de quo loco dictum est num. 3. Laudi etiam tribuendum, quod sæpe idem recte gesserit. Videbitur enim id magnum ac non a fortuna, sed a virtute profectum. Ad laudem etiam pertinet, si ea, quæ valent ad incitandos homines ad virtutem, atque eos, qui recte se gesserunt, ornandos, propter ipsum fuerint primo inventa et instituta, eo pacto, quo Hippolochus omnium primus encomio fuit ornatus; Harmodio et Aristogitoni primis in foro statuæ sunt collocatæ. Sicut vero hæc omnia valent ad augendam laudem, sic valent ad augendam vituperationem laudi contrariam.

33. Et si non habes ex ipso copiam, cum aliis compara, ut Isocrates faciebat, quia consuetudinem non haberet dictionis judicialis. Oportet vero cum illustribus conferre; amplificandi enim id vim habet, et honestum est, si bonis melior sit. Ac cadit jure amplificatio in laudes; in excellentia enim consistit, et excellentia est honestorum. Quamobrem si non cum illustribus, at

cum aliis oportet comparare, siquidem excellentia videtur indicare virtutem.

34. Omnino autem ex iis formis, quæ communes sunt omnibus orationibus, amplificatio quidem aptior est ad demonstrativas; actiones enim confessas sumunt, ut reliquum sit magnitudinem adjungere et pulchritudinem. Exempla vero ad deliberativas; nam ex ante gestis futura conjicientes judicamus. At enthymemata ad judiciales; causam enim et demonstrationem recipit factum maxime, quia obscurum sit. Ac unde quidem laudes et vituperationes ducantur ferme omnes, et in quæ oporteat intuendo laudare et vituperare, et ex quibus encomia conficiantur et probra, hæc sunt; cognitis enim his, quæ sunt his contraria patent; vituperatio enim ex contrariis est.

33. *Septimus locus* est ex comparatione. Cum igitur in eo, quem laudas, non habes copiam rerum laude dignarum, ipsum cum aliis compara, ut Isocrates faciebat propter consuetudinem scribendi orationes declamatorias, in quibus præcipue comparationum est usus. Oportet vero eum, quem laudas, cum illustribus conferre. Comparatio enim cum illustribus magnum habet ad laudes augendas momentum, siquidem valde honestum est, quod ipsis viris valde probis melior fuerit. Universim igitur amplificatio, per quam ostenditur excellentia rei, est ad laudandum aptissima, siquidem excellentia recensetur inter honesta et laude digna, ideoque cum non possumus aliquem comparare ac præferre viris illustribus, saltem debemus cum aliis non illustribus comparare ac præferre; siquidem universim hoc, quod est *aliis excellere*, videtur indicare virtutem.

34. Addit Aristoteles, quod cum tres sint formæ communes tribus dicendi generibus, deliberativo nimirum, demonstrativo et judiciali, quæ formæ sunt amplificationes, exempla et enthymemata; amplificatio maxime accommodatur generi demonstrativo; exempla maxime accommodantur generi deliberativo; enthymemata maxime accommodantur generi judiciali. Ratio est, quia in genere demonstrativo actiones honestæ vel inhonestæ solent esse in confesso; ergo non tam opus est exemplis et enthymematibus ad illas probandas, quam amplificationibus ad addendum illis magnitudinem et honestatem. In deliberativis agitur de futuris; sed ex præteritis conjicimus futura : ergo in deliberativis præcipue utendum est exemplis. In judicialibus demum quæstio solet esse de aliquo præterito obscuro, de quo ambigitur, an sit factum necne; ergo præcipue per enthymemata ex verisimilibus ac signis probandum est, illud fuisse factum vel non fuisse factum. Explicatum est igitur, unde laudes et vituperationes ducantur fere omnes; ad quæ debeant laudantes vel vituperantes respicere, et ex quibus encomia conficiantur ac probra. Dictum siquidem est, quod laudes ac vituperationes ducuntur ex locis assignatis, laudantes ac vituperantes respicere debent ad honestatem atque inhonestatem, et quod encomia ac vituperationes fiunt ex actionibus rectis vel pravis. Neque vero fuit necesse, ut specialiter ageretur de vituperatione. Cum enim vituperatio sit contraria laudi, ducitur ex locis contrariis locis laudum. Jam agendum est de genere judiciali.

CAPUT X

QUID SIT INJURIA, ET QUAS OB CAUSAS INJURIÆ FIANT.

1. [10] De accusatione autem et defensione, ex quot et qualibus oporteat conficere syllogismos, consequens est dicere. Jam assumenda sunt tria, unum quarum et quot rerum causa injuria afficiant; alterum, quomodo ipsi affecti; tertium quales et quomodo se habentes. Cum definiverimus igitur, quid sit injuria afficere, cætera persequamur.

2. Sit ergo injuria afficere, nocere sponte contra legem. Lex vero est una propria, altera communis. Voco propriam, secundum quam scriptam civiliter agunt, communem, quæcumque non scripta apud omnes constare videntur. Sponte autem faciunt, quæcumque scientes et non coacti. Ac quæcumque quidem sponte, non omnia præeligentes, quæcumque vero præeligentes, sponte et scientes omnia; nemo enim quod præeligit ignorat. Causa autem, cur præeligant nocere et mala committere contra legem, vitium est atque incontinentia. Si qui enim improbitate laborent, aut una aut pluribus, in eo in quo improbi sunt, etiam injuriosi sunt, ut illiberalis in pecuniis, intemperans in corporis voluptatibus, mollis in desidia, timidus in periculis (eos enim qui simul periclitantur, deserunt propter metum), ambitiosus propter honorem, iracundus propter iram, studiosus victoriæ propter victoriam, amarus propter ultionem, imprudens, quia decipitur in justo et bono; similiter vero etiam ex aliis unusquisque in unaquaque ex subjectis rebus. Verum hæc manifesta sunt et erunt partim ex iis quæ de virtutibus dicta sunt, partim ex iis quæ de affectibus explicabuntur.

1. Cum jam egerimus de genere deliberativo et demonstrativo, sequitur, ut

agamus de genere judiciali; sed partes generis judicialis sunt accusatio et defensio : ergo agendum est de accusatione ac defensione, atque exponendum, ex quot ac quibus locis possint fieri syllogismi tum accusatorii tum defensorii; sed tum accusatio tum defensio versantur præcipue circa injurias; accusatio siquidem *est injuriarum delictorumque expositio coram judice facta;* defensio *est injuriarum ac delictorum, quæ in accusationem vel suspicionem venerint, dissolutio :* ergo præmittenda sunt aliqua de injuriis, ac proposita definitione injuriæ tria circa injurias sunt explicanda : primo quot et quorum causa homines injuriam faciant; secundo quo pacto homines affecti injuriam faciant; tertio quibus et quomodo affectis injuriam faciant. Hoc igitur capite præmissa definitione injuriæ, explicabimus, quas ob causas homines injurias faciant; quia vero concludetur, homines præcipue injuriam facere propter jucunda, cap. seq. XI, agemus de jucundis, capitibus deinde XII, et XIII, explicabimus, quo pacto homines affecti et quibus et qualiter affectis injuriam faciant.

2. *Injuria afficere* est *nocere alteri sponte et contra legem.* Lex duplex est, alia propria, alia communis. Lex propria est, *secundum quam, cum sit scripta, cives uniuscujusque civitatis vitam dirigunt, quæ vocatur etiam lex civilis.* Lex communis est, *quæ licet scripta non sit, adhuc ab omnibus gentibus consensu quodam recepta videtur,* quæ dicitur etiam lex naturalis et lex gentium. Sponte homines ac voluntarie faciunt, *quæcumque faciunt scientes et non coacti.* Spontaneum porro et voluntarium latius patet quam electio, siquidem licet omnia, quæ fiunt ex electione, fiant etiam sponte et voluntarie, adhuc non omnia, quæ fiunt sponte et voluntarie, fiunt ex electione, ut magis explicatum est lib. III. Ethic. cap. IV. Omnia, quæ homines faciunt ex electione, faciunt etiam scientes; nam nemo ignorat, quod eligit. Sed potest quæri, quænam sint ex parte hominis, quæ illum impellunt ad sponte nocendum et ad prava contra legem committenda. Respondet Aristoteles, quod homines ad sponte nocendum et ad prava committenda impelluntur a vitio et ab incontinentia. Probatur ex signo; videmus enim, quod qui uno vitio laborant aut pluribus, in eo vitio, in quo improbi sunt, solent etiam esse injuriosi; ergo vitium impellit homines ad faciendas injurias. — Probatur antecedens inductione; avarus enim injurias facit circa pecunias; intemperans circa voluptates; mollis in desidia; timidus in periculis, siquidem socios deserit propter metum; ambitiosus propter honorem; iracundus propter iram; contentiosus ac victoriæ cupidus propter victoriam; amarus propter ultionem; imprudens, quia decipitur in justo et bono; impudens propter contemptum famæ; et universim omnes circa eamdem materiam, circa quam sunt improbi, solent esse injuriosi; ergo homines a vitiis impelluntur ad sponte nocendum. Verum hæc possunt esse manifesta partim ex iis, quæ jam de virtutibus dicta sunt, partim ex iis, quæ de passionibus atque affectibus libro secundo dicentur.

3. Restat dicere, cujus rei causa et quomodo se habentes injuria afficiant, et quos. Ac primum quidem explicemus, quænam expetamus et qualia fugiamus, dum conamur injuria afficere. Manifestum enim est accusatori quidem, quot et qualia ex iis insint adversario, considerandum esse, quæ expetentes omnes injuria proximos afficiunt; defensori vero, qualia et quot ex his non insint.

4. Jam omnes agunt omnia partim quidem non per se, partim vero per se. Ac non per se quidem partim, per fortunam agunt, partim ex necessitate. Et ex necessitate partim vi partim natura. Quare omnia, quæcumque non per se agunt, aut sunt a fortuna aut natura aut vi. Quæcumque vero per se, quorum ipsi sunt causæ, alia sunt per consuetudinem, alia per appetitionem; et ex his alia per participem rationis appetitionem, alia per expertem rationis. Est autem voluntas cum ratione appetitio boni; nemo enim vult, nisi quod existimaverit esse bonum. Expertes vero rationis appetitiones sunt ira et cupiditas. Quare necesse est omnia, quæcumque agunt, propter septem causas esse, fortunam, vim, naturam, consuetudinem rationem, boni, iracundiam, cupiditatem.

3. Proposita et explicata definitione injuriæ superest, ut hoc capite explicemus, quas ob causas homines injurias faciant, capitibus deinde sequentibus explicaturi, quomodo se habentes injurias faciant et quibus faciant; sed manifestum est, quod aliquid expetentes vel fugientes injuria alios efficimus : ergo explicandum est, quænam expetamus aut fugiamus, dum conamur alios injuria afficere. Hæc autem tractatio erit utilis tum ad accusandum tum ad defendendum. Accusator siquidem ut verisimiliter ostendat, reum injuriam

fecisse, debet considerare, quot et qualia reo conveniant ex iis, propter quæ homines injuria proximum afficiunt. Defensor e converso, ut verisimiliter ostendat reum nullam injuriam intulisse, debet perpendere, quot et qualia reo non insint ex iis, propter quæ homines sunt injurii. Verum ut explicemus causas faciendi injurias, res est altius repetenda atque universim sunt considerandæ causæ, propter quas omnes omnia agunt.

4. Omnes omnia agunt vel per se vel non per se. Quæ agunt non per se, vel agunt ex fortuna vel ex necessitate. Quæ agunt ex necessitate, vel agunt ex vi seu violentia extrinsecus necessitante contra intrinsecam inclinationem, vel agunt ex natura et ex necessitate movente per intrinsecam inclinationem. Universim igitur tres sunt causæ agendi non *per se* : fortuna, violentia et natura. Quæ homines per se agunt, ita ut ipsi sint causæ agendi, vel agunt propter consuetudinem vel propter appetitum. Quæ agunt propter appetitum, vel agunt per appetitum rationalem, qui dicitur voluntas; est autem voluntas appetitio boni cum ratione; vel agunt perappe titum irrationalem, qui vocatur appetitus sensitivus. Quæ agunt per appetitum sensitivum, vel agunt propter iram vel propter concupiscentiam seu cupiditatem. Necesse est igitur, septem esse causas, propterquas homines omnia agunt : fortunam, vim seu violentiam, naturam, consuetudinem, voluntatem seu rationem, iracundiam, cupiditatem.

5. At dividere ex ætatibus vel habitibus vel aliis quibuscumque ea quæ aguntur, supervacaneum est. Si enim contingit juvenibus, ut iracundi sint vel cupidi, non propter ætatem agunt talia, sed propter iram et cupiditatem. Neque divites et pauperes propter divitias et paupertatem; sed contingit quidem pauperibus propter indigentiam cupere pecunias, divitibus vero propter licentiam cupere non necessarias voluptates. Verum agunt quoque isti non propter divitias et paupertatem, sed propter cupiditatem. Similiter vero etiam justi et injusti, et alii qui dicuntur ex habitibus agere, propter hæc omnia agunt; aut enim propter rationem boni aut propter affectum, sed partim propter mores et affectus bonos, partim propter contrarios. Contingit tamen ut his quidem habitibus talia sint consequentia, illis vero talia. Statim enim fortasse temperanti propter temperantiam et opiniones et cupiditates bonæ sunt consequentes de voluptatibus, at intemperanti contrariæ de his ipsis. Quamobrem hujusmodi divisiones omittendæ sunt. Considerandum vero est, quæ res quas soleant consequentes habere. Nam si albus sit aut niger, aut magnus aut parvus, nihil statutum est talium esse consequens; si vero juvenis aut senex sit, aut justus aut injustus, jam differt. Et omnino quæcumque ex contingentibus efficiunt, ut differant mores hominum, quemadmodum, divesne esse existimetur an pauper, differet aliquid, et adversane fortuna an prospera uti. Atque hæc quidem posterius dicemus; nunc vero de reliquis dicamus primum.

5. Aliqui, ut assignent causas agendi, distinguunt ætates vel conditiones vel habitus vel alia quædam. Sed hæc distinctio videtur supervacanea. Licet enim accidat juvenibus, ut sint iracundi vel cupidi, adhuc non agunt propter juventutem, sed propter cupiditatem vel iram. Similiter licet accidat sæpe, ut pauperes propter indigentiam sint cupidi pecuniarum, divites vero propter abundantiam sint cupidi voluptatum non necessariarum, adhuc non agunt propter divitias vel paupertatem, sed propter cupiditatem. Demum justi et injusti aliique, qui dicuntur agere propter habitus, agunt propter aliquam ex septem causis enumeratis, hoc est propter rationem vel propter affectum; et qui quidem boni sunt, ad agendum impelluntur a moribus et affectibus bonis; qui vero mali sunt, ad agendum impelluntur a moribus atque affectibus contrariis, hoc est malis ; ergo patet, causas immediatas agendi non esse ætates, conditiones vel habitus, sed septem a nobis enumeratas. Non tamen est negandum, ad ætates, conditiones et habitus, licet non sint causæ immediatæ agendi, consequi plerumque aliquas ex septem enumeratis causis agendi; ex. gr., eo ipso, quod aliquis sit temperans, ex habitu temperantiæ sequitur, ut circa voluptates habeat opiniones et cupiditates rectas, a quibus ad bene agendum impellatur; ex eo vero, quod sit intemperans, sequitur, ut circa voluptates habeat opiniones et cupiditates non rectas, a quibus impellatur ad male agendum; ideoque omissis divisionibus, per quas ætates, conditiones et habitus efferuntur ut causæ agendi, potius est considerandum, quænam ex septem enumeratis causis agendi ad varias ætates, conditiones, habitus et alia hujusmodi consequantur. Neque vero immorandum est in eorum consideratione, ex quibus nihil determinate consequitur ad mores pertinens, eo pacto, quo ex eo, quod aliquis sit albus vel niger, magnus aut parvus, nihil de-

terminate sequitur in genere moris; sed ea solum sunt consideranda, ex quibus ut plurimum aliquid sequitur in genere moris, quod sit causa agendi, eo pacto, quo ex eo, quod aliquis sit juvenis aut senex, justus vel injustus, dives aut pauper, fortunatus vel infortunatus, etc., certi mores ut plurimum sequuntur. Verum de moribus, qui sequuntur ad ætates, conditiones et alia hujusmodi, agemus inferius, lib. II; nunc incepta sunt perficienda, ac singulæ ex enumeratis causis agendi sunt explicandæ.

6. Fiunt a fortuna talia quorum causa indefinita, et quæ non gratia hujus fiunt, et non semper nec plerumque nec ordinate. Hæc autem manifesta sunt ex definitione fortunæ. Natura fiunt quorum causa in ipsis est, et ordinate; aut enim semper aut plerumque eodem modo eveniunt; quæ enim præter naturam sunt, non oportet exacte disputate utrum secundum naturam aliqua an ob aliam causam fiant. Videbitur vero etiam fortuna causa esse talium. Vi fiunt quæcumque propter cupiditatem vel rationes boni fiunt per ipsos agentes. Consuetudine fiunt quæcumque, quia sæpe fecerunt, faciunt. Propter rationem boni fiunt, quæ videntur utilia esse ex iis quæ dicta sunt, bonis, aut tanquam finis aut tanquam ad finem, quando propter utile aguntur. Nonnulla enim etiam intemperantes utilia agunt, verum non propter utile sed propter voluptatem. Propter excandescentiam et iram fiunt quæ pertinent ad ultionem. Differt tautem ultio a castigatione : nam castigatio patientis causa est, ultio efficientis, ut expleatur. Ac in quo quidem sit ira, manifestum erit in iis quæ de affectibus tradentur. Propter cupiditatem aguntur, quæcumque apparent jucunda. Quod vero ex assuefactione et consuetudine, inter jucunda ponitur; multa enim etiam eorum quæ natura non sunt jucunda, cum assueverint , jucunde faciunt.

6. *Prima* igitur agendi causa est fortuna. A fortuna fieri dicuntur, quorum causa est indefinita et indeterminata, et quæ non fiunt gratia finis neque semper neque plerumque neque ordinate, ut patere potest ex definitione fortunæ, quam tradidimus lib. II. Phys. t. 52. *Secunda* causa agendi est natura. A natura fiunt, quorum causa in ipsis est et est ordinata, siquidem aut semper aut plerumque eodem modo operatur. De iis vero, quæ aliquando præter naturam fiunt, cujusmodi sunt monstra, non est hic exacte disputandum, utrum fiant ab aliqua natura vel ab alia causa. Videtur enim etiam fortuna posse esse causa talium, ut monstrorum aliorumque similium. *Tertia* causa agendi est vis seu violentia. Per violentiam fiunt, quæcumque fiunt contra cupiditatem et voluntatem seu rationem eorum, per quos fiunt. *Quarta* causa agendi est consuetudo. Consuetudine fiunt, quæcumque homines ideo faciunt, quia sæpe fecerunt. *Quinta* causa agendi est ratio. Propter rationem fiunt, quæcumque ex bonis explicatis ideo fiunt, quia videntur esse agenda, vel quia sint bona finalia, vel quia sint bona utilia ad finem, cum ideo fiunt, quia videntur agenda. Hoc autem additum est, quia etiam intemperantes faciunt aliqua, quæ sunt facienda et tamen quia non ideo faciunt, quia sunt facienda, sed propter voluptatem; causa, cur faciant, non est ratio, sed cupiditas. *Sexta* causa agendi est ira. Propter excandescentiam et iram fiunt, quæ ad ultionem spectant. Differt autem ultio a castigatione in hoc, quod castigatio fit gratia illius, qui castigatur, ut scilicet peccare desinat; at ultio fit gratia ulciscentis, ut iram expleat. Circa quam vero materiam versetur ira, explicabitur lib. II., cum agetur de affectibus seu passionibus. *Septima* demum causa agendi est cupiditas seu concupiscentia. Propter concupiscentiam aguntur, quæ ideo fiunt, quia apparent jucunda. Porro non solum aliqua sunt jucunda propter naturam, sed etiam propter consuetudinem; siquidem multa, quæ ex natura sua non sunt jucunda, assuetis jucunda sunt, ideoque etiam ea, quæ fiunt ex consuetudine et assuefactione, inter jucunda recenseri debent.

7. Quare, ut breviter dicam, quæcumque per se agunt, omnia sunt aut bona aut quæ videntur bona, aut jucunda aut quæ videntur jucunda. Et quoniam quæcumque per se agunt, sponte agunt, aut non sponte, quæcumque non per se, omnia quæcunque sponte agunt erunt bona aut quæ videntur bona, aut jucunda aut quæ videntur incunda. Pono enim et malorum, et eorum quæ videntur mala, liberationem, aut pro majori minoris assumptionem, inter bona (eligenda enim quodammodo sunt), et molestorum, aut eorum quæ videntur, liberationem, aut assumptionem pro majoribus minorum, eodem modo inter jucunda.

8. Sumendum igitur est, utilia et jucunda quot sint et qualia. Ac de utili quidem in deliberativis dictum est prius, de jucundo autem dicamus nunc. Oportet vero existimare satis esse definitiones, si sint de unoquoque neque exatæ neque obscuræ.

7. Ex dictis Aristoteles infert, omnia quæcumque homines per se agunt, vel ideo agere, quia sunt bona aut apparent

bona vel ideo; quia sunt jucunda aut apparent jucunda. Probatur; omnes homines quæcumque per se agunt, ita ut ipsi sint sibi causa agendi, agunt sponte et voluntarie; quæ vero agunt non sponte, non agunt per se; sed quæcumque agunt sponte, vel agunt, quia sunt bona aut apparent bona, vel quia sunt jucunda aut apparent jucunda: ergo omnia, quæ homines agunt per se, vel ideo agunt, quia sunt bona, aut apparent bona, vel ideo, quia sunt jucunda aut apparent jucunda. Porro inter bona vera vel apparentia recensendæ sunt etiam depulsiones eorum, quæ sunt mala vel apparent mala, ut assumptiones minoris mali loco majoris; inter jucunda vero numerandæ sunt depulsiones eorum, quæ sunt molesta vel videntur molesta, ut assumptiones minus molesti loco magis molesti, siquidem minus malum ac minus molestum respectu majoris habet rationem boni et eligibilis.

8. Quia igitur omnia agunt homines vel propter bona et utilia, vel propter jucunda, etiam injurias faciunt propter aliquid ex his; ergo ut sciamus, propter quæ homines injurias faciant, considerare debemus, quot et qualia sint utilia vel jucunda; sed de utilibus disseruimus supra agentes de genere deliberativo; ergo nunc agendum est de solis jucundis, ac conandum, ut afferamus definitiones non obscuras neque omnino exactas, siquidem afferre definitiones omnino exactas, non pertinet ad Rhetoricam, sed ad scientias.

CAPUT XI

QUID SIT VOLUPTAS, ET QUÆNAM SINT JUCUNDA.

1. [11] Jam positum sit nobis voluptatem esse motionem quamdam animi et constitutionem subitam et sensibilem in statu naturæ convenienti, molestiam vero contrarium.

2. Si igitur est voluptas ejusmodi, constat etiam jucundum esse quod habet vim efficiendæ ejus quæ dicta est affetcionis; quod vero habet vim corrumpendæ vel contrariæ constitutionis efficiendæ, esse molestum.

1. Quia homines injurias faciunt propter jucunda, ut sciamus, propter quæ injurias faciunt. præmissa definitione voluptatis et jucundi, debemus explicare, quænam sint jucunda. Supponatur igitur nunc, voluptatem esse motum quemdam animi, et constitutionem subitam atque sensibilem in statu naturæ conveniente. Voluptas igitur imperfecta, de qua sola hic loquimur, *consistit in quodam transitu sensibili ad statum naturæ convenientem;* et quo hic transitus citius absolvitur, eo voluptas est major; ex. gr., voluptas cibi ac potus consistit in eo sensibili transitu, per quem natura ab indigentia alimenti transit sensibiliter ad hoc, ut amplius alimento non indigeat; et quia citius fit transitus per potum, ideo voluptas ex potu est major quam ex cibo. Hanc definitionem Aristoteles ipse examinat et corrigit lib. X. Ethic. cap. IV. Sed quia communiter admittebatur ab antiquis et ad Rhetoricæ institutum est sufficiens, ideo ipsa utitur in præsentia. Dolor voluptati contrarius *est motus animi et constitutio sensibilis in statu naturæ inconveniente.*

2. Ex traditis definitionibus voluptatis ac doloris potest inferri, quid sit jucundum ac molestum. Jucundum est, *quod est effectivum illius dispositionis, in qua dictum est, voluptatem consistere.* Molestum e converso est, *quod est corruptivum illius affectionis ac dispositionis, in qua voluptas consistit, vel est contrariæ affectionis ac dispositionis effectivum.*

3. Necesse igitur est jucundum esse, ad id quod est secundum naturam ire plerumque,

4. * et maxime cum assumpserint suam ipsorum naturam quæ secundum ipsam fiunt. Et consuetudines : etenim consuetum quasi natura insitum jam sit. Similis enim est consuetudo naturæ; nam vicinitatem habet quod sæpe fit, cum eo quod semper. Est autem natura quidem ejus quod semper fit, consuetudo vero ejus quod spæe.

5. Et non violentum; præterea naturam enim vis est. Quamobrem necessitates molestiam habent. Et recte dictum est « insuave est etenim fieri quodcumque necesse est ». curationes autem et studia et contentiones molestas esse. Necessaria enim et violenta hæc sunt, nisi assueverint; sic enim consuetudo affert jncunditatem. At contraria jucunda sunt. Quamobrem occasiones et cessationes a labore et non curantiæ et lusus et requietes et somnus inter jucunda sunt. nihil enim horum est ad necessitatem.

6 Et cujus cupiditas fuerit. id omne jucundum; nam cupiditas jucundi est appetitio. Cupiditatum autem aliæ quidem rationis expertes sunt, aliæ vero cum ratione. Voco rationis expertes, quas non ex eo quod existiment aliquid suscipiunt. Et sunt tales quæcumque dicuntur esse natura, ut quæ propter corpus insunt, ut alimenti, sitis et fames et in unaquaque specie alimenti cupiditas. et quæ cernuntur in

iis quæ gustatu percipiuntur, et in venereis, et omnino in iis quæ pertinent ad tactum, et in odoratu suavitatis et auditu et visu. Cum ratione vero, quascumque ex eo quod persuasi sunt concipiunt; multa enim et perspicere et possidere concupiscunt, cum audiverint et persuasi sint.

3. Sed jam explicandum est, quænam sint jucunda. *Primo* ergo necesse est, ut jucundum sit accedere ad id, quod est secundum naturam; cum vero res jam acceperit perfectionem suæ naturæ, quæ secundum ipsam fiunt sunt, jucundissima; ex. gr., quia secundum naturam hominis est ut discurrat, jucundum homini est discurrere, ac tum est jucundissimum, cum jam est perfectus secundum naturam discursivi.

4. *Secundo* jucunda sunt, quæ secundum consuetudinem fiunt. Ratio est, quia sicut natura facit, ut semper eodem modo operemur, ita consuetudo facit, ut sæpe eodem modo operemur; sed *sæpe* ac *semper* sunt propinqua, siquidem *sæpe* est *quasi semper:* ergo consuetudo est similis naturæ, et est quasi altera natura: ergo sicut quæ secundum naturam fiunt, sunt jucunda, ita quæ fiunt secundum consuetudinem, sunt jucunda.

5. *Tertio* jucunda sunt, quæ non sunt violenta. Ratio est, quia illud est jucundum, cujus contrarium est molestum; sed violentum, cum sit contra naturam, est molestum : ergo non violenta sunt jucunda. Quia vero extrinsecæ necessitates sunt violentæ, sunt etiam molestæ ac tristes, ideoque bene dictum est :

Insuave est etenim fieri quodcumque necesse est.

Quia rursus sedulitas, per quam magna diligentia quidquam tractatur, studia ac contentiones, includunt quamdam necessitatem et violentiam, ideo sunt tristia et molesta, nisi quis assueverit. Consuetudine enim sicut fiunt quodammodo naturalia, ita redduntur jucunda. Ex opposita ratione contraria his jucunda sunt, ideoque inter jucunda recensentur socordia, laboris detrectatio, non curantia, lusus, quies, somnus et alia hujusmodi, per quæ quis nullam sibi ipsi violentiam aut necessitatem infert.

6. *Quarto* jucunda sunt, quorum nobis cupiditas inest. Ratio est, quia cupiditas est desiderium jucundi. Porro cupiditatum aliæ sunt irrationales, aliæ cum ratione. Cupiditates irrationales voco, *per quas non ideo concupiscimus res, quia per rationem opinamur, illas esse nobis convenientes.* Tales sunt eæ cupiditates, quas naturales vocamus, ut quæ corpus delectant; ex. gr., fames ac sitis alimenti in genere et etiam cupiditas hujus vel illius alimenti secundum speciem, et quæ spectant ad gustum, et quæ ad venerea atque universim tangibilia, et quæ spectant ad odoratum, quo percipimus suaves odores, et quæ ad auditum et gustum. Cupiditates rationales sunt, *per quas aliqua appetimus propter persuasionem, qua opinamur, illa esse nobis convenientia.* Multa enim, ut aurum, argentum, etc., appetimus videre ac possidere, non ex instinctu naturæ, sed quia audivimus ac persuasi sumus, illa esse nobis convenientia.

7. Quoniam vero posita est jucunditatis perceptio in sentienda aliqua affectione, et phantasia est sensus quidam debilis, et ei qui recordatur quique sperat, consequens est phantasia quædam ejus rei, cujus meminit aut spem habet. Si hoc ita est, patet, etiam voluptates inesse vehementes iis, qui recordantur et sperant, siquidem inest quoque sensus. Quare necesse est, omnia jucunda aut in sensu consistere præsentium, aut in memoria etiam præteritorum, aut in spe futurorum; sentiunt enim præsentia, recordantur præterita, sperant futura. Ac quæ quidem memoria custodiuntur, jucunda sunt non solum, quæ tunc cum aderant, jucunda erant, sed nonulla etiam non jucunda, si præterea eveniat quidpiam honestum et bonum. Unde illud dictum est :

Verum delectat salvum meminisse laborum.

Et illud :

Nam delectatur, memor est quicumque laborum,
Cum res est multas passus multasque peregit.

Atque hujus rei causa est, quia jucundum est etiam non habere malum. Ex iis vero quæ in spe sunt, quæcumque præsentia aut oblectare aut juvare videntur multum aut sine molestia juvare. Omnino quæcumque præsentes oblectant, etiam oblectant sperantes et recordantes plerumque.

8. Quamobrem et irasci jucundum est, ut Homerus cecinit de excandescentia, « quæ melle effuso longe est dulcior » : Nemo enim irascitur ei, qui vindicari non posse videatur. Iis vero a quibus multum superantur potentia, aut non irascuntur aut minus.

7. *Quinto* quia in sentiendis quibusdam affectionibus voluptas inest, actus autem phantasiæ est quædam debilis sensatio eorum, quæ imaginamur; qui autem recordatur aut sperat, consequenter habet quamdam imaginationem ejus, quod recordatur et sperat: a primo ad ultimum sequitur, magnas voluptates inesse recordantibus ac sperantibus, siquidem in-

est ipsis quædam sensatio eorum, quorum memoriam habent ac sperant : ergo necesse est etiam, ut omnia jucunda delectationem afferant vel ex eo, quod illa sentimus ut præsentia, vel ex eo, quod illa recordamur ut præterita, vel ex eo, quod illa speramus ut futura. Sicut enim sentimus præsentia, sic recordamur præterita et speramus futura. Addit Aristoteles, quod non solum per sui memoriam delectant ea, quæ jucunda fuerunt, cum erant præsentia, sed etiam aliqua, quæ, cum erant præsentia, non fuerunt nobis jucunda, si aliquod ex ipsis honestum aut bonum fuerimus consecuti. Ideo bene dixit Euripides :

Unde et delectat salvum meminisse laborum.

Et Homerus lib. XV, Odyss. cecinit :

Nam delectatur, memor et quicumque laborum,
Cum res est multas passus multasque peregit.

Ratio autem hujus est, quia etiam carere malis jucundum est; ergo non est mirum, si jucunda sit nobis memoria præteritorum malorum, ex quibus jam evasimus. Ex iis, quæ spe percipimus, ea delectant, quæ videntur, cum sunt præsentia, aut delectare aut multum prodesse aut sine molestia prodesse. Universim vero eorum, quorum præsentia est jucunda, ut plurimum memoria etiam et spes delectationem affert.

8. *Sexto* quia ex dictis spes est jucunda, etiam ira est jucunda, siquidem includit spem ultionis. Idcirco Homerus de ira cecinit : « *Quæ melle effuso longe est dulcior* ». Quia vero nemo sperat ulcisci, cum ultio apparet impossibilis, ideo nemo irascitur, cum ultio apparet impossibilis. Quia rursus nihil aut parum speramus, nos ulturos eorum, qui sunt multo potentiores nobis, ideo vel illis non irascimur vel parum irascimur.

9. Et plurimas cupiditates consequitur quædam voluptas; aut enim dum recordantur, quomodo potirentur, aut dum sperant fore, ut potiantur, perfunduntur quadam voluptate ; ut qui in febribus habent sitim, et dum recordantur, quomodo biberint, et dum sperant se bibituros, gaudent ; et qui amant, cum colloquuntur et scribunt et canunt semper aliquid de re illa, quam amant, gaudent. In omnibus enim his talibus, dum recordantur, quodammodo se sentire arbitrantur rem amatam. Et principium amoris fit hoc omnibus, quando non solum præsenti gaudent, sed etiam absentem in memoriam revocantes amant. Quamobrem et cum quis molestia efficitur, quod non adsit, et in luctibus et lamentationibns exoritur quædam voluptas. Nam molestia est in eo quod non adsit, voluptas vero in eo quod recordetur et videat quodammodo illum, et quæ ageret, et qualis esset. Quare etiam id dictum est :

Sic ait, et cunctis lacrimarum accendit amorem.

10. Et ulcisci jucundum est; quod enim si non consequamur, molestum est, id si consequamur, jucundum est. Qui vero irascuntur molestiam habent incredibilem, nisi ulciscantur, sperantes autem gaudent.

9. *Septimo* plerasque cupiditates sequitur quædam voluptas. Qui enim aliquid concupiscunt, delectatione quadam afficiuntur tum recordantes, quo pacto aliquando eo sint potiti, tum sperantes, se potituros. Explicatur exemplis. Primum exemplum est eorum, qui febri laborantes sitiunt. Recordantes enim, quod aliquando biberint, et sperantes se bibituros, gaudent. Secundum exemplum est amantium, qui cum de amatis loquuntur vel scribunt vel aliquid faciunt ad ipsos spectans, non mediocriter delectantur. Ratio est, quia in omnibus his, dum eorum, quos diligunt, recordantur, putant, se quodammodo illos sentire ut præsentes; talis autem præsentia illis accidit jucunda. Omnibus igitur illud est principium amoris, cum non solum præsenti gaudent, sed etiam absentem in memoriam revocantes amant. Hinc oritur, ut cum quis dolore afficitur, quod amicus non adsit, etiam in luctibus ac lamentationibus quædam voluptas exoriatur ex eo, quod amicus non adsit; voluptas vero ex eo, quod per memoriam habet eum, quem diligit, quodammodo præsentem ac quasi illum videt, et quæ gerit ac qualis sit, intuetur, ideoque Homerus cum induxisset Achillem narrantem visum sibi in somnis Patroclum, dicit :

Sic ait et cunctis lacrymarum accendit amorem.

Sicut enim Græci memoria Patrocli delectabantur, sic ejus absentiam dolebant atque in lacrymas erumpebant.

10. *Octavo* ulcisci jucundum est. Ratio est, quia jucundum est, consequi id, quod non consequi est molestum; sed irati vehementissime dolent, nisi ulciscantur, sperantes autem, se ultionem sumpturos lætantur : ergo vehementer lætantur, dum ultionem sumunt, adeoque ultio accidit illis valde jucunda.

11. Et vincere jucundum est non solum studiosis victoriæ, sed etiam omnibus; phantasia enim excellentiæ gignitur, cujus omnes habent

cupiditatem aut remissius aut vehementius. Et quoniam vincere jucundum est, necesse est etiam ludos jucundos esse, qui pertinent ad pugnas et ad tibias et ad disputationes (sæpe enim in ipsis accidit vincere) et ludos talorum et pilæ et aleæ et tesserarum. Et de seriis ludis similiter; alii enim jucundi efficiuntur, si quis sit assuefactus; alii statim jucundi sunt, ut venatio et tota ferarum insectatio. Ubi enim certamen est, ibi etiam victoria est. Quare et judicialis et contentiosa disputatio jucunda est iis, qui assuefacti sint et potentes sint.

11. *Nono* victoria delectationem affert, non solum contentiosis atque iis, qui sunt victoriæ amantes, sed etiam aliis. Ratio est, quia ex victoria oritur quædam phantasia excellentiæ, quam omnes cupiunt vel intense vel remisse. Quia vero jucundum est vincere, necesse est etiam illos ludos jucundos esse, qui spectant ad pugnas vel tybias vel ad contentiones (sæpe enim in iis accidit vincere); ludos etiam talorum et pilæ et aleæ et tesserarum. Ex ludis etiam seriis alii jucundi fiunt assuetudine, alii vero jucundi sunt etiam ante omnem assuetudinem, ut venatio et omnis ferarum insectatio. Ubi enim certamen est, ibi etiam est victoria, ideoque etiam judicialis ac contentiosa disputatio jucunda est iis, qui propter assuetudinem jam acquisiverunt facultatem in judiciis atque in disputationibus decertandi.

12. Et honor et gloria est inter jucundissima, quia oritur phantasia cuique, se talem esse et probum. Idque magis, cum id affirmant illi, quos existimat vera dicere. Tales autem sunt vicini magis quam longinqui, et familiares et noti et cives quam externi, et præsentes quam futuri, et prudentes quam imprudentes, et multi quam pauci; verisimilius enim est, vera dicere eos, qui commemorati sunt quam contrarios, quoniam illorum quos aliquis valde contemnit, ut puerorum aut beluarum, non curat honorem aut existimationem, ipsius scilicet existimationis gratia; sin autem, propter aliud aliquid.

13. Et amicus est inter jucunda; nam et amare jucundum est, quia nemo amans vini est, qui non gaudeat vino, et amari jucundum. Phantasia enim etiam ibi est, adesse sibi bonum, quod omnes cupiunt, qui sensum habeant. Amari vero est carum esse ipsum per se.

14. Et suspici jucundum est, quia ea in re honor adhibetur.

15. Et adulatione permulceri et adulator res jucunda est; videtur enim admirator, et videtur amicus, qui adulator est.

12. *Decimo* honor et gloria inter jucundissima sunt recensenda. Ratio est, quia cum honor et gloria sint signa virtutis, qui videt se honorari, imaginatur, se esse honore dignum, adeoque probum; sed hæc imaginatio summam affert voluptatem : ergo honor et gloria summam afferunt voluptatem. Porro honor, quo suam alii de nostra virtute opinionem testantur, tanto est nobis jucundior, quanto magis existimamus, illos per hanc opinionem a veritate non aberrare, et quia verisimilius est, in hac opinione non aberrare vicinos quam longinquos, familiares, notos et cives quam externos, præsentes quam futuros, prudentes quam imprudentes, multos quam paucos, ideo jucundius est honorari a vicinis quam a longinquis, a familiaribus, notis et civibus quam ab externis, a præsentibus quam a futuris, a prudentibus quam ab imprudentibus, a multis demum quam a paucis. Honorem autem nobis exhibitum ab iis, quos valde contemnimus, puta a pueris vel belluis, nihili facimus ipsius honoris et existimationis gratia, sed solum aliquando habemus in pretio propter aliquod aliud emolumentum, quod ex tali honore speramus nos consecuturos.

13. *Undecimo* amicus quoque est inter jucunda. Ratio est, quia tum amare tum amari jucunda sunt; sed amicum ita amamus, ut censeamus nos ab illo redamari : ergo, etc. Probatur prima pars majoris, quod nimirum amare sit jucundum; nemo enim amat id, quo non delectatur; ex. gr., nemo amat vinum, qui non delectetur vino; ergo nemo amat amicum, qui non delectetur amico, adeoque amor habet adjunctam delectationem. Probatur jam secunda pars minoris, quod nimirum etiam amari sit jucundum; cum enim amari sit, *carum alicui esse propter se et propter suam bonitatem*, qui videt se amari, imaginatur, sibi adesse bonitatem, propter quam sit amabilis; sed hæc imaginatio est jucunda, siquidem omnes, qui sensum habent, cupiunt sibi adesse bonitatem, propter quam sint amabiles : ergo etiam amari est jucundum.

14. *Duodecimo* in admiratione esse ac suspici, jucundum est, quia per admirationem exhibetur honor, hoc est signum virtutis excellentis.

15. *Decimo tertio* tum adulator tum ipsa adulatio voluptatem afferunt. Ratio est, quia adulator videtur amicus et admirator; sed ex jam dictis tum amari tum suspici jucunda sunt : ergo etiam adulator est jucundus.

16. Et eadem agere sæpe jucundum est; consuetum enim jucundum erat.

17. Et permutare jucundum est; naturæ enim accommodatum est permutare. Nam idem semper exsuperantiam efficit constituti habitus; unde dictum est: « permutatio omnium dulcis ». Ob id enim etiam ea quæ temporis spatio fiunt jucunda sunt, tum homines tum res; permutatio enim ex præsenti est. Simul vero etiam rarum est, quod fit temporis spatio.

18. Et discere et admirari jucundum est plerumque; nam in admiratione cupiditas est, quare admirabile excitat cupiditatem. At in discendo in eum, qui naturalis est, statum erigimur.

19. Et benefacere et beneficium accipere est inter jucunda; nam beneficium accipere est consequi ea quæ cupiunt, at benefacere est habere et excellere, quæ ambo appetunt. Et quoniam jucundum est quod valet ad benefaciendum, corrigere jucundum hominibus est proximos. Et inchoata perficere.

16. *Decimo quarto* eadem sæpius agere jucundum est. Ratio est, quia ex dictis num. 4, consuetum est jucundum; sed quæ sæpius agimus, sunt consueta : ergo sunt jucunda.

17. *Decimo quinto* permutatio est jucunda. Ratio est, quia redire ad naturalem constitutionem est jucundum; sed per mutationem redimus ad naturalem constitutionem : ergo mutatio est jucunda. Probatur minor : nam hoc, quod est *in eodem permanere,* nimis auget habitus ac tandem satietatem affert; ergo per mutationem redimus ad naturalem statum. Bene igitur dictum est apud Euripidem : *omnium rerum mutatio dulcis.* Hinc oritur, ut res, quæ per intervalla fiunt, et homines, qui per intervalla visuntur, afferant quamdam voluptatem. Cum enim hæc suis temporibus recurrunt, mutatio quædam fit a statu præsenti, et quia rarius iis fruimur, delectabiliora sunt.

18. *Decimo sexto* discere et admirari jucunda sunt. Ratio est, quia admirabile excitat quamdam cupiditatem sciendi ipsum; ergo admiratio includit cupiditatem discendi; sed cupiditatem plerumque sequitur aliqua voluptas, ut dictum est num. 9 : ergo admiratio affert voluptatem atque est jucunda. Jucundum est etiam addiscere, iquidem discendo transimus ab ignorantia ad scientiam, quæ est secundum naturam humanam, siquidem omnes homines naturaliter scire desiderant, ut dicitur initio Metaphysicorum.

19. *Decimo septimo* tum beneficia conferre tum beneficiis affici, jucundum est. Ratio est, quia cum beneficiis afficimur, consequimur ea, quæ optamus; sed jucundum est, consequi quæ optamus : ergo, etc. At beneficia conferendo ostendimus, nos possidere bona et eorum possessione excellere aliis, quibus beneficia conferimus; sed jucundum est, tum possidere bona tum aliis excellere, ideoque utrumque appetunt homines : ergo beneficia conferre jucundum est. Quia vero jucundum est, beneficia conferre, jucundum est etiam, peccantes corrigere atque id, in quo alii defecerunt, perficere, siquidem hoc quoque beneficium est.

20. Et quoniam tum discere jucundum est tum admirari, etiam talia necesse est, ut jucunda sint, quod imitatione expressum est, ut pictura et statuaria et poetica, et quidquid est imitatione expressum, etiamsi non sit jucundum id, cujus imitatio est. Non enim ea in re gaudet, sed ratiocinatio est, hoc esse illud; quare discere aliquid contingit. Et rerum circumvolutationes, et vix servari ex periculis; omnia enim admirabilia hæc sunt.

21. Et quoniam quod est secundum naturam jucundum est, et quæ cognata sunt, secundum naturam invicem sunt omnia cognata, et similia jucunda sunt plerumque, ut homo homini et equus equo et juvenis juveni. Unde etiam proverbia prolata sunt, quod æqualis æqualem delectat, et quod semper simili amicum et simile, et cognovit fera feram, et semper graculus cum graculo, et quæcumque alia hujusmodi.

20. *Decimo octavo* quia tum discere tum admirari tum cætera hujusmodi jucunda sunt, necesse est, ut omnia imitativa, ex. gr., pictura, statuaria et poetica jucunda sint, et id, quod bene imitatione est expressum, afferat jucunditatem, etiamsi id, quod exprimitur, non sit jucundum. Ratio est, quia licet non delectemur re expressa, adhuc delectamur ratiocinatione, qua ex eo, quod alterum imitatur, cognoscimus, quid sit id, quod exprimitur, adeoque addiscimus aliquid. Peripetiæ etiam, hoc est subitæ in contraria mutationes atque ex periculis evadere, cum pene hominem oppresserint, jucunda sunt, quia admirabilia, ideoque hæc studio præcipuo poetæ debent imitari.

21. *Decimo nono* quia, quæ sunt secundum naturam, jucunda sunt, homogenea autem sunt secundum naturam, ideo plerumque unumquodque delectatur homogeneis ac similibus; ex. gr., homo delectatur homine, equus equo, juvenis juvene, etc. Hinc orta sunt proverbia,

quibus dicitur, quod æqualis delectat æqualem; quod semper simili amicum est simile; quod fera cognoscit feram; quod semper graculus cum graculo, et alia hujusmodi.

22. Et quoniam simile et cognatum jucundum est sibi ipsi omne, et maxime ipse erga se ipsum quisque sic affectus est, necesse est, omnes sui amantes esse aut magis aut minus; omnia enim talia sunt erga se maxime. Et quoniam sui amantes omnes sunt, etiam quæ sua sunt necesse est, jucunda esse omnibus, ut opera, orationes. Quamobrem amantes sunt assentatorum plerumque et amatorum et honorum et liberorum; ipsorum enim opera liberi sunt. Et inchoata perficere jucundum est; ipsorum enim opus jam fit.

23. Et quoniam principem esse jucundissimum est, etiam sapientem videri esse jucundum est; ad principatum enim pertinet sapere, est autem sapientia rerum multarum et admirabilium scientia.

24. Præterea vero, quoniam amantes honoris sunt plerumque, necesse est et principem esse et increpare proximos jucundum esse.

25. Et in quo optimus videtur esse ipse sibi, ibi versari, ut Euripides ait : « nam quisque ad id frequens adest, magnamque in illo temporis partem terit, evadat ipse semet ut præstantior ».

26. Similiter vero etiam, quoniam ludus est inter jucunda et omnis remissio animi, et risus inter jucunda, necesse est etiam ridicula jucunda esse, et homines et orationes et opera. Disputatum autem est de ridiculis separatim in iis quæ sunt de Poetica. Ac de jucundis quidem dicta hæc sint, molesta autem ex contrariis patent. Ac quorum quidem causa injuria afficiunt, hæc sunt.

22. *Vigesimo* quia unicuique jucundum est id, quod est ipsi simile ac cognatum, unusquisque vero maximam habet cum se ipso affinitatem et cognationem, necesse est, ut omnes delectentur se ipsis ac sint amatores sui magis aut minus. Quia vero omnes se ipsos amant, ideo suis etiam rebus delectantur, puta suis operibus, suis orationibus, etc. Hinc oritur, ut plerique ament adulatores. Sicut enim amant se ipsos ac res suas, ita etiam amant eos, qui ipsos ac res eorum admirantur vel simulant, se admirari, quales sunt adulatores. Ex eadem etiam ratione oritur, ut plerumque homines diligant amatores et appetant honorari ac magno amore prosequantur filios, quos ut opera sua contemplantur. Delectatur etiam unusquisque, dum quæ alter imperfecta reliquit, perficit, quia jam per hoc id suum opus videtur evasisse.

23. *Vigesimo primo* quia jucundum est principem inter alios esse, jucundum est etiam videri sapientem, siquidem sapientes principatum quemdam inter imperitos tenent. Est autem sapientia rerum multarum et admirabilium scientia.

24. *Vigesimo secundo:* quia plerumque homines cupidi sunt honoris, ideo jucundum ipsis est, proximos atque alios quoscumque arguere; videntur enim sibi per hoc in honore esse.

25. *Vigesimo tertio* jucundum est versari in eo, in quo quis existimat, se esse meliorem se ipso, ita ut in nulla alia re tantum valeat, ideoque bene Euripides dixit : Singuli se ostentant ac majorem diei partem consumunt in iis, in quibus ipsi se ipsis præstantiores sunt, ut semetipsos in iis tractandis vincant.

26. *Vigesimo quarto* et ultimo quia ex dictis tum ludus tum omnis animi remissio atque omnis risus inter jucunda recensentur, necesse est etiam omnia ridicula jucunda esse, adeoque ridiculos homines, ridiculas orationes atque opera ridicula quamdam voluptatem afferre. De ridiculis porro in Poetica agetur ex professo. Et hæc de jucundis dicta sufficiant, ex quibus patere etiam potest, quid sit dicendum de molestis, quæ sunt contraria jucundis. Quia vero homines injurias faciunt propter jucunda, explicatæ satis sunt causæ, propter quas homines injurias faciunt.

CAPUT XII — ART. I.

QUINAM ET QUOMODO AFFECTI INJURIAS FACIANT.

1. [12] Quomodo autem se habentes et quos, dicamus nunc. Ac ipsi quidem, cum arbitrantur fieri posse ut res agatur, et fieri posse, ut a se, et si se latituros, cum egerint, aut si non latuerint, se non daturos pœnam, aut daturos quidem, sed minus damnum esse quam lucrum sibi ipsis aut iis quorum curam habent. Ac quæ quidem fieri posse videantur et quæ non posse, posterius explicabitur; communia enim partibus Rhetoricæ sunt hæc omnibus.

2. Ipsi vero arbitrantur, se posse maxime sine damno injuria afficere, qui dicendo valent et agendo et experientia multarum contentionum, et si eis multi amici sint, et si divites. Et maxime quidem si ipsi valeant in iis quæ dicta sunt, arbitrantur potentiam se habere; sin minus, si sint tales ipsis amici aut ministri aut so-

cii, quia his freti possunt et agere et latere et non dare pœnam.

3. Et si amici sint iis qui injuriam patiuntur, aut judicibus; nam amici parum cauti sunt ad injuriam patiendam et reconciliantur priusquam judicium persequantur, judices vero gratificantur iis quibus amici sint, et omnino absolvunt aut parvis pœnis afficiunt.

1. Propositis causis, propter quas homines injurias faciunt, sequitur, ut hoc et sequenti capite explicemus, quinam et quomodo affecti et quibus injurias faciant. — *Primo* tum homines solent injurias aliis facere, cum arbitrantur fieri posse, ut res conficiatur, et ut ab ipsis conficiatur, præsertim si sperent se latituros, aut etiamsi non latuerint, pœnas non daturos aut daturos quidem, sed ita, ut minorem ex pœna damnum patiantur, quam ex injuria lucrum acceperint aut ipsimet aut ii, quorum causa ad ipsos spectat. Porro loca ad ostendendum, quid fieri possit vel non possit, quia non sunt propria generis judicialis, sed sunt communia omnibus tribus generibus, tradentur inferius lib. II, cap. II, adeoque nunc solum est explicandum, quinam arbitrentur posse se inferre aliis injurias sine proprio damno, et quinam putent se latituros.

2. *Secundo* igitur ii arbitrantur se posse absque proprio damno injuriam aliis inferre, qui sunt potentes sermone vel opere et qui experientiam habent, eo quod in pluribus certaminibus sint versati, et qui abundant amicis vel divitiis. Porro ii, qui ipsimet sunt potentes opere vel sermone, putant se per se ipsos posse damnum effugere; ii vero, quibus hæc potentia adest per amicos aut per ministros vel socios, putant se horum auxilio posse injurias facere et latere ac pœnas non dare.

3. *Tertio* etiam ii, qui sunt amici vel injuriam patientibus vel judicibus, putant se posse damnum effugere. Ratio est, quia facile est amicis injuriam inferre, quia non cavent, et injuria illata facile est vitare pœnam ac damnum, quia reconciliantur atque acceptas injurias judicio non persequuntur; judices vero amicis indulgent et eorum delicta vel condonant vel mitius puniunt.

4. Apti vero ad latendum sunt et contrarii criminibus, ut debilis de verberatione, et pauper et deformis de adulterio.

5. Et quæ sunt nimis in aperto et in oculis; incauta enim sunt, quod nemo illa existimet. Et tanta et talia, quæ admiserit nemo; incauta enim etiam talia sunt. Nam omnes usitatos ut morbos cavent, sic etiam injurias; quo autem morbo nondum laboraverit, eum nemo reformidat.

4. *Quarto* idonei ad latendum sunt, qui videntur ita habere dispositionem contrariam delictis, quæ patrarunt, ut videatur impossibile illos talia delicta patrasse. Ex. gr., qui valde est imbecillis, si alterum fortiorem se verberaverit, potest latere, quia videtur impossibile, ut verberaverit; potest etiam ex eadem ratione latere pauper ac deformis, si adulterium cum muliere nobili ac pulcherrima commiserit.

5. *Quinto* possunt etiam latere delicta, quæ nimis in aperto ac veluti in oculis omnium fiunt. Ratio est, quia nemo illa observat, cum omnes existiment fieri non posse. Ex eadem ratione possunt occultari delicta tanta et talia, ut nemo hactenus illa patrarit, quia nemo ab iis cavet. Sicut enim homines cavent solum a morbis consuetis, sic cavent solum ab usitatis injuriis; et sicut nemo reformidat morbos, quibus nemo hactenus laboraverit, sic nemo reformidat injurias, quibus nemo hactenus fuerit affectus.

6. Et quibus nemo est inimicus, aut multi; illi enim putant se latituros, quia non caventur; hi vero etiam latent, quia non videntur aggressuri fuisse eos qui cavent, et quia habent defensionem, se non fuisse aggressuros.

7. Et quibus est occultatio aut modus aut locus aut alienatio in promptu.

8. Et quibus, si non lateant, est depulsio judicii aut dilatio temporis aut corruptiones judicum. Et quibus si fiat damnum, est depulsio solutionis aut dilatio temporis. Aut si quis propter inopiam nihil habiturus sit, quod amittat.

9. Et quibus lucra quidem aperta sunt aut magna aut vicina, damna vero aut parva aut obscura aut longinqua. Et cui non est pœna æqualis utilitati; id quod videtur habere tyrannis. Et quibus injuriæ lucra sunt, damna vero probra solum. Et quibus contra injuriæ quidem sunt in laudem aliquam, ut si contingat simul vindictam facere pro patre aut matre, ut Zenoni; damna vero sunt, ut pecuniæ aut exilium aut tale aliquid; ambo enim injuriam faciunt et utroque modo se habentes, non tamen, iidem sed contrarii moribus.

10. Et qui sæpe aut latuerunt aut nihil damni habuerunt. Et sæpe lapsi opinione; sunt enim aliqui etiam in talibus ut in bellicis parati rursus pugnam tentare.

6. *Sexto* existimant etiam homines se

latituros, si injurias fecerint aut iis, qui nullos, aut iis, qui multos habent inimicos. Si enim aggrediantur eos, quibus nulli sunt inimici, putant se latituros, quia illi neminem observant atque a nullo cavent ; si vero aggrediantur eos, qui multos habent inimicos, putant se latituros, quia incredibile videtur, ipsos ausos fuisse aggredi eos, qui omnia observant atque ab omnibus cavent; quod si aliqua perpetrati criminis suspicio suboluerit, paratam habent defensionem ex eo, quod nunquam fuissent aggressi hominem suæ custodiæ totis viribus excubantem.

7. *Septimo* faciles sunt ad injurias per furta inferendas, qui possunt, quæ sustulerint nullo negotio occulere; aut ita quoad colorem, figuram, etc. commutare, ut non videantur eadem; aut in alium locum transferre ; aut etiam vendere. Facile enim his viis obtinent, ut latrocinium non detegatur.

8. *Octavo* confidenter injurias faciunt, qui si forte facinus celare non possint, adhuc possunt judicium vitare vel per dilationem in aliud tempus differre vel judices corrumpere; ii etiam, quibus etiamsi a judicibus mulcta pecuniaria fuerit irrogata, possunt effugere vel differre solutionem vel propter paupertatem nihil habent, quod amittant.

9. *Nono* illi quoque injurias non dubitant facere, qui ex injuriis quidem lucra aperta, magna et propinqua consequuntur, pœnas autem timent solum parvas vel obscuras vel longinquas ac nonnisi post longum tempus inferendas. Præsertim vero aggrediuntur illa facinora, quibus non est proposita pœna par commodo, quod ex iis reportatur, quale facinus videtur occupatio tyrannidis; vel illa, per quæ ex injuriis reportant quæstum et lucrum, ex pœnis vero ignominias tantum sine rei familiaris detrimento ; vel illa e converso, per quæ ex injustitia reportant quamdam laudem, sicut cum ulciscuntur injurias patri aut matri illatas, ut Zeno fecit, mulctantur vero solum exilio, pecuniis aliisque talibus pœnis, quæ nullam inurunt infamiam. Utrumque igitur facinorum genus, sed ab hominibus contrariis moribus præditis, perpetratur. Illi siquidem, qui contempta fama, lucris solum anhelant, in eas injurias erumpunt, per quas cum reportent quæstum, sola puniuntur infamia. E converso qui studiosi sunt honoris et gloriæ, aliorum jus violant, cum ex injuria laudem consecuti, ex pœna damno tantum sine ulla tamen ignominia afficiuntur.

10. *Decimo* audaces sunt ad injurias inferendas, tum qui sæpius similibus facinoribus perpetratis ex quodam favore fortunæ aut deprehensi non sunt aut pœnas non dederunt, tum qui fortuna ipsis adversante deprehensi sunt ac dederunt pœnas. Sicut enim multi sunt, qui sæpius victi adhuc belli fortunam tentare cupiunt; sic aliqui non desunt, qui sæpius spe ac voto frustrati adhuc similia aggrediuntur, quasi meliorem fortunam habituri.

11. Et quibus protinus sit jucundum, molestum vero posterius, aut lucrum protinus, damnum vero posterius; intemperantes enim tales sunt, at intemperantia est in omnibus, quæ appetunt. Et quibus e converso molestum jam adsit aut damnum, jucundum vero et utile posteriora et diuturniora sint; continentes enim et prudentiores talia sequuntur.

12. Et quibus contingat, ut propter fortunam videantur egisse aut propter necessitatem aut propter naturam aut propter consuetudinem, et omnino errasse, sed non injuriam fecisse. Et quibus adsit æquitatis obtinendæ facultas.

13. Et qui indigentes sint. Dupliciter autem sunt indigentes; aut enim tanquam rei necessariæ, ut pauperes, aut tanquam exsuperantiæ, ut divites.

14. Et qui sunt bonæ admodum existimationis, et qui admodum malæ, illi quidem tanquam qui non existimabuntur, hi vero tanquam qui nihilo magis existimabuntur. Ac ipsi quidem sic se habentes aggrediuntur.

11. *Undecimo* aliqui proni sunt ad aggredienda facinora ex eo, quia statim consequuntur voluptatem aut lucrum, dolorem vero vel damnum post aliquod temporis intervallum sentiunt. Tales vero sunt incontinentes. Versatur autem incontinentia late sumpta non solum circa voluptates tactus, sed circa omnia, quæ homines concupiscunt. Alii e converso ea sectantur, quæ licet statim dolorem aut damnum afferant, post aliquod tempus voluptatem atque utilitatem ex iis consequuntur. Talia vero persequuntur homines continentes atque prudentia præstantes.

12. *Duodecimo* ii quoque injuriosi sunt, qui videri possunt aut casu fecisse aut ex necessitate aut natura vel assuetudine impellente aut denique errore lapsi, non autem scientes volentesque injuriam intulisse. Facile etiam injurias faciunt,

qui impetrare possunt, ut non tam ex jure quam ex æquo et bono secum agatur.

13. *Decimo tertio* indigentes sæpe ab ipsa indigentia ad aliorum jus violandum impelluntur. Neque vero arbitretur aliquis, indigentiam in solos pauperes cadere. Cum enim duplex sit indigentia, altera rerum necessariarum, altera supervacanearum et immodicarum, prima in pauperes, secunda in divites cadit, adeoque tum pauperes tum divites aliquando ex indigentia sunt ad injurias faciendas proni.

14. *Decimo quarto* demum et qui in optima et qui in pessima sunt opinione, aliquando sunt ad injurias faciendas proclives; illi quidem, quia arbitrantur neminem crediturum ipsos scelus perpetrasse; isti vero, quia putant ex eo, quod nova flagitia fecerint, non posse homines pejorem de ipsis opinionem concipere. Explicatum est igitur, quo pacto se habeant, qui injurias faciunt; capite sequenti est explicandum, adversus quos et quibus in rebus faciant.

CAPUT XII. — ART. II

QUINAM ET QUOMODO AFFECTI AC QUIBUS IN REBUS INJURIIS AFFICIANTUR.

15. Injuria vero afficiunt eos et iis rebus præditos, quarum ipsi sunt indigentes vel ad necessaria vel ad exsuperantiam vel ad delectationem. Et longinquos et vicinos; horum enim comprehensio velox, illorum vero ultio tarda, ut qui spoliant Carthaginienses.

16. Et eos qui non cavent nec observant, sed creduli sunt; facile enim est omnes latere. Et socordes; industrii enim est jus persequi. Et verecundos; non enim pugnaces sunt de lucro.

17. Et qui a multis injuriam passi sunt et jus persecuti non sunt, quasi sint secundum proverbium Mysorum præda. Et quos nunquam amplius, et quos sæpe; utrique enim incauti, illi quidem ut nunquam, hi vero ut qui non amplius.

18. Et calumnia affectos, aut idoneos qui afficiantur; tales enim non præeligunt, cum timeant judices, nec possunt persuadere; ex quibus sunt qui odio habentur et quibus invidetur.

15. *Primo* homines improbi injurias faciunt iis, qui ea possident, quibus ipsi indigent vel ad vitæ necessitates vel ad abundantiam et luxum vel ad delicias et fruitionem; ex his vero libenter expilant tum propinquos tum remotos; propinquos quidem, quia velox eorum est expilatio; remotos autem, quia tarda est ultio injuriarum adversus remotos factarum, ideoque multi Græcorum adversus Carthaginienses valde longinquos latrocinia exercent.

16. *Secundo* injuriis aggrediuntur incautos, quique seipsos ac res suas non custodiunt, sed creduli sunt ac simplicis ingenii. Facile enim est a talibus non deprehendi. Injuria etiam afficiunt homines desides atque inertes necnon natura verecundos; desides quidem, quia non desidis, sed industrii hominis est injurias sibi illatas judicio persequi; verecundos autem, quia pudet eos per lites de pecunia ac quæstu contendere.

17. *Tertio* eos invadunt, qui, cum a multis fuerint injuriam passi, jus suum judicio persecuti nunquam sunt, quasi juxta vetus proverbium tales homines sint *Mysorum præda*. Sæpe etiam lædunt tum illos, quos nunquam, tum illos, quos sæpe alias læserunt; utrique enim incauti sunt. Ii siquidem, quia nunquam ante sunt læsi, sperant nec in posterum læsum iri; isti autem, quia sæpius sunt læsi, putant finem lædendi factum.

18. *Quarto* injurias faciunt iis, qui vel ante fuerunt accusati atque in judicium vocati, vel facile possunt accusari atque in judicium vocari. Hi siquidem neque audent judicio contendere, quia timent judices; nec, si audeant, possunt judicibus persuadere. Tales autem sunt, qui vel odio populari vel invidia laborant.

19. Et adversus quos habent prætextum vel majorum vel suum ipsorum vel amicorum, quod aut malefecerint aut facturi fuerint vel ipsis vel majoribus vel iis quos caros habent. Ut enim proverbium ait, prætextu eget tantum improbitas.

20. Et inimicos et amicos, quia hos sit facile, illos jucundum. Et qui amicis carent et non valent dicendo aut agendo; aut enim non conantur invadere aut reconciliantur aut nihil proficiunt. Et quibus non est utile tempus consumere exspectando vel judicium vel solutionem, ut sunt peregrini et opifices; nam ob res parvas transigunt, et facile tales mitigantur.

21. Et qui multas injurias intulerunt, vel tales quales patiuntur. Vicinum enim quiddam videtur ei quod non facit injuriam esse, cum talem injuriam passus est aliquis qualem consuevit etiam ipse facere. Dico autem, ut si quis solitum contumeliam facere verberet. Et qui male fecerunt vel facere voluerunt vel volunt vel facturi sunt; habet enim et jucundum et honestum, et vicinum est hoc ei, quod facere injuriam non videtur.

19. *Quinto* eos præcipue homines injuriis violant, contra quos aliquem habent

prætextum, eo quod vel ipsi vel eorum majores aut amici injurias intulerint vel inferre tentaverint vel ipsis vel eorum majoribus aut iis, quorum curam gerunt; siquidem juxta proverbium improbitas ad faciendas injurias solo indiget prætextu.

20. *Sexto* tum amicos tum inimicos aliquando homines lædunt; amicos quidem, quia facile, inimicos autem, quia jucundum est eos injuria afficere. Lædunt etiam eos, qui amicis carent et dicendo vel agendo non valent. Isti enim vel non tentant acceptas injurias judicio persequi aut reconciliantur aut, etiamsi judicio contendant, nihil proficiunt. Ex eadem ratione injuriis patent ii, quibus utile non est tempus consumere exspectando finem judicii vel solutionem mulctæ, quales sunt opifices ac peregrini; siquidem hi parva accepta pecunia vel compensatione, injurias remittunt ac facile mitigantur.

21. *Septimo* libenter homines injurias faciunt iis, qui sæpe injurias aliis fecerunt, aut tales injurias, quales nunc patiuntur, intulerunt. Videtur enim prope non injuriam facere, qui aliquem lædit in iis, in quibus ille alios lædere consuevit, ut cum quis lædit eum, qui solet aliis contumelias inferre. Ex eadem ratione libenter homines injuriis afficiunt eos, qui mala fecerunt vel facere voluerunt vel volunt facere vel sunt facturi. Jucundum enim est tales lædere et habet quamdam speciem honesti et quasi non videtur ullam injuriam continere.

22. Et quos injuria afficiendo gratificabuntur aut amicis aut iis quos admirantur, aut quos amant, aut dominis, aut omnino ad quorum arbitrium vivunt ipsi et apud quos licet æquitatem consequi. Et quibus crimen obtulerunt, et a quibus sejuncti sunt, ut Callippus fecit in Dionem; etenim talia vicina sunt ei quod injuriam facere non videtur.

23. Et qui ab aliis læduntur, si eos ipsi non læserint, quasi non amplius liceat consultare, ut dicitur Ænesidemus Geloni misisse Cottabia, cum servitutem induxisset, quod prævenisset, quasi et ipse facturus fuisset.

24. Et quos si injuria affecerint, poterunt multa justa agere, tanquam facile sanaturi, ut dixit Jason Thessalus, oportere se nonnulla injusta facere, ut posset etiam justa multa facere.

22. *Octavo* eos homines libenter lædunt, quos lædendo gratificantur amicis vel iis, quos admirantur aut amant, vel dominis vel iis, ad quorum arbitrium vivunt, vel iis, a quibus sperant se aliquid boni consecuturos. Eos etiam invadunt, quos falsis criminibus obruere sunt conati et a quibus, cum ante essent amici, dissociati sunt, ut Calippus fecit in Dionem. Videntur enim tales injuriæ propemodum non esse injuriæ.

23. *Nono* eos opprimunt, qui, nisi ab ipsis opprimantur, ab aliis videntur opprimendi, quasi non amplius sit locus consultationi, ut Ænosidemus, cum Cottabia oppidum depopulatus fuisset, scripsisse fertur Geloni, se ipsum prævenisse, cum alioquin Gelon eam urbem depopulaturus fuisset.

24. *Decimo* injurias faciunt iis, quos si injuriis affecerint, poterunt multa justa facere ac quodammodo injusta aliis justis resarcire; ideoque Jason Thessalus dixit, oportere se nonnulla injusta facere, ut posset deinde multa justa facere.

25. Et in iis in quibus omnes vel multi injuriam facere consueverunt; se enim veniam putant consecuturos.

26. Et in iis quæ facilia sunt ad occultandum. Talia autem sunt quæ vel celeriter consumuntur, ut esculenta, vel facile commutantur aut figuris aut coloribus aut temperamentis, vel quæ multis in locis abdere in promptu est; talia vero sunt, quæ facile portantur et in parvis locis abduntur. Et quibus indifferentia et similia multa prius erant ei qui injuriam facit.

27. Et in iis quæ pudet dicere eos, qui injuriam passi sunt, quales sunt mulierum propriarum contumeliæ, aut in se, aut in filios.

28. Et in iis quæ tractare studio litium videbitur is, qui jus persequatur; hujusmodi sunt parva et in quibus venia est. Ac quomodo quidem se habentes injuria afficiant, et in cujusmodi rebus et quos et quamobrem, ferme hæc sunt.

25. Hactenus explicavimus, quibus personis homines injurias faciant. Sequitur, ut breviter indicemus, in quibus rebus injurias faciant. *Primo* igitur injurias inferunt in iis, in quibus omnes aut plerique injurias facere consueverunt. Putant enim se veniam facile consecuturos.

26. *Secundo* improbi proni sunt ad faciendas injurias in iis, quæ facile occultantur, cujusmodi sunt, quæ celeriter consumuntur, ut esculenta; vel quæ facile mutantur quoad figuram, colorem ac temperamentum, ita ut agnosci non possint; vel quæ ubique celantur, ut quæ facile huc illucque feruntur et in parvis etiam locis abduntur; vel quæ talia sunt, ut qui ea abstulit, antequam auferret, haberet plura similia, a quibus ea, quæ abstulit, discerni non possunt.

27. *Tertio* in eo etiam genere injuria-

rum sæpe homines improbi versantur, quæ eos, qui tales injurias acceperunt, pudet proferre et vulgare, cujusmodi sunt contumeliæ illatæ in corpora, in uxores, in filios, etc.

28. *Quarto* demum atque ultimo injurias inferunt in iis, quæ si, qui injuria est affectus, judicio persequatur, reprehensionem incurret, quasi sit litium studiosus. Hujusmodi autem sunt, quæ videntur parva ac venia digna. Patet igitur ex dictis, quomodo sint affecti, qui injurias aliis inferunt, in quibus rebus, contra quos et quorum gratia injurias inferant.

CAPUT XIII

DE JUSTIS ET INJUSTIS EORUMQUE DIFFERENTIIS AC DE ÆQUO ET BONO.

1. [13] Injurias autem omnes et juste suscepta actiones distinguamus, exorsi primum hinc. Definita igitur sunt justa et injusta ad leges duas, et ad quos referuntur, dupliciter.

2. Dico autem legem partim propriam partim communem, propriam quidem singulis definitam inter ipsos, eamque aut non scriptam aut scriptam, communem vero secundum naturam. Est enim quoddam, quod augurantur omnes, natura commune justum et injustum, etiamsi nulla societas invicem sit nullaque pactio, ut Sophoclis Antigone videtur dicere justum esse interdictum sepelire Polynicem, quasi natura sit id justum : « non etenim id nunc et heri, sed semper fuit, et nemo scit, unde ejus ortus sit ». Et ut Empedocles dicit de non interficiendo quod animatum est ; id enim non quibusdam quidem justum est, quibusdam vero non justum, « sed hoc quidem omnium legitimum perque latum æthera omnibus in partibus extensum est, perque ingentem splendorem ». Et ut dicit in Messeniaca Alcidamas.

3. Ad quos vero sunt definita, dupliciter definita sunt : aut enim ad communitatem, aut ad unum eorum qui sunt in communitate, referuntur ea quæ oportet agere et non agere. Quamobrem et injurias et justas actiones dupliciter contingit persequi et juste suscipere : aut enim ad unum definitum, aut ad communitatem referuntur. Nam qui committit adulterium et verberat, injuria afficit aliquem ex definitis, qui vero non militat, communitatem.

Quia genus judiciale versatur universim circa justa et injusta, Aristoteles agit de justis atque injustis eorumque differentiis atque etiam de æquo et bono, quod est justum quoddam secundum legem naturalem. *Primo* ergo distinguit justa et injusta secundum duplicem legem et secundum hoc, quod vel respiciunt privatas personas vel totam communitatem ; *secundo* repetita et magis explicata definitione injuriæ, quam tradiderat supra cap. x, proponit quædam, quæ circa particulares species injuriarum debet orator scire ; *tertio* demum agit de justis et injustis secundum legem naturalem ac de æquo et bono.

1. *Quoad primum ;* debemus distinguere juste et injuste facta in sua genera et in suas species ; sed juste et injuste facta definiuntur atque ad invicem distinguuntur per hoc, quod dicunt ordinem ad duplicem legem, et per hoc, quod dupliciter respiciunt personas, circa quas versantur, privatim nimirum aut publice : ergo incipiendum est ab explicatione duplicis legis ac duplicis modi, per quos justa et injusta respiciunt personas aut privatim aut publice.

2. Duplex est lex, propria et communis. *Lex propria* est, quam singulæ civitates ac nationes sibi ex quodam pacto statuerunt. Hujus autem alia pars est scripta, alia in consuetudinibus ac moribus hominum sine ullo scripto conservatur. *Lex communis* est, quæ a natura ipsa ante omne pactum constituta est et animis hominum impressa. Quod detur hæc lex naturalis, probatur ; omnes enim homines veluti divino spiritu afflati, pronunciant aliqua esse justa vel injusta, etiamsi nulla inter homines societas, nullum pactum existeret ; ergo datur aliquod justum et injustum, quod est tale, non per ordinem ad leges ab hominibus positas, sed per ordinem ad legem naturalem. De hoc justo videtur locuta Antigone apud Sophoclem, cum interrogata, quo jure Polynicem fratrem contra Creontis regis interdictum sepelisset, respondit, quod id natura justum erat. Non enim nunc aut nudius tertius, sed semper id viget, ac nemo scit, ex quo tempore ortum habuerit. Empedocles quoque agens de non interficiendis animatis juxta opinionem Pythagoræ dicit : Hoc enim non quibusdam quidem justum est, aliis non est justum, sicut ea, quæ ex lege humana justa sunt ; sed omnibus est legitimum ac per latum æthera ad omnes nationes diffusum. Hoc idem de lege naturali Alcidamas in sua oratione Messeniaca docuit.

3. Duplex est modus, quo ea, quæ sunt agenda vel non agenda, respiciunt personas iisque definiuntur ; vel enim respiciunt communitatem vel unum aliquem ex communitate. Proportionaliter igitur dupliciter possumus facere justa et inju-

sta vel in communitatem vel in aliquem ex communitate; ex. gr., qui adulteratur vel aliquem verberat, injuriam facit privatæ personæ; qui vero, cum teneatur pugnare, non pugnat, injuriam facit communitati.

4. Jam cum omnes injurias distinxerimus, ut aliæ referantur ad communitatem, aliæ ad alium et ad alios, cum repetiverimus quid sit injuria affici, explicemus reliqua. Est autem injuria affici ab iis qui sponte agunt injusta pati. Injuria enim afficere definitum est prius sponte esse.

5. Et quoniam necesse est, qui injuriam patitur, eum noxam accipere et non sponte accipere, noxæ quidem ex superioribus constant; bona enim et mala distincta sunt per se superius, et quæ sponte agunt homines, esse quæcumque scientes. Quare necesse est, omnia crimina aut ad communitatem aut ad privatum referri, aut ignorante illo et non sponte agente, aut sponte et sciente, et ex his alia præeligente, alia propter affectum. Ac de ira quidem dicetur in iis, quæ pertinent ad affectus; qualia vero præeligant, et quomodo se habentes, dictum est superius.

6. Et quoniam qui confitentur sæpe se egisse, aut litis inscriptionem non confitentur aut id in quo est litis inscriptio, ut accepisse quidem sed non furatum esse, et fuisse priorem qui percusserit sed non intulisse contumeliam, et concubuisse sed non commisisse adulterium, aut furatum esse sed non commisisse sacrilegium (non enim dei aliquid), aut coluisse quidem sed non publica, aut collocutum esse cum hostibus sed non prodidisse, propterea oportebit etiam, cum de his agetur, definire quid sit furtum, quid contumelia, quid adulterium, ut sive esse sive non esse velimus demonstrare, possimus declarare justum. Sunt autem omnia talia de eo, utrum injustum sit et pravum, an non injustum, id de quo est controversia. Nam in præelectione consistit improbitas et injuriæ illatio, ejusmodi vero nomina significant præelectionem, ut contumelia et furtum. Non enim si verberavit, omnino contumelia affecit, sed si causa hujus rei, ut dedecorandi illum aut percipiendi voluptatem. Neque omnino si clam accepit, furatus est, sed si propter noxam furatus est et ut sibi ipsi ascisceret. Similiter vero etiam de aliis res se habet ut de his.

4. *Quoad secundum;* cum diviserimus universim genera injuriarum ac dixerimus, alias esse contra communitatem, alias contra unum aut plures ex privatis, sequitur, ut resumentes ac magis explicantes, quid sit injuriam pati, prosequamur reliqua, quæ circa injurias et earum species a rhetore tractanda sunt. Injuria affici est a volentibus injusta pati. Cum enim non possit quis injuria affici, nisi aliquis faciat injuriam, injuriam autem facere sit inferre damnum sponte, ut dictum est cap. x, non potest quis injuriam pati, nisi alter sponte et volens damnum inferat contra legem.

5. Ex allata definitione injuriæ patet, quænam pro perfecta ejus intelligentia ad oratoris usum sint explicanda, quorum quædam jam sunt explicata, quædam jam explicabuntur, de aliis inferius agetur. Quia igitur necesse est, ut qui injuria afficitur, damnum patiatur non sponte, sed invitus, agendum esset de damnis et explicandum, quid sit spontaneum vel invitum. Verum quæ spectant ad damna, patere possunt ex iis, quæ de bonis ac malis, eorumque differentiis dicta sunt prius. Damna siquidem inter mala ac bonorum privationes comprehenduntur. Quid sit spontaneum vel invitum, explicatum est supra cap. x, num. 2, ubi dictum est, spontaneum esse, quod facimus volentes et scientes. Quia rursus juxta dicta in definitione ac divisionibus injuriæ necesse est, omnia delicta vel esse contra communitatem vel contra privatos; vel fieri ab ignorantibus atque invitis, vel a scientibus ac volentibus; et quæ fiunt a scientibus et volentibus, vel fieri ex electione vel ex passione; deberet agi singillatim tum de iis, quæ fiunt ex electione, tum de iis, quæ fiunt ex passione. Sed de iis, quæ fiunt ex passione iræ, agemus inferius libro secundo, cum disseremus de affectibus seu passionibus; de iis, quæ fiunt ex passione concupiscentiæ, egimus cap. xi, tractantes de jucundis, quæ sunt objecta concupiscentiæ; cap. xii, explicavimus, qualia eligentes et quomodo se habentes homines injurias faciant; ergo de his generibus injuriarum nihil hoc loco est addendum.

6. Quia tamen aliquando, qui accusantur, confitentes factum, negant nomen, quo accusator factum vocavit et accusationem inscripsit, vel negant rem ipsam, quæ per tale nomen significatur; ex. gr., confitentes, se rem alienam accepisse, negant fuisse furatos; confitentes se percussisse, negant intulisse contumeliam; confitentes se congressos, negant adulteratos; confitentes se furatos, negant commisisse sacrilegium, eo quod nihil divino cultui sacrum acceperint; confitentes se sustulisse, negant sustulisse publica; confitentes se cum hostibus collocutos, negant prodidisse; ideo non sufficit, ut orator sciat explicata genera injuriarum, sed necesse est, ut cognoscat

etiam singulas species, adeoque possit determinare, quid sit furtum, quid contumelia, quid adulterium, etc., ut seu debeat ostendere reum esse justum et insontem a furto, contumelia aliisque allatis injuriarum speciebus; seu debeat ostendere eumdem esse injustum et his sceleribus contaminatum, possit id ex talium scelerum definitione demonstrare. Porro dum quæritur utrum qui accepit, fecerit vel non fecerit furtum; utrum qui percussit, fecerit vel non fecerit contumeliam; dubitatur, utrum ita fecerit tales actiones, ut sit improbus et injustus malitia furti et contumeliæ vel non. Ratio est, quia improbitas atque injuria non consistunt in solis actionibus externis, sed etiam in electione; sed nomina furti, contumeliæ et alia hujusmodi non significant solas actiones externas, sed etiam electionem: ergo furtum, contumelia et alia hujusmodi continent improbitatem atque injustitiam, adeoque dum est quæstio de furto, contumelia, etc., est quæstio de improbitate atque injustitia. — Probatur minor; ad contumeliam enim non sufficit, ut aliquis verberaverit alterum, sed requiritur, ut verberaverit ex fine illum ignominia afficiendi vel delectationem sumendi ex ejus malo; ad furtum non sufficit, ut quis clam rem alienam sustulerit, sed requiritur, ut sustulerit ex animo illum damnificandi, ac quod sustulit, sibi asciscendi, idemque dic de aliis hujusmodi; ergo furtum, contumelia et alia hujusmodi non significant solas actiones externas, sed etiam pravam intentionem. Debet igitur orator compertas habere horum definitiones.

7. Et quoniam justorum et injustorum erant duæ species (alia enim scripta alia non scripta), de quibus quidem leges loquuntur, dictum est,

8*. non scriptorum vero duæ sunt species. Atque hæc sunt partim secundum exsuperantiam virtutis et vitii, in quibus sunt probra et laudes, ignominiæ et honores et dona, ut gratiam habere ei qui benefecerit, et reddere beneficium ei qui dedit, at adiutorem esse amicis, et quæcumque alia ejusmodi; partim propriæ legis et scriptæ supplementum. Æquum enim videtur justum esse, et æquum est, quod præter scriptam legem justum est. Contingit autem hoc partim invitis partim volentibus legumlatoribus, invitis quidem, cum eos latuerit, volentibus vero, cum minime possint distinguere, sed necesse sit in universum dicere, non sit tamen ita sed plerumque, et quæcumque non est facile distinguere propter infinitatem, ut vulnerare ferro, et quanto, et quali; deficeret enim tempus eum qui enumeraret. Si igitur sit indefinitum, oporteat autem lege sancire, necesse est simpliciter dicere. Quare si anulum habens sustulerit manum vel percusserit secundum scriptam legem reus est et injuriam fecit, sed revera non fecit. Atque hoc æquum est.

7. *Quoad tertium*; dictum est duas esse justorum et injustorum species. Prima est eorum, quæ continentur in legibus scriptis, ac de his jam egimus; secunda est eorum, quæ non continentur in legibus scriptis, ac de his jam est agendum.

8. Justorum igitur atque injustorum, non scriptorum duæ sunt species. In prima specie continentur quædam actiones excellentis virtutis ac vitii, quæ laudantur ac vituperantur, honoribus et ignominiis ac donis seu præmiis afficiuntur et, quia manifestam habent honestatem, ita sunt impressæ mentibus hominum, ut scriptione non egeant; ex. gr., justum secundum naturam et ante omnem legem scriptam est, gratiam habere benefactoribus iisque, qui beneficia contulerunt, cum possis, beneficia referre; paratum esse ad opitulandum amicis, atque alia hujusmodi. — Secunda species justi non scripti est, cum aliquid in propria ac scripta lege omissum est. Æquum nimirum videtur justum esse; est autem æquum id justum, quod est præter legem scriptam, adeoque omissum est a legislatore. Porro legislatores quædam æqua ac secundum naturam justa omittunt nolentes et inviti, eo quod in mentem non venerint, si venissent in mentem, non omissuri; alia omittunt sponte et scientes, cum non possunt singula determinare, sed necesse est universim statuere, quod non semper, sed plerumque ita se habet. Ut cum lex universim statuit peregrinos, qui muros civitatis ascendunt, capite esse plectendos, quia ut plurimum interdicendum est peregrinis ascendere muros civitatis, et tamen si hoste irruente peregrini ascendant muros ad civitatem defendendam, justum et æquum est secundum naturam, ut non plectantur capite, sed præmio afficiantur. Omittunt etiam legumlatores scientes et volentes, quæ propter infinitatem difficile est determinare; ex. gr., dum gravem pœnam statuunt iis, qui ferro alterum percusserint, deberent determinare, quanto et quali; sed quia hoc esset infinitum, simpliciter statuunt, ut qui ferro percusserit, gravi pœna puniatur. Si igitur aliquis habens in digito annulum ferreum, manum extulerit et alterum

annulo percusserit, injustus est contra legem scriptam ac reus pœnæ statutæ per legem; at secundum veritatem non est injustus neque puniendus est pœna statuta per legem scriptam. Æquum igitur ex dictis est justum secundum naturam omissum a lege scripta.

9. Quod si quod diximus æquum est,

10*. apparet qualia sint æqua et non æqua, et quales non æqui homines. Nam in quibus oportet veniam dare, æqua ea sunt. Et errata et injurias non judicare dignas æquali pœna, nec errata et infortunia. Sunt autem infortunia quæcumque sunt præter rationem et non ab improbitate, errata vero, quæcumque non prætet rationem et non a malitia. At injuriæ quæcumque non præter rationem et a malitia sunt; quæ enim sunt propter cupiditatem, sunt a malitia.

11. Et humanis ignoscere æquum est, et non ad legem sed ad legislatorem respicere, et non ad orationem sed ad sententiam legislatoris respicere,

12*. et non ad actionem sed ad præelectionem, et non ad partem sed ad totum ; nec qualis aliquis nunc, sed qualis aliquis semper aut plerumque ;

13*. et meminisse magis, quibus affectus sit bonis quam malis, et bona quæ acceperit magis quam quæ fecerit; et patientem esse eum qui injuriam accipiat, et magis verbis velle judicari quam factis, et ad arbitrium magis quam ad judicium velle ire. Nam arbiter æquum intuetur, judex vero legem, et ob id arbiter inventus est, ut æquum valeat. Ac de æquis quidem explicatio habita sit hunc in modum.

9. Ex tradita definitione æqui potest inferri, qualia sint æqua vel non æqua, et quales sint homines non æqui. — *Primo* igitur æqua sunt omnia facta ac dicta, quibus oportet ignosci, etiamsi, qui illa commisit, videatur contra legem peccasse.

10. *Secundo* æquum est, ut non æquali pœna censeantur digna errata et injuriæ vel errata et infortunia. Sed explicandum, quæ sit differentia inter infortunia, errata et injurias. Infortunia sunt, quæ accidunt præter rationem, adeoque non poterant prævideri, et non procedunt ex improbitate seu voluntate inferendi malum ; ut cum aliquo supra tectum ambulante, casu decidit tegula et interficit transeuntem. Errata sunt, quæ non accidunt præter rationem, adeoque poterant prævideri, sed non procedunt ex improbitate seu voluntate inferendi malum, sed ex imprudentia, ut cum quis jaciens sagittam in feram, interficit hominem, quem vidit esse propinquum feræ; debuisset enim prævidere et cavere periculum illum interficiendi. Injuriæ sunt, quæ cum non sint præter rationem, fiunt ex improbitate seu voluntate nocendi ; ut cum quis interficit jacta sagitta ex animo interficiendi. Porro quæ fiunt ex concupiscentia, fiunt ex malitia.

11. *Tertio* æquum est humanis, hoc est iis, quæ ex naturæ imbecillitate contingunt, ignoscere ac non tam legem, quam legislatorem spectare, adeoque cum, licet lex condemnet, legislator daret veniam, veniam indulgere; ad æquitatem etiam spectat, non tam verba quam mentem legislatoris considerare.

12. *Quarto* æquum est, non tam considerare factum quam electionem atque intentionem facientis, ac non tam partem facti, in qua quis deliquit, quam totum, in quo fortasse bene se gessit. Ex aedem æquitate non tam debet perpendi, qualis nunc sit reus in aliqua circumstantia particulari, quam qualis semper vel ut plurimum fuerit.

13. *Quinto* æqui viri proprium est, ut magis recordetur bonorum quam malorum, quæ ab altero accepit, ac magis beneficiorum, quibus fuit affectus, quam eorum, quæ in alterum contulit; ut potius injuriam patienter ferat, quam ulciscatur; et controversiam potius velit verbis judicari quam factis, adeoque non facile ruat ad vim et arma ; ut demum arbitrio potius bonorum virorum quam suffragiis judicum rem committat. Arbitri porro munus est videre, quid sit secundum naturalem æquitatem; judicis munus est inspicere, quid sit secundum leges scriptas, ideoque inventum est arbitrium, ut æquum indagetur. Hoc igitur pacto de æquo determinasse sufficiat.

CAPUT XIV

DE MAJORI AC MINORI INJURIA.

1. [14] Injuriæ autem majores sunt, quæ a majori sunt injustitia. Quamobrem etiam minimæ maximæ sunt, ut Melanopum Callistratus accusabat quod fraudasset tribus semiobolis sacris templi constructores. At in justitia est contrarium. Sunt autem hæc ex eo quod excellant facultate ; qui enim tres sacros semiobolos furatus est, etiam quamcumque faceret injuriam.

2. Ac aliquando quidem sic major, aliquando vero ex noxa judicatur. Et cujus non est æqualis pœna, sed omnis minor. Et cujus non est medicina ; gravis enim res est etiam, quæ fieri

non potest. Et cujus non potest judicium obtinere is qui passus est, quia sub medicinam non cadit; nam judicium et castigatio sunt medicina. Et si is qui passus est, et si is qui injuriam accepit, ipse se valde castigavit; adhuc enim magis, qui fecit, dignus est, qui castigetur, ut Sophocles pro Euctemone cum causam diceret, quoniam occidit se ipsum, qui contumeliam passus erat, se non æstimaturum dixit minoris quam quo is, qui passus erat, æstimavit se ipsum

se ipsum animadvertit; majori enim pœna dignus videtur is, qui injuriam fecit. Hoc loco usus est Sophocles, qui, cum causam ageret Euctemonis, qui injuria affectus, dolorem non ferens, se ipsum interfecerat, dixit, eum, qui injuriam fecerat, non esse mitius puniendum, quam is, qui passus fuerat injuriam, se ipsum punivisset.

Sicut Aristoteles supra agens de genere deliberativo non solum tradidit loca et propositiones ad ostendendum, aliquid esse bonum atque utile absolute, sed etiam ad ostendendum aliquid esse magis aut minus bonum, magis aut minus utile; sic in præsentia agens de genere judiciali, postquam tradidit definitiones et propositiones ad ostendendum, aliquod factum continere injuriam, proponit propositiones, ex quibus potest demonstrari, injuriam fuisse majorem aut minorem.

1. Magnitudo injuriarum desumi potest vel ex magnitudine habitus injustitiæ, a quo procedunt, vel ex magnitudine damni quod inferunt, vel ex circumstantiis. *Primo* igitur ex primo capite majores injuriæ sunt, quæ ex majore habitu injustitiæ procedunt. Et quia aliquando injuriæ, alioquin minimæ, quia versantur circa minima, videntur procedere ex maximo habitu injustitiæ, ideo propter hoc ipsum, quia sunt minimæ, sunt maximæ. Hoc loco usus est Callistratus Melanopum accusans, quod in tribus semiobolis fraudasset opifices templi; hæc enim inquit injuria, licet re ipsa sit minima, virtute est maxima. Qui enim tres semiobolos furatus est, videtur tam magnum habitum injustitiæ habere, ut quamlibet injuriam cuilibet fecisset, dummodo potuisset. In habitu justitiæ contrarium accidit. Neque enim ex eo, quod quis in re minima fuerit justus, argui potest, illum habere magnum habitum justitiæ.

2. *Secundo* aliquando e converso magnitudo injuriæ desumitur ex magnitudine damni illati, atque injuria censetur major, quæ majus damnum intulit; et cui nulla pœna est æqualis, ut proditio patriæ; et cujus non est remedium, quia difficillimum vel impossibile est, tale remedium adhibere; et cujus non potest pœnas judicio vel alia ratione capere is, qui injuria est affectus; eo enim ipso est immedicabilis, siquidem judicium et pœna sunt medicina injuriarum; et propter quam ille, qui injuriam ac damnum est passus, graviter in

3. Et quam solus vel primus vel cum paucis fecit. Et sæpe in eodem peccare magna injuria est. Et propter quam quæsita sunt et inventa, quæ prohibent et quæ puniunt, ut Argis puniunt, propter quem lex lata est, et propter quos carcer ædificatus est. Et magis ferina injuria major. Et quæ ex provisione magis. Et quam audientes timent magis quam miserantur.

4. Ac oratoria quidem sunt ea, quod multa sustulit jura aut transgressus est, ut jusjurandum, dextram, fidem, connubium; multarum enim injuriarum exsuperantia est. Et quam fecit ibi, ubi castigantur qui injuriam faciunt; quod faciunt falsi testes; ubi enim non erit injuriosus, si etiam in foro? Et in quibus est pudor maxime. Et si eum injuria afficiat, a quo beneficio affectus est; plures enim injurias facit, tum quod male faciat, tum quod non bene faciat.

5. Et quæ est contra non scripta jura; melioris enim est non propter necessitatem justum esse. Ac scripta quidem sunt ex necessitate, non scripta vero nequaquam. Alio autem modo si contra scripta; nam qui in metuendis injuriam facit et in pœnæ obnoxiis, etiam in non obnoxiis injuriam faciet. Ac de injuria quidem majore et minore dictum est.

3. *Tertio* magnitudo injuriæ desumitur ex circumstantiis. Est igitur major injuria, quam aliquis fecit solus, vel omnium primus, vel ita ut paucos illius habeat socios. Facinus quoque censetur majus ex eo, quod aliquis sæpius id perpetravit; ex gr., furtum censetur majus ex eo, quod aliquis sæpe est furatus. Videntur rursus majora illa delicta, quæ coegerunt, ut quærerentur remedia et pœnæ ad illa impedienda; ideoque apud Argos puniuntur illi, propter quorum delicta constituta est aliqua lex, vel carcer est ædificatus. Majores præterea sunt illæ injuriæ, quæ magis sunt ferinæ; et quæ factæ sunt magis ex prævisione atque ex certo consilio; et quas qui audiunt timore potius, quam miseratione afficiuntur propter atrocitatem.

4. *Quarto* oratorium est magnitudinem injuriarum ac scelerum augere, vel ex eo, quod quis multa jura sustulit atque est transgressus, puta jusjurandum, dexte-

ram, fidem, affinitatem; videtur enim talis injuria ex excessibus plurium injuriarum conflari; vel ex eo, quod ibi injuriam fecit, ubi puniri solent injuriæ, quod faciunt falsi testes. Ubi enim ab injuriis abstinebunt, qui in loco judicii injuriis vindicandis destinato injurias faciunt? Vel ex eo, quod fœdissimo delicti genere peccaverit, de quo homines maxime erubescunt; vel ex eo, quod eum læserit, a quo beneficio fuerat affectus, adeoque dupliciter peccaverit; et in eo, quod damnum intulit; et in eo, quod gratiam non rependit.

5. *Quinto* ex una parte injuriæ ac delicta videntur majora ex eo, quod sint contra leges non scriptas. Sicut enim melioris hominis est, servare leges non scriptas, ad quas servandas nulla cogitur necessitate, quam servare leges scriptas, ad quas servandas cogitur metu pœnarum; sic deterioris est peccare contra leges non scriptas quam contra scriptas. Ex alia parte videntur majores injuriæ perpetratæ contra leges scriptas. Qui enim injuriam facit in iis, in quibus potest pœnam metuere, quanto magis injuriam faciet in iis, quibus nulla est proposita pœna? Hæc igitur de majore ac minore injuria dicta sufficiant.

CAPUT XV. — ART. I

DE PERSUASIONIBUS INARTIFICIALIBUS AC PRIMO DE LEGIBUS.

1. [15] Fidem vero, quæ dicitur arte carens, consequens est iis quæ dicta sunt ut percurramus, quia propria ipsa sit judicialium.

2. Estque quintuplex, leges, testes, pacta, quæstiones, jusjurandum. Ac primum quidem dicamus de legibus, quomodo ipsis utendum sit tum ei qui suadet tum qui dissuadet, tum qui accusat tum qui defendit.

3. Apparet enim, si contraria sit facto lex scripta, communi lege utendum et æquis tanquam justioribus. Et quod mente optima uti est non omnino uti scriptis. Et quod æquum semper manet et nunquam mutatur, neque communis lex (secundum naturam enim est), scriptæ vero leges sæpe. Unde dictum est in Sophoclis Antigone, cum illa defendit, se egisse contra Creontis legem, sed non contra non scriptam: « Non enim hoc nunc et heri, sed semper. Ideo ego non timeo virum ullum ». Et quod justum est verum quiddam et utile, sed non quod videtur; quare non est lex, quæ scripta est; non enim obit munus legis. Et quod tanquam argentarius judex est, ut discernat adulterinum justum a vero. Et quod melioris viri est non scriptis quam scriptis uti et stare.

4. Et si qua in re contraria sit legi, quæ probetur, vel ipsa sibi, ut hæc quidem aliquando jubet rata esse quæcunque pepigerunt, illa vero vetat pactiones fieri contra legem. Et si ambigua sit, ita ut torqueas, et videas in utram deductionem aut justum quadrare possit aut utile, deinde eo utaris. Et si res, de quibus lata est lex, non amplius maneant, lex vero maneat, conandum est, ut id declares et pugnes hac ratione contra ipsam.

1. Dictum est cap. II, num. 2, persuasiones, per quas possumus fidem facere, dividi in artificiales atque inartificiales, ac fuse actum est de probationibus artificialibus. Sequitur igitur, ut breviter percurrentes persuasiones inartificiales hunc primum librum concludamus. Porro de probationibus inartificialibus hoc præcipue loco est disserendum, quia propriissimæ sunt generis judicialis, licet possimus ipsis uti in aliis etiam generibus.

2. Quinque sunt genera probationum inartificialium, quæ nimirum orator non invenit, sed solum iis utitur: leges, testes, pacta, quæstiones seu torturæ et jusjurandum. De singulis agendum est per singula capita, ac *primo* de legibus est explicandum, quo pacto debeat iis orator uti ad suadendum vel dissuadendum, accusandum vel defendendum. Et quia leges aliquando adversantur, aliquando favent rei nostræ, idcirco *primo* explicandum est, quid sit faciendum, cum leges rei nostræ adversantur; *secundo*, quid cum rei nostræ favent.

3. *Quoad primum*; cum lex scripta rei nostræ adversatur, tum ad ejus auctoritatem minuendam et elevandam, recurrendum est ad legem communem, hoc est ad jus naturale et ad æquum, quod est naturaliter justum, iisque tanquam lege scripta justioribus est utendum. — *Primo* igitur, quia Athenis judices, antequam causas audirent, jurabant, se secundum leges ac mente et sententia optima judicaturos, dicendum est, quod mente ac sententia optima judicare est, non de cunctis sententiam proferre secundum legem scriptam, sed de aliquibus secundum legem naturalem ac secundum æquitatem. Addendum, quod lex communis necnon et æquum semper manent ac nunquam mutantur, siquidem secundum naturam sunt; leges autem scriptæ sæpius mutantur, ideoque Antigone apud Sophoclem ex eo defendit, quod fratrem Polynicem

sepelisset, quod fecerat quidem contra legem Creontis, at non fecerat contra legem non scriptam; et de hac lege naturali addit: «Neque enim nunc erat aut nudius tertius, sed semper fuit, ideoque ego, dum hanc observo, nullum virum timeo». Potest etiam dici, id justum esse, quod verum et utile sit, non quod speciem tantum veri habeat, adeoque legem scriptam vix legis nomine vocandam esse, cum opus legis sæpe non efficiat ac verum justum non complectatur, sed solum sequatur umbram veri. Tum oratio ad judices est convertenda ac dicendum, judices constitutos esse, ut quodammodo fungantur munere argentarii. Sicut enim argentarius debet distinguere argentum verum ab argento adulterino, sic judices debent distinguere justum verum, quod in lege naturæ continetur, a justo simulato, quod sæpe latet in legibus scriptis; ac proinde melioris viri esse, non tam scriptis, quam non scriptis legibus uti ac stare.

4. *Secundo* considerandum est, an lex, qua premimur, sit sibi ipsi vel alteri legi probatæ contraria atque ex hoc ipso ejus auctoritas est minuenda. Porro aliquando existunt tales contrarietates in legibus, ut cum altera lex jubet, rata esse quæcumque homines pepigerint, altera vetat pactiones fieri contra leges. Perpendendum est etiam, an lex sit ambigua et ad utramque partem possit distorqueri, ac tum est inspiciendum, cui sensui quadrabit justum aut utile, ac sic lege in rem nostram est utendum. Si vero res, quarum causa lex lata est, amplius non maneant, lex autem adhuc servetur, conandum est, ut hoc ipsum notum fiat, et sic oppugnanda lex est, ostendendo, quod rebus mutatis, lex quoque mutanda atque abroganda est.

5. Si vero lex scripta accommodata sit ad factum, tunc optima mente esse dicendum est non ut contra legem judicet, sed ut si ignoret id quod dicit lex, ne pejeret. Et quod est simpliciter bonum, eligere neminem, sed quod sibi. Et nihil interesse, vel legem non fieri vel non observari. Et in aliis artibus non esse utile, agere captiose, ut contra medicum, quia non tantum nocet error medici, quantum si quis assuescat non obedire principi. Et se legibus sapientiorem esse studere, esse id quod in laudatis legibus prohibetur. Ac de legibus quidem hæc explicata sint.

5. *Quoad secundum;* si lex scripta nobis faveat, dicendum, quod jusjurandum de judicando secundum leges et optima mente ac sententia inductum est, non ut judices judicent contra legem scriptam, sed ut, si ignorent, quid lex decernat, aut satis legem non intelligant, judicando optima mente atque sententia perjurium effugiant; adeoque non esse abutendum hoc jurejurando, judicando contra legem, quæ nota sit et clara. Addendum est, quod sicut nemo eligit, quod est bonum simpliciter, sed quod est bonum sibi, sic in civitatibus non est persequendum illud bonum atque utile simpliciter, quod in lege communi continetur, sed illud, quod cuique civitati est bonum ac justum et in legibus propriis cujusque civitatis collocatum est. Potest etiam dici, quod frustra leges tanta cura conditæ sunt, si deinde iis non utamur; et quod sicut in aliis artibus non expedit contra earum magistros disputare, ex. gr., non expedit ægroto disputare contra leges a medico præscriptas, quia licet medicus errare possit, adhuc magis nocet ægroto assuetudo non parendi medico præcipienti quam aliquis error medici; sic non est disputandum contra leges, quia licet leges possint errare, adhuc magis nocet reipublicæ assuetudo non parendi legibus quam error legis, ideoque probatæ ac laudatæ leges interdicunt, ne quis velit esse legibus sapientior. Hæc igitur de legibus dicta sufficiant.

CAPUT XV. — ART. II

DE TESTIBUS.

6. Quod attinet ad testes, eorum sunt duo genera. Alii quidem sunt antiqui alii vero novi, et ex his alii participes periculi alii extra periculum.

7. Voco antiquos et poetas et alios omnes illustres, quorum sunt judicia clara, ut Athenienses Homero teste usi sunt de Salamine, et Tenedii nuper Periandro Corinthio in Sigeenses. Et Cleophon contra Critiam Solonis elegis usus est, dicens, olim petulantem fuisse ejus familiam; non enim unquam cecinisset: «Solon dic flavo Critiæ, ut studeat parere parenti.» Ac de præteritis quidem tales sunt testes, de futuris vero etiam interpretes oraculorum, ut Themistocles, navibus pugnandum esse, ligneum significare murum. Præterea vero proverbia, ut dictum est, testimonia sunt; ut si quis consulat, ne paretur amicus senex, ei attestatur proverbium: « beneficium ne conferas in senem », et ut filios tollat, quorum sustulerit parentes: « stultus, qui natos occiso patre relinquit ».

8. Novi vero sunt, quicumque illustres etiam aliquid judicarunt; utilia enim sunt etiam ho-

rum judicia iis, qui de iisdem rebus controversantur, ut Eubulus in judiciis usus est contra Charetem eo quod Plato dixit adversus Archibium, quod increbuit in civitate, ut fateantur se improbos esse. Et participes periculi sunt, si visi fuerint falsum dicere. Ac tales quidem de talibus testes sunt, factum sit necne, sit necne ; de qualitate vero non sunt testes, ut justumne an injustum, utile an inutile. Qui vero longinqui sunt, etiam de his fide dignissimi sunt ; nam dignissimi fide sunt antiqui, quia incorrupti ; certa enim fides est a testimoniis.

6. *Secundum genus probationum* inartificialium desumitur ex testibus. Testes dividuntur in antiquos et novos. Testes novi subdividuntur in eos, qui sunt participes periculi, ita ut, si de mendacio convicti fuerint, pœnas luant; et in eos, qui non sunt participes ullius periculi.

7. Testes antiquos appello poetas aliosque scriptores claros, quorum judicia ac sententiæ sint manifestæ. Ut igitur testes antiqui fidem faciant, duæ requiruntur conditiones. Prima est, ut sint scriptores clari ; secunda est, ut eorum judicia et sententiæ non sint ambiguæ, sed manifestæ. Plura exempla eorum, qui cum judicio decertarent, testibus antiquis sunt usi, Aristoteles affert. Primum est Atheniensium, qui cum Megarensibus de Salamine contendentes, prolato in sui favorem Homeri versu, victoriam obtinuerunt. Secundum est Tenediorum, qui cum Sigiensibus disceptantes, Periandri veteris scriptoris testimonio sunt usi. Tertium est Cleophonis, qui in oratione, quam habuit contra Critiam, ut ostenderet familiam Critiæ jam olim contumacem fuisse, testimonium Solonis adduxit dicens. Nisi enim ita se res haberet, nunquam Solon in suis elegiis cecinisset :

Dic flavo Critiæ, ut studeat parere parenti.

Jam sicut antiqui scriptores adduci possunt ut testes præteritorum, sic augures, et qui fundunt oracula, adduci possunt ut testes futurorum, ideoque Themistocles dicens confugiendum esse ad naves, sententiam suam confirmavit oraculo dicente, murum ligneum hostibus opponendum, hoc est naves. Ad testes etiam priscos reduci possunt antiqua proverbia. Ex. gr., si quis suadeat alteri, ut non faciat amicitiam cum homine sene, potest id confirmare proverbio, quo dicitur : Beneficium ne conferas in senem; et si quis suadeat, ut qui sustulit parentem, auferat etiam filios, potest adducere proverbium, quo dicitur :

Stultus, qui natos, occiso patre, relinquit.

8. Testes novi ac recentes, qui non veniunt in partem periculi, sunt, qui cum sint clari, suam de aliqua re sententiam prodiderunt; judicium siquidem eorum utile est ad confirmandum id, de quo dubitatur. Hoc testium genere usus est in judicio Eubulus, dum contra Charetem protulit vocem a Platone usurpatam contra Archivium, nimirum, quod increbuit jam in civitate, ut quotidie plures veluti gloriabundi fateantur, se improbos esse. Testes novi ac participes periculi sunt, qui puniuntur, si convicti fuerint de mendacio. Porro testes, qui participes sunt periculi, admittuntur solum ad testificandum, utrum aliquid sit factum, vel non sit factum, sit; vel non sit at eorum testimonium nullius est momenti, si velint suam opinionem proferre de qualitate facti, puta si dicant id, de quo agitur, esse justum aut utile vel injustum ac perniciosum. E converso testes, qui procul sunt a periculo, cum sint homines clari, magnæ sunt auctoritatis ad faciendam fidem, etiam dum suam sententiam proferunt de qualitate facti illudque afferunt esse justum aut injustum. Maxime vero fide digni sunt testes antiqui, quia sunt incorrupti; testibus vero magis incorruptis major debetur fides.

9. Testes quidem non habenti illud servit, quod ex verisimilibus oportet judicare, et id significat mente optima esse, et quod non licet corrumpere verisimilia argento, et quod non arguuntur falsorum testimoniorum verisimilia.

10. Habenti vero contra non habentem, quod subjecta judicio non sunt verisimilia, et quod nihil opus esset testimoniis, si rationibus satis esset rem perspicere. Sunt autem testimonia partim de ipso partim de adversario, et alia quidem de facto alia vero de moribus.

11. Quare apparet nunquam fore ut careamus testimonio utili, quia si non adsit de re, quod aut sibi faveat aut controversanti adversetur, at de moribus ipsius aderit ad ostendendam probitatem vel controversantis improbitatem.

12. Alia vero de teste aut amico aut medio, aut probato aut infami aut medio, et quæcumque aliæ ejusmodi differentiæ ex iisdem locis ducendæ sunt, ex quibus etiam enthymemata ducimus.

9. Divisis generibus testium, superest, ut explicemus, quo pacto iis sit utendum, et qua ratione, cum suppetunt testes no-

stræ causæ faventes, eorum auctoritas sit augenda, cum desunt testes, eorum auctoritas sit minuenda. Cum igitur nullos pro causa testes possumus adducere, dicere debemus judicandum esse ex verisimilibus et hoc esse optima mente sententiam proferre, juxta jusjurandum a judicibus præstitum. Addendum est, quod verisimilia non possunt argento corrumpi sicut testes ac nunquam de falso testimonio fuerunt redarguta.

10. E converso, qui pro sua causa habet testes, cum adversarius non habeat, debet dicere magis credendum testibus quam verisimilibus; siquidem testes si mentiantur, possunt judicio subjici et puniri; verisimilia e converso si fallant, judicio subjici nequeunt. Addi potest, quod si rationes ex verisimilibus sufficerent, non esset utendum testibus; sed homines communiter utuntur testibus : ergo signum est, quod rationes non sufficiunt.

11. Addit Aristoteles vix unquam posse contingere, ut testibus pro causa, quam tuemur, uti non possimus. Ratio est, quia vel poterimus afferre testem pro reo, vel contra adversarium, vel ut testimonium perhibeat de facto, vel ut testimonium perhibeat de moribus; ergo vix poterit contingere, ut non possimus uti aliquo teste. Si enim non adsit testimonium de re vel nobis favens vel adversario contrarium, saltem non deerit testimonium de moribus, quo vel nostram probitatem vel adversarii nequitiam probemus.

12. Reliqua, quæ circa personam testis considerari possunt, atque illum reddunt fide dignum vel indignum, cujusmodi sunt, utrum sit amicus, inimicus vel neuter, utrum sit bonæ vel malæ conditionis vel neutrius, et alia hujusmodi, ex iisdem locis desumi possunt, ex quibus fiunt enthymemata, ideoque nihil hic est addendum.

CAPUT XV. — ART. III.

DE PACTIS

13. De pactis eatenus orationis usus est, quatenus ea auget aut diminuit, aut fide digna efficit aut indigna. Si pro se faciant, fide digna et rata, si pro adversario, contra. Atque ad ea quidem fide digna aut indigna reddenda, res nihil differt a testium tractatione; quales enim sint qui inscripti sunt aut qui asservant, his pacta fide digna sunt.

14. Cum vero constat adesse pactum, quod proprium sit, augendum est. Pactum enim lex est privata et secundum partem; et pacta quidem non efficiunt legem ratam, leges vero rata efficiunt, quæ cum lege conveniunt, pacta. Et omnino ipsa lex pactum quoddam est; quare quicumque non credit et tollit pactum, leges tollit. Præterea aguntur multa ex contractibus, et quæ sponte aguntur, ex pactis sunt; quare si irrita fiant, tollitur inter se usus hominum. Et alia quæcumque conveniunt, promptum est perspicere.

15. Quod si contrarium sit et faciat cum adversariis, primum quibus aliquis adversus legem adversantem pugnaverit, ea conveniunt. Absurdum enim est, si legibus quidem, cum minus recte latæ sint, sed fraudem fecerint, qui tulerunt, non putemus oportere obedire, at pactis necessarium putemus. Deinde convenit illud, justi dispensatorem essse judicem, ut non hoc ei spectandum sit, sed quod est justius. Et justum quidem non licere pervertere nec fraude nec necessitate, quia natura factum sit, pacta vero fieri et a deceptis et a coactis. Præterea convenit animadvertere, an contrariæ alicui sint aut ex scriptis legibus aut ex communibus et justis aut honestis. Præterea, an aliis pactis posterioribus aut prioribus; aut enim posteriora rata sunt et irrita priora, aut priora recta sunt et posteriora falsa. Utroque modo erit utile. Deinde expediet videre, si qua in parte adversentur judicibus, et quæcumque alia hujusmodi; etenim hæc facilia cognitu similiter sunt.

13. *Tertium*, unde desumuntur probationes inartificiales, sunt pacta, circa quæ debet ita orator versari, ut fidem illis adjungat aut eripiat, pactorum auctoritatem et valorem augeat aut minuat. Fidem pactis adjunget, ostendendo pacta, quæ feruntur, vere facta fuisse atque ita litigantes olim convenisse. Fidem demet, ostendendo pacta commentitia ac ficta esse. Ad ostendendum porro, pacta fide digna esse vel indigna, eadem argumenta sunt adhibenda, quibus ostenditur testes esse fide dignos aut indignos; siquidem quales sunt, qui pactis subscripserunt eaque signarunt, fide digni vel indigni, talia sunt pacta fide digna vel indigna.

14. Si vero in confesso sit apud litigantes pacta fuisse inita, si faveant causæ, augenda est pactorum auctoritas; si causæ adversentur, eorumdem auctoritas est minuenda. Ad augendam igitur pactorum auctoritatem ac valorem, orator dicet pacta esse legem quamdam privatam et particularem, adeoque non minus esse servanda quam leges. Addet pacta privata non firmare leges communes, at leges communes firmare pacta privatorum

juxta leges facta iisque robur adjungere, adeoque pacta quodammodo esse firmiora lege, siquidem et a se ipsis et a lege firmitudinem habent. Concludet ipsam legem nihil aliud tandem esse quam pactum quoddam, adeoque eum, qui pactis aufert fidem illaque evertit, legem simul evertere ac tollere. Confirmabit hoc idem ex inconvenienti. Plerique enim ex contractibus voluntariis fiunt per pacta; ergo si pacta irrita sint, tolletur mutuum inter homines commercium. Alia, quæ pactis confirmandis idonea sint, per se videre poterit orator.

15. Si pacta causæ adversentur, ad minuendam auctoritatem pactorum *primo* poterimus uti locis allatis ad minuendam auctoritatem legum. Absurdum enim est, ut putemus non esse obediendum legibus non recte, sed per dolum positis, pactis vero non recte constitutis necessario obediendum esse censeamus. *Secundo* dicemus judicem esse dispensatorem justi, adeoque providere debere, ut fiat non id, quod pactis est constitutum, sed id, quod justius est, etiamsi videatur esse contra pacta, præsertim cum justum, utpote naturale neque dolo neque vi ac necessitate possit distorqueri; pacta autem sæpe fiant et a deceptis per dolum et a coactis per vim. *Tertio* considerandum est, an pacta contraria sint aliquibus legibus scriptis ac propriis civitatis, vel legibus naturalibus et communibus, vel justis et honestis, vel aliis pactis, quæ ante aut post ab iisdem facta sunt. Si enim pacta contraria sint legibus, eo ipso sunt irrita; si contraria sint aliis pactis, si posteriora sunt rata, priora sunt irrita; si priora sunt rata, posteriora sunt irrita; adeoque hac pactorum contrarietate poterimus uti ad pacta causæ nostræ contraria evertenda. *Quarto* expedit etiam videre, an pacta contraria sint judicibus, et alia hujusmodi dictis similia, quæ facile poterit orator per se ipsum perspicere.

CAPUT XV. — ART. IV.

DE QUÆSTIONIBUS SEU TORTURIS

16. Quæstiones autem testimonia quædam sunt, habere vero videntur fidem, quia necessitas quædam in eis inest, non est igitur difficile earum vim intelligere, et quæ de eis dici possunt explicare; ex quibus, si sint propriæ, eas augere licet, quia veræ solæ ex testimoniis sint; si adversentur et cum adversario faciant, everterit aliquis veritatem dicens de universo genere quæstionum. Nihilo enim minus, qui coguntur, falsa dicunt quam vera, et tolerantes, ne dicant vera, et facile mentientes, ut requiescant citius. Oportet autem habere facultatem referendorum ad hæc præteritorum exemplorum, quæ sciunt judicantes.

16. *Quartum genus probationum* inartificialium desumitur ex quæstionibus seu torturis. Hoc igitur genus continet testimonia eorum, qui torquentur, qui videntur fide digni, quia per tormenta imponitur ipsis quædam necessitas dicendi verum. Non est igitur difficile, quæ ad testimonia eorum, qui torturæ subjiciuntur, spectant videre ac proferre. Si igitur causæ faveant, eorum auctoritas augenda est, dicendo ex omni testium genere eos solum, qui in tortura testimonium perhibent, veraces esse. Si vero contrarii sint causæ et faveant adversario, poterit quis eorum veritatem atque auctoritatem impugnare disserendo in genere de quæstionibus atque torturis, atque asserendo, quod ii, quibus per tormenta vis affertur, nihilo minus dicunt falsa quam vera et aliquando obstinate tolerant tormenta, ne proferant verum; aliquando falsa mentiuntur, ut citius a tormentis liberentur. Oportet autem, ut orator possit afferre exempla judicibus nota eorum, qui per tormenta interrogati falsa dixerunt.

CAPUT XV. — ART. V.

DE JUREJURANDO

17. Jurisjurandi vero quadripartita distributio est; aut enim offert et accipit, aut neutrum, aut unum quidem, alterum vero nequaquam, et ex his aut offert, non accipit, aut accipit, non offert. Præterea alius est considerandi modus, an juratum sit, et sic aut ab ipso aut ab illo.

18. Ac non offert quidem, quod facile pejerant, et quod juratus non reddit, hos autem etiam non juratum arbitratur damnaturos. Et quod hoc periculum melius est in judicibus, quia his quidem credit, illi vero nequaquam.

19. Non accipit, quod pro pecuniis jusjurandum est. Et quod si esset improbus, juraret, quia melius est causa alicujus rei improbum esse quam nullius; juratus enim habebit, non juratus nequaquam. Quare ob virtutem erit, sed non ob perjurium non jurare. Et illud Xenophanis quadrat, quod non æqualis provocatio ipsa est impio adversus pium, sed similis ac si robustus debilem ad verberandum vel vapulandum provocaret.

20. Si accipit, illud convenit, quod credit sibi, illi nequaquam, et illud Xenophanis invertendo dicendum sic, æquum esse, si impius offerat, pius juret, graveque esse nolle jurare ipsum, de quibus illos dignum judicat juratos judicare.

21. Si offert, quod pium sit velle diis rem committere, et quod non oportet ipsum alios judices rogare; ipsi enim offert ut judicet. Et quod absurdum est eum nolle jurare, de quibus alios dignum judicet jurare.

17. *Quintum* et *ultimum genus probationum* inartificialium desumitur ex jurejurando. Quadrupliciter porro circa jusjurandum habere nos possumus. Aut enim jusjurandum offerimus simul et accipimus, ita ut et nos petamus, ut adversarius juret, et nos ad instantiam adversarii juremus; aut neque juramentum offerimus neque accipimus; aut offerimus quidem, sed non accipimus; aut accipimus, sed non offerimus. Rursus aut nos antea juravimus, at ab adversario arguimur de perjurio; aut adversarius juravit ac de perjurio insimulatur. Explicandum est igitur, quo pacto quolibet ex his modis nos habeamus, causam nostram tueri possimus.

18. *Primo* igitur qui jusjurandum adversario non offert, potest dicere se ideo jusjurandum non offerre, quia homines improbi sæpe pejerant et quia si adversarius jurabit, pecuniam, de qua est controversia, non reddet; si vero non jurabit, arbitratur judices ipsos causam sibi adjudicaturos atque adversarium ad pecuniam solvendam condemnaturos. Addet se fidem habere judicibus utpote probis, diffidere adversario utpote improbo, adeoque quoniam res periculo est committenda, melius censere ipsam committere judicibus, qui jurati sententiam proferent quam adversario.

19. *Secundo* qui juramentum oblatum non accipit, factum suum tuebitur dicens, nolle se jurare pro pecunia, re scilicet vili. Addet, quod si pravus esset, juraret utique, siquidem melius est alicujus gratia esse pravum, quam nullum ex pravitate lucrum reportare, ac per juramentum lucraretur pecunias, quas, nisi juraret, obtinere non posset; ex virtute igitur ac religione, non ex metu perjurii procedere, ut non juret. Poterit etiam ad hanc rem accommodare dictum Xenophanis, quod non est æqualis provocatio, cum impius pium provocat ad jurandum, sed est similis provocationi, per quam robustus provocat imbecillem ad decertandum pugnis, ideoque sicut imbecillis a forti provocatus pugnam recusat, sic pium ac superos verentem jusjurandum detrectare.

20. *Tertio* qui jusjurandum accipit, dicet se ideo jusjurandum acceptare, quia fidit sibi ipsi ac scit se fide dignum; licet juramentum adversario non offerat, quia de ejus probitate diffidit eumque fide arbitratur indignum ac scit pejeraturum. Dictum etiam Xenophanis num. 19 allatum contrario modo est afferendum ac dicendum æquum esse, ut impius jusjurandum offerat, pius accipiat ac juret, siquidem nullum est periculum, ne pius pejeret. Addet indignum esse, ut de ea re nolit ipse jurare, de qua dignum existimat, ut judices jurati sententiam proferant.

21. *Quarto* qui juramentum adversario offert, dicet sanctum ac pium esse rem totam superis ac religioni jurisjurandi committere. Addet non oportere, ut adversarius alios judices deprecetur, siquidem ipsi adversario per jusjurandum causæ judicium committitur; absurdum autem videri, ut adversarius nolit de eo jurare, de quo dignum existimat, ut judices jurati sententiam proferant.

22. Et quoniam de singulis manifestum est quomodo dicendum sit, etiam copulando quomodo dicendum sit patet, ut si ipse quidem vult accipere at non offerre, et si offert quidem, accipere vero recusat, et si accipere et offerre vult, et si neutrum. Ex iis enim quæ dicta sunt, necesse est ut copulentur. Itaque etiam rationes necesse est copulari ex iis quæ dicta sunt.

23. Quodsi susceptum fuerit ab ipso contrarium, quod non est perjurium; sponte enim est injuriam facere, et pejerare est injuriam facere, quæ vero vi et fraude fiunt, non sponte sunt. Hic igitur concludendum est etiam perjurium esse in mente et non ore. Si vero ab adversario juratum fuerit, quod omnia subvertit qui non stat illis quæ juravit, quia hac de causa etiam legibus utuntur jurati. Et « vos quidem dignum judicamus stare illis quæ jurati judicetis; ipsi vero non stabimus »? Et quæcumque alia amplificando aliquis dixerit. Ac de artis quidem experte fide tam multa dicta sint.

22. *Quinto* quatuor modi explicati possunt quadrupliciter combinari. Vel enim quis juramentum accipit et non dat; vel dat et non accipit; vel dat simul et accipit; vel neque dat neque accipit. Quid porro, cum fiunt istæ combinationes modorum, dicendum sit, patet ex iis, quæ

docuimus esse dicenda, cum singuli modi ponuntur seorsim. Combinatis enim modis, rationes etiam combinandæ sunt. Ex. gr., cum quis juramentum simul dat atque accipit, rationem facti sui afferet producendo tum rationes, quibus uti debet, qui juramentum dat, tum rationes, quibus utitur, qui juramentum accipit.

23. *Sexto* si quis antea juravit, ac nunc arguitur, quod egerit contra juramentum, adeoque perjeraverit, ut defendat se non perjerasse, dicet perjurium esse speciem injustitiæ; injustitiam autem non nisi sponte committi; quæ vero fiunt per vim et dolum, non esse spontanea, adeoque non continere injustitiam neque perjurium. Se igitur, cum per vim ac dolum coactus fuerit ad jurandum, ore jurasse, non mente, perjurium vero non ore sed mente committi. Si vero adversarius ante juraverit ac nunc nolit stare juratis, dicendum est eum, qui stare nolit juratis, omnia pervertere, siquidem propterea constitutum est, ut de legibus non nisi a juratis judicibus tractetur, quia censemus omnino standum esse juratis. Ad hanc rem amplificandam addet: dignum existimamus vos judices debere stare iis, quæ concepto jurejurando judicaveritis, nos autem iis, quæ juravimus, non stabimus? Poterit etiam alia ad hoc augendum adjicere. Hæc igitur de probationibus inartificialibus dicta sufficiant. Et per hæc Aristoteles concludit librum primum Rhetoricorum.



RHETORICORUM

LIBER II

CAPUT I. — ART. I.

OSTENDITUR ORATIONEM DEBERE ESSE MORALEM ET AFFECTIVAM, ADEOQUE AGENDUM ESSE DE AFFECTIBUS.

1. [1] Ex quibus quidem oporteat tum suadere tum dissuadere, tum vituperare tum laudare, tum accusare tum defendere, et cujusmodi opiniones ac propositiones utiles sint ad faciendam harum rerum fidem, hæc sunt. De his enim et ex his enthymemata ducuntur, ut in unoquoque loquamur proprie genere orationum.

Quia orator debet persuadere non solum probationibus, sed etiam moribus et affectibus, ideo Aristoteles postquam lib. I. egit de probationibus, prima parte lib. II. agit de affectibus et moribus. Præmittit procœmium, in quo *primo* epilogat, quæ libro primo dicta sunt de propositionibus ac locis, ex quibus duci possunt probationes singulorum generum propriæ; *secundo* ostendit orationem, non solum debere esse probativam, sed etiam moralem et affectivam, adeoque agendum esse de affectibus et moribus.

1. *Quoad primum :* diximus lib. I, cap. XIII, num. 6, quod quandoquidem finis generis deliberativi est, ut ostendat aliquid esse utile vel perniciosum; finis generis demonstrativi est, ut ostendat aliquid esse honestum vel turpe; finis generis judicialis est, ut ostendat aliquid esse justum vel injustum; necesse est, ut in Rhetorica ponantur propositiones de omnibus his. Capitibus deinde sequentibus, ut huic Rhetoricæ muneri satisfaceremus, assignavimus primo propositiones et opiniones de utili et inutili; subjunximus propositiones et opiniones de honesto ac turpi; ac demum tradidimus propositiones de justis et injustis, et per hæc absolvimus doctrinam de iis, circa quæ versantur, et ex quibus fiunt enthymemata singulorum generum propria.

2. Quoniam vero causa judicationis est rhetorica (etenim consilia judicant, et judicium judicatio est), necesse est non solum ad orationem respicere, quomodo apta sit ad demonstrandum et ad fidem faciendam, sed etiam ipsum cujusdam modi et judicem comparare. Multum enim interest ad fidem maxime quidem in consiliis, deinde vero etiam in judiciis, tum si cujusdam modi appareat is qui dicit, tum si erga se existiment se habere quodammodo ipsum, tum vero si etiam ipsi affecti quodammodo sint. Ac cujusdam quidem modi apparere oratorem utilius in consiliis est, affectum vero esse aliquo modo auditorem in judiciis. Non enim eadem videntur amantibus et odio habentibus neque irascentibus et leniter habentibus, sed aut omnino diversa aut magnitudine diversa. Amanti enim is de quo habet judicationem, aut non injuste agere aut parum videtur injuste agere, odio autem habenti contrarium ; et cupienti quidem et bene speranti, si sit futurum jucundum, etiam fore et bonum fore videtur, affectus vero experti et dubitanti contrarium. Cur igitur ipsi sint fide digni qui dicunt, tres sunt causæ.

3. Tot enim sunt propter quæ fidem præstamus præter demonstrationes, nempe prudentia et virtus et benevolentia. Nam falsum sequuntur in iis de quibus dicunt vel consultant, aut propter omnia hæc aut propter horum aliquid. Aut enim propter imprudentiam non recte id opinantur ; aut opinantes recte, propter improbitatem quæ videntur non dicunt; aut prudentes quidem et probi sunt, sed non benevoli ; itaque contingit ut optima consilia non dent qui ea cognoscunt. Et præterea nihil est. Necesse igitur est,

qui omnia videatur hæc habere, eum esse apud auditores fide dignum. Jam unde prudentes et probi appareant, ex iis quæ de virtutibus explicata sunt sumendum est; ex iisdem enim et alterum aliquis et se ipsum comparabit talem. De benevolentia autem et amicitia in iis, quæ pertinent ad affectus, dicendum nunc est.

2. *Quoad secundum :* finis Rethoricæ est auditorem inducere ad aliquid judicandum; sed ad hoc, ut orator inducat auditores ad judicandum, non solum debet efficere orationem probativam et credibilem, sed etiam debet ostendere seipsum fide dignum ac disponere auditorem ad judicandum; hoc autem est efficere orationem non solum probativam, sed etiam moralem et effectivam ergo : Rhetorica debet docere artem non solum efficiendi orationem probativam, sed etiam moralem et effectivam. — Probatur et explicatur minor; ad hoc enim, ut auditores fidem adhibeant dicenti, multum refert, qualis orator videatur absolute, bonus nimirum an malus, prudens an imprudens, et qualiter videatur erga auditores affectus, benevolus nimirum an malevolus; magis enim, non solum in consiliis, in quibus hoc præsertim locum habet, sed etiam in judiciis creditur probis, prudentibus atque benevolis quam imprudentibus, improbis et malevolis. Rursus multum refert ad judicandum, quo pacto auditores afficiantur. Neque enim eadem videntur amantibus et odio habentibus, iratis et non iratis, sed aut videntur diversa omnino vel saltem diversa secundum magnitudinem; ex. gr., amanti is, de quo judicat, videtur vel non egisse injuste vel parum injuste egisse, odio habenti videtur contrarium; cupienti ac speranti id, de quo deliberatur, quia jucundum est, etiam fore ac bonum fore videtur; ei vero, qui desiderio et expectatione rei non tenetur, id, de quo deliberatur, nec fore nec bonum fore videtur; ergo, etc. Addit Aristoteles, quod hoc, quod est dicentem apparere talem, majorem vim habet ad fidem faciendam in consiliis quam in judiciis; e converso hoc, quod est audientes taliter per affectus disponi, majorem vim habet in judiciis quam in consiliis. Ratio est, quia in consiliis deliberamus de propriis, in judiciis judicamus de alienis; sed qui deliberat de propriis, plurimum considerat, qualis sit is, qui consilium dat, bonus an malus, prudens an imprudens, benevolus an malevolus; qui statuit de alienis, præcipue ducitur affectu amoris aut odii; ergo, etc.

3. Jam vero tria sunt, propter quæ homines efficiuntur fide digni, ita ut ipsis credatur non solum propter probationes, quas afferunt, sed etiam propter auctoritatem dicentium; prudentia nimirum, virtus ac benevolentia. Probatur ex contrario; eatenus enim aliquis in iis, quæ dicit, indignus est fide, quatenus censemus ipsum vel falli propter imprudentiam vel non ea, quæ sentit, dicere propter improbitatem, aut quia non est benevolus, neque aliud est, propter quod quis fide indignus esse possit; ergo necesse est, ut qui simul prudens est, probus ac benevolus, omnino sit dignus fide; ergo ut doceamus, quo pacto possit quis apparere fide dignus, debemus explicare, quo pacto possit quis apparere prudens, probus ac benevolus; sed ex iis, quæ libro primo de prudentia et virtutibus dicta sunt, patere potest, quo pacto nos possimus apparere prudentes ac probi; ex iisdem enim, ex quibus laudantes ostendimus alios esse prudentes ac probos, poterimus nos etiam tales apparere, si nobis insint : ergo reliquum est solum, ut explicemus, quo pacto possimus apparere benevoli; sed benevolentia et amor sunt quidam affectus : ergo de affectibus est agendum, ut sciamus non solum quo pacto debeamus auditores disponere ad judicandum, sed etiam quo pacto nos ipsi possimus apparere benevoli; ac primo quidem tradenda est definitio affectus.

CAPUT I. — ART. II.

QUID SINT AFFECTUS, AC QUÆ CIRCA ILLOS SINT CONSIDERANDA.

4. Sunt vero affectus, per quos, cum se immutent, differunt in judicationibus, quos sequitur molestia et voluptas, ut ira, misericordia, metus et quæcumque alia ejusmodi, et his contraria.

5. Oportet autem dividere ea quæ de unoquoque tradentur in tria, ut quæratur exempli causa de ira, tum quomodo affecti iracundi sint, tum quibus consueverint irasci, tum in quibus. Si enim unum vel duo teneamus ex his, et non omnia, fieri non poterit ut iram excitemus. Similiter vero etiam de aliis. Quemadmodum igitur et in iis quæ ante dicta sunt descripsimus propositiones, sic etiam in iis faciemus, et dividemus eo qui dictus est modo.

4. Affectus sunt, *quibus immutati non*

eodem modo de iisdem rebus judicamus et ad quos sequitur dolor et voluptas. Hæc definitio describit affectus per duos effectus, quorum alterum causant in intellectu, alterum in appetitu. Effectus, quem passiones causant in intellectu, est, ut cum aliqua passione perturbamur, diversimode de rebus judicemus, ac cum non perturbamur. Effectus, quem causant in appetitu, est voluptas ac dolor, ex quibus oritur, ut aliter de rebus judicemus. Exempla affectuum sunt ira, misericordia, timor etc. Ex affectu iræ sequitur dolor, si quis non ulciscatur; ex hoc autem dolore oritur, ut iratus judicet multa esse facienda, quæ, si non perturbaretur ira, censeret non esse facienda. Ex affectu misericordiæ sequitur dolor de miseria ejus, cujus miseremur; ex hoc autem dolore sequitur, ut judex cum misericordia est correptus, judicet, reum non esse condemnandum, quem, nisi misericordia correptus fuisset, condemnandum judicasset. Idem dic de aliis.

5. Quia affectus disponunt homines ad sic vel sic judicandum, orator ut auditores inducat ad judicandum prout voluerit, debet excitare affectus; ergo in Rhetorica debet tradi ars excitandi affectus; sed non possumus habere hanc artem, nisi sciamus, qualiter dispositi homines proni sint ad hos vel illos affectus, erga quas personas et quibus de causis talibus affectibus commoveantur: ergo circa singulos affectus, præmissa eorum definitione, tria hæc sunt consideranda; ex. gr. præmissa definitione iræ considerandum est primo, qualiter dispositi homines proni sint ad iram; secundo, quibus personis irascantur; tertio, quibus de causis irascantur. Horum enim trium aliquo non perspecto, licet reliqua teneamus, affectus excitare nequibimus. Sicut igitur ut traderemus artem probandi, attulimus propositiones, ex quibus possumus probationes conficere; sic ut tradamus artem excitandi affectus, afferemus ea, quæ proponenda sunt auditoribus, ut illos ad hos vel illos affectus commoveamus.

CAPUT II.

DE IRA AC DE ARTE IRAM EXCITANDI.

1. [2] Jam vero sit ira appetitio cum dolore conjuncta ejus quæ apparet ultionis, propter eam quæ apparet despicientiam vel in se vel in suorum quempiam non convenienter. Et quoniam talis est ira, necesse est ut is qui irascitur irascatur semper singularium alicui, ut Cleoni, sed non homini; et quia sibi aut suorum alicui fecit aut facturus fuit.

2. Præterea vero ut omnem iram consequatur aliqua voluptas ex spe ulciscendi; jucundum enim est existimare se consecuturum esse quæ appetit. Nemo autem quæ videntur fieri non posse appetit. At qui irascitur appetit quæ a se fieri possunt. Quamobrem recte dictum est de ira « dulcior effuso quæ melle in pectore crescit ». Consequitur enim voluptas quædam et ex hoc et ex eo, quia versantur in ulciscendo cogitatione. Quæ igitur tunc fit phantasia, voluptatem parit, ut quæ in somniis.

1. Ira definiri potest: *apparentis ultionis appetitus cum dolore conjunctus propter apparentem immerito in se vel in suos contemptum.* Quia vero nemo existimat se contemni, nisi ab aliquo singulari, propter hoc, quod sibi vel alicui suorum aliquid fecit vel facturus fuit, ideo nemo irascitur homini universali, sed solum alicui homini singulari, puta Cleoni, qui aliquid contra ipsum vel aliquem suorum videtur fecisse vel esse facturus.

2. Addit Aristoteles, quod licet juxta traditam definitionem ira includat dolorem de contemptu, adhuc ex ipsa sequitur etiam quædam voluptas orta ex spe et imaginatione ultionis. Explicatur. Nemo appetit, quæ putat fieri non posse; sed iratus appetit ultionem: ergo iratus sperat se posse ulcisci; sed unicuique jucundum est existimare ac sperare se posse consequi id, quod appetit; ergo iratus voluptatem sumit ex spe ultionis, ideoque bene de ira dictum est ab Homero: *Ira defluente melle dulcior in pectoribus virorum gliscit.* Præterea qui iratus est, dum cogitat de sumenda vindicta, imaginatur se talem vindictam sumere; hæc autem phantasia similis phantasiæ, qua somniantes imaginantur se vindictam sumere de inimicis; valde est jucunda.

Jam quia causa iræ est contemptus immeritus, explicandum est *primo*, quid sit contemptus, et quot sint ejus species; *secundo* quandonam contemptus censeatur immeritus; *tertio* magis in particulari est explicandum, quo pacto dispositi, quibus et ob quæ homines irascantur.

3. Et quoniam despicientia est actus opinionis in eo, quod nihil æstimandum videtur (etenim mala et bona digna arbitramur studio esse, et quæ referuntur ad hæc; quæ vero sunt nihil aut admodum parva, nulla re digna existimamus),

4. tres sunt species despicientiæ : contemptioque et incommodatio et contumelia. Qui enim contemnit, despicit ; quæ enim arbitrantur nulla re digna esse, ea contemnunt ; quæ vero nulla re digna sunt, despiciunt. Et qui incommodat, videtur contemnere ; est enim incommodatio impedimentum, quod fit voluntatibus non ut aliquid sibi eveniat, sed ut ne illi. Quoniam igitur non spectat, ut sibi aliquid eveniat, despicit. Id enim manifestum est, quia nec obfuturum existimat (nam timeret et non despiceret) ; nec profuturum ulla in re, quæ ullum habeat momentum (nam curaret, ut amicus esset). Et qui contumeliam infert, despicit ; est enim contumelia : nocere et molestum esse in iis, in quibus dedecus est patienti, non ut aliquid fiat sibi aliud, nisi quod fit, sed ut voluptatem percipiat. Etenim referentes non faciunt contumeliam vel ulciscuntur. Causa vero voluptatis est contumeliam facientibus, quod arbitrantur, malefaciendo se excellere magis ; quamobrem juvenes et divites contumeliosi sunt ; excellere enim se arbitrantur contumeliam inferendo. Contumeliæ vero est non æstimare, et qui non æstimat, despicit ; quod enim nulla re dignum est, nullam habet æstimationem nec mali nec boni. Quamobrem ait irascens Achilles : « Non æstimavit, quoniam ereptum donum ipse retinet » et « Tanquam non æstimandum profugum », ut qui propterea irascatur.

3. *Quoad primum* : contemptus sive parvipensio *est actus significativus opinionis, qua opinamur, alterum nulla vel parva existimatione dignum videri*. Bona enim et mala, et quæ ad illa conducunt, non despicimus, sed magno studio bona esse prosequenda, mala fugienda opinamur : ergo illa solum pro nihilo censemus habenda, quæ vel nihili esse vel admodum putamus esse pusilla.

4. Ex hac definitione oritur tres esse contemptus sive parvipensionis species, despicientiam, incommodationem et contumeliam. Quod despicientia sit species parvipensionis, probatur ; qui enim despicit, parvipendit, siquidem ea solum despicimus, quæ nullius pretii digna existimamus ; ergo despicientia est quædam parvipensio ac quidam despectus. —Quod etiam incommodans videatur parvipendere ac despicere, adeoque etiam incommodatio sit quædam parvipensio atque despectus, probatur ex definitione incommodationis ; est enim incommodatio : *studium alteri adversandi et ejus desideria impediendi, non ut nos aliquid commodi consequamur, sed ne ille voti compos fiat ;* qui igitur alteri adversatur, ne voti compos fiat, illum parvipendit ; manifeste enim existimat se ab eo lædi non posse ; si enim existimaret se lædi posse, illum non despiceret, sed timeret ; existimat præterea se in nulla re ab eo posse juvari ; alioquin curaret, ut illi esset amicus ; ergo censet illum in nullo pretio esse habendum.—Demum quod etiam qui contumeliam infert, parvipendat, adeoque ; contumelia sit species parvipensionis, probatur ex definitione contumeliæ ; contumelia enim est : *alterum lædere et dolore afficere in iis, ex quibus patienti sequitur dedecus, non ut damnum inferens aliquid commodi consequatur, neque quia aliquid mali sit passus, sed ut delectetur dedecore et malo patientis*. Particula illa *non quia aliquid mali sit passus*, addita est, quia qui damnum aut dedecus infert, quia est passus, non infert contumeliam, sed ulciscitur ; sed qui dedecus infert solum, ut alterius malo delectetur, parvipendit ; ergo contumelia est parvipensio. Causa porro, cur contumelia alios afficientes delectentur, est, quia existimant se magis illis excellere, cum inferunt aliquid mali ; sed jucundum est excellere ; ergo jucundum est contumeliam inferre ; ideoque adolescentes ac divites, quia amant excellentiam, proni sunt ad contumelias inferendas. Ad contumeliam reducitur dehonoratio, et etiam, qui dehonorat, parvipendit. Quod enim nullam habet dignitatem, in nulla est existimatione, neque in ea, in qua sunt res bonæ, neque in ea, in qua sunt res malæ. Idcirco Achilles iratus apud Homerum de contumelia sibi ab Agamemnone illata cum matre conquerens dicit : *Dehonoravit me ac præmium mihi ab exercitu datum ipse retinet ;* et alibi dicit : *Tanquam aliquem exulem inhonoratum me tractavit*.

5. Convenire autem arbitrantur se magni fieri ab inferioribus genere, facultate, virtute, et omnino eo in quo aliquis longe excellit, ut in pecuniis dives pauperi, et in dicendo eloquens ei qui dicendo non valet, et imperans ei cui imperatur, et qui existimatur esse dignus qui imperet, ei qui dignus cui imperetur. Quamobrem dictum est « ira est magna ab Jove natorum regum », et alibi « Conceptam tamen iram servat » ; molestiam enim habent propter excellentiam. Præterea a quibus aliquis putat benigne fieri oportere. Isti autem sunt, quos beneficio affecit vel afficit aut ipse aut suorum aliquis aut propter ipsum, vel vult vel voluit.

5. *Quoad secundum* : tum homines censent immerito se contemni ac parvipendi, cum contemnuntur et parvipenduntur ab

iis, a quibus arbitrantur se debere magni fieri; sed homines existimant se debere magni fieri ab inferioribus genere, potentia, virtute et universim ab iis, quibus in aliquo genere valde excellunt; ex. gr., quia dives valde in divitiis excellit pauperi, putat se magni faciendum a paupere; ex eadem ratione eloquens arbitratur se magni faciendum ab ineloquente; imperans ab eo, cui imperatur; et is, qui existimatur dignus imperare, ab eo, qui existimatur dignus imperio subesse: ergo omnes isti cum contemnuntur, existimant se immerito contemni, ideoque vehementer irascuntur. Quare Homerus cecinit : *Magna est ira a Jove natorum regum*, et alibi : *Postea retinent iram;* stomachantur nimirum, quia cæteris excellunt. Censent etiam homines se immerito contemni ab iis, a quibus existimant se debere recipere beneficia, et quia existimant se debere recipere beneficia ab iis, quibus beneficia contulerunt vel conferunt vel voluerunt aut volunt conferre aut ipsi aut aliqui ad eos pertinentes; ideo cum a talibus contemnuntur, existimant se immerito contemni ac vehementer irascuntur.

6. Apparet igitur jam ex his, quo modo se habentes irascantur ipsi, et quibus, et propter quæ ; ipsi enim, cum dolent. Nam appetit aliquid dolens. Sive igitur directo obstiterit aliquis, ut sitienti ad bibendum, sive non directo similiter idem videatur efficere, et si refragetur aliquis, et si non suffragetur, et si qua alia in re turbarit sic se habentem, omnibus irascitur. Quamobrem ægrotantes, paupertate laborantes, amantes, sitientes, omnino cupientes et non recte agentes iracundi sunt et qui concitentur idonei, maxime quidem adversus eos qui præsentem statum despiciunt, ut ægrotans quidem in iis quæ pertinent ad morbum, paupertate autem laborans in iis quæ ad paupertatem, bellator in iis quæ ad bellum, amator in iis quæ ad amorem. Similiter vero etiam in aliis ; præparatur enim quisque ad suam cujusque iram ab inhærente affectu. Præterea vero si contraria acceperit; molestiam enim affert majorem, quod multum etiam præter opinionem est, quemadmodum etiam delectat, quod multum præter opinionem est, si factum sit quod vult. Quamobrem et horæ et tempora et affectiones et ætates ex his apparent, quales aptæ sint ad commotionem iræ et quando et ubi, et ut, quo magis in eis sunt, aptiores etiam sunt ad commotionem. Ac ipsi quidem sic se habentes facile ad iram concitantur.

6. *Quoad tertium* : ex his potest explicari magis in particulari, quo pacto homines affecti irascantur, quibus et quas ob causas. Homines igitur cum dolent, proclives sunt ad iram. Ratio est, quia qui dolet, alicujus rei cupiditate tenetur; ergo non est mirum, si irascatur omnibus, qui cupiditati ejus adversantur sive directe, ut cum quis adversatur sitienti, ne bibat, sive licet non directe adversetur, aliquo modo videatur adversari. Irascuntur etiam, cum quis illis refragatur vel non suffragatur vel alio modo turbationem affert. Idcirco ægrotantes, paupertate laborantes, amantes, sitientes et universim aliquid desiderantes, cum res illis e sententia non procedunt, iracundi sunt ac facile excandescunt, præsertim adversus eos, qui videntur illos contemnere in iis, quæ ad præsentem eorum miseriam spectant. Ex. gr., ægrotantes vehementer excandescunt, cum contemnuntur in iis, quæ spectant ad morbum; bello conflictati, cum parvipenduntur ab iis, quæ spectant ad bellum; amantes, cum nemo ipsis præsto est in iis, quæ spectant ad amorem, etc., idemque dic de aliis. Unusquisque enim præparatur ad irascendum de hoc vel illo ab insito dolore et desiderio, quo laborat. Porro hi ipsi magis irascuntur, cum ipsis accidunt spei et opinioni contraria; sicut cum voti compotes præter opinionem efficiuntur, magis delectantur. Ex dictis potest inferri, quibus horis, temporibus, dispositionibus et ætatibus homines sint ad iram procliviores, adeoque facilius concitari possint. Per hæc igitur patet, quo pacto homines affecti sint ad iram proni.

7. Irascuntur autem et iis qui irrident, et iis qui subsannant, et iis qui illudunt; contumeliam enim faciunt. Et iis qui in eis nocent, quæ contumeliæ signa sunt. Necesse autem est ut talia sint, quæ neque pro re aliqua neque utilia agentibus sunt ; jam enim videntur propter contumeliam. Et maledicentibus et contemnentibus in iis quibus ipsi maxime student, ut qui in Philosophia cupiunt alios superare, si quis invehatur in philosophiam ; qui vero in forma corporis, si quis in formam. Similiter vero etiam in aliis. Atque hæc multo magis, si suspicentur ea non adesse sibi vel omnino vel non firme, vel non existimari. Quod si valde existiment se hærere in iis in quibus illuduntur, non curant. Et amicis magis quam non amicis ; arbitrantur enim convenire magis, se ab ipsis beneficio affici quam non. Et iis qui consueverint honorare aut curare, si non amplius sic conserventur ; etenim ab his arbitrantur se contemni ; idem enim facturos. Et iis qui non reddunt beneficium nec par reddunt, et iis qui contraria faciunt ac ipsi, si

inferiores sint; contemnere enim omnes ejusmodi videntur. Atque hi quidem ut, eos qui inferiores sint, illi vero tanquam ab inferioribus beneficio affecti. Et iis qui in nulla sunt existimatione, si despiciant, magis; positum enim est iram esse despicientiæ adversus non convenienter se gerentes, convenit autem inferioribus non despicere. Et amicis, si non bene dicant aut faciant, et præterea magis, si contraria faciant, et si non sentiant ipsos indigere, ut Antiphontis Plexippus Meleagro; despicientiæ enim non sentire signum est; quæ enim curamus, non latent. Et iis qui gaudent rebus adversis, et omnino iis, qui bono animo sunt in ipsorum rebus adversis; aut enim inimici aut despicientis signum est. Et iis qui non curant, si molesti sint; quamobrem et mala nuntiantibus irascuntur. Et iis qui aut auscultant de ipsis aut spectant ipsorum mala; similes enim sunt aut iis qui despiciunt aut inimicis. Amici enim condolent, spectantes vero propria mala omnes dolent. Præterea despicientibus apud quinque hominum genera: apud eos quibuscum de honore concertant; apud eos quos admirantur; apud eos quibus volunt se admirationi esse; apud eos quos reverentur, et inter eos qui reverentur ipsos; inter hos, si quis despiciat, irascuntur magis. Et iis qui in ejusmodi rebus despiciunt quas ipsis turpe est non adjuvare, ut parentes, filios, uxores, subditos. Et gratiam non agentibus; præter conveniens enim est despicientia. Et dissimulatione utentibus apud eos qui serio agunt, quia pertinet ad contemptionem dissimulatio. Et iis qui de aliis bene meriti sunt, si non etiam de ipsis; etenim id pertinet ad contemptionem, non æstimare dignum iis, quibus omnes dignos æstimet, etiam ipsum. Conficiens vero iræ etiam oblivio est, ut quæ etiam nominum fere est; despicientiæ enim videtur etiam oblivio signum esse. Nam propter non curantiam oblivio fit; at non curantia despicientia est. Ac quibus quidem irascuntur, et quomodo se habentes, et propter quæ, dictum est. Manifestum autem est oportere ipsos parare oratione tales, quales, cum sunt iracunde, se habent, et adversarios iis rebus affines, in quibus irascuntur, et tales, qualibus irascuntur.

7. Explicandum est jam, quibus homines irascuntur. *Primo* homines irascuntur irridentibus, subsannantibus et illudentibus; siquidem a talibus contumelia afficiuntur. *Secundo* irascuntur iis, qui eos damno afficiunt in quibusdam, quæ contumeliæ signa sunt. Necesse autem est, ut sint signa contumeliæ, quæcumque ita alteri nocent, ut nocentibus non prosint neque ad ullum alium finem videntur ordinari. *Tertio* irascuntur vituperantibus ac contemnentibus in iis, quibus ipsi maxime student; ex. gr., qui philosophia cupiunt excellere, irascuntur iis, qui in hoc ipso eos spreverint; qui multum sibi tribuunt in forma et pulchritudine, irascuntur iis, qui eorum pulchritudinem contemnunt. Porro hi multo magis excandescunt si suspicentur, eas dotes, quibus student, vel sibi non adesse vel se illis non excellere vel ab aliis existimari, quod non excellant; cum vero certo existimant se talibus dotibus præstare, nihil curant eos, qui sibi in talibus illudunt. *Quarto* magis adhuc irascuntur, si aliquid dictorum patiantur ab amicis quam ab aliis, quos amicorum loco non habent. Existimant enim se ab amicis beneficia debere recipere, non autem ullo incommodo vel contumelia aut dolore affici. *Quinto* irascuntur iis, qui cum consueverint ipsos honorare eorumque curam ac patrocinium gerere, postea idem non faciunt, quia arbitrantur se despici; nisi enim despicerent, consuetis honoribus videntur illos prosecuturi. *Sexto* irascuntur iis, qui beneficiis affecti vel beneficia non referunt, vel non referunt æqualia; in eos etiam excandescunt, qui cum inferiores sint, ipsis adversantur. Ratio est, quia omnes isti videntur contemnere. Qui enim ipsis adversantur, videntur eos inferiores existimare, alioquin adversari non auderent; qui vero beneficia non rependunt vel rependunt minora, videntur existimare se ab inferioribus, adeoque obsequia debentibus accepisse. *Septimo* magis adhuc irascuntur, si arbitrantur se despici ab iis, qui in nulla sunt existimatione. Ratio est, quia in definitione iræ positum est iram esse propter contemptum immeritum; sed qui in nulla sunt existimatione, immerito contemnunt; ergo maxime provocant ad iram. *Octavo* irascimur amicis, nisi verbis nos ornent aut factis de nobis benemereantur, et magis adhuc, si contraria his faciant, vel si nos indigere non sentiant; ideoque apud Antiphontem Plexippus iratus est Meleagro, quod quibus ipse rebus egebat, non intellexerit. Ratio est, quia signum contemptus videtur, quibus amicus indigeat, non perspicere; ea enim, quorum solliciti sumus, non latent. *Nono* irascuntur iis, qui in eorum calamitatibus aut lætantur aut nihil commoventur; qui enim lætantur, hostilem; qui non commoventur, contemnentem animum præferunt. Ex eadem ratione excandescunt in eos, qui cum dolent, non curant, ideoque succensent infortuniorum nuncium afferentibus. *Decimo* irascuntur iis, qui æquo

animo audiunt aut vident eorum mala; similes siquidem sunt inimicis aut contemnentibus. Sicut enim omnes dolent spectantes propria mala, sic amici dolent spectantes mala amicorum. *Undecimo* magis excandescunt contra eos, a quibus contemnuntur apud quinque hominum genera: *primo* apud eos, cum quibus de honore ac gloria contendunt; *secundo* apud eos, quos admirantur; *tertio* apud eos, quibus cupiunt admirationi esse; *quarto* apud eos, quos reverentur; *quinto* demum apud eos, quibus venerationi sunt. *Duodecimo* irascuntur iis, qui contemnunt ipsos lædendo eorum parentes, filios, uxores, subditos aliosque, quos non adjuvare et ab omni injuria defendere turpe est ipsis. *Decimo tertio* irascuntur gratias non referentibus; videntur enim contemnere et immerito contemnere. *Decimo quarto* succensent iis, qui cum serio agentibus ironia et dissimulatione utuntur; ad contemptum enim spectat talis dissimulatio et ironia. *Decimo quinto* irascuntur iis, qui cum aliis pæne omnibus beneficia contulerint, ipsos beneficiorum participes non efficiunt; dum enim eos indignos arbitrantur beneficiis, quibus cæteros pæne omnes dignos censent, despectui videntur habere. *Decimo sexto* movet etiam ad iram oblivio, ut si pæne nomen alicujus obliti fuerimus; oblivio enim videtur signum contemptus, siquidem ea, quæ curæ sunt, e memoria nunquam elabuntur. Patet igitur ex dictis qualiter affecti homines irascantur et quibus ac quas ob causas irascantur. Ex his autem infertur oratorem, ut ad iram moveat, debere auditores oratione tales efficere, quales sunt, qui ad iram sunt proclives, et ostendere, adversarios iis rebus ac culpis affines esse, quæ ad iram concitant, ac tales esse, quales sunt, quibus irasci homines consueverunt.

CAPUT III.

DE PLACABILITATE AC DE ARTE PLACANDI IRAM.

1. [3] Quoniam vero irasci et deliniri contraria sunt, et ira et delinitio, sumendum est, et quomodo se habentes lenes sint, et erga quos leniter se habeant, et per quæ leniantur.

2. Sit igitur delinitio sedatio et remissio iræ. Si ergo irascuntur despicientibus, despicientia vero est sponte, manifestum est et iis, qui nihil horum faciunt vel non sponte faciunt, vel apparent tales, lenes esse.

3. Et contraria iis quæ fecerunt volentibus. Et quicumque etiam in se tales sunt; nemo enim se videtur despicere. Et confitentibus et quos pœnitet; quasi enim loco pœnæ molestia afficiantur in iis quæ facta sunt, requiescunt ab ira. Signum vero est in famulorum castigatione; infitiantes enim et contradicentes magis castigamus; verum adversus confitentes juste se castigari, conquiescimus excandescentes. Causa vero est, quod impudentia est manifesta negare; at impudentia est despicientia et contemptio; quos igitur valde contemnimus, apud eos pudore non afficimur. Et se submittentibus et non contradicentibus; videntur enim confiteri se inferiores esse. At inferiores timent; qui vero timet, nemo despicit. Adversus autem se submittentes requiescere iram, etiam canes manifestum faciunt, non mordentes eos qui prostrati sunt. Et serio agentibus cum serio agentibus; videtur enim curari, sed non contemni. Et iis qui in re majore gratificati sunt. Et rogantibus ac deprecantibus; submissiores enim sunt. Et contumeliosis ac subsannantibus atque despicientibus aut nullius aut non bonorum, aut non talium quales ipsi sunt. Omnino autem ex contrariis oportet considerare ea quæ, pertinent ad leniendum. Et iis quos timent, et propter quos pudore afficiuntur; quoad enim ita se habeant, non irascuntur; fieri enim non potest, ut simul timeant et irascantur. Et iis qui per iram fecerunt, aut non irascuntur, aut minus irascuntur: non enim propter despicientiam videntur egisse. Nemo enim qui irascitur, despicit; etenim despicientia vacat dolore, ira vero cum dolore est. Et iis qui propter ipsos pudore afficiuntur.

1. Quia irasci et placari contraria sunt, adeoque placatio contraria est iræ, sequitur, ut cum egerimus de ira, agamus de placabilitate, atque ejus definitione præmissa explicemus, quo pacto affecti homines sint placabiles, quibus sint placabiles et per quas causas placentur.

2. Placabilitas seu lenitas definiri potest: *iræ sedatio atque remissio.* Quia igitur homines irascuntur contemnentibus, contemptus vero provocans ad iram debet esse voluntarius atque spontaneus, placabiles erunt iis, qui nihil faciunt pertinens ad contemptum vel non sponte faciunt vel videntur non sponte fecisse.

3. Sed adhuc debet magis in particulari explicari, quibus homines sint placabiles, quo pacto affecti placentur, et per quas causas placentur. *Primo* igitur homines sunt placabiles iis, qui etiamsi ipsos læserint, adhuc non voluerunt lædere, sed potius voluerunt contrarium; eo enim ipso apparet læsionem non ex contemptu, sed ex infortunio fuisse profectam. *Secundo* sunt placabiles iis, qui tales

sunt erga se ipsos, quales erga alios fuerunt. Cum enim nemo contemnat se ipsum, qui ita se cum altero gerit, sicut cum se ipso, videtur alterum non contemnere. *Tertio* placabiles sunt homines iis, qui se fecisse fatentur, et quos pœnitet fecisse; quasi enim dolor, quo afficiuntur, sit loco pœnæ, quam irati expetunt, cessant ab ira. Signum hujus est, quod dum famulos cædimus, negantes et contradicentes magis cædimus; cum vero fatentur se juste plecti, placamur ab ira. Ratio vero est, quia negare, quæ manifesta sunt, est quædam impudentia; sed impudentia continet contemptum, siquidem apud eos tantum nos non pudet, quos valde contemnimus; ergo qui negat manifesta, provocat ad iram. *Quarto* placamur iis, qui se ipsos humiliant nec audent contradicere. Eo enim ipso se fatentur inferiores; sed inferiores timent, adeoque non contemnunt; nemo enim contemnit eum, quem timet: ergo, etc. Quod autem ira placetur, cum quis se humiliat, patet ex canibus, qui eos, qui se humi abjecerunt, non mordent. *Quinto* sicut qui ironice agunt cum serio agentibus, videntur contemnere, ideoque provocant ad iram, sic serio agentes placabiles sunt cum serio agentibus, quia videntur eos studio, non contemptu dignos existimare. *Sexto* placabiles sunt iis,qui si in aliquo læserint, postea majori in re gratificantur. *Septimo* placamur rogantibus ac deprecantibus. Humiliores enim sunt adeoque omnem contemptus suspicionem abstergunt. *Octavo* placamur iis, qui non solent contumelia afficere, subsannare vel despicere ullum, vel saltem non solent contemnere bonos aut tales, quales nos sumus; eo enim ipso interpretamur nos non fuisse læsos ex animo contemnendi. Universim igitur placamur ex causis contrariis iis, quæ movent ad iram. *Nono* placabiles sunt iis, quos timent et reverentur; neque enim fierit potest, ut dum aliquem timemus, eidem irascamur. *Decimo* non irascimur iis, qui nos læserunt irati; neque enim videntur ex contemptu læsisse. Contemptus siquidem dolore vacat, ira est cum dolore; ergo qui irascitur, non despicit. *Undecimo* neque irascimur iis, qui nos reverentur, cum veneratio sit contraria contemptui. Patet igitur ex dictis, quibus homines sint placabiles.

4. Et qui se habent contrario modo ac illi, qui irascuntur, profecto lenes sunt, ut in ludo, in risu, in festo, in felici die, in recta actione, in saturitate, omnino in indolentia et voluptate sine contumelia et in spe æqua. Præterea vero, qui commorati sunt in ira et non recenter irascuntur; sedat enim iram tempus. Sedat vero etiam alterius iram majorem de alio sumpta pœna prius. Quamobrem recte Philocrates, dicente quodam, cum irasceretur populus, quid te non defendis? « Nondum » inquit. Verum quando? « Cum alium videro in crimen vocatum ». Lenes enim fiunt, cum in alium iram consumpserunt, quemadmodum contigit in Ergophili casu ; magis enim ei succensentes quam Callistheni, eum dimiserunt, propterea quod Callisthenem pridie morte multaverant. Et si convicerint. Et si majus malum passi sint, quam ii qui irascuntur, attulissent; quasi enim se sumpsisse pœnam putant. Et si se injuste agere arbitrantur et juste pati ; non oritur enim ira adversus justum, quia non amplius præter id, quod convenit, putant se pati ; ira autem id ipsum erat. Quamobrem oratione oportet prius castigare ; moleste enim ferunt minus, dum castigantur, etiam servi. Et si eos non sensuros esse putant se ab ipsis offendi, et pro quibus passi sint ; nam ira singularium est; idque patet ex definitione. Quamobrem recte scriptum est: « Dicito Ulyssem eversorem, » quasi non ultus esset, si non sensisset et a quo et pro quo. Quare neque aliis, quicumque non sentiunt, irascuntur, neque mortuis amplius, quippe qui passi sint extremum et non sint dolituri, neque sensuri, quod illi, qui irascuntur, appetunt. Itaque bene de Hectore poeta, cum mitigare vellet Achillem ab ira adversus mortuum: « Mutam equidem terram verberat ».

5. Manifestum igitur est, iis qui lenire volunt, ex his locis dicendum esse, ipsos quidem parantibus ejusmodi, illos vero quibus irascuntur, aut metuendos aut reverentia dignos aut bene meritos aut invitos aut valde dolentes iis, quæ facta sunt.

4. Superest ut explicemus, quo pacto homines affecti facile placentur. *Primo* igitur homines placabiles sunt, cum sunt in dispositione iræ contraria; sed dum ludo vacant ac risui, dum diem festum ac faustum celebrant, dum aliquod negotium feliciter peregerunt, dum saturi sunt, et universim dum dolore vacant ac voluptate non contumeliosa bonaque spe perfruuntur, sunt in dispositione contraria iræ ; ergo dum ita se habent, sunt facile placabiles. *Secundo* placabiles sunt qui non recenter irascuntur, sed diu morati sunt in ira; tempus enim placat iram. *Tertio* placabiles sunt qui paulo ante de altero ultionem sumpserunt. Ultio enim sumpta de altero, etiam cui minus fuerimus irati. habet vim placandi majorem iram adversus alterum conceptam. Ideo

bene Philocrates, cum quidam interrogasset, cur populo adversus ipsum irato non responderet, inquit : « Nondum est tempus respondendi, sed tum populo satisfaciam, cum alium videro in crimen vocatum ». Placabiles enim homines uni fiunt, cum iram in altero puniendo consumpserint, ut Ergophilo contigit. Cum enim populus Atheniensium Ergophilo magis quam Callistheni succensuisset, quia tamen pridie Callisthenem capitis damnaverat, Ergophilum dimisit. *Quarto* cum quis alterum aperte convicerit aut videt eum, qui læsit, majus malum fuisse passum, quam ipsemet intulisset, facile placatur; putat enim se pœnam quodammodo sumpsisse. *Quinto* placabiles sunt qui se injuste egisse arbitrantur ac juste pati. Non enim irascimur juste lædentibus, quia non putamus nos immerito pati; ira autem, ut in ejus definitione dictum est, oritur ex eo, quod quis existimat se immerito contemni. Idcirco rationabiliter oporter eos, qui castigandi sunt, castigare; nam ipsimet servi, cum non sine ratione puniuntur, minus inique ferunt. *Sexto* placabiles sunt, qui putant eos, de quibus ultionem sument, non intellecturos, se ab ipsis puniri. Ratio est, quia ut ex definitione iræ est manifestum, ira appetit ultionem de eo homine singulari, qui contempsit, ut penitus doleat se contempsisse ac desinat contemnere; ergo cum putamus non intellecturum, defervescit ira. Idcirco bene Homerus lib. XI. Odysseæ Ulyssem induxit, postquam oculum Cyclopi eruit, id ipsi manifestantem ac dicentem : *Si quis Cyclops te interrogaverit, quis oculum eruerit, dicito Ulyssem urbium eversorem eruisse;* quasi non esset de Polyphemo ultus, nisi scivisset, a quo et cujus gratia tam male mulctatus fuisset. Hinc oritur, ut non irascamur iis, qui non sentiunt, neque mortuis, quasi jam ultimum malorum fuerint passi et non sint ultionem sensuri neque dolituri; irati autem appetunt, ut is, quem puniunt, sentiat ac doleat se puniri. Bene igitur Homerus, cum furorem Achillis adversus Hectorem mortuum mitigare vellet, dicit : Surdam ac non sentientem terram verberas.

5. Quia igitur homines cum sic afficiuntur, sunt placabiles, debet orator conari, ut illos sic affectos reddat. Et quia facile placantur iis, qui tales sunt, debet ostendere eos, quibus irascuntur, esse tales, puta metuendos vel veneratione dignos vel de ipsis benemeritos vel læsisse invitos vel valde dolere, quod læserint etc.

CAPUT IV.

DE AMORE ET ODIO, AMICITIA ATQUE INIMICITIA AC DE ARTE MOVENDI AD AMOREM ET ODIUM.

1. [4] Jam quos ament et odio habeant, et quamobrem, amicitiam et ipsum amare cum definiverimus, dicamus.

2. Sit igitur amare, velle alicui quæ putat bona, illius causa sed non ipsius, et pro viribus effectorem esse eorum. Amicus vero est, qui amat et redamatur, et putantur amici esse, qui sic se habere existimantur invicem.

3. His positis necesse est amicum esse simul lætantem bonis et simul dolentem molestis, non propter aliquid aliud, sed propter illum ; secutis enim iis quæ volunt, gaudent omnes, contrariis vero dolent ; quare et voluntatis signum sunt dolores et voluptates. Et quibus jam sunt eadem bona et mala. Et qui sunt iisdem amici et qui iisdem inimici ; necesse enim est, ut hi eadem velint. Quare qui ea quæ sibi, etiam alii vult, ei videtur amicus esse.

1. Sequitur, ut agamus de amore et odio, amicitia atque inimicitia, et ut explicemus, quales homines, quibusque de causis amore vel odio prosequamur. *Primo* igitur præmittendum est, quid sit amare, quid amicitia et quid amicus : *secundo* ponendæ sunt propositiones, ex quibus potest ostendi aliquos esse invicem amicos; *tertio* explicandum est, quosnam soleamus amore prosequi; *quarto* assignandæ sunt species et causæ amicitiæ; *quinto* agendum est de inimicitia atque odio et de differentia iræ ab odio.

2. *Quoad primum* : amare *est velle alicui, quæ bona quis putat, non sui, sed illius gratia eorumque activum esse, in quantum potest.* Duæ igitur conditiones requiruntur ad amorem. Prima est, ut velimus alicui bona; secunda ut talia bona faciamus in quantum possumus. Amicus *est, qui alterum ita amat ut redametur.*

3. *Quoad secundum :* ex traditis definitionibus possumus inferre propositiones seu locos utiles ad ostendendum aliquos esse invicem amicos. Prima propositio est : necesse est illum esse alteri amicum, qui bonis illius congaudet, malis condolet. Ratio est, quia unusquisque gaudet, cum fit ut vult, dolet vero, cum fit non ut vult, ideoque dolores et voluptates sunt

signa voluntatis; ergo qui gaudet bonis alterius, dolet malis, vult illi bona, non vult mala; sed in hac voluntate consistit amor; ergo amat, adeoque, si mutuo congaudent bonis et condolent malis, mutuo se amant ac sunt amici. Secunda propositio est: ii, quibus eadem bona et mala sunt, amici sunt invicem; amicorum enim omnia communia. Tertia propositio est: ii sunt amici, qui iisdem sunt amici atque inimici; eo enim ipso eadem volunt. Quarta propositio est; qui eadem, quæ vult sibi, vult etiam alteri, videtur amicus illius. Ratio est : quia amicitia est, per quam quis ita est erga alterum affectus sicut erga seipsum.

4. Et eos qui benefecerunt amant aut ipsis aut iis quos caros habent, aut si valde, aut si prompte, aut si in talibus occasionibus, et ipsorum causa, aut eos quos putant velle benefacere.

5. Et amicorum amicos, et amantes eos, quos ipsi amant, et qui amantur ab iis, qui amantur a se ipsis, et eisdem inimicos, et odio habentes eos, quos ipsi odio habent, et qui odio habentur ab eis, qui a se ipsis odio habentur; omnibus enim his eadem bona videntur esse ac sibi ipsis, ut velint quæ ipsis bona sunt; id quod erat amici.

6. Præterea beneficos in pecunias et salutem; quamobrem liberales et fortes honorant et justos. Tales autem existimant non aliunde viventes. Et tales sunt qui vivunt ex labore, et inter hos qui ex agricultura, et inter alios opifices maxime. Et temperantes, quia non injusti. Et ab agendo remotos propter idem. Et quibus volumus amici esse, si videantur velle ; sunt autem ejusmodi tum boni ex virtute, tum qui bona existimatione sunt aut apud omnes aut apud optimos, aut apud eos qui suspiciuntur ab ipsis, aut apud eos qui suspiciunt ipsos.

4. *Quoad tertium:* explicandum jam est, quosnam soleamus amore prosequi. — *Primo* amare solemus eos, qui nobis aut iis, qui nostræ curæ commissi sunt, benefecerunt vel in magnis vel libenter et magna animi promptitudine vel in quibusdam occasionibus, in quibus eorum ope indigebamus, vel etiamsi non benefecerint, habent voluntatem benefaciendi non propter suum, sed propter nostrum commodum.

5. *Secundo* amamus amicorum nostrorum amicos eosque, qui amant eos, qui a nobis amantur, et ab iis amantur, quos nos amamus, nec non inimicos iis, quibus nos inimici sumus, et odio habentes eos, quos nos odio habemus, et odio habitos ab iis, quos nos odio prosequimur. Ratio est, quia iis, qui sunt eorumdem amici vel inimici etc. videntur esse eadem bona ac mala: ergo convenimus cum ipsis in hoc, ut eadem velimus ac nolimus et ut ea velimus ipsis, quæ volumus nobis ipsis; sed amici proprium est velle alteri, quæ vult sibi: ergo non est mirum, quod, qui ita sunt affecti, se mutuo ament ac proni sint ad amicitiam ineundam.

6. *Tertio* amamus beneficos in pecuniis et in iis, quæ spectant ad vitam. Quia vero liberales benefici sunt in pecuniis, fortes benefici sunt in iis, quæ spectant ad vitam, ideo liberales et fortes apud omnes in amore et honore solent esse. Justos etiam diligimus, quia tribuunt unicuique, quod suum est. Justos autem præcipue existimamus eos, qui ex alieno non vivunt; et quia maxime videntur ex alieno non vivere, qui suo labore victum comparant, ut agricolæ et ex artificibus, qui manibus operantur, ideo tales homines justissimos dicimus. Temperantes quoque amore prosequimur, quia non solent esse injusti ; et ex eadem ratione amantur illi, qui vitam quietam et a negotiis alienam ducunt. Universim diligimus eos, quibus volumus esse amici, si parem in iis voluntatem perspexerimus; sed volumus esse amici viris virtute præstantibus et probatis vel apud omnes vel apud optimos vel apud eos, quos admiramur, vel apud eos, qui nos admirantur: ergo diligimus virtute præditos et probatos.

7. Præterea jucundos in communi vita et communi consuetudine. Tales vero sunt et faciles et non reprehensores peccatorum et non studiosi victoriæ neque litigiosi ; omnes enim tales pugnaces sunt, et pugnaces velle contraria videntur. Et dextri tum in eludendo tum in sustinendo; eisdem enim rebus ambo student ac is qui proximus est, tum qui possunt lacessi, tum qui eleganter lacessunt.

8. Et laudantes præsentia bona, et ex his maxime quæ timent non adesse ipsis. Et mundos in visu, in vestitu, in tota vita. Et non exprobratores neque peccatorum neque beneficiorum; ambo enim contentiosi.

9. Et non memores malorum neque observatores criminum, sed qui reconcilientur idoneos; quales enim existimant esse erga alios, etiam erga ipsos putant. Et non maledicos, neque scientes propinquorum mala neque ipsorum, sed bona; bonus enim hoc facit. Et non adversantes irascentibus aut serio agentibus ; pugnaces enim sunt tales.

10. Et se erga ipsos aliquo modo habentes, ut admirantes ipsos et virtute præditos existimantes et gaudentes ipsis, et ita maxime affectos in iis rebus, in quibus maxime volunt ipsi aut

suspici aut virtute præditi videri esse aut jucundi. Et similes. Et eadem profitentes, si non impediant, neque ex eodem sit vita; fit enim sic illud « figulus figulo ». Et eadem appetentes, quorum contingit, simul ipsos participes esse; sin minus, id etiam sic accidit.

7. *Quarto* diligimus homines in convictu et consuetudine jucundos. Jucundi porro sunt, qui facili sunt ingenio nec proni ad alios reprehendendos, si in quoquam peccaverint, neque sunt concertandi studiosi ac tales, ut vix unquam in aliorum sententiam veniant. Ratio est, quia omnes isti sunt pugnaces; sed qui verbis aut dictis pugnant, contraria videntur velle; ergo non sunt apti ad amicitiam, quæ includit concordiam voluntatum; ergo ex opposito, qui his vitiis non laborant, jucundi sunt et ad amicitiam apti, ideoque solent amari. Sunt etiam in convictu jucundi, qui idonei sunt tum ad facete aliis illudendum, tum ad ferendum, ut alii in ipsos facetiis ludant. Cum enim et ipsi possunt lepide jocari et jocos aliorum ferre, videntur conspirare in idem studium eos, cum quibus versantur, delectatione afficiendi.

8. *Quinto* diligimus eos, qui laudant bona, quæ nobis insunt, atque ea præcipue, quæ an nobis insint dubitamus; amamus etiam mundos facie, veste ac totius vitæ cultu.

9. *Sexto* amore etiam prosequimur eos, qui alieni sunt a quibusdam vitiis, quæ odium conciliant, puta qui neque peccata a nobis commissa, neque beneficia in nos conlata nobis exprobrant ; siquidem utrique sunt ad reprehendendum proclives. Ex eadem ratione diligimus eos, qui non videntur præterita mala recordari vel crimina adversus eos commissa in memoria retinere, sed facile iis, qui ipsos læserint, reconciliantur. Ratio est, quia quales illos in alios esse cernimus, tales in nos fore arbitramur; sed unusquisque vult, amicos esse sibi placabiles : ergo amat eos, quos videt placabiles aliis ac libenter cum iis amicitiam init. Amamus etiam eos, qui non solum non sunt maledici, sed neque studiosi sunt sciendi mala nostra vel propinquorum, sed sola bona; id enim a viro probo faciendum existimamus. Et quia, qui irascentibus atque aliquo studio occupatis contradicunt, contentiosi sunt, adeoque parum amabiles, ideo diligimus eos, qui iratis atque in aliquo studio occupatis non contradicunt.

10. *Septimo* amamus eos, qui ita erga nos affecti sunt, ut nos admirentur ac virtute præditos putent, quique maxime sunt affecti erga eas res, in quibus admiratione digni, studiosi ac jucundi videri volumus ; ex. gr., qui vult videri fortis, amat eos, qui valde sunt affecti erga bellicam fortitudinem. Ex eadem ratione amamus eos, qui eadem profitentur, nisi nobis impedimento sint, eo quod ex eadem arte victum ac lucrum quærant, adeoque nobis lucrum adimant; tum enim eos potius odio habemus, ideoque figulus figulum odit. Amore etiam prosequimur eos, qui eadem appetunt, si tamen utrique eorumdem participes esse possimus.

11. Et apud quos sic se habent, ut pudore non afficiantur eorum quæ sunt ad opinionem, cum minime contemnant. Et apud quos pudore afficiuntur eorum quæ sunt ad veritatem.

12. Et quibuscum de honore concertant, et quorum æmulationem volunt et non invidiam, aut eos amant, aut eis volunt amici esse. Et quibus bona procurarent, nisi futura ipsis essent majora mala.

13. Et volunt amici esse iis, qui similiter absentes et præsentes amant; quamobrem tales etiam erga mortuos omnes amant. Et omnino valde studiosos amicorum et non derelinquentes ; maxime enim amant ex bonis amicos bonos.

14. Et non fingentes apud se ipsos. Tales autem sunt etiam vitia sua ipsorum dicentes ; nam dictum est, apud amicos nos eorum, quæ sunt ad opinionem, non affici pudore ; si igitur is quem pudet non amat, is quem non pudet amanti similis est.

15. Et non metuendos. Et quibus confidimus; nemo enim eum quem metuit amat

16. Species autem amicitiæ sunt sodalitas et familiaritas et cognatio et quæcumque talia. Conficientia vero amicitiæ sunt gratia, et non rogatum fecisse, et cum fecerit, non indicasse ; ipsius enim causa sic videtur, et non propter aliud.

11. *Octavo* diligimus eos, apud quos nos non pudet eorum, quæ solum secundum opinionem turpia sunt, at pudet eorum, quæ turpia sunt secundum veritatem. Videntur enim æqui rerum æstimatores.

12. *Nono* diligimus eos, apud quos in honore ac pretio optamus esse et quos imitatores atque æmulos, non autem invidos et obtrectatores habere cupimus et quos nostro studio parati sumus adjuvare ad consequenda bona, nisi majora ex eorum bonis nobis obventura mala timeamus.

13. *Decimo* diligimus eos, qui amicos tum præsentes tum absentes amant, ideo-

que omnes amore prosequuntur illos, qui amant amicos etiam mortuos, et universim valde sunt amicorum amatores ac nunquam eos derelinquunt. Cum enim amemus homines in quolibet genere bonos, præsertim diligimus eos, qui boni sunt in genere amici.

14. *Undecimo* amamus eos, qui cum nobiscum agunt, nulla fictione et simulatione utuntur, quales præsertim videntur, qui res suas etiam malas amicis patefacere non erubescunt. Ratio est, quia ex dictis num. 11 nos apud amicos non pudet eorum, quæ secundum opinionem tantum turpia sunt : ergo si is, quem pudet, non est amicus, is, quem non pudet, aut est amicus aut amicus videtur.

15. *Duodecimo* amamus homines, qui metuendi nobis non sunt, eosque, quibus confidimus. Ratio est, quia sicut nemo amat eum, quem metuit, sic proclives sumus ad eos, quos non metuimus, diligendos.

16. *Quoad quartum :* plures sunt amicitiæ species : sodalitas nimirum, familiaritas, cognatio atque aliæ hujusmodi, de quibus actum est lib. VIII. Ethic. ideoque nihil hic est addendum. Amicitiæ causæ sunt gratiæ seu beneficia in alterum collata, præsertim si quis illa contulerit non rogatus, et postquam contulit, non indicaverit. Tum enim maxime videtur id contulisse gratia alterius, non autem gratia sui.

17. De inimicitia vero et odio constat ex contrariis contemplandnm esse. Et conficientia inimicitiæ sunt ira, incommodatio, criminatio.

18. Ac ira quidem est ex iis quae sunt ad se ipsum, inimicitia vero etiam sine iis, quae ad se ipsum; si enim existimemus esse talem, odio habemus. Et ira quidem semper adversus singularia, ut Calliam, Socratem; odium vero etiam adversus genera ; nam furem odio habet et sycophantam quisque. Et illa quidem sanabilis tempore, hoc vero insanabile. Et illa molestia afficere appetit, hoc malo potius ; sentiri enim vult qui irascitur, hujus vero nihil interest. Sunt autem molesta ejusmodi, ut sentiantur omnia ; et quæ maxime mala sunt, minime sub sensum cadunt, injustitia et imprudentia ; non enim molestia afficit præsentia vitii. Et illa quidem cum molestia, hæc vero non cum molestia ; qui enim irascitur, molestia afficitur, qui odio habet, non afficitur. Et ille quidem, si multa fiant, miserescit, hic vero nullius ; ille enim talionem pati vult eum cui irascitur, hic non esse.

19. Aperte igitur ex his contingit inimicos et amicos, tum qui sunt, demonstrare, tum qui non sunt, efficere, et qui dicunt se esse, dissolvere, et qui ob irem an ob inimicitiam factum sit, controversantur, in utram partemquis præeligat, ducere. Qualia vero metuant et quos et quomodo se habentes, sic apparet.

17. *Quoad quintum :* sequitur, ut de odio et inimicitia disseramus ; sed unum contrarium potest cognosci ex alio contrario ; ergo de odio atque inimicitia philosophari debemus proportionaliter ac philosophati sumus de amore et inimicitia. Inter cæteras odii atque inimicitiæ causas enumerari potest etiam ira et ea, quæ iram causant, cujusmodi sunt incommodatio ac criminatio et alia hujusmodi, ideoque sæpe non solum contemnentibus irascimur, sed illos etiam odio habemus.

18. Jam licet odium atque inimicitia habeant quamdam affinitatem cum ira, adhuc in pluribus differunt ab ira. *Primo* differunt, quod ira concipitur solum propter ea, quæ ad nos referuntur, at inimicitia atque odium propter ea etiam oriuntur, quæ nos non respiciunt, adeoque sæpe aliquos odio prosequimur ut tales, puta ut fures, etiamsi nihil mali ab iis passi fuerimus. *Secundo* ira semper respicit aliquem hominem singularem, puta Socratem aut Calliam ; odium vero potest concipi etiam adversus aliquod totum genus, ideoque omnes odio habemus fures et calumniatores in genere. *Tertio* ira est sanabilis tempore, odium autem est insanabile. *Quarto* ira præcipue appetit dolorem inurere, iratus siquidem vult ultionem sentiri ; odium e converso intendit præcipue malum ejus, quem odio prosequitur, ideoque qui odit, vult alteri inferre mala, seu sensum doloris causent, seu non, neque curat, ut is, cui infert mala, sciat a quo et cujus causa hæc illi mala inferantur. Porro præter mala dolorifera dantur etiam mala non dolorifera. Mala dolorifera sunt, *quæ, quando adsunt, cum sensu doloris sentiuntur adesse ;* at dantur maxima mala quæ, cum adsunt, nullo nos dolore afficiunt ; ex. gr., injustitia, imprudentia atque alia vitia. Præsentia enim vitii non est molesta illi, cui vitium inest. *Quinto* ira habet sibi adjunctum dolorem, odium non habet. Qui enim irascitur, dolet de contemptu ; at sæpe qui odit, non dolet. *Sexto* qui iratus alicui est, si multis illum videat ærumnis obrutum, miseretur illius ; at qui odio habet, non miseretur. Ratio est, quia iratus vult eum, cui irascitur, talionem

pati pro dolore, quem inussit; ergo cum videt eum multo majora mala pati, iram in miserationem convertit; e converso qui aliquem odit, vult illum non esse; ergo quodcumque malum patiatur, adhuc ab odio non desistit.

19. Ex his igitur possumus vel ostendere aliquos esse ; amicos aut inimicos, vel eos, qui non sunt amici aut inimici, tales efficere, vel dissolvere rationes, quibus adversarius conatur ostendere aliquos amicos vel inimicos invicem esse, et cum est controversia, utrum aliquid ex ira vel ex odio sit factum, utrumlibet demonstrare. Agendum jam est de metu atque explicandum, quænam, quos et quo pacto affecti homines metuant.

CAPUT V

DE TIMORE ET AUDACIA AC DE ARTE HOS AFFECTUS EXCITANDI.

1. [5] Sit ergo metus molestia quaedam et perturbatio ex phantasia futuri mali, vel idonei ad interimentum vel molesti. Non enim omnia mala metuuntur, ut ne sit injustus aut tardus, sed quæcumque vel molestias magnas vel interitus possunt, et hæc quæ non longe sed prope apparent ut futura sint Nam quæ longe admodum, non metuuntur; sciunt enim omnes se morituros, sed quia non prope, non curant.

Ut de timore et audacia disseramus, *primo* præmittenda est definitio timoris; *secundo* explicandum est, quænam sint metuenda; *tertio*, quo pacto homines affecti proni sint ad timendum; *quarto* eadem circa audaciam sunt explicanda, atque afferenda est definitio audaciæ; tum proponenda ea, quæ audaciam et confidentiam causant, atque explicandum est, quo pacto homines affecti soleant audere et confidere.

1. *Quoad primum :* timor definiri potest : *dolor et perturbatio ex imaginatione futuri mali corruptivi vel doloriferi.* Ex hac definitione patet primo, non omnia mala timorem causare, sed ea solum, quæ possunt dolores magnos vel interitum afferre, et quia injustitia ac tarditas licet sint mala, neque interitum afferunt neque dolorem, ideo nemo timet ne sit injustus, aut tardus. Patet secundo, hæc ipsa tum solum timeri, cum apparent propinqua, non autem cum apparent remota, ideoque licet omnes sciamus nos morituros, adhuc non timemus mortem, quia non contemplamur mortem ut propinquam, sed ut remotam.

2. Quod si metus hujusmodi est, necesse est ut ea metuenda sint, quæcumque apparent facultatem habere magnam interimendi vel afferendi detrimenta ad molestiam magnam perducentia. Quamobrem et signa hujusmodi rerum metuenda; prope enim apparet quod metuendum est, idque periculum est, nempe rei metuendae appropinquatio.

3. Ejus modivero sunt inimicitia et ira eorum qui possunt efficere aliquid ; manifestum enim est, eos et velle et posse, ut parati sint ad efficiendum.

4. Et injustitia facultatem habens; nam eo quia præeligit injustus, est injustus.

5. Et virtus contumeliam passa, facultatem habens; manifestum enim est eam præeligere semper, cum contumeliam patitur; potest autem nunc.

6. Et metus eorum qui possunt aliquid efficere; in apparatu enim necesse est ut sit etiam ille qui talis est.

7. Quoniam autem multi sunt pejores et avidiores lucri et timidi in periculis, metuendum est plerumque ipsum aliunde pendere. Quare conscii ei, qui fecit aliquid atrox metuendi, ne aut indicent aut deserant.

2. *Quoad secundum :* ex tradita definitione timoris possumus inferre, quænam sint metuenda. *Primo* igitur, quandoquidem timor oritur ex imaginatione futuri mali corruptivi vel doloriferi, necesse est, ut ea sint metuenda, quæ habent magnam vim interimendi, vel afferendi damna, quæ possint magno dolore nos afficere. Hinc oritur, ut etiam signa talium rerum sint formidanda, eo pacto, quo ipsa signa tempestatum timorem navigantibus incutiunt. Ratio est, quia ex signis apparet prope esse id, quod est metuendum; sed cum prope est res metuenda, versamur in periculo, siquidem periculum est rei metuendæ appropinquatio; periculum autem timorem incutit : ergo, etc.

3. *Secundo* metuenda est ira atque inimicitia potentium. Ratio est, quia qui potest et vult malum nobis inferre, prope est, ut inferat, adeoque jam tale malum videtur propinquum; sed irati atque inimici volunt inferre malum : ergo cum ii, qui possunt malum inferre, irascuntur aut sunt nobis inimici, jam malum est propinquum.

4. *Tertio* metuenda est injustitia habens potentiam inferendi injurias. Ratio est, quia injusti dicuntur ex eo, quod plerumque eligant injurias inferre; ergo cum

possunt, prope est, ut injuriam inferant, adeoque malum est propinquum ac metuendum.

5. *Quarto* metuenda est virtus contumeliam passa et potens de illa sumere ultionem. Ratio est, quia virtus ac fortitudo contumeliam passa vult ulcisci, si potest; sed supponitur posse : ergo prope est, ut ulciscatur ac malum inferat.

6. *Quinto* metuendus est ipse metus eorum, qui possunt malum inferre. Ratio est, quia necesse est ipsos esse paratos, ut suam salutem custodiant; ergo periculum est, ne præveniant inferendo mala, quæ timent, ne sibi inferantur.

7. *Sexto* metuendum est, cum nostra salus ab aliis pendet. Ratio est, quia plerique hominum sunt deteriores, avidiores lucri atque in periculis timidi ; ergo cum nostra salus ab aliis pendet, periculum est, ne vel ex malitia aut ex lucri cupiditate nos prodant, vel ex timore nos in periculis deserant. Idcirco flagitiorum conscii metuendi sunt iis, qui aliquod facinus atrox perpetrarunt, ne vel facinus indicent, vel ipsos in periculis derelinquant.

8. *Septimo* qui possunt injuriam facere, metuendi sunt iis, qui possunt ab iis injuriam pati. Ratio est, quia homines plerumque injuriam faciunt, cum possunt.

9. *Octavo* metuendi sunt ii, qui vel injuriam sunt passi vel existimant se injuriam passos. Ratio est, quia semper observant occasiones referendi talionem. Hinc oritur, ut etiam qui fecerunt injuriam, si potentiam habeant, sint formidandi; timent enim talionem; sed dictum est num. 6, quod ii, qui timent, sunt metuendi : ergo, etc.

10. *Nono* metuendi sunt competitores earum rerum, quæ non possunt a nobis simul et ab illis obtineri. Ratio est, quia semper pro talium rerum consecutione decertant.

11. *Decimo* qui metuendi sunt hominibus præstantioribus, quam nos simus, etiam nobis sunt metuendi. Si enim possunt nocere præstantioribus, multo magis nocere poterunt nobis. Ex eadem ratione timere debemus eos, quos nobis præstantiores timent, et qui necem firmioribus, quam nos simus, intulerunt. Imo etiam ii, qui minores, quam nos simus, aggressi sunt, metui nobis esse possunt. Vel enim jam sunt metuendi, vel saltem tum erunt, cum sublatis inimicis animos auxerint.

12. *Undecimo* ex iis, qui fuerunt a nobis injuriis affecti, et universim ex inimicis atque adversariis maxime timendi sunt non iracundi atque in loquendo liberi, sed sedati, dissimulatores ac vafri. Ratio est, quia cum consilia sua callide tegant, obscurum semper est, quid machinentur.

13. *Duodecimo* illa maxime sunt horribilia, in quibus si peccatum fuerit, emendari non possunt; vel enim nullum potest ipsis afferri remedium, vel tale remedium non in nostra, sed in adversariorum est potestate, cujusmodi sunt mors et captivitas. Remedium enim mortis nullum est; remedium captivitatis est in hostium potestate. Illa etiam sunt valde formidanda, quorum auxilia aut nulla expectari possunt, aut ardua sunt.

14. *Decimo tertio* et ultimo, ut uno verbo dicamus, metuenda sunt, quæ cum aliis evenerunt aut impendent, miserabilia sunt. Hæc igitur sunt metuenda, quæque homines ut plurimum metuunt, vel saltem hæc sunt maxima timendorum.

8. Et qui possunt injuriam facere semper iis qui possunt injuriam pati ; nam plerumque injuriam faciunt homines, quando possunt.

9. Et qui injuriam patiuntur vel existimant se injuriam pati; semper enim observant occasionem. Et qui injuriam fecerunt, si facultatem habeant, metuendi sunt, quippe qui reformident talionem ; positum enim est ejusmodi esse quod metuendum est.

10. Et earumdem rerum competitores, quascumque non contingit simul inesse ambobus ; semper enim certant cum his. Et præstantioribus metuendi etiam ipsis ; metuendi magis enim potuerint nocere ipsis quam præstantioribus.

11. Et quos metuunt præstantiores ipsi propter idem. Et qui præstantiores ipsis sustulerunt. Et qui inferiores ipsis invaserunt; aut enim jam metuendi sunt, aut cum creverint.

12 Et ex iis qui injuriam passi sunt, et ex inimicis vel adversariis, non ad excandescendum proclives et libere loquentes, sed mansueti et dissimulatores et malitiosi; obscuri enim sunt, an prope sint. Quare nunquam manifesti sunt, quia longe absunt.

13. Ex omnibus autem metuendis illa magis metuenda sunt, quaecumque si erraverint, corrigi non contingit, sed aut omnino fieri non possunt, aut non in ipsorum sed in adversariorum sunt potestate. Et quorum auxilia non sunt, vel non facilia.

14. Ut autem simpliciter dicam. metuenda sunt, quæ cum aliis eveniunt vel eventura sunt, miserabilia sunt. Ac quæ quidem metuenda sint et quæ metuant, ferme, ut ita dicam, maxima hæc sunt.

15. Quomodo vero affecti ipsi metuant, nunc dicamus. Si ergo est metus cum exspectatione

habendi aliquam ad interimendum idoneam perpessionem, apparet neminem metuere ex iis qui arbitrantur nihil se passuros, neque ea quæ non arbitrantur se passuros, neque eos a quibus non arbitrantur, neque tunc cum minime arbitrantur; necesse igitur est metuere eos qui arbitrantur aliquid esse passuros, et qui ab his et hæc et tunc. Non arbitrantur autem se passuros neque qui in prosperitatibus magnis sunt; itaque contumeliosi sunt et parvi factores et audaces; atque efficiunt tales divitiæ, robur, multitudo amicorum, potentia. Neque qui jam se passos esse omnia existimant atrocia, et qui obriguerunt ad futurum, ut qui tympano jam torquentur; sed oportet aliquam subesse spem salutis in ea re, de qua angantur. Signum autem est, quia metus paratos ad consultandum reddit; atqui nemo consultat de rebus desperatis.

16. Quare oportet tales parare, cum fuerit melius eos mutuere, quod tales possunt pati, quia alii majores passi sint, et ostendere similes pati aut passos esse, et ab iis a quibus non arbitrabantur, et hæc, et tunc cum minime arbitrabantur.

15. *Quoad tertium :* sequitur jam, ut explicemus, quo pacto affecti homines metuant. Si igitur juxta allatam definitionem metus habet adjunctam expectationem mali, quod valeat interimere vel magnum dolorem inferre, manifestum est neminem ex iis metuere, qui arbitrantur se nihil passuros, vel saltem non metuere illa mala, quæ se non passuros existimant, nec ab iis timere, a quibus nihil se passuros putant, ac demum tum non timere, cum nullum malum sibi impendere persuasum habent. Necesse est igitur, ut ex opposito ii metuant, qui arbitrantur se aliquid passuros, et illa mala, atque ab iis, et tum metuant, cum talia mala ab his se passuros existimant. Porro duo sunt hominum genera, qui nihil se passuros arbitrantur, adeoque nihil timent. In primo genere sunt, qui valde prospera fortuna utuntur, ideoque tales homines contumeliosi sunt, aliorum contemptores et audaces, atque ad hæc vitia plurimum conferunt divitiæ, robur, multitudo amicorum et potentia. In secundo genere sunt, qui jam se omnia horribilia passos existimant et ad futura mala obriguerunt, ut qui ad supplicium ducuntur. Oportet igitur, ut timenti spes aliqua supersit salutis atque ex iis malis, quibus angitur, evadendi. Probatur autem ex signo. Qui enim metuunt, consultare solent de modo evadendi ex malis, quæ timent; sed nemo consultat de iis, quæ desperat : ergo timor est conjunctus cum aliqua spe evadendi.

16. Cum igitur expedit auditores timore concuti, orator ut timorem excitet, ostendat tales eos esse, ut multa mala atque incommoda pati possint. Id autem persuadebit ostendendo alios ipsis majores ac præstantiores magna mala fuisse perpessos, nec non multos æquales gravia damna sustinere ac sustinuisse ab iis, a quibus se talia mala passuros non arbitrabantur, et tum, cum nihil sibi putabant imminere periculi.

17. Quoniam vero metus apparet, quid sit, et metuenda, et quomodo singuli se habentes timeant, apparet ex his etiam fidere quid sit, et in quibus versentur fidentes, et quomodo affecti fidentes sint. Fidentia enim contraria est metui, et quod fidentiam habet, ei quod metum.

18. Quare est spes cum phantasia rerum salutarium, ut quæ prope sint, metuendarum vero, aut quæ non sint aut quæ longe sint.

19. Sunt autem quæ fidentiam afferunt, et atrocia quæ sunt longe, et fidentiam afferentia quæ prope. Et emendationes si adsint et auxilia, vel multa vel magna vel utraque. Et si neque acceperint injuriam neque intulerint. Et si competitores aut non sint omnino, aut non habeant facultatem, aut facultatem habentes sint amici, aut beneficium fecerint aut acceperint. Aut si plures sint quibus eadem prosint, aut præstantiores, aut utrique.

17. *Quoad quartum :* quia unum contrarium facile cognoscitur ex alio, nos autem satis jam explicavimus, quid sit timor, quæ sint timenda adeoque timorem incutiant, et quo pacto homines dispositi proclives sint ad timendum; possumus ex dictis facile explicare, quid sit audere et confidere, quod est timori contrarium; quænam audaciam et confidentiam afferant, et quo pacto homines affecti proni sint ad confidendum atque audendum.

18. Audacia igitur seu confidentia timori contraria est *spes ex imaginatione, quod ea, quæ possunt nobis salutem afferre, prope jam sint, ea autem, quæ timorem incutiunt, aut non sint aut sint remota.*

19. Confidentiæ effectiva sunt *primo*, cum quæ possunt timorem afferre, sunt remota, quæ possunt confidentiam afferre, sunt propinqua. *Secundo* cum mala, quæ imminent, possunt resarciri ac corrigi. *Tertio* cum ad mala repellenda præsto sunt auxilia multa vel magna vel multa simul et magna. *Quarto* cum neque ulli sunt, qui a nobis affecti fuerint injuriis, neque qui nobis injurias intulerint, ac præterea vel omnino caremus æmulis ac

competitoribus, aut si competitores habemus, potentiam nocendi non habent, iique, qui talem habent potentiam, amici sunt, aut beneficia acceperunt vel contulerunt. *Quinto* cum ii, quibus eadem utilia sunt ac nobis, plures sunt vel præstantiores, vel plures simul et præstantiores.

20. Ipsi autem sic se habentes fidentes sunt, si multa se recte egisse arbitrentur et non passos esse. Aut si sæpe inciderint in atrocia et evaserint. Bifariam enim homines perturbationis expertes fiunt, vel quod experti non sint, vel quod auxilia habeant, ut in maritimis periculis et imperiti tempestatis fidunt futuris et auxilia habentes propter experientiam.

21. Et cum similibus non sit res metuenda, neque inferioribus et quibus præstantiores se arbitrantur esse. Arbitrantur autem iis quos vicerint sive ipsos sive præstantiores sive similes.

22. Et si adesse ipsis arbitrentur plura et majora, quibus excellentes metuendi sunt. Ea vero sunt multitudo pecuniarum et robur corporum et regionis et amicorum, et eorum quæ ad bellum parantur vel omnium vel maximorum.

23. Et si injuriam fecerint aut nemini aut non multis, aut non iis a quibus metuunt. Et omnino si ea quæ ad deos pertinent, ipsis egregie se habeant, et alia et quæ sunt a signis et oraculis. Fidentiam enim affert ira; at non injuriam facere sed accipere iræ efficiens est, numen autem existimatur auxiliari iis qui injuriam accipiunt.

24. Et cum priores impetum facientes vel nihil se pati et passuros esse, vel recte acturos arbitrantur. Ac de metuendis quidem et fidentiam afferentibus dictum.

20. Fidentes atque audaces in periculis sunt, qui existimant se plura recte effecisse atque ea ad optatum exitum perduxisse nec quidquam in iis detrimenti sustinuisse, et qui sæpe in magna pericula conjecti ex iis evaserunt. Ratio est, quia ex duplici causa homines afficiuntur ita, ut in periculis non perturbentur: *primo*, quia mala non sunt experti; *secundo*, quia licet fuerint experti, parata habent remedia, per quæ ab iis evadent; sed qui nihil unquam mali sunt passi, sunt malorum inexperti; qui sæpe in pericula conjecti ex iis evaserunt, existimant se propter experientiam posse ex periculis evadere; ergo non est mirum, si utrique audaces sint ac præfidentes. Ita in periculis maris sperant se evasuros tum ii, qui nunquam tempestates ac procellas sunt experti, tum ii, qui sæpius experti propter longum usum habent in se parata præsidia evadendi ex periculis.

21. *Tertio* homines animo confirmantur, cum advertunt, rem, quæ videtur metuenda, timorem similibus ac paribus non afferre, imo neque minoribus, quibusque se præstantiores putant. Existimant autem homines se præstantiores iis, quos superarunt, aut si illos non vicerunt, vicerunt tamen alios ipsis vel præstantiores vel pares ac similes.

22. *Quarto* evadunt homines audaces ac præfidentes, cum putant plura vel potiora se possidere ex iis bonis, in quibus, qui aliis præstant, formidolosi sunt cæteris, cujusmodi bona sunt magnitudo pecuniarum, corporis robur, amicorum multitudo, regionis amplitudo et apparatus eorum vel omnium vel maximorum, quæ ad bellum gerendum pertinent.

23. *Quinto* audaces ac præfidentes sunt, qui vel nullis vel non multis vel saltem non iis, a quibus metuunt, injuriam fecerunt, et universim qui bene se habet circa ea, quæ ad superos spectant, necnon circa ea, quæ ad signa et oracula referuntur. Ratio est, quia ira confidentiam affert atque audaciam; sed ii irascuntur, non qui injuriam fecerunt, sed qui sunt passi : ergo non est mirum, si ii, qui injuriam sunt passi, audaces sint ac præfidentes; præsertim cum numen ac superi iis auxiliari censeantur, qui injuria afficiuntur.

24. *Sexto* demum confidentes sunt, qui arbitrantur se nihil mali passuros, imo etiam recte acturos, si prævenire hostes potuerint ac prius aggredi, quam ab ipsis aggrediantur. Atque hæc de timore et audacia ac de iis, quæ timorem afferunt vel audaciam, dicta sufficiant.

CAPUT VI

DE VERECUNDIA ET INVERECUNDIA AC DE ARTE VERECUNDIAM EXCITANDI.

1. [6] Qualia vero sint ea quorum pudet et non pudet, et apud quos, et quomodo se habentes, ex his erit manifestum.

2. Sit autem pudor dolor quidam et confusio in iis quæ ad offensionem existimationis videntur pertinere malis, aut præsentibus aut præteritis aut futuris, impudentia vero despicientia quædam et vacuitas perturbationis in his ipsis.

1. Agendum jam est de verecundia seu pudore ac de inverecundia sive impudentia, ac *primo* quidem præmittendæ sunt definitiones; *secundo* explicandum est, quæ verecundemur; *tertio*, apud quos ve-

recundemur vel non verecundemur; *quarto* demum, quo pacto affecti verecundemur.

2. *Quoad primum:* verecundia seu pudor est *dolor quidam atque perturbatio ex malis præsentibus, præteritis aut futuris, quæ videntur infamiam atque ignominiam afferre.* Inverecundia atque impudentia e converso est *contemptus atque impassibilitas quædam in malis præsentibus, præteritis aut futuris, quæ infamiam atque ignominiam videntur afferre.*

3. Quod si pudor est is, qui definitus est, necesse est pudere talium malorum, quæ videntur turpia esse ipsi aut iis quorum curam habet.

4. Talia autem sunt, quæcumque a vitiositate opera sunt, ut abjicere clipeum aut fugere; nam id a timiditate. Et fraudare deposito; nam ab injustitia. Et concumbere quibuscum non oportet, aut ubi non oportet, aut quando non oportet; nam ab intemperantia. Et lucrari a rebus parvis aut a turpibus aut ab impotentibus ut pauperibus aut mortuis; unde et proverbium: etiam a mortuo ferre; nam a sordibus et illiberalitate. Et non auxiliari, dum possis, in pecunias aut minus auxiliari. Et auxilium accipere a minus-abundantibus. Et mutuum requirere quando videbitur petere, et petere quando repetere, et repetere quando petere; et laudare, ut videatur petere, et repulsam passum nihilo minus; nam omnia illiberalitatis hæc sunt signa. Laudare autem præsentem adulationis signum est, et bona quidem laudando extollere, mala vero obscurare et dolere vicem dolentis, et alia omnia ejusmodi; nam adulationis signa sunt Et non tolerare labores, quos seniores aut delicati aut majore licentia præditi aut omnino impotentiores tolerant; nam omnia mollitiei sunt signa. Et ab altero affici beneficio, et sæpe, et quæ fecerit exprobrare; nam pusillanimitatis omnia et humilitatis signa. Et de se dicere et polliceri, et aliena sua affirmare; nam arrogantia est. Similiter vero etiam in aliorum unoquoque, quæ in moribus sunt, vitiorum opera et signa et similia; nam turpia et pudenda sunt.

3. *Quoad secundum:* quia ex dictis verecundia est dolor ac perturbatio ex malis, quæ ignominiam atque infamiam afferunt; illa autem mala, quæ turpia sunt, ignominiam atque infamiam afferunt: sequitur, ut homines verecundentur mala, quæ videntur turpia vel ipsismet vel iis, quorum curam gerunt. Porro mala turpia reduci possunt ad tres classes, ad actiones, privationes et perpessiones turpes.

4. Ad *actiones* igitur turpes, quarum proinde homines pudet, reducuntur omnes actiones, quæ procedunt ab aliquo vitio. *Primo* igitur turpe est in bello clypeum et arma abjicere ac fugere, quia id procedit a timiditate. *Secundo* turpe est depositum negare, quia est actio injustitiæ. *Tertio* turpe est commisceri, cum quibus non oportet, quando non oportet, ubi non opportet, quia sunt actiones intemperantiæ. *Quarto* turpe est lucrum quærere ex parvis aut turpibus aut ab impotentibus, puta a pauperibus et mortuis, ideoque proverbio de avarissimis dicitur, quod etiam ex mortuis lucrum ferunt; omnia enim hæc a turpi quæstu et avaritiá procedunt. Ex eadem ratione turpe est indigentibus non opem ferre pecuniis, cum possis, aut minus opem ferre, quam possis, necnon auxilium in pecuniis accipere a minus divitibus; mutuam pecuniam accipere, cum amicus videtur a te mutuum petiturus, ut cum petierit, possis te excusare, dicendo te fuisse coactum ad mutuam pecuniam accipiendam; petere ab amico novum mutuum, cum videtur ille antiquum mutuum repetiturus; repetere mutuum ab amico, cum videtur ille propter rei familiaris angustias novum mutuum petere; ita aliquid laudare, ut videaris illud petere, et cum repulsam fueris passus, adhuc tacitæ vel apertæ petitioni insistere; omnia enim hæc sunt signa quædam et indicia avaritiæ atque illiberalitatis. *Quinto* turpe est præsentes laudare; ad adulationem enim spectat. Adulationis etiam signa sunt alterius bona supra modum extollere, mala autem extenuare; cum quisquam dólet, plus quam oportet, condolere; et alia hujusmodi. *Sexto* turpe ac pudendum est labores non tolerare, quos etiam seniores ferunt ac delicati atque in majori potestate ac dignitate constituti necnon imbecilliores; nam omnia hæc quamdam animi mollitudinem indicant. *Septimo* turpe est, ab aliis sæpe et prompte beneficia accipere et beneficia in alterum collata exprobrare; pusillanimitatis enim, nimiæque abjectionis argumenta hæc sunt. *Octavo* pudendum etiam est suas res libenter prædicare, ac de se magna polliceri, necnon aliena facta sibi attribuere; ad arrogantiam enim inanemque jactationem hæc spectant. Proportionaliter turpia sunt omnium aliorum vitiorum opera et signa, necnon quæ quamdam habent cum vitiis affinitatem.

5. Et ad hæc rerum honestarum, quarum omnes participes sunt, aut similes omnes aut plurimi, non esse participem. Similes autem dico ejus-

dem nationis, civitatis, ætatis, cognationis, omnino æquales ; turpe enim jam est non esse participem, ut eruditionis quadamtenus, et aliarum rerum similiter. Omnia vero hæc magis, si propter ipsum appareant accidisse ; sic enim sunt a vitio magis, si ipse sit causa eorum, quæ affuerent, aut adsunt, aut futura sunt.

6. Patientes autem aut passos aut passuros talia pudet eorum, quæ ad offensionem existimationis pertinent et probra. Hæc autem sunt, quæcumque ad ministeria aut corporis aut operum turpium, ex quibus est contumeliæ perpessio. Et quæ ad intemperantiam tum voluntaria tum non voluntaria. Quæ vero ad vim, non voluntaria; nam ab ignavia aut timiditate tolerantia est, et non ulcisci. Quorum igitur pudet, hæc sunt et talia.

5. Ad *privationes* turpes adeoque pudendas spectat, si quis earum rerum honestarum nou sit particeps, quarum participes sunt vel omnes omnino vel omnes similes aut saltem ex similibus plerique. Similes porro dico eos, qui ejusdem sunt nationis atque civitatis aut ætatis aut universim in aliquo æquales. Ratio est, quia turpe est, iis honestis carere, quibus æquales non carent; ex. gr., carere eruditione, cujus omnes pæne æquales sunt participes. Jam hæc omnia majori dedecori videntur esse, cum quis ipsemet sibi harum turpitudinum causa videtur extitisse. Tum enim ex vitio ac culpa hominis magis profluxisse videntur, cum ipse sibi præsentium, præteritorum ac futurorum malorum causa fuit.

6. Demum aliquæ etiam *perpessiones* turpes sunt. Pudet igitur homines, cum ea perpetiuntur aut perpessi sunt aut perpetientur, quæ infamiam ac probrum afferunt patienti. Talia vero sunt, cum quis corpore vel fœdis muneribus alteri inservit, ex quibus patienti dedecus inuritur. Porro quæ ad intemperantiam spectant, tum voluntarie tum involuntarie homines aliquando patiuntur, et utroque modo patiantur, turpe illis est ea pati. E converso quæ spectant ad vim, solum involuntarie perferunt, ut cum quis involuntarie cæditur, et hæc ita perferre turpe est. Quod enim violentiam perpessus, illam toleret, ab ignavia ac timiditate proficiscitur. Hæc igitur sunt, quorum homines pudet.

7. Quoniam vero de offensione existimationis pudor est phantasia, et hujus ipsius gratia, sed non eorum quæ inde eveniunt, ac nemo existimationis curam habet, nisi propter eos qui existimant, necesse est pudere eorum quorum rationem habet. Rationem vero habet eorum, qui suspiciunt et quos suspicit et a quibus vult suspici, et quibuscum de honore contendit, et quorum non contemnit existimationem. At suspici quidem volunt ab iis et suspiciunt eos, qui habent aliquod bonum ex iis quæ pretiosa sunt, aut a quibus requirunt valde aliquid ex iis quorum illi sunt domini aut amatores. De honore autem contendunt cum iis, qui similes sunt. Et curant, ut eos qui vera loquuntur, prudentes. Talesque sunt tum senes tum eruditi.

8. Et eorum quæ sunt in oculo et quæ in aperto ; unde etiam proverbium, in oculis esse verecundiam. Et ob id eorum qui semper affuturi sunt magis pudet, et eorum qui attendunt ipsos, propterea quod in oculis ambo sunt.

9. Et eorum qui non sunt iisdem obnoxii; manifestum enim est contraria his videri. Et qui non ignoscunt iis, qui apparent peccare; quæ enim aliquis ipse facit, ea dicitur in proximis, non stomachari ; quare si non faciat, manifestum est eum stomachari.

7. *Quoad tertium:* explicandum jam est, quosnam homines verecundemur. Quoniam igitur verecundia est *imaginatio quædam ac vivida præsentis vel imminentis ignominiæ apprehensio ac reformidatio propter ipsam ignominiam, ac non solum propter ea, quæ ex ignominia accidunt;* nemo autem bonam aut malam existimationem curat, nisi quia in pretio habet eos, qui bonam aut malam de ipso existimationem habent; necesse est *primo*, ut eos homines verecundemur, quorum rationem habemus, ita ut aliquo apud nos in pretio sint. Illorum porro rationem habemus, qui nos admirantur et quos nos admiramur et quibus optamus admirationi esse ac cum quibus de dignitate atque honore contendimus ac quorum existimationem ac judicium non contemnimus. Illis autem optamus admirationi esse eosque vicissim admiramur, qui possident aliquod ex bonis honorabilibus, vel a quibus vehementer optamus impetrare aliquid, quorum ipsi sunt domini, ideoque amantes admirantur eos, quos amant. De honore contendimus cum similibus et æqualibus. Rationem habemus prudentium, utpote qui in suis opinionibus falli non solent; prudentes vero censemus senes et eruditos. Hos igitur omnes verecundamur.

8. *Secundo*, quia eorum præcipue nos pudet, quæ in oculis versantur, ideoque proverbio dicitur, *pudorem in oculis habitare;* idcirco eos præsertim verecundamur, qui semper nobiscum sunt futuri, quique nos observant; utrique enim semper oculis obversari videntur.

9. *Tertio* verecundamur eos, qui iisdem criminibus non sunt obnoxii; perspicuum enim est eos cum contraria nobis sentiant ac sequantur, nostra crimina non probare. Confirmatur, quia verecundamur eos, qui non ignoscunt iis, in quibus peccare videmur; sed nemo solet in aliis stomachari, quæ ipsemet facere consuevit, sed ea, quorum ipse reus non est : ergo qui iisdem ac nos criminibus non sunt obnoxii, talia crimina stomachantur nec facile ignoscunt, adeoque nos tales homines verecundamur.

10. Et qui enuntiant multis ; nihil enim differt non videri et non enuntiari. Enuntiant autem tum injuriam passi, quia observant, tum maledici ; si enim etiam eos qui non peccant, multo magis eos qui peccant. Et quibus occupatio est in proximorum peccatis, ut subsannatoribus et comicis ; maledici enim quodammodo ipsi sunt et proclives ad enuntiandum.

11. Et a quibus nunquam repulsam tulerunt ; nam ut qui suspiciuntur, affecti sunt. Quare et eorum qui prius aliquid petierunt pudet, ut qui nondum existimationem amiserunt apud ipsos. Tales autem sunt et qui recens volunt amici esse; quæ enim optima sunt, viderunt. Quamobrem bene se habet Euripidis responsio ad Syracusios. Et ex antiquis familiaribus, qui nullius rei sunt conscii.

12. Pudet autem non solum eorum quæ dicta sunt pudendorum, sed etiam signorum, ut non solum cum in re Venerea versantur, sed etiam cum adsunt signa ejus rei, et non solum cum faciunt turpia, sed etiam cum dicunt. Similiter autem non solum eorum quæ dicta sunt pudet, sed etiam eorum qui indicaturi sunt ipsos, ut famulorum, et qui ipsis amici sunt.

13. Omnino autem non pudet eorum quorum valde contemnunt existimationem, quod ad veritatem attinet; neminem enim belluarum et puerorum pudet. Neque in eisdem rebus notorum et ignotorum, sed notorum quidem in iis quæ ad veritatem existimantur, externorum vero in iis quæ ad opinionem tantum.

10. *Quarto* verecundamur eos, qui si in nobis aliquid flagitii deprehenderint, illud evulgant ac multis produnt. Ratio est, quia perinde est nostra flagitia non evulgari, ac non deprehendi; dum enim non divulgantur, infamiæ nobis non sunt; ergo cum verecundia sit metus infamiæ, eos maxime verecundamur, qui si nostra flagitia deprehenderint, illa evulgando nobis infamiam creant. Porro proclives sunt ad aliorum flagitia evulganda, tum qui ab iis injuria fuerunt affecti, tum maledici. Ratio est, quia qui injuria affecti ab aliquo fuerunt, solent illum observare, ut ulciscantur; ergo si quid in ipso flagitii deprehenderint, evulgant, ut sic illi infamiam creent. Maledici vero cum etiam non peccantibus falsa delicta affingant, multo magis vera peccantium delicta evulgant. Ex eadem ratione verecundamur eos, quorum vita in aliorum delictis commemorandis ac deridendis versatur, quales sunt subsannatores ac comici. Maledici enim sunt ac quidquid criminis deprehenderint, in publicum produnt.

11. *Quinto* verecundamur eos, apud quos nunquam repulsam passi sumus, sed quæcumque voluimus, impetravimus. Ratio est, quia cum idcirco ab iis omnia impetraverimus, quia in optima apud ipsos existimatione sumus ac quodammodo suspicimur, nolumus hanc apud ipsos existimationem amittere. Ex eadem ratione verecundantur homines eos, qui primo ab ipsis aliquid petunt, ac pudet negare ; nollent enim minus liberales videri, cum nihil adhuc commiserint, ex quo bonam apud ipsos existimationem perdiderint. Tales etiam sunt, ut apud ipsos quadam verecundia afficiamur, ii, qui recenter nobiscum amicitiam inire affectant. Cum enim in nobis optima conspexerint, propter quæ nostram desiderant amicitiam, hanc præclaram existimationem veremur amittere, adeoque bene quoad hoc Euripides Syracusiis ejus amicitiam desiderantibus respondit. Ex iis autem, qui olim sunt nobis noti, eos potissimum verecundamur, qui nullius nostri criminis sunt conscii.

12. Addit Aristoteles, quod non solum homines verecundantur turpia, de quibus jam disseruimus, sed etiam turpium signa; ex. gr., non solum ipsos pudet, cum rebus venereis vacant, sed etiam cum aliqua talis turpitudinis signa produnt; nec solum cum turpia faciunt, sed etiam cum dicunt. Proportionaliter non solum eos, quos diximus, homines verecundamur, sed etiam eorum servos vel amicos aliosque, qui si quid flagitii deprehenderint, videntur indicaturi.

13. Ex his patere potest, quos homines non verecundamur. Apud eos nullo pudore afficimur, quorum existimationem valde contemnimus, eo quod plerumque ipsos in suis opinionibus falli censemus, ideoque non verecundamur pueros et bestias. Advertendum tamen est, quod non rerum earumdem nos pudet apud notos et apud ignotos; nam apud notos maxime pudet eorum, quæ secundum veritatem

turpia sunt; at apud ignotos pudet eorum, quæ turpia sunt secundum opinionem et legem.

14. Ipsos vero sic affectos pudet primum quidem, si erga ipsos se habuerint perinde aliqui, ac diximus esse eos quorum pudet. Erant autem isti aut qui suspiciuntur aut qui suspiciunt aut a quibus volunt suspici, aut a quibus requirunt aliquid opportuni, quod non consequentur, si nullius existimationis sint, et isti aut videntes, ut Cydias de Sami colonia concionatus est (petebat enim, ut existimarent Athenienses circumstare Græcos, ut videntes et non dumtaxat audituros quæ decrevissent), aut si prope sint tales, aut sensuri sint. Quamobrem et conspici ii qui adversa fortuna utuntur se ab æmulis unquam nolunt; suspiciunt enim æmuli.

15. Et quando habeant ea quæ dedecorent opera et actiones aut suas ipsorum aut proavorum, aut aliorum aliquorum quibuscum sit aliqua ipsis propinquitas, et omnino eorum pro quibus pudet ipsos. Sunt autem isti qui dicti sunt, et qui ad ipsos referuntur, quorum magistri aut consiliarii fuerunt. Et si sint alii similes,

16. quibuscum de honore concertant; multa enim pudore affecti propter tales faciunt et non faciunt.

17. Et qui conspicientur et in aperto versabuntur cum consciis, eos pudet magis. Unde et Antiphon poeta, cum tympano torquendus esset a Dionysio et videret una morituros se obnubere ut egressi sunt ex portis « quid » inquit « obnubitis? An ne cras aliquis horum vos videat? » Ac de pudore quidem haec; de impudentia vero apparet ex contrariis nos abundaturos.

14. *Quoad quartum:* superest, ut explicemus, quo pacto homines affecti verecundentur. *Primo* igitur homines pudore afficiuntur, cum præsentes sunt aliquibus ex iis, quos, ut diximus, verecundantur; ex. gr., cum præsentes sunt iis, quos admirantur vel quibus ipsi admirationi sunt vel quibus admirationi cupiunt esse vel a quibus cupiunt aliquid impetrare, quod non impetrabunt, nisi in bona apud ipsos existimatione sint. Porro homines, licet tum maxime pudore afficiantur, cum a talibus videntur, adhuc etiam tum verecundantur, cum ii, licet non videant, prope sunt ac, quæ fecerint, censentur rescituri. Idcirco Cydias orator cum apud Athenienses de colonia Samum deducenda verba faceret, ut in iis pudorem excitaret, petiit, ut imaginarentur circumstare Græcos universos atque ea, quæ decrevissent, non solum audituros, sed etiam visuros. Hinc oritur, ut qui adversa fortuna utuntur, ab æmulis videri nolint; æmuli enim admirantur; sed pudet unumquemque, cum ab admirantibus videtur: ergo, etc.

15. *Secundo*, pudore homines afficiuntur, cum aliquid ipsis adest, quod eorum actiones ac res dedecorat vel labem aspergit progenitoribus aut aliis, cum quibus propinquitate sunt conjuncti aut universim alicui ex iis, pro quibus verecundantur, eo quod infamiam eorum ad se quoque pertinere putant. Porro non solum progenitorum ac propinquorum infamiam ad nos pertinere existimamus, sed etiam magistri ac consiliarii putant ad se spectare infamiam discipulorum et eorum, quos suis consiliis instruxerint.

16. *Tertio* pudore afficiuntur etiam, qui pares aliquos ac similes habent, quibuscum de honore ac dignitate decertant; æmulorum enim causa ex pudore multa faciunt, quæ alioquin non facerent, ac plura, quæ facerent, omittunt.

17. *Quarto* demum majori adhuc pudore afficiuntur, qui post acceptam ignominiam existimant se semper futuros in oculis eorum, quos ignominiæ conscios ac testes habuerunt; ideoque Antiphon poeta, cum ad supplicium duceretur jussu Dionysii, ac videret una morituros caput obnubere, cum ex januis carceris prodirent, dixit: Quid vos obnubitis? An aliquis horum cras nos amplius videbit? Hæc igitur de verecundia et pudore dicta sufficiant. De inverecundia enim atque impudentia ex contrariis patet, quid sit dicendum.

CAPUT VII

DE GRATIA SEU BENEFICIO AC DE ARTE GRATIAM SEU BENEFICIUM AMPLIFICANDI AC DIMINUENDI.

1. [7] Quibus autem gratiam habeant, ob quæ, et quomodo ipsi se habentes, cum definiverimus gratiam, constabit. Sit igitur gratia, per quam is qui possidet, dicitur gratificari ei qui indiget, non pro ulla re, neque ut aliquid sit ei qui tribuit, sed ut illi aliquid.

2. Magna autem, si aut eorum qui valde indigent, aut rerum magnarum et difficilium, aut in occasionibus talibus, aut solus, aut primus, aut maxime. Ac indigentiæ sunt appetitiones, et ex his maxime quæ cum molestia rei, quæ non suppetit. Ejusmodi vero sunt cupiditates, ut amor, et in corporis cruciatibus, et in periculis; etenim qui in periculo versatur cupit, et qui in dolore. Quamobrem qui in paupertate subveniunt et fuga, etiam si parva subministraverint, propter magnitudinem indigentiæ et temporis occasionem gratiam tribuerunt, ut qui in Lyceo stoream præbuit. Necesse igitur est maxime in talia fa-

cere tributionem, sin minus, in paria aut majora.

3. Quocirca quia apparet, et quando et ob quæ fiat gratia et quomodo se habentibus, manifestum est, ex his apparatum faciendum demonstrando illos aut esse aut fuisse in ejusmodi indigentia et dolore, hos vero dedisse in ejusmodi necessitate tale aliquid tribuentes. Apparet vero etiam, unde diminuere contingat gratiam et efficere gratiæ expertes ; aut enim quod sua causa tribuunt aut tribuerunt (id autem non erat gratia) aut quod fortuito fecerunt, aut coacti sunt, aut quod reddiderunt, non dederunt, sive scientes sive nequaquam ; utroque enim modo est aliquid pro aliquo ; quare ne sic quidem erit gratia et de omnibus categoriis consideratio habenda ; nam gratia est, aut quia hoc, aut tantum, aut tale, aut quando, aut ubi. Signum vero est, si rem minorem non tribuerunt. Et si inimicis aut res easdem aut pares aut majores ; manifestum enim est, ne hæc quidem nostri causa esse. Aut si res viles sciens ; nemo enim confitetur se indigere vilibus. Ac de tribuenda quidem gratia et non tribuenda dictum est ;

1. De affectu gratitudinis jam est agendum ac præmissa definitione beneficii seu gratiæ explicandum est, quibus homines gratias habeant seu se gratos exhibeant et quo pacto dispositi. Gratia igitur seu beneficium est, *per quam, qui possidet, dicitur gratis dare indigenti, non quia aliquid ab ipso receperit, neque ut aliquod danti commodum accedat, sed ut bene sit ipsi indigenti.*

2. Gratia ac beneficium alteri collatum ex pluribus capitibus potest crescere atque evadere majus in ratione beneficii. Primo enim crescit ex eo, quod collatum fuerit valde indigenti ; secundo ex eo, quod præstita fuerint magna et difficilia ; tertio ex eo, quod præstita fuerint valde opportune ; quarto ex eo, quod quis solus aut primus aut omnium maxime benefecerit. Sed explicandum est, quæ sint magnæ indigentiæ, et quandonam homines valde indigeant. Indigentiæ igitur sunt appetitiones, ideoque cum valde quis aliquid appetit, magnopere indiget. Ex appetitionibus vero illæ majorem includunt indigentiam, quæ trahunt dolorem, nisi quod cupimus, consequamur; ac tales sunt concupiscentiæ, ex. gr., amor, ideoque amans vehementer dolet, nisi id, quod amat, consequatur. Qui etiam cruciatus corporis patitur vel in periculis versatur, valde concupiscit a cruciatibus liberari atque e periculis evadere, ideoque qui in parvis etiam rebus opitulantur hominibus in paupertate versantibus vel a patria ejectis, propter indigentiæ magnitudinem atque opportunitatem temporis magnum beneficium contulisse existimantur, ut ille, qui in lyceo stoream præbuit. Qui igitur valde vult esse alteri beneficus, in explicatis circumstantiis beneficia conferat necesse est. Quod si non in his, in æqualibus vel etiam majoribus, ita ut æquale vel majus beneficio pondus addant.

3. Jam quia ex dictis patet, quando, a quibus et quomodo affectis gratia seu beneficium confertur, manifestum est, quod his est utendum ad beneficia augenda vel minuenda, adeoque ad excitandum vel extinguendum in auditoribus affectum gratitudinis. Ut igitur in auditoribus affectum gratitudinis excitemus, amplificanda sunt beneficia ipsis collata, ostendendo alios quosdam aliquod beneficium gratis ac tali tempore auditoribus contulisse, cum in indigentia ac mærore versarentur. E converso, ut in auditoribus affectum gratitudinis extinguamus, minuenda sunt beneficia ipsis collata atque ostendendum illa gratis et animo benefico data non fuisse, sed vel conlata propter commodum conferentis — quod autem datur propter commodum conferentis, non datur gratis, adeoque non est gratia ; vel casu aut necessitate tributa ; vel gratiam non fuisse datam, sed redditam a scientibus vel nescientibus ; utroque vero modo evertitur ratio gratiæ. Cum enim *quid* pro *quo* retribuitur, non datur gratis. Sive autem beneficia augeamus sive minuamus, per singula prædicamenta est discurrendum. Beneficium enim et gratia consistit vel in tribuendo hoc vel in tribuendo tantum aut tale vel in tribuendo hoc loco aut tempore, etc. Porro aliqua sunt signa ad ostendendum beneficium animo benefico ac causa accipientis non fuisse collatum. *Primum* signum est, quod etiam majora non nostri, sed sui causa contulerit. *Secundo*, cum quis eadem aut paria vel majora contulit inimicis, signum est, quod non contulit ex amore, sed proprium commodum intendens. *Tertium* est, si res contulit inutiles ac nullius pretii. Beneficium enim est, cum aliquid confertur indigenti; sed nemo profitetur se indigere rebus inutilibus ac nullius pretii : ergo, etc. Atque hæc de gratia ac beneficio dicta sufficiant.

CAPUT VIII.

DE MISERICORDIA AC DE ARTE MISERATIONEM EXCITANDI.

1. Qualia vero miserabilia sint, et quos miserentur, et quomodo ipsi se habentes, dicamus.

2. [8] Sit misericordia molestia quædam in eo malo, quod videtur habere vim interitus et molestiæ afferendæ, ejus qui eo sit indignus, quod ipse etiam exspectet se passurum aut aliquem suorum, idque cum propinquum appareat.

1. Sequitur, ut de misericordia disserentes *primo* ejus definitionem proponamus; *secundo* explicemus, quo pacto homines affecti misereantur; *tertio,* quas ob res misereantur; *quarto,* quas personas misereantur; *quinto* demum proponenda sunt reliqua, quæ ad miserationem augendam conferunt.

2. *Quoad primum :* misericordia est *dolor ex apparenti malo corruptivo vel dolorifico ejus, qui non est dignus pati, quod malum nos quoque aut aliquem nostrorum existimamus posse pati, idque cum videatur propinquum.* Hæc definitio explicat, qualis sit actus misericordiæ, quale sit objectum movens ad misericordiam, qualis sit persona, cujus miseremur, et qualiter debeat disponi is, qui miseretur. Actus misericordiæ est quidam dolor; objectum ad misericordiam movens est malum corruptivum vel doloriferum ; conditio personæ, cui miseremur, est, ut sit indigna malis, quæ patitur ; conditio personæ miserentis est, ut existimet se quoque vel aliquem suorum posse pati ea mala, quæ alter patitur, et ut existimet talia mala non esse omnino remota, sed aliquatenus propinqua.

3. Manifestum enim est necesse esse, qui miseraturus est, esse talem ut putet passurum aliquid mali aut se aut suorum quempiam, et tale malum, quale dictum est in definitione, aut simile, aut propinquum.

4. Quamobrem nec omnino perditi miserantur; nihil enim amplius se passuros putant; passi enim sunt. Nec qui se valde felices esse putant, sed contumeliam faciunt; si enim omnia putant adesse bona, manifestum est eos etiam putare se non passuros aliquid mali. Etenim id inter bona est.

5. Ac tales sunt ut putent se passuros, qui jam passi sunt et evaserunt. Tum senes et ob prudentiam et ob experientiam. Tum debiles et timidiores magis. Tum eruditi; considerati enim sunt. Tum quibus sunt parentes et liberi aut uxores; sua enim sunt hæc, et possunt pati ob ea quæ dicta sunt.

6. Tum qui nec in fortitudinis affectu sunt, ut in ira aut fidentia; hæc enim de futuro non considerant. Nec in contumeliosa affectione ; etenim isti non considerant, se passuros esse aliquid, sed inter hos medii. Nec rursus metuentes valde; non enim miserantur metu perculsi, quia sint in proprio affectu.

7. Et si putant aliquos esse æquos; nam neminem putans omnes existimabit dignos esse malo. Et omnino quando sic se habet ut meminerit talia accidisse sibi aut suis, aut putet fore ut aut sibi accidant aut suis. Ac quemadmodum quidem se habentes miserentur, expositum est;

3. *Quoad secundum :* ex tradita definitione potest inferri, quo pacto se habeant qui miserentur. *Primo* universim necesse est eos, qui miserentur, ita esse dispositos, ut putent se aut aliquem suorum posse pati aliquid mali ac posse pati tale malum, quale explicatum est in definitione, hoc est corruptivum aut doloriferum vel simile aut propinquum his.

4. *Secundo,* hinc oritur, ut neque aliorum misereantur, qui se putant omnino perditos ac miseros, neque qui se supra modum beatos censent. Ratio est, quia qui se omnino miseros putant, nihil se mali passuros timent, siquidem jam omnia passi sunt; qui vero se censent supra modum felices, putant sibi jam adesse omnia bona; sed securitas ab omni malo est aliquod bonum : ergo existimant se nihil passuros mali, ac proinde proniores sunt ad contumelias inferendas quam ad miserandum.

5. *Tertio,* quia existimant se posse pati aliquid mali, tum qui jam sunt passi, et evaserunt, tum senes propter prudentiam et experientiam, tum debiles ac timidi, tum disciplinis expoliti, quia accurate considerant mutabilitatem rerum humanarum, tum quibus parentes sunt aut filii aut uxores, quia eorum mala propria censent, idcirco omnes hi sunt ad miserendum proni.

6. *Quarto* proclives ad miserandum sunt, qui neque in iis constituti sunt affectibus, qui ad fortitudinem conducunt, puta in affectu iræ vel audaciæ, neque in affectibus incitantibus ad contumeliam inferendam, neque in affectibus extreme contrariis, in quibus sunt, qui vehementi timore concutiuntur, sed medio quodam modo disponuntur. Ratio est, quia qui sunt in affectu iræ vel audaciæ, de futuris non cogitant; sed ad miserandum re-

quiritur, ut quis cogitet posse sibi evenire ea mala, quæ alter patitur: ergo, etc. Ex proportionali ratione non miserantur ii, qui ad contumelias incitantur; nihil enim se passuros existimant. Qui vero magno metu sunt perculsi, propriis malis occupati non commoventur alienis.

7. *Quinto* proclives ad miserandum sunt, qui existimant aliquos esse viros æquos ac bonos, adeoque malis indignos. Qui enim neminem putant esse bonum, neminem putant esse malis indignum, adeoque nullius miserantur. Universim tum homines sunt ad miserandum dispositi, cum memoria revolvunt sibi vel suis accidisse talia, qualia vident alterum pati, aut expectant sibi vel suis eventura. Et per hæc satis est explicatum, quo pacto se habeant, qui miserentur.

8. Quæ vero miserentur, ex definitione patet. Quæ enim ex molestis et tristibus vim habent interimendi, omnia miserabilia sunt. Et quæ vim perdendi habent. Et quorum fortuna est causa malorum magnitudinem habentium. Sunt autem tristia et interitum afferentia mortes et verberationes et corporum cruciatus et senectus et morbi et alimenti indigentia. Quorum vero fortuna est causa malorum, sunt privatio amicorum, paucitas amicorum (quocirca et divelli ab amicis ac familiaribus, miserabile est), turpitudo, imbecillitas, debilitas, et unde conveniebat boni aliquid effici, mali aliquid contigisse, idque sæpe. Et postquam passus sit, factum esse aliquid boni, ut Diopithi ea quæ a rege missa sunt, quod mortuo missa sint. Et nihil factum esse boni, aut eorum quæ facta sunt non esse fruitionem. Ob quæ igitur miserentur, hæc et talia sunt.

8. *Quoad tertium:* ex definitione misericordiæ patere etiam potest, quænam sint miserabilia, adeoque affectum misericordiæ in nobis excitent. Primo igitur ex malis, quæ ita ægritudinem animo ac dolorem corpori afferunt, ut sint corruptiva, sunt miserabilia. Secundo miserabilia sunt, quæ vim habent interimendi etiam sine dolore. Tertio miserabilia sunt illa mala, quorum fortuna plerumque est causa, cum magna sunt. Mala interitum ac dolorem afferentia sunt mortes, verberationes, corporum cruciatus, senectus, morbi, carentia alimenti, etc. Mala, quorum fortuna est causa, sunt spoliari amicis aut cum paucis relinqui, ideoque miserabile est ab amicis ac familiaribus divelli; turpitudo, infirmitas, imbecillitas, et unde bona exspectari debuerunt, inde obvenisse mala atque id sæpius accidisse. Illud etiam est miserabile atque a fortuna manans, aliquid boni atque auxilii advenisse, cum nullum ex eo commodum posset reportari, ut Diophito contigit, ad quem ea, quæ fuerunt ipsi missa a rege, tum pervenerunt, cum jam mortuus fuisset. Miserabile etiam est, cum nihil boni alicui accidit, vel non data est copia iis, quæ acciderunt, bonis perfruendi. Hæc igitur sunt miserabilia, quæque ad misericordiam movent.

9. Miserantur vero et familiares, si non valde conjuncti sint necessitudine. Erga hos autem, ut erga se ipsos passuros se habent; quamobrem et Amasis in casu filii, qui ad moriendum perducebatur, lacrimas non effudit, ut aiunt, sed in casu amici, qui mendicabat, affudit; hoc enim est miserabile, illud atrox. Nam atrox diversum est a miserabili, et habet vim pellendæ misericordiæ, et sæpe in contrarium utile est. Præterea miserantur, si ipsum atrox prope sit.

10. Et similes miserantur ætate, moribus, habitibus, dignitatibus, generibus; nam in omnibus his magis apparet etiam ipsi idem posse contingere. Omnino enim oportet assumere, quæ sibi metuunt, ea aliis cum fiunt, ipsos miserari.

11. Quoniam autem quæ prope apparent perpessiones miserabiles sunt, at quæ abhinc decem millia annorum facta sunt aut futura sunt, ea neque exspectantes neque recordantes aut omnino non miserantur aut non similiter, necesse est, qui repræsentantur figuris et vocibus et vestitu et omnino simulatione, miserabiliores esse; faciunt enim ut propinquum appareat, malum ante oculos proponentes aut tanquam futurum aut tanquam factum. Et quæ facta sunt nuper aut futura sunt brevi, miserabiliora sunt propter idem. Et signa et actiones, ut vestes eorum, qui passi sunt, et quæcumque talia. Et sermones eorum, qui in perpessione sunt, ut qui jam animam efflant. Et maxime virtute præditos esse, cum in talibus temporibus sunt; omnia enim hæc, quia prope apparent, magis efficiunt miserationem, quasi et ille indignus sit et ante oculos appareat perpessio.

9. *Quoad quartum* : *primo* miserentur homines familiarium atque notorum, nisi valde sint ipsis sanguinis cognatione propinqui; siquidem erga mala eorum, qui sunt nobis valde propinqui, eodem pacto ac erga mala nostra afficimur adeoque non tam miseremur, quam eorum mala putamus nostra. Idcirco Amasis, ut ajunt, in casu filii, qui ducebatur ad mortem, lacrymas non effudit; in casu vero amici, qui mendicabat, lacrymas effudit, quia mendicitas amici videtur amico miserabilis, filii autem nex parenti non vi-

detur miserabilis, sed atrox. Atrox autem differt a miserabili, et aliquando habet vim misericordiam pellendi et in contrarium affectum perducendi. Addit Aristoteles, quod familiarium miseremur, non solum cum mala miserabilia patiuntur. sed etiam cum talia mala videntur illis proxime imminere.

10. *Secundo* miseremur æqualium ætate, moribus, habitibus, dignitate ac genere. Ratio est, quia cum videmus pati æquales, tum maxime cogitamus nos posse pati similia; ergo, etc. Illud igitur universim est statuendum, tum nos præcipue misereri, cum, quæ nobis timemus, aliis videmus accidere.

11. *Quoad quintum :* quia mala resque omnes acerbæ, cum prope videntur esse, tum præcipue miserationem gignunt, e converso, quæ decem abhinc annorum millibus acciderunt vel accident post decem millia annorum, ea memoria recolentes vel expectantes aut non miseramur, aut parum miseramur, ideo quæ repræsentantur iisdem corporis gestibus, viribus ac vestitu, quibus aliqui in malo sustinendo fuerunt usi, et universim imitatione scenica |ob oculos ponuntur, miserabiliora videntur. Ratio est, quia talis imitatio facit, ut res miserabiles propinquiores appareant ac veluti ob oculos versentur, ac si fierent vel jamjam essent faciendæ. Ex eadem ratione miserabiliora sunt, quæ nuper sunt facta aut paulo post fient. Signa etiam, actiones, vestes, quibus homines miserabiles sunt usi, sermones, quos dum in miseriis versarentur, puta dum animam agerent, effuderent, et alia hujusmodi ad miserationem augendam conferunt. Præsertim vero augetur miseratio, si eos, qui crudeliter interfecti sunt, ut fortes ac virtute præditos orator exhibeat. Ratio est, quia tum et qui patitur, videtur malis indignus, et res tota ante oculos constituitur.

CAPUT IX

DE INDIGNATIONE EJUSQUE DIFFERENTIA AB INVIDIA AC DE ARTE MOVENDI AD INDIGNATIONEM.

1. [9] Opponitur autem ei quod miseratur, maxime id quod apellant stomachari; nam dolori propter indignas res adversas oppositus est quadammodo et per eosdem mores dolor propter indignas res secundas, et utræque perturbationes sunt bonorum morum. Oportet enim eorum qui indigne agunt male vicem dolere, et iis qui bene, stomachari; injustum enim est quod fit præter dignitatem; quamobrem etiam deos dicimus stomachari.

Agit jam Aristoteles de indignatione, quæ est affectus misericordiæ contrarius; ac *primo* explicat. quid sit indignatio, et quo pacto ita misericordiæ opponatur, ut uterque affectus sit honestus ac laudabilis in genere moris; *secundo,* quia indignatio habet quamdam propinquitatem cum invidia, exponit, quo pacto differat ab invidia; *tertio* explicat, quas ob causas ac quibus indignemur; *quarto* demum docet, quinam homines sint ad indignationem proclives.

1. *Quoad primum:* ex ipsis definitionibus misericordiæ et indignationis patet hos affectus ita esse oppositos, ut uterque sit honestus ac laudabilis in genere moris. Misereri enim est: *dolere propter mala, quæ quis indigne patitur;* indignari est : *dolere propter bona, quæ quis indigne obtinet;* sed dolori de malis opponitur quodammodo dolor de bonis : ergo affectus indignationis quodammodo opponitur affectui misericordiæ; sed oportet dolere tum de malis, tum de bonis, quæ accidunt hominibus præter dignitatem, siquidem quod est præter dignitatem, est injustum : ergo oportet tum misereri tum indignari, adeoque uterque affectus est honestus; ex quo oritur, ut indignatio etiam superis tribuatur.

2. Existimabitur vero etiam invidia miserationi eodem opponi modo, quasi quæ vicina et eadem sit cum stomachatione; verum est diversa. Molestia quidem turbulenta etiam invidia est, et propter prosperum eventum, sed non indigni, verum æqualis et similis. Illud vero, ne ipsi aliquid contingat aliud, sed propter ipsum proximum, omnibus similiter oportet inesse; non enim amplius erit illud quidem stomachatio, hoc vero invidia, sed metus, si ob id ipsum adsit molestia et perturbatio, quia ipsi aliquid futurum sit mali ab alius prosperitate.

3. Apparet autem fore ut sint consequentes etiam contrariæ perturbationes his. Qui enim molestia afficitur ob eos, qui indigne male agunt, lætabitur aut molestiæ vacuus erit ob contrarios, qui male agunt; ut ob parricidas et sicarios, quando supplicio afficiantur, nemo molestia affectus fuerit, qui bonus sit; oportet enim gaudere propter tales, eodem modo ac propter bene agentes secundum dignitatem; ambo enim justa sunt et faciunt, ut gaudeat æquus, Necesse enim est eum sperare fore ut adsint, quæ simili, etiam sibi ipsi. Et pertinent ad eosdem mores omnia

hæc, contraria vero ad contrarios. Idem enim est malis alienis gaudens ac invidus. Ex quo enim quispiam molestia afficitur, dum illud oritur aut adest, necessarium est eum propter privationem et corruptionem ejusdem lætari.

4. Quamobrem vim arcendæ misericordiæ omnia hæc habent, differunt vero dictis de causis. Quare ad non miserabilia reddenda omnia similiter utilia snnt. Ac primum quidem de stomachando exponamus, quibus stomachentur et ob quæ et quomodo se habentes ipsi, postea de aliis.

2. *Quoad secundum:* quia etiam invidia opponitur misericordiæ, videbitur opponi eodem modo ac indignatio, adeoque videbitur affectus invidiæ ita esse propinquus affectui indignationis, ut invidia sit idem cum indignatione. Dicendum tamen, quod indignatio differt ab invidia, ut patet ex utriusque affectus definitione. Indignatio enim est *dolor propter prosperitatem indigni;* invidia est *dolor propter prosperitatem non indigni, sed æqualis aut similis;* sed dolor de prosperitate indigni differt a dolore de prosperitate æqualis ac similis : ergo indignatio differt ab invidia, atque affectus indignationis est honestus, affectus invidiæ est turpis. Conveniunt tamen isti duo affectus in hoc, quod uterque dolet de propseritatibus alterius, quia illius prosperitates sunt, et non, quia ex talibus prosperitatibus aliquid nobis obventurum sit mali; affectus vero, quo dolemus prosperitatibus alterius, quia aliquid ex ipsis obventurum nobis est mali, neque est indignatio neque ira, sed timor.

3. Addit Aristoteles, quod cum invidia et indignatio sint dolor de prosperitatibus alterius, ad ipsas consequetur affectus gaudii de contrariis; sed contraria prosperitati est calamitas, contrarium bono est malum : ergo sicut indignans dolet prosperitatibus impiorum, sic gaudebit vel saltem non dolebit calamitatibus improborum. Uterque autem affectus est honestus, ideoque nullus probus dolet, cum parricidæ atque sicarii supplicio afficiuntur. Quemadmodum enim gaudendum est, cum probi fruuntur bonis, quibus sunt digni, sic gaudendum est, cum improbi incidunt in mala, quibus sunt digni; siquidem utrumque est justum ac viro probo gaudium affert, quippe qui sperat se consecuturum eadem illis, quæ videt a similibus in probitate obtineri. Jam sicut omnes affectus consequentes ex indignatione sunt honesti, sic omnes affectus consequentes ex invidia sunt inhonesti. Sicut enim turpe est dolere prosperitatibus æqualis ac similis, quia æqualis est ac similis, sic turpe est gaudere calamitatibus ac malis æqualis ac similis, quia æqualis est ac similis; sed invidus sicut dolet prosperitatibus æqualium, sic necesse est, ut eorum calamitatibus gaudeat; necesse est enim, ut cujus generatione ac præsentia dolemus, ejusdem privatione ac corruptione gaudeamus; ergo invidus in utroque peccat, et quod dolet prosperitatibus, et quod gaudet calamitatibus æqualium.

4. Jam affectus indignationis eamdem vim habent impediendi affectum misericordiæ, ideoque orator, sive ad indignationem, sive ad invidiam auditorem excitarit, efficiet, ut quæ quis est passus, non videantur miserabilia. Quia vero non possumus scire artem movendi ad indignationem vel invidiam, nisi sciamus, quo pacto homines affecti, quibus, et quas ob causas indignentur vel invideant, ideo hæc sunt hoc capite explicanda de indignatione, capite autem sequenti de invidia.

5. Apparet autem ex iis quæ dicta sunt. Si enim stomachari est, molestia affici ob eum qui apparet indigne bene agere, primum quidem manifestum est non licere propter omnia bona stomachari. Nemo enim si justus aut fortis sit aut si virtutem consequatur, ei stomachabitur: neque enim miserationes propter contraria horum sunt; sed propter divitias et potentiam et res ejusmodi, quibus, ut simpliciter dicam, digni sunt boni,

6. * et qui natura habent bona, ut nobilitatem et pulchritudinem et quæcumque talia. Quoniam vero antiquum esse propinquum apparet naturali, necesse est idem habentibus bonum, si nuper consecuti sint et ob id bene agant, magis stomachari; molestiores enim sunt, qui nuper ditescunt quam qui antiquitus et ob genus. Similiter vero etiam qui sunt in magistratu, et potentes, et habentes multitudinem amicorum et bonitatem liberorum, et quicumque ejusmodi sunt. Et si ob hæc aliud aliquid boni evenerit ipsis eodem modo; etenim tunc molestiores sunt novas divitias possidentes, cum habent imperium propter divitias, quam antiqui divites. Similiter vero etiam in aliis. Et causa est, quod illi quidem videntur quæ sua sunt habere, hi vero nequaquam; quod enim semper ita apparet se habere, verum videtur. Quare alteri non quæ sua sunt habere.

7. Et quoniam unumquodque bonum non quolibet dignum est, sed quædam est analogia et convenientia, ut arma pulchra nequaquam justo

conveniunt sed forti, et conjugia eximia non nuper ditescentibus sed nobilibus, idcirco si qui bonus est non convenientem rem consequatur, id habet vim movendæ stomachationis.

8. Et inferiorem cum superiore controversari, maxime quidem si sint eidem rei dediti; unde et illud dictum est, « Ajacis autem declinabat pugnam Telamonidæ, Jupiter enim ei stomachabatur, quod cum viro præstantiore pugnaret». Sin minus, etiam quocumque modo inferior cum superiori, ut si musicus cum justo; melior enim est justitia quam musica. Quibus igitur stomachentur et propter quæ, ex his patet; hæc enim et talia sunt.

5. *Quoad tertium :* ex definitione indignationis potest planum fieri, propter quæ homines indignentur. Cum enim indignari *sit dolere eo, quod aliquis videatur prospere agere, cum sit indignus,* perspicuum est non posse hunc affectum excitari ob cuncta bona. *Primo* enim nemo indignatur eo quod alter justus sit aut fortis vel aliam virtutem consequatur. Ratio est, quia nemo simul habet bonum virtutis et est indignus tali bono. Confirmatur, quia ea bona movent ad indignationem, quibus contraria sunt mala, quæ movent ad miserationem; sed vitia virtutibus contraria non movent ad miserationem, quia nemini accidunt indigne : ergo, etc. Indignamur igitur, cum improbi possident divitias, potentiam et alia hujusmodi, quorum viri probi sunt digni.

6. *Secundo* neque etiam solemus indignari iis, qui ea bona possident, quæ natura dare hominibus consuevit, qualia sunt nobilitas, pulchritudo et alia hujusmodi. Quia vero, quæ antiquitus possidentur, affinia videntur iis, quæ naturaliter possidentur, ideo cum plures eadem bona possident indigne, magis indignamur iis, qui recenter, quam qui antiquitus ea bona sunt consecuti; ideoque majori nos dolore afficiunt, qui nunc de novo divitias sunt consecuti, quam qui divitias a majoribus acceptas possident; ac similiter majorem nobis tristitiam inurunt, qui de novo principatus ac potentiam sunt adepti, ac multitudine amicorum et optima prole aliisque talibus prosperitatibus nunc primum florere inceperunt, quam qui diu in his versati sunt atque ea veluti hæreditaria possident. Ratio est, quia majori tristitia afficimur, cum quis videtur possidere non sua, quam cum videtur possidere sua; sed quod semper videtur fuisse ab aliquo possessum, vere videtur illius; quod de novo possidetur, non videtur vere possidentis: ergo, etc.

7. *Tertio,* quia non quilibet bonorum virorum est dignus indifferenter quocumque bono, sed solum eo, quod est ipsi proportionatum, idcirco indignamur etiam, cum viri probi consequuntur bona ipsis improportionata; ex. gr., quia pulchra arma sunt quidem proportionata viro forti, non autem viro justo; conjugia eximia proportionata sunt nobilibus, non autem iis, qui recenter divitias sunt consecuti; ideo indignamur, si vir justus obtineat pulchra arma vel recenter dives eximia conjugia consequatur.

8. *Quarto* indignamur, si inferior cum superiore contendat, præsertim de eo, in quo est inferior. Idcirco Homerus cecinit : *Declinabat autem pugnam cum Ajace Telamonis filio, quia Juppiter indignabatur, quod cum viro præstantiore congrederetur.* Nec solum indignamur, cum quis contendit cum superiore de eo, in quo est inferior, sed etiam cum contendit in aliis quibuslibet; ex. gr., quia musicus est inferior homine justo, indignamur, si musicus audeat contendere cum homine justo. Ex his igitur patet, quibus, et propter quæ indignemur.

9. At ipsi stomachosi sunt, si digni sint maximis bonis et ea possideant; nam similibus existimari dignos, qui non sunt similes, nequaquam justum est. Secundo loco, si sint boni et virtute præditi; judicant enim bene et injustum odio habent. Et si sint studiosi honoris et appetentes quarumdam actionum, et maxime in iis studiosi sint quæ alii, cum indigni sint, consequuntur. Et omnino qui existimant se dignos iis quibus alios non existimant, stomachosi sunt eis et ob ea. Quamobrem mancipiorum similes et pravi et non cupidi honoris non sunt stomachosi ; nihil enim est ejusmodi, quo se putent dignos esse.

10. Apparet autem ex his, propter quos adversam fortunam habentes et male agentes aut non obtinentes gaudere aut sine molestia esse oporteat; ex iis enim quæ dicta sunt, opposita manifesta sunt. Quare si judices tales præpararit oratio, et petentes ut sui misericordia habeatur, et ob quæ habeatur, ostenderit indignos esse qui consequantur, dignos vero qui non consequantur, fieri non potest ut adsit miseratio.

9. *Quoad quartum :* ad indignationem proclives sunt *primo* ii, qui digni sunt maximis bonis et ea possident. Injustum enim existimant homines ipsis dissimiles censeri dignos similibus bonis, ac, si id accidat, indignantur. *Secundo* proni sunt

ad indignationem homines probi ac virtute præditi. Cum enim recte judicent et injustos odio habeant, cum vident improbos obtinere bona, quibus indigni sunt, indignantur. *Tertio* ii etiam, qui sunt honoris ac quarumdam rerum studiosi et appetentes, indignantur, præcipue cum indigni consequuntur ea, quorum ipsi sunt studiosi. *Quarto* universim ii sunt ad indignationem proclives, qui existimant se dignos bonis, quibus alios censent indignos, ac tum præcipue indignantur, cum alii talia bona consequuntur. Ex opposita ratione homines perditi ac mancipiis similes atque honorem contemnentes, quia nullis se bonis dignos putant, non sunt ad indignationem proclives.

10. Infertur ex dictis, quibus oporteat non misereri, non dolendo, imo gaudendo, cum infortuniis conflictantur ac mala patiuntur nec in ulla re voti compotes fiunt. Nimirum sicut dolendum est, cum improbi consequuntur bona, quibus sunt indigni, sic gaudendum est, cum iidem premuntur malis, quibus sunt digni. Si igitur orator indignationem in judicibus excitarit atque ostenderit eos, qui judicum misericordiam implorant et causas prætexunt, propter quas videri volunt misericordia digni, indignos esse misericordia, judices misericordia moveri non poterunt.

CAPUT X

DE INVIDIA AC DE ARTE MOVENDI AD INVIDIAM.

1. [10] Manifestum est autem et ob quæ invideant et quibus et quomodo se habentes,

2* siquidem invidia est molestia quædam propter prosperitatem, quæ apparet, eorum quæ dicta sunt bonorum, erga similes, non ut aliquid sibi sit, sed propter illos.

3. Invidebunt enim tales, quibus sunt aliqui similes aut apparent. Similes vero dico genere, cognatione, ætate, habitu, existimatione, copiis, Et quibus parum deest, quin omnia adsint. Quamobrem magna agentes et prospera fortuna utentes invidentiores sunt; cunctos enim putant quæ sua sunt eripere. Et qui honorantur eximie aliquam ob rem, et maxime ob sapientiam aut felicitatem. Et studiosi honoris invidentiores quam non studiosi. Et qui sequuntur sapientiæ gloriam; studiosi enim sunt honoris ob sapientiam. Et omnino qui amant gloriam aliqua in re, sunt invidentiores in ea. Et pusillanimi; omnia enim ipsis videntur magna esse.

4. Ob quæ vero invideant bona, dictum est. In quibus enim amant gloriam et de honore contendunt operibus, et hominum aucupantur opinionem. Et quæcumque bonæ fortunæ eventus sunt, ferme in omnibus invidia est. Et maxime quæ ipsi aut appetunt aut putant oportere se habere, aut in quibus ipsi possessione paulisper superant aut paulisper despiciunt.

1. Misericordiæ opponitur non solum indignatio, sed etiam invidia, ideoque cum egerimus de indignatione, agendum est de invidia; ac *primo* proponenda est definitio invidiæ; *secundo* explicandum est, quinam homines sint ad invidendum proclives; *tertio,* quas ob res invideant; *quarto* demum, quibus invideant.

2. *Quoad primum :* invidia est *dolor, quo angimur de apparente similium prosperitate quoad bona capite superiori numero quinto explicata, non propter nos, sed propter ipsos, quos ægre ferimus talibus bonis esse cumulatos.* Hæc definitio explicat genus, in quo invidia convenit cum indignatione, ac differentiam, per quam ab eadem differt. Convenit cum indignatione in hoc, quod utraque est dolor de aliena prosperitate, non propter nos, sed quia aliena prosperitas est; differt ab indignatione, quia indignatio est dolor de prosperitate indignorum, quia indigni sunt; invidia est dolor de prosperitate similium, quia similes sunt.

3. *Quoad secundum* : ex tradita definitione infertur, quinam sint ad invidendum proclives. *Primo* ergo, quia invidia est dolor de prosperitate similium, ii sunt ad invidendum proclives, quibus aliqui sunt aut videntur similes. Similes autem dico, qui conveniunt genere, cognatione, ætate, habitibus, puta scientiis et artibus, gloria et extrinsecis copiis. *Secundo* ii etiam invident, quibus parum abest, quin omnia adsint; et quia, qui magna gesserunt et prospera fortuna utuntur, tales sunt, et parum videatur abesse, quin omnia ipsis adsint, ideo solent esse invidentiores ac videntur putare sibi eripi, quidquid aliis accesserit. *Tertio* invidi sunt, qui ob aliquam rem ac præsertim ob sapientiam et felicitatem eximie honorantur. *Quarto* ambitiosi atque honorum appetentes invidentiores sunt inambitiosis. Quia vero, qui appetunt videri sapientes, appetunt honorem, qui ex sapientia consequitur, ideo solent aliis invidere. Universim autem, qui in unaquaque re appetunt in pretio esse, in ea sunt invidi. *Quinto* etiam pusillanimi sunt in-

vidi. Ratio est, quia cum cuncta illis videantur magna, quidquid in aliis vident, admiratione simul et invidia afficiuntur.

4. *Quoad tertium*: ex dictis patere potest, ob quæ maxime aliorum bona gignatur invidia. Primo ergo invidia circa ea potissimum bona atque opera versatur, in quibus homines primi haberi volunt ac pro quibus de honore contendunt eorumque gloriam appetunt quæque fortunæ dona sunt. Secundo invidemus aliis ea bona, quæ nos vehementer appetimus atque habere nos oportere existimamus necnon ea, in quibus aut parum alios vincimus aut parum ab aliis superamur.

5. Apparet vero etiam quibus invideant; simul enim dictum est. Iis enim qui propinqui sunt et tempore et loco et ætate et existimatione invident. Unde dictum est « quod enim cognatum est, etiam invidere scit ». Et quibuscum de honore contendunt; nam de honore contendunt cum iis qui dicti sunt. Cum iis vero qui abhinc decem millia annorum erant, aut cum iis qui erunt, aut cum mortuis nemo, neque cum iis qui sunt ad herculeas columnas, neque a quibus longo intervallo putant se suo aut aliorum judicio relinqui, neque quibus se longe præstare, eodem modo et cum his et de talibus. Quoniam vero cum iis qui competitores sunt et rivales, et omnino cum iis qui eadem appetunt, de honore concertant, necesse est his maxime invidere; unde dictum est « et figulus figulo ». Et iis qui celeriter aut qui vix adepti sunt, aut qui nequaquam adepti sunt, invident. Et quibus consecutis aut recte agentibus dedecus ipsis est. Sunt autem isti qui propinqui sunt, qui similes; manifestum enim est ipsorum culpa eos non adipisci quod bonum est; quare hoc cum molestum sit, efficit invidiam. Et iis qui habent ea aut consecuti sunt, quæ ipsis conveniebant, aut consecuti fuerant olim; quamobrem seniores junioribus, et qui multos sumptus fecerunt in idem, iis qui paucos invident.

6. Jam vero manifesta sunt etiam ea, propter quæ gaudent tales, et in quibus, et quomodo se habentes; ut enim non habentes molestia afficiuntur, sic habentes ex contrariis voluptatem percipient. Quare si ipsi ita conformati fuerint, et illi qui digni, quibus misericordia habeatur aut consequantur aliquid boni, existimantur, sint tales, qualesilli qui dicti sunt, patet, eos non esse consecuturos misericordiam a principibus.

5. *Quoad quartum*: ex dictis demum apparet, quibus plerumque homines invideant. *Primo* igitur homines invident propinquis tempore, loco, ætate, existimatione, ideoque proverbio dicitur: *quod enim cognatum est atque affine, invidere scit*. *Secundo* unusquisque invidet iis, cum quibus de honore decertat; sed homines de honore decertant solum cum propinquis tempore, loco etc; ergo etiam ex hoc capite homines invident propinquis. Quod autem homines de honore decertent solum cum propinquis tempore, loco, existimatione, etc. patet; nemo enim de honore decertat cum iis, qui decem millibus abhinc annis fuuernt vel erunt, neque cum mortuis, neque cum iis, qui ad herculeas habitant columnas neque cum iis, a quibus longo intervallo putant se suo vel aliorum judicio superari; neque cum iis, quibus se longe præstare arbitrantur, idemque dic de aliis; ergo solum cum propinquis de honore decertamus, adeoque solis propinquis invidemus. Quia vero maxime cum competitoribus ac rivalibus contendimus, idcirco iis maxime invidemus; unde dicitur: *figulus invidet figulo*. *Tertio* iis, qui celeriter ac nullo labore aliquid sunt adepti, invident, qui sero multisque cum laboribus vix idem obtinuerunt vel ne obtinuerunt quidem. *Quarto* invidemus iis, qui si aliquid obtinere potuerint, dedecori nobis est futurum, et quia si propinqui ac similes quædam eximia bona consequantur, nobis estde decori, siquidem eo ipso apparet. nostra nos culpa atque ignavia similia bona non consecutos, hoc autem cum molestum sit, invidiam efficit, idcirco propinquis ac similibus invidemus. *Quinto* invidemus iis, qui ea possident, quæ nobis conveniebant, ac quæ olim possedimus, ideoque senes junioribus invident. *Sexto* qui magnos sumptus in re aliqua comparanda fecerunt, invident iis, qui parvo sumptu eadem sunt consecuti.

6. Jam quoniam explicuimus, quibus rebus et quomodo se habentes invidi doleant, in aperto est, quo pacto se habentes et quibus rebus gaudeant. Sicut enim invidi dolent, dum ipsi non habent bona, quæ habentur a similibus, sic gaudent, cum ipsi habent bona, quibus similes carent. Si igitur orator disposuerit judices eo pacto, quo affecti sunt invidi, ostenderit autem eos, qui misericordiam implorant aut petunt aliquod bonum, tales esse, quales diximus esse eos, quibus invidemus, manifestum est, quod misericordiam a judicibus aut dominis non consequentur.

CAPUT XI

DE ÆMULATIONE AC DE CONTEMPTU ÆMULATIONI CONTRARIO.

1. [11] Quomodo autem se habeant æmulantes, et qualia æmulentur et quibus, hinc constat.

2. Si enim est æmulatio molestia quædam propter eam quæ apparet præsentiam bonorum honoratorum, et eorum quæ contingit ipsi assumere in similibus natura, non quod alii, sed quod non etiam ipsi sint (quamobrem et bona est æmulatio, et bonorum, invidere vero malum et malorum; ille enim se præparat propter æmulationem ad bona adipiscenda, hic vero, ne proximus habeat, propter invidiam),

3.^ necesse profecto est proclives ad æmulandum esse existimantes dignos se bonis, quæ non habent. Nemo enim se dignum existimat iis quæ apparet fieri non posse. Quamobrem juvenes et magnanimi tales.

4. Et quibus adsunt talia bona, quæ honoratis digna sunt viris. Sunt enim hæc divitiæ et multorum amicitia et magistratus et quæcumque talia. Quasi enim conveniat ipsis probis esse, quia conveniunt probe se habentibus, æmulantur talia ex bonis.

5. Et quos alii dignos existimant.

6. Et quorum proavi aut cognati aut domestici aut natio aut civitas honorata est, æmulatores sunt in his; domestica enim arbitrantur ipsis esse, et se his dignos existimant.

1. Ut de æmulatione agamus, *primo* proponenda est definitio æmulationis, ejusque ab invidia discrimen; *secundo* explicandum est quinam homines sint ad æmulandum proclives; *tertio*, circa quæ præcipue bona æmulatio versetur; *quarto*, quos homines æmulemur; *quinto* demum agendum est de contemptu æmulationi contrario ac per hæc tractatum de affectibus absolvemus.

2. *Quoad primum* : æmulatio est *dolor ortus ex eo, quod bona quædam honorabilia, quibus nos caremus et quæ possumus assequi, videantur inesse similibus natura, ita ut non ideo angamur, quia talia bona similibus insunt, sed quia nobis non insunt.* Ex hac definitione patet primo, in quo æmulatio conveniat cum invidia, et in quo ab invidia differat. Convenit cum invidia in hoc, quod utraque dolet, cum quædam bona, quibus nos caremus, similibus adsunt; differt, quia invidia dolet, quia talia bona adsunt similibus, æmulatio e converso non dolet, quia similibus adsunt, sed quia non adsunt etiam nobis. Patet secundo, affectum æmulationis esse bonum ac proprium viri probi; affectum invidiæ esse malum ac proprium improbi. Ratio est, quia probus æmulatione excitatus bona procurat sibi, non impedit alteri; improbus e converso ex affectu invidiæ conatur bona aliorum impedire.

3. *Quoad secundum* : quia ex dictis æmulatio est dolor, eo quod careamus iis bonis honorabilibus, quæ similibus insunt ac nobis quoque inesse possunt. *primo* necesse est, ut ii sint ad æmulationem proclives, qui se existimant dignos bonis, quibus carent. Cum enim nemo se existimet dignum iis, quæ videtur consequi non posse, eo ipso, quod se existimat aliquibus bonis dignum, existimat se posse illa consequi, adeoque æmulatione excitatur ad ea consequenda. Quia vero juvenes atque magnanimi magis bonis se dignos putant, ideo proclives sunt ad æmulationem.

4. *Secundo* æmulatores etiam aliorum sunt, qui ea possident bona, quæ honestis viris videntur convenire, cujusmodi bona sunt divitiæ, multitudo amicorum, magistratus et alia hujusmodi. Ratio est, quia cum existiment sibi convenire, ut boni sint, æmulantur viros probos, qui similia bona possident.

5. *Tertio* etiam ii, quos alii existimant dignos bonis, quibus carent, proni sunt ad æmulationem.

6. *Quarto* ii, quorum proavi aut cognati aut domestici aut civitas aut natio in aliquo bonorum genere excelluerunt, in eo genere sunt ad æmulandum proclives. Existimant enim se iis bonis, utpote domesticis ac propriis, esse dignos eaque sibi apprime convenire.

7. Si vero sunt æmulanda honesta bona, necesse est et virtutes esse tales. Et quæcumque aliis utilia et idonea ad bene faciendum; honorant enim benefacientes et bonos. Et quorum bonorum fruitio proximis est, ut divitiæ et pulchritudo magis quam sanitas.

8. Apparent vero etiam æmulandi aliqui; qui enim hæc et talia possident, æmulandi sunt. Ea vero sunt quæ dicta sunt, ut fortitudo, sapientia, magistratus. Nam qui magistratus gerunt, in multos possunt esse benefici, imperatores, oratores, omnes qui talia possunt. Et quibus multi similes volunt esse aut multi familiares aut amici multi, aut quos multi suspiciunt, aut quos ipsi suspiciunt. Et quorum laudes et encomia dicuntur aut a poetis aut scriptoribus orationum.

9. Contemnunt vero contrarios; nam contraria æmulationi contemptio est, et id quod est

æmulari, ei quod est contemnere. Necesse autem est, sic se habentes, ut æmulentur aliquibus aut æmulatione petantur, ad contemnendum proclives esse, tum hos, tum ob hæc, quæcumque contraria mala habent bonis æmulandis. Quamobrem sæpenumero contemnunt prospera fortuna utentes, cum sine honoratis bonis adsit ipsis fortuna. Ac ex quibus quidem affectus excitentur et dissolvantur, unde fides fit, de iis dictum est.

7. *Quoad tertium:* quia æmulatio versatur præcipue circa bona honorabilia, virtutes autem omnes inter bona honorabilia sunt recensendæ, ideo æmulatio versari potest circa omnes virtutes. Quia rursus non solum virtus est honorabilis, sed etiam omnia ea, quæ sunt aliis utilia atque ad benefaciendum apta, ut patet ex eo, quia non solum probi, sed etiam benefici apud omnes in honore sunt, ideo æmulatio versatur universim circa ea, quæ sunt aliis utilia atque ad benefaciendum idonea. Ex eadem ratione versatur circa ea bona, quibus magis fruuntur alii, quam qui ea possidet, et quia divitiis et pulchritudine magis fruuntur alii, quam qui divitias et pulchritudinem possident; e converso sanitate magis fruitur, qui sanus est, quam alii; idcirco divitiæ et pulchritudo sunt bona honorabilia ac magis ad æmulationem provocantia quam sanitas.

8. *Quoad quartum :* facile jam est explicare, quosnam homines æmulemur. Primo igitur æmulamur eos, qui possident bona honorabilia, quæ ad æmulationem provocant; sed ex dictis hæc bona sunt fortitudo, sapientia, magistratus; siquidem qui magistratus gerunt, in multis possunt esse benefici; ergo hos æmulamur, necnon imperatores, oratores et omnes eos, qui talia possunt exercere, qualia isti exercent. Secundo æmulamur eos, quibus multi volunt esse similes, familiares et amici, necnon quos multi admirantur. Tertio æmulamur eos, quorum laudes et encomia prædicantur a poetis vel orationum scriptoribus.

9. *Quoad quintum :* quemadmodum homines æmulantur eos, qui bonis honorabilibus sunt cumulati, ita talibus bonis destitutos ac contrariis vitiis inquinatos despiciunt. Ratio est, quia despicientia contraria est æmulationi; sed æmulatio versatur circa eos, qui bonis honorabilibus sunt præditi; ergo necesse est, ut despicientia versetur circa eos, qui bonorum honorabilium sunt expertes; ergo necesse est, ut qui alios æmulantur vel aliis æmulationi sunt propter bona honorabilia, contemptores sint eorum, qui habent mala opposita, ideoque sæpe despiciunt homines fortunatos, cum ita prospera fortuna utuntur, ut bonis honorabilibus careant. Quibus igitur modis excitentur aut excitati dissolvantur affectus, qui disponunt auditores ad fidem nobis habendam, satis est explicatum.

CAPUT XII

DE MORIBUS JUVENUM.

1. [12] Moribus autem quales sint secundum affectus et habitus et ætates et fortunas, post hæc explicemus. Ac dico affectus iram, cupiditatem et talia, de quibus diximus prius, habitus vero virtutes et vitia; dictum est etiam de his prius, et qualia præeligant singuli, et qualium sint effectores. Ætates autem sunt juventus et vigor et senectus. Fortunas vero dico nobilitatem, divitias, potentiam et his contraria, et omnino prosperam adversamque fortunam.

1. Orator ad persuadendum non solum debet uti oratione affecta, sed etiam accommodata moribus auditorum; sed diversi mores sequuntur ad diversos affectus, habitus, ætates ac fortunas; ergo orator debet scire, quinam mores sequantur ad diversos affectus, habitus, ætates atque fortunas. Quod diversi mores sequantur ad diversos affectus, etc., probatur explicando simul, quidnam horum nomine intelligamus. Nomine affectuum intelligimus cupiditatem, iram aliasque perturbationes, de quibus hactenus egimus. Nomine habituum intelligimus virtutes et vitia, de quibus disputavimus lib. I, cap. IX et seq. Differentiæ ætatum sunt juventus, virilitas, senectus. Differentiæ fortunæ sunt nobilitas, divitiæ, potentia et universim prospera atque adversa fortuna. Cum igitur agentes de affectibus, egerimus de moribus, qui ad unumquemque sequuntur affectum; agentes de virtutibus ac vitiis, egerimus de moribus, qui ad unumquemque sequuntur habitum; superest solum, ut disseramus de moribus, quæ diversas consequuntur ætates atque fortunas. Per sex igitur capita agemus primo de moribus juvenum; secundo de moribus senum; tertio de moribus eorum, qui in media constituuntur ætate; quarto de moribus nobilium; quinto de moribus divitum; sexto demum de moribus potentium ac fortunatorum.

2. Ac juvenes quidem moribus sunt cupidi, et parati ad ea efficienda quæ concupiverint, et ex cupiditatibus quæ circa corpus versantur, maxime ejus sectatores sunt, quæ circa res venereas est, et incontinentes ipsius, et in horas mutabiles, et fastidiosi in cupiditatibus. Et valde quidem concupiscunt, celeriter vero sedantur; acutæ enim voluntates eis sunt et non perdurantes, cujusmodi sunt ægrotantium fames et sitis.

3. Et excandescentes, et acute excandescentes, et parati ad impetum sequendum. Et obnoxii sunt iræ; nam propter studium honoris non patiuntur se parvi fieri, sed moleste ferunt, si existiment, se injuria affici.

4. Et studiosi honoris quidem sunt, sed magis victoriæ; excellentiam enim cupit juventus, et victoria excellentia quædam est. Et ambo hæc magis sunt, quam ut sint studiosi pecuniarum. Studiosi autem pecuniarum sunt minimum, quia nondum indigentiam experti sunt, quemadmodum Pittaci se habet apophthegma in Amphiaraum.

5. Et non malorum morum sed bonorum, quia nondum conspexerunt multa mala. Et creduli, quia nondum in multis decepti sunt. Et bonæ spei; ut enim temulenti, sic calidi sunt juvenes natura. Simul vero etiam, quia nondum in multis opinione lapsi sunt,

2. Juvenes *primo* sunt cupidi atque ad ea, quæ cupiunt, efficienda parati. Licet autem cupiditates corporeas toto impetu sectentur, adhuc præsertim delectationes venereas persequuntur, in iisque sunt incontinentes. Mutabiles tamen in suis sunt cupiditatibus ac cito eorum, quæ concupierunt, fastidio capiuntur adeoque vehementer concupiscunt, sed eorum cupiditates cito sedantur. Desideria siquidem eorum sunt acuta, sed non magna ac diuturna nec alte animis hærentia ac similia fami ac siti ægrotantium.

3 *Secundo* juvenes sunt ad excandescendum proclives ac levibus de causis excandescunt et, cum excanduerint, sunt ad impetum sequendum parati. Inferiores sunt ira atque ab ea pæne semper vincuntur. Ratio est, quia cum honoris appetentes sint, ferre non possunt se despici, sed molestissime ferunt, cum se injuria affici arbitrantur.

4. *Tertio* juvenes studiosi sunt honoris, sed magis victoriæ. Ratio est, quia aliis excellere juventus cupit; sed per victoriam victor excellit victis; ergo, etc. Jam honori ac victoriæ magis student quam pecuniis, siquidem juvenes parum sunt pecuniarum studiosi, quia nondum indigentiam ac penuriam sunt experti, ut dicitur in quodam apophthegmate Pittaci in Amphiaraum.

5. *Quarto* juvenes non sunt malitiosi, ita ut cuncta malam in partem interpretentur, sed simplices, ita ut pleraque bonam in partem trahant. Ratio est, quia improbitatem hominum adhuc non sunt experti. Sunt etiam creduli, quia adhuc in multis non fuerunt decepti. Sunt bonæ spei pleni. Quemadmodum enim temulenti vino, sic juvenes fervore ætatis incalescunt ac calore ad sperandum incitantur. Illud etiam juvenes ad bene sperandum disponit, quod sua spe non sunt sæpe frustrati.

6.* et vivunt ut plurimum spe : nam spes futuri est, memoria vero præteriti, juvenes autem futuri multum habent, præteriti vero parum. Primo enim tempore se meminisse nihil arbitrantur, sperare autem omnia. Et idonei sunt qui decipiantur, ob id quod dictum est; sperant enim facile.

7. Et viriliores; iracundi enim et bonæ spei, quorum illud, ut ne metuant, hoc, ut confidant efficit; nemo enim qui irascitur, metuit, sperare autem aliquid boni afferendæ fidentiæ vim habet.

8. Et verecundi; nondum enim honesta alia arbitrantur, sed eruditi sunt a lege solum. Et magnanimi; nondum enim a vita depressi sunt, sed rerum necessariarum experientiam non habent, et existimare se dignum magnis, magnanimitas est; hoc autem est ejus, qui bene sperat.

9. Et magis eligunt agere honesta quam utilia; moribus enim vivunt magis quam boni ratione. Est autem boni ratio ejus quod utile est, virtus vero ejus quod honestum.

10. Et studiosi amicorum et studiosi sodalium magis quam aliæ ætates, quia gaudent convictu et ad utilitatem judicant nihil, quare ne amicos quidem.

6. *Quinto* juvenes magna ex parte spe vivunt. Ratio est, quia spes est futuri, memoria præteriti; sed junioribus multum videtur superesse vitæ futuræ, parum antecessit præteritæ : ergo vitam ducunt sperando futura, non autem præterita recolendo, ideoque prima die nullius recordari, at omnia videntur sperare. Et quia facile sperant, facile etiam decipiuntur.

7. *Sexto*, quia juvenes ex dictis iracundi sunt ac bonæ spei pleni, ideo sunt etiam fortes. Ratio est, quia iracundia metum pellit, spes confidentiam creat; sed fortis est non timere, sed confidere; ergo iracundia et spes ad fortitudinem conferunt. Quod autem iracundia metum pellat, spes confidentiam creet, probatur,

quia, qui irascitur, non timet; spes autem bonorum audaces homines reddit.

8. *Septimo* juvenes sunt verecundi atque magnanimi. Ratio, cur sint verecundi, est, quia non cognoscunt alia honesta quam ea, in quibus per legem ac disciplinam sunt eruditi, adeoque ea censent honesta, quæ talia sunt ex opinione, ea censent turpia, quæ turpia censentur; ergo magni faciunt opinionem, quod est proprium verecundi. Ratio, cur sint magnanimi, est, quia cum vitæ necessitates non sint experti, nondum a vivendi consuetudine coacti sunt ad demisse sentiendum de ipsis. Confirmatur, quia magnanimus existimat se magnis dignum; sed bene sperans existimat se dignum magnis, juvenes autem ex dictis num. 5, pleni sunt bonæ spei; ergo juvenes sunt magnanimi.

9. *Octavo* juvenes eligunt magis agere honesta quam utilia. Ratio est, quia juvenes morem potius atque indolem ac naturalem propensionem sequuntur quam ratiocinationem; sed secundum indolem, virtutem et naturalem propensionem ducimur ad honestatem ac dignitatem, ratiocinatio vero ad utilitatem impellit; ergo eligunt magis honesta quam utilia.

10. *Nono* juvenes supra homines aliarum ætatum sunt amicorum ac sodalium studiosi. Ratio est, quia apprime gaudent convictu, et cum alia non referant ad utilitatem, nec in amicitia utilitatem quærunt.

11. Et omnia in majus et vehementius peccata faciunt contra dictum Chilonis; omnia enim nimis agunt. Nam amant nimis, et nimio odio habent, et alia omnia similiter, quippe qui se scire omnia putant et asseverant. Hæc autem causa est, cur omnia nimis.

12. Et injurias inferunt ad contumeliam et non malitiam.

13. Et misericordes sunt, quia omnes bonos et meliores existimant; sua enim ipsorum innocentia cæteros metiuntur; quare indigna pati existimant ipsos.

14. Et studiosi risus; quamobrem etiam faceti; nam facetiæ erudita contumelia sunt. Ac juvenum quidem tales mores sunt.

11. *Decimo* juvenes in omnibus per excessum ac nimietatem peccant contra dictum Chilonis: *ne quid nimis.* Quidquid enim faciunt, nimis faciunt; nimis igitur amant, nimis oderunt atque in omnibus nimii sunt. Ratio est, quia omnia se scire existimant ac contendunt, quod causa est, ut in omnibus nimii sint.

12. *Undecimo* juvenes injuriam inferunt ad contumeliam, non ad malitiam, ita ut eorum injuriæ ad dignitatem potius violandam, quam ad aliud detrimentum afferendum tendant.

13. *Duodecimo* juvenes sunt ad miserendum proclives. Cum enim ex sua innocentia cæteros metiantur, omnes existimant probos ac meliores, quam sint, adeoque indigna pati artitrantur.

14. *Decimo tertio* juvenes studiosi sunt risus, ideoque sunt etiam faceti. Facetia enim eruditum convicium est. Juvenum igitur mores tales sunt.

CAPUT XIII

DE MORIBUS SENUM.

1. [13]. Seniores vero, et qui vigorem remiserunt, ferme ex illis, quæ his sunt contraria, ut plurimum habent mores. Quoniam enim multorum annorum vitam duxerunt et in pluribus decepti sunt et errarunt, et res sunt plures pravæ, neque affirmant aliquid, et longe minus omnia quam oportet; et putant, sciunt autem nihil, et controversantes adjungunt semper *forsan* et *fortasse*, et omnia dicunt sic, asseveranter autem nihil.

2. Et malorum morum sunt; esse autem malorum morum significat omnia in pejus interpretari. Præterea suspiciosi sunt, quia increduli, et increduli, quia periti. Et neque magno amore neque magno odio prosequuntur, propter eamdem causam, sed ex Biantis præcepto et amant tanquam odio habituri, et odio habent tanquam amaturi.

3. Et pusillanimi, quia depressi sunt in vita; neque enim magni neque eximii aliquid, sed quæ ad vitam pertinent, cupiunt. Et parum liberales; unum enim est ex necessariis patrimonium, et simul cum periti sint, sciunt, quam difficilis sit acquisitio et facilis amissio.

1. Senes quique vigorem ætatis amiserunt, contrariis plerumque ac juvenes præditi sunt moribus. *Primo* igitur, cum juvenes existiment se omnia scire ac cuncta firmiter asseverent, senes e converso, quia multis vixerunt annis ac sæpe sunt decepti atque errarunt expertique sunt, res ut plurimum aliquo vitio laborare, nihil affirmant ac minoris cuncta æstimant, quam oportet; se suspicari dicunt, nihil autem scire, ac dubitantes semper addunt *forsan* et *fortassis*, nihil autem firmiter asseverant.

2. *Secundo* senes sunt malitiosi. Est autem malitia, *per quam omnia deterio-*

rem in partem accipimus atque interpretamur. Sunt etiam suspiciosi propter incredulitatem, increduli vero propter experientiam, per quam recordantur se sæpius fuisse deceptos. Ex eadem ratione neque vehementer amant neque vehementer oderunt, sed juxta Biantis præceptum amant tanquam osuri, oderunt tanquam amaturi.

3. *Tertio* senes sunt pusillanimi. Longa enim ætas docuit eos humiliter ac demisse de se sentire, ideoque nihil magnum aut eximium, sed ea tantum, quæ necessaria sunt ad vitam, cupiunt. Ex eadem ratione sunt avari. Cum enim cupiant necessaria ad vitam, opes autem sint ad vivendum necessariæ, valde cupiunt opes, quod est proprium avaritiæ. Illud etiam ad eorum avaritiam augendam accedit, quod experientia didicerunt, quam difficile sit opes parare, quam facile illas amittere.

4. Et timidi et omnia prætimentes ; contrario enim modo affecti sunt ac juvenes ; refrigerati enim sunt, at illi calidi sunt. Quare viam aperuit senectus timiditati ; nam timor refrigeratio quædam est.

5. Et studiosi vitæ, et maxime in ultimo tempore, propterea quod rei absentis est cupiditas, et cujus sunt indigentes, id maxime cupiunt.

6. Et queruli magis quam oportet ; pusillanimitas enim quædam etiam hæc est.

7. Et ad utile vivunt, sed non ad honestum, magis quam oportet, quod sui ipsorum amantes sunt ; utile enim ipsi bonum est, honestum vero simpliciter.

8. Et inverecundi magis quam verecundi ; nam quia non curant similiter honestum et utile, parvi faciunt, quid videatur.

9. Et malæ spei, quia periti ; nam ut plurimum res malæ sunt ; cadunt igitur plerumque in pejus, et præterea quia timidi.

10. Et vivunt memoria magis quam spe ; nam vitæ quod futurum est, exiguum est, præteritum vero multum. Est autem spes futuri, memoria vero præteritorum. Id quod etiam ipsis causa est loquacitatis ; narrant enim præterita ; nam recordantes voluptatem percipiunt.

4. *Quarto* senes sunt timidi ac mala, antequam adveniant, expectant et metuunt. Ratio est, quia disponuntur contrario modo ac juvenes, adeoque sicut juvenes sunt calidi, sic senes sunt frigidi ; sed timor est quoddam frigus ; ergo senectus senes refrigerans disponit eos ad timiditatem.

5. *Quinto* senes valde cupidi sunt vivendi, et quo magis extremæ diei propinquant, eo majori desiderio vitam producendi tenentur. Ratio est, quia desiderium est eorum, quibus ita caremus, ut iis indigeamus ; sed senes vita indigent, eaque jamjam sunt cárituri : ergo.

6. *Sexto* senes queruli sunt magis, quam oportet. Ex pusillanimitate enim oriuntur querimoniæ.

7. *Septimo* senes ad utilitatem potius quam ad honestatem vitam dirigunt. Ratio est, quia sunt amatores sui magis, quam oportet ; sed qui se ipsum magis amat, quam oportet, non tam prosequitur, quod est bonum simpliciter, quam quod est bonum sibi : ergo senes non tam prosequuntur, quod est bonum simpliciter, quam quod est bonum ipsis ; sed honestum est bonum simpliciter, utile bonum est nobis : ergo senes magis prosequuntur utile quam honestum.

8. *Octavo* senes inverecundi potius sunt quam verecundi. Ratio est, quia magis curant de bono utili quam de honesto ; ergo opinionem etiam aliorum parvi faciunt, nec sua interesse putant, quales aliis videantur.

9. *Nono* senes difficile inducuntur ad bene de rerum eventibus sperandum. Ratio est, quia experientia didicerunt, res humanas ut plurimum esse malas ac deteriorem in partem cadere. Accedit etiam timiditas senibus innata, quæ a bene sperando ipsorum animos avertit.

10. *Decimo* senes memoria magis vivunt quam spe. Ratio est, quia memoria est futuri, spes autem præteriti ; sed senibus parum superest vitæ futuræ, plurimum antecessit vitæ præteritæ : ergo vitam transigunt magis in cogitatione præteritorum quam in spe futurorum. Id autem est causa loquacitatis in senibus. Sermones enim producunt præterita narrantes, quia nimirum ea memoria recolendo summopere delectantur.

11. Et excandescunt quidem acute, sed imbecilliter. Et cupiditates partim defecerunt, partim debiles sunt ; quare neque cupidi sunt neque effectores ex cupiditatibus, sed ex lucro. Quocirca etiam temperati apparent tales ; cupiditates enim remiserunt et serviunt lucro. Et magis vivunt boni ratione quam moribus ; boni enim ratio est ejus, quod utile est, mores vero virtutis sunt.

12. Et injuriose se gerunt ad malitiam, non ad contumeliam.

13. Misericordes vero etiam senes sunt, sed non eadem de causa ac juvenes ; illi enim, quia humani, hi vero, quia debiles ; omnia enim existimant proxima esse sibi, quæ patiantur ; hoc

autem erat misericordis. Unde queruli sunt, et non faceti nec studiosi ridiculorum; contraria enim sunt, querulum esse et studiosum risus.

14. Ac juvenes quidem et seniores ejusmodi sunt moribus præditi. Quare quoniam recipiunt omnes, quæ suis ipsorum moribus convenienter habentur orationes, et similes, non est incertum, quemadmodum, cum utuntur orationibus, tales appareant et ipsi et orationes.

11. *Undecimo* senum iræ sunt acres et acutæ, sed imbecillæ ac languidæ, ita ut non habeant vim impellendi ad agendum. Cupiditates partim sunt omnino discussæ, partim debilitatæ ac fractæ. Quapropter neque cupiditatibus flagrant neque gerunt quidquam impulsu cupiditatis, sed lucri. Idcirco videntur temperati, quia cupiditatibus vel extinctis vel remissis serviunt lucro. Hinc oritur, ut magis vivant ex ratiocinatione quam ex more. Mos enim ad virtutem et honestatem impellit, ratiocinatio ad utilitatem.

12. *Duodecimo*, quia senes appetentiores sunt lucri quam honoris, ideo cum injuriis alios afficiunt, non tam eorum dignitatem per contumeliam violant, quam rei familiari damnum inferunt.

13. *Decimo tertio* senes proclives sunt ad miserendum non minus quam juvenes, sed non ex eadem causa. Juvenes enim malis aliorum dolent, quia ex quadam ingenita humanitate nollent quemquam malo premi; senes autem, quia propter quamdam imbecillitatem omnia mala sibi putant esse propinqua et imminere, aspectu alienorum malorum commoventur, quod est proprium ejus, qui miseretur. Hinc oritur, ut cum juvenes sint faceti et amatores risus, senes e converso sint queruli et amatores fletus.

14. Senes igitur ac juvenes talibus sunt moribus præditi; sed unusquisque libenter admittit atque audit orationes ipsius moribus accommodatas, quæque eosdem aut similes mores in oratore exhibeant: ergo patet, quales mores debeant oratores in oratione sua exprimere, ut a juvenibus vel a senibus libenter audiantur.

CAPUT XIV

DE MORIBUS EORUM, QUI IN VIRILI ÆTATE VERSANTUR.

1. [14] Vigentes autem apparet interjectos inter hos moribus futuros utrorumque detrahendo exsuperantiam. Et neque valde confidunt (id enim est audaciæ) neque nimis metuunt, pulchre ad utrumque se habentes.

2. Neque omnibus credunt, neque omnibus non credunt, sed ex veritate judicant magis.

3. Et neque ad honestum vivunt solum neque ad utile, sed ad utrumque.

4. Et neque ad parsimoniam neque ad luxuriam, sed ad conveniens. Similiter vero etiam ad excandescentiam et ad cupiditatem.

5. Et temperantiam cum fortitudine et fortitudinem cum temperantia conjunctam habent. Nam inter juvenes et senes hæc distributa sunt; juvenes enim fortes sunt et intemperantes, seniores vero temperantes et timidi.

6. Ut autem in universum dicam, quæcumque sibi distribuerunt juventus et senectus ex commodis, ea ipsi habent; quæcumque vero excedunt aut deficiunt, eorum quod moderatum est et conveniens. Viget autem corpus a triginta annis usque ad quinque et triginta, animus vero circiter undequinquaginta. Ac de juventute quidem et senectute et vigore, quales mores quæque ætas habeat, tam multa dicta sint.

1. Illi qui in virili versantur ætate, medios inter senes ac juvenes habent mores ac, quod nimium in utraque ætate est, a se ipsis excludunt. Ac *primo* neque valde sunt audaces, audacia enim excessus est, neque valde sunt timidi, sed tum in audendo tum in timendo recte se gerunt.

2. *Secundo* neque omnibus credunt ut juvenes, neque omnibus fidem abrogant ut senes, sed potius de rebus judicant secundum veritatem.

3. *Tertio* neque ad solam dignitatem et honestatem vitam dirigunt ut juvenes, neque ad solam utilitatem ut senes, sed ad utilitatem simul et honestatem.

4. *Quarto* in sumptibus neque nimis sunt parci neque nimis prodigi atque profusi, sed quod decet ac congruit personis et temporibus, servant; quoad iram quoque et cupiditatem mediocriter se habent.

5. *Quinto* temperantia ac fortitudo, quæ in juvenibus ac senibus disjungi solent, in viris ætate vigentibus copulantur. Cum igitur juvenes fortes sint, sed intemperantes, senes temperantes sint, sed timidi, qui in ætate virili versantur, sunt cum fortitudine temperantes ac cum temperantia fortes.

6. *Sexto* demum, ut universim mores hominum ætate vigentium explicemus, ea bona hæc ætas habet conjuncta, quæ juventus ac senectus possident divisa;

in iis autem, in quibus senectus ac juventus peccant per excessum ac defectum, ætas virilis mediocriter ac convenienter se habet. Viget autem corpus ab anno trigesimo usque ad trigesimum quintum; animus autem usque ad quadragesimum nonum. Atque hæc de moribus juventutis, senectutis atque ætatis virilis dixisse sufficiat.

CAPUT XV

DE MORIBUS NOBILIUM.

1. [15] De iis autem, quæ a fortuna fiunt bonis, propter quæ etiam mores cujusdam modi accidunt hominibus, deinceps explicemus. Ac nobilitatis quidem mores sunt, honoris cupidiorem esse eum, qui possederit ipsum; omnes enim, cum aliquid adsit, id accumulare soliti sunt, nobilitas vero dignitas quædam majorum est.

2. Et proclivem esse ad contemnendum similes majoribus ipsorum, quia hæc remota magis quam propinqua honoratiora sunt et ad gloriandum idonea.

3. Est autem nobile ex generis virtute, generosum vero ex eo, ut non deficiat a natura. Id quod plerumque non accidit nobilibus, sed sunt multi abjecti. Proventus enim est etiam in generibus virorum ut in iis, quæ in agris oriuntur. Nonnunquam, si sit bonum genus, exoriuntur ad aliquod tempus viri eximii; et deinde rursus retro fertur. Deficiunt vero bono ingenio prædita genera ad insaniores mores, ut qui ab Alcibiade et a Dionysio superiore, stabili vero ingenio prædita ad socordiam, ut qui a Cimone et Pericle et Socrate.

1. Agendum deinceps est de iis fortunæ bonis, propter quæ mores hominum accidit tales fieri et primo de moribus nobilium. *Primo* igitur nobiles magis quam alii studiosi sunt honoris. Ratio est, quia commune est omnium hominum, ut augere studeant bona, quæ possident; sed nobilitas est dignitas majorum, qui magnos honores sunt consecuti; ergo non est mirum, si nobiles dignitatem atque honorabilitatem a majoribus acceptam augere studeant.

2. *Secundo* proprium est nobilium, ut despiciant non solum homines abjectos, sed etiam illos, qui de novo consecuti sunt ea bona, quæ olim nobilium progenitores fuerunt adepti. Ratio est, quia hæc bona majus decus majoremque gloriandi causam antiquitus possessa, quam de novo acquisita videntur afferre.

3. Jam licet nobile habeat quamdam affinitatem cum generoso, adhuc ab illo differt. Nobile enim dicitur a generis virtute, generosum vero dicitur ex eo, quod a natura atque ingenio majorum non degenerat, ideoque ii sunt generosi ac similes majoribus, qui ex nobili familia orti majorum virtutem imitantur. Neque vero semper contingit, ut nobiles sint generosi ac similes majoribus, sed sæpe humili abjectoque sunt animo. Ratio est, quia in generibus ac familiis proventus illustrium virorum se habent, sicut in agris proventus fructuum; ergo sicut agri post plurium annorum fœcunditatem sterilescunt, sic in bonis familiis nascuntur per aliquod tempus eximii ac præstantes viri, deinde vero videtur earum fœcunditas retro referri. Porro eæ familiæ, quæ viris acri ac vivido ingenio præditis floruere, degenerant in homines quodammodo insanos, ut contigit generi Alcibiadis ac Dionysii superioris; illæ autem, in quibus ubertas fuit hominum stabili ac pacato ingenio præstantium, degenerant in quamdam socordiam, ut videre est in familiis Cimonis, Periclis ac Socratis.

CAPUT XVI

DE MORIBUS DIVITUM.

1. [16] Divitias qui consequantur mores, in promptu est videre omnibus. Contumeliosi enim sunt et contumaces, perpetientes a possessione divitiarum. Quasi enim habeant omnia bona, sic affecti sunt; nam divitiæ tanquam pretium quoddam sunt æstimationis aliorum, quare videntur omnia venalia esse ipsorum.

2. Et delicati et arrogantes, delicati quidem propter delicias et ostentationem felicitatis, arrogantes vero et elati propterea, quod omnes soliti sunt versari in eo, quod amatur et suspicitur ab ipsis, et quia existimant, æmulari alios quæ etiam ipsi. Simul autem et merito sic affecti sunt, quia multi indigent habentium. Unde et illud a Simonide dictum est de sapientibus et divitibus apud conjugem Hieronis interrogantem, utrum eveniret melius, ut quis esset dives an sapiens: « ut dives sit » inquit; sapientes enim se videre in divitum foribus dixit. Et quia putant se dignos esse, qui imperent; se enim habere putant ea, quorum causa dignum est imperare.

3. Et ut summatim dicam, dementis felicis mores divitiæ efficiunt.

4. Differunt autem in iis, qui nuper possederunt, et in iis qui a majoribus acceperunt, ipsi mores eo, quod omnia magis et pejora mala habent novi divites; nam quasi imperitia divitiarum est, novum divitem esse.

5. Et injurias inferunt non malitiosas, sed partim contumeliosas partim incontinentiæ plenas, ut in verberationem et adulterium.

1. Quinam mores ad divitias consequantur, facile est inspicere. *Primo* enim divites contumeliosi sunt ac superbi, atque hos pravos mores a divitiarum possessione trahunt. Ita siquidem affecti sunt, ac si haberent omnia bona. Ratio est, quia divitiæ sunt pretium, quo cætera bona æstimantur; ergo qui divitias possident, videntur posse pecuniis omnia bona emere; ergo non est mirum, si ita sunt inflati, ac si cuncta bona possiderent.

2. *Secundo* molles sunt ac delicati necnon suarum divitiarum ostentatores. Delicati quidem sunt, partim propter delicias, partim quia videri volunt beati; et sunt suarum divitiarum ostentatores, quia omnes consueverunt in iis cogitatione ac sermone versari, quæ vehementer amant et admirantur, præsertim si putent hæc eadem aliis etiam æmulationi atque admirationi esse; sed divites vehementer amant et admirantur suas divitias, easque putant etiam aliis admirationi esse; ergo non est mirum, si suarum divitiarum sint ostentatores. Nec vero omnino præter rationem accidit, ut opulenti tantum tribuant divitiis, siquidem multi divitibus indigent, atque hinc orta est illa Simonidis de divitibus ac sapientibus vox, cum ab uxore Hieronis interrogatus, utrum divitem, an sapientem esse præstaret, respondit, præstare divitem esse; passim enim se videre sapientes ad fores divitum præstolantes. Illud etiam ad divites in superbiam efferendos plurimum confert, quod se dignos esse, qui aliis imperent, arbitrantur, siquidem possident opes, quas qui possideat, illum imperio dignum ducunt.

3. *Tertio*, ut uno verbo omnia complectar, mores divitum sunt, quales essent mores insipientis, qui bonis omnibus afflueret, ac beatus esset.

4. *Quarto* mores divitum, qui de novo divitias sunt consecuti, in eo differunt a moribus eorum, qui divitiis a majoribus acceptis florent, quod recenter divites omnia vitia majora habent ac deteriora. Ratio est, quia datur quædam disciplina utendi divitiis; sed qui de novo divitias acquisiverunt, hac disciplina non sunt imbuti: ergo non est mirum, quod pessime divitiis utantur.

5. *Quinto* divites injurias inferunt non ex malitia et ex animo lædendi, sed partim ex contumelia, ut videantur aliis excellere, partim ex libidine, ut suas cupiditates expleant, ut cum ad contumeliam inferendam verberant, vel ad libidinem explendam adulterantur.

CAPUT XVII

DE MORIBUS POTENTIUM ET FORTUNATORUM.

1. [17] Similiter vero de potentia ferme plerique apparent mores; partim enim eosdem habet potentia quos divitiæ, partim meliores. Sunt enim studiosiores honoris et viriliores moribus ii, qui potentes sunt, quam divites, quia appetunt opera, quæcumque licet ipsis agere propter potentiam.

2. Et magis dediti studio, quia in sedulitate sunt, dum coguntur considerare ea, quæ pertinent ad potentiam.

3. Et grandiores quam graviores; reddit enim clariores dignitas; quamobrem moderate agunt. Est autem granditas mollis et elegans gravitas.

4. Et si injuriam faciunt, non in parvis injuriosi sunt sed in magnis.

5. Prospera fortuna particulas habet eorum quæ dicta sunt, pro moribus; nam ad hæc referuntur, quæ videntur esse fortunæ prosperitates. Præterea in iis quæ pertinent ad bonam prolem et ad bona corporis, facit prospera fortuna, ut meliore simus conditione. Ac superbiores quidem sunt et inconsideratiores propter prosperam fortunam. Unus autem consequitur melior mos bonam fortunam, quod deos colunt et se habent ad cultum divinum aliquo modo, credentes propter bona, quæ proveniunt a fortuna. Ac de iis quidem, qui sunt secundum ætatem et fortunam moribus dictum est; contraria enim iis quæ exposita sunt, ex contrariis apparent, ut pauperis et infelicis mores et impotentis.

1. Mores, qui ex potentia sequuntur, in aperto fere sunt, siquidem potentes partim iisdem, quibus divites, præditi sunt moribus, partim melioribus. *Primo* igitur potentes cupidiores sunt honoris ac fortiores divitibus. Ratio est, quia potentia est facultas res magnas efficiendi; sed unusquisque desiderat efficere opera, quorum habet facultatem; ergo potentes appetunt res magnas efficere; sed ad magnas res gerendas requiritur fortitudo, et ex gestis sequitur honor; ergo potentes cupidi honoris ac fortes sunt.

2, *Secundo* potentes studiosiores sunt divitibus. Ratio est, quia cum cogantur semper cogitare de iis, quæ ad potentiam retinendam atque exercendam pertinent,

in assidua quadam cura et meditatione studioque versantur.

3. *Tertio* grandiores sunt quam graviores. Dignitas enim eorum illos magis conspicuos reddit, ideoque granditatem quamdam ac curam tuendæ dignitatis sectari coguntur ac mediocritatem quamdam modumque id rebus servant. Est autem granditas mollis quædam, remissa atque elegans gravitas.

4. *Quarto*, si quempiam injuria affecerint, non parvis in rebus, sed in magnis injurias inferunt.

5. *Quinto*, quia prosperitas fortunæ, si magna sit, ex nobilitate, opulentia et potentia tanquam ex partibus constat, ideo valde fortunati mores habent ex nobilium, divitum ac potentium moribus conflatos. Addit autem prospera fortuna supra tria explicata bonam etiam prolem et alia, quæ bona corporis appellantur, puta sanitatem, pulchritudinem, robur, etc. Qui igitur prospera fortuna utuntur, superbiores sunt atque in rebus agendis parum considerati; suæ siquidem fortunæ confidunt. Illud in fortunatis propter prosperitatem fortunæ boni inest, quod bene erga cultum divinum sunt affecti. Bene autem de Deo sentiunt ac credunt, quia existimant, se prosperitatem fortunæ Dei benificio ac voluntate consecutos. Hæc igitur de moribus, quæ ex ætatibus ac fortunis consequuntur, dicta sufficiant. Cum enim ex contrariis fortunis contrarii sequantur mores, ex dictis de moribus eorum, qui quia prospera fortuna utuntur, nobiles, divites ac potentes sunt, patet, quid sit dicendum de moribus eorum, qui quia adversa fortuna utuntur, sunt ignobiles, pauperes atque impotentes.

CAPUT XVIII

EPILOGANTUR DICTA, ET OSTENDITUR AGENDUM ESSE DE COMMUNIBUS, ATQUE EXPLICATUR, QUÆ SINT COMMUNIA.

1. [18] Quoniam autem appositarum ad persuadendum orationum usus ad judicium refertur (quæ enim scimus et judicavimus, de iis nihil amplius opus est oratione), refertur autem, sive apud unum aliquis utens oratione suadeat aut dissuadeat, ut admonentes faciunt aut persuadentes (nihilo enim minus disceptator est unus; nam cui oportet aliquid persuadere, is est, ut simpliciter dicam, disceptator), sive adversus controversantem sive adversus propositam sententiam dicat aliquis, similiter; oratione enim necesse est uti, et tollere contraria, adversus quæ, ut adversus controversantem, verba facit. Similiter vero etiam in demonstrativis; tanquam enim ad disceptatorem, ad auscultatorem oratio constituta est. Omnino autem solus, ut simpliciter dicam, est disceptator, qui in civilibus contentionibus ea, de quibus est quæstio, judicat; quæ enim versantur in controversia, ea quæruntur quomodo se habeant, et de quibus consultant.

2. De moribus vero rerum publicarum in deliberativis dictum est prius; idcirco explicatum est et quomodo et per quæ orationes moratas efficiamus. Et quoniam circa unumquodque genus orationum diversus quidam finis erat, ac de omnibus iis dictæ sunt opiniones et propositiones, ex quibus fidem ducunt, tum consulentes, tum demonstrantes, tum controversantes, præterea vero, ex quibus moratas orationes contingit reddere, etiam de his est disputatum,

Postquam Aristoteles egit de iis, quæ sunt propria trium generum dicendi, deliberativi nimirum, demonstrativi ac judicialis, acturus deinde de iis, quæ sunt cunctis generibus communia, præmittit procemium, in quo epilogat dicta ac proponit, quæ supersint dicenda.

1. Quia igitur orationes persuasivæ, cujuscumque generis sint ac, sive ad unum dirigantur sive ad plures, ordinantur ad hoc, ut auditores inducant ad judicandum id, quod ipsis volumus persuadere; ex quo oritur, ut non sit amplius oratione utendum cum eo, qui jam scit ac judicat id, quod ipsi volumus persuadere; ideo explicuimus omnia singulorum generum propria, quæ spectant eo, ut auditores inducamus ad id, quod volumus, judicandum. Quod autem omnes orationes persuasivæ ordinentur ad hoc, ut auditores judicent id, quod illis persuadere volumus, confirmat Aristoteles inductione orationum omnium generum. *Primo* enim, si quis ad unum tantum orationem dirigat, illique aliquid suadere vel dissuadere conetur, ut admonentes atque exhortantes faciunt, adhuc ille unus se habet ut judex ac debet de eo, quod suademus, judicare assentiendo vel dissentiendio, neque quoad hoc refert quidquam, an contra certum hominem, cum quo controversetur, quis disserat, an causam positam defendat; semper enim debet oratione uti ad probandum intentum contrariasque rationes dissolvere, contra quas, quasi contra adversarium, est disserendum, adeoque semper cum auditore tanquam cum judice est agendum ac conandum, ut pro eo, quod persuadere nitimur, judicet ac quodammodo sententiam proferat. *Se-*

cundo, si ad plures habeamus orationes generis demonstrativi, ad eos, qui spectatores adsunt, tanquam ad judices, sermo noster est dirigendus. Illi siquidem oratore audito, quid sibi videatur, judicabunt ac statuent. *Tertio* demum etiam qui in civilibus concertationibus judicant de iis, de quibus est controversia, judices sunt, imo iis solum judicis nomen simpliciter et absolute convenit, siquidem in talibus concertationibus quæritur ac consultatur de rebus quibusdam dubiis, quo pacto se habeant, ac deliberantium sententia ac judicium expectatur; ergo patet, omnes orationes persuasivas eo dirigi, ut auditores judicent id, quod illis volumus persuadere.

2. Quod autem explicaverimus omnia singulorum generum propria, patebit epilogando hactenus dicta. Quia enim ad persuadendum conducit, ut afferamus orationes moratas, hoc est moribus auditorum accommodatas, mores autem sunt diversi secundum varias politias seu formas gubernationis, ideo agentes de genere deliberativo, disseruimus de variis politiis ac moribus ipsarum, atque est explicatum, quomodo et per quæ effici possint orationes moratæ. Quia orationes diversorum generum diversos sibi proponunt fines, orationes siquidem generis deliberativi proponunt sibi utile; orationes generis demonstrativi proponunt sibi honestum; orationes generis judicialis proponunt sibi justum; ideo egimus de utili, honesto ac justo, et proposuimus loca, opiniones et propositiones, ex quibus deliberantes, judicio contendentes ac demonstrantes possunt suas rationes efficere, atque etiam disputavimus de iis, ex quibus possumus orationes reddere morales et effectivas: ergo patet, satis esse explicata ea, quæ sunt trium generum propria.

3.* reliquum, est nobis ut communia explicemus. Omnibus enim necessarium est ea, quæ sunt de eo, quod fieri et non fieri potest, adhibere in orationibus, et alios quidem futurum esse, alios vero factum esse, conari ostendere. Præterea vero de magnitudine communiter quærendum est in omnibus orationibus; utuntur enim omnes diminutione et amplificatione, tum consulentes, sive suadeant sive dissuadeant, tum laudantes aut vituperantes, tum accusantes aut defendentes. His autem explicatis, tum de enthymematibus conabimur dicere communiter, tum de exemplis, ut, cum reliqua addiderimus, ad finem perducamus id, quod initio proposuimus. Est autem ex communibus amplificare aptissimum demonstrativis, ut exposuimus, factum vero judicialibus; de his enim judicium est. At id, quod fieri potest et futurum, deliberativis.

3. Reliquum igitur est, ut addamus ea, quæ sunt omnibus tribus generibus communia. Sed antequam de singulis agamus, præmittendum est, quæ sint communia. *Primo* igitur necesse est, ut in orationibus cujuscumque generis aliquando agatur de possibili et impossibili atque ostendatur, quædam fieri potuisse vel non potuisse. *Secundo* necesse est, ut demonstretur, quædam facta fuisse vel non fuisse, futura esse vel non esse. *Tertio* necesse est, ut agatur de magnitudine rei, siquidem omnibus generibus communis est amplificatio ac diminutio iisque utuntur tum suadentes ac dissuadentes, tum laudantes ac vituperantes, tum accusantes ac defendentes; sed amplificans debet ostendere, rem esse magnam aut parvam : ergo, etc. Agendum est igitur *primo* de possibili et impossibili; *secundo* de facto ac non facto; *tertio* de futuro ac non futuro; *quarto* de amplificatione ac diminutione ac de locis, quæ usui esse possunt ad hæc. His expeditis agendum est de exemplis atque enthymematibus. Et quia jam proposuimus loca propria, afferenda sunt loca cunctis generibus communia et per hæc secundum hunc librum absolvemus. Addit Aristoteles, quod licet amplificatio ac diminutio sit communis omnibus generibus, adhuc specialiter accommodatur generi demonstrativo, siquidem laudans præsertim ac vituperans debet res dicendo augere vel diminuere. Rursus quia in judicio quæstio est de facto, in genere præsertim judiciali probandum est, aliquid factum fuisse vel non fuisse; atque ex proportionali ratione, quia deliberatio est de futuris, specialiter in genere deliberativo debet ostendi id, de quo agitur, fore vel non fore.

CAPUT XIX. — ART. I.

DE LOCIS, QUIBUS OSTENDI POTEST, ALIQUID ESSE POSSIBILE VEL IMPOSSIBILE.

1. [19] Ac primum quidem de iis, quæ fieri possunt et non possunt, dicamus. Si igitur contrarium potest vel esse vel fieri, etiam contrarium videbitur esse posse. Ut si fieri potest, ut convaluerit homo, etiam ut ægrotaverit; eadem

enim est facultas contrariorum, quatenus contraria sunt.

2. Et si simile fieri potest, etiam simile. Et si difficilius fieri potest, etiam facilius. Et si virtute præditus vel pulcher fieri potest, etiam omnino fieri potest: difficilius enim est, domum pulchram quam domum fieri.

3. Et cujus principium potest fieri, etiam finis; nihil enim fit neque incipit fieri eorum, quæ fieri non possunt, quemadmodum, ut diameter sit symmeter, neque inciperet fieri neque fit. Et cujus finis, etiam principium fieri potest; omnia enim ex principio fiunt.

4. Et si posterius essentia vel ortu potest fieri, etiam prius, quemadmodum si, ut vir fiat, fieri potest, etiam ut puer; prius enim hoc fit. Et si, ut puer, etiam, ut vir; principium enim illud est; ex propositione autem superiori, cum potest fieri principium, potest etiam finis fieri.

5. Et quorum amor vel cupiditas natura est; nemo enim ea, quæ fieri non possunt, amat aut cupit plerumque.

6. Et quorum scientiæ sunt et artes, possunt ea et esse et fieri.

7. Et quorum principium, ut oriantur, in iis est, quæ et nos cœgerimus et persuaserimus; hæc vero sunt, quibus meliores sumus vel domini vel amici.

8. Et quorum partes fieri possunt, etiam totum fieri potest, et quorum totum fieri potest, etiam partes plerumque; si enim obstragulum et ligula et solea fieri possunt, etiam calcei possunt fieri; et si calcei, etiam obstragulum et ligula et solea.

1. *Primo* igitur afferenda sunt loca seu propositiones, quibus ostendi potest, aliquid fieri potuisse vel non potuisse. Primus locus seu *prima propositio* est : si unum contrarium potuit esse vel fieri, etiam aliud contrarium videtur posse esse vel fieri; ex. gr., si fieri potuit, ut homo convaluerit, etiam fieri potest, ut ægrotaverit. Ratio est, quia contrariorum, quatenus contraria sunt, eadem est potentia.

2. *Secunda propositio* est : si fieri potest unum simile, etiam aliud simile fieri potest, et si fieri potest difficilius, a fortiori fieri potest facilius; ex quo sequitur ulterius, quod si aliquid pulchrum vel bonum fieri potest, etiam simpliciter fieri potest; ex. gr., si fieri potest domus pulchra et bona, potest etiam fieri domus simpliciter, siquidem difficilius est efficere domum bonam vel pulchram, quam efficere domum quomodocumque.

3. *Tertia propositio* est : eorum, quorum principium fieri potest, etiam finis fieri potest, et e converso quorum finis fieri potest, etiam principium fieri potest. Ratio est, quia impossibilia neque fiunt neque incipiunt fieri; ex. gr., quia impossibilis est diameter quadrati commensurabilis costæ, ideo neque fiet unquam neque incipiet fieri. Rursus omnia fiunt ex principio; ergo si finis fieri potest, etiam principium fieri potest.

4. *Quarta propositio* est : si posterius substantia ac generatione fieri potest, etiam prius fieri potest; ex. gr., si fieri potest vir, qui est puero posterior generatione atque substantia, etiam puer, qui est prior viro, fieri potest; si vero potest fieri puer, potest etiam fieri vir, siquidem puer est principium, vir est finis generationis; ex propositione autem superiori, cum potest fieri principium, potest etiam finis fieri.

5. *Quinta propositio* est : quorum naturaliter datur amor ac desiderium, ea possibilia sunt. Plerumque enim impossibilia nec amamus nec desideramus.

6. *Sexta propositio* est : quorum efficiendorum dantur scientiæ et artes, ea sunt possibilia; siquidem non potest dari scientia vel ars efficiendi impossibile.

7. *Septima propositio* est : ea sunt nobis possibilia, quorum efficiendorum principium est in iis, quos possumus cogere vel persuadere. Et quia domini possunt cogere servos, meliores possunt persuadere deteriores et amici amicos, ideo ea sunt nobis possibilia, quorum principium est in deterioribus, servis vel amicis.

8. *Octava propositio* est : si partes fieri possunt, etiam totum fieri potest, et e converso, si totum fieri potest, etiam partes fieri possunt; ex. gr., quia obstragula et ligula sunt partes calcei, si illa fieri possunt, etiam calceus fieri potest, et si calceus fieri potest, etiam solea, obstragula et ligula fieri possunt.

9. Et si genus totum eorum quæ possunt fieri, etiam forma, et si forma, etiam genus; ut si navis fieri potest, etiam triremis, et si triremis, etiam navis.

10. Et si alterum eorum, quæ natura inter se conferuntur, etiam alterum; ut si duplum, etiam dimidium, et si dimidium, etiam duplum.

11. Et si sine arte vel apparatione potest fieri aliquid, magis per artem et diligentiam fieri potest; unde et ab Agathone dictum est « atqui alia quidem fortunæ facere, alia vero nobis necesse est, et ars adhibetur ».

12. Et quod a deterioribus vel inferioribus vel imprudentioribus fieri potest, etiam a contrariis magis, ut etiam Isocrates dixit, grave esse Euthynum didicisse, ipsum vero non potuisse inve-

nire. Quæ vero fieri non possunt, manifesta sunt ex contrariis eorum quæ dicta sunt.

9. *Nona propositio* est : si potest fieri genus, etiam species fieri potest, et si potest fieri species, potest fieri etiam genus; ex. gr., quia navigium est genus triremis, si potest fieri navigium, potest etiam fieri triremis; et si potest fieri triremis, potest etiam fieri navigium.

10. *Decima propositio* est : si eorum, quæ ex sua natura sunt ad invicem relativa, unum est possibile, etiam alterum est possibile, et e converso; ex. gr., si duplum est possibile, etiam dimidium est possibile, et si dimidium est possibile, etiam duplum est possibile.

11. *Undecima propositio* est : si aliquid potest fieri etiam sine arte et sine instrumentorum apparatu, multo magis fieri potest adhibita cura et arte, ideoque Agathon cecinit : *Quædam enim fortuna fieri licet, quædam necessitate et arte.*

12. *Duodecima propositio* est : quod potest fieri a deterioribus, inferioribus et imprudentioribus, a fortiori fieri potest a melioribus, majoribus et prudentioribus. Hoc loco usus est Isocrates, cum dixit indignum esse, si quæ parvi aut nullius ingenii homo Euthynus didicerit, ipse invenire atque excogitare non posset. His igitur locis ostenditur rem esse possibilem; contrariis autem locis possumus uti ad impossibilitatem demonstrandam.

CAPUT XIX. — ART. II.

DE LOCIS, QUIBUS OSTENDI POTEST, ALIQUID FUISSE FACTUM VEL NON FUISSE FACTUM, ESSE FUTURUM VEL NON ESSE FUTURUM.

13. Factum autem sit necne, ex his considerandum. Primum quidem, si quod minus, ut fiat natura aptum est, factum est, etiam quod natura aptius est, factum fuerit.

14. Et si posterius solitum fieri, factum est, etiam prius factum est, ut si oblivionem cepit, etiam didicit hoc aliquando ;

15. et si potuit ac voluit, fecit; omnes enim, quando, cum possint, volunt, faciunt; nam impedimentum nullum est.

16. Et si voluit et nihil extra prohibuit.

17. Et si potuit ac iratus fuit.

18. Et si potuit ac concupivit : plerumque enim quæ appetunt, si possint, etiam faciunt, mali quidem propter intemperantiam, boni vero, quoniam bona cupiunt.

19. Et si debuit fieri et facere; verisimile enim est, eum qui facturus fuit, etiam fecisse.

13. Ad ostendendum aliquid, fuisse factum vel non fuisse factum, primus locus seu *prima propositio* est : si quod minus aptum est, ut fiat, adhuc est factum, quod magis aptum est, ut fiat, etiam ipsum est factum; ex. gr., difficilius est lædere alium factis quam verbis; ergo si quis læsit alterum factis, læsit etiam verbis.

14. *Secunda propositio* est : si factum est posterius, factum est etiam prius; ex. gr., posterius est oblivisci, quæ quis didicerit, quam illa discere; ergo si quis oblitus fuit, etiam didicit ea, quorum est oblitus.

15. *Tertia propositio* est : si quis potuit et voluit aliquid facere, fecit. Quicumque enim aliquid non facit, vel non facit, quia non potest, vel non facit, quia non vult; ergo si potuit et voluit, nihil est, cur non fecerit.

16. *Quarta propositio* est : si voluit facere, et non fuit ullum impedimentum exterius, fecit. Ratio est, quia voluntas faciendi aufert omnia impedimenta interiora; ergo si præterea nihil impedivit exterius, fecit.

17. *Quinta propositio* est : qui potuit lædere et iratus fuit, læsit. Ratio est, quia irati ut plurimum lædunt, cum possunt.

18. *Sexta propositio* est : qui poterat et cupiebat, fecit. Ratio est, quia homines cum possunt, ut plurimum faciunt ea, quæ cupiunt; pravi quidem ex incontinentia, probi vero, quia honesta solum desiderant.

19. *Septima propositio* est : quod quis fuerat facturus, probabile est, quod fecerit.

20. Et si ante facta sunt, quæcumque naturaliter fiunt ante illud vel causa illius, ut si fulsit, etiam tonuit, et si conatus est, etiam fecit. Et si quæcumque ut posterius fiant, naturam habent, aut id cujus causa fiunt, factum est, etiam quod prius est et hujus causa est, factum est, ut si tonuit, etiam fulsit, et si fecit, etiam conatus est. Sunt autem ex his omnibus alia quidem ex necessitate, alia vero plerumque ita se habentia.

21. Quod autem non est factum, apparet ex contrariis eorum quæ dicta sunt. Ac futurum ex iisdem manifestum est. Quod enim est in potestate et voluntate, erit. Et quod est in cupiditate et ira et commodi ratione cum facultate. Propterea etiam quod in procinctu est, ut fiat vel futurum sit, erit ; plerumque enim fiunt magis futura quam non futura. Et si ante facta sunt, quæcumque ut prius fiant, naturam habent,

ut si nubilatum est, verisimile est pluiturum. Et si quod est hujus causa, factum est, etiam hoc verisimile est factum iri, ut si fundamentum, domus.

20. *Octava propositio* est : si facta sunt, quæ sunt apta fieri post aliquid aliud vel illius gratia, etiam illud est factum; ex. gr., quia tonitruum aptum est fieri post coruscationem, si tonuit, etiam coruscavit. Rursus quia homines tentant aliquid facere, ut illud faciant, si quis aliquid fecit, etiam conatus est illud facere. Concludit Aristoteles, quod ex locis allatis aliqua concludunt ex necessitate et semper, alia concludunt plerumque, et quod ex locis contrariis potest ostendi, aliquid non fuisse factum.

21. Proportionales sunt propositiones ad ostendendum, aliquid esse faciendum sive esse futurum. *Prima* propositio est : quod aliquis potest et vult facere, fiet et erit. *Secunda* est : quod quis potest facere et cupit ac meditatur facere ex concupiscentia vel ira, fiet et erit. *Tertia* est : quæ desiderio ac curæ sunt, erunt. Ut plurimum enim potius fiunt, quæ curæ sunt, quam quæ curæ non sunt. *Quarta* est : si facta sunt, quæ debent fieri prius, fiet etiam, quod debet fieri posterius; ex. gr., quia antequam pluat, nubes debent congregari, si nubes sunt congregatæ, verisimile est, quod pluet. *Quinta* est : si factum est aliquid, quod est gratia alterius, fiet etiam illud, cujus gratia est; ex. gr., quia fundamentum est gratia domus, si factum est fundamentum, verisimile est, quod fiet etiam domus.

CAPUT XX

DE LOCIS AD AMPLIFICANDUM ET DIMINUENDUM.

1. De magnitudine autem et parvitate rerum, et majori et minori, et omnino magnis et parvis, ex iis quæ ante dicta sunt, nobis constat; dictum enim est in deliberativis de magnitudine bonorum et de majori simpliciter et minori. Quare, quoniam in unaquaque oratione propositus est finis id quod bonum est, ut utile et honestum et justum, apparet, ex illis sumendas esse amplificationes omnibus; præter enim hæc aliquid quærere de magnitudine simpliciter et excellentia, inanis est disputatio; aptiora enim sunt ad usum, quam universalia, singularia. Ac de eo quidem quod fieri potest et non potest, et utrum factum sit an non factum, et erit an non erit, præterea vero de magnitudine et parvitate rerum hæc dicta sint.

1. Superesset jam, ut ageremus de amplificatione ac diminutione et de locis, qui usui possunt esse ad amplificandum ac diminuendum. Verum cum supra lib. I, cap. VII, agentes de genere deliberativo egerimus de magnitudine ac de parvitate rerum ac de majori et minori et universim de magnis ac parvis, ex iis, quæ ibi tradidimus, desumi possunt loca ad amplificandum ac diminuendum. Cum enim amplificare nihil sit aliud, quam ostendere magnitudinem vel majoritatem rei; diminuere nihil sit aliud, quam ostendere parvitatem vel minoritatem; loca, per quæ probatur magnitudo vel majoritas, utilia sunt ad amplificandum; loca, per quæ ostenditur parvitas vel minoritas, sunt utilia ad diminuendum. Confirmatur, quia omnia tria genera dicendi proponunt sibi ut finem aliquod bonum; nam genus deliberativum proponit sibi bonum utile; genus demonstrativum proponit sibi bonum honestum; genus judiciale proponit sibi justum; ergo omnes amplificationes debent versari in ostendenda magnitudine talium bonorum. Qui vero loco tradendi propositiones ad probandam magnitudinem talium bonorum, divertunt ad disputandum de magnitudine et majoritate ideali, quam vocant *per se magnitudinem* ac *per se majoritatem*, vane et inutiliter disserunt, siquidem propositiones de magnitudine bonorum particularium utiliores sunt ad orationes conficiendas quam propositiones de magnitudine ut sic et universali. Hæc igitur de possibili et impossibili, de facto ac non facto, de futuro ac non futuro, ac de magnitudine et parvitate dicta sufficiant.

CAPUT XXI

DE EXEMPLIS, EORUM SPECIEBUS, ATQUE USU.

1. [20] Reliquum est, communem fidem omnibus exponere, quoniam dictum est de propria. Est autem communis fides duplex genere, exemplum et enthymema; sententia enim pars enthymematis est. Ac primum quidem de exemplo dicamus; nam simile est inductioni exemplum, et inductio principium est.

2. Exemplorum vero formæ duæ sunt. Nam una quidem est exempli forma, dicere res gestas, altera vero ipsum fingere. Atque hujus quidem una pars est parabola, altera logi, ut Æsopici et Libyci.

3. Est autem exemplum tale aliquid, ut si quis diceret, oportere adversus regem parari et

non sinere eum Ægyptum in potestatem redigere, quia Darius non prius trajecit, quam Ægyptum cepit, cum autem cepisset, trajecit. Iterum Xerxes non prius irrupit quam occupavit; cum autem occupasset, irrupit. Itaque et nunc, si ceperit, trajiciet; quare non permittendum.

4. Parabola vero etiam quæ Socratica sunt, ut si quis diceret, non oportere sorte datos magistratum gerere; simile enim esse, ac si quis athletas sortiatur, non qui possint decertare, sed qui obtigerint, aut ex nautis, quem oporteat gubernare, sortitus fuerit, quasi oporteat obtingentem, non autem scientem.

1. Agendum jam est de persuasionibus communibus, siquidem jam supra disseruimus de propriis. Probationes communes reducuntur ad duo genera, exempla nimirum et enthymemata, siquidem sententia, qua etiam possumus uti ad probandum, pars est enthymematis, ideoque de ea agendum est cap. sequenti, antequam agamus de enthymemate. Primo igitur disserere debemus de exemplo, quod simile est inductioni. Nam sicut in scientiis utimur inductione ut principio ad probanda universalia, sic in rethoricis utimur exemplo ad eadem ostendenda.

2. Exemplorum duæ sunt species. Prima species est, cum re præsertim simili vere antea gesta utimur ad probandum id, quod intendimus. Secunda species est, cum nos ipsi fingimus aliquid simile ad id, quod volumus, ostendendum. Exemplum a nobis fictum subdividitur in alias duas species, parabolam nimirum seu similitudinem, et apologum seu fabulam, cujusmodi sunt fabulæ Æsopicæ ac Lybicæ, quibus nimirum Africani utebantur.

3. Exemplum argumentationis petitæ ex præteritis historiis est consequens. Cum rex Persarum Ægyptiis bellum inferret, quidam rem illam Græcis periculosam putans auctor fuit Græcis, ut arma contra regem Persarum pararent nec sinerent, ut Ægyptum in suam potestatem redigeret, ac suum consilium ex præteritis historiis sic probavit. Superioribus temporibus Darius cepit Ægyptum ac deinde in Græciam trajecit; Xerxes non nisi post Ægyptum captam aggressus est Græciam: ergo etiam præsens rex Persarum, si Ægyptum redegerit in potestatem, bellum inferet Græcis, adeoque ad avertendum periculum non est permittendum, ut Ægypto potiatur.

4. Exempla argumentationum desumptarum ex parabolis passim apud Socratem inveniuntur. Posset ex parabolis seu similitudinibus sic aliquis ostendere, quod magistratus non sunt creandi sorte. Creare magistratus sorte simile est, ac si quis athletas designaturus, non illos eligeret, qui pollent viribus ad pugnandum, sed illos, qui forte prodirent ex urna; vel si quis ex nautis designaturus gubernatorem navis, non eligeret eum, qui peritus esset gubernandæ navis, sed sorte et fortuito; sed est manifestum, quod athletæ et gubernatores navium non debent eligi sorte : ergo neque magistratus eligendi sunt sorte.

5. Logus est, qualis Stesichori adversus Phalarim et Æsopi de duce populari. Stesichorus enim, cum elegissent ducem cum summo imperio Himerenses Phalarim et essent custodiam traditurі corporis, alia fatus dixit ipsis logum, quemadmodum equus tenuit pratum solus, cum autem veniret cervus et corrumperet pabulum, volens punire cervum, interrogavit hominem, an posset cum ipso pœna afficere cervum. Ille autem affirmavit, si acciperet frenum et ipse conscenderet eum, tenens jacula. Cum autem conditionem accepisset et ille eum conscendisset, loco puniendi ipse servivit confestim homini. Sic vero etiam vos videte, inquit, ne hostes volentes punire eadem patiamini quæ equus; frenum enim jam habetis, cum elegeritis ducem cum summo imperio; si vero etiam custodiam tradideritis et conscendere permiseritis, servietis confestim Phalaridi. Æsopus vero in Samo, cum patronus esset duci populi causam habenti de capite, dixit vulpem, cum trajiceret flumen, decidisse in voraginem; cum minime posset exire, diu male affectam esse, et caninas muscas multas adhæsisse ipsi, herinaceum vero vagantem, ut videt ipsam, misericordia captum interrogasse, num abigeret ab ipsa caninas muscas, eam vero non permisisse, et quærente illo, qua de causa, dixisse « quoniam istæ quidem plenæ mei jam sunt, et parum sanguinis sugunt; si vero has abegeris, aliæ venientes famelicæ exhaurient mihi reliquum sanguinis ». Igitur etiam vobis, inquit, o viri Samii, iste non amplius nocet; dives enim est. Si vero hunc interfeceritis, alii venient pauperes, qui vobis dilapidabunt publica depeculantes.

5. Exempla argumentationum petitarum ex fabulis seu apologis possunt esse illa, quibus usus est Stesichorus contra Phalarim et Æsopus pro quodam populi ductore. Cum Himerenses imperatorem suarum copiarum elegissent Phalarim ac vellent illi custodiam corporis dare, Stesichorus dissuasit ac sequenti fabula ad dissuadendum est usus. Cum equus dominus esset prati, cervus pratum aggressus, illud devastavit ac pascua corrupit. Equus indignatus cervo ac volens de illo ultio-

nem sumere, quæsivit ab homine, an conjunctis cum equo viribus, posset cervum punire. Respondit homo, posse se armatum jaculis in cervum impetum facere, dummodo equus sumeret frenum ac permitteret hominem ipsi insidere. Equus probata conditione accepit frenum atque homo jaculis armatus ipsi insedit, sed loco sumendi ultionem de cervo, equum redegit in servitutem. Sic et vos Himerenses cavete, ne dum optatis de hostibus ulcisci, patiamini aliquid simile equo. Frenum enim jam suscepistis, dum Phalaridi demandastis imperium copiarum militarium; si vero dando illi custodiam, permiseritis ipsum vobis insidere, proculdubio Phalaridi servietis. Æsopus cum quemdam populi doctorem de capite periclitantem apud Samios defenderet, hac fabula est usus. Vulpes trajiciens fluvium decidit in voraginem ac, cum non posset ex illa emergere, diu male affecta est, ac multæ muscæ caninæ ipsi adhæserunt. Accidit, ut herinaceus illac transiens, cum vulpem vidisset, misericordia motus illam interrogaret, num vellet, ut muscas caninas abigeret. Abnuit vulpes atque herinaceo sciscitanti causam respondit: Quia hæ muscæ, cum meo sanguine jam sint saturatæ, parum sanguinis hauriunt; si vero has abegeris, aliæ famelicæ me invadent ac totum, qui reliquus est, cruorem ebibent. Sic, viri Samii, hic ductor populi, cum jam sit ditatus atque opibus saturatus, non amplius vobis nocet. At si hunc interfeceritis, succedent alii pauperes, qui publica bona depeculabuntur.

6. Sunt autem logi concionibus accommodati, et habent bonum hoc, quod res quidem invenire similes, quæ gestæ sint, difficile est, logos vero facilius; fingere enim oportet, ut etiam parabolas, si quis possit simile intueri, quod facilius est ex Philosophia. Ac facilius quidem apparantur, quæ sunt ex logis; sed utiliora ad consultandum, quæ sunt ex rebus gestis. Similia enim plerumque sunt futura præteritis.

7. Oportet autem uti exemplis non habentem quidem enthymemata tanquam demonstrationibus, habentem vero tanquam testimoniis, pro epilogis ea adhibendo in enthymematibus. Præposita enim similia sunt inductionibus. Et oratoriis non est accommodata inductio nisi paucis, subjecta vero testimoniis. At testis ubique ad persuadendum appositus. Quamobrem etiam præponentem necesse est multa dicere, subjicientem vero vel unum satis; testis enim fide dignus etiam unus utilis est. Ac quot quidem species exemplorum sint, et quomodo ipsis et quando utendum, dictum est.

6. Explicatis tribus speciebus exemplorum, comparandæ sunt inter se, atque eorum usus est proponendus. Apologi seu fabulæ valde sunt accommodatæ concionibus popularibus, atque in hoc præstant exemplis desumptis ex historiis veris, quod difficile est veras historias invenire, at fabulas facilius est afferre, cum possit unusquisque illas suo arbitratu fingere. Ex eadem ratione facilis est usus parabolarum ac similitudinum, dummodo possit quis, quod simile est, conspicere; ad quod conspiciendum multum confert Philosophia. Verumtamen licet fabulæ facilius inveniantur, exempla ex historiis petita utiliora sunt ad consultandum ac deliberandum, cujus ratio est, quia plerumque futura sunt similia præteritis.

7. Jam cum non suppetunt nobis enthymemata ad propositum ostendendum, uti debemus exemplis ut demonstrationibus. Cum vero suppetunt enthymemata, postquam enthymematibus ostenderimus intentum, debemus afferre exempla tanquam testimonia ad confirmandum, verum esse, quod per enthymemata est ostensum; adeoque debemus uti exemplis in epilogis seu clausulis enthymematum. Ratio est, quia exempla cum per se proponuntur, ut concludant, debent esse similia inductionibus; at in rhetoricis paucæ possunt afferri inductiones, cum propter varietatem rerum humanarum semper occurrant multæ instantiæ in contrarium; ergo difficile est, ut exempla per se proposita concludant. At cum exempla afferuntur in confirmationem eorum, quæ sunt conclusa per enthymemata, æquivalent testimoniis; testimonia vero magnam semper habent vim ad confirmandum propositum. Adde, quod si exempla per se afferantur, necesse est afferre plura exempla; si vero afferantur ad confirmandum, quod fuit jam per enthymemata probatum, sufficit unicum, sicut sufficit unicus testis fide dignus. Patet igitur ex dictis, quæ sint species exemplorum, quomodo et quando sit ipsis utendum.

CAPUT XXII

DE SENTENTIIS, EARUM SPECIEBUS, USU ATQUE UTILITATE.

1. [21] De sententiæ autem dictione, cum dictum fuerit, quid sit sententia, res maxime constabit, et de qualibus et quando et quibus

conveniat uti sententiæ dictione in orationibus.

2. Est autem sententia enunciatio, non tamen de singularibus, ut qualis Iphicrates, sed de universalibus; neque de omnibus universalibus, ut rectum curvo contrarium esse, sed de iis, quorum actiones sunt, et ea quæ eligimus aut fugimus ad agendum. Quare cum enthymemata de his syllogismi genus sint ferme, et conclusiones enthymematum et principia ablato syllogismo sententiæ sunt. Ut « nequaquam oportet, quicumque prudens natura factus est vir, eum filios suos eximie instruere sapientes ». Ac hoc quidem est sententia; addita vero causa, et quamobrem, enthymema erit totum, ut « nam præter aliam quam habent ignaviam, invidiam virorum aperiunt infestam ». Et illud « nemo est, qui omnino vir felix sit », et « nullus est virorum, qui liber sit » sententia est; addito autem eo quod sequitur, enthymema : « aut enim pecuniarum servus est aut fortunæ ».

1. Quia sententia est pars enthymematis, antequam agamus de enthymemate, debemus agere de sententia, ac *primo* debemus explicare, quid sit sententia; *secundo,* quotuplex sit; *tertio* debemus agere de ejus usu atque utilitate.


2. *Quoad primum :* sententia est quædam enunciatio. Non tamen omnis enunciatio est sententia, siquidem enunciationes de singularibus non sunt sententiæ; ex. gr., sententiæ nomen tribui non debet enunciationi, per quam explicetur, qualis fuerit Iphicrates Atheniensis, qui cum esset humili loco natus, industria ac virtute ad summum dignitatis gradum ascendit. Ad sententiam igitur requiritur, ut sit enunciatio de universalibus. Sed neque sufficit, ut sit enunciatio de universalibus, siquidem enunciatio, qua quis dicat *rectum esse contrarium curvo,* est de aliquo universali, et tamen non est sententia; sed sententia debet esse enunciatio de iis universalibus, circa quæ versantur actiones quæque sunt eligenda vel fugienda. Est igitur sententia *enunciatio de aliquo universali eligendo vel fugiendo, circa quod versantur actiones,* et quia enthymemata rhetorica sunt syllogismi circa eligenda vel fugienda, ideo et conclusiones et præmissæ seu principia rhetoricorum enthymematum, in quantum considerantur seorsim et extra syllogismum, solent esse sententiæ; ex. gr., sententia est, quam Medea apud Euripidem protulit, dicens : *non est viri prudentis liberos in studiis litterarum diu occupatos tenere ac curare, ut ad summum sapientiæ perveniant;* si vero huic sententiæ addatur causa, quam eadem Medea addidit, dicens : *nam liberi, dum diu studiis occupantur, ita evadunt inertes, ut non possint deinde ab otio, cui assueverunt, avelli et præterea concivium in se invidiam concitant;* ex sententia et ratione fiet integrum enthymema Est etiam sententia illa Aristophanis : *nemo est, qui omnino sit felix;* et quam apud Euripidem protulit Hecuba dicens : *nullus vir omnino est liber;* cui rationem subjungens : *quilibet enim aut pecuniarum aut fortunæ est servus,* fecit integrum enthymema.

3. Jam si sententia est id, quod dictum est, necesse est quatuor esse sententiæ species. Aut enim cum epilogo erunt, aut sine epilogo. Ac demonstrationis quidem indigentes sunt, quæcumque præter opinionem aliquid dicunt aut controversum; quæcumque vero nihil præter opinionem, sine epilogo. Ex his autem necesse est alias quidem, quia ante cognitæ sunt, nihil indigere epilogo; ut « viro autem valere optimum est, sicut nobis videtur »; apparet enim multis sic; alias vero simul cum dicuntur, manifestas esse iis qui intuiti fuerint, ut « nemo amator, qui non semper amet ». Ex iis vero quæ sunt cum epilogo, aliæ enthymematis pars sunt, ut « nequaquam oportet quicumque prudens natura factus est vir »; aliæ enthymematicæ quidem, sed non enthymematis pars, quæ etiam maxime probantur.

4. Sunt autem hæ, in quibus apparet ejus quod dicitur causa, ut in hoc « immortalem iram ne serves, cum mortalis sis ». Dicere enim « non oportet semper servare iram » sententia est; quod vero additur « cum sis mortalis » quamobrem dicit. Simile vero etiam illud « mortalia oportet mortalem, non immortalia mortalem sapere ». Apparet igitur ex iis quæ dicta sunt, tum quot species sint sententiæ, tum in cujusmodi re unaquæque conveniat.

5. Nam de controversis, aut de iis quæ sunt præter opinionem, non sine epilogo; sed aut præponendo epilogum sententia uti oportet loco conclusionis, ut si quis diceret « ego quidem, quoniam neque invidiæ subjici oportet neque ignavum esse, nego eruditioni operam dandam »; aut hoc prius dicendo, subjicere quæ priora sunt. De iis autem quæ præter opinionem non sunt, sed obscura, adjiciendo, quamobrem, concinne. Conveniunt vero in ejusmodi rebus etiam Laconica apophthegmata et ænigmata, ut si quis diceret, quod Stesichorus apud Locrenses dixit, non oportere contumeliosos esse, ne cicadæ humi canant.

3. *Quoad secundum :* ex tradita definitione sententiæ sequitur quatuor esse sententiarum species. Probatur dividendo ac subdividendo sententiam per membra contradictoria. Primo ergo vel per sen-



tentiam pronunciatur aliquid controversum ac præter opinionem, vel aliquid non controversum nec præter opinionem; si pronunciatur aliquid controversum et præter opinionem, debet addi ratio ejus, quod dicitur; si pronunciatur aliquid non controversum nec præter opinionem, non debet afferri ulla ratio ejus, quod dicitur; ergo sententia dividitur tanquam in duo genera, in eam, quæ affertur cum ratione, et in eam, quæ affertur sine ratione; sed utrumque genus subdividitur in duas species; ergo sententia dividitur in quatuor species. Probatur et explicatur assumptum; sententia enim, quæ non indiget ratione, vel ideo non indiget ratione, quia quod per illam pronunciatur, ante est notum, vel quia, licet ante non sit notum, adhuc statim ac pronunciatur, apparet esse verum; ergo duæ sunt species sententiarum sine ratione; altera continet eas, per quas pronunciatur aliquid antea notum; altera continet eas, per quas pronunciatur aliquid, quod statim apparet esse verum. Exemplum sententiæ, per quam pronunciatur aliquid antea notum, est, per quam dicitur, quod homini optimum est valere. Exemplum sententiæ, per quam pronunciatur aliquid, quod statim cognoscitur esse verum, est, per quam Hecuba apud Euripidem in Troade dixit, quod nemo vere est amator, qui non semper amet. Rursus sententia, quæ profertur cum ratione, vel est pars enthymematis, qualis est illa Medeæ num. 2, allata : *non est prudentis viri, liberos in studiis litterarum* etc., vel est enthymematica, quia in ea apparet ratio ejus, quod pronunciatur, sed adhuc non est pars enthymematis.

4. Harum sententiarum, quas maxime ait probari, duo exempla Aristoteles affert. Primum exemplum est : *mortalis cum sis, immortalem iram ne custodias.* Dum enim asseritur immortalem iram non esse custodiendam, affertur sententia ; dum vero additur *mortalis existens*, indicatur ratio sententiæ. Secundum exemplum simile est : *mortalem oportet sapere mortalia, non autem immortalia.* Ergo universim quatuor sunt species sententiarum. Prima species est, per quam pronunciatur aliquid sine ratione, quia est antea notum. Secunda est, per quam pronunciatur sine ratione aliquid, quia statim apparet verum. Tertia est, per quam pronunciatur aliquid cum ratione, ita ut sit pars enthymematis. Quarta est, per quam pronunciatur aliquid cum ratione, ita ut non sit pars enthymematis.

5. Addit Aristoteles duo. *Primum* est, quod ratio sententiæ potest afferri dupliciter. Primo ita, ut prius afferatur ratio tanquam præmissa, deinde inferatur sententia tanquam conclusio. Ex. gr., sententiam Medeæ num. 2, allatam possumus præmissa ratione sic afferre : *Quoniam summo studio debemus ignaviam et invidiam declinare; qui autem toti in sapientiæ studiis occupantur, et sæpe evadunt ignavi et in invidiam civium incurrunt, debemus cavere, ne liberi in sapientiæ studiis toti occupentur.* Secundus modus est, ut pronunciemus sententiam ac deinde afferamus rationem, dicendo ex. gr. : *debemus cavere, ne liberi in sapientiæ studiis toti occupentur, ne evadant ignavi et in invidiam civium incurrant. Secundum*, quod Aristoteles addit est, quod cum proferuntur aliqua, quæ licet non sint præter opinionem, adhuc sunt obscura, debet reddi aliqua ratio, per quam declarentur. Ad sententias obscuras reduci possunt apophthegmata, hoc est nonnulla brevia et acuta dicta, quæ vocantur Laconica, eo quod apud Lacedæmones præsertim usui erant, et ænigmata, quale fuit, quod Stesichorus apud Locrenses protulit dicens : *non oportere contumeliosum esse, ne cicadæ humi canant.* Significavit autem hoc ænigmate periculum esse, ne si Locrenses contumelias populis potentibus inferrent, ab iis eorum regio ita devastaretur, ut excisis arboribus cicadæ in nuda humo canere cogerentur.

6. Ac convenit sententiam dicere ætate quidem senioribus, sed de iis quorum peritus est aliquis, quia qui talis non sit, eum dicere sententiam indecorum est, ut etiam fabulam dicere. De iis vero quorum est imperitus, stultum atque ineruditum est. Ac signum idoneum est, quod rustici maxime sententiarum compositores sunt et facile eas proferunt.

7. In universum vero de re, quæ universalis non sit, dicere convenit in conquestione ac indignatione, et in his aut cum exordiaris aut cum demonstraveris.

8. Ac uti oportet etiam pervulgatis et communibus sententiis, si sint utiles. Nam quia sunt communes, quasi confitentibus omnibus recte se habere videntur, ut adhortanti ad periculum subeundum eos, qui sacrificium non fecerint, « unum augurium optimum defendere patriam », et eos, qui inferiores sunt, « Mars belli communis ». Et ad tollendos inimicorum filios, qui nullam injuriam faciunt, « stultus, qui natos occiso patre relinquit ». Præterea etiam aliquæ

ex proverbiis sententiæ sunt, ut proverbium « Atticus inquilinus ».

6. *Quoad tertium :* tradita sententiarum divisione, explicat Aristoteles earum usum et utilitatem. *Primo* igitur præcipue decet, ut sententias proferant, qui sunt ætate seniores, ac non nisi de iis pronuncient, quorum sunt periti. Quod vero qui non sunt ætate provecti, sententias afferant vel fabulam narrent, est indecorum; quod de iis quis pronunciet, quorum est imperitus, stultum est atque hominis inerudíti proprium, ut patet etiam ex eo, quod præsertim homines rustici atque agrestes facile sententias pronunciant.

7. *Secundo,* cum quis de sua fortuna conqueritur, potest universaliter proferre, quod non universaliter est verum, eo pacto, quo Ariadna, dum conquereretur de Theseo, a quo fuerat derelicta, universaliter pronunciavit : *viris quantumvis jurantibus non esse credendum a feminis.* Possunt vero qui talibus affectibus agitantur, tales sententias afferre vel initio vel ut clausulas enthymematum.

8. *Tertio* utendum est etiam pervulgatis ac communibus sententiis, cum utiles ad rem nostram fuerint. Tales enim sententiæ, quia sunt communiter receptæ, ex confessione omnium videntur veræ. Ex. gr., qui adhortantur milites ad pugnandum, licet non sacrificaverint, uti potest dicto communi : *optimum augurium est, cum quis pugnat pro patria :* cum quis hortatur ad pugnam eos, qui inferiores sunt copiis, poterit uti illo effato : *Mars est communis;* cum quis hortatur ad auferendos filios inimicorum, licet nullam faciant injuriam, poterit uti eo carmine :

Stultus, qui natos, occiso patre, relinquit.

Ad sententias communiter receptas possunt etiam quædam proverbia reduci, quale est illud : *Atticus inquilinus,* quod dicebatur de iis, qui duris moribus adversus vicinos sunt, eo quod Athenienses, qui Samum vocati fuerant, antiquos incolas expulerint.

9. Et oportet sententias dicere etiam contra ea, quæ in ore multitudinis versantur. Dico autem in ore multitudinis versari, ut illud « nosce te ipsum » et illud « ne quid nimis », quando aut mores appariturí sunt meliores, aut cum affectu dicitur. Cum affectu est, si quis, dum irascitur, etiam diceret, falsum esse, quod oportet cognoscere se; ac iste quidem si cognosceret se, nunquam ut imperaret, petiisset. Mores vero meliores apparent sic : non oportere, ut ajunt, amare tanquam osurum, sed magis odio habere tanquam amaturum. Ac oportet dictione præelectionem aperire ; sin minus, causam subjicere, quemadmodum aut sic dicendo, oportere amare non ut ajunt, sed tanquam semper amaturum : insidiatoris enim alterum est. Aut sic « non placet mihi quod dicitur; oportet enim verum amicum tanquam amaturum semper amare; neque illud : ne quid nimis; oportet enim malos nimio odio habere ».

9. *Quarto* aliquando debemus pronunciare sententias contrarias sententiis communiter receptis, quales sunt illæ : *nosce te ipsum; ne quid nimis.* Præcipue vero tales sententias debemus proferre, cum aliquo affectu agitamur vel illas proferendo mores præferimus meliores. Ex. gr., cum quis stomachatur, quod aliquis, cum esset indignus, imperium petierit et obtinuerit, potest pronunciare : *falsum est, quod oporteat cognoscere se ipsum; iste siquidem si seipsum cognovisset, imperium nunquam petiisset, ac proinde nec obtinuisset.* Rursus si quis dicat : *non oportet, ut ajunt, amare tanquam osurum, sed odisse tanquam amaturum,* meliores mores præfert. Porro cum contradicimus sententiis receptis, vel debemus ipso modo contradicendi ostendere nos habere contrarios mores et contrariam electionem, vel debemus rationem afferre, propter quam talibus sententiis contradicamus; ex. gr., rationem afferimus, si dicamus : *oportet amare non tanquam osurum, sed tanquam semper amaturum; qui enim amat ut osurus, videtur amico insidiari.* At contrarios mores ostendimus, si dicamus : *non placet mihi, quod communiter dicitur, quod oportet amare tanquam osurum; verus enim amicus debet amare tanquam semper amaturus; neque placet mihi illud dictum commune : ne quid nimis; oportet enim malos nimio odio prosequi.*

10. Afferunt vero orationibus auxilium magnum, unum quidem propter vanitatem auditorum ; gaudent enim, si quis in universum dicens incidat in opiniones, quas illi in parte habent. Jam, quod dico, manifestum erit sic, et simul quomodo oporteat ipsas venari. Sententia enim, ut dictum est, in universum enunciatio est. Gaudent autem, cum in universum dicitur id, quod in parte ipsi existimant, ut si quis vicinis uteretur aut filiis improbis, probaret eum qui diceret « nihil vicinitate molestius » aut « nihil dementius filiorum procreatione ». Quare oportet

spectare qualia ante existimaverint : sic postea de iis in universum dicere. Hunc autem oportet unum usum habere sententiæ dictionem, et alterum meliorem ; quod moratas efficit orationes. Mores vero habent orationes,in quibus manifesta est prælectio; nam sententiæ omnes hoc faciunt, quia enunciat, qui sententiam dicit, in universum de iis, quæ præeligenda sunt. Quare si bonæ sint sententiæ, etiam ut bonis moribus præditus appareat, efficiunt qui dicit. Ac de sententia quidem, et quid sit et quot species ipsius, et quomodo utendum sit ipsis, et quam utilitatem habeant, dicta sint tam multa.

10. Tradito usû sententiarum, explicat Aristoteles earum utilitatem. Duabus de causis utiles ad persuadendum sunt sententiæ. *Prima* causa fundatur in vano ingenio auditorum. Quia enim auditores propter quamdam vanitatem valde rebus suis delectantur seque prudentes putant, gaudent, si orator pronunciet aliquam universalem sententiam consentaneam opinionibus, quas ipsi circa quædam particularia conceperunt, ideoque facile sibi ab oratore talibus sententiis utente persuaderi sinunt. Explicatur ac simul indicatur ratio ac via sententias venandi, quæ ab auditoribus probentur. Sententia ex dictis est universalis enunciatio. Cum igitur auditores audiunt universaliter pronunciari aliquid conforme iis, quæ circa suas res particulares ipsi enunciant, tali sententia delectantur, eamque ut veram probant; ex. gr., qui habet vicinos ac filios improbos ac molestos, probabit oratorem dicentem : *nihil est vicinis molestius, nihil est stultius quam ad filiorum procreationem incumbere.* Ut igitur venemur sententias auditoribus gratas, debemus prius indagare, quid auditores sentiant circa particularia, ac deinde sententias universales proferre consentaneas privatis opinionibus auditorum, et hæc est prima sententiarum utilitas ejusque ratio. *Secunda* utilitas major est, quod per sententias efficiemus orationes moratas. Explicatur. Illæ orationes sunt moratæ, per quas manifestatur, quos circa res agendas sensus et quos mores ac propensiones habeat orator; sed sententiæ cum universaliter pronuncient de eligibilibus, explicant sensus ac mores oratoris circa eligibilia ; ergo sententiæ efficiunt orationes moratas, et si sententiæ sint bonæ, ostendunt etiam oratorem esse bonis moribus præditum, adeoque esse dignum fide. Satis igitur per hæc est explicatum, quid sit sententia, quot sint ejus species, quis earum usus, ac quæ utilitas.

CAPUT XXIII

DE ENTHYMEMATE.

1. [22] De enthymematibus vero in universum dicamus, quomodo ea oporteat quærere, et præterea locos ; diversa enim species utriusque horum est.

2. Ac enthymema quidem syllogismum aliquem esse dictum est prius ; et quomodo syllogismus, et quid differat a dialecticis. Neque enim longe neque omnia oportet assumendo colligere ; illud enim obscurum est propter longitudinem, hoc vero nugatorium, quia manifesta dicuntur. Hæc enim est causa, cur etiam magis idonei ad persuadendum sint inerudití quam eruditi inter vulgares, ut poetæ dicunt ineruditos apud turbam concinnius dicere : illi enim communia et quæ sunt in universum dicunt, hi vero, quæ sciunt et quæ propinqua sunt. Quare non ex omnibus quæ probabilia sunt, sed ex definitis dicendum, ut aut judicantibus, aut iis quos approbant. Atque hoc ipsum, sic apparere, manifestum esse oportet aut omnibus aut plurimis. Et non solum colligere ex necessariis, sed etiam ex iis quæ plerumque se habent.

1. Egimus de sententia, quæ est pars enthymematis; sequitur, ut agamus de ipso enthymemate. Et quidem hoc capite debemus universim explicare, ex quibus enthymemata sint conficienda; capitibus vero sequentibus tradenda sunt enthymematum loca.

2. Ut igitur explicemus, ex quibus enthymemata sint conficienda, supponenda sunt quædam, quæ dicta sunt lib. I, cap. VII et sequentibus. Primo dictum est, enthymema esse quemdam syllogismum. Secundo explicatum est, quo pacto enthymema sit syllogismus, et in quo differat a syllogismo dialectico. Inter alias differentias enthymematis a syllogismo dialectico illa præcipue spectat ad propositum præsens, quod in enthymemate non debent assumi ad probandum, quæ sunt valde remota neque omnia propinqua. Ratio, cur non debeant assumi, quæ sunt valde remota, est, quia hæc sunt obscura nec accommodata captui vulgi. Ratio, cur non debeant assumi omnia propinqua, est, quia quædam notissima ab ipsis auditoribus subintelliguntur ac proinde debent omitti ab oratore, ne videatur in vitium garrulitatis incidere. Hinc vero potest afferri ratio, cur ut

poetæ dicunt, ineruditi sint aptiores ad persuadendum multitudini quam eruditi. Ineruditi enim ad persuadendum utuntur quibusdam communibus et captui multitudinis accommodatis; eruditi e converso afferunt propria atque ipsis nota, quæ proinde excedunt captum vulgi. Hinc patet, enthymemata rhetorica non esse conficienda ex omnibus, quæ quomodocumque sunt probabilia, sed solum ex quibusdam certis, quæ sunt probabilia auditoribus, vel iis, quorum judicia ab auditoribus probantur. Neque vero requiritur, ut hæc probentur omnibus auditoribus, sed sufficit, ut vel probentur omnibus vel pluribus. Rursus non solum sunt afferenda ea, quæ semper ac necessario concludunt, sed etiam ea, quæ ut plurimum concludunt.

3. Ac primum quidem oportet, assumere de quo oportet dicere, et syllogismo concludere, sive civili syllogismo sive quocumque, necessarium esse de hoc tenere ea quæ insunt vel omnia vel aliqua; nihil enim tenens ex nihilo posses colligere. Dico autem exempli gratia, quomodo possemus consulere Atheniensibus, utrum bellandum an non bellandum sit, non tenentes quæ potentia ipsorum sit, utrum navalis an pedestris vel utrumque, et ipsa quanta, et reditus qui, vel amici vel inimici; præterea vero, quæ bella gesserint, et quomodo, et alia hujusmodi? Et laudare eos, si non teneamus in Salamine navalem pugnam et in Marathone prœlium, aut quæ pro Heraclidis gesta sunt, aut aliquid aliud tale? Nam ex insitis, aut ex iis, quæ videntur inesse honestis, laudant omnes. Similiter etiam vituperant ex contrariis, considerantes quid insit ejusmodi in ipsis aut videatur; ut quod Græcos ad servitutem redegerunt, et eos qui adversus barbarum simul bellum gesserunt et optime se gesserunt, subegerunt, Æginetas et Potidæatas, et quæcumque alia talia, et si quod aliud peccatum ejusmodi insit in ipsis. Eodem autem modo et accusantes et defendentes, dum ex insitis considerationem habent, accusant et deendunt. Ac nihil interest, de Atheniensibus an Lacedæmoniis, de homine an Deo id ipsum facere. Etenim consilium danti Achilli, et laudanti et vituperanti, et accusanti et defendenti eum, quæ insunt aut videntur inesse, assumenda sunt, ut ex eis dicamus laudantes aut vituperantes, si quid honesti insit aut inhonesti, accusantes aut defendentes, si quid justi insit aut injusti, consulentes, si quid utilis aut perniciosi. Similiter autem his et de re quacumque, ut de justitia, bonumne an non bonum, ex iis quæ insunt justitiæ aut bono.

3. Sed jam explicandum est, quid debeat facere orator, ut habeat copiam eorum, ex quibus possit construere enthymemata. Dicendum, quod primo debet scire omnia vel plurima spectantia ad rem, de qua agit et circa quam debet aliquid concludere syllogismo politico vel alio quolibet. Ratio est, quia ex nihilo nihil potest inferri; ergo qui nihil scit spectans ad aliquam rem, nihil poterit circa ipsam concludere. Explicatur inductione, discurrendo per omnia tria genera dicendi. *Primo* in genere deliberativo, quo pacto potest orator Atheniensibus ex. gr., persuadere, bellum esse suscipiendum vel non esse suscipiendum, si ignoret, quæ et quantæ sint ipsorum copiæ, navalesne, an terrestres, an partim navales, partim terrestres; qui reditus et vectigalia, qui amici vel inimici, — bella gesserint et quomodo, etc? *Secundo*, quo pacto in genere demonstrativo potest orator Athenienses laudare, si ignoret, navalem pugnam ab iis contra Persas apud Salaminam feliciter gestam, prælium in Marathone fortiter pugnatum, quæ pro Heraclidis sunt patrata et alia hujusmodi? siquidem omnes ex honestis, quæ ipsis insunt vel videntur inesse, debent laudari, et ex contrariis, hoc est ex inhonestis debent vituperari. Quo igitur pacto posset aliquis eosdem Athenienses vituperare, si ignoraret, quæ turpiter videntur egisse, quale est, quod Græcos in servitutem redegerunt; quod subegerunt eos, qui simul cum ipsis adversus barbaros pugnarunt atque egregie se gesserunt, Æginetas nimirum et Potidæatas, et alia hujusmodi, in quibus Athenienses videntur peccasse? *Tertio* etiam in genere judiciali qui aliquem accusant ac defendunt, ex iis, quæ unicuique insunt, accusant ac defendunt, ac proinde debent illa habere perspecta. Jam sicut nihil possumus circa Athenienses ostendere, nisi sciamus, quæ ad ipsos spectant, ita nihil possumus demonstrare circa Lacedæmonios vel alios populos, circa quemcumque hominem vel Deum, nisi sciamus, quæ spectant ad ipsos; ex. gr., sive debeamus consilium dare alicui homini singulari, puta Achilli, sive debeamus ipsum laudare vel vituperare, sive debeamus accusare vel defendere, debemus assumere, quæ ipsi insunt vel videntur inesse, ut ex honestis laudemus, ex inhonestis vituperemus, ex justis defendamus, ex injustis accusemus, ex utilibus vel inutilibus suadeamus aut dissuadeamus. Universim vero de nulla re possumus disserere, nisi ex iis, quæ

ipsi insunt; ex. gr., non possumus disserere de justitia, ostendendo illam esse bonum vel non esse bonum, nisi ex iis, quæ insunt justitiæ aut bono.

4. Jam vero quoniam et omnes videntur in hunc modum demonstrare, sive accuratius sive negligentius syllogismo concludant (non enim ex omnibus assumunt, sed ex iis quæ in unoquoque insunt), et id ratione probatur (manifestum enim est, fieri non posse alio modo ut demonstretur), apparet necessarium esse, ut in Topicis, primum circa unumquodque tenere selecta de iis, quæ contingunt et opportunissima sunt; de iis vero quæ derepente fiunt, quærere eodem modo, spectantem non indefinita sed insita, de quibus oratio est, et comprehendentem plurima et proxima rei; nam quo plura habeantur insitorum, eo facilius est demonstrare, quo vero propiora, eo magis propria et minus communia.

5. Dicimus autem communia, laudare Achillem, quod homo et quod ex semideis et quod ad Ilium militaverit; hæc enim etiam aliis insunt; quare nihilo magis iste Achillem laudat quam Diomedem. Propria vero, quæ nemini alii acciderunt nisi Achilli, ut interfecisse Hectorem fortissimum Trojanorum, et Cycnum, qui prohibebat omnes exscendere, cum vulnerari non posset, et quod admodum juvenis et injuratus militaverit, et quæcumque alia ejusmodi. Ac unus quidem locus selectionis est et primus iste topicus.

4. Quoniam igitur est ostensum, quod omnes, qui de re aliquid demonstrant, demonstrant non ex quibuslibet, sed ex iis, quæ insunt tali rei, licet alii concludant melius, alii minus bene; patet necessarium esse, sicut etiam dictum est in Topicis, ut orator sciat, quæ insunt illis rebus, de quibus sæpe disputatio contingit. Cum vero proponitur ad disserendum aliquid repentinum, necesse est, ut pro temporis ratione quærat non quæcumque, sed quæ insunt rei, de qua est agendum, et ut conetur tenere plurima ac præsertim proxima rei. Ratio est, quia quo plura tenebit, eo facilius demonstrabit intentum; et quo tenebit propinquiora, eo magis demonstrabit ex propriis minusque ex communibus.

5. Sed quoniam mentionem fecimus propriorum et communium, explicare debemus, quænam dicantur propria rei et quæ communia. Propria sunt, *quæ non conveniunt aliis*, communia sunt, *quæ conveniunt etiam aliis;* ex. gr., qui laudaret Achillem ex eo, quod fuerit homo, quod fuerit semideus, quod pugnaverit contra Ilium, etc., laudaret Achillem ex iis, quæ conveniunt etiam aliis, puta Diomedi, ideoque non magis laudaret Achillem quam Diomedem. E converso qui laudaret Achillem ex eo, quod interfecerit Hectorem Trojanorum, fortissimum et Cycnum, qui, cum esset invulnerabilis, prohibebat Græcos, ne ex navibus in terram descenderent; ex eo quod admodum adolescens militaverit, licet juramento non teneretur contra Trojanos pugnare, sicut tenebantur reliqui principes Græcorum, etc., hic laudaret Achillem ex propriis. Et per hæc explicavimus primum ex iis, quæ numero primo proposuimus, hoc est, ex quibus facienda sint enthymemata.

6. Elementa vero enthymematum dicamus. Elementum autem voco et locum enthymematis idem. Ac primum dicamus, de quibus necesse est dicere primum. Sunt enim enthymematum duæ species; nam alia valent ad demonstrandum esse vel non esse, alia ad refutandum. Et differunt ut in dialecticis elenchus et syllogismus. Est autem ad demonstrandum valens enthymema, ex confessis colligere, ad refutandum vero, inconfessa colligere. Ac ferme quidem nobis de singulis formis utilibus et necessariis habentur loci; selectæ enim de unoquoque propositiones sunt. Quare ex quibus oportet ducere enthymemata locis, de bono aut malo, aut honesto aut turpi, aut justo aut injusto, et de moribus et affectibus et habitibus eodem modo, parati nobis sunt prius loci. Jam vero alio modo in universum de omnibus assumamus, et dicamus, adnotantes tum qui ad refutandum tum qui ad demonstrandum valeant; et eos qui sunt apparentium enthymematum, cum haud sint enthymemata, quoniam ne syllogismi quidem sunt. Cum autem demonstrata hæc fuerint, de solutionibus et objectionibus explicabimus, unde oporteat adversus enthymemata eas ducere.

6. Ut sequentibus capitibus tradamus elementa seu loca ac propositiones, ex quibus conficienda sunt enthymemata, debemus aliqua præmittere. *Primum* est, quod pro eodem sumimus loca et elementa enthymematum. *Secundum* est, quod duæ sunt enthymematum species. Prima species continet enthymemata ostensiva; secunda continet redargutiva, quæ differunt eo pacto, quo in dialecticis differunt syllogismus et elenchus. Enthymema ostensivum est, *per quod ex propositionibus concessis concludimus intentum;* redargutivum est, *per quod cogimus adversarium ad concedendum sibi invicem repugnantia. Tertium* est, quod elementa seu loca enthymematum sunt

in duplici genere, propria nimirum et communia. Et propria quidem loca satis fere tradidimus, partim libro primo, partim initio hujus libri secundi. Libro siquidem primo tradidimus primo loca pro genere deliberativo ad ostendendum aliquid esse bonum vel malum, utile vel inutile; secundo tradidimus loca pro genere demonstrativo ad ostendendum aliquid esse honestum vel turpe; tertio tradidimus loca pro genere judiciali ad ostendendum aliquid esse justum vel injustum; quarto libro secundo tradidimus loca ad disserendum de moribus, affectibus et habitibus bonis vel malis. Reliquum igitur est, ut tradamus loca communia omnibus tribus generibus dicendi. Primo ergo tradenda sunt loca ad conficienda enthymemata tum ostensiva tum redargutiva seu refutativa; secundo tradenda sunt loca ad conficienda enthymemata apparentia, quæ vere non sunt enthymemata, sicut syllogismi apparentes vere non sunt syllogismi; tertio demum agendum est de solutionibus enthymematum ac de instantiis, quibus possumus enthymemata contraria labefactare.

CAPUT XXIV

DE LOCIS VERORUM ENTHYMEMATUM.

1. [23] Est autem unus quidem locus ex iis qui valent ad demonstrandum, ex contrariis. Oportet enim videre, an contrario contrarium insit an non insit, refutantem quidem, an non insit, confirmantem vero, an insit, ut temperanter agere bonum esse; intemperanter enim agere perniciosum. Aut quemadmodum in Messeniaca; si enim bellum causa est præsentium malorum, cum pace oportet correctionem adhibere. Si enim non iis, qui male egerunt inviti, justum est irasci, neque si coactus aliquis benefecerit alicui, conveniens est illi deberi gratiam. At si est inter mortales falsum dicere appositum ad persuadendum, existimare oportet etiam contrarium, fide carentia vera multa accidere mortalibus.

2. Alius ex similibus casibus; similiter enim oportet inesse aut non inesse, ut justum non omne bonum esse; nam etiam quod juste; jam vero non eligendum juste mori.

1. *Primus locus* est ex contrariis; si enim uni contrariorum inest unum contrarium, alteri contrariorum inerit alterum contrarium. Hic locus est utilis tum ad probandum tum ad refellendum. Ex eo enim, quod uni contrariorum inest unum contrarium, possumus ostendere, quod alteri inest aliud contrarium, et ex eo, quod uni contrariorum non inest unum contrarium, possumus refellere dicentem, quod alteri contrariorum inest aliud contrarium. Quatuor hujus loci exempla affert Aristoteles. *Primum* est, quo ostendimus, quod temperanter vivere sit utile, ex eo, quod intemperanter vivere sit perniciosum. *Secundum* exemplum est, quo Alcidamas in Messeniaca, hoc est in oratione pro Messeniis, ex malis, quæ passi fuerant in bello, suasit pacem dicens : Si bellum malorum, quæ vos premunt, causa est, oportet paci studere, si ea mala vultis corrigere. *Tertium* est, quo poeta quidam tragicus quatuor senariis Græcis sic est argumentatus : si his, qui nolentes atque inviti male fecerunt, æquum non est irasci, neque etiam, si quis coactus bene fecerit, debemus gratiam habere. *Quartum* exemplum est : si apud mortales quædam sunt falsa, quibus fidem adhibemus, e converso etiam quædam accidunt vera, quæ videntur fide indigna.

2. *Secundus locus* est ex similibus casibus; quod enim verificatur aut non verificatur in uno similium casuum, verificatur vel non verificatur etiam in alio. Ex hoc loco possumus sic ostendere, quod non omne, quod est justum, est etiam bonum : si omne justum esset eligendum ac bonum, omne, quod juste fit, esset eligendum ac bonum; sed non omne, quod juste fit, est eligendum; neque enim est eligendum juste mori : ergo neque omne justum est eligendum; nam non est eligenda justa mors.

3. Alius ex iis, quæ inter se conferuntur. Si enim alteri inest, ut honeste et juste fecerit, alteri etiam, ut passus sit. Et si ut jusserit, etiam ut fecerit. Ut publicanus Diomedon de vectigalibus : « si enim non vobis turpe vendere, ne nobis quidem emere ». Et si ei qui passus est, ut honeste et juste passus sit, inest, etiam ei qui fecit. Et si ei qui fecit, etiam ei qui passus est. Licet vero in hoc captionem facere; si enim juste necatus est, juste passus est, verum fortasse non a te; quamobrem oportet considerare separatim, an qui passus est, dignus fuerit qui pateretur, et qui fecit, dignus fuerit qui faceret, deinde uti, in utram partem convenerit; nonnunquam enim differt hoc, et nihil prohibet, ut in Alcmæone Theodectis : « matrem tuam nemo odio habebat mortalium »? Affirmat vero respondens « sed distincte considerare oportet ». Quærente vero Alphesibœa « quomodo »? assumens dixit : « necari quidem decreverunt, verum me non in-

terficere ». Et ut de Demosthene judicium et iis qui interfecerunt Nicanorem ; quoniam enim juste judicati sunt necasse, juste visus est necatus. Et de eo qui Thebis necatus est, de quo mandatum est judicium num dignus esset, qui moreretur, quasi non injustum esset necasse, qui juste moreretur.

3. *Tertius* est ex relativis; si enim aliquis honeste ac juste aliquid fecit, alter honeste ac juste passus est. Plura hujus loci exempla affert Aristoteles. Primum est, quo Diomedon publicanus de suo ordine ad populum loquens, sic est argumentatus : Si vobis non est turpe vendere nobis vectigalia, nec nobis publicanis turpe est illa emere atque exigere. Secundum exemplum est, quo posset quis probare, quod aliquis honeste ac juste damnum alteri intulit, sic : si hic honeste ac juste damnum est passus, ille alter honeste ac juste damnum intulit. Possemus e converso sic ostendere, quod aliquis juste sit passus damnum, ex eo, quod alter juste intulerit. — Tertio possumus etiam ex hoc loco paralogizare. Potest enim contingere, ut quis juste sit passus vel interfectus, sed non juste sit passus aut interfectus ab hoc, ideoque cum volumus hoc paralogismo uti, debemus considerare seorsim, an aliquis juste sit passus vel juste fecerit, et sic inferre, quod nobis congruit. Cæterum potest contingere, ut quis juste sit occisus, et tamen qui interfecit, injuste interfecerit. Hoc pacto in Alcmæone Theodectis mater Alcmæonis digna fuit, quæ occideretur, quippe cum virum suum necasset, et tamen Alcmæon filius injuste illam interfecit ac matrem interficiendo in parricidii scelus incidit. Adhuc tamen aliquis paralogismo usus est ad Alcmæonem defendendum dicens : Quis non matrem tuam odio prosequebatur, eamque morte dignam judicabat? quasi ex eo, quod Alcmæonis mater digna esset morte, sequeretur, quod Alcmæon juste illam occidere potuerit; ideoque ipse Alcmæon respondens fassus est, matrem suam dignam morte fuisse, sed adhuc quærenti AlphesibϾ : « quo pacto ergo te judices condemnarunt? » respondit Alcmæon : « quia judices statuerunt, illam quidem dignam morte fuisse, at me non potuisse meam matrem interficere ». Ex hoc eodem loco in judicio Demosthenis et aliorum, qui Nicanorem interfecerant, ex eo, quod Nicanor visus est juste necatus, decretum est interfectores, eum juste interfecisse. Similiter cum quidam Thebis fuisset interfectus, quæsitum est in judicio, num ille juste fuisset interfectus, quasi eo ipso, quod ille juste fuisset interfectus, interfectores eum juste necassent.

4. Alius ex majori et minori, ut si neque dii omnia sciunt, multo minus homines. Hoc enim est, si, cui magis inesse deberet, non inest, profecto neque cui minus. Illud autem « propinquos verberat, qui etiam patrem » ex eo est, si, quod minus inest, etiam quod magis inest, in utram partem oportebit demonstrare, sive inesse sive non. Præterea si neque magis neque minus; unde dictum est : « et tuus quidem miserandus, cum filios amiserit, pater; Œneus autem non, cum Græciæ amiserit præstantissimum filium » ? Et quod, si non fecit Theseus injuste, ne Alexander quidem, et si non Tyndaridæ, neque Alexander. Et si Patroclum Hector, et Achillem Alexander Et si non alii artifices mali, neque philosophi Et si non imperatores mali, quod vincuntur sæpe, neque sophistæ. Et si oportet privatum vestræ gloriæ curam habere, et vos Græcorum.

4. *Quartus locus* est a majori et minori. Exemplum argumenti a majori ad minus est : si nec Dii omnia sciunt, multo minus homines omnia scient; ex eo enim, quod scientia omnium non insit Diis, quibus magis debet inesse, arguitur, quod nec inest hominibus, quibus minus decet inesse. Exemplum argumentationis a minori ad majus est : si patrem verberat, quem minus debuisset verberare, multo magis propinquos verberabit. Hic porro locus non solum valet ad probandum, sed etiam ad refellendum. Loco ex majori ac minori connectitur etiam locus a pari, quod neque est majus neque minus. Plura exempla argumentorum a pari ab Aristotele afferuntur. *Primum* desumitur ex quadam tragœdia, in qua cum mulier dixisset, parentem suum amisso filio esse omnium virorum miserrimum, quidam sic contra illam argumentatur : num tuus pater est miserandus, quia filium amisit, Œneus autem non erit æque miser, cum amiserit filium Meleagrum inter Græcos præstantissimum? *Secundum* exemplum est, quo quis ad defendendum Paridem sive Alexandrum sic est argumentatus : si Theseus Helenam rapiens non injuste se gessit, nec Alexander, qui eamdem rapuit. Rursus si non injuste se gesserunt Tyndaridæ, hoc est Castor et Pollux, qui Leucippi filias rapuerunt, nec Alexander injuste se gessit. *Tertium* exemplum est : si Hector Patroclum hostem sine culpa necavit, Paris etiam Achillem sine culpa

interemit. *Quartum* exemplum est : si neque alii artifices nihili homines habentur, neque philosophi nullius pretii homines debent censeri. *Quintum* exemplum est : duces exercituum belli administratores mali non censentur, etiamsi aliquando in bello vincantur, nec sophistæ debent censeri disputandi imperiti, etiamsi aliquando in disputationibus superentur. *Sextum* demum exemplum est : si decet singulos privatos suæ gloriæ servire, vos quoque gloriæ Græcorum studiosos esse oportet.

5. Alius in tempus intueri, ut Iphicrates in ea adversus Harmodium : « si priusquam facerem, postulassem, ut statua donarer si fecissem, concessissetis; cum fecerim vero, non concedetis? ne igitur beneficium exspectantes promittatis, beneficio autem accepto denegetis ». Et rursus, ut Thebani Philippo aditum darent in Atticam, quod, si priusquam opem ferret in Phocenses, postulasset, promisissent. Absurdum igitur est, si, quia neglexit et credidit, non permiserint.

6. Alius ex dictis secundum ipsos adversus eum, qui dixit. Eminet autem hic modus, ut in Teucro Usus est eo Iphicrates contra Aristophontem, cum quæreret, num proditurus esset naves ob pecunias, isque id negaret : «ergo tu qui Aristophon es, non proderes, ego vero prodidi, qui sum Iphicrates »? Oportet autem existimari injuriosiorem illum; alioqui ridiculum apparebit, si adversus Aristidem accusantem id aliquis diceret. Sed id convenit in exiguam fidem accusatoris; universe enim debet accusans melior esse reo. Hoc igitur convincendum est. In universum autem absurdus iste est, quando aliquis objurgat alios in iis, quæ ipsemet faciat aut faceret, vel suadet facere ea, quæ ipse non faciat aut non faceret

5. *Quintus locus* desumitur ex circumstantia temporis. *Primum* hujus loci exemplum est, quo usus est Iphicrates in oratione contra Harmodium : si priusquam facerem ea, quæ pro vobis feci, statuam postulassem, dummodo facerem, vos eam mihi concessissetis; cum vero jam fecerim, non concedetis? Quod igitur beneficium exspectantes promitteretis, beneficio accepto denegabitis? *Secundum* exemplum est : Auxilium miserat Philippus Thebanis contra Phocenses, deinde vero petiit ab ipsis, ut sinerent eum per agros suos cum exercitu adversus Athenienses iter facere. Potuisset igitur aliquis Thebanis persuadere, ut transitum Philippo permitterent, sic arguens ex circumstantia temporis : Vos Thebani, si Philippus antequam vobis auxilia mitteret, petiisset a vobis facultatem per vestros agros cum exercitu transeundi, id permisissetis; nunc autem quia collato vobis beneficio petiit, non permittetis?

6. *Sextus locus* desumitur ex moribus ac vita ejus, contra quem agimus. Hic locus est valde illustris, eoque usus est contra Aristophontem Iphicrates in Teucro, hoc est in quadam tragœdia vel oratione sic inscripta. Cum enim Iphicrates Aristophontem interrogasset, num ipse proditurus fuisset naves ob pecunias, Aristophon autem negasset se fuisse proditurum; Iphicrates sic contra illum arguit : Ergone tu, qui es Aristophon, non proderes, ego vero, qui sum Iphicrates, prodidi? Advertit autem Aristoteles, quod ad hoc, ut aliquis hoc loco recte utatur contra adversarium, necesse est, ut adversarius communiter existimetur deterior et injustior; alioquin ridiculus esset, si quis eo loco adversus Aristidem, qui existimabatur valde justus, uteretur. Tum igitur præcipue hoc loco possumus uti, cum qui nos accusat, suspectus est ejus criminis, de quo nos accusat, siquidem universim accusator debet esse melior reo. Partes igitur ejus, qui accusatur, erunt, ut ostendat, se esse innocentiorem accusatore; eo enim ipso stultus atque impudens videbitur accusator; siquidem stultus est, qui alium accusat de iis, quæ ipsemet facit aut faceret, vel suadet ea facienda, quæ ipse non facit vel non faceret.

7. Alius ex definitione, ut : dæmonium nihil est nisi aut deus aut dei opus; atqui quicumque existimat, dei opus esse, eum necesse est existimare etiam deos esse. Et ut Iphicrates generosissimum esse, qui optimus sit; etenim Harmodio et Aristogitoni nihil prius extitit generosi, quam generosi aliquid egissent; et propinquiorem se esse : « certe opera propinquiora sunt mea operibus Harmodii et Aristogitonis quam tua ». Et ut in Alexandro, omnes confessuros esse, intemperantes non uno corpore contentos esse ad delectationem. Et causa, quamobrem Socrates negavit ire ad Archelaum; contumeliam enim esse dixit, non posse referre eum, qui accepit beneficium, perinde ac eum, qui maleficium. Omnes enim hi definitionem adhibentes, et assumentes prius, quid sit, syllogismo concludunt ea de quibus dicunt.

8. Alius ex quotupliciter, ut in Topicis de eo recte.

9. Alius ex divisione, ut, si omnes trium rerum causa injuriam faciunt, nempe aut hujus causa aut hujus aut hujus, et propter duas facere non potuit, et propter tertiam ne ipsi quidem dicunt.

7. *Septimus locus* desumitur ex definitione. Primum exemplum est, quo Plato ostendit Socratem falso fuisse accusatum, quasi putaret non esse Deum. Socrates enim dicebat se in omnibus sequi dæmonium, adeoque arbitrabatur dæmonium esse; sed dæmon nihil est aliud, quam aut Deus aut opus Dei, quorum neutrum verificari potest, nisi Deus sit; ergo Socrates arbitrabatur Deum esse. — Secundum exemplum est Iphicratis, qui contra Harmodium quemdam ex nobilissima familia ortum, qui Iphicrati exprobrarat ignobilitatem generis, ex definitione nobilitatis seu generositatis sic est argumentatus : « Ille est vere nobilis ac generosus, qui est optimus ac præclara gessit; siquidem ipse Harmodius senior et Aristogitones, quibus tanquam principibus sui generis gloriabatur Harmodius junior, tum primum nobiles ac clari evaserunt, cum præclara egerunt ac sustulerunt tyrannum; sed ego in præclaris rebus gerendis sum similior Harmodio seniori quam Harmodius junior, qui nihil unquam præclari gessit; ergo ego sum nobilior Harmodio juniore. » — Tertium exemplum est, quo quis Alexandrum sive Paridem defendit a crimine intemperantiæ, ex definitione intemperantis sic arguens : ex communi confessione intemperantes non unius mulieris corpore contenti sunt ad delectationem; sed Paris una Helena fuit contentus; ergo Paris non fuit intemperans. — Quartum exemplum est, quo Socrates excusavit se, quod ad Archelaum regem, a quo fuerat vocatus, ire noluisset, dicens se ire noluisse, ne quoddam genus dedecoris cogeretur perferre. Sicut enim dedecus est, cum quis accepto maleficio non potest referre per maleficium, sic est quoddam genus dedecoris, cum quis accepto beneficio non potest referre beneficium æquale; sed ego si ad Archelaum ivissem, tot ab eo beneficia accepissem, ut æquale beneficium referre non possem : ergo cogerer quoddam genus dedecoris ac contumeliæ subire.

8. *Octavus locus* desumitur ex declaratione, qua explicatur, quotupliciter aliquod nomen dicatur, eo pacto, quo in Topicis ducitur argumentum ex eo, quod recte se habere multipliciter dicitur.

9. *Nonus locus* desumitur ex divisione. Exemplum est : omnes trium rerum causa injuriam faciunt, hoc est, gratia vel hujus vel hujus vel hujus; sed hic duorum priorum gratia injuriam non fecit, ut probatum est, ipsi vero adversarii fatentur eum non fecisse injuriam gratia tertii; ergo etc.

10. Alius ex inductione, ut ex Peparethia, quod de filiis mulieres ubique discernunt verum ; hoc enim Athenis Mantiæ oratori controversanti de filio mater indicavit; hoc item Thebis Ismenia et Stilbone controversantibus Dodonis demonstravit Ismeniæ filium, et ob id Thessaliscum Ismeniæ existimarunt. Et rursus ex lege Theodectis, quod iis, qui male curarunt alienos equos, non committunt suos, neque iis, qui everterunt alienas naves. Igitur si similiter in omnibus, neque iis qui male custodiverunt alienam, utendum est ad propriam salutem. Et ut Alcidamas, quod omnes sapientes honorant. Parii igitur Archilochum quamvis maledicum honorarunt, et Chii Homerum, qui non erat civis. Et Mitylenæi Sapphonem, quamvis esset mulier. Et Lacedæmonii Chilonem in senatorum numerum receperunt, cum essent minime studiosi eruditionis. Et Itali Pythagoram. Et Lampsaceni Anaxagoram, qui peregrinus erat, sepeliverunt et honorant etiam nunc. Et Athenienses Solonis usi legibus felices fuerunt, et Lacedæmonii legibus Lycurgi. Et Thebis simul atque præsides philosophi electi sunt, etiam felix fuit civitas.

10. *Decimus locus* est ex inductione. Primum hujus loci exemplum desumi potest ex oratione quadam, quæ inscribitur Peparethia, in qua probatur inductione, quod cum quæritur, cujus viri aliquis filius fuerit, credendum est matri; Athenis enim cum orta esset lis de patre Mantiæ oratoris, creditum est matri. Thebis cum Ismenia ac Stilbo disceptarent, uter eorum esset pater Thessalisci, Dodonis mater sententiam tulit pro Ismenia, ac proinde Thessaliscus deinde existimatus est filius Ismeniæ. — Secundum exemplum desumitur ex lege Theodectis, ubi inductione probatur, non esse committendam salutem suam iis, qui salutem alienam sibi commissam male curarunt : nemo committit equos suos iis, qui male curarunt alienos equos; nemo committit suas naves iis, qui alienas naves everterunt : ergo neque debemus committere nostram salutem iis, qui male curarunt salutem alienam. — Tertium exemplum est, quo Alcidamas inductione sic probavit, quod omnes honorant sapientes : Parii Archilochum honore affecerunt ob sapientiam, quamvis esset maledicus; Chii honorarunt Homerum, quamvis non esset civis; Mitylenæi honorarunt Sapphonem, quamvis esset mulier; Lacedæmonii, quamvis litteris non delectarentur, adhuc Chilonem in senatorum numerum coo-

ptarunt; Itali Pythagoram magnis honoribus donaverunt; Lampsaceni Anaxagoram peregrinum sepulchro decorarunt ac etiam nunc honorant; Athenienses ac Lacedæmonii Solonis ac Lycurgi legibus usi felices fuerunt; Thebis statim, atque præsides philosophi sunt electi, felix civitas fuit; ergo etc.

11. Alius ex judicio de eodem aut simili aut contrario, maxime quidem si omnes et semper; sin minus, at saltem plurimi, aut sapientes vel omnes vel plurimi, aut boni, aut si ipsi judicantes, aut quos approbant; aut contra quos non potest esse judicium, ut dominos; aut contra quos non est bonestum judicare, ut deos aut patrem aut præceptorem; ut in Mixidemidem dixit Autocles « si severis deabus honestum fuit in Aréopago dicere causam, Mixidemidi cur non erit » ? aut quemadmodum Sappho « mori malum esse; dei enim sic judicarunt; alioqui mortui essent ». Aut quemadmodum Aristippus adversus Platonem asseverantius quiddam proferentem, ut putabat : « atqui sodalis noster » inquit « nihil ejusmodi, » significans Socratem. Et Hegesippus Delphis interrogabat deum, cum accepisset prius oraculum Olympiæ, num ipsi eadem viderentur quæ patri, quasi turpe esset contraria dicere. Et Helenam ut Isocrates scripsit virtute præestantem fuisse, siquidem Theseus judicavit. Et Alexandrum, quem deæ anteposuerunt. Et Evagoram virtute præstantem fuisse, ut Isocrates ait, quia Conon, cum adversa fortuna uteretur, omnes alios omittens, ad Evagoram venit.

12. Alius ex partibus, ut in Topicis : qualis motio animus? Aut enim hæc aut illa. Exemplum ex Socrate Theodectis : « quale templum violavit? Quos deos non coluit ex iis, quos civitas existimat » ?

11. *Undecimus locus* desumitur ex eo, quod ita præteritis temporibus statuerunt de eadem re vel de simili aut contraria vel omnes vel plerique, vel sapientes omnes aut plerique, vel probi viri, vel ii ipsi, qui nunc judicant, vel ii, quorum judicia ipsi recipiunt ac probant, vel ii, quibus nefas est judicibus contrarium judicare; vel ii, quorum sub potestate constituti sunt judices, vel ii, quibus indecorum est contraria sentire, quales sunt parentes, Dii ac magistri. Plura hujus loci exempla Aristoteles affert. Primum exemplum est Autoclis, qui contra Mixidemidem in Areopago causam dicere recusantem sic arguit : « Eumenides deæ sibi honestum putarunt, causam suam in Areopago tractari; Mixidemides vero id indecorum judicabit? » — Secundum exemplum est, quo Sappho ostendit, mori malum esse ex eo, quod Dii sic judicarunt; alioquin mori voluissent. — Tertium exemplum est Aristippi, qui contra Platonem asseverantius quiddam proferentem dixit : « Atqui sodalis noster Socrates nihil hujusmodi ». Quartum exemplum est Hegesippi, qui cum prius accepisset oraculum Jovis Olympici, interrogans Apollinem Delphicum quæsivit, num eadem viderentur filio, quæ visa fuerant patri, quasi turpe esset, ut filius dissentiret a patre. — Quintum exemplum est Isocratis, qui probavit, Helenam virtute præstantem fuisse ex eo, quod Theseus illam virtute præstantem judicarit; Paridem vero sive Alexandrum fuisse bonum judicem formæ ex eo, quod tres deæ de pulchritudine certantes ab illo judicari voluerunt, et Evagoram virtute præstantem fuisse ex eo, quod Conon adversa fortuna usus omnes alios prætermittens ad Evagoram confugerit.

12. *Duodecimus locus* est a partium enumeratione. Hoc loco in Topicis lib. II. cap. II, n. 19. usi sumus ad refellendam opinionem dicentem, animum esse motum; si enim animus esset motus, vel esset alteratio vel latio vel augmentatio vel generatio; nullum ex his est : ergo animus non est motus. Eodem loco usus est Theodectes in oratione, quam habuit pro Socrate, ad refellendum crimen, de quo accusabatur, quod Deos esse non crederet: « Quod enim templum Socrates violavit? quos Deos non coluit ex iis, quos civitas veneratur? »

13. Alius, quoniam in plurimis accidit, ut ea sequatur aliquid boni et mali, ex consequenti suadere aut dissuadere, et accusare aut defendere, et laudare aut vituperare, ut : eruditionem invidia consequitur, quæ malum est, et sapientia, quæ bonum; non igitur oportet erudiri; invidia enim non est colligenda; oportet igitur erudiri; sapientia enim est appetenda. Iste locus est Callippi ars, quæ assumpsit et id quod fieri potest et alia, ut dictum est.

14. Alius, quando de duobus etiam oppositis suadere aut dissuadere oporteat, etiam eo, qui prius dictus est, loco in ambobus uti. Differt autem, quia illic quidem quævis opponuntur, hic vero contraria. Ut sacerdos quædam non sinebat filium cum populo agere : « si enim » inquit « justa dicas, homines te odio habebunt, si vero injusta, dei ». Immo oportet cum populo agere; si enim injusta dicas, homines te amabunt, si vero justa, dei. Hoc autem est idem cum eo quod dicitur, oleum emere et salem. Et inversio hæc est, quando duorum contrariorum utrique bonum et malum consequens sit, contraria utraque utrisque.

13. *Decimus tertius locus* est ex consequentibus bonis aut malis. Quia enim accidit, ut ex qualibet re sequatur aliquid boni et aliquid mali, bonis consequentibus possumus uti ad suadendum, laudandum ac defendendum; malis vero consequentibus possumus uti ad dissuadendum, vituperandum et accusandum; ex. gr., quia ad studia litterarum sequitur tum invidia tum sapientia, possumus studium litterarum vituperare, quia ex eo sequitur invidia, ac possumus idem laudare, quia ex eo sequitur sapientia; ex eo, quod sequatur invidia, possumus a studio litterarum dehortari; ex eo, quod sequatur sapientia, possumus ad idem hortari. Hic locus est ita amplus, ut ex eo totam suam artem rhetoricam deduxerit Callippus, addens solum aliqua spectantia ad possibile vel impossibile, et quædam alia, de quibus dictum est supra.

14. *Decimus quartus locus* etiam ex consequentibus est; cum ex utroque contrariorum sequuntur contraria, possumus iis uti ad suadendum vel dissuadendum utrumlibet contrariorum. Hic locus differt a superiori in hoc, quod per illum utimur oppositis quomodocumque, per hunc utimur contrariis. Exemplum est : quidam sacerdos dissuadebat filium ab arte oratoria ad populum exercenda, et utebatur argumento ducto ex malis, quæ ex ea arte sequuntur: « Vel enim suadebis justa vel injusta; si justa, homines te odio habebunt; si injusta, Dii ». Retorsit argumentum filius ac dixit : « Immo si suasero justa, Dii me amabunt; si injusta, homines; ergo oratio est exercenda ». Addit Aristoteles hoc esse idem cum eo, quod dicitur communiter, cum quæritur, utrum sit emendum oleum et sal. Quid hoc sit, Aristoteles non explicat. Videtur vero esse hujusmodi : « Si emeris oleum et sal ad exercendam mercaturam, vel illa communicabis amicis, propinquis ac vicinis, vel non; si communicabis, amittes lucrum; si non communicabis, amittes amicos : ergo oleum et sal non sunt emenda ». Retorquetur argumentum : « Si enim communicabo, acquiram amicos; si non communicabo, acquiram pecunias; ergo sunt emenda ». Potest vero argumentum hoc pacto inverti ac retorqueri, cum ex utroque contrariorum sequuntur bona et mala contraria, eo pacto, quo ex oratoria, sive juste sive injuste exerceatur, sequitur amor et odium, ita tamen, ut si exerceatur juste, sequatur amor Deorum et odium hominum; si injuste, sequatur amor hominum et odium Deorum.

15. Alius, quoniam non eadem laudant aperte et occulte, sed aperte quidem justa et honesta laudant maxime, privatim vero utilia magis optant, ex his conari colligere alterum; nam in iis, quæ sunt præter opinionem, hic locus potentissimus est.

16. Alius ex eo quod contingit ex proportione, ut Iphicrates filium ipsius, qui junior erat ætate, quia magnus esset, munus publicum obire cogentibus dixit: « si magnos pueros pro viris habent, parvos viros inter pueros esse decernent ». Et Theodectes in lege : « cives quidem facitis stipendiarios, ut Strabacem et Charidemum, propter probitatem ; in exilium vero non pelletis ex stipendiariis, qui nefarie se gesserunt »?

17. Alius, quod contingit, si sit idem, etiam ea, ex quibus contingit, eadem esse ; ut Xenophanes dicebat, similiter esse impios, qui nasci affirmant deos et qui mori dicunt; utroque enim modo contingit, ut non sint aliquando dii. Et omnino quod contingit ex utroque, assumere tanquam idem semper : « Debetis autem judicare non de Socrate, sed professione, an oporteat philosophari ». Et dare terram et aquam servire est. Et participes esse communis pacis, facere quod imperatum est. Assumendum autem, utrum sit utile.

15. *Decimus quintus locus* est ex iis, quæ homines laudant in aperto vel in occulto. Explicatur : homines in aperto laudant ac præferunt honesta, in occulto laudant ac præferunt utilia; sive ergo quis præferat utilia seu honesta, possumus ostendere, quod repugnet opinionibus hominum. Nam si præfert honesta, repugnat opinionibus occultis; si utilia, repugnat opinionibus manifestis. Hic igitur locus est valde opportunus ad ostendendum, opinionem adversarii esse paradoxicam.

16. *Decimus sextus locus* desumitur ex proportione. Hoc loco usus est Iphicrates. Cum enim Athenienses filium Iphicratis juniorem, qui propter ætatem a publicis muneribus erat immunis, cogere vellent ad publica munera subeunda, eo quod grandis esset corpore, contra illos Iphicrates argumentum duxit ex debita proportione dicens : « Si pueros grandes corpore censetis viros, ideoque cogitis ad publica munera subeunda; viros parvos corpore debetis reputare pueros, ac proinde debetis illos a publicis muneribus obeundis liberare ». Hoc eodem loco usus est Theodectes in lege dicens : « Si stipendiarios milites, ut Strabacem et

Charidemum propter morum probitatem civitate donatis, eosdem stipendiarios, qui nefarie se gerunt, debetis extorres e civitate ejicere ».

17. *Decimus septimus locus* est, cum ex eo, quod ex duobus eadem sequuntur, ostendimus, illa pro eodem esse reputanda. Hoc loco usus est Xenophanes ad ostendendum, eamdem esse impietatem eorum, qui dicebant, Deos nasci, ac qui dicebant, Deos mori. Impietas enim dicentium Deos mori consistit in hoc, quod sequitur, Deos aliquando non extituros; sed etiam ex eo, quod Dii nascantur, sequitur, illos aliquando non extitisse : ergo eadem est impietas amborum. Eodem loco usus est quidam in defensione Socratis. Dixit enim, quod idem erat damnare Socratem ac damnare Philosophiam. « Sicut enim si damnaretis Philosophiam, absterreretis omnes a navanda deinceps opera Philosophiæ, sic hoc idem sequetur, si damnaveritis Socratem. » — Tertium exemplum est : Persarum reges cum volebant aliquam urbem sibi tradi, petebant terram et aquam. Quia ergo eadem incommoda sequebantur, seu tales civitates traderent Persis terram et aquam, seu traderent se ipsos in servitutem, poterat dici, quod idem erat tradere Persis terram et aquam ac se tradere in servitutem Persarum. — Quartum exemplum est : quia aliquæ civitates potentiores Græciæ, quando inibant fœdus cum civitatibus minoribus, cogebant illas imperata facere, quidam orator dissuadens tale fœdus, dixit, quod idem erat fœdus inire ac velle potentioribus civitatibus parere. Cum igitur ex duobus idem sequitur, possumus hoc argumento uti ad ostendendum id, quod nobis conducit.

18. Alius ex eo, quod non idem ipsi semper eligunt, posterius vel prius, sed e converso, ut hoc enthymema : « an vero in exilium euntes pugnabamus, ut rediremus, postea vero quam rediimus, fugiemus, ut non pugnemus »? Aliquando enim manere pugnando elegerunt, aliquando non pugnare non manendo.

19. Alius, cujus rei causa fieri potuit, quamvis non factum sit, ejus causa affirmare. esse vel factum esse, ut si daret aliquis alicui, ut auferens molestus esset. Unde et illud dictum est : « multis fortuna non ex benevolentia conferens magnas dat prosperitates, ut calamitates accipiant insigniores ». Et illud ex Meleagro, « non ut occidant feram, sed ut testes virtutis fiant Meleagro in Græcia ». Et illud ex Ajace Theodectis, quod Diomedes prælegerat Ulyssem non honoris causa, sed ut inferior esset, qui comitaretur; fieri enim potest, ut hujus rei causa fecerit.

20. Alius communis et controversantibus et consulentibus, considerare suadentia et dissuadentia, et quorum causa tum agant tum fugiant; hæc enim sunt, quæ si adsint, oportet agere, ut si fieri potest et facile est et utile aut ipsi aut amicis, aut perniciosum inimicis, et noxium, aut minor noxa quam res. Et vero suadent ex his, et dissuadent ex contrariis. Ex iisdem autem his et accusant et defendunt; ex dissuadentibus quidem defendunt, at ex suadentibus accusant. Est autem locus iste tota ars tum Pamphili tum Callippi.

18. *Decimus octavus locus* desumitur ex eo, quod iidem homines non eadem elegerint ante et post. Hoc loco usus est Lysias dicens : Mirum esset, Athenienses, quod nos, qui cum exules essemus, pugnavimus, ut in urbem rediremus, nunc a civitate fugeremus, ne pugnaremus ». Desumpsit ergo argumentum Lysias ex eo, quod Athenienses aliquando elegissent pugnare, ut in urbem redirent, deinde vero vellent urbem relinquere, ne pugnarent.

19. *Decimus nonus locus* est, cum affirmamus aliquid factum esse propter aliquam causam, propter quam fieri potuisset, licet vere non sit factum propter talem causam. Plura hujus loci exempla Aristoteles affert. *Primum* est, si quis det aliquid alteri, possemus interpretari, quod det, non ut gratificetur, sed ut deinde auferens majorem dolorem inurat. Unde in quadam tragœdia dicitur, quod fortuna multis maxima commoda largitur, non ex benevolentia, sed ut miseriæ, in quas illos trudere cogitat, insigniores sint. — *Secundum* exemplum est alterius poetæ, qui ut Meleagrum laudaret, dixit, concursum ex tota Græcia factum fuisse, non ut aprum occiderent, sed ut testes essent virtutis Meleagri. — *Tertium* exemplum est Theodectis, qui in fabula, quæ inscribitur *Ajax*, ut Ulyssem vituperaret, dixit, illum a Diomede electum fuisse in socium non honoris causa, sed ut haberet socium inferiorem se.

20. *Vigesimus locus*, qui utilis est tum in judiciis tum in deliberationibus, desumitur ex iis, propter quæ homines solent agere vel non agere. Quæ movent homines ad agendum, sunt, quod res sit possibilis ac facilis et utilis aut ipsis aut amicis, vel saltem quod majus afferat emolumentum quam damnum, et quod sit perniciosa ac noxia inimicis. Quia ergo

homines propter hæc solent agere, ideo ex his possumus suadere ad agendum, et quia propter contraria solent non agere, ideo ex contrariis possumus ab agendo dissuadere; ex. gr., possumus dissuadere ab aliqua re aggredienda ex eo, quod illa res sit difficilis vel impossibilis, etc. Ex iisdem, ex quibus suademus, possumus accusando, ostendere delictum aliquod fuisse patratum, probando fuisse facile atque utile illud patrare; ex iis, ex quibus dissuademus, possumus defendendo ostendere delictum non fuisse commissum, probando difficillimum ac perniciosum fuisse illud committere. In hoc autem loco pæne totam suam artem rhetoricam fundarunt Pamphilus atque Callippus.

21. Alius ex iis quæ videntur quidem fieri, sed incredibilia sunt, quod non visa essent, si non essent aut prope essent. Et quod amplius : aut enim quæ sunt, aut verisimilia, existimant. Si igitur incredibile et non verisimile, verum erit ; non enim, quia verisimile et appositum ad fidem, videtur ita. Ut Androcles dixit Pittheus, accusans legem, cum obstreperent ipsi dicenti : « indigent leges lege corrigente », « quippe pisces sale ; atqui nec verisimile nec appositum ad fidem est, qui in salo aluntur, eos egere sale. Et olivæ oleo ; atqui incredibile est, ex quibus oleum fit, ea indigere oleo ».

22. Alius, qui valet ad refutandum, repugnantia perspicere, separatim quidem in controversante, si quid repugnantium sit ex omnibus temporibus et actionibus et sermonibus, ut « et ait quidem se amare vos, conjuravit autem cum triginta ». Separatim vero in se ipso : « et ait esse me litigiosum, nec potest demonstrare me intentasse ullum judicium ». Separatim vero in se ipso et controversante : « et hic quidem dedit mutuo unquam nihil, ego vero etiam multos liberavi vestrum ».

21. *Vigesimus primus locus* desumitur ex ipsa incredibilitate rei, de qua agitur. Cum enim aliquid ex una parte videtur factum, ex alia parte videtur incredibile, ex hoc ipso, quod videtur incredibile, potest concludi, quod vere sit factum, sic arguendo : Quidquid videtur factum, aut ideo videtur factum, quia secundum se est credibile ac verisimile, aut ideo, quia vere est factum; sed hoc videtur factum, et non ideo, quia secundum se sit verisimile, cum potius sit valde inverisimile : ergo ideo videtur factum, quia vere est factum. Hoc loco usus est Androcles Pittheus. Cum enim ageret contra quamdam legem, ac populus illi obstreperet nolens eum audire, dixit : indigent leges lege corrigente, licet videatur incredibile, ut leges positæ ad cætera corrigenda debeant corrigi; nam et pisces indigent sale, licet videatur incredibile, ut qui vivunt in salso, debeant sale condiri, et olivæ indigent oleo, licet videatur incredibile, ut ex quibus oleum fit, debeant condiri oleo.

22. *Vigesimus secundus locus*, qui est utilis solum ad refellendum, desumitur ex eo, quod adversarius dixerit repugnantia. *Primo* igitur potest refelli adversarius ex eo, quod diversis temporibus repugnet sibi ipsi verbis vel factis. Hoc loco usus est Athenis quidam ad refellendum adversarium, qui dixerat se esse amatorem patriæ et libertatis, sic arguens : « Hic jactat se esse amatorem patriæ et libertatis, et tamen superioribus temporibus contra patriam et libertatem una cum triginta tyrannis conspiravit ». — *Secundo* potest refelli accusator ex eo, quod impegerit reo crimen repugnans factis ipsius; ex. gr., adversarius dixit me esse litigiosum, et tamen non potest ostendere me ulli unquam litem aut judicium intentasse. — *Tertio* potest refelli ex eo, quod dixerit repugnantia tum ipsi adversario tum reo; ex. gr. : « Hic, qui me avaritiæ insimulavit, seque liberalem videri voluit, neminem unquam pecunia adjuvit, cum ego multos vestrum a captivitate redemerim ».

23. Alius, in calumniam vocatis et hominibus et rebus, quæ non existimentur, dicere causam paradoxi. Est enim aliquid, ob quod appareat; ut cum affecta esset calumnia quædam, quia suum ipsius filium complecteretur, videbatur concumbere cum adolescente ; dicta vero causa soluta est calumnia. Et ut in Ajace Theodectis Ulysses dicit adversus Ajacem, quamobrem, cum fortior sit Ajace, non videatur.

24. Alius, a causa, si adsit, rem esse, si non adsit, non esse ; simul enim sunt causa et cujus causa, et sine causa nihil est. Ut Leodamas se defendens dicebat accusante Thrasybulo, quod esset notatus infamia in arce, verum abrasisset sub triginta viris : « non contingit » inquit, « magis enim credidissent mihi ipsi triginta, inscripta inimicitia cum populo ».

23. *Vigesimus tertius locus*, qui utilis est ad depellendam suspicionem aliquam ab hominibus ac rebus, desumitur ex causa, propter quam aliquid videtur, licet non sit. Duo hujus loci exempla affert Aristoteles. *Primum* est : mulier quædam venerat in suspicionem, quasi impudice ageret cum quodam adolescente, quia solebat illum osculari. Dissoluta est suspi-

cio afferendo causam, propter quam illum oscularetur, ac dicendo, quod cum esset mater adolescentis, osculabatur eum non affectu venereo, sed amore materno. — *Secundum* exemplum est : Ulysses in tragœdia Theodectis, quæ inscribitur Ajax, cum dixisset, se esse fortiorem Ajace, quod videbatur paradoxicum, afferens causam, cur Ajax videretur fortior, ac dicens, quod videbatur fortior propter audaciam ac temeritatem, quæ est contraria veræ fortitudini, paradoxum solvit.

24. *Vigesimus quartus locus* desumitur a causa. Cum enim causa posita ponatur effectus, causa non posita non ponatur effectus, ex eo, quod posita fuerit causa, possumus ostendere effectum positum fuisse; ex eo, quod causa posita non fuerit, possumus ostendere effectum non fuisse positum. Hoc loco usus est Leodamas defendens se a Thrasybulo. Cum enim Thrasybulus dixisset, illum a populo fuisse notatum infamia in quadam columna, quæ erat in arce, sed sub dominatu triginta tyrannorum, apud quos gratia valebat, impetrasse, ut illa infamis inscriptio eraderetur e columna; respondit Leodamas : « Immo ego nunquam eo tempore curassem, ut illa inscriptio eraderetur, siquidem majorem apud triginta tyrannos fidem et gratiam obtinuissem, dum maneret illa inscriptio meæ cum populo inimicitiæ ». Leodamas igitur ex eo, quod nulla fuerit causa delendi illam inscriptionem, ostendit illam abrasam non fuisse, adeoque falsum esse, quod de tali inscriptione Thrasybulus objecerat.

25. *Vigesimus quintus locus* desumitur ex eo, quod melius et utilius fuerit id, de quo quis accusatur, non facere vel alio modo facere. Tum enim possumus arguere, quod non fecerit, siquidem nemo sponte facit vel eligit mala et deteriora. Addit Aristoteles, hunc locum esse captiosum, siquidem aliquando, postquam aliquid est factum, advertitur melius fuisse illud non facere vel aliter facere; antequam vero fieret, id non apparebat.

26. *Vigesimus sextus locus* est ex eo, quod id, de quo faciendo deliberatur, sit contrarium iis, quæ ante sunt facta. Hoc loco usus est Xenophanes. Cum enim Eleates interrogassent, an deberent sacrificare Matutæ seu Leucotheæ eamque lugere, respondit Xenophanes, quod si existimarent, illam esse deam, ne lugerent, si hominem, ne sacrificarent; contraria siquidem sunt, ei sacrificare, quam lugeas.

27. *Vigesimus septimus locus* est, cum sumitur argumentum ad aliquem accusandum aut defendendum ex eo, in quo peccavit. Exemplum Aristoteles affert satis obscurum ex Medea tragœdia a Carcino conscripta. Medea novis nuptiis Jasonis offensa communes filios alio amandaverat et in hoc peccaverat contra Jasonem. Quia filii Medeæ non apparebant, quidam accusabant Medeam, quasi illos interfecisset. Defendit se Medea ex eo, quod si, ut de Jasone ulcisceretur, non ipsum Jasonem, sed filios communes interfecisset, procul dubio peccasset et imprudenter egisset, et sic ex imprudentia, in quam incidisset occidendo filios, se defendit. Addit Aristoteles, quod Theodorus totam suam primam artem rhetoricam in hoc loco et in hac specie enthymematis fundavit.

25. Alius, num licuit melius aut licet, quam ea, quæ aut deliberat aut agit aut egit, considerare. Apparet enim, si non ita se habet, non egisse ; nemo enim sponte mala et sciens præeligit. Est autem hoc captiosum ; sæpe enim hoc fit posterius manifestum, quemadmodum agere esset melius, prius vero incertum.

26. Alius, quando aliquid contrarium agendum sit iis, quæ acta sunt, simul considerare ; ut Xenophanes Eleatis interrogantibus, num sacrificarent Leucotheæ et lugerent necne, consuluit, si existimarent deam, ne lugerent, si hominem, ne sacrificarent.

27. Alius locus ex iis, in quibus peccatum est, accusare aut defendere, ut in Carcini Medea. Ili quidem accusant, quod filios occiderit ; neque enim apparere eos ; nam peccavit Medea in missione filiorum. Illa vero se defendit, quod non filios, sed Iasonem interfecisset ; hoc enim si non fecisset, peccasset, cum et alterum fecisset. Est autem locus iste et enthymematis species tota prior Theodori ars.

28. Alius a nomine, ut Sophocles : « aperte Sidero et gerens nomen ». Et ut in deorum laudibus solent dicere. Et ut Conon Thrasybulum Thrasybulum nominabat, et Herodicus Thrasymachum « semper Thrasymachus es », et Polum « semper tu Polus es ». Et Draconem legumlatorem, quod non hominis leges essent sed draconis ; asperæ enim. Ut in Euripidis Hecuba in Aphroditen « ac nomen recte dementiæ initium deæ ». Et ut Chæremon « Pentheus futuræ calamitatis nomen fert ».

29. Probantur autem magis ex enthymematibus ea, quæ valent ad refutandum quam quæ ad demonstrandum, quia collectio quidem contrariorum est in angusto, quod valet ad refutandum, enthymema ; quæ vero juxta se posita sunt, apparent auditori magis.

30. Ex omnibus autem, tum qui ad refutandum tum qui ad demonstrandum valent syllogismis, perturbant maxime, quæcumque sunt talia, ut incipientes provideant, non quia in promptu sint (simul enim et ipsi sibi ipsis gaudent præsentientes), et quæ eatenus subsequuntur, ut simul ac dicta fuerint, ipsi cognoscant.

28. *Vigesimus octavus locus* desumitur ex nomine. Plura hujus loci exempla Aristoteles affert. *Primum* est Sophoclis, qui de quadam sævissima muliere, quæ Σιδηρώ vocabatur, dixit apertum fuisse, quod propter sævitiem nomen duxerat a ferro. *Secundum* exemplum est eorum, qui Deos laudant a significatione nominis. *Tertium* exemplum est Cononis, qui Thrasybulum a significatione nominis solebat incessere, dicendo illum audacem ac temerarium in capiendis consiliis fuisse. *Quartum* est Herodici, qui Thrasymachum vere Thrasymachum apellabat, quod audax esset et litium ac concertationum amator. *Quintum* exemplum est ejusdem Herodici, qui Polum sophistam semper Polum esse dicebat, eo quod πῶλος græce idem significat ac pullus equinus. *Sextum* exemplum est ejusdem, qui de legibus Draconis dixit, quod cum sævissimæ essent, vere erant leges non hominis, sed draconis. *Septimum* exemplum est Hecubæ apud Euripidem, quæ cum Helena se excusaret dicens, quod quidquid peccaverat, a Venere incitata peccaverat, respondet, quod merito Venus græce dicitur Ἀφροδίτη, quod nomen videtur derivari a dementia, quæ vocatur ἀφροσύνη, siquidem homines quæcumque stulte agunt, Veneris nomine defendunt. *Octavum* exemplum est Chæremonis, qui dixit, quod Pentheus bene vocatus fuit a πένθος, quod significat luctum, siquidem in multas calamitates erat prolapsurus.

29. Traditis locis enthymematum, comparat Aristoteles ad invicem aliquas enthymematum species. *Primo* ergo docet, quod enthymemata redargutiva videntur habere majorem vim, quam ostensiva. Ratio est, quia opposita juxta se posita magis elucescunt; sed enthymema redargutivum, cum breviter concludat oppositum ejus, quod adversarius statuerat, opposita juxta se invicem constituit : ergo etc.

30. *Secundo* docet, quod ex enthymematibus tum ostensivis tum redargutivis illa maxime auditorem movent, quæ cum tota non sint prolata, intelliguntur, non quod facile occurrant, sed quia cum difficile occurrant, statim ac incipiunt proferri, se manifestant. Ratio est, quia auditores gaudent, quod ab initio præviderint, quæ subsequuntur.

CAPUT XXV

DE LOCIS ENTHYMEMATUM APPARENTIUM SEU SOPHISTICORUM.

1. [24] Quoniam autem contingit, hunc quidem esse syllogismum, illum vero non esse, sed apparere, necesse est etiam, enthymema hoc quidem esse enthymema, illud vero non esse, sed apparere, siquidem enthymema syllogismus quidam est.

2. Loci autem sunt apparentium enthymematum unus quidem in dictione. Atque hujus una pars est, ut in dialecticis, cum quis nihil syllogismo concluserit, in modum conclusionis extremum dicere : non igitur est hoc et hoc ; necesse igitur est hoc et hoc. Nam et in enthymematibus contorte et opposite dicere apparet enthymema; talis enim dictio campus est enthymematis, et videtur tale esse a figura dictionis. Est autem ad dicendum syllogistica dictione utile, syllogismorum multorum capita dicere : « hos quidem servavit, alios vero ultus est, Græcos autem in libertatem vindicavit » ; unumquodque enim horum ex aliis demonstratum est, atque ex conjunctis apparet, aliquid his confici.

1. Ex dictis in Dialectica dantur aliquæ argumentationes, quæ vere sunt syllogismi, ac præterea dantur argumentationes, quæ licet vere non sint syllogismi, videntur syllogismi ; sed enthymema rhetoricum est syllogismus quidam ; ergo dantur aliquæ argumentationes rhetoricæ, quæ vere sunt enthymemata, ac præterea dantur argumentationes, quæ licet vere non sint enthymemata, adhuc videntur enthymemata. Sicut igitur in dialecticis non solum assignavimus loca verorum, sed etiam apparentium syllogismorum, sic in præsentia assignatis locis verorum enthymematum, debemus assignare loca enthymematum apparentium.

2. Loca apparentium enthymematum alia fundantur in dictione, alia extra dictionem. Ex locis fundatis in dictione *primus* est, cum ut in dialecticis diximus, licet quis nihil concluserit, adhuc tamen aliquid ad extremum profert, ac si illud concluserit ita, ut necessario sequatur ex præmissis, dicens ex. gr. : *Non igitur est hoc et hoc; vel necesse est igitur esse hoc et hoc*. Cum enim aliquid asseve-

ranter profertur, ac si fuerit conclusum, hallucinantur auditores ac putant illud vere fuisse conclusum. Addit Aristoteles, quod quia præcipuus campus, circa quem versantur enthymemata, sunt opposita, cum quis aliqua contorte et opposite profert, videtur enthymematice dicere, licet vere non dicat enthymematice. Addit rursus, quod ut quis videatur concludere, utile est proferre plura capita seu principia enthymematum, dicendo ex. gr., hos quidem servavit, alios vero ultus est, Græcos autem in libertatem vindicavit, ut jam seorsim ostendimus, ac deinde ex omnibus simul sumptis conclusionem inferre. Videbitur enim conclusio necessario sequi ex tam multis simul coacervatis, licet vere non sequatur.

3. Altera vero pars est in homonymia, ut dicere virtute præstantem esse Myn, a quo est honoratissima omnium festivitas : nam mysteria sunt omnium honoratissima festivitas. Aut si quis canem encomio exornans cœlestem complectatur, aut Pana, quia Pindarus ait « o beate, quem et magnæ deæ canem varium vocant Olympii ». Aut nullum esse canem valde inhonoratum esse ; quare aliquem esse manifestum est honoratum esse. Et propensum ad communicandum dicere Mercurium esse maxime inter deos ; solus enim vocatur communis Mercurius. Et logum esse præstantissimum, quia boni viri non pecuniis, sed logo sunt digni ; nam logo esse dignum non simpliciter dicitur.

3. *Secundus locus* desumitur ex æquivocatione. Plura hujus loci exempla affert Aristoteles. *Primum* exemplum est, si quis diceret murem, qui Græce dicitur μῦς, esse animal valde studiosum et honorabile, quia ab eo dicitur mysterium, quod est maxime honorabile inter sacra. *Secundum* exemplum est, si quis laudans canem extolleret illum etiam ex iis, quæ conveniunt cani cœlesti et Deo Pani, qui etiam ipse æquivoce dicebatur canis, ut testatur Pindarus, qui Panem alloquens dicit : O beate, quem magnæ Deæ omnifarium canem appellant Dii immortales. Posset etiam quis ad canem laudandum uti æquivocatione ac dicere, quod cum inhonorum sit nullum esse canem, manifestum est, quod canis in magno est honore. Quid per hoc exemplum significetur, obscurissimum est. *Tertium* exemplum est, si quis laudans Mercurium dicat, quod ille est inter Deos maxime κοινωνικός, hoc est egregiorum bonorum communicativus, siquidem solus κοινός, hoc est communis dicitur. *Quartum* exemplum est, si quis probaret λόγον, hoc est sermonem esse optimum ex eo, quod viri boni non tam pecuniis quam λόγου sunt digni, æquivocatione uteretur. Cum enim dicitur, quod viri boni digni sunt λόγου, non significatur, quod digni sint sermone, sed quod digni sunt, ut eorum maxima ratio habeatur.

4. Alius, quod disjunctum est, conjungendo dicere, aut quod conjunctum est, disjungendo ; quoniam enim idem videtur esse, cum minime sit idem sæpe, utrum utilius sit, id oportet facere. Atque hoc Euthydemi oratio est, ut scire triremem in Piræeo esse, quia unumquodque novit ; et elementa scientem carmen cognoscere, quia carmen hoc ipsum est ; et quia bis tantum morbosum est, neque unum affirmare salubre esse ; absurdum enim est ut duo bona unum malum sit. Sic igitur valet ad refutandum, ita vero ad demonstrandum ; non enim est unum bonum duo mala. Ac totus locus captiosus est. Rursus illud Polycratis in Thrasybulum, quod triginta tyrannos sustulit ; conjungit enim. At illud in Oreste Theodectis ; ex distinctione enim est. Justum est, si quæ interficiat maritum, mori eam, et filium patrem ulcisci ; atqui hæc etiam gesta sunt. Nam si quis conjunxerit, fortasse non æquum. Erit vero etiam a defectione, quoniam tollitur a quo.

5. Alius locus est ex aggeratione confirmare aut infirmare. Hoc vero est, cum qui non demonstraverit aliquem fecisse, amplificaverit rem. Efficit enim ut non appareat aut non fecisse, quando causam dicens amplificaverit, aut fecisse, quando accusans irascatur. Non tamen est enthymema ; decipitur enim auditor, quod fecerit aut non fecerit id, quod demonstratum non est.

4. *Tertius locus* desumitur ex compositione ac divisione. Possumus hoc loco uti vel a sensu composito arguendo ad divisum vel a sensu diviso arguendo ad conjunctum, et quia videtur idem uterque sensus, licet idem non sit, ideo enthymema videtur concludere, licet non concludat. Plura hujus loci exempla affert Aristoteles. *Primum* est Euthydemi, qui ex eo, quod quidam in Sicilia existens vidisset naves existentes in Piræo, quod erat verum solum divisim ; siquidem alio tempore existebat in Sicilia, alio tempore viderat naves ; intulit conjunctim, quod in Sicilia existens vidisset naves existentes in Piræo, quod est impossibile propter maximam distantiam Siciliæ a Piræo. *Secundum* exemplum est, quo ex eo, quod quis sciat elementa carminum seorsim, infertur, quod sciat carmen, quia carmen nihil est aliud quam ele-

menta ac syllabæ, ex quibus componitur. Hoc autem non valet. Nam carmen est elementa conjunctim; potest autem quis scire elementa ac syllabas seorsim ac nescire conjunctim; ergo potest quis scire syllabas atque elementa et nescire carmen. *Tertium* exemplum est, quo quis ex eo, quod simul sumere duas uncias alicujus medicamenti sit noxium et morbosum, inferret, quod sumere seorsim unam et alteram unciam non sit utile ac sanum, idque confirmaret, quia absurdum est, ut duo bona sint unum malum, vel ex eo, quod sumere duo medicamenta invicem temperata sit sanum, inferret, quod etiam sumere singula seorsim, sit sanum, idque confirmaret, quia unum bonum non potest esse duo mala. Hic locus captiosus est, seu eo utamur ad probandum seu ad refellendum. *Quartum* exemplum est Polycratis, qui laudavit Thrasybulum ex eo, quod sustulisset a republica Atheniensi triginta tyrannos, atque ita hoc argumentum est prosecutus, ac si singuli seorsim fuissent tyranni ac potiti essent rerum, cum non singuli seorsim, sed omnes per modum unius tyrannidem exercerent. *Quintum* exemplum desumitur ex Oreste tragœdia Theodectis, in quo ex eo, quod justum divisim sit, ut filius ulciscatur mortem patris, et ut interficiatur mulier, quæ maritum occiderit, concluditur justum fuisse conjunctim, ut Clytemnestra mater occideretur ab Oreste filio, quod non sequitur. Nam licet justum sit, ut filius ulciscatur mortem patris, non est justum, ut ulciscatur occidendo matrem; et licet justum sit, ut mulier, quæ occiderit maritum, occidatur, non est justum, ut occidatur a filio. Addit Aristoteles in hoc ultimo sophismate committi etiam aliam fallaciam defectus, quæ consistit in hoc, quod cum dicitur justum esse, ut mulier, quæ maritum occiderit, occidatur, non exprimitur, a quo sit justum, ut occidatur; quod si expressum fuisset, dicendo justum esse, ut occidatur a magistratu, eo ipso tolleretur omnis fallacia.

5. *Quartus locus*, qui non fundatur in dictione, sed habet fundamentum extra dictionem et est utilis tum ad confirmandum tum ad refellendum, desumitur ex exaggeratione. Cum enim accusator licet non probaverit crimen fuisse commissum a reo, adhuc, ac si illud probaverit, contra illud invehitur, efficit, ut crimen, quod non est factum, videatur factum, et cum reus vel patronus invehitur in crimen, de quo reus accusatur, efficit, ut reus videatur innocens, siquidem non inveheretur in crimen, cujus reus particeps fuisset. Orator igitur exaggerando videtur fecisse enthymema et probasse intentum, licet enthymema non fecerit ac nihil probaverit.

6. Alius ex signo; neque enim sub syllogismum hoc cadit. Ut si quis diceret « civitatibus prosunt amatores; nam Harmodii et Aristogitonis amor evertit tyrannum Hipparchum ». Aut si quis diceret furem Dionysium esse, quia improbus. Sub syllogismum enim neque hoc cadit; non enim omnis improbus est fur, sed fur omnis improbus.

7. Alius propter id, quod accidit. Ut quod dicit Polycrates in mures, quia opem tulissent corrodentes nervos. Aut si quis dicat ad cœnam vocari honorificentissimum; nam quia non vocatus fuit Achilles, succensuit Achivis in Tenedo. At quia non æstimatus fuerat, succensuit; accidit autem hoc ex eo, quia non vocatus fuit.

6. *Quintus locus* desumitur ex signo vel ex puris singularibus ad concludendum universaliter, vel in secunda figura ex puris affirmativis, ex quibus nihil necessario sequitur, adeoque non fit syllogismus. *Primum* exemplum est, si quis probet amatores esse utiles civitatibus ex eo, quod Harmodius et Aristogitenes fuerunt civitati utiles et everterunt tyrannum Hipparchum. Argumentum non concludit; nam est in tertia figura ex puris singularibus : Harmodius et Aristogitenes fuerunt utiles civitati; Harmodius et Aristogitenes fuerunt amatores; ergo amatores sunt utiles civitatibus. *Secundum* exemplum est, si quis probet Dionysium fuisse furem ex eo, quia fuit improbus, sic : Omnis fur est improbus; Dionysius fuit improbus : ergo Dionysius fuit fur. Non concludit, quia est in secunda figura ex puris affirmativis; concluderet autem, si major converteretur ac diceretur : Omnis improbus est fur; tum enim argumentum esset in prima figura. Vide quæ dicta sunt lib. II. Prior. cap. XXXIV.

7. *Sextus locus* desumitur ex accidenti, ut cum eo, quod per accidens causat aliquem effectum, utimur ita, ac si per se talem effectum causasset. Hoc loco usus est Polycrates, dum laudans mures dixit eos opem tulisse civitati corrodendo nervos arcuum, quibus utebantur hostes. Eodem loco usus est Polycrates quidam, dum probavit honorificen-

tissimum esse vocari ad cœnam, ex eo, quod Achilles in Tenedo succensuit Achivis, quia ab iis non fuerat ad cœnam vocatus. At per accidens Achilles succensuit, quia non fuit vocatus, per se vero succensuit, quia non fuit habitus in æstimatione debita.

8. Alius a consequenti, ut in Alexandro, magnanimum fuisse eum, quia contemnens multitudinis consuetudinem in Ida versatus est secum ; magnanimi enim ejusmodi sunt, et iste magnanimus videri potest. Et quoniam se comit et noctu vagatur, adulterum eum esse, quia et adulteri ejusmodi sunt. Simile vero etiam, quia in templis mendici et cantant et saltant, et quia exsulibus licet habitare, ubi velint. Quod enim iis, qui videntur esse felices insunt hæc, etiam, ii quibus insunt hæc, videbuntur felices esse. Differt autem quomodo ; quamobrem et in defectionem cadit.

9. Alius a non causa quasi causa, ut eo quod simul aut postea factum sit; quod enim evenit postea, quasi propterea evenerit, accipiunt, et maxime qui res publicas tractant. Ut Demades Demosthenis administrationem publicam omnium malorum causam fuisse ; postea enim accidit bellum.

10. Alius, cum deficit quando et quomodo, ut juste Alexandrum abduxisse Helenam, quia optio ipsi data est a patre. Non enim semper fortasse, sed primum ; etenim pater usque eo fuit dominus. Aut si quis dicat pulsare homines liberos contumeliam esse ; non enim omnino, sed quando prior lacessivit injuria.

8. *Septimus locus* desumitur ex consequenti, arguendo in secunda figura ex puris affirmativis. *Primum* exemplum est ejus, qui probavit Paridem seu Alexandrum fuisse magnanimum ex eo, quod magnanimi soleant vivere soli ; sed Paris sodalibus relictis vivebat solus in monte Ida : ergo, etc. — *Secundum* exemplum est, quo quis posset probare aliquem esse adulterum ex eo, quod adulteri se comant ac soli vagentur noctu; sed hic se comit et solus vagatur noctu : ergo etc. *Tertium* exemplum est, quo posset probari mendicos et exules esse felices ex eo, quod felices cantant et saltant et habitant, ubi volunt; sed mendici in templis cantant et saltant, exules autem habitant, ubi volunt; ergo mendici atque exules sunt felices. Addit Aristoteles, quod in hoc ultimo exemplo est etiam fallacia defectus ; nam non explicatur, quod mendici canant et saltent ad mendicandam stipem, quod si fuisset explicatum, eo ipso patuisset consequentiam nullam esse, siquidem felices non canunt et saltant ad mendicandam stipem.

9. *Octavus locus* desumitur ex non causa ut causa, cum id, quod factum est simul cum alio vel post illud, assumitur, ac si factum fuisset causa ipsius. Hoc loco passim utuntur, qui rempublicam administrant, ut Demades, qui agens contra Demosthenem dixit ejus administrationem fuisse causam omnium malorum, siquidem post illam accidit bellum.

10. *Nonus locus* desumitur ex eo, quod tacetur quando vel quomodo. Hoc loco usus est, qui dixit Helenam juste fuisse raptam a Paride, idque probavit ex eo, quod pater Helenæ dederat filiæ potestatem, ut quem vellet, duceret in maritum. Omisit autem, quando pater dederit Helenæ talem potestatem, quod si expressisset, argumentum nullam vim habuisset. Dedit nimirum Tyndareus pater Helenæ potestatem ducendi, quem vellet, antequam Helena sponte nuberet Menelao. Hoc eodem loco uteretur aliquis dicens, contumeliam esse pulsare homines liberos. Non enim quomodocumque pulsare est contumelia, sed si quis pulset non lacessitus.

11. Præterea ut in contentiosis ab eo, quod est simpliciter, et eo, quod non simpliciter, fit apparens syllogismus, sed quidam, quemadmodum in Dialecticis, esse quod non est, quia id quod non est, est id quod non est. Et quod cognosci non potest, sciri posse, quia quod cognosci non potest, sciri potest id cognosci non posse ; sic etiam in Rhetoricis est apparens enthymema ab eo, quod non simpliciter verisimile est, sed quoddam verisimile. Atque hoc non universe, ut et Agathon dicit « fortasse aliquis verisimile id ipsum esse dixerit, mortalibus multa evenire non verisimilia ». Fit enim id quod est præter verisimile ; quare verisimile etiam est, quod præter verisimile est. Quod si hoc verum est, quod non est verisimile, erit verisimile, sed non simpliciter, verum ut in contentiosis, cum qua ex parte et qua relatione et ubi non additur, id efficit fallaciam ; ita hic præter verisimile esse, non simpliciter sed quoddam verisimile est. Ex hoc autem loco est Coracis ars composita ; sive enim non obnoxius sit culpæ, ut qui debilis est de verberatione paratam defensionem habet (non enim est verisimile) ; sive obnoxius, ut qui robustus est ; non enim est verisimile, quia verisimile futurum erat, ut videretur. Similiter vero etiam in aliis. Aut enim obnoxium esse necesse est aut non obnoxium culpæ ; ac apparent quidem ambo verisimilia, verum illud quidem est verisimile, hoc vero non simpliciter, sed ut dictum est. Et hoc est inferiorem causam superiorem facere. Atque hinc merito moleste fere-

bant homines Protagoræ professionem ; falsum enim est, et non verum, sed apparens verisimile, et in nulla arte nisi in rhetorica et contentiosa. Ac de enthymematibus quidem et veris et apparentibus dictum est.

11. *Decimus locus* desumitur a simpliciter *ad secundum quid*. Explicatur : in sophisticis et contentiosis arguendo a simpliciter ad secundum quid fit syllogismus non verus, sed apparens, ut cum arguimus : *quod non est, est non ens; ergo quod non est, est;* vel arguimus : *de eo, quod non potest sciri, potest sciri hoc ipsum, quod non potest sciri; ergo id, quod non potest sciri, potest sciri;* ex eo enim, quod aliquid sit non ens, quod est esse secundum quid, arguimus, quod sit simpliciter, et ex eo, quod de aliquo sciri possit, quod non potest sciri, quod est posse sciri secundum quid, arguimus, quod possit sciri simpliciter. Proportionaliter in rhetoricis possumus facere enthymema apparens, si ex eo, quod aliquid sit verisimile secundum quid et cum addito, arguimus illud esse verisimile simpliciter ac sine addito. Porro verisimile secundum quid non accidit universaliter ac plerumque, sed solum aliquando, ut etiam Agatho cecinit dicens : Fortasse id ipsum aliquis verisimile esse dixerit, mortalibus evenire multa non verisimilia. Hinc posset quis arguere : *verisimile est accidere aliqua non verisimilia; ergo non verisimile est verisimile.* Fallacia est, quia arguitur a verisimili secundum quid et cum addito, ad verisimile simpliciter et sine addito. Ideo sicut in sophisticis fit fallacia, cum non additur limitatio restringens ad partem, ad locum, ad tempus, vel significans relationem, sic proportionalis fallacia fit in Rhetoricis. Ex hoc loco composuit suam artem rhetoricam Corax. Defendebat enim Corax reum, sive verisimile esset eum commisisse culpam, seu non. Si enim non erat verisimile reum commisisse culpam ; ex. gr., non erat verisimile debilem verberasse fortiorem se, ex hoc ipso illum defendebat ; si vero videbatur verisimile reum commisisse culpam, eo pacto, quo videtur verisimile, ut fortis percusserit debilem, defendebat illum ex eo, quod non est verisimile eum commisisse delictum, qui videbat se facile deprehendendum propter talem verisimilitudinem, et sic ex non verisimili *secundum quid* inferebat inverisimile simpliciter. Propter hanc artem jactabunde dicebat Protagoras posse se causam inferiorem reddere superiorem, ideoque homines moleste ferebant hanc artem, quam Protagoras profitebatur. Addit Aristoteles, quod hoc verisimile secundum quid est quoddam verisimile apparens ac falsum, ac in nulla arte usum habet, nisi in rhetorica et sophistica. Et hæc de enthymematibus tum veris tum apparentibus dixisse sufficiat.

CAPUT XXVI

DE SOLUTIONE ENTHYMEMATUM.

1. [25] De dissolutionibus autem consequens est, iis quæ dicta sunt ut disputemus. Licet vero dissolvere aut contra ratiocinando aut objectionem afferendo. Ac contra quidem ratiocinari, manifestum est ex iisdem locis posse contingere ; ratiocinationes enim ex probabilibus sunt, quæ autem probantur, multa contraria inter se sunt.

2. Objectiones vero afferuntur, ut etiam in Topicis, quatuor modis ; aut enim ex eodem, aut ex simili, aut ex contrario, aut ex judicatis. Dico ab eodem, ut si amorem enthymema esset bonum esse, objectio dupliciter esset ; aut enim in universum dicendo omnem indigentiam malum esse, aut secundum partem, quia non diceretur Caunius amor, nisi essent etiam mali amores. A contrario objectio affertur, ut si enthymema esset bonum virum omnibus amicis benefacere ; at ne improbus quidem male. A similibus si esset enthymema, qui malum acceperunt, eos semper odio habere ; at neque qui beneficium acceperunt, semper amant. Judicia sunt a claris viris, ut si quis enthymema proferret, temulentis oportere veniam dare, quia ignorantes peccant ; objectio est « non igitur Pittacus laudandus ; non enim graviores pœnas lege constituisset, si quis temulentus peccasset ».

1. Superest jam, ut agamus de solutionibus enthymematum. Duo sunt modi solvendi enthymemata. *Primus* est, cum probamus oppositum. *Secundus* est, cum afferimus instantiam contra id, quod ab adversario fuit probatum. Oppositum possumus probare ex locis assignatis. Cum enim probationes rhetoricæ desumantur ex probabilibus, dentur autem multa probabilia inter se contraria vel saltem utilia ad contraria probanda, non poterunt deesse multæ propositiones utiles ad probandum contrarium illi, quod adversarius probavit.

2. Instantiæ possunt quatuor modis afferri, ut in Topicis est dictum. *Primo* possumus afferre instantiam ex eodem ;

secundo ex contrario; *tertio* ex simili; *quarto* ex aliorum judicio atque auctoritate. Instantia ex eodem potest afferri dupliciter; primo universaliter; secundo particulariter. — Exemplum instantiæ universalis ex eodem est : ostenderit quis omnem amorem esse bonum; instare possumus; imo omnis indigentia est mala; sed omnis amor est indigentia : ergo omnis amor est malus. — Exemplum instantiæ particularis est, quia amor incestus non vocaretur proverbialiter amor Caunius ex eo, quod Biblis soror fratrem suum Caunum deperierit, nisi darentur amores mali. — Exemplum instantiæ ex contrario est : concluserit quis per enthymema bonum virum omnibus amicis benefacere; possumus instare ex contrario. Ita se habet bonus vir ad benefaciendum, sicut malus vir ad malefaciendum; sed malus vir non malefacit omnibus amicis : ergo nec bonus vir benefacit omnibus amicis. — Exemplum instantiæ ex simili est : probaverit quis eos, qui malum acceperunt, semper odio habere illos, a quibus acceperunt; possumus instare ex simili. Eodem pacto se habet, qui beneficium accepit ad amandum, sicut qui malo est affectus, ad odio habendum; sed qui beneficium accepit, non semper amat eum, a quo accepit : ergo nec qui malo est affectus, semper odit eum, a quo est affectus malo. — Exemplum instantiæ ex judicio et auctoritate alicujus clari viri est : concluserit quis temulentis dandam esse veniam, quia peccant ex ignorantia; possumus instare, quia non esset laudandus Pittacus, qui statuit legem, ut, si quis peccasset temulentus, gravius puniretur.

3. Et quoniam enthymemata ducuntur ex quatuor, et quatuor hæc sunt : verisimile, exemplum, tecmerium, signum; et quæ ex iis, quæ plerumque aut sunt aut videntur, collecta sunt enthymemata, ex verisimilibus sunt;

4. * quæ ex inductione rei similis, aut unius aut plurium, cum aliquis, qui assumpserit universale, deinde concludat id quod est in parte, ab exemplo; quæ ex necessario et eo quod est, a tecmerio;

5* Quæ ex eo quod est in universum aut in parte, sive sit sive non, a signis; verisimile autem est non quod semper, sed quod plerumque; apparet talia enthymemata semper licere dissolvere, afferendo objectionem. Dissolutio autem apparens, sed non vera semper; non enim negando esse verisimile, solvit qui objicit, sed negando esse necessarium. Quamobrem et semper meliore conditione est qui defendit quam qui accusat propter hanc captionem. Quoniam enim accusans ex verisimilibus probat, neque idem est solvere aut quod non sit verisimile aut quod non necessarium, et semper habet objectionem id quod plerumque est (neque enim esset verisimile, sed semper ac necessarium), disceptator putat, si sic solutum sit, aut non esse verisimile, aut non ex eo judicandum, cum decipiatur, ut dicebamus. Non enim ex necessariis oportet ipsum tantum judicare, sed etiam ex verisimilibus; hoc enim est mente optima judicare. Non igitur satis est, si solverit, quod non necessarium sit, sed oportet solvere, quod non sit verisimile. Hoc autem continget, si sit objectio frequentius existere. Et contingit esse talem dupliciter, aut tempore aut rebus. Potentissimum autem est, si utrisque. Si enim plura et sæpius sic, est id verisimilius. Solvuntur autem signa, et quæ a signo enthymemata ducuntur, etiam si vera sint, ut dictum est supra; nullum enim sub syllogismum cadere signum perspicuum est nobis ex Analyticis. At exemplorum eadem solutio est, quæ verisimilium. Si enim habeamus aliquid, quod non sic evenerit, solutum est, quia non necessarium est, quamvis et plura vel sæpius evenerint aliter. Quodsi et plura et sæpius sic, pugnandum est aut id quod agitur, non esse simile, aut non similiter, aut differentiam aliquam habere.

3. Sed ut magis explicemus, quo pacto possint afferri instantiæ contra enthymemata, revocandum est in memoriam, ex quot possint fieri enthymemata. Ex dictis lib. I, cap. IX. enthymemata possunt desumi ex quatuor; primo ex verisimilibus; secundo ex exemplis; tertio ex signis non necessariis; quarto demum ex signis necessariis, quæ vocantur tecmyria. Enthymemata ex verisimilibus sunt, quæ ducuntur ex eo, quod aliquid plerumque sit aut videatur; ut si quis arguat : *hæc est mater; ergo amat filium.*

4. Enthymemata ab exemplo sunt, in quibus inductione unius aut plurium similium contentorum sub eodem universali, concluditur aliud simile contentum sub eodem universali.

5. Enthymemata ex signis non necessariis sunt, cum ex aliquo singulari vel universali non necessario concludunt; ut cum probatur sapientes esse bonos, quia Pittacus fuit sapiens et bonus; vel probatur aliquem esse furem, quia est improbus; omnis autem fur est improbus. Enthymemata ex verisimilibus, exemplis et signis non necessariis semper sunt solubilia, afferendo instantias in contrarium, cum non necessario concludant, ut dictum est lib. II. Prior. cap. XXXIV; ex. gr., hoc enthymema : *hæc est mater; ergo amat filium*, solvi potest, afferendo instantiam

alicujus matris, quæ non amarit filium. Ratio, cur possit afferri instantia est, quia non nituntur dicto *de omni*, sed *dicto de plerisque;* sed contra id, quod non semper, sed plerumqe contingit, semper potest afferri instantia : ergo, etc. Addit Aristoteles, quod per instantiam in contrarium, quamvis semper videatur solvi enthymema ex verisimili, adhuc non semper solvitur. Ratio est, quia aliquando per instantiam solum ostenditur enthymema non concludere necessario, at non ostenditur enthymema non concludere verisimiliter; sed ad solvendum deberet ostendi enthymema non concludere verisimiliter : ergo, etc. Adhuc tamen quia per quamcumque instantiam ostenditur enthymema non concludere necessario, ideo melior est conditio defendentis ac respondentis enthymemati ex verisimili. quam accusantis et arguentis per tale enthymema. Judex enim quia videt enthymema non concludere necessario, putat ipsum esse solutum ac nec esse etiam verisimile, vel censet non esse judicandum ex verisimilibus, sed solum ex necessariis, quod est falsum, siquidem judicare ex verisimilioribus, hoc est mente optima judicare, de quo judices præstant juramentum. Ut igitur vere solvatur per instantiam enthymema ex verisimilibus, per instantiam debet ostendi frequentius accidere oppositum ejus, quod adversarius conclusit. Potest autem dupliciter aliquid contingere frequentius, hoc est vel frequentius tempore vel frequentius rebus. Validissima autem instantia est, qua ostenditur contrarium frequentius contingere tempore simul et rebus, ita ut et sæpius accidat et in pluribus rebus accidat. Enthymemata ab exemplis solvuntur eodem pacto, sicut enthymemata ex verisimilibus. Si enim possumus afferre contrarium exemplum, in quo non sic acciderit, ostendimus id non necessario concludere; si vero afferamus plura exempla, quam adversarius, ostendimus id nec probabiliter concludere. Quod si non occurrat contrarium exemplum, tum vel debemus contendere casum, de quo agimus, non esse similem aut non fuisse similes circumstantias vel intervenire aliquod discrimen, propter quod debeat contrarium contingere.

6. Tecmeria vero, et quæ tecmeriis constant enthymemata, ea ratione, quia sub syllogismum non cadant, non licebit solvere (constat autem etiam hoc nobis ex Analyticis), sed relinquitur, ut non esse id quod dicitur, ostendamus. Sin autem appareat et esse et tecmerium esse, jam id solvi non potest ; omnia enim fiunt ex demonstratione jam perspicua.

6. Enthymemata ex signis necessariis. quæ vocantur tecmyria, sunt, per quæ necessario concluditur in prima figura, ut cum probatur aliquam mulierem concepisse, quia lac habet. Hæc enthymemata solvi nequeunt. Reliquum igitur est, ut negetur aliqua præmissa. Si vero nulla præmissa possit negari, et appareat enthymema duci ex tecmyrio, eo ipso enthymema est insolubile, ac conclusio per illud est demonstrata.

CAPUT XXVII

DE AMPLIFICATIONE AC DIMINUTIONE.

1. [26] Amplificare autem et diminuere non est enthymematis elementum (idem enim voco elementum et locum, estque elementum et locus, in quem multa enthymemata incidunt), sed amplificare et diminuere sunt enthymemata ad demonstrandum magnum aut parvum esse, ut et bonum aut malum, aut justum. aut injustum, et aliorum unumquodque. Hæc autem omnia sunt, in quibus syllogismi et enthymemata versantur. Quare si non est horum unumquodque enthymematis locus, ne amplificare quidem et diminuere.

2. Neque ea quæ habent vim solvendi, enthymemata generis alicujus sunt diversi ab iis, quæ valent ad confirmandum. Manifestum igitur est solvere eum, qui aut demonstrat aut objectionem affert, contra vero demonstrat id, quod oppositum est. Ut si demonstrat factum esse, iste non factum esse ; sin autem non factum esse, iste factum esse. Quare hæc quidem non erit differentia ; iisdem enim utuntur ambo. Nam quia non est aut est, enthymemata afferunt.

3. Objectio autem non est enthymema, sed quemadmodum in Topicis, dicere opinionem aliquam, ex qua erit manifestum non esse syllogismo conclusum, aut falsi aliquid assumptum esse.

4. De exemplis quidem et sententiis et enthymematibus, et omnino iis, quæ pertinent ad mentis agitationem, et unde iis abundabimus, et quomodo ea solvemus, dicta sunt a nobis tam multa. Reliquum est explicare quæ pertinent ad elocutionem et dispositionem.

1. Postquam Aristoteles egit de enthymematibus eorumque locis ac solutionibus, ut concludat hunc secundum librum, explicat quædam, quæ potuissent fallere rudes et imperitos. *Primo* ergo quia pos-

set aliquis putare amplificationem ac diminutionem, quæ, ut dictum est cap. XIX, sunt communes omnibus tribus generibus causarum, esse recensendas inter loca sive elementa enthymematum, Aristoteles docet ac probat, amplificationem ac diminutionem non esse locum nec elementum enthymematum. Probat, quia loca seu elementa sunt propositiones et maximæ, ex quibus possunt fieri plura enthymemata; sed amplificationes ac diminutiones non sunt propositiones ac maximæ, ex quibus possunt fieri plura enthymemata, sed sunt enthymemata ad ostendendum aliquid esse magnum vel parvum, sicut dantur enthymemata ad ostendendum aliquid esse bonum aut malum, justum aut injustum, etc.: ergo sicut enthymemata versantia circa justa vel injusta, bona vel mala, etc. non sunt loca, imo nec loca sunt ipsa justa et injusta, sic amplificatio ac diminutio non sunt loca, imo nec magnum et parvum, circa quæ amplificatio ac diminutio versantur, sunt loca.

2. *Secundo* posset aliquis existimare, enthymemata, quibus utimur ad solvenda enthymemata adversariorum esse diversæ rationis ab enthymematibus, quibus utimur ad probandum, adeoque circa ipsa debere tradi diversam artem. Rejicit Aristoteles hanc opinionem; nam qui solvit, debet ostendere oppositum ejus, quod intulit adversarius; sed eadem est ars iidemque loci ad ostendendum opposita : ergo enthymemata non sunt diversæ rationis, adeoque non indigent diversis præceptis.

3. *Tertio* posset aliquis existimare instantiam esse enthymema. Rejicitur hæc opinio; nam ad instantiam sufficit, ut quis exponat enthymema non concludere vel aliquam propositionem assumptam esse falsam; sed hoc non est enthymema : ergo, etc.

4. Concludit Aristoteles hunc librum secundum dicendo, satis jam actum esse de exemplis, de sententiis ac de enthymematibus ac universim de iis, quæ spectant ad inventionem, afferendo loca, ex quibus possimus abundare enthymematibus ac solvere enthymemata adversariorum. Reliquum est, ut explicemus quæ spectant ad dispositionem et elocutionem. Et per hæc concludit librum secundum Rhetoricorum.



RHETORICORUM

LIBER III

CAPUT I

DE ELOCUTIONE ET ACTIONE, EARUM INVENTIONE ET UTILITATE.

1. [1] Quoniam tria sunt quæ oportet præcipere de oratione, unum quidem ex quibus fides erit, alterum vero de elocutione, tertium autem, quomodo conveniat ordinare partes orationis, fides quidem dictum est tum ex quot sit, quia ex tribus est, tum hæc cujusmodi sint, tum quamobrem hæc sola; aut enim eo, quod ipsi aliquo modo affecti sint judicantes, aut eo quia cujusdam modi existiment dicentes, aut eo quod demonstratum sit, persuadentur omnes. Dictum vero etiam est, enthymemata unde sint paranda; sunt enim partim formæ enthymematum, partim loci. De elocutione vero consequens est dicere; non enim sat est habere, quæ oportet dicere, sed necesse est etiam hæc ut oportet dicere; et valet multum ad id, ut appareat cujusdammodi oratio.

2. Ac primum quidem quæsitum est secundum naturam. quod factum est primum, res ex quibus possint persuaderi. Alterum vero, quomodo eædem elocutione exponantur. Tertium autem horum, quod vim habet maximam et nondum tentatum est, ea quæ pertinent ad actionem. Nam in tragicam et rhapsodiam sero venit; agebant enim ipsas tragœdias poetæ primum. Manifestum igitur est etiam in Rhetorica esse idem ac in Poetica; quod alii quidam tradiderunt et Glauco Teius.

Postquam Aristoteles lib. I. et II. egit de inventione, lib. III. disserit de elocutione ac dispositione. Capite igitur primo præmittit procemium, in quo *primo* epilogat dicta et proponit dicenda; *secundo* explicat, quo ordine redigi cœperint ad artem partes oratoriæ, nimirum inventio rerum, elocutio ac dispositio earumdem, ac pronunciatio, sive actio; *tertio* breviter explicat naturam et utilitatem actionis tum in poeticis tum in oratoriis; *quarto* explicat naturam et utilitatem elocutionis eamque comparans cum actione ostendit elocutionem magis esse capacem artis quam sit actio; *quinto* demum ostendit primo inventam esse elocutionem poeticam, quæ tamen multum differt ab elocutione oratoria.

1. *Quoad primum :* qui tradit Rhetoricam, debet *primo* docere artem inveniendi, quæ sunt apta ad persuadendum; *secundo* debet agere de elocutione, per quam quæ fuerint inventa, verbis explicemus; *tertio* demum debet disserere de distributione, per quam partes orationis apte disponamus. Nos igitur libro primo et secundo tradidimus omnia, quæ spectant ad inventionem eorum, quæ sunt apta ad persuadendum, atque explicantes, ex quot et quibus possimus persuadere, diximus, quod tria sunt, quæ conducunt ad faciendam fidem, et assignavimus rationem, cur sint tria, quæ ratio est, quia omnes persuadentur ita, ut credant dicenti, vel quia ipsi sunt certo modo affecti ac dispositi ad credendum; vel quia existimant dicentes esse tales, ut sint digni fide, vel quia censent ea, quæ dicuntur, fuisse demonstrata. Egimus præterea de enthymematibus ac de iis, ex quibus sunt paranda, de formis nimirum ac locis, nomine formarum intelligendo propositiones proprias singulorum dicendi generum, nomine locorum communium intelligendo propositiones communes omnibus generibus. Reliquum igitur est, ut lib. III agamus de elocutione, sub qua comprehen-

dimus etiam dispositionem. Est autem elocutio valde necessaria; siquidem non sufficit parata habere, quæ dicas, sed necesse etiam est, hæc ut oportet dicere; præterquam quod elocutio multum valet ad hoc, ut oratio videatur talis, morata nimirum, puta verax aut temperans etc.

2. *Quoad secundum :* partes Rhetoricæ quæsitæ sunt atque inventæ eo ordine, quo naturaliter ordinantur; sed ex natura rei primo debemus invenire, quæ sunt apta ad persuadendum; secundo debemus inventa congrua locutione exprimere; tertio demum debemus orationem pronunciare et agere ; ergo non est mirum, quod primo fuerit inventa ac tradita ars inveniendi, quæ sunt apta ad faciendam fidem; secundo fuerit excogitata ars de iis, quæ spectant ad elocutionem. Superest nunc tertia pars artis de iis, quæ spectant ad pronunciationem sive actionem, quæ licet habeat maximam vim, adhuc a nemine fuit tradita. Nec mirum; nam ars agendi etiam in Poesim tragicam et rhapsodiam seu epopœiam sero admodum est introducta, siquidem ab initio tragœdiæ non agebantur ab histrionibus, sed ab ipsis poetis, qui tragœdias scripserant, recitabantur; ergo non est mirum, si proportionalis ars agendi orationes adhuc non sit inventa, licet de actione poetica scripserint quidam atque inter ceteros Glauco quidam Teius.

3. Atque ipsa consistit in voce, quemadmodum ea oporteat uti ad unumquemque affectum, ut quando magna et quando parva et media; et quemadmodum tonis, ut acuto et gravi et medio; et quibus numeris ad unumquemque. Tria enim sunt, de quibus considerant, et hæc sunt magnitudo, concentus, numerus. Ac præmia quidem ferme ex certaminibus isti accipiunt. Et quemadmodum ibi plus valent quam poetæ actores, ita in civilibus certaminibus propter improbitatem rerum publicarum. Nondum autem composita est ars de ipsis, quoniam et id, quod pertinet ad elocutionem, sero prodiit;

4*. et videtur res levis esse, si recte existimetur. At cum tota sit ad opinionem traditio rhetorica, non ut rei recte se habentis, sed ut necessariæ ejus cura suscipienda est, quoniam justum est nihil amplius quærere circa sermonem, quam ut neque molestiam neque jucunditatem afferamus ; justum enim est ipsis certare rebus ; quare alia præter demonstrationem supervacanea sunt. Verumtamen multum valent, ut dictum est, propter auditoris improbitatem. Atque id quidem quod pertinet ad elocutionem, habet aliquam parvam necessitatem in omni doctrina. Interest enim quiddam ad declarandum, itane an ita dicas; non tamen tantopere. Sed omnia hæc phantasia constant, et referuntur ad auditorem; quamobrem nemo sic Geometriam tradit. Ac illa quidem cum prodibit, idem efficiet quod histrionica. Conati autem sunt nonnihil de ipsa dicere nonnulli, ut Thrasymachus in miserationibus. Et naturæ est ad actionem valere et magis expers artis; in elocutione vero valet artificium. Quamobrem et iis, qui hujus facultatem habent, tribuuntur rursus præmia, ut etiam, qui actionis, oratoribus ; quæ enim scribuntur orationes, plus valent propter dictionem quam propter sententiam.

3. *Quoad tertium :* quia mentionem fecimus actionis, debemus aliqua explicare circa naturam et utilitatem ipsius. Actio præsertim consistit in voce, ac præcipuum artificium actionis versatur circa hoc, ut sciamus, quo pacto debeamus uti voce ad unumquemque animi motum exprimendum, ac quandonam debeamus uti voce magna, parva vel mediocri ; quando tono seu accentu acuto, gravi vel medio; et qui numeri sint ad unumquemque conceptum vel affectum exprimendum accommodati. Qui ergo de actione consistente in voce egerunt, tria præsertim considerarunt, nimirum magnitudinem, concentum sive harmoniam, et numerum. Porro utilitas actionis tum in poeticis tum in oratoriis tanta est, ut sicut in poeticis certaminibus præmia plerumque reportant, qui magis valent actione, ac histriones plus valent quam ipsi poetæ, sic in certaminibus forensibus propter improbitatem politiarum, ii oratores causas obtineant, qui actione præstant. Licet actio tanti sit ad oratoriam momenti, adhuc non prodiit ars de actione oratoria. Ratio est, quia, ut diximus num. 1., actio est posterior natura quam elocutio; sed sero ac non multis abhinc annis tradita est ars de elocutione oratoria; ergo non est mirum, quod de oratoria actione adhuc ars non fuerit tradita.

4. *Quoad quartum :* explicata aliqualiter natura et utilitate actionis, debemus explicare naturam et utilitatem elocutionis, atque elocutionem cum actione conferre. Oratoria elocutio secundum se quidem videtur res levis; sed quia Rhetorica, tota quanta est, opinionibus hominum debet inservire, ideo magna diligentia suscipienda est cura elocutionis, tanquam summopere necessariæ. Ratio, cur elocutio oratoria secundum se sit res levis, est, quia cum sermo ordinetur ad exprimendas res, deberemus solum requirere, ut elocutio talis esset, ut res exprimeret,

ipsa vero per se neque molestiam neque jucunditatem afferret; ergo justum esset, ut oratores rebus solum pugnarent, non autem lenociniis verborum; ergo verborum ornatus demonstrationibus additus videtur esse supervacaneus atque superfluus; sed quia auditores propter quamdam improbitatem non sunt contenti rebus, sed requirunt etiam lenocinia verborum, ideo elocutio de facto multum valet. Et quidem elocutio secundum se aliquid confert ad omnes disciplinas, etiam scientificas, siquidem ad omnes disciplinas refert, quo pacto res declarentur, uno modo, an altero; sed ad ceteras disciplinas non tantum confert, quantum ad oratoriam, quæ, tota quanta est, pendet a phantasia et ad auditores refertur. Hinc oritur, ut qui tradunt Geometriam aliasque disciplinas scientificas, non sint de ornata elocutione solliciti, at qui oratoriam exercent, summopere sint solliciti de elocutionis ornatu. Jam vero ars de actione oratoria, cum prodierit, idem efficiet ac histrionica. Sicut enim histriones magis valent quam ipsi poetæ, qui tragœdias scribunt, sic actores orationum magis valebunt quam oratores, qui scribunt orationes. Licet tamen nemo tradiderit artem de actione oratoria, adhuc aliqui conati sunt non nihil de ipsa dicere, ut Thrasymachus in miserationibus. Porro actio et elocutio differunt præsertim in hoc, quod ad actionem multum valet natura, non multum ars; e converso ad elocutionem plurimum conducit ars; conveniunt vero, quod sicut orationes, quæ recitantur, magis valent propter actionem quam propter res, sic orationes scriptæ magis valent propter elocutionem, quam propter sententias.

5. Ac cœperunt quidem movere primum, ut natura tulit, poetæ. Nomina enim imitationes sunt, tributa vero etiam est vox nobis omnium partium aptissima ad imitationem. Quamobrem et artes constitutæ sunt, tum rhapsodia tum histrionica tum aliæ. Quoniam vero poetæ dicentes inania ex elocutione videbantur comparasse hanc gloriam, propterea poetica prima extitit elocutio, ut Gorgiæ. Et nunc etiam multi ineruditi tales arbitrantur disputare pulcherrime. At non est ita, sed alia orationis, alia poesis elocutio est. Manifestum autem id facit eventus; neque enim tragoedias facientes amplius utuntur eodem modo sed quemadmodum ex tetrametris ad jambicum se contulerunt, quia sermoni inter alia metra simillimum sit, sic nomina abjecerunt, quæcumque præter consuetudinem loquendi sunt; et quibus primi ornabant, et adhuc etiam, qui nunc hexametra faciant, abjecerunt. Quamobrem ridiculum est imitari eos, qui ipsi non amplius illo utuntur modo. Quare apparet non omnia, quæcumque de elocutione licet dicere, exacte nobis explicanda esse, sed quæ de ejusmodi, qualem dicimus. De illa vero dictum est in iis quæ sunt de Poetica.

5. *Quoad quintum:* sicut prius inventa est actio poetica quam oratoria, sic etiam prius inventa fuit elocutio poetica quam oratoria. Ratio est quia Poesis est ars imitativa; sed nomina et voces sunt quædam imagines et imitationes rerum, ac nihil datur in homine magis aptum ad imitandum quam vox; ergo non est mirum, quod poetæ præcipuo studio versati sint circa voces, atque invenerint elocutionem poeticam ad imitandum factam, ideoque instituerint artes poeticas, nimirum rhapsodiam seu epicam et histrionicam sive dramaticam et alias, atque unicuique suam elocutionem accommodarint. Quia vero poetæ, licet canerent res inanes, adhuc magnam sibi gloriam compararunt, ideo primi oratores, qui ornate eloqui studuerunt, sectati sunt elocutionem poeticam, inter quos recenseri potest Gorgias. Imo etiam nunc non desunt aliqui parum in præceptis artis eruditi, qui arbitrantur se pulcherrime loqui, cum loquuntur poetice. At isti falluntur. Alia siquidem est elocutio oratoria, alia poetica. Hoc autem probatur ex ipso eventu. Quia enim tragœdiis accommodatur elocutio non multum absimilis locutioni familiari; poetica autem elocutio primo inventa est valde absimilis locutioni familiari, ideo nunc scriptores tragœdiarum non amplius utuntur illa antiqua locutione poetica; ac sicut dimissis trimetris, quibus utebantur, utuntur iambis, quia sermo communis est similis iambis, sic dimissa illa antiqua elocutione poetica, quam etiam nunc adhibent, qui scribunt hexametra, utuntur alia, quæ est similior locutioni familiari. Cum igitur ipsi poetæ dramatici nunc abjecerint illam antiquam locutionem poeticam, ridiculi sunt oratores, qui eam adhuc usurpant. Quia ergo elocutio poetica differt ab oratoria, nos autem debemus hic agere de elocutione oratoria, non debemus tradere omnia, quæ spectant ad elocutionem, sed solum ea, quæ spectant ad elocutionem oratoriam; præsertim cum in Poetica egerimus de iis, quæ pertinent ad elocutionem poeticam. Volumus autem hic ut firma supponi, quæ de poetica elocutione tradidimus in Poeticis.

CAPUT II

DE PERSPICUITATE AC DECORO, QUÆ SUNT VIRTUTES ELOCUTIONIS; QUIBUS NOMINIBUS SIT UTENDUM AD REDDENDAM ORATIONEM PERSPICUAM ATQUE DECORAM, AC PRÆSERTIM DE METAPHORIS.

1. [2] Sint ergo illa cogitata, et definita sit elocutionis virtus, ut perspicua sit (signum enim est, quod oratio, si non declaret, non obibit suum ipsius munus) et ut neque humilis neque supra dignitatem, sed decora. Nam poetica fortasse non humilis, sed non decora orationi.

2. Ex nominibus autem et verbis perspicuam quidem efficiunt propria, non humilem vero, sed ornatam alia nomina, quæcumque dicta sunt in præceptis de Poetica. Cum enim immutatur, efficit, ut appareat grandior ; quemadmodum enim homines ad peregrinos et ad cives, sic afficiuntur etiam ad elocutionem. Quamobrem oportet efficere peregrinum sermonem ; admirabile enim rerum externarum est, jucundum vero admirabile est.

Incipit Aristoteles agere de virtutibus elocutionis, ac *primo* quidem probat duas esse virtutes elocutionis, perspicuitatem nimirum ac decorum; *secundo* ostendit, quod ad reddendam elocutionem perspicuam, utendum est nominibus propriis; ad reddendam eamdem non humilem, sed grandem ac decoram utendum, est nominibus peregrinis; *tertio* explicat discrimen carminis a soluta oratione in usu elocutionis peregrinæ; *quarto* docet oratorem ita debere sectari peregrinum sermonem, ut id lateat auditorem, ac videatur loqui non ficte sed naturaliter; *quinto* ostendit, quod ex nominibus peregrinis translata et metaphorica sunt maxime solutæ orationi accommodata; *sexto* docet, ex quibus sumenda sint translata ac metaphoræ; *septimo* demum explicat, qualibus appositis seu epithetis ac diminutivis sit utendum.

1. *Quoad primum :* prima elocutionis virtus est, ut sit perspicua. Ratio est, quia virtus rei est, per quam res redditur apta ad suum finem et munus; sed finis ac munus orationis sive elocutionis est, ut declaret sensus mentis; ad hunc autem finem requiritur, ut sit perspicua; ergo, etc. Secunda virtus elocutionis est, ut neque sit humilis neque nimis elata ac supra dignitatem, sed servet decorum. Elocutio poetica non est humilis, adhuc tamen in soluta oratione est vitiosa, quia non servat decorum.

2. *Quoad secundum :* ad reddendam elocutionem perspicuam, valde conducunt nomina ac verba propria; ad reddendam autem non humilem, sed ornatam et excultam, conducunt nomina peregrina ac non vulgaria, de quorum speciebus actum est in Poetica cap. XX, num. 12, et sequentibus. Ratio est, quia oratio utens nominibus immutatis atque a communi consuetudine recedentibus, apparet grandior. Sicut enim ita affecti sumus, ut cives quidem ac domestica, quæ semper versantur ob oculos, fastidiamus et contemnamus, at vero peregrina et externa admiremur, et cum delectatione contemplemur; sic ita affecti sumus, ut elocutionem utentem nominibus consuetis ac vulgaribus fastidiamus, elocutionem autem utentem nominibus peregrinis atque a vulgo remotis admiremur eaque summopere delectemur. Oportet igitur, ut orator peregrino utatur sermone; ex eo enim admiratio, ex admiratione voluptas sequetur.

3. Ac in metris quidem et multa faciunt hoc et convenit illic; plus enim excellunt ea, et ii de quibus oratio est. In nudis autem sermonibus multo paucioribus. Argumentum enim inferius est, quoniam et hic, si servus ornate loqueretur aut valde juvenis, minus decorum esset, aut de parvis. Sed est etiam in his, quod contrahitur et dilatatur decorum.

4. Quamobrem oportet latere, dum id facimus, et non videri dicere ficte sed naturaliter; hoc enim appositum ad persuadendum, illud vero contrarium ; nam tanquam ab insidiatore cavent, quemadmodum a vinis permixtis. Et ut Theodori vox] affecta est ad vocem aliorum histrionum; hæc enim dicentis videbatur esse, illæ vero alienæ. Occultatur vero bene, si quis ex solito sermone seligens componat ; id quod Euripides facit et ostendit primus.

3. *Quoad tertium :* licet tum poeta in carmine, tum orator in oratione soluta, debeat uti peregrino sermone, adhuc est differentia. Poeta enim multo pluribus uti poterit ad reddendam elocutionem peregrinam, quam orator, atque illa carmen decebunt, quia tum ipsum carmen tum ea, de quibus poeta agit, valde recedunt a communi consuetudine. E converso, cum soluta oratio propinquior sit vulgari modo loquendi, atque agat de rebus minus grandibus quam carmen, parcius debet uti peregrinis, et in ipsis carminibus, si servus aut valde juvenis, aut agens de rebus parvis ac nullius momenti, grandiori ac nimis ornata oratione uteretur,

non servaret decorum. Decorum igitur dicitur ratione personarum ac rerum, et suscipit magis ac minus, ita ut eadem elocutio, quæ respectu aliquarum personarum ac rerum est decora, respectu aliarum sit indecora ac peccet, vel eo, quod sit nimis humilis, vel eo quod sit nimis elata.

4. *Quoad quartum :* ita debet orator sectari elocutionem peregrinam, ut hoc studium lateat auditorem, et videatur loqui non ficte ac studiose, sed naturaliter. Ratio est, quia finis oratoris est persuadere; sed elocutio naturalis est apta ad persuadendum, elocutio vero studiose conficta est ad persuadendum inepta, siquidem a studiose fingentibus orationem cavemus quasi ab insidiatoribus, ab iisque abhorremus, sicut a vinis non sinceris sed medicatis; ergo, etc. Sicut igitur Theodori histrionis vox probatur præ vocibus aliorum histrionum, quia vox Theodori videtur naturalis atque ejus propria, voces aliorum videntur fictæ et alienæ; sic elocutio, quæ videtur naturalis, probatur præ elocutione, quæ videtur ficta. Ad hunc autem finem, ut lateat auditores, nos sectari sermonem peregrinum, debemus ex consueto sermone seligere optima, ex iisque orationem componere; talis enim oratio quia constabit ex optimis, erit peregrina, quia ex consuetis, videbitur naturalis. Hoc autem egregie præstitit Euripides, atque aliis suo exemplo aperuit viam idem efficiendi.

5. Cum autem sint nomina et verba ea, ex quibus oratio constat, et nomina tam multas habeant species, quam multæ consideratæ sunt in præceptis de Poesi, ex his quidem linguis et duplicibus nominibus et factis raro et paucis in locis utendum est. Ubi vero, posterius dicemus; et quamobrem, dictum est; in majus enim immutant quam decet. Proprium autem et domesticum et translatio tantum prosunt ad nudorum sermonum elocutionem. Signum vero est, quod his solis omnes utuntur; omnes enim translationibus loquuntur et domesticis et propriis. Quare manifestum est, si recte faciat aliquis, fore peregrinitatem et latere posse et perspicue dicere ; hæc autem est oratoriæ orationis virtus. Ex nominibus vero sophistæ quidem homonymiæ sunt utiles ; nam circa has fraudem facit. Poetæ vero synonymiæ. Dico autem et propria et synonyma, ut et ire et proficisci; hæc enim ambo et propria et synonyma sunt invicem. Ac quid sit quidem unumquodque horum, et quot species translationis, et quemadmodum potissimum valeant tum in Poesi tum in orationibus translationes, dictum est, ut exponebamus, in præceptis de Poetica. Tanto autem in orationibus oportet magis laborare de ipsis, quanto pauciora auxilia oratio habet quam metra. Et perspicuum et jucundum et peregrinum habet maxime translatio. Et sumere non licet ipsam ab alio.

5. *Quoad quintum :* cum oratio constet ex nominibus ac verbis, nominum autem plures sint species, quas enumeravimus in Poetica cap. xx, num. 12, et sequentibus, nominibus quidem desumptis ex variis linguis seu dialectis, ac similiter nominibus compositis et innovatis raro utendum est in soluta oratione. Ratio est, quia ut dictum est num. 4, soluta oratio non debet uti nominibus, quæ nimis recedunt a sermone communi; sed nomina variarum linguarum seu dialectorum, ac similiter nomina juncta seu composita et innovata nimis recedunt a sermone communi; ergo, etc. Quibus vero potissimum locis talibus nominibus sit utendum, explicabitur inferius cap. vii, num. 8. Relinquitur ergo, ut soluta oratio debeat pæne tota constare ex nominibus propriis, domesticis ac translatis, siquidem his solis homines utuntur in communi sermone. Si quis igitur recte utatur his tribus generibus nominum, et sermone utetur peregrino, et latebit auditorem, quod peregrina sectetur, et reddet orationem perspicuam; sed virtus orationis consistit in his; ergo consequetur virtutem elocutionis propriam. Sicut porro oratoribus maxime accommodantur tria explicata genera nominum, sic sophistis, qui volunt decipere, summopere accommodantur nomina ambigua, poetis synonima, quæ (1) cum sint propria, idem significant, ut *ire* ac *proficisci*. Quid sit unumquodque horum nominum, quot sint species translationum, et quo pacto translationes accommodentur tum solutæ orationi tum vinctæ, explicatum est in Poetica cap. xx, num. 12, et sequentibus. Porro tanto majus studium in translationibus debet ponere orator quam poeta, quanto pauciora auxilia ad reddendam elocutionem peregrinam habet orator quam poeta; præsertim quia translatio maxime confert ad reddendam elocutionem perspicuam simul, jucundam ac peregrinam, et quia translationes non possumus ab aliis accipere, sed proprio ingenio debemus excogitare.

6. Oportet vero et epitheta et translationes congruentes dicere. Atque hoc erit ex proportione. Sin minus, indecorum apparebit, quia juxta se posita contraria maxime apparent. Sed

1. Quæ hic in editione Romana excidit linea facile ex textu suppletur.

oportet considerare, ut juveni purpura, sic seni quid ; non enim eadem convenit vestis.

7. Et si ornare velis, a melioribus in genere ducere translationem, et si vituperare, a pejoribus. Dico autem ut, quoniam contraria sunt in eodem genere, exponere mendicantem quidem precari, precantem vero mendicare; quia utrumque petitio est, id quod dictum est, licet facere. Quemadmodum et Iphicrates Calliam matragyrtam, sed non daduchum. Ille autem dixit non initiatum ipsum esse ; non enim matragyrtam ipsum appellasset, sed daduchum ; utrumque enim ad deam refertur, sed illud honoratum, hoc inhonoratum. Et alii quidem sunt Dionysii assentatores, ipsi vero se artifices vocant; ambo enim hæc translationes, illa inquinantium, hæc contra. Et alii sunt prædones, ipsi vero se lucrifactores appellant nunc. Quare licet dicere illum, qui injuriam facit, errare, illum vero qui errat, injuriam facere. Et eum qui surripuit et sumpsisse et populatum esse. Illud autem quod Telephus Euripidis inquit, « remo imperare et descendens in Mysiam » indecorum, quia imperare majus est quam pro dignitate ; non igitur occultum est.

6. *Quoad sextum :* quia ex dictis orator debet uti translatis, tradendæ sunt regulæ ad bene nomina transferenda. *Prima* ergo regula communis translatis et epithetis est, ut tum nomina translata tum epitheta congruant rebus, quibus tribuuntur; tum autem congruent, quando habebunt proportionem cum re. Si vero nomina non habeant proportionem cum re, tum statim apparet, illa non decere rem, siquidem opposita juxta se posita magis elucescunt. Sicut igitur juvenem quidem decet vestis purpurea, senem vero non decet, sed illi tribuendum est aliud genus vestis; sic quasdam res decent quædam metaphoræ atque epitheta, alias res non decent.

7. *Secunda regula* est, ut cum volumus laudare, desumamus translationes a melioribus, cum volumus vituperare, desumamus a deterioribus ejusdem generis; ex. gr., quia in eodem genere petitionis datur tum precari, quod est melius, tum mendicare, quod est deterius, si velimus petentem laudare, dicemus illum precari, si velimus vituperare, dicemus illum mendicare. Hac regula usus est Iphicrates. Cum enim diversa essent munera ministrantium sacris Ideæ matris, quædam sordidiora, quale erat eorum, qui mendicabant stipem pro sacris, qui vocabantur mitragyrtæ, quædam honestiora, quale erat eorum, qui Ideæ matri faces præferebant, qui vocabantur daduchi, Iphicrates ut vituperaret Calliam unum ex ministris matris Ideæ vocavit illum matragyrtem; Callias autem respondit satis apparere, quod Iphicrates non fuerat initiatus sacris magnæ matris; si enim fuisset initiatus, scivisset Calliam non esse matragyrtem sed daduchum. Eodem artificio utebantur adulatores Dionysii, dum se non adulatores sed artifices voluptatum vocabant; quin ipsi latrones utuntur hoc artificio, dum se ipsos vocant studiosos rei quærendæ. Cum enim adulator et artifex voluptatum, ac similiter latro et lucri studiosus, in eodem sint genere, sed prima duo nomina spectent ad laudem, duo posteriora ad vituperationem; callide adulatores et prædones ad se ipsos honestandos tribuunt sibi nomina artificum voluptatis et studiosorum lucri. Ad idem artificium spectaret qui agens de aliquo, qui fecerit injuriam, ad ipsum excusandum diceret illum errore lapsum fuisse; vel agens de aliquo, qui per imprudentiam alterum læserit, diceret illum injuriam intulisse; et qui agens de fure, diceret illum accepisse; agens de eo, qui sumpserit tantum, diceret illum surripuisse. In talibus tamen translationibus debet haberi ratio decori, ideoque Telephus, qui de quibusdam remigibus descendentibus in Mysiam dixit, quod regnabant in remos, peccavit contra decorum, quia usus est translatione regnantis, quæ longe superat remigum dignitatem. Cum vero quis utitur translatis supra dignitatem, statim apparet artificium, ideoque apud auditores amittitur fides.

8. Inest etiam syllabis error, si non sint jucundæ signa vocis, ut Dionysius vocat Chalceus in elegis clangorem Calliopes poesim; quia ambæ sunt voces. Mala autem translatio ex significationis expertibus vocibus.

9. Præterea vero non longe oportet, sed ex cognatis et conformibus transferre, innominata cum nomine, quod dictum manifestum sit cognatum esse, ut in ænigmate illo probato « virum vidi igne æs viro agglutinantem » ; innominata enim est affectio, est autem utrumque appositio quædam ; agglutinationem igitur dixit cucurbitæ applicationem. Et omnino ex probe factis ænigmatibus licet translationes sumere elegantes ; translationes enim faciunt ænigmata ; quare manifestum est bene translatum esse. Et ab honestis.

10. Honestas autem nominis est, ut Licymnius ait, in sonis vel significato; et turpitudo eodem modo. Præterea tertia est, quæ solvit sophisticam rationem. Non enim est, ut dixit Bryson, neminem turpiter dicere, siquidem

idem significat hoc pro illo dicere. Hoc enim est falsum ; nam est aliud alio magis proprium et similius et accommodatius ad ponendam rem ante oculos. Præterea non similiter se habens significat hoc et illud. Quare sic etiam aliud alio honestius et turpius ponendum est; ambo enim honestum quidem et turpe significant, sed non quatenus honestum aut non quatenus turpe; aut hæc quidem, sed magis et minus. Translationes autem hinc ducendæ ab honesto aut voce aut vi aut aspectu aut alio aliquo sensu. Differt vero dicere, exempli causa, roseodigitam auroram magis quam purpureodigitam, vel adhuc deterius rubrodigitam.

8. *Tertia regula* est, ut cum utimur translatione ad significandam rem suavem, eligamus nomina habentia sonum non asperum, sed suavem. Ideo peccavit Dionysius poeta cognomento Chalceus, dum in suis elegiis suavissimum Calliopis cantum vocavit clangorem, quia nomen clangoris, cum sit asperum, etiam ex hoc capite est ineptum ad significandum cantum Calliopis; præterquam quod clangor significat vocem inarticulatam.

9. *Quarta regula* est, ut nomina non longe ducantur, sed sumantur ex rebus, quæ propinquæ atque affines inter se sint; hoc autem præsertim observandum est, cum tribuimus nomen alicui rei innominatæ. Hanc regulam optime observavit auctor illius probati ænigmatis, dum de quodam, qui applicaverat ægroto cucurbiculas ignitas, vulgo *le coppe*, dixit : *Vidi virum igne æs viro agglutinantem.* Quia enim applicatio cucurbiculæ et agglutinatio conveniunt in genere appositionis, applicatio autem cucurbiculæ caret nomine proprio, transtulit ad illam nomen propinquum agglutinationis. Porro ex probatis ænigmatibus possumus desumere exempla probatarum translationum. Cum enim ænigmata constent ex pluribus translationibus, si ænigma approbatur, signum est, quod constat ex translationibus bene factis.

10. *Quinta regula* est, ut translationes sumantur a rebus honestis, non autem a turpibus. Sed explicandum est, undenam desumatur honestas vel turpitudo nominis. Honestas nominis non solum desumitur ex sono et ex significatione, ut Licymnius ait, sed etiam ex modo significandi; turpitudo nominis ex iisdem desumitur. Hinc solvitur sophisticum argumentum Brysonis, qui dicebat nullum nomen esse turpe, ac id probabat, quia aliud nomen significans eamdem rem turpem non est turpe; ergo neque est turpe hoc nomen, quod dicis esse turpe. Cum enim utrumque nomen idem significet, cur unum est turpe et obscœnum, aliud non? Potest responderi tripliciter. Prima responsio est : hæc duo nomina significant idem, sed non eodem modo; nam illud, quod est turpe, est magis proprium rei, magis simile ac magis turpitudinem ponit ob oculos. Secunda responsio est : unum nomen significat rem turpem, in quantum est turpis, alterum significat rem turpem, in quantum includit aliquid non turpe; ideo unum est turpe, aliud est honestum. Tertia responsio est : licet utrumque significet eamdem rem turpem, aliud significat magis, aliud minus. Curandum igitur est, ut translationes desumantur ab honestis, vel voce, vel vi significandi, vel honestate rei, quæ ob oculos aliosque sensus ponitur. Quia vero dum dicimus auroram esse roseo-digitam, ponimus ob oculos colorem rosæ, qui delectabilior est visui quam color puniceus vel color ruber utcumque, ideo melius aurora dicitur roseo-digita, quam puniceodigita vel rubro-digita.

11. Et in epithetis licet appositiones fieri a malo vel turpi, ut matricida, et licet a meliori, ut patris vindex. Et Simonides, cum daret præmium parvum ipsi is, qui vicerat mulabus, noluit carmen facere, quasi gravaretur in semiasinas carmen facere; ubi vero idoneum dedit, cecinit « salvete volucrum filiæ equorum ». Atqui asinorum quoque filiæ erant.

12. Præterea idem diminuere. Est autem diminutio, quæ minus reddit et malum et bonum, ut Aristophanes cavillatur in Babyloniis, pro auro aurulum, pro toga togulam, pro convicio conviciolum et morbulum. Cavere autem oportet, et observare modum.

11. *Quoad septimum :* quia etiam epitheta orationem ornant et habent quamdam similitudinem cum metaphoris, ideo Aristoteles breviter subjungit quædam de epithetis. Epitheta possunt desumi tum ex melioribus tum ex deterioribus. Ad laudandum desumenda sunt ex melioribus, ad vituperandum ex deterioribus. Ex. gr., ad vituperandum Orestem debemus illum vocare matricidam, ad eumdem laudandum debemus appellare patris vindicem. Simonides etiam poeta, cum quidam, qui in ludis olympicis vicerat mulabus, peteret ab ipso, ut suam victoriam carmine laudaret ac parvam illi mercedem offerret, respondit, se nolle

facere carmen in laudem semiasinarum. Cum vero ille mercedem auxisset, scripsit carmen ac cecinit : « *Salvete volucrum filiæ equorum* ». Cum igitur mulæ sint filiæ equorum et asinarum, Simonides ut illas vituperaret, vocavit semiasinas; ut laudaret, vocavit volucrum equorum filias.

12. Potest etiam res ornari aut vituperari utendo diminutivis ac diminuendo tum bona tum mala : ad laudandum quidem diminuendo mala, ad vituperandum minuendo bona. Ita Aristophanes in Babyloniis cavillatur minuendo bona, ut cum aurum vocat aurulum, et togam togulam; et minuendo mala convicium vocat conviciolum, morbum vocat morbulum. In utendo tamen diminutivis, cavendum est, ut modus servetur.

CAPUT III

DE FRIGIDIS, AC DE QUATUOR CAPITIBUS, EX QUIBUS ELOCUTIO REDDITUR FRIGIDA.

1. [3] Frigora in quatuor fiunt secundum elocutionem. In duplicibus nominibus, ut Lycophron multiforme cœlum magnicervicæ terræ, et littus angustimum. Et ut Gorgias nominabat, ptochomusus adulator, pravejuroset probejuros. Et ut Alcidamas « furore quidem animum repletum, ignivomum vero aspectum factum », et finiferentem putavit alacritatem ipsorum futuram, » et « finiferentem suadelam orationum constituit », et « cærulicolor maris solum »; omnia enim hæc poetica ob duplicationem apparent. Ac una quidem hæc causa est;

2*. altera vero uti linguis, ut Lycophron Xerxem pelorium virum, et Sciron sinnis vir, Alcidamas athyrma poesi, et naturæ atasthaliam, et mera animi ira exacutum.

Quia periculum est, ne oratores, dum conantur reddere elocutionem peregrinam, efficiant illam frigidam, ideo Aristoteles, postquam egit de iis, ex quibus elocutio fit peregrina, disserit de iis, ex quibus redditur frigida, insipida et insulsa.

1. Elocutio potest reddi frigida et insulsa ex quatuor capitibus. *Primo* ex immodico et indecoro usu nominum compositorum. In hoc vitium incidit Lycophron, dum agens de cœlo, terra et mari seu littoribus vocavit *multifacies cœlos magnæcervicis, vel magniverticis terræ,* et *angustivadum littus.* In idem vitium incidit Gorgias, apud quem adulator dicitur πτωχόμουσος, quasi pauperscius, et qui bene vel male jurant, vocantur *benejuri* ac *melejuri.* Frigidus etiam videtur Alcidamas, dum describens quemdam furentem dixit : *Furore quidem animum repletum, vultum vero factum ignivomum;* et dum loquens de quorumdam promptitudine ad pugnandum usque in finem, vocavit illam *finiferam;* et vim persuadendi vocavit quoque *finiferam;* ac loquens de mari dixit, quod est *cærulicolor.* Usus igitur indecorus talium compositionum in soluta oratione facit, ut oratio sit frigida ac videatur poetica.

2. *Secundo* elocutio potest reddi frigida propter nimium usum nominum priscorum ac dialecticorum. In hoc vitium incidit Lycophron, dum Xerxem vocavit virum πέλωρον, hoc est ingentem ; nomen autem πέλωρον est priscum nec in soluta oratione usitatum; et dum loquens de Scirone, qui fuit latro occisus a Theseo, dixit, quod erat vir σίννις, hoc est nocuus, quod nomen est priscum. In eumdem errorem lapsus est Alcidamas, cum loquens de poesi, dixit : nihil tale ἄθυρμα, hoc est lusus, poesi est utile; nomen autem ἄθυρμα est priscum vel peregrinum, nec in soluta oratione usurpandum. Idem loquens de natura vocavit ἀτασθαλίαν, seu peccatum naturæ; et loquens de quodam irato vocavit eum ira τεθηγμένον, id est exacerbatum, et in utroque exemplo usus est nominibus priscis et peregrinis, nec in soluta oratione usurpandis.

3. Tertium in epithetis aut longis aut intempestivis aut frequentibus adhibendis. In poesi enim decet lac album dicere, at in oratione partim indecora sunt, partim si sint nimia, arguunt et reddunt manifestum poesim esse. Et quoniam ipsa uti oportet (immutat enim consuetum, et peregrinam efficit elocutionem), saltem oportet intueri modum, quoniam majus, facit malum, quam si temere dicas : illa enim non habet quod bene est, hæc vero, quod male. Quamobrem Alcidamantis frigora apparent; non enim ut condimentis utitur, sed ut cibis, epithetis, sic crebris et majoribus et apertis, ut non sudorem sed humidum sudorem, nec ad Isthmia sed ad Isthmiorum mercatum, et non leges sed civitatum reginas leges, et non cursu sed cursorio animi impetu, et non museum sed « naturæ cum accepisset museum », et tristem curam animi, et non gratiæ sed popularis gratiæ opifex, et dispensator audientium voluptatis, et non ramis sed « silvæ ramis occultavit », et non corpus velavit sed corporis pudorem, et repræsentatricem animi cupiditatem. Hoc autem simul et duplex et epitheton est; quare poema fit. Et sic

« immensam improbitatis exsuperantiam ». Quamobrem poetice dicentes cum indecoro ridiculum et frigus efficiunt, et obscurum propter loquacitatem. Quando enim cognoscenti inculcas, id dissolvit perspicuum offusione obscuritatis.

3. *Tertio* elocutio potest reddi frigida propter usum epithetorum aut longorum, aut inopportunorum, aut frequentiorum quam par sit. Ita licet bene in poesi dicatur lac album, adhuc si quis in soluta oratione dixerit *lac album*, efficiet orationem frigidam, siquidem cum omnes sciant lac esse album, illud epithetum inopportune additur. Quædam igitur epitheta sunt indecora; alia si nimis frequentia sint, faciunt, ut soluta oratio videatur poesis. Quandoquidem igitur in oratione soluta aliquando utendum est epithetis, quia cum immutent modum consuetum, orationem reddunt peregrinam, curandum est, ut cum modo illa usurpemus, præsertim, quia magis peccat, qui male his ornamentis utitur, quam qui loquitur temere ac sine ullis ornamentis, siquidem hic dicit non bene, ille autem dicit male. In hoc vitium male ac sine modo utendi epithetis incidit Alcidamas, cujus proinde oratio manifeste est frigida. Non enim utitur epithetis ac circumlocutionibus ut condimentis, sed ut cibo consueto. Epitheta siquidem illius sunt crebra et majora quam deceant, et manifesta, ita ut non lateat ars. Cum enim loquitur de sudore, non utitur simplici nomine, sed vocat illum humidum sudorem; cum dicit aliquem ivisse ad Isthmia, ubi celebrabantur ludi Græcorum, utitur circumlocutione ac dicit illum ivisse ad Isthmiorum panegyrim; cum facienda est mentio legum, vocat illas civitatum reginas leges; cum facienda est mentio cursus, vocat illum cursorium animi impetum; loco nominandi museum, addit naturæ museum; cum nominat curam, vocat illam tristem animi curam; cum mentionem facit gratiæ, addit epithetum populare ac dicit : popularis gratiæ opifex; oratorem vocat dispensatorem voluptatis audientium; agens de aliquo, qui quamdam rem occultaverat ramis, dicit, quod illam silvæ ramis occultaverat; loquens de quodam, qui velaverat corpus, dicit, quod velavit pudorem corporis; loquens de cupiditate vocat illam ἀντίμιμον, hoc est repræsentatricem animi cupiditatem, in quo dupliciter peccavit, et addendo epithetum superfluum, et addendo compositum; loquens de improbitate, vocat illam immensam improbitatis exuperantiam. Creber igitur usus epithetorum et circumlocutionum facit, ut soluta oratio videatur poema. Præterea poetice dicentes et peccant contra decorum, et reddunt elocutionem frigidam, ridiculam et etiam obscuram. Loquacitas enim, per quam idem inculcatur ei, qui jam percepit, tollit perspicuitatem ac tenebras offundit orationi.

4. Homines autem duplicibus utuntur, quando quid sine nomine sit, et oratio facile jungi possit, ut diem terere. Sed si multum sit, omnino poeticum est. Quamobrem utilissima est duplex elocutio dithyrambicis; isti enim sunt pleni strepitus. Linguæ autem epicis; res enim grandis est et superba. Translatio vero iambicis; his enim nunc utuntur, ut dictum est.

5. Et præterea quartum frigus in translationibus efficitur. Sunt enim etiam translationes indecoræ, partim quidem propter ridiculum (nam utuntur etiam comici translationibus), partim vero propter rem grandem nimis et tragicam. Obscuræ autem, si longe petitæ. Ut Gorgias « pallidas et exsangues res; tu vero hæc turpiter seminasti, male autem messuisti ». Poeticum enim est nimis. Et ut Alcidamas philosophiam propugnaculum legum, et Odysseam pulchrum humanæ vitæ speculum, et « nullum tale athyrma poesi afferens »; omnia enim hæc minus ad persuasionem apposita sunt ob ea, quæ dicta sunt. Illud autem Gorgiæ in hirundinem cum adversus ipsum volans demisisset stercus, optime inter tragicos; inquit enim « turpe sane, o Philomela ». Avi enim si id dixisset, non turpe, virgini vero turpe. Recte igitur convicium dixit, commemorans quod fuit, non quod est.

4. Sed potest quæri, quandonam debeat orator uti verbis compositis, et cui scriptionis generi tum verba composita, tum dialecti ac nomina prisca, tum etiam metaphoræ maxime accommodentur. Respondet Aristoteles ad primum quæsitum, quod sicut homines in familiari sermone tum solent nomina componere, cum id, de quo agitur, caret proprio nomine simplici et nomina facile jungi possunt, ideoque utuntur dictione composita χρονοτριβεῖν, quæ significat terere tempus; sic concurrentibus his duabus circumstantiis, possunt etiam oratores cum laude uti dictionibus compositis, dummodo id non faciant crebrius quam par est; si enim crebrius utantur vocum compositione, efficient orationem poeticam. Ad secundum quæsitum respondet, quod dictiones compositæ maxime accommodantur dithyrambis. Cum enim dithy-

rambus sit carmen strepitus plenum, congruunt illi voces compositæ, quæ sunt valde sonoræ. Nomina prisca ac dialecti accommodantur epicis. Cum enim carmen epicum sit grande ac superbum, requirit nomina prisca et externa, quæ præferunt quamdam granditatem. Demum translationes maxime accommodantur iambis, quia imitantur consuetum modum loquendi, in quo solemus uti translatis.

5. *Quarto* demum elocutio potest reddi frigida propter translationes. Possunt enim translationes esse indecoræ, vel quia movent ad risum, quales sunt quibus utuntur comici, vel quia sunt, nimis grandes ac nimis tragicæ. Præterea possunt esse obscuræ, si desumantur ab aliquo nimis remoto, qualis fuit translatio, qua usus est Gorgias dicens quædam negotia esse pallida et sanguinea. Illud etiam : *tu vero hæc turpiter seminasti, male autem messuisti,* nimis est poeticum. Poetica etiam videntur illa Alcidamantis, quibus Philosophiam vocat propugnaculum legum ; Odysseam appellat pulchrum humanæ vitæ speculum; ac dum dicit nullum : tale ἄθυρμα, id est lusus, poesi est utile ; nomen enim ἄθυρμα, et est priscum, ut dictum est num. 2, et præterea est translatum translatione nimis longe petita. Quia igitur omnia hæc sunt minus accommodata ad persuadendum propter rationem allatam cap. II, num. 5, ideo in soluta oratione ab his est abstinendum. Concludit Aristoteles illud Gorgiæ in hirundinem, quæ in ipsum dimiserat stercus, pulcherrime ac tragice fuisse dictum. Conversus enim ad hirundinem dixit : *Turpe sane, o Philomela.* Si enim id dixisset avi utens nomine avis, fuisset frigidum, siquidem non est turpe avi stercus dimittere in transeuntes; sed quia transtulit sermonem ad Philomelam virginem, quæ juxta fabulam mutata est in avem, dictum fuit pulcherrime.

CAPUT IV

DE SIMILITUDINE SIVE IMAGINE.

1. [4] Est vero etiam imago translatio; differt enim parum. Nam cum inquit de Achille « utque leo ruit », imago est, cum autem « leo ruit » translatio. Etenim quia ambo fortes sunt, appellavit transferendo leonem Achillem.

2. Utilis vero etiam imago est in oratione, sed raro, cum poetica sit. Eliciendæ autem sunt ut translationes ; nam translationes sunt differentes in eo quod dictum est.

1. Similitudines, sive imagines sunt quædam translationes ac solum differunt ex modo, quo proferuntur. Si enim de Achille dicas, quod ut leo in hostes irruit, est similitudo sive imago; si autem voces Achillem leonem ac dicas, Græcorum leonem irruisse in Trojanos, est translatio, in qua nomen leonis transfertur ad Achillem propter similitudinem, quam leo habet cum Achille in fortitudine. Cum igitur tanta inter translationes ac similitudines detur affinitas, postquam egimus de translationibus, subjungenda sunt aliqua de similitudinibus sive imaginibus.

2. Utilis aliquando in soluta oratione est similitudo, non minus quam translatio, sed non sunt frequenter adhibendæ, quia magis propriæ sunt poetarum. In similitudinibus autem eliciendis servandæ sunt eædem regulæ, quas de translationibus tradidimus cap. II, num. 6; siquidem similitudines sunt quædam translationes differentes solum ex modo proferendi.

3. Sunt autem imagines, ut quam Androtio in Idrieum, similem esse ex vinculis solutis canibus ; illi enim obvium mordent, et Idrieum solutum ex vinculis esse morosum. Et ut Theodamas assimilabat Archidamum Euxeno Geometriam nescienti. Et ex proportione ; est enim etiam Euxenus Archidamus geometricus. Et illud in Politia Platonis, qui mortuos spoliant, similes esse canibus qui lapides mordent, jacientes non attingendo. Et in populum, similem esse nauclero robusto quidem sed surdastro. Et in versus poetarum, similes esse sine pulchritudine venustis ; illi enim cum defloruerint, hi vero cum dissoluti sunt, non apparent similes. Et illa Periclis in Samios, similes esse ipsos infantibus qui mansum recipiunt, sed plorantes. Et in Bœotos, similes esse ilicibus ; ilices enim a se contundi, et Bœotos inter se pugnare. Et Demosthenes in populum, similem esse nauseantibus in navibus. Et ut Democrates assimilavit oratores nutricibus, quæ mansum diglutientes saliva infantes inungunt. Et ut Antisthenes Cephisodotum gracilem thuri assimilavit, quod dum consumitur, jucunditatem affert.

4. Omnes enim has et ut imagines et ut translationes licet dicere. Quare quæcumque probatæ fuerint tanquam translationes dictæ, manifestum est, ipsas etiam imagines futuras, et imagines translationes rationis indigentes. Semper vero oportet translationem ex proportione referre etiam in alteram partem, et in iis quæ sunt ejusdem generis, ut, si poculum est scutum

Dionysi, etiam scutum convenit dici poculum Martis. Ac oratio quidem constituitur ex his.

3. Plura similitudinum sive imaginum exempla Aristoteles affert. *Primum* est Androtionis qui de quodam Idrieo, qui ex vinculis et carcere liberatus omnibus erat molestus, dixit eum similem esse canibus. Sicut enim canes, cum ex vinculis solvuntur, omnes mordent, sic Idrieus ex carcere liberatus, omnibus negotium facessebat. *Secundum* exemplum est Theodomantis, qui dicebat Archidamum similem esse Euxeno, sed Geometriam nescienti. Sicut enim Euxenus erat nequissimus, sed Geometriæ peritus, sic Archidamus erat similis Euxeno in nequitia, sed non in Geometriæ peritia. E converso potuisset dici Euxenum esse similem Archidamo, sed Geometriæ perito. *Tertium* exemplum est Platonis, qui in lib. V. de Rep. dixit eos milites, qui tempore pugnæ loco irruendi in vivos spoliant cadavera mortuorum, similes esse canibus, qui lapides in eos jactos mordent, dimissis iis, qui jecerunt. *Quartum* est ejusdem, qui lib. VI. de Republ. dixit populum, qui cum respublica periclitatur, non percipit monita prudentium, similem esse nauclero robusto sed surdastro, qui tempore tempestatis non percipit monita bene consulentium circa salutem navis, adeoque sinit navim jactari ac perire. *Quintum* exemplum est ejusdem Platonis, qui lib. X. de Republ. dixit versus poetarum esse similes adolescentibus venustis sed non pulchris. Sicut enim illi, cum defloruerint, non videntur iidem, sic carmina cum dissoluta fuerint, non videntur eadem ac nihil retinent pulchri. *Sextum* exemplum est Periclis, qui dixit Samios, qui beneficia sibi collata accipiebant sed tristes, similes esse infantibus, qui cibum accipiunt flentes. *Septimum* exemplum est ejusdem Periclis, qui dixit Bœotios similes esse ilicibus. Sicut enim ilices, dum vento agitantur, se mutuo contundunt, sic Bœotii inter se mutuo pugnabant. *Octavum* exemplum est Demosthenis, qui dixit populum Atheniensem, qui omnia fastidiebat, similem esse navigantibus nausea laborantibus. *Nonum* exemplum est Democratis, qui dixit oratores, qui magna commoda et lucra sibi acquirentes, parva utilitate populum afficiebant, similes esse nutricibus, quæ cibum absorbentes, saliva infantes aspergunt. *Decimum* exemplum est Anthistenis, qui dixit Cephisodotum virum populo infensum, qui paulatim consumebatur macie cum magno gaudio populi, similem esse thuri, quod dum consumitur, affert jucunditatem.

4. Addit Aristoteles, quod omnes allatæ similitudines possent etiam afferri ut translationes. Omnes igitur translationes probatæ mutari possunt in similitudines, siquidem similitudines nihil aliud sunt quam translationes, in quibus additur particula *ut*, vel alia æquivalens ad exprimendam similitudinem, quam habent cum re, ad quam transferuntur. Porro translationes fundatæ in proportione necesse est, ut possint converti. quod idem accidit, cum nomen unius speciei tribuitur alteri speciei contentæ sub eodem genere; ex. gr., si propter proportionem potest dici, poculum esse clypeum Bacchi, potest etiam dici e converso clypeum esse poculum Martis. Et hæc de iis, ex quibus oratio componitur, dicta sint.

CAPUT V

DE PRIMA VIRTUTE ELOCUTIONIS, QUÆ EST, UT SIT EMENDATA, AC DE REQUISITIS AD ELOCUTIONEM EMENDATAM.

1. [5] Est autem principium elocutionis, ut emendate loquamur. Atque id positum est in quinque. Primum quidem in conjunctionibus, si quis reddiderit, prout naturam habent, ut antecedant et consequantur inter se, quemadmodum aliquæ requirunt, ut *quidem* et *ego quidem* requirit *vero* et *ille vero*. Oportet autem, quoad meminerit, referre inter se, et non longe separare, neque conjunctionem ante conjunctionem reddere necessariam ; paucis enim in locis convenit. « Ego vero, postquam mihi dixit, venit enim Cleon et rogans et obsecrans, profectus sum, cum assumpsissem ipsos ». In his enim multæ ante reddendam conjunctionem redditæ sunt conjunctiones. Si vero multum interjectum est inter *profectus sum*, obscurum est. Ac unum quidem, quod bene se habet, est in conjunctionibus.

Postquam Aristoteles egit de iis, ex quibus componitur elocutio. descendit ad agendum de ipsa elocutione ac de ejus virtutibus. Et quia prima virtus elocutionis est, ut sit emendata; secunda, ut sit grandis, ampla, ac magnifica; tertia, ut sit decora; quarta, ut sit numerosa; quinta, ut sit periodica; sexta, ut sit ur-

bana; septima, ut habeat energiam, per quam res ante oculos ponat, ideo de his elocutionis virtutibus seorsim pluribus capitibus disputat, ac deinde examinans, qualis elocutio conveniat singulis generibus dicendi, concludit tractatum de elocutione.

1. *Primo* igitur ad elocutionem requiritur, ut sit *emendata*, ita ut si loquamur græce, servemus regulas græce loquendi, si loquamur latine, servemus regulas latine loquendi. Ad hoc, ut locutio sit emendata, requiruntur quinque. Primum spectat ad conjunctiones (nomine conjunctionis comprehendit Aristoteles etiam propositiones, articulos et cæteras partes orationis, quæ distinguuntur a nomine et verbo). Circa conjunctiones igitur duo sunt observanda. *Primum* est, ut conjunctiones disponantur, sicut earum natura postulat, ita ut, quæ debent antecedere, præponantur, quæ debent subsequi, postponantur. Ex. gr., quia istæ duæ conjunctiones *quidem, vero* ita sibi mutuo debent correspondere, ut *quidem* præcedat, *vero* sequatur, et ita ut utraque non anteponatur, sed postponatur nomini, ideo ad hoc, ut emendate loquamur, debemus id servare. Qui igitur dicit : « *Ego quidem interrogavi, ille vero respondit*, loquitur emendate; qui autem diceret : « *Quidem ego interrogavi, vero ille respondit* » loqueretur inemendate, sicut loqueretur etiam inemendate, qui diceret : « *Ego vero interrogavi, ille quidem respondit* ». *Secundum*, quod circa conjunctiones observari debet, est, ut conjunctiones, quæ sibi mutuo respondent, non nimis distent inter se, nec inter illas tam multa interponantur, ut cum redditur conjunctio priori respondens, jam exciderit e memoria prior conjunctio. Ratio est, quia separatio conjunctionum causat obscuritatem, ideoque raro admodum inter conjunctiones interponendum est aliquid non necessarium. Contra hoc præceptum peccavit, qui dixit : « *Ego vero postquam mihi rem narravit, venit enim Cleon rogans, et obsecrans, profectus sum, cum assumpsissem eos?* » Cum enim ad ly *ego vero* referatur *profectus sum*, plura interposuit, ex quorum interpositione oritur obscuritas. Circa conjunctiones igitur hæc sunt observanda.

2. Alterum vero est, ut propriis nominibus loquamur et non ambientibus

3. Tertium, ut non ambiguis, nisi quis contraria præeligat; id quod faciunt, quando nihil habent quod dicant, et simulant aliquid dicere ; tales enim de industria proferunt hæc, ut Empedocles. Nam decipit circuitus, si multus sit, et afficiuntur auditores, ut vulgares inter ariolos, quando dicentibus ambigua annuunt. « Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim ». Et quia omnino est error minor, per genera rei loquuntur arioli. Verbi gratia, si quis in ludo paris et imparis paria aut imparia dixerit magis quam quot habeat, et futurum esse quam quando ; quamobrem arioli non definiunt quando. Omnia igitur hæc similia sunt. Quare nisi alicujus ejusmodi rei gratia, fugienda sunt.

4. Quartum, ut Protagoras genera nominum dividebat in virilia et feminina et instrumenta ; oportet enim reddere etiam hæc recte : « Illa vero reversa et collocuta discessit ».

5. Quintum in multis et paucis et uno recte nominandis : « illi vero reversi verberarunt me ». Omnino autem oportet facile legi, quod dictum est, et proferri posse.

6. Est vero idem, quod multæ conjunctiones non habent; nec, quæ non facile est interpungere, ut quæ sunt Heracliti. Nam quæ sunt Heracliti, interpungere operosum est, quia incertum est, utri adjaceat, posteriorine an priori, ut in principio ipsius libri. Inquit enim : « rationis hujus quæ est semper imperiti homines fiunt ». Incertum enim est, illud « semper » utri interpungas.

7. Præterea efficit solœcismum ipsum non reddere, si non adjungas ambobus, quod convenit : ut aut strepitum aut colorem, videns quidem non est commune, sentiens vero est commune.

8. Obscuritas autem est, si non præponendo dicas, multa in medio inculcaturus, ut « debebam enim locutus cum illo hæc et hæc, et sic, proficisci ». Non autem « debebam enim locutus proficisci. Deinde hæc, et hæc, et sic facta sunt ».

2. *Secundum*, quod ad emendatam locutionem requiritur, est, ut res propriis nominibus appellemus, non autem circumscribamus ipsas per nomina generica et communia.

3. *Tertium* est, ut non utamur vocibus ambiguis. Ratio utriusque præcepti est, quia tum circumscriptio rerum per nomina communia et generica, tum usus vocum ambiguarum orationem reddunt obscuram. Tum igitur solum oratores et poetæ de industria possunt uti circuitu nominum communium et vocibus ambiguis, cum nihil habent quod dicant, et tamen videri volunt auditoribus aliquid dicere, ut sæpe facit Empedocles. Ratio, cur in hoc casu sit utilis circuitus verborum ac voces ambiguæ, est, quia tum auditores decipiuntur et annuunt dicenti, etiamsi non satis intelligant, eo pacto, quo homines vulgares annuunt ariolis am

bigua dicentibus, sicut Crœsus fidem præstitit oraculo ambigua locuto per illud carmen : *Crœsus Halym penetrans magnam pervertet opum vim,* — quod cum æque possit intelligi : *pervertet vires hostium,* ac : *pervertet vires suas,* Crœsus ita est interpretatus, quasi oraculum dixisset : *pervertet vim hostium.* Ratio, cur cum non habentes, quid dicamus, debeamus uti vocibus genericis, est, quia si utamur vocibus genericis, exponimur minori periculo dicendi falsum ; ex. gr., qui ludit ludo paris atque imparis, minus exponitur periculo errandi, si solum dicat numerum esse parem vel imparem in genere, quam si determinet, quis numerus sit, utrum binarius etc. Et similiter qui prænunciat aliquid esse futurum, minus exponitur periculo errandi, si solum dicat, illud esse futurum, quam si determinet tempus, quo est futurum ; ideoque arioli prænuntiantes futura non determinant tempus, ut minus exponantur periculo errandi. Vitanda igitur ab oratore sunt nomina generica et ambigua, nisi de industria cogatur illis uti in casu assignato, ut explicatum est.

4. *Quartum,* quod ad emendatam locutionem requiritur, est, ut quandoquidem ex doctrina Protagoræ nomina dividuntur in masculina, feminina et neutra, quæ solent significare vasa et instrumenta, hæc sibi recte concordent, ita ut masculinis reddantur masculina etc. Ex. gr., dicendum est : *illa vero reversa, et collocuta discessit;* qui vero diceret : *illa vero reversus* etc., peccaret.

5. *Quintum* est, ut quandoquidem apud Græcos in nominibus ac verbis distinguuntur singularis dualis et pluralis, etiam hi recte sibi respondeant, dicendo ex. gr : *illi vero reversi verberarunt me,* non autem : *illi vero reversus.*

6. Addit Aristoteles *primo,* universaliter ad emendatam orationem requiri, ut possit facile legi ac pronunciari. Sed explicandum, quæ necessaria sint ad hoc, ut oratio possit facile legi et pronunciari. Primo oratio non debet abundare multis conjunctionibus; secundo debet posse facile interpunctionibus distingui. Illa siquidem oratio, in qua non apparet, quo pacto debeat interpunctionibus distingui, qualis est oratio Heracliti, eo ipso difficile pronunciatur et legitur. Quod autem in oratione Heracliti non appareat, quænam conjungenda sint parti priori vel posteriori, adeoque quo pacto sit interpungenda, patet ex ipso libri initio. Sic enim incipit : *Rationis, quæ est semper imperiti homines sunt;* in qua oratione non apparet, an ly *semper* pertineat ad partem priorem, et sensus sit, quod homines sunt imperiti ejus rationis, quæ semper est, an spectet ad partem posteriorem ac sensus sit, quod homines semper sunt imperiti rationis, quæ est.

7. Addit *secundo,* aliquando in oratione committi solœcismum, cum duabus vocibus non reddimus duas alias voces singulis convenientes, sed unicam, quæ uni tantum congruat. Ex. gr., incongrue loqueretur, qui diceret : *strepitum et colorem videns;* solus enim color videtur, strepitus non videtur, sed auditur; si vero diceret : *strepitum et colorem sentiens,* loqueretur congrue, quia sentimus tum colorem tum strepitum.

8. Addit *tertio,* quod quia, si inter unam partem orationis et aliam, quæ illi respondet, multa interjiciantur, oratio redditur obscura, ideo ad vitandam obscuritatem, primæ parti orationis subjungenda est immediate pars, quæ illi respondet, ac deinde cætera subjungenda. Ex. gr., si quis dicat : *Debebam loquutus cum ipso hæc et hæc et sic* etc. *proficisci,* oratio erit obscura ; ad vitandam obscuritatem dicendum : *debebam proficisci loquutus hæc et hæc.*

CAPUT VI

DE SECUNDA VIRTUTE ELOCUTIONIS, QUÆ EST, UT SIT GRANDIS AC MAGNIFICA ; AC DE IIS, QUÆ FACIUNT ELOCUTIONEM GRANDEM AC MAGNIFICAM, VEL TENUEM ATQUE CONCISAM.

1. [6] Ad tumorem elocutionis valent hæc, oratione uti pro nomine, ut non circulum, sed planitiem a medio æqualem ; ad concisionem vero contrarium, pro oratione nomen.

2. Et si turpe aut indecorum sit, si in oratione sit turpe, nomen dicere, si vero in nomine, orationem.

3. Et translationibus declarare et epithetis, vitando id quod poeticum est.

4. Et unum multa facere, quod poetæ faciunt ; cum unus sit portus, tamen dicunt « portus in Achaicos » et « tabulares autem multifores apertiones ».

Secunda virtus elocutionis est, ut sit ampla, grandis atque magnifica; elocutioni autem grandi atque magnificæ opponitur elocutio tenuis, humilis atque concisa. Explicandum igitur est, quæ con-

ducant ad reddendam elocutionem grandem atque magnificam, vel ad illam efficiendam tenuem atque concisam.

1. *Primo* ad faciendam orationem grandem atque magnificam conducit, ut loco nominis utamur definitione seu descriptione; ad reddendam vero orationem tenuem et concisam conducit, ut loco definitionis utamur nomine. Ex. gr., si quis loco nominandi circulum, nominet figuram planam, in qua omnes lineæ a medio ad circumferentiam ductæ sunt æquales, faciet orationem magnificam; si autem e converso loco definitionis ponat nomen, faciet orationem tenuem atque concisam.

2. *Secundo* ad faciendam orationem magnificam nihil debet dici indecorum ac turpe. Ideo si nomen sit turpe, circumscriptio autem rei significatæ per nomen non sit turpis, loco nominis debemus uti circumscriptione; si rei descriptio sit turpis, nomen autem non sit turpe, loco descriptionis utendum est nomine.

3. *Tertio* augetur etiam oratio, si res translationibus atque epithetis declaremus, dummodo elocutio non evadat poetica.

4. *Quarto* juvat ad orationis granditatem, ut loco numeri singularis utamur plurali. ut etiam poetæ faciunt, dum, licet de unico portu loquantur, utuntur numero multitudinis ac dicunt, navim appulisse ad portus Achaicos; et loco nominandi complicationem epistolæ dicunt : complicationes epistolarum.

5. Et non conjungere, sed utrique utrumque adjungere : « hujus mulieris hujus nostræ ». Si vero concise, contrarium, « hujus nostræ mulieris ». Et cum conjunctione dicere; si vero concise, sine conjunctione, non inconjuncta autem, ut : profectus et locutus, profectus locutus sum.

6. Et illud Antimachi utile, quæ non habet, dicere, ut ille facit in Teumesso : « est quidam ventosus parvus collis » : augetur enim sic in infinitum. Estque hoc tum in bonis tum in malis, quod non habet, utro modo sit utile. Unde etiam nomina poetæ ducunt : achordum et alyrum concentum; ex privantibus enim inferunt. Probatur autem hoc in translationibus, quod dictum est, quæ sunt ex proportione, ut dicere, tubam esse concentum alyrum.

5. *Quinto* oratio fit grandis, si, quæ possemus conjungere, sejungamus; et e converso fit tenuis et concisa, si, quæ possemus sejungere, conjungamus; ex. gr., si dicamus : *injuria affecit mulierem et meam uxorem,* oratio est grandior; si vero dicamus : *injuria affecit mulierem meam uxorem,* oratio est tenuior magisque concisa. Similiter grandior est oratio, si dicamus : *et profectus et locutus est,* quam si dicamus : *profectus locutus est.*

6. *Sexto* utile est ad orationem augendam explicare ea, quæ res non habet, ut facit Antimachus loquens de Teumesso, monte quodam parvo. Incipit enim : *Est quidam ventosus parvus collis,* ac pergit explicando multa, quibus Teumessus caret. Quia vero infinita sunt, quibus caret unaquæque res, ideo hac via oratio potest augeri in infinitum. Addit Aristoteles, quod hac via orationem augendi possumus uti tum in bonis tum in malis. Cum enim orationem habemus laudatoriam, possumus illam augere explicando mala et defectus, quibus res caret; cum vero habemus orationem vituperatoriam, possumus illam augere explicando bona, quæ rei desunt. Ideo etiam poetæ aliquando describunt rem per negationem, ut cum dicunt sonum tubæ esse concentum achordon et alyrum, hoc est, factum sine chordis ac lyra. Cum autem aliquod nomen transfertur ad aliquam rem propter proportionem et analogiam, tum valde opportune determinatur per negationem; ex. gr., si sono tubæ applicemus nomen concentus, congrue vocamus talem sonum concentum achordon et alyrum.

CAPUT VII

DE TERTIA VIRTUTE ELOCUTIONIS, QUÆ EST, UT SIT DECORA, ET DE IIS, QUÆ REQUIRUNTUR AD REDDENDAM ORATIONEM DECORAM.

1. [7] Decorum autem habebit elocutio, si sit tum affecta, tum morata, tum subjectis rebus proportione respondens.

2. Ac proportione respondet, si neque de amplis submisse dicatur neque de tenuibus graviter, neque tenue nomen consequatur ornatus. Sin minus, comœdia apparet, ut facit Cleophon; similiter enim aliqua proferebat ac si diceret « veneranda ficus ».

3. Affecta consistit in eo, ut, si sit contumelia, irati dictio sit, si impia et turpia sint, indignabunde et caute dicat, si laudabilia, admirabunde, si miserabilia, humiliter, et in aliis similiter. Persuadet autem rem etiam accommodata ad ejus naturam elocutio; capitur enim animus, quasi ille vere dicat, quia in talibus sic se habent. Quare arbitrantur, etiam si non se habeat ita, ut orator ait, rem ita se habere, et simul afficitur semper is qui audit, cum eo qui affecte

dicit, etiam si nihil dicat. Quamobrem multi turbant auditores tumultum excitantes.

4. Et morata ipsa est ex signis demonstratio, quia consequitur conveniens cuique generi et habitui. Dico autem genus secundum ætatem, ut puer aut vir aut senex, et mulier aut vir, et Laco aut Thessalus. Habitus vero, secundum quos cujusdammodi aliquis est in vita; non enim secundum omnem habitum vitæ sunt cujusdammodi. Si igitur et nomina accommodata dicat habitui, exprimet mores; non enim eadem neque eodem modo agricola et eruditus locutus fuerit.

1. *Tertia virtus* elocutionis est, ut sit decora. Ad hoc, ut oratio sit decora, requiruntur tria: *primum* est, ut sit pathetica seu affecta; *secundum* est, ut sit morata; *tertium* est, ut sit accommodata ac proportionata rebus, de quibus agitur. Sed explicandum est, quid sit, orationem esse accommodatam rebus, affectam atque moratam.

2. *Primo* ad hoc, ut oratio sit accommodata rebus, de quibus agitur, requiritur, ut neque de rebus grandibus atque magnificis loquamur humiliter ac demisse, neque de rebus humilibus atque tenuibus loquamur ample atque magnifice, adeoque nominibus significantibus res viles non addamus epitheta ornata et grandia. Qui contra hoc præceptum peccat, non tam videtur scribere orationem seriam quam ridiculam comœdiam, ut facit Cleophon, qui in rebus tenuibus ornandis ita est intemperans, ut multa dicat, quæ videntur talia, ac si quis ficum vocaret venerandam.

3. *Secundo* oratio affecta consistit in eo, ut quis utatur locutione proportionata affectibus, quos exprimit. Ex. gr., cum quis agit de contumeliis moventibus ad iram, debet uti oratione tali, qualis solet esse oratio irati; si commemoret turpia et impia, quæque movent ad indignationem, debet loqui indignabunde ac timide, quasi nec audeat tam nefanda effari; si narrat laudabilia, quæque admirationem excitant, debet loqui admirabunde; si exponat miserabilia, quæque ad miserationem movent, debet uti oratione humili, qualis solet esse oratio miserorum; idemque dic de aliis. Porro oratio affecta et accommodata rebus, de quibus agitur, habet etiam magnam vim tam ad persuadendum, quam ad excitandos affectus in animis auditorum. Ratio, cur habeat vim persuadendi, est, quia cum auditor videt oratorem narrare indigna indignabunde, miserabilia miserabiliter, et universim res eo pacto, quo homines solent illas exponere, cum talia illis acciderunt, decipitur et putat oratorem vere hæc narrare, etiamsi non vere narret. Ratio, cur habeat vim excitandi affectus in auditore, est, quia auditor afficitur eo pacto, quo videt oratorem affici; puta, si videt oratorem indignari, indignatur, etiamsi orator nihil dicat, quod possit movere ad indignationem, ideoque videmus, quod aliqui clamoribus commovent auditores et tumultum quemdam excitant.

4. *Tertio*, ut explicetur, quid sit oratio morata, præmittendum est, quod sicut homines differunt inter se tum genere seu conditione, tum etiam habitibus, ita habere solent diversam orationem ac diversum modum loquendi unicuique generi vel habitui proportionaliter respondentem; ex quo oritur, ut oratio seu modus loquendi sit signum generis et habitus. Genera hominum differunt vel ætate, ut puer, vir ac senex; vel sexu, ut mulier ac vir; vel patria, ut Laco ac Thessalus. Habitus differunt secundum varios modos vivendi, secundum quos alius est agricola, alius opifex, alius miles, alius fur, alius liberalis, alius avarus. Proportionaliter alia solet esse oratio pueri, alia viri, alia servi, alia mulieris, alia Thessali, alia Lacedæmonii; alia agricolæ, opificis, militis etc. Neque enim eadem dicet agricola rudis ac vir disciplinis expolitus. Oratio igitur erit morata, cum erit accommodata unicuique generi vel habitui.

5. Afficiuntur vero aliquantisper auditores eo ipso, quo affatim utuntur orationum scriptores, « quis autem non intelligit »? « omnes sciunt »; confitetur enim audiens pudore captus, ut particeps sit ejus, cujus et alii omnes. Opportune autem et non opportune uti commune omnium formarum est.

6. Medela vero est in omni exsuperatione, quod vulgo dicitur. Oportet enim se ipsum increpare; nam videtur verum esse, quoniam non latet, quod facit, dicentem.

7. Præterea ex proportione respondentibus non omnibus simul uti oportet; sic enim decipitur auditor. Dico autem, ut si nomina dura sint, non et voce et vultu et convenientibus. Sin minus, manifestum fit unumquodque, quod est. Sin autem hoc quidem, illud vero non, latens idem efficit. Si igitur mollia duriter et dura molliter dicantur, minus appositum fit ad persuadendum.

8. Nomina autem epitheta et duplicia plura et peregrina maxime conveniunt dicenti affecte;

venia enim datur irato, si malum dicat cœlivagum aut pelorium nominet. Et quando jam teneat auditores et traxerit ad furorem aut laudibus aut vituperationibus aut ira aut amicitia, ut etiam Isocrates facit in panegyrico ad extremum : « famam autem et memoriam », et « qui tolerarunt » ; loquuntur enim talia furore perciti ; quare etiam recipere manifestum est eodem modo se habentes. Quamobrem et poesi conveniunt ; divina enim res est poesis. Aut igitur sic oportet, aut cum ironia, ut Gorgias faciebat, et quæ sunt in Phædro.

5. Explicata oratione affecta, morata et rebus accommodata, subdit Aristoteles aliqua præcepta ad hæc pertinentia. *Primum præceptum* est : utile est ad afficiendos auditores ita, ut sibi sinant persuaderi, quæ dicuntur, uti illa figura, quam nimis frequenter usurpant Isocrates et alii, qui orationes scribunt, ac dicere : *Quis hoc non intelligit? Nonne id omnibus est pervulgatum* ? Ratio est, quia auditores pudore affecti, ne soli, videantur ignorare, quod omnibus est notum, fatentur id esse verum. Possumus tamen his modis dicendi, sicut et aliis, uti opportune vel importune, ita ut modum excedamus vel non excedamus.

6. *Secundum præceptum* est : cum videmur dicere aliquid hyperbolicum ac supra fidem, remedium est illud passim decantatum, ut hoc ipsum nobis objiciamus ac nos ipsos reprehendamus, quasi incredibilia dixerimus ; deinde vero confirmemus id, quod primo aspectu videtur incredibile esse verum. Tum enim auditores putant id esse verum, siquidem, licet videatur incredibile, incredibilitas non latuit dicentem.

7. *Tertium præceptum* est : quia periculum est, ne si vocem, vultum, gestum et omnia accommodemus rebus, quas dicimus, manifesta fiat ars, adeoque amittamus fidem apud auditores, non debemus omnia accommodare rebus, sed aliqua debemus negligere ; sic enim latebit ars. Quædam tamen sunt, quæ semper debent accommodari rebus, ex. gr., lenia semper debemus dicere leniter, aspera semper debemus dicere aspere ; nam si aspera dicamus leniter vel lenia aspere, eo ipso oratio erit inepta ad persuadendum.

8. *Quartum præceptum* est : licet ex dictis hoc lib. III, cap. II, num. 5, in soluta oratione raro sit utendum nominibus peregrinis, priscis et compositis, ac raro addenda sint epitheta, adhuc hæc possunt liberalius adhiberi in oratione pathetica atque affecta. Ratio est, quia qui affectibus concitantur, solent his uti. Si igitur orator excandescens ira vocet malum cœlum attingens, etc., meretur veniam. Ex eadem ratione possumus his uti, cum jam quemdam furorem auditoribus injecimus, laudando vel vituperando, ad iram vel ad amorem excitando, ut fecit Isocrates in panegyrico prope finem ab iis verbis : « *Famam autem et memoriam* ». Ratio est, quia sicut furore homines perciti hac fanatica ratione loquendi utuntur, sic libenter audiunt oratorem eadem utentem. Quia vero poesis est divina ac sacro furore concitatur, ideo poetæ cum laude hanc dicendi formam usurpant. Hoc igitur loquendi modo utendum est in casibus positis, vel cum loquimur ironice, ac fingimus nos sacro furore afflatos, ut faciebat Gorgias, et ut in Phædro facit Socrates apud Platonem.

CAPUT VIII

DE QUARTA VIRTUTE ELOCUTIONIS, QUÆ EST, UT SIT NUMEROSA, ET QUALIS NUMERUS CONVENIAT SOLUTÆ ORATIONI.

1. [8] Figuram autem elocutionis oportet neque metri compotem esse neque rhythmi expertem ; illud enim minus appositum est ad persuadendum. Nam esse fictum videtur ; et simul etiam avocat ; nam, ut attendatur, facit, quando simile rursus veniet,

2. * sicut præcones præoccupant pueri, quem eligat patronum is, qui manumittitur : Cleonem. Quod autem sine rhythmo est, sine termino est. Oportet vero terminari non metro ; injucundum enim est, et non accommodatum cognitioni, quod non terminatur. Terminantur autem numero omnia. At figuræ locutionis numerus est rhythmus, cujus etiam metra segmenta sunt. Quamobrem rhythmum oportet habere orationem, non metrum ; alioquin poema erit. Neque rhythmum exquisite. Id autem erit, si quadamtenus sit.

Quarta virtus orationis est, ut sit numerosa. Ut de hac orationis virtute Aristoteles agat, *primo* ostendit solutæ orationi neque convenire metrum, neque ut omnino sit expers numeri ; *secundo* examinat, quinam numerus potissimum congruat solutæ orationi ; *tertio* explicat, quinam numerus competat principio, quinam competat fini, eo quod sit aptus ad orationem terminandam.

1. *Quoad primum* : forma orationis nec

debet esse devincta metris, nec debet esse expers numeri. Ratio, cur non debeat esse devincta metris, est, quia metrum consistit in hoc, ut oratio mensuretur certis mensuris pedum ac syllabarum; sed ad hoc, ut oratio sit utilis ad persuadendum, non debet esse alligata certis mensuris pedum ac syllabarum : ergo, etc. — Probatur minor; quia locutio certis pedum mensuris adstricta videtur conficta; locutio vero ad persuadendum apta debet videri non ficta sed naturalis. Confirmatur; quia ut locutio sit apta ad persuadendum, non debet uti ornamentis, quæ avocent auditorem ab eo, de quo agitur; sed locutio metris devincta avocat auditorem ad hoc,ut expectet numerum similem priori: ergo, etc.

2. Explicatur exemplo. Sicut enim, cum præcones populo promulgant, ex. gr., aliquem servum manumitti a domino et eligere sibi patronum, pueri jam scientes, quem manumissus elegerit in patronum, præconem præoccupant ac clamant ex. gr., Cleonem; sic si oratio esset metrica ac certis numeris devincta, sæpe auditores præoccuparent oratorem ac præviderent, quid deberet dicere. — Ratio, cur oratio non debeat omnino esse expers numeri, est, quia oratio carens numero est interminata, ita ut non sit in sonis ulla ratio, cur debeat potius hic desinere quam continuari; sed omne interminatum est injucundum sensui et parum aptum cognitioni, siquidem facilius ac delectabilius percipimus res terminatas quam interminatas : ergo, etc. Major probatur, quia soni terminantur certis proportionibus numerorum; ergo si oratio careat numero, continebit sonum quemdam interminatum. Cum igitur numerus alius sit metricus, hoc est certis mensuris adstrictus, alius sit non metricus, qui potest vocari rhythmus, oratio non debet habere metrum, alioquin erit poema, sed debet habere rhythmum, ac non debet habere rhythmum omnino exquisitum, ne videatur orator loqui ficte, sed debet habere rhythmum aliqualem.

3. Ex rhythmis vero herous grandis et dictioni accommodatus et harmoniæ indigens, iambus autem ipsa est elocutio multitudinis; quamobrem maxime omnium metrorum iambica affundunt, qui loquuntur. At oportet grandiorem effici et excitari. Trochæus cordatior est. Id manifestum faciunt tetrametra ; sunt enim volubilis rhythmus tetrametra.

4. Relinquitur pæan, quo usi sunt a Thrasymacho incipientes, non potuerunt vero dicere, quinam esset. Tertius autem est pæan, et conjunctus iis, qui dicti sunt. Ac tria ad duo est; ex iis vero ille unum ad unum, hic duo ad unum. Conjunctaque est rationibus his sesquialtera, atque hic est pæan. Ac alii, quidem et ob ea quæ dicta sunt, abjiciendi, et quia metrici. Pæan vero sumendus ; ex solo enim non est metrum eorum, qui dicti sunt, rhythmorum, ut maxime lateat.

3. *Quoad secundum* : numeri nomine intelligitur proportio numerorum in vocibus; sed tres sunt primæ proportiones numerorum : prima est proportio unius ad unum, quæ dicitur par; secunda est proportio duorum ad unum, quæ dicitur dupla; tertia est proportio trium ad duo, quæ dicitur sesquialtera, et consistit in hoc, ut majus contineat totum minus, et præterea dimidium ipsius, eo pacto, quo tria continent duo, et præterea unum, quod est dimidium duorum; ergo oratio numerosa vel potest procedere per voces seu pedes habentes proportionem parem, vel per pedes habentes proportionem duplam, vel per pedes habentes proportionem sesquialteram.

Pedes heroici, hoc est dactyli ac spondei, habent proportionem parem. Syllaba enim brevis continet unum tempus, syllaba longa continet duo tempora; sed spondeus constat ex duabus longis; ergo constat ex duabus syllabis mensuratis æquali tempore, adeoque habet proportionem parem. Dactylus constat ex tribus syllabis, prima longa, secunda et tertia brevi; sed syllaba longa continet duo tempora; duæ syllabæ breves continent alia duo tempora; ergo etiam dactylus constat ex tribus syllabis, quarum duæ posteriores mensurantur æquali tempore ac prima syllaba, adeoque etiam dactylus habet proportionem parem. Eamdem proportionem habet anapæstus, qui est dactylus inversus, cum contineat duas primas syllabas breves, tertiam longam. Numerus igitur heroicus dactylorum ac spondeorum propter suam æquabilitatem est majestate plenus, sonorus ac grandiloquus, atque eget harmonia, ideoque non est satis accommodatus solutæ orationi, quæ carere debet harmonia ac debet esse minus sonora, minusque grandiloqua. Iambi, qui constant duabus syllabis, prima brevi, secunda longa, iisque oppositi chorei sive trochæi, qui constant ex prima syllaba longa, secunda brevi, habent proportionem duplam. Syllaba enim

longa continet duo tempora, syllaba brevis continet unum tempus; sed iambi et trochæi constant ex syllaba longa et brevi; ergo constant ex duabus syllabis, quarum una habet ad alteram proportionem duorum ad unum, adeoque habent proportionem duplam. Ex his numerus iambicus est valde consuetus locutioni familiari, ideoque locutio multitudinis magna ex parte constat ex iambis; ex quo oritur, ut loquentibus nulli versus tam crebro excidant casu, quam iambi; sed numerus conveniens solutæ orationi debet esse grandior et gravior, quam numerus conveniens locutioni familiari vulgi; ergo neque numerus iambicus est admodum accommodatus solutæ orationi. Trochæus sive choreus est nimis lubricus ac currens, ideoque dicitur ab Aristotele cordacior, eo quod sit proportionatus saltationi cuidam concitatiori ac nullam gravitatem habenti, quæ dicebatur cordax. Quod autem numerus trochaicus nimis sit concitatus, patet ex tetrametris, quæ quia magna ex parte constant ex trochæis, concitatissima sunt ac pæne currunt; sed orationis majestati dissonat, ut utatur numero tam concitato; ergo orationis majestati non accommodatur numerus trochaicus.

4. Sequitur pes, qui dicitur pæan, eo quod adhiberetur in hymnis Apollinis, qui Pæan dicebatur. Est autem pæan pes constans ex quatuor syllabis, una longa, tribus reliquis brevibus. Si prima syllaba sit longa, dicitur pæan primus; si secunda sit longa, dicitur pæan secundus; si tertia sit longa, dicitur pæan tertius; si quarta sit longa, dicitur pæan quartus. Aristoteles porro hic distinguit solum pæanem primum et quartum; alios duos omittit. Pæane primo in soluta oratione præsertim initio usus est Thrasymachus, quem alii sunt sequuti; sed non potuerunt explicare, quænam esset natura hujus numeri et quam proportionem contineat, ideoque nobis enitendum est, ut id exponamus. Pæan igitur est pes ordine tertius ac continens tertiam proportionem, hoc est sesquialteram, quæ est proportio trium ad duo. Ratio est, quia continet quatuor syllabas, unam longam, tres breves; sed syllaba longa continet duo tempora; tres breves continent tria tempora; ergo syllabæ breves habent ad syllabam longam proportionem trium ad duo; sed proportio trium ad duo est sesquialtera et est tertia; ergo pæan continet proportionem sesquialteram seu tertiam, ideoque ratione proportionis numeralis est tertius pes. Primo enim loco sunt spondei, dactyli et anapæsti, qui continent proportionem parem unius ad unum; secundo loco sunt iambi ac chorei seu trochæi, qui continent proportionem duplam duorum ad unum; tertio loco pæanes, qui continent proportionem sesquialteram trium ad duo. Positis his, cum dactyli, spondei et anapæsti aliique numeri continentes proportionem parem non sint accommodati solutæ orationi, quia nimis sunt sonori atque grandiloqui; iambi et trochæi aliique numeri continentes proportionem duplam non sint accommodati solutæ orationi, quia sunt minus sonori atque grandiloqui, quam oporteret; proportio autem sesquialtera sit media inter parem et duplam : sesquialterum enim magis excedit quam par, et minus quam duplum sequitur : quod numerus pæan sit maxime accommodatus solutæ orationi, utpote minus grandis heroico, sed grandior iambico, ac granditate medius inter heroicum et iambicum. Confirmatur; quia in soluta oratione debemus vitare numerum metricum, ac debemus uti numero maxime apto ad latendum; sed numeri heroici et iambici sunt metrici et sunt ita manifesti, ut non possint latere; numerus autem pæanis non est metricus ac potest latere; ergo præcipue in soluta oratione debemus uti numero pæanis, licet etiam alios pedes possimus aliquando adhibere.

5. Ac utuntur quidem uno pæane etiam incipientes, oportet vero differre finem a principio. Ac pæanis duæ species sunt oppositæ inter se, quarum una quidem principio convenit, ut etiam utuntur; iste vero est, quem incipit longa ac terminant tres breves : « Delogena sive Lyciam », et « auricome o Hecate nate Jovis ». Alter vero contra, quem breves incipiunt tres ac longa terminat : « humum et aquam oceanum et occuluit horrifera nox ». Iste autem finem efficit : brevis enim quia imperfecta est, facit mutilum. Sed oportet in longa amputari, et manifestum esse finem non per librarium neque per paragraphen, sed per rhythmum. Ac numerosam quidem oportere esse elocutionem et non expertem rhythmi; et qui numerosam efficiant rhythmi, et quomodo se habentes, dictum est.

5. *Quoad tertium* : jam usitatum est apud oratores, ut orationem inchoent a pæane primo, in quo nimirum prima syllaba est longa, reliquæ tres sunt breves, ut patet in hoc initio laudationis Apollinis « Δαλογενὲς εἴτε Λυκίαν » ubi duo sunt

pæanes; vocatur autem Apollo ex Delo genitus et Lyciam incolens. Idem etiam patet in hoc alio initio laudis in eumdem Apollinem « χρυσεοκόμα Ἕκατε παῖ Διός », hoc est : auricome o Hecate nate Iovis, ubi etiam sunt duo pæanes. Sed finis debet differre a principio; nam illi numeri, a quibus recte incipit cursus orationis, non sunt apti ad orationem sistendam ac terminandam; ergo pæan quartus, cujus primæ tres syllabæ sunt breves, ultima est longa, erit aptissimus ad orationem terminandam. Nam mora, quæ in ultima syllaba longa pronuntianda insumitur, idonea est ad sistendum ac terminandum cursum orationis, ut patet in sequenti exemplo : Humum et aquam oceanum et occuluit horrifera nox, — ubi pæan *rifera nox*, in quo tres primæ syllabæ sunt breves, ultima est longa, optime terminat cursum orationis. E converso syllaba brevis non bene terminat orationem, quia cum unum solum contineat tempus, est imperfecta ac quodammodo mutila, ideoque facit orationem mutilam; ergo oratio terminanda est per syllabam longam adeoque perfectam et aptam ad hoc, ut sua mora cursum dicendi abrumpat. Oportet igitur orationem terminari non interpunctione ac signo scriptoris, sed ipso numero, ita ut ex numero advertat auris orationem esse terminandam. Ostensum igitur est, elocutionem debere esse numerosam ac non expertem rhythmi; explicatum etiam est, quinam rhythmi et quo pacto se habentes efficiant orationem numerosam.

CAPUT IX

DE QUINTA VIRTUTE ELOCUTIONIS, QUÆ EST, UT SIT PERIODICA; QUID ET QUOTUPLEX SIT PERIODUS.

1. [9] Elocutionem autem necesse est esse aut fusam et vinculo unam, ut in dithyrambis dilationes, aut versam et similem veterum poetarum conversionibus. Ac fusa quidem elocutio prisca est : « Herodoti Thurii hæc est expositio ». Hac enim primum omnes, nunc vero non multi utuntur.

2. Voco autem fusam, quæ nullum habet finem per se, nisi res, quæ dicitur, terminetur. Est autem injucunda propter infinitatem ; finem enim omnes volunt intueri. Quamobrem in flexionibus anhelant et deficiunt ; prospicientes enim terminum non laborant prius. Ac fusa quidem elocutio est hæc,

3. * versa vero, quæ in periodis cernitur. Voco periodum elocutionem habentem principium et finem ipsam per se, et magnitudinem conspectu facilem. Jucunda autem hujusmodi est, et quæ facile percipi potest. Jucunda quidem, quia contrario modo se habet ac interminatum, et quia semper aliquid se habere putat auditor, et quod semper terminatum sit aliquid ipsi; illud autem, nihil prænoscere esse neque aperire, injucundum est. Facilis vero ad percipiendum, quia facile memoria retineri potest. Idque quia numerum habet in periodis elocutio, qui omnium est aptissimus ad memoriam ; quamobrem et metra omnes recordantur magis quam soluta ; numerum enim habent, quo mensurantur.

4. Oportet vero periodum etiam sententia terminari, et non abrumpi, ut Sophoclis iambica : « Calydon quidem hæc terra Pelopei soli ». Contrarium enim licet existimare quam si dividatur, ut et in eo quod dictum est, Calydona esse Peloponnesi.

Quinta virtus elocutionis est, ut sit periodica. Hanc orationis virtutem ut explicet Aristoteles, primo distinguens orationem in tractam seu pendentem, et periodicam sive ambitu comprehensam, definit utramque et ostendit orationem periodicam esse meliorem ac delectabiliorem; secundo dividit periodum in simplicem ac constantem ex membris, et explicat, quid utraque sit; tertio subdividit periodum constantem ex membris in varias species, easque declarat et exemplis illustrat.

1. *Quoad primum* : elocutio vel potest esse tracta ac pendens et conjunctione una; vel potest esse periodica sive ambitu comprehensa. In exemplum orationis tractæ ac pendentis proponit Aristoteles cantiones dithyramborum; in exemplum orationis periodicæ et certo ambitu comprehensæ proponit antistrophas veterum poetarum. Sed quia non satis nobis notæ sunt cantiones dithyramborum nec antistrophæ veterum poetarum, ideo utendum est exemplis magis familiaribus. Exemplum igitur orationis tractæ atque pendentis potest esse principium odæ primæ libri quarti apud Horatium de laudibus Drusi : « *Qualem ministrum fulminis alitem,* » in qua per plures strophas oratio conjunctionibus continuatur, donec absolvatur sententia. Exemplum orationis periodicæ possunt esse pleræque aliæ odæ ejusdem Horatii, in quibus ambitu unius strophæ solet concludi sententia; ex. gr. : « *Vides ut altum fiet nive candidum* », etc. Prisci scriptores ac præsertim Herodotus Thurius in sua historia usi sunt oratione tracta ac pendente, ut patebit

legenti initium historiæ Herodoti; in sacra etiam Scriptura libri præsertim historiales utuntur elocutione pendente ac per solas conjunctiones una, ut liber Geneseos : « *In principio creavit Deus cœlum et terram. Terra autem erat inanis et vacua*, etc., ubi oratio nullo ambitu comprehenditur, sed solis conjunctionibus continuatur. Posterioribus temporibus, paucis exceptis, scriptores usi sunt oratione periodica et ambitu comprehensa.

2. Sed explicandum est, quid sit oratio pendens, quid periodica. Oratio pendens est, *quæ nullum ex se finem habet, nisi res, quæ exponitur, ad finem pervenerit.* Qui igitur oratione utitur pendente, ita exponit res, ut tum orationem absolvat, cum res ad finem pervenerit; cæterum nullam adhibet curam, ut ipsa oratio secundum se proportionatam habeat magnitudinem, quæ apto principio ac fine concludatur. Hæc oratio necesse est, ut sit injucunda. Ratio est, quia nos rebus delectamur habentibus proportionatam magnitudinem atque apto principio et fine terminatis; sed oratio pendens ex se est infinita, cum non habeat proportionatam magnitudinem apto principio et fine conclusam; ergo oratio pendens secundum se est injucunda. Confirmatur et explicatur exemplo : videmus enim, quod ii, qui currunt in stadio, quamdiu metam prospicere possunt, nihil videntur laborare; at postquam metam prætergressi, pervenerunt ad flexiones, in quibus non vident amplius metam ac debent cursum quadrigarum circumflectere, tum vehementer anhelant ac pæne deficiunt. Proportionaliter auditores orationem ex se terminatam jucunde ac sine molestia excipiunt, quia finem prævident; at si oratio sit secundum se interminata, quia finem prævidere nequeunt, valde lassantur. Satis igitur explicatum est, quid sit oratio pendens et cur sit injucunda.

3. Oratio periodica sive ambitu comprehensa est, *quæ periodis constat.* Periodus seu comprehensio est *oratio, quæ ex se habet principium et finem, et eam magnitudinem, quæ facile possit uno intuitu conspici.* Oratio igitur periodica differt a pendente per hoc, quod qui pendente utitur oratione, nullam adhibet curam, ut ipsa oratio secundum se habeat proportionatam magnitudinem, apto principio fineque conclusam; at qui periodo utitur, adhibet curam, ut ipsa oratio secundum se habeat proportionatam magnitudinem apto principio ac fine conclusam. Proportionata porro magnitudo est, *quæ uno intuitu facile potest conspici;* quæ unico intuitu non facile potest conspici, peccat per excessum; contraria huic peccat per defectum. Jam oratio periodica valde est perfecta. Ratio est, quia ad perfectionem orationis spectat ut sit jucunda, et ut facile possit percipi; sed oratio periodica et est jucunda et facile potest percipi: ergo, etc. Quod sit jucunda, probatur, quia delectamur rebus habentibus proportionatam magnitudinem apto principio ac fine terminatam; ergo sicut oratio pendens est injucunda, quia non habet hanc proportionatam magnitudinem, ex quo oritur, ut non possimus finem orationis prospicere, sic oratio periodica, utpote habens proportionatam magnitudinem, propter quam possimus finem prospicere, est jucundissima. Quod facile percipiatur, probatur, quia quæ facile memoriæ mandantur, facile percipiuntur; sed oratio periodica facile memoriæ mandatur: ergo, etc. Probatur minor; oratio enim periodica est numerosa; numerus autem ad memoriam juvat, ut patet ex eo, quia omnes facilius recordamur carminum quam solutæ orationis, et non ex alia ratione, nisi quia carmina habent certos numeros, quibus illa metimur.

4. Addit Aristoteles, periodum debere continere sententiam absolutam, non autem mutilam et abruptam. Sententiam abruptam et mutilam continent illi iambi Sophoclis : *Hæc est quidem Calydon; solum potitus est, quo olim Pelops.* Sententia enim : *Hæc est Calydon,* abrumpitur addendo : *solum potitus est, quo olim Pelops,* ita ut videatur facere sensum, quod Calydon sit solum seu terra, qua olim potitus est Pelops, adeoque pertineat ad Peloponnesum, cum non pertineat ad Peloponnesum, sed ad Ætoliam. Ne igitur sententiæ videantur facere sensum contrarium, non debent abrumpi, interponendo alia, sed debent absolvi. Ex his potest inferri integra periodi definitio, quæ est : *Periodus est oratio, quæ ex se proportionatam habet magnitudinem, apto principio ac fine conclusam, quæque uno intuitu conspici possit, et absolutam sententiam continet.*

5. Periodus autem una quidem in colis est, altera vero simplex. Est in colis quidem dictio perfecta et distincta, et quæ facile spiritu comprehenditur, non in distinctione, ut et quæ dicta

est periodus, sed tota. Colum vero est altera pars ejus. Ac simplicem voco unimembrem.

6. Oportet autem et cola et periodos neque mutilas esse neque longas. Pusillum enim hærere sæpe facit auditorem. Necesse enim est, quando adhuc tendens ad id, quod ultra est, et ad modum, quem habet in se termini, retrahitur cessante oratore, quodammodo offensionem fieri propter repulsionem. Longa vero, ut deficiat efficiunt, quemadmodum ultra terminum se convertentes; derelinquunt enim et isti simul deambulantes. Similiter vero et periodi, quæ longæ sunt, oratio fit et anabolæ simile. Quare fit, quod jocatus est Democritus Chius in Melanippidem, qui fecerat pro antistrophis anabolam, nempe : « sibi mala fabricat vir, alii mala fabricans; longa vero anabola ei, qui fecit, pessima ». Convenit enim tale etiam dicere in eos, qui longis colis utuntur. Quæ vero nimis brevia cola habent, non fiunt periodi ; in præceps igitur agunt auditorem.

5. *Quoad secundum :* periodus dividitur in simplicem, atque in constantem ex pluribus colis seu membris. Periodus constans ex membris est *locutio perfecta, atque in partes distincta, et in qua pronuncianda facile possit respirari, non cum periodus abrumpitur sicut, abrumpitur periodus, cujus exemplum attulimus ex Sophocle, sed cum tota periodus profertur.* Tres igitur conditiones requiruntur ad periodum constantem ex membris. Prima est, ut sit perfecta, adeoque contineat sententiam absolutam ; secunda est, ut sit distincta in plures partes seu membra; tertia est, ut qui illam pronunciat, possit facile spiritum ducere, sistendo absolutis singulis membris, ac demum periodum totam non abrumpendo, sed perficiendo. Membra periodi dicuntur singulæ partes periodi. Periodus simplex est, in qua non distinguuntur plura membra, sed unicum datur membrum.

6. Tum periodi, tum singula periodi membra neque debent nimia longitudine neque nimia brevitate laborare, ita ut videantur quodammodo mutila. Ratio, cur non debeant esse admodum brevia, est, quia si vel periodi vel membra sint breviora, adeoque absolvantur citius, quam auditor expectet, animus auditoris, qui ulterius progrediebatur ad finem, quem sibi proposuerat, oratore sistente, veluti opposito obice, offendit ac cespitat. Ratio, cur periodi non debeant esse longiores, est, quia si orator ultra progrediatur, quam auditor expectet, auditores quodammodo ab oratore relinquuntur, atque aliquid accidit simile ac dum, quibusdam in aliquo spatio deambulantibus, aliquis illorum metam prætergrediens ulterius procedit ac comites relinquit. Longiores igitur periodi, similes sunt dithyramborum cantionibus, de quibus dictum est num. 1, ideoque de oratoribus, qui longas periodos faciunt, dici potest id, quod Democritus Chius per jocum objecit Melanippidi, qui loco antistropharum usus fuerat anabolis, seu interminatis cantionibus dithyramborum :

In se ipsum lædit, alium qui lædere quœrit :
At carmen longum vati ipsi pessima res est.

Hoc enim ipsum potest transferri ad eos, qui orationem ex longis periodis ac periodos ex longis membris componunt. Longæ siquidem periodi oratoribus pessima res sunt, cum et dicentibus et audientibus molestiam afferant. Proportionaliter periodi breviores ac brevioribus, quam par est, constantes membris nimis velociter procedunt atque auditorem secum quodammodo præcipitem agunt, ideoque neque merentur nomen periodi.

7. Quæ vero in colis est elocutio, una quidem distincta est, altera vero opposita. Distincta quidem, ut : « admiratus sum sæpenumero eos, qui conciliabula coegerunt et gymnica certamina instituerunt ». Opposita vero, in qua per utrumque colum aut contrario contrarium componitur aut idem jungitur contrariis : « Utrisque autem profuerunt, et qui remanserunt et qui secuti sunt; illis enim plura iis, quæ domi essent, acquisiverunt, his vero satis eorum, quæ domi essent, reliquerunt ». Contraria mansioni consecutio; ei quod satis est, id quod plus est. « Quare et pecuniarum indigentibus et frui volentibus » : fruitio acquisitioni opponitur. Et præterea : « contingit sæpe in his et prudentes adversa fortuna uti et imprudentes recte agere ». « Statim quidem fortium præmia obtinuerunt, non multo post imperium maris sumpserunt ». « Navigasse quidem per terram, ambulasse vero per mare, cum Hellespontum quidem junxisset, Athon vero perfodisset ». « Et natura cives qui sunt, per legem civitate privari ». « Alii enim ipsorum male perierunt, alii vero turpiter servati sunt ». « Et privatim quidem barbaris servis uti, publice vero multos ex sociis despicere servientes». « Aut viventes habituros aut mortuos relicturos ». Et quod in Pitholaum quidam dixit et Lycophronem in judicio : « isti autem vos domi manentes vendebant, profecti vero ad nos empti sunt ». Omnia enim hæc efficiunt id, quod dictum est.

7. *Quoad tertium :* elocutio periodica composita atque ex pluribus membris constans subdividitur in distinctam et

oppositam. Distincta est, *quæ constat ex pluribus membris distinctis sine ulla oppositione*. Exemplum potest esse initium nobilissimæ orationis, quam Isocrates panegyricum inscripsit, in qua sic habet : Sæpius admiratus sum eos, qui celebritates congregarunt, et eos, qui gymnica certamina instituerunt. Hæc periodus constat ex duobus membris distinctis inter se, sed nullo modo oppositis. Elocutio opposita est, *quæ constat ex pluribus membris, in quibus vel idem componitur cum contrariis, vel cum contrariis componuntur contraria*. Plura exempla Aristoteles affert, quæ omnia, excepto ultimo, ex laudato Isocratis panegyrico desumpta sunt. Primum est, cum laudans Isocrates veteres Athenienses ex eo, quod cum barbaris bellum intulissent, et iis, qui una cum ipsis ad bellum profecti sunt, et iis, qui domi remanserunt, multum profuere, dicit : nam his quidem, qui secuti sunt, plura. quam domi possidebant, acquisiverunt ; illis vero, qui domi remanserunt, satis agri, quo se alerent, reliquerunt. In hoc exemplo contraria componuntur contrariis. Nam *sequi et remanere* contraria sunt, et *plus acquirere et satis relinquere* sunt itidem contraria. Secundum exemplum ex eodem panegyrico, in quo idem componitur contrariis, est : itaque et pecunias acquirentibus et frui cupientibus, etc. *Acquirere et frui* contraria sunt, iisque componitur aliquid idem. Tertium exemplum ejusdem est : sæpe accidit in hujusmodi rebus, ut et prudentes adversa fortuna utantur, et imprudentes prospere res gerant. Quartum est : statim quidem præmia fortium virorum acquisiverunt; sed non multo post imperium maris obtinuerunt. Quintum est : terram quidem navigavit, mare vero ambulavit. Sextum est : Hellespontum quidem conjunxit; Athon vero perfodit. Septimum est : qui natura cives essent, lege privati sunt civitate. Ex iis enim alii male perierunt, alii turpiter servati sunt. Octavum est : privatim quidem servis uti barbaris; publice vero pati multos sociorum servos esse. Nonum est : vel viventes habere vel morientes relinquere. Præter hæc exempla desumpta ex panegyrico Isocratis, decimum et ultimum desumitur ex quodam, qui in judicio contra Pitholaum et Lycophronem dixit : hi cum domi essent, vos vendebant; postquam ad nos venerunt, ipsi empti sunt.

8. Ac jucunda est ejusmodi elocutio, quia contraria notissima et juxta se posita notiora sunt, et quia videntur similia syllogismo ; elenchus enim collectio oppositorum est. Ac oppositio quidem ejusmodi est,

9. *compar vero, si æqualia sint cola. Et assimilatio, si similes exitus habeant utraque ex colis. Necesse vero est aut in principio aut in fine habere. Et principium quidem semper nomina, finis vero extremas syllabas aut ejusdem nominis casus aut idem nomen. In principio quidem sic : « agrum accepit ægrum ab ipso » ; « placati donis fuerunt pacatique ore ». In fine autem : « non putarunt ipsum puerum peperisse, sed ipsius causam fuisse ». « In cura quidem plurima, in spe vero minima ». Casus autem ejusdem : « dignus vero, qui statuam habeat æream, cum minime dignus sit ære ». Idem vero nomen : « tu illi, cum viveret, dicebas male, et nunc scribis male ». A syllaba autem : « quidnam passus esses malum, si virum vidisses ignavum » ? Ac licet simul omnia idem habere, et oppositionem esse idem et compar et similiter desinens.

10. Principia vero periodorum ferme in Theodectiis enumerata sunt. Ac sunt etiam falsæ oppositiones, ut etiam Epicharmus faciebat : « interdum quidem cum illis ego eram, interdum vero apud illos ego ».

8. Addit Aristoteles orationem constantem ex oppositis esse valde jucundam. Prima ratio est, quia oratio valde illustris et valde perspicua, est jucundissima; sed opposita et ex se sunt valde nota et cum invicem conferuntur, magis elucescunt; ergo oratio constans ex oppositis est valde illustris atque perspicua, ideoque est jucundissima. Secunda ratio est, quia oratio, quæ redolet syllogismum, est valde jucunda; sed oratio ex oppositis constans videtur syllogismus elenchi, qui concludit opposita : ergo, etc. Hæc igitur oratio, quæ constat ex membris oppositis, vocari potest antithesis sive oppositio.

9. Sequuntur aliæ species orationis non multum dissimiles ab oratione constante ex membris oppositis. Prima species, quæ vocatur compar, est in qua æqualia membra sunt, ita ut verbis totidem fere verba ac pæne æqualia respondeant. Exemplum est : in bello mortem pater oppetebat; domi nuptias filius parabat. Secunda species, quæ dicitur assimilatio, est, in qua membra sunt similia. Hæc subdividitur in plures species inferiores. Prima est, in qua similia sunt verborum initia, et dicitur agnominatio. Duo exempla Aristoteles affert. Primum est : agrum accepit quodammodo ægrum, hoc est ste-

rilem. Secundum ex Homero, 9. Iliados est :

Placati donis, pacative ore fuerunt.

Secunda species est, cum extremæ syllabæ similes sunt, et dicitur similiter desinens. Duo exempla Aristoteles affert. Primum est : non puerum peperisse, sed ejus causam extitisse. Secundum exemplum est : in cura quidem plurima, in spe vero minima. Tertia species est, cum membra desinunt in casus ab eodem nomine derivatos ac varie commutatos. Exemplum est, in quo de quodam homine abjectissimo, qui proinde non censebatur dignus uno asse, nec uno ære, et tamen existimabat se dignum maximis honoribus, dictum fuit : est profecto dignus ænea statua, qui non est dignus ære. Quarta species est, cum idem nomen repetitur. Exemplum est : Tu cum viveret, dicebas male, et nunc in eum scribis male. Quinta species est, cum est similitudo solum in ultima syllaba, per quam membra desinunt. Exemplum est : Quodnam passus es malum, si hominem vidisti ignavum? Addit Aristoteles, hæc posse simul conjungi, ita ut periodus constet non solum ex membris oppositis, sed etiam paribus ac similiter desinentibus.

10. Pro conclusione capitis duo addit Aristoteles. *Primum* est, quod cum principia periodorum sint enumerata in libris ad Theodectem, nihil de his est addendum. *Secundum* est, quod aliquando in oratione datur quædam falsa antithesis, cum aliqua contraponuntur, ac si essent opposita, licet non sint opposita. Exemplum est illud Epicharmi : Interdum unus illorum ego eram, interdum apud illos ego. — in quo ponuntur tanquam duo opposita : *eram unus illorum ; eram apud illos*, cum vere non sint opposita.

CAPUT X

DE SEXTA VIRTUTE ELOCUTIONIS, QUÆ EST, UT SIT URBANA ; AC DE IIS, PER QUÆ ORATIO EFFICI POTEST URBANA.

1. [10] Quoniam vero explicatum est de his, unde ducantur urbana et quæ probantur, dicendum est. Ac fingere quidem est ingeniosi vel exercitati, demonstrare vero methodi hujus. Dicamus igitur et enumeremus. Et principium erit nobis hoc, quod discere facile jucundum omnibus natura est. Nomina vero significant aliquid. Quare quæcumque ex nominibus efficiunt ut discamus, jucundissima sunt.

2. Ac linguæ quidem incognitæ, propria vero scimus. Translatio autem efficit hoc maxime. Cum enim dixit senectutem stipulam, fecit, ut disceremus et cognosceremus ex genere ; ambo enim defloruerunt.

3. Ac faciunt quidem etiam poetarum imagines idem ; quamobrem si recte adhibitæ fuerint, urbanum apparebit. Est enim imago, ut dictum est prius, translatio differens adjunctione.

4. Itaque minus jucunda, quia longior, et non dicit, hoc illud esse. Verum ne quærit quidem hoc animus. Necesse jam est et elocutionem et enthymemata ea esse urbana, quæcumque faciunt, ut nos discamus celeriter.

1. *Sexta virtus* elocutionis est, ut sit urbana. Porro formare dicta urbana ac venusta, proprium est hominis ingeniosi, ac qui se diu in illis concinnandis exercuerit; at ad Rhetoricam spectat tradere præcepta et aperire fontes, ex quibus possimus illa deducere. Ut igitur hos fontes aperiamus, præmittendum est, quod naturale est homini, ut cum aliquid, quod ignorabat, facile ac celeriter addiscit, magna voluptate afficiatur; sed licet omnia nomina et omnes locutiones aliquid significent, tamen quædam nomina et quædam locutiones habent specialiter quamdam vim efficiendi, ut facile ac celeriter addiscamus, quæ ignorabamus; ergo talia nomina talesque locutiones jucundissima sunt ac vocantur urbana.

2. Sed explicandum est magis, quæ nomina, quæ sententiæ seu argumenta, quæ locutionis forma præcipue conferant ad hoc, ut auditor facile ac celeriter addiscat, quæ ignorabat, adeoque ad hoc, ut oratio evadat urbana. Dicendum igitur *primo*, quod, cum nomina dividantur in peregrina, propria et translata, sola nomina translata, non autem nomina peregrina et propria per se conferunt ad reddendam orationem urbanam. Ratio est, quia illa nomina reddunt orationem urbanam, quæ faciunt, ut facile ac celeriter addiscamus aliquid, quod ignorabamus; sed nomina peregrina sunt ignota, nomina propria sunt omnibus nota, adeoque neutra faciunt, ut facile ac celeriter addiscamus, quod ignorabamus; e converso nomina translata faciunt, ut addiscamus convenientiam inter id, ex quo nomen transfertur, et id, ad quod transfertur; ergo, etc. Est igitur urbana locutio, per quam quis senectutem appellat

stipulam, quia facit, ut celeriter ac facile addiscamus convenientiam senectutis ac stipulæ in hoc genere, quod utraque amisit viriditatem.

3. Dicendum *secundo*, quod etiam imagines ac similitudines, quibus passim poetæ utuntur, si bene adhibeantur, efficiunt solutam orationem urbanam. Ratio est, quia ut dictum est cap. IV, imagines sunt translationes solo modo proferendi differentes; translatio enim est, per quam Achilles, ex. gr., vocatur leo; imago est, per quam dicitur esse sicut leo; ergo imago convenit cum translatione in hoc, quod faciat auditorem addiscere convenientiam duarum rerum, adeoque in reddenda oratione urbana.

4. Addit tamen Aristoteles, imaginem esse minus jucundam, adeoque minus urbanam translatione. Ratio est, quia eo elocutio est jucundior, quo citius facit, ut addiscamus, quod ignorabamus; sed citius addiscimus proportionem duarum rerum per translationem, quæ est brevior, quam per imaginem, quæ est longior; ergo, etc. Confirmatur; quia jucundior est oratio, per quam aliquid discimus, absque eo quod avertamur ab eo, quod quærimus, quam, per quam discimus ita, ut ab eo avertamur, quod quærimus; sed per metaphoram, per quam ex. gr., Achilles significatur homine leonis, addiscimus convenientiam Achillis cum leone, absque eo quod avocemur ab attentione ejus, quod quærimus; per imaginem, per quam Achilles dicitur fuisse sicut leo, avertimur : ergo, etc.

5. Quamobrem nec quæ in promptu sunt enthymemata probantur (in promptu enim esse dicimus omnibus nota, et quæ non oportet scrutari), nec quæcumque dicta ignorantur, sed quorum aut simul dictorum cognitio fit, etiam si non prius esset, aut paulo post sequitur mentis agitatio; fit enim tanquam perceptio. Illo vero modo neutrum. Ac secundum quidem sententiam ejus, quod dicitur, talia probantur enthymemata.

6. At secundum elocutionem in figura quidem, si opposite dicatur in hunc modum : « et aliis communem pacem existimantibus, suis vero privatis rebus bellum », opponitur bellum paci. Nominibus vero, si habeant translationem, eamque neque alienam, difficile enim contueri, neque in promptu, non enim efficit affectum. Præterea si ante oculos ponant; cernere enim oportet, quæ aguntur, magis quam quæ futura sunt. Præterea oportet tria spectare hæc, translationem, oppositionem, actum.

5. Dicendum *tertio*, quod illa oratio est urbana, quæ affert argumenta, quæ neque sunt ita obvia, ut facile occurant, neque sunt ita abstrusa, ut prolata non intelligantur, sed medio modo se habent, ita ut non facile occurrant, et statim ac proferuntur, vel saltem paulo post, ducant nos in cognitionem alicujus, quod ignorabamus. Ratio est, quia illa sola argumenta efficiunt orationem urbanam, quæ faciunt, ut facile ac celeriter addiscamus aliquid, quod ignorabamus; sed argumenta obvia, vel quæ non intelliguntur, non faciunt, ut addiscamus quidquam; e converso argumenta non obvia ac quæ facile percipiuntur, faciunt, ut addiscamus, quod erat nobis ignotum : ergo, etc. Patet igitur, quæ argumenta, quæque sententiæ faciant orationem urbanam.

6. Dicendum *quarto* : tria se tenentia ex parte locutionis efficiunt orationem urbanam. *Primum* est, si in locutione contraria contrariis opponantur, ut fecit Isocrates, dum loquens de quibusdam, qui pacem Græciæ ægre ferebant, dixit : eam pacem, quæ aliis omnibus communis est, existimant suis privatis rebus esse bellum. *Secundum* est, si quoad verba utamur translatis neque longe petitis, quia hæc difficile intelliguntur, neque vulgaribus, quia nihil commovent. *Tertium* est, si rem ipsam ob oculos ponamus, ita ut non tam videamur nobis audire, quid sit faciendum vel factum, quam videre, quid actu fiat; hæc autem virtus ponendi rem ob oculos græce dicitur energia, latine potest vocari evidentia. Tria igitur ex parte locutionis se tenentia maxime valent ad efficiendam orationem urbanam, antithesis nimirum sive oppositio; metaphora sive translatio, et energia sive repræsentatio actionis.

7. Cum autem translationum quatuor genera sint, probantur maxime, quæ sunt ex proportione, ut Pericles dixit, juventutem mortuam in bello sic sublatam esse ex civitate, ut si quis ver ex anno tolleret. Et Leptines de Lacedæmoniis, non oportere permittere, ut Græciæ alter oculus erueretur. Et Cephisodotus studente Charete rationes reddere de Olynthiaco bello, ægre tulit, cum diceret, in furno populum habentem rationes conari reddere. Et cohortans aliquando Athenienses, ut in Eubœam frumentatum irent, dixit, oportere exire Miltiadis decretum. Et Iphicrates, cum percussissent fœdus Athenienses cum Epidauro maritimaque ora, moleste tulit, dicens, ipsos belli viatica sustulisse. Et Pitholaus Paralum clavam populi et Sestum

cellam frumentariam Piræei. Et Pericles Æginam jubebat tollere, lippitudinem Piræei. Et Mœrocles dixit, nihil nequius esse, cum quemdam nominasset probum; illum enim in tertiis usuris nequam esse, ipsum in decimis. Et Anaxandridæ iambicum de filiabus nubere cunctantibus : « legitimum diem transgressæ mihi nuptiarum virgines ». Et illud Polyeucti in apoplecticum quemdam Speusippum, eum non posse quietem agere a fortuna in pentasyringo morbo colligatum. Et Cephisodotus triremes appellabat pistrina varia, Canis autem cauponas Attica phiditia. Æsion vero, in Siciliam civitatem effudisse; hoc enim translatum et ante oculos. Et « usque adeo, ut clamarit Græcia ». Et hoc ante oculos quodammodo, et translatio. Et ut Cephisodotus cavere jubebat, ne multas facerent conflictiones conciones. Et Isocrates ad eos, qui concurrunt in conventibus publicis. Et ut in oratione funebri : « quamobrem æquum erat, in sepulchro eorum, qui in Salamine occubuerunt, tonderi Græciam, tanquam simul sepulta cum virtute ipsorum libertate ». Si enim dixisset, æquum esse lacrimare sepulta simul virtute, translatio esset et ante oculos. At illud « cum virtute libertate » oppositionem quamdam habet. Et Iphicrates dixit : « via enim mihi orationum per medias a Charete res gestas est ». Translatio ex proportione, et illud « per medias » ante oculos ponit. Et dicere : ad vocare pericula periculis auxiliantia, ante oculos translatio. Et Lycocleon pro Chabria « neque supplicem reverentes ipsius imaginem æneam ». Translatio enim in præsenti, sed non semper, verum ante oculos; periclitantibus enim ipsis supplicat statua. Jam inanimatum animatum, commentarium operum civitatis. Et « quoquo modo parum sapere meditantes; » meditari enim est quiddam augere. Et mentem deum lumen accendisse in animo; ambo enim illuminant aliquid. « Non enim dissolvimus bella, sed differimus » : ambo enim futurum aliquid significant, et dilatio et ejusmodi pax. Et pactiones dicere, tropæum esse multo præclarius quam quæ in bellis fiunt; hæc enim pro parvo et una fortuna, illæ vero pro toto bello; ambo enim victoriæ signa. Quod et civitates vituperatione hominum magnas pœnas dant; nam pœna damnum quoddam justum est. Ac urbana quidem ex translatione per proportionem duci et ante oculos positione dictum est.

7. Addit Aristoteles, quod cum plura sint genera translationum, de quibus actum est in Poetica, illæ metaphoræ cæteris præstant, quæ fundantur in analogia proportionis, ac plurima affert talium translationum exempla, quæ nos afferemus ex græco, licet non omnia inveniantur in latina versione Trapezuntii. *Primum* exemplum est Periclis, qui laudans juvenes, qui in bello perierant, dixit : civitatem juventute orbatam ita remansisse, sicut remaneret annus, a quo ver auferretur. *Secundum* exemplum est Leptinis, qui agens Athenis contra quosdam, qui cum Lacedæmonum urbs valde esset afflicta, censebant, illam esse penitus evertendam, dixit : non oportere pati, ut alter Græciæ oculus erueretur. Significavit nimirum, duas civitates, Atheniensium et Lacedæmonum ita se habere ad Græciam, sicut duo oculi se habent ad pulcherrimam mulierem. *Tertium* est Cephisodoti, qui cum Chares vellet reddere rationem suæ administrationis tempore belli Olynthiaci, quo bello durante civitas Atheniensis maxime egebat opera Charetis, dixit : Charetem, cum in furno populum inclusum haberet, velle reddere rationes. *Quartum* exemplum est ejusdem, qui cum Miltiades decrevisset bellum contra Euboeam, sed id bellum fuisset diu dilatum propter inopiam frumenti, postquam rei frumentariæ fuit provisum, dixit : oportere tandem, ut Miltiadis decretum ad expeditionem Euboicam proficisceretur. *Quintum* est Iphicratis, qui postquam Athenienses fœdus percusserant cum Epidauris atque universa ora maritima, ex qua, bello durante, per excursiones magnam vim annonæ ad bella gerenda comportabant, id ægre ferens, dixit : eos belli viatica sustulisse. *Sextum* est Pitholai, qui navim quamdam Atheniensium, quæ vocabatur Paralus, quia constructa fuerat a quodam Paralo, vocavit clavam populi, eo quod sicut Hercules clava, sic Athenienses ea navi vires hostium contundebant. *Septimum* est ejusdem, qui Sestum oppidum Hellesponti, ex quo singulis annis Athenienses magnam vim frumenti in Piræum Athenarum portum et emporium convehebant, vocavit arcam frumentariam Piræi. *Octavum* est Periclis, qui suadebat Atheniensibus, ut Æginam insulam ex Cycladibus unam Piræo propinquam, quæque Piræi gloriam obscurare videbatur, tollerent, eo quod esset Piræi lippitudo. Sicut enim lippitudo obscurat fulgorem oculorum, sic ea insula obscurabat splendorem Piræi. *Nonum* est Mœroclis, qui, cum decem haberet filios, et accusaretur tanquam improbus fœnerator, eo quod singulis annis decem exigeret pro centum, nominavit quemdam virum probum, qui tres habebat filios, et ex centum exigebat solum tria singulis annis, quod usuræ genus existimabatur licitum, ac dixit se illo nulla in re esse improbiorem; illum enim ternis

fenoribus improbitatem exercere, se vero denis. Usura porro græce dicitur τόκος, quod significat etiam filium; significavit igitur, quod sicut ille, ut tres filios aleret, exigebat tria pro centum, sic Mœrocles ut aleret decem filios, exigebat decem pro centum. *Decimum* est Polyeucti, qui de Speusippo homine inquieto atque apoplexia correpto dixit, eum non posse conquiescere, quamvis a fortuna in pentesyringo morbo colligatus esset. Erat autem pentesyringus instrumentum quoddam, in quo quinque erant foramina, in quæ caput, brachia et pedes reorum ita inserebantur, ut se movere nullo modo possent. Quia ergo apoplexia reddit hominem immobilem, vocavit illam pentesyringum. *Undecimum* est Cephisodoti, qui triremes vocabat pistrina varia. Sicut enim pistrina panem, sic triremes frumentum civitati suppeditabant. *Duodecimum* est Diogenis Cynici, qui cauponas vocabat attica phiditia. Sicut enim Lacedæmonii frequenter in phiditiis convivia celebrabant ex lege, sic Athenienses sive Attici frequenter epulabantur in cauponis. *Decimum tertium* est Æsionis, qui cum Athenienses ad bellum siculum totam pæne nobilitatem misissent, dixit, eos civitatem in Siciliam effudisse; quod dictum continet et translationem et energiam, cum rem ob oculos ponat. Addidit Æsion, quod ita Athenienses civitatem in Siciliam effuderant, ut Græcia clamorem ediderit; quod pariter et translationem continet et rem oculis subjicit; siquidem facit, ut Græciam quasi mulierem clamantem et ululantem cernere videamur. *Decimum quartum* est Cephisodoti, qui ad populum in concionibus discordem dixit, ut caverent, ne conciones redderent hostiles concursus. *Decimum quintum* est Isocratis, qui loquens de sophistis, qui in celebritatibus verba faciebant, dixit eos verba facere apud eos, qui in celebritatibus concurrunt. *Decimum sextum* est Lysiæ, qui in oratione funebri de iis, qui missi a Corinthiis ad bellum Græciæ commune contra Persas, in Salamine fuerant interfecti, dixit, æquum esse, ut in eorum sepulchro Græcia sibi comam raderet, quoniam una cum eorum virtute etiam libertas Græciæ sepeliebatur. Addit Aristoteles, quod si Lysias dixisset æquum esse, ut Græcia lugeret, quod una cum eis virtus sepeliebatur, esset solum translatio et subjectio sub oculos : virtutem enim sepeliri translatio est; quod vero virtus sepeliatur cum militibus, subjicit rem oculis, ita ut videre nobis videamur virtutem cum cadaveribus militum tumulari; at cum dixerit, quod una cum virtute libertas Græciæ sepeliebatur, fit etiam quædam oppositio inter virtutem et libertatem. *Decimum septimum* est Iphicratis, qui acturus de rebus a Charete gestis, dixit : Iter orationis meæ erit per medias res a Charete gestas; quod dictum et continet translationem proportionis, dum processum orationis vocat iter, et rem ponit ob oculos, dum facit, ut videre videamur orationem per medias res gestas Charetis progredientem. *Decimum octavum* est ejusdem, qui ut significaret nullam meliorem viam esse ad evadendum ex maximis periculis, quam aliquid periculosum aggredi, dixit : pericula convocanda sunt, quæ periculis auxilium ferant : quod dictum continet translationem et rem subjicit oculis. *Decimum nonum* est Lycoleontis, qui defendens apud populum Chabriam, cui propter res gestas posita fuerat ænea statua, dixit : neque ejus æneam statuam reverebimini, quæ vobis pro illo supplex est? quæ est monumentum rerum pro civitate gestarum? Hic locus continet translationem, per quam statuæ, quæ semper repræsentabat res gestas Chabriæ, tribuitur hoc, quod est *supplicem esse,* dum ille periclitabatur; præterea statuæ inanimatæ tribuitur hoc, quod est *supplicare,* quod est proprium rei animatæ. *Vigesimum* est Isocratis, qui in panegyrico damnans Persas, eo quod in conspectu sui regis se prosternerent, dixit : quod illi omnibus modis se abjectos reddere curabant. Verbum enim curandi, quod significat curam ad agendum aliquid laudabile, transtulit Isocrates ad significandam curam in aliquo vituperabili. *Vigesimum primum* est ejus, qui dixit : Deum mentis lumen in animo accendisse. Proportio est, quia mens et lumen conveniunt in illustrando. *Vigesimum secundum* est Isocratis, qui loquens de Græcis sui temporis, qui faciebant paces parum firmas et parum duraturas, dixit : non enim bella dissolvimus, sed differimus. Proportio est, quia sicut, qui bellum differt, post aliquod tempus iterum bellum gerit, sic qui pacem parum firmam statuit, post aliquod tempus bellum gerere cogitur. *Vigesimum tertium* est ejusdem Isocratis in supra laudato panegyrico, ubi dicit, fœdera esse trophæum multo pul-

chrius, quam ea, quæ in bellis statuuntur. Nomen igitur trophæi translatum est ad fœdera propter proportionem, quam habent in hoc, quod tum trophæa, tum fœdera sunt insignia victoriæ. *Vigesimum quartum* demum exemplum est ejus, qui dixit, quod civitates per hominum vituperationem gravi pœna mulctantur. Proportio consistit in hoc, quod sicut, qui violant leges, per mulctam patiuntur detrimentum in pecuniis, sic civitates cum male se gerunt, per vituperationem patiuntur detrimentum in honore. Explicatum igitur est, quo pacto urbana dicta duci possint ex translatione et ex energia, per quam oculis res quodammodo subjiciuntur.

CAPUT XI

DE SEPTIMA VIRTUTE ELOCUTIONIS, QUÆ EST ENERGIA, AC DE ALIIS, EX QUIBUS ORATIO EFFICI POTEST URBANA.

1. [11] Exponendum autem est, quid dicamus ante oculos, et quid servando fiat id.

2. Jam dico ante oculos ea ponere quæcumque agentia significant, ut bonum virum dicere esse quadratum, translatio est; ambo enim perfecta, sed non significant actum. Verum illud « qui florentem habet vigorem » actus, et illud « te vero tanquam aphetum » actus, et « hinc igitur Græci concitati pedibus », illud concitati actus et translatio. Et ut usus est Homerus multis in locis, inanimata animata dicendo per translationem. In omnibus autem actum conformare probatur. Ut in his : « iterum autem ad ima volvebatur lapis impudens », et « evolavit sagitta », et attingere cupiens », et « in terra stabant cupientia corpore saturari », et « cuspis autem pectus penetravit sanguinis avida ». In omnibus enim his, quia animata sunt, agentia apparent. Nam esse impudentem et esse avidum et alia actus. Hæc autem applicuit ex proportionem habente translatione; ut enim se habet lapis ad Sisyphum, sic impudens ad id, cujus ipsum non pudet.

1. Quia ut dictum est capite superiori num. 6, oratio evadit urbana atque jucunda etiam ex eo, quod rem ante oculos ponat, ideo agendum est etiam de hac virtute elocutionis, quæ consistit in hoc, ut rem oculis subjiciat; deinde quærendi sunt alii fontes, ex quibus oratio effici potest urbana.

2. Ut rem ponamus ante oculos, debemus uti energia, hoc est vocibus significantibus actionem. Ex metaphoris igitur quædam non habent energiam, neque ponunt rem ante oculos, quia non significant actionem; aliæ habent energiam et ponunt rem ante oculos, quia significant actionem. Ex. gr., oratio, per quam quis dicit hominem probum esse quadratum, quia homo probus et figura quadrata conveniunt in hoc, quod sint aliquid perfectum et stabile, est metaphorica, sed non habet energiam, quia nomen quadrati non significat actionem. At oratio, qua Isocrates dixit de quodam, quod habebat florentem ætatis vigorem, habet energiam, quia significat actionem florendi. Similiter energiam habet illud Isocratis ad Philippum, in quo illum hortatur, ut totam Græciam suam patriam existimet, tanquam solutus ac liber a legibus unius civitatis, quia desumptum est ab actione, qua animalia soluta ac libera, huc illucque discurrunt, prout ipsis placuerit. Ex eadem ratione Euripides dicens :

> Hinc concitati cum impetu Græci ruunt,

usus est metaphora et energia, quia nomen concitatus, quod transtulit ad Græcos, qui audito raptu Helenæ decreverunt bellum, desumptum est ab actione, quam cursores exercent in ipso actu currendi. Homerus sicut sæpe est usus metaphoris translatis a rebus animatis ad inanimatas, ita etiam usus est metaphoris desumptis ex actionibus propriis animatorum, et hoc genus metaphorarum in ejus carminibus maxime probatur. Plura exempla possunt afferri. Primum desumitur ex undecimo Odysseæ, ubi describens laborem Sisyphi, de saxo ad cacumen montis delato dicit :

> Ille pudore vacans iternm lapis ima petebat;

adeoque tribuit lapidi inanimato impudentiam, per quam descendebat ad imum montis, adeoque actionem propriam rei animatæ. Secundum exemplum desumitur ex 13. Iliados, ubi dicit : *Volat ecce sagitta*, adeoque sagittæ tribuit volatum, qui est actio propria avium animatarum. Tertium exemplum desumitur ex eodem loco, ubi post quatuor versus de eadem sagitta dicit : *cupiens attingere*, adeoque tribuit illi actionem vitalem desiderandi. Quartum exemplum desumitur ex 15. Iliados, ubi de spiculis acutis et ad bellum præparatis dicit :

> Stant terra defixa, optantque in corpora figi
> Spicula.

Quintum exemplum desumitur ex 15. Iliados, ubi loquens de hasta, quam Mene-

laus jaculatus fuerat, tribuit illi furorem dicens :

At cuspis pectus pertransit plena furoris.

Omnes porro istæ metaphoræ fundantur in analogia et proportione. Nam sicut se habet lapis ad Sisyphum, sic impudens ad eum, quem non verecundatur.

3. Facit vero etiam hæc in iis quæ probantur imaginibus de inanimatis : « curvæ albescentes nunc hinc nunc inde recurrunt ». Ut enim moveantur et vivant, facit omnia; actus autem imitatio est.

4. Ac oportet transferre, ut dictum est prius, a propinquis et minime apertis; ut etiam in philosophia simile vel in longe distantibus cernere solertis est, ut Archytas dixit idem esse arbitrum et aram; ad utrumque enim, quod injuriam accepit, confugit. Aut si quis diceret ancoram et cremastram idem esse; ambo enim aliquid idem, sed differunt in eo, quod alterum superne, alterum inferne pendet. Et illud : in æquales esse civitates, in longe distantibus idem, in superficie et opibus æquale.

3. Addit Aristoteles *primo*, quod Homerus etiam in imaginibus seu similitudinibus tribuit rebus inanimis actiones proprias animatorum, ut cum 13. Iliados comparans impetum Trojanorum marinæ tempestati, quæ maximos fluctus commovet, loquens de undis dicit :

Curvæ albescentes, nunc hinc, nunc inde feruntur;

adeoque tribuit undis actionem huc illucque currendi et recurrendi, quæ est propria animatorum. Homerus igitur fingit omnia moveri et vivere. Et ratio est, quia poesis est imitatio; sed dum tribuimus rebus actionem vitalem, tum maxime imitamur talem actionem; ergo poeta ut maxime imitetur, debet rebus tribuere actionem, præsertim vitalem.

4. Addit *secundo*, quod, ut dictum est supra cap. II, num. 9, metaphoræ ut plurimum debent desumi ex rebus propinquis, quarum tamen proportio non est obvia. Possunt tamen aliquando desumi etiam a rebus valde distantibus et remotis. Verum sicut in Philosophia non est cujuslibet, sed hominis tantum acuti perspicere, quam proportionem habeant inter se res valde distantes, sic in Rhetoricis non est cujuslibet, sed solum viri valde ingeniosi videre proportionem rerum valde dissimilium, adeoque idoneas metaphoras ex rebus valde dissimilibus desumere. Tria exempla congruarum metaphorarum desumptarum ex rebus valde dissimilibus possunt afferri. *Primum* Archytæ, qui dixit, idem esse arbitrum et altare, quia qui injuria afficiuntur, tum ad arbitrum tum ad altare confugere solent. *Secundum* exemplum posset esse, quod ancora et cremastra idem sunt. Vocatur autem cremastra uncus in domibus pendens e laqueari, ut in eo res suspendantur, quod est simile ancoræ; nam sicut ancora firmat naves inferne, sic cremastra firmat res suspensas superne. *Tertium* exemplum est, per quod dicitur civitates esse inæquales. Sicut enim superficies dicitur inæqualis, quia una pars eminet alteri, sic civitates dicuntur inæquales, si aliqui cives potentia emineant aliis.

5. Sunt autem et urbana plurima ex translatione. Et ex præcedenti deceptione; magis enim fit manifestum ipsum didicisse, cum contra se habet, et videtur dicere animus « quam vere; ego autem errabam ».

6. Et apophthegmatum urbana sunt ex eo, quia non dicunt quod verba sonant, ut illud Stesichori, cicadas apud se humi cantaturas. Et quæ bene in modum ænigmatis formata sunt, ob idem jucunda sunt. Perceptio enim est, et dicitur translatio.

7. Et quod dicit Theodorus nova proferre; id quod fit, quando præter opinionem sit, et non ut ille ait, ex priore opinione, sed ut in ridiculis, leviter immutata. Quod valent etiam sales ab annominatione; errorem enim objiciunt, etiam in metris; non enim ut audiens existimabat. « Ingrediebatur autem habens sub pedibus perniones ». Ille vero putavit, calceamenta dicturum. Atque hoc simul ac dictum est, oportet manifestum esse. Annominationes autem faciunt ut dicat, non quod dicit, sed quod invertit nomen, ut illud Theodori in Niconem citharœdum « thrattei te ». Simulat enim dicere, « conturbat te », et decipit; aliud enim dicit. Quamobrem discenti jucundum; quoniam si non existimet Thracem esse, non videbitur urbanum esse. Et illud « vis ipsum persai ». Oportet autem utrumque congruenter esse prolatum. Sic vero etiam urbana, ut affirmare, Atheniensibus maris archen non archen esse malorum; quæstum enim facere. Aut ut Isocrates, archen civitati archen esse malorum. Utroque enim modo, quod non putasset aliquis dicturum, id dictum est, et cognitum est verum esse. Archen enim affirmare archen esse non est sapientis. Sed non sic dicit, et archen non quod dixerat negat, verum aliter. Atque in omnibus his si congruenter nomen intulerit homonymia aut translatio, tunc bene se habet, ut « anaschetus non anaschetus »; homonymiam negavit, sed congruenter, si semper bis. Et « non eris magis quam te oportet hospes, hospes ». Aut non magis quam te oportet, idem. Et « non oportet hospitem hospitem semper esse »; alienum enim et hoc.

Idem etiam valet celebre illud dictum Anaxandridæ, « honestnm est mori priusquam morte agat aliquid dignum ». Idem enim est ac dicere, dignum enim est mori qui non sit dignus qui moriatur, aut dignum mori, qui non morte dignus sit, aut qui non faciat morte digna. Ac forma quidem eadem elocutionis horum;

5. Superest pro complemento tractatus de oratione urbana, ut afferamus alia quædam, ex quibus oratio effici potest urbana. Dictum est, quod plurima dicta urbana desumuntur ex translatione. Addimus nunc, quod multa etiam desumuntur ex aliis fontibus. *Primo* desumuntur ex deceptione atque errore præcedenti. Ratio est, quia dictum urbanum est, quod delectat, quia facit, ut addiscamus facile et celeriter, quod ante ignorabamus; ergo dicta, quæ non solum faciunt, ut addiscamus aliquid, quod ante ignorabamus, sed etiam aliquid, circa quod ante decipiebamur et errabamus, sunt urbaniora et jucundiora, siquidem animus transiens ab errore ad veritatem lætatur ac quodammodo dicit sibi ipsi : quam verum est hoc, quod didici! Ego vero quanto eram in errore!

6. *Secundo* urbana desumuntur ex eo, quod aliud significetur, quam primo aspectu verba videntur significare; tum enim delectamur, quia discimus aliquid, quod sub cortice verborum latet. Ex hoc capite jucunda et urbana sunt apophthegmata, ut illud Stesichori, cum dicens : *Cicadæ apud eos humi cantabunt*, significavit regionem ita vastatum iri, ut nulla arbor remaneret, in quam cicadæ ascenderent, adeoque cantaturas humi. Ænigmata quoque sunt jucunda et urbana, quia præterquam quod continent translationem, faciunt, ut aliud intelligamus præter id, quod verba significare videntur.

7. *Tertio* jucundum et urbanum est, ut ait Theodorus, novas res dicere. Tum vero præcipue hæc novitas delectat, cum profertur aliquid, quod auditor non opinabatur dicendum, adeoque non est consentaneum ejus opinioni. Ex hoc fonte desumuntur ea ridicula, in quibus præter exspectationem verba leviter immutantur; nec non cavilli, in quibus parum mutantur litteræ, ideoque tales cavilli ac tales joci sunt urbani atque venusti. Plura exempla Aristoteles affert. *Primum* desumitur ex veteri poeta, qui de quodam cecinit :

Illi namque pedes munibat pernio eunti.

Pernio significat morbum quemdam calcanei. Cum igitur auditor exspectaret dicendum, quod eunti munibat pedem calceamentum vel calcar, poeta præter exspectationem asserit, quod pedem munibat pernio. Debet autem hoc genus facetia rum esse planum atque perspicuum, ita ut statim intelligatur. *Secundum* exemplum cavilli ridiculi, in quo mutatis parumper litteris, non significatur id, quod nomen primo aspectu significare videtur, est, quo Theodorus usus est in Niconem citharœdum. Cum enim Nico vexaretur a quodam, Theodorus illum irridens dixit : θράττει σέ, quod videtur significare : conturbat te; sed vere significat Θράττη σε, hoc est facit te Thracem; quo dicto salse objecit Niconi matrem Thracem et servam, ex qua erat ortus. Scientes igitur auditores Niconem ortum ex matre Thracia, adeoque percipientes cavillum Theodori, valde delectati sunt. *Tertium* exemplum simile est : tu vis illum πέρσαι, quod primo aspectu videtur significare : tu vis illum vexare; sed qui hoc dictum protulit, voluit significare : tu vis illum πέρσαι, hoc est facere fautorem Persarum et proditorem Græcorum. Advertit autem Aristoteles, quod cum jocando utimur ambiguis, uterque sensus verbi ambigui debet convenire ei, de quo ambiguum dicitur, ut patere potest in allatis exemplis. *Quartum* exemplum est ejus, qui dixit Atheniensibus ἀρχήν maris non fuisse malorum ἀρχήν, siquidem ipsis utilitatem attulit; vel Isocratis, qui dixit Atheniensibus ἀρχήν maris fuisse principium malorum. Nomen ἀρχή significat tum principatum tum principium; ideoque venuste dicitur : ἀρχή fuit vel non fuit ἀρχή malorum, quia dicitur aliquid præter exspectationem, siquidem nemo exspectasset dicendum, quod ἀρχή fuit vel non fuit ἀρχή, cum non sit sapientis idem affirmare vel negare de se ipso; sed vere non idem affirmatur vel negatur, sed luditur in nomine ambiguo. Cum igitur commode utimur ambiguitate vel translatione nominis. dictum evadit urbanum ac venustum; ex. gr., (et potest esse *quintum* exemplum) si quis vocetur Importunus, et dicatur, quod Importunus non fuit importunus, dictum est venustum; ac universim solet dictum esse venustum, cum idem nomen repetitur in diversa significatione, ut patere potest ex subjectis exemplis. *Sextum* igitur exemplum est veteris poetæ, qui cum videret, hospitem suum nimis esse verecundum,

dixit : O hospes, ne sis magis hospes, quam oporteat. Posset similiter dici de aliquo, qui nimis vellet sapere : O sapiens, ne sis magis sapiens, quam oporteat; posset dici : Non decet hospitem semper esse hospitem. *Septimum* exemplum est illud celebre Anaxandridæ, qui dixit : pulchrum esse mori, cum nihil morte dignum egisti. Idem enim est, ac si dixisset : dignum est mori, quando quis non est dignus mori; vel dignum est mori, cum quis non est dignus morte, vel non facit digna morte. Omnia igitur allata exempla habent eamdem vel similem locutionis formam, ideoque deducunt suam venustatem ex eodem fonte.

8. * verum quo brevius et oppositius prolata sint, eo probantur magis. Causa autem est, quod perceptio, quia opponatur, est magis. At propter exiguitatem celerius fit. Oportet autem semper adesse aut in quem dicitur, aut rectam dictionem, si quod dicitur, verum et non inane futurum sit. Licet enim hæc separatim habere, ut « mori oportet nihil peccantem »; sed non urbanum. « Dignum oportet ducere dignum » ; sed non urbanum. Verum si simul utrumque habeat : « dignum enim mori qui non sit dignus qui moriatur. » Ceterum quo plura habeat, eo urbanius apparet, ut si nomina translatio sint, et translatio ejusmodi, et oppositio et compar, et habeat actum.

9. Jam vero imagines sunt, ut dictum est etiam in superioribus, semper probatæ quodammodo translationes. Semper enim ex duobus ducuntur, ut ex proportione translatio ; ut scutum, dicimus, poculum est Martis, et arcus cithara sine chordis. Ac sic quidem dicunt non simplex. Dicere vero arcum citharam aut scutum poculum, est simplex. Et assimilant, sicut simiæ tibicinem, lucernæ stillanti lusciosum; ambo enim contrahuntur. Bene autem est, cum translatio inest. Licet enim per imaginem dicere, scutum poculum esse Martis et parietinas attritum pannum domus. Et Niceratum dicere Philoctetem esse morsum a Pratye, ut assimilavit Thrasymachus videns Niceratum superatum a Pratye in rhapsodia, sed alentem comam et sordidatum adhuc. In quibus maxime exploduntur poetæ, si minus recte egerint, etiamsi probentur. Dico autem quando reddunt « ut apium distorta crura gerit », « ut Philammon sub jugo concertans Coryco ». Et talia omnia imagines sunt. Imagines autem translationes esse dictum est sæpe.

8. Jam circa hæc urbana atque venusta Aristoteles quædam advertit. *Primum* est : hæc dicta, quo breviora sunt et quo majorem continent oppositionem, eo sunt venustiora et jucundiora. Ratio est, quia eo dictum est venustius, quo facilius et celerius addiscimus aliquid præter opinionem et exspectationem; sed quo dictum est brevius, eo addiscimus celerius; quo majorem continet oppositionem, eo addiscimus facilius, siquidem opposita juxta se posita facilius ac melius intelliguntur; ergo, etc. *Secundum* est : ad hæc dicta requiritur, ut ei congruant, in quem proferuntur, et ut venustam et elegantem verborum structuram habeant. Ratio est, quia si quod dicitur non congruat, dictum non videbitur verum, sed inane ac vanum, ideoque non delectabit nec erit venustum. Si vero, quod dicitur, congruat, sed non sit dictum eleganter, videbitur verum, sed adhuc non erit urbanum. Ex. gr., si quis dicat : *mori oportet nihil in vita peccantem; oportet dignum dignam uxorem ducere*, dicit aliquid verum, sed nihil profert urbanum. At si dixerit : *Dignum est mori, quando quis non est mori dignus*, profert aliquod verum simul et concinne dictum propter antithesim, ideoque dictum est urbanum. *Tertium* est : oratio eo erit urbanior atque venustior, quo plura continebit eorum, ex quibus urbanitas desumitur; quia vero orationis urbanitas desumitur ex probatis translationibus, ex antithesi, ex energia sive evidentia subjiciente rem oculis, et ex eo, quod constet membris paribus, ut dictum est supra, — ideo quo plura simul ex his continebit, eo erit urbanior atque venustior.

9. *Tertio* urbana desumuntur etiam ex imaginibus seu similitudinibus et comparationibus. Imagines ac similitudines, ut dictum est cap. IV, *sunt insignes quædam translationes*. Translationes fundatæ in proportione significant duo, quæ in aliquo sunt similia ; ex. gr., translatio est, per quam dicimus clypeum esse poculum Martis; et arcum esse citharam sine chordis. Verum cum profertur utrumque nomen, dicendo clypeum esse poculum Martis, etc., non est simplex translatio; si vero loco nominandi clypeum, nominemus poculum Martis, vel loco nominandi arcum, nominemus citharam sine chordis, tum est simplex translatio. Proportionaliter etiam imagines ac similitudines significant duo in aliquo convenientia, ita ut exprimant, quod sicut se habet unum, ita se habet alterum, quod translatio non exprimit. Ex. gr., imago est, per quam dicitur tibicinem esse similem simiæ. Sicut enim simiæ contracto corpore sedere solent, manibus ad os appositis, ita tibi-

cines dum tibias inflant, videntur imitari simias. Est etiam imago, per quam dicitur lusciosus esse similis lucernæ stillanti. Ex imaginibus illæ præcipue laudantur, in quibus apparet translatio, præsertim quæ fundatur in proportione. Tria harum similitudinum exempla Aristoteles affert. *Primum* est, quo dicitur clypeum videri poculum Martis; quia sicut Bacchus semper manibus defert poculum, sic Mars semper defert clypeum. *Secundum* est, quo dicimus ædificium ruinosum esse veluti pallium attritum; sicut enim pallium attritum paulatim scinditur, sic ædificium ruinosum paulatim dilabitur. *Tertium* est Thrasymachi, qui dixit Niceratum poetam a Pratye in certamine carminum devictum esse sicut, Philoctetem a serpente morsum. Sicut enim Philoctetes a serpente demorsus, in squallore et sordibus diu vixit, sic Niceratus a Pratye victus sordidus et coma incompta procedebat. Sicut imagines aptæ laudantur, sic imagines ac similitudines parum idoneæ vituperantur, in iisque sæpe peccant poetæ. Duo similitudinum parum idonearum exempla affert Aristoteles. Primum est ejus, qui dixit :

Distorta ut apium crura procedens gerit.

Secundum est alterius, qui cecinit :

Sicut Philammon juga gerens cum Coryco.

Porro Philammon et Corycus erant duo athletæ, quorum neuter facile superabatur ab altero. Videtur autem inepta similitudo, per quam pugnantes invicem ex æquo, comparantur bobus trahentibus idem jugum.

10. Et proverbia translationes a specie ad speciem sunt; ut si quis quasi bonum capturus ipsum invehat, deinde damnum accipiat, ut Carpathius, inquit, leporem; ambo enim, quod dictum est, passi sunt. Ac unde quidem urbana ducantur et quamobrem, ferme dicta est causa.

11. Sunt autem etiam probatæ superlationes translationes, ut in sugillatum « putassetis enim ipsum esse mororum calathum »; rubrum enim sugillatum, sed nimium admodum. Illud autem, ut id et id, superlatio est locutione differens, « ut Philammon sub jugo decertat Coryco ». Putassetis autem ipsum Philammonem esse pugnantem Coryco. « Ut apium distorta crura ferre ». Putabam autem non crura sed apia habere; sic distorta sunt. Ac sunt superlationes pueriles; vehementius enim aperiunt Quamobrem qui irascuntur, eas dicunt maxime. « Neque si mihi tot det quot arenaque pulvisque, Filiam non duco Agamemnonis Atridæ, neque si cum aurea Venere pulchritudine contendat, operibus vero cum Minerva ». Utuntur autem maxime hac Attici oratores; quamobrem seni dicere indecorum.

10. *Quarto* etiam proverbia sæpe sunt urbana. Proverbia solent esse *translationes, in quibus una species dicitur de altera propter convenientiam in eodem genere.* Ex. gr., de iis, qui aliquid domum comportant, unde commodum sperant, si damnum ex eo accipiunt, dicitur : *Carpathius leporem.* Ratio est, quia ut refert Pollux lib. I, cum in Carpatho insula nulli essent lepores, Carpathii videntes illud animal esse optimum ad comedendum, par leporum in suam insulam comportarunt. Sed quia lepores sunt fecundissimi, brevi tempore ita multiplicati sunt, ut omnes fere fructus agrorum corrumperent, cum magno Carpathiorum damno. Quia igitur Carpathii magnum detrimentum passi sunt a leporibus, quos in suam insulam comportarunt ex spe commodi, ideo de omnibus, qui damnum reportant ex aliquo, quod domum detulerunt ex spe lucri, dicitur : *Carpathius leporem.* Explicatum igitur est, unde ducantur dicta urbana, et quare sint urbana ac jucunda.

11. *Quinto*, quia etiam hyperbole aliquando confert ad urbanitatem, addenda sunt aliqua de hyperbole. Hyperbolæ probatæ sunt quædam translationes; ex. gr., hyperbole, per quam quis dixit de quodam, qui habebat faciem sugillatam ac variis maculis rubris interstinctam : *Putassetis faciem illam esse mororum calathum*, fuit quædam translatio, per quam nomen *calathus mororum* propter convenientiam in rubore fuit applicatum faciei rubris maculis deformatæ. Verum hæc hyperbole videtur modum excedere atque esse audacior. Sicut metaphoræ differunt ab imagine ex modo proferendi, ita hyperbole potest ab alia hyperbole in solo modo proferendi differre; ex. gr., loco dicendi : sicut Philammon juga gerens cum Coryco, potest dici : putassetis illum esse Phylammonem cum Coryco dimicantem; et loco dicendi : distorta ut apium crura procedens gerit, potuisset dici : putabam eum non crura sed apia habere, ita distorta sunt. Addit Aristoteles hyperbolas sapere quid juvenile, quia indicant vehementem animi motum, qui proprius est fervidioris ætatis. Quia vero irati fervidi sunt, ideo irati hyperbolis utuntur. Idcirco Homerus dum inducit Achillem ira-

tum, facit illum hyperbolice loqui. Cum enim Agamemnon ad Achillem placandum misisset illi munera, et per legatos promitteret etiam illi filiam in uxorem, Achilles et munera et uxorem contemnit, dicens :

Non mihi si tam multa daret, quam magnus arenæ,
Pulveris, et numerus, etc.
Non ducam uxorem, mihi crede, Agamemnone natam,
Quamvis ingenio sapientem Pallada vincat,
Et pulchræ Veneri prestanti corpore certet.

Quia igitur hyperbolæ spirant fervorem quemdam juvenilem, ideo non videntur decere virum senem et pacatum, licet illis attici oratores frequenter utantur.

CAPUT XII

QUALIS ELOCUTIO SINGULIS GENERIBUS DICENDI CONVENIAT.

1. [12] Oportet vero non latere aliam unicuique generi convenire elocutionem; non enim eadem scriptionis et contentionis est, neque concionis et judicii. Utrumque autem necesse est scire ; illud enim est emendatam elocutionem scire, hoc vero non cogi silere, si quid velit communicare cum aliis; quod patiuntur illi qui nesciunt scribere.

2. Est autem elocutio scriptionis exactissima, contentionis vero cum actione maxime conjuncta.

3. Hujusque duæ sunt species, morata una, affecta altera. Quamobrem et actores talia dramata sequuntur, et poetæ tales. Versantur vero in manibus qui leguntur, ut Chæremon ; accuratus enim ut orationum scriptor, et Licymnius inter dithyrambicos.

4. Et si inter se comparentur, quæ sunt scriptorum in contentionibus, angustæ apparent, quæ oratorum bene habitæ, vulgares in manibus. Causa autem est, quod in contentione conveniunt.

Explicatis virtutibus elocutionis, Aristoteles, ut hunc tractatum absolvat, examinat, qualisnam elocutio singulis orationum generibus conveniat. Ac primo quidem ostendit diversis generibus diversam elocutionem convenire, ac nominatim diversam elocutionem convenire scripturæ, diversam orationi forensi ac concertatoriæ, et explicat quænam sit locutio propria utriusque generis; secundo declarat, quæ debeat esse elocutio generis deliberativi, quæ judicialis, quæ demonstrativi; tertio probat ex dictis posse colligi, quo pacto elocutio possit esse suavis atque magnifica, et concludit tractatum de elocutione.

1. *Quoad primum :* illud exploratum omnibus esse debet, quod diversis generibus diversa congruit elocutio. Neque enim eadem elocutione utendum est, dum scribimus, quæ alii quiete legant et contemplentur, ac dum forenses causas magna cum contentione in concionibus ac judiciis agimus. Rursus non eadem elocutio est accommodata orationibus deliberativis ac judicialibus. Verumtamen operæ pretium est, ut utrumque elocutionis genus teneamus, tum illud, quod est accommodatum scribendo, tum quod est accommodatum causis concertatoriis agendis. Si enim hoc forense ignoremus, causas agentes, non poterimus loqui apte ad persuadendum; si vero illud quietum ac privatum nos lateat, non poterimus quidquam scribere, quod absentibus ac posteris tradatur.

2. Sed jam explicandum est, qualis elocutio scripturæ, qualis forensi dictioni conveniat. Dicendum, quod scripturis convenit elocutio quædam exquisitissima; forensibus vero concertationibus convenit elocutio non tam exquisita, sed ad agendum aptissima. Ratio est, quia quæ scribuntur, ideo scribuntur, ut quiete legantur ; sed quiete legentes omnia minutim considerant; ergo elocutio scripturæ debet esse exquisitissima. Ex opposita ratione, quia qui audiunt, non singula scrupulose contemplantur, sed actione maxime capiuntur, ideo orationes concertatoriæ atque ad agendum destinatæ, non tam requirunt elocutionem exquisitam, quam ad agendum aptissimam.

3. Si vero ulterius quæratur, quænam elocutio sit ad agendum aptissima, dicendum, quod duæ species orationis maxime sunt ad agendum aptæ ; oratio nimirum ethica seu moralis, hoc est exprimens mores, et oratio pathetica sive affectiva, hoc est exprimens affectus. Probatur ex signo; nam histriones ad agendum potissimum quærunt fabulas, quæ exprimunt mores atque affectus ; ergo signum est, quod oratio morata et affectiva aptissima est ad agendum. Rursus poetæ optant, ut fabulæ eorum agantur ab histrionibus, qui excellant in moribus atque affectibus exprimendis; ergo signum est, quod præcipua virtus actionis consistat in expressione morum et affectuum. Quia vero fabulæ poetarum ordinantur non solum ad hoc, ut agantur, sed etiam ut legantur, ideo ex poetis ii præ cæteris probantur, quorum fabulæ non solum actæ, sed etiam

lectæ delectant, qualis est Chæremon, qui utitur elocutione non minus exquisita quam ea, qua utuntur causarum scriptores, et qualis est Licymnius, qui sequitur formam dicendi grandem ac plane dithyrambicam.

4. Ex eo, quod alia debeat esse elocutio orationum scriptarum, alia forensium, oritur, ut orationes, quæ scriptæ laudantur ut accuratæ atque concinnæ, si in forensibus concertationibus agantur, videantur humiles ac jejunæ; e converso si orationes, quæ cum agerentur, auditæ sunt cum plausu, scriptæ oculis subjiciantur, videantur incultæ ac similes orationibus imperitorum; cujus ratio est, quia orationes ad agendum aptæ exquisitam quamdam diligentiam non requirunt, sed potius respuunt, ac loco ejus exigunt elocutionem negligentiorem, sed actioni accommodatam; ergo cum virtus talis elocutionis pendeat ab actione, sublata actione oratio videtur inculta ac non satis probatur.

5. Quare etiam quæ actione valent, ablata actione non obeuntia suum munus apparent insulsa. Ut et dissoluta. Et sæpe idem dicere in scriptione recte repudiatur, in contentione vero etiam oratores usurpant; id enim actione valet. Necesse vero est immutare idem dicentes, quod viam facit actioni. « Iste autem est qui expilavit vos, iste est qui decepit, iste est qui postremum prodere conatus est ». Ut Philemon histrio fecit in Anaxandridæ Gerontomania, cum loquitur Rhadamanthus et Palamedes. Et in prologo Piorum illud ego. Si enim quis hæc non adiuvet actione, fit is qui trabem gestat. Et dissoluta eodem modo; « veni, occurri, rogavi »; necesse enim est actione adjuvare, et non, quemadmodum qui unum dicit, iisdem moribus et tono dicere. Præterea habent proprii aliquid dissoluta; inæquali enim tempore multa videntur dicta esse. Nam conjunctio unum facit ea quæ sunt multa. Quamobrem si auferatur, manifestum est fore id, quod unum est, multa e converso. Habet igitur amplificationem « veni, narravi, supplicavi, multa sunt. Videtur autem negligere, quæcumque dixi, quæcumque aio ». Atque id vult facere etiam Homerus in illo « Nireus autem ex Simo, Nireus Aglaiæ filius, Nireus qui pulcherrimus ». De quo enim multa dicta sunt, necesse est et sæpe eum dictum esse. Si igitur et sæpe, etiam multa videntur. Quare amplificavit, cum semel eum meminerit, propter fallaciam; et memoriam prodidit, etiamsi haudquaquam posterius de ipso sermonem habuerit.

5. Inter alia, quæ, cum actioni apprime conveniant, in scripturis merito reprobantur, sunt crebræ repetitiones ac dictio dissoluta. Crebræ repetitiones ideo reprobantur in orationibus scriptis, quia tum solum jucundæ sunt, cum idem repetendo modus dicendi variatur ac semper sit vehementior; sed hæc variatio requirit actionem; ergo crebræ repetitiones requirunt actionem, illique viam quodammodo sternunt. Exemplum repetitionis in agendo probatæ est : *Iste est, qui vos expilavit; iste est, qui decepit; iste est, qui vos hostibus prodere conatus est.* Hæc autem repetitio debet pronuntiari mutando vocem, quemadmodum Philemon histrio, dum ageret Anaxandridæ fabulam, quæ inscribitur Gerontomania, ubi Rhadamanthus et Palamedes verba faciunt, vocem crebro in repetitionibus mutabat, quod idem faciebat, dum recitaret prologum *Piorum*, ubi *ego* sæpius repetitur. Si vero tales repetitiones actione non adjuventur, sequitur, ut actor juxta proverbium videatur trabem gestare, dum recitat sine actione ac motu, ac si magno quodam onere premeretur. Proportionaliter dictio dissoluta ac conjunctionibus vacans, qualis est : *veni, occurri, rogavi*, debet actione ac vocis mutatione adjuvari, ac non debet recitari eodem animi habitu, ac si una et eadem res diceretur. Porro dictio dissoluta ad orationem amplificandam valet. Ratio est, quia conjunctio ex multis unum efficit; ergo oratio dissoluta et conjunctionibus vacans facit, ut ex uno fiant quodammodo multa; sed ex uno facere multa est quoddam genus amplificandi; ergo oratio dissoluta valet ad amplificandum. Ex. gr., rem amplificat, qui dicit : *Veni, narravi, supplicavi;* necnon qui dicit : *Videtur omnia negligere, quæ narro, quæ dico,* quia facit, ut quæ sine conjunctione proferuntur, multa videantur. Similem vim amplificandi continet repetitio ; ideoque Homerus egregie laudes Nirei, de quo in toto suo poemate nunquam amplius facturus erat mentionem, amplificavit tribus versibus, ter ejus nomen repetens ac dicens secundo Iliados, ubi texit catalogum navium :

Nireus e Symo ternis cum navibus ibat,
Nireus Aglaiæ Charopique e sanguine natus;
Nireus aspectu ante alios pulcherrimus omnes.

Usus est autem hic Homerus fallacia consequentis. Quia enim necesse est, ut sæpius nominetur is, de quo multa dicuntur, Homerus ter repetens nomen Nirei, facit, ut existimemus multa de illo esse in Iliade dicenda, ideoque hac repetitione

obtinuit, ut licet in tota Iliade adhuc nihil erat de Nireo dicturus, ita nomen et famam Nirei memoriæ lectoris impresserit, ac si de ipso multa dixisset.

6. Ac deliberativa quidem elocutio etiam omnino similis est umbratili picturæ; quo enim amplior sit turba, eo longius spectatur; quamobrem quæ exquisita sunt, supervacanea et pejora apparent in utrisque.

7. Judicium vero accuratius est. Præterea majorem curam requirit, quod ad unum judicem pertinet; minimum enim est in oratoriis, quia magis conspici potest, quod est proprium rei et quod alienum. Ac contentio abest, ut sincera judicatio sit. Quamobrem non iidem in omnibus iis probantur oratores; verum ubi maxime est opus actione, ibi minimum diligentia requiritur. Hoc autem, ubi voce; et maxime, ubi magna.

8. Ac demonstrativa quidem elocutio scriptioni accommodatissima est; opus enim ipsius est lectio. Secundo autem loco est judicialis.

6. *Quoad secundum :* superest jam, ut explicemus, qualisnam elocutio congruat generi deliberativo, judiciali ac demonstrativo. Dicendum *primo :* in genere deliberativo non debemus sectari elocutionem valde exquisitam et minutam, sed solum debemus curam ponere in quibusdam magis eminentibus et obviis, quæque etiam ab imperita multitudine perspici possunt. Probatur et explicatur exemplo. In pictura enim umbratili, quæque solum ex loco remoto est conspicienda, non debet poni cura in quibusdam minutioribus, quæ solum ex propinquo possunt conspici, sed tantum in majoribus, quæ videntur a longe; sed multitudo imperita, ad quam dirigitur genus deliberativum, orationem contemplatur quodammodo a longe, ideoque minutiora non advertit; ergo in genere deliberativo supervacanea est exquisita illa elocutionis concinnitas.

7. Dicendum *secundo :* in genere judiciali forma dicendi debet esse accuratior et exquisitior, quam in deliberativo. Ratio est, quia orationes generis judicialis diriguntur non ad magnam et imperitam multitudinem, sed ad judices pauciores et peritiores, qui proinde et res, quæ dicuntur, et formam dicendi ex propinquo contemplantur. Quod si coram uno tantum judice res agatur, magis laborandum est in iis, quæ spectant ad rem ipsam, siquidem minus orator extrinsecis eloquentiæ præsidiis uti potest. Unus enim judex facilius perspicit, quid ad causam pertineat et quid alienum sit, ac remoto studio contentionis potest incorrupte judicare. Quia non idem genus dicendi congruit deliberationibus ac judiciis, ideo non omnes oratores excellunt in utroque genere, sed aliqui, qui maxime valent actione ac magnitudine vocis, excellunt in concionibus, quæ habentur ad populum, alii, qui non tam valent actione quam exquisitiore genere dicendi, excellunt in judiciis, ubi res debent accuratius tractari.

8. Dicendum *tertio :* exquisitissima forma dicendi maxime convenit generi demonstrativo, ideoque orationes generis demonstrativi sunt aptissimæ ad hoc, ut scribantur. Ratio est, quia orationes demonstrativæ ordinantur ad hoc, ut legantur; sed orationes, quæ ordinantur ad hoc, ut legantur, debent continere omnia genera ornamentorum ; ergo, etc. Proxime sequuntur orationes judiciales, quæ postulant genus dicendi magis exquisitum, quam deliberativæ, ut dictum est num. 7.

9. Dividere vero elocutionem, ut suavem oporteat esse et magnificam, inane est. Cur enim magis quam temperantem et liberalem, et si qua alia est morum virtus? Nam ut suavis sit, facient ea quæ dicta sunt, si modo recte definita est virtus elocutionis. Cujus enim rei causa oportet perspicuam et non humilem esse, sed decoram ? Si enim nugatoria est, non est dilucida; neque si concisa. Sed profecto medium convenit, et suavem, quæ dicta sunt, efficient, si bene sint temperata, usitatum et peregrinum et rhythmus et appositum ad persuadendum ex decoro. Ac de elocutione quidem dictum est, et communiter de omnibus et singillatim de unoquoque genere.

9. *Quoad tertium* : cum fuse egerimus de virtutibus elocutionis, supervacaneum jam videtur, ut cum quibusdam rhetorum dicamus elocutionem debere esse suavem atque magnificam. Et primo quidem dum dicunt orationem debere esse magnificam, similiter se habent, ac si dicerent orationem debere esse liberalem vel temperantem : sed hæc non dicuntur; ergo neque illud est dicendum, sed sufficit universim asserere orationem debere esse moratam, adeoque debere exprimere mores secundum virtutem. Secundo nos jam explicavimus, quæ sint virtutes elocutionis, ac diximus illam debere esse perspicuam, etc. ; sed si locutio habeat tales virtutes, eo ipso erit suavissima ac jucundissima ; ergo nihil est, cur addamus, orationem debere esse suavem. Confirmatur, quia omnes enumeratæ virtutes

elocutionis eo tendunt, ut oratio sit suavis; sed nos tales virtutes enumeravimus ac diximus orationem debere esse perspicuam, sed non humilem; grandem, sed decoram et cum re convenientem; neque concisam ac nimis brevem, neque verbosam ac nugatoriam, sed mediocriter se habentem; siquidem tum nimia verbositas, tum nimia brevitas aufert orationis perspicuitatem, eaque ablata oratio erit injucunda. Addidimus omnia esse temperanda, adeoque verba usitata miscenda cum peregrinis; oratorium numerum debere esse talem, ut servet decorum et sit aptus ad persuadendum; ergo abunde docuimus, quo pacto elocutio possit esse suavis et jucunda. Hæc igitur de elocutione tum communi, tum de ea, quæ singulis generibus convenit, dicta sufficiant. Reliquum jam est, ut de dispositione atque ordine elocutionis disseramus.

CAPUT XIII

QUOT ET QUÆ SINT PARTES ORATIONIS.

1. [13] Reliquum est ut de dispositione dicamus. Sunt autem orationis duæ partes. Necessarium enim est et rem dicere, qua de agitur, et eam demonstrare. Quare ut dicens non demonstret, aut demonstret non prius dicens, fieri non potest. Nam demonstrans aliquid demonstrat, et præloquens causa demonstrandi præloquitur. Horum autem illud propositio est, hoc fides, quemadmodum si quis distingueret illud quidem problema, hoc vero demonstrationem esse.

2. Jam vero dividunt ridicule. Narratio enim judicialis orationis solius est; demonstrativæ autem et deliberativæ quomodo contingit narrationem esse, qualem dicunt? Aut quæ sunt contra adversarium? Aut perorationem demonstrativarum? Procemium vero et adversa collatio et repetitio in deliberativis tunc fit, cum contradictio adsit. Etenim accusatio et defensio sæpe adhibentur, sed non quatenus consultatio est. Quin peroratio etiam non est judicialis omnis, ut si parva oratio sit aut res facile sub memoriam cadat. Contingit enim ex longitudine amputari. Necessariæ igitur particulæ sunt propositio et fides.

Absoluto tractatu de elocutione, in hac ultima parte horum librorum Aristoteles agit de dispositione seu de partibus orationis ac primo quidem examinat quot sint partes orationis.

1. Dicendum igitur *primo*, quod partes necessariæ orationis sunt duæ tantum, propositio nimirum et probatio seu confirmatio. Ratio est, quia partes necessariæ orationis sunt, sine quibus non potest orator obtinere finem persuadendi; sed non potest obtinere talem finem, nisi primo proponat rem, de qua est agendum, deinde illam probet et argumentis confirmet. Si enim rem solum exponat ac narret, sed non probet, non persuadebit; et ex alia parte non potest persuadere, quod prius non exposuerit; ergo partes necessariæ orationis sunt duæ: prima, per quam res proponitur, et vocatur propositio; secunda, per quam, quod propositum est, probatur, et vocatur confirmatio. Propositio porro antecedit probationem et ad illam ordinatur, siquidem ideo rem proponimus, ut probemus, nec possumus probare, nisi ante proposuerimus. Partes igitur orationis proportionaliter correspondent partibus scientiarum demonstrativarum. Nam sicut in scientiis, ex. gr., mathematicis, primo ponitur problema vel theorema demonstrandum, deinde subjungitur demonstratio, sic in oratione prius res exponitur, deinde probatur.

2. Confirmantur rejiciendo sententias aliorum, qui dicunt esse necessarias alias partes, quæ non contineantur in duabus assignatis, puta narrationem, refutationem, perorationem, exordium, contentionem, repetitionem, etc. Primo enim narratio est *expositio rei, de qua est agendum*, adeoque continetur in propositione; ac præterea licet in judiciis soleat res gesta narrari, adhuc in deliberationibus et in genere demonstrativo non est universaliter necessaria narratio rei gestæ. Secundo refutatio eorum, quæ dicta sunt ab adversario, comprehenditur in probatione seu confirmatione, ac præterea in genere deliberativo et demonstrativo, cum nullus est adversarius, nulla requiritur refutatio. Tertio in exornationibus non est universim necessaria peroratio, sed sufficit res laude dignas exponere et amplificare, et talis amplificatio fungitur munere probationis seu confirmationis. Quarto procemium sive exordium tum solum est necessarium, cum auditorum animi sunt præparandi; sed in deliberationibus ac demonstrationibus auditorum animi plerumque supponuntur jam esse præparati; ergo non est necessarium. Quinto contentio, per quam, quæ nos diximus, conferuntur cum iis, quæ dicta sunt ab adversario, ac repetitio dictorum

ab adversario tum solum requiruntur in deliberationibus, cum controversia est inter eos, qui sententiam dicunt, in quo casu aliquando etiam datur accusatio et defensio ; sed tum deliberatio habet quamdam speciem judicii, siquidem deliberantes debent judicare de sententiis altercantium ; ergo non requiruntur in deliberationibus, quatenus deliberationes sunt. Peroratio demum, per quam epiloguntur dicta, neque in judiciis semper est necessaria. Cum enim oratio fuit brevis, vel cum dicta facile memoria tenentur, non requiritur. Patet ergo duas tantum partes orationis esse necessarias, propositionem nimirum et probationem.

3. Ac propriæ quidem hæ, plurimæ vero proœmium, propositio, fides, peroratio. Quæ enim contra adversarium sunt, ad fidem pertinent. Et adversa collatio amplificatio est eorum quæ sua sunt, ut loco partis cujusdam eam contineat fides; demonstrat enim aliquid faciens hoc, sed non proœmium neque peroratio, verum in memoriam redigit.

4. Erit igitur, si quis has dividat, ut faciebant sectatores Theodori, narratio altera et supernarratio et prænarratio et refutatio et superrefutatio. At oportet eos qui formam aliquam dicunt et differentiam, nomen ponere; alioqui fit inane et nugatorinm, ut Licymnius facit in arte, irruptionem nominans et aberrationem et ramos.

3. Dicendum *secundo* : licet partes necessariæ omni orationi sint solum propositio et probatio, adhuc aliquando addendæ sunt aliæ duæ, nimirum proœmium sive exordium et peroratio, adeoque quatuor sunt partes contradistinctæ : exordium, propositio, probatio et peroratio sive epilogus. Probatur, quia per exordium neque rem proponimus, neque probamus, sed solum præparamus animum auditoris ad audiendum; ergo contradistinguitur a propositione et probatione, adeoque est pars contradistincta ; peroratio non probat, sed in memoriam reducit ac disponit ad judicandum pro nobis ; ergo etiam peroratio est pars contradistincta. E converso narratio exponit rem, de qua agitur; ergo comprehenditur in propositione; contentio, qua nostræ rationes conferuntur cum rationibus adversarii, est amplificatio nostrarum rationum, per quam ostenditur illas esse meliores rationibus adversarii ; refutatio seu reprehensio probat rationes adversarii non concludere; ergo comprehenduntur in probatione; ergo partes necessariæ sunt solæ quatuor assignatæ.

4. Infertur a fortiori rejiciendam esse divisionem Theodori et ejus sectatorum, qui præter has partes distinguebant plures alias, nimirum narrationem, prænarrationem, supernarrationem, reprehensionem, superreprehensionem, etc., ad easque nominandas nova nomina fingebant. Sed contra est, quia tum solum nova nomina sunt fingenda, cum nova res, quæ in rebus aliis non comprehendatur, est nominanda ; sed hæ partes comprehenduntur in aliis, quæ communiter admittuntur; ergo, etc. In idem vitium frustra invehendi nova nomina incidit Licymnius in sua Rhetorica, ubi fingit nomina irruptionis, qua in adversarium irruimus; aberrationis, qua studiose declinamus a proposito : et ramorum, per quos probatio diffunditur.

CAPUT XIV

DE PROŒMIO SIVE EXORDIO.

1. [14] Ac proœmium quidem est principium orationis, ut in poesi prologus et in aulesi proaulium; omnia enim principia hæc sunt, et tanquam viæ munitio invadenti.

2. Ac est quidem proaulium simile demonstrativarum proœmio. Etenim tibicines quodcumque possunt canere, id præcinentes copulant cum endosimo, et in demonstrativis orationibus oportet sic scribere; quidquid enim velit, statim dicentem adnectere et copulare; cujus rei omnes faciunt exemplum Isocratis in encomio Helenæ proœmium ; nihil enim propinqui est contentiosis et Helenæ. Simul vero etiamsi digredietur, convenit, non totam orationem unius generis esse.

Enumeratis partibus orationis, incipit Aristoteles de singulis disserere ; ac primo quidem agit de proœmio seu exordio, explicans quid sit et quale debeat esse, quibusque ex locis duci in singulis generibus, demonstrativo nimirum, judiciali ac deliberativo.

1. Proœmium, sive exordium est principium orationis, quod proinde ita se habet, sicut in poesi prologus, in cantu tibicinis proaulium. Sicut enim poeta in comœdiis atque tragœdiis præmittit prologum, quo viam sibi munit ac præparat ad ea, quæ deinde est tractaturus ; et sicut tibicen præmittit illam cantionem, quæ dicitur proaulium, quo viam sibi

sternit carmini, quod est cantaturus; sic orator præmittit procemium, quo viam sibi præparat ad ea, de quibus est dicturus. Nimirum sicut cursores, antequam cursum aggrediantur, præparant se quodammodo ad viam quam debent pertransire; sic oratores, poetæ ac tibicines antequam orationem, carmen aut cantionem inchoent, præparatione quadam utuntur.

2. Sed jam magis in particulari agendum est de procemio unicuique generi accommodato, ac primo de procemio generis demonstrativi. Procemium demonstrativarum orationum est maxime liberum, ideoque simile proaulio tibicinum. Sicut enim tibicines quidlibet possunt præcinere, dummodo cum cantu sequenti apte illud copulent, sic orator scribens orationes generis demonstrativi potest a quolibet orationem inchoare, dummodo cum eo, de quo est agendum, id apte conjungat. Ita Isocrates encomium Helenæ auspicatus est a vituperatione sophistarum, quod nihil habet commune cum Helenæ laudatione; et tamen quia illud apte cum argumento conjunxit, laudem obtinuit. Porro hæc exordia ducta ab aliquo separato, illud etiam commodi afferunt, quod orationem reddunt variam, adeoque varietate delectant auditorem.

3. Ducuntur autem demonstrativarum procemia ex laude aut vituperatione; ut Gorgias in Olympica oratione « ob multa digni sunt qui suspiciantur, o viri Græci ». Laudat enim conciliabula cogentes. Isocrates vero vituperat, quod corporum quidem virtutes donis honorarunt, at prudentibus nullum præmium constituerunt.

4. Et a deliberatione, ut « oportet probos honorare »; quamobrem et ipse Aristidem laudat. Aut tales qui neque celebres sunt neque improbi, sed quicumque cum probi sint, obscuri sunt, ut Alexander Priami filius. Hic enim deliberat.

5. Præterea vero ex judicialibus procemiis, hoc est ex iis quæ referuntur ad auditorem, si de re præter opinionem habeatur oratio, aut de difficili, aut de pervulgata, ut veniam dent; quemadmodum Chœrilus « nunc vero cum omnia jam vulgata ». Ac demonstrativarum quidem ducuntur procemia ex his, ex laude, ex vituperatione, ex suasione, ex dissuasione, ex iis quæ referuntur ad auditorem. Oportet vero aut aliena aut propinqua esse endosima orationi.

3. Licet exordia in genere demonstrativo valde sint libera, adhuc operæ pretium erit, ut quædam loca ostendamus, ex quibus duci possunt. *Primo* possunt duci a laude vel vituperatione. A laude duxit exordium Gorgias ejus orationis, quam Olympicam inscripsit, eo quod illam habuerit in quinquennali ludorum Olympicorum solemnitate. Laudavit enim Græcos ex eo, quod tales celebritates instituissent, ut patet ex principio orationis, quod est : *Apud multos in admiratione sunt, viri Græci*. Isocrates e converso panegyricum suum simili occasione habitum incepit a vituperatione, dicens, non satis prudenter fecisse eos, qui celebritates instituerunt, propterea quod virtutibus tantum corporis præmia statuissent, non autem sapientiæ ac virtutibus animi, quæ sunt multo præstantiores.

4. *Secundo* exordia generis demonstrativi duci possunt a deliberatione. Ex. gr., si quis velit Aristidem laudare, potest initium dicendi facere ex eo, quod viri sapientes sint honorandi, afferens rationes ad id probandum, ac deinde subjungere, quod ipse idcirco Aristidem laudandum suscepit. Ex hoc loco duxit procemium, qui sripsit laudationem Paridis. Dixit enim non opus esse laudare illos, qui jam sunt omnibus noti et ab omnibus celebrantur, siquidem de eorum virtute dubitat nemo; neque laudandos esse improbos, quippe qui non laude sed vituperatione sunt digni; sed eos esse laudandos, qui cum probi fuerint, adhuc eorum virtus est ignota, qualis fuit Paris, sive Alexander Priami filius. Qui igitur sic exorditur, deliberat quodammodo atque consultat de eo, quem laudat.

5. *Tertio* exordia generis demonstrativi sumenda sunt ex iis, quæ videntur propria generis judicialis. Sicut enim in genere judiciali debemus auditorum animos præparare, sic in genere demonstrativo, cum auditor non videtur paratus ad audiendum, eo quod de re incredibili vel ardua, vel jam pervulgata sumus acturi, debemus auditoris animum præparare. Et quidem cum de re pervulgata agendum est, petere debemus veniam, ut Chœrilus fecit, dicens : *at nunc, cum omnia jam sint vulgata*, etc. Concludit Aristoteles epilogando dicta. Ostensum nimirum est exordia generis demonstrativi sumi posse, vel ex laude, vel ex vituperatione, vel ex deliberatione, cujus partes sunt suasio ac dissuasio, vel ex iis, quæ personam auditoris respiciunt et videntur propria generis judicialis. Dictum præterea est, quod vel possumus

exordiri ab iis, quæ sunt omnino remota ac separata a materia, de qua agimus ; vel ab iis, quæ sunt tali materiæ propinqua, ejusque propria et cognata.

6. At judicialis procemia assumendum est idem valere, quod dramatum valent prologi et epicorum procemia. Nam quæ sunt dithyramborum, similia sunt demonstrativis : « propter te et tua dona sive spolia ». In logis autem et epicis specimen est orationis, ut provideant de quo sit oratio, et non suspensa sit mentis agitatio ; quod enim indefinitum est, cogit vagari. Qui igitur dat ut in manus principium, facit ut hærens sequatur orationem. Ob id « Iram, diva, cane » ; « Dic mihi, musa, virum » ; « præcipe mihi sermonem alium, ut ex Asia venit in Europam bellum magnum ». Et tragici indicant in dramate, quamvis non statim, ut Euripides. Sed in prologo tamen indicat, ut etiam Sophocles : « mihi pater fuit Polybus ». Et comœdia similiter. Ac maxime quidem necessarium munus procemii et proprium est hoc, indicare finem cujus gratia sit oratio. Quamobrem si manifesta sit et parva res, non est utendum procemio.

6. Sequitur, ut agamus de exordiis generis judicialis. Sicut exordia generis demonstrativi sunt similia proaulio tibicinum, ut dictum est num. 2, sic exordia generis judicialis similia sunt prologis fabularum et heroici carminis initio ; principia vero dithyramborum, cum sint maxime libera, similia sunt exordiis generis demonstrativi, eo pacto, quo quidam dithyrambum incepit ab aliquo valde remoto, dicens : *Propter te, tuaque munera ac spolia*, etc. Porro prologus fabularum et initium carminis heroici ad eum præcipue finem ordinatur, ut sit specimen futuri carminis, per quod specimen auditor possit prævidere, de quibus rebus futurus sit sermo, adeoque auditoris animus non remaneat suspensus et incertus. Cum enim animus nescit, de quo determinate sit agendum, huc illucque vagatur ; quod ne contingat, necesse est, ut poeta initio auditorem instruat ac paulatim manuducat per ea, quæ deinde est narraturus. Ideo Homerus, ut auditorem de dicendis informaret, Iliadem inchoavit, dicens :

> Iram, diva, gravem Pelidæ profer Achillis, etc.

Odysseam vero auspicatus est :

> Dic mihi, musa, virum captæ post tempora Troiæ :

Alius vero epicus poeta suum carmen exorsus est, dicens :

> Musa, age jam alterius dux nobis carminis esto,
> Ut magnum ex Asia bellum processit in oras Europæ.

Tragici etiam poetæ fabulæ argumentum docent vel initio, ut facit Euripides, vel in aliqua parte prologi, ut Sophocles in Œdipo Tyranno, ubi Œdipus inducitur dicens : *Pater mihi fuit Polybus*, etc. Eumdem morem sequuntur poetæ comici. Proportionaliter in genere judiciali maxime necessarium ac proprium exordii munus est, finem institutæ orationis aperire ; ideoque cum causa, de qua agitur, est auditoribus nota vel parvi momenti, licebit procemium omittere.

7. Aliæ vero formæ, quibus utuntur, medicamenta sunt et communia. Ducuntur vero hæc tum ex dicente, tum ex auditore, tum ex re, tum ex adversario.

8. Ab ipso quidem et adversario, quæcumque valent ad criminationem solvendam et objiciendam. Sunt autem hæc non similiter ; nam defendenti quidem primum sunt ea quæ pertinent ad criminationem, accusanti vero in peroratione. Quamobrem autem, non est incertum. Defendentem enim, cum illaturus est se ipsum, necessarium est removere quæ obstant ; quare solvenda est primum criminatio. Calumnianti vero in peroratione calumniandum, ut meminerint magis.

9. Quæ vero referuntur ad auditorem, ex eo ut benevolus fiat et iratus, interdum vero etiam attentus aut contra ; non enim semper prodest facere attentum ; quamobrem multi ad risum conantur adducere. Ad docilitatem omnia perducet, si quis velit, etiam cum probus appareat ; attendunt enim magis hos. Attenti vero redduntur magnis, propriis, admirabilibus, jucundis ; quamobrem oportet injicere, de his orationem haberi. Sin autem non attentos velimus reddere, dicemus parvum esse, nihil ad illos pertinere, molestum esse.

7. Licet propriissimum procemii munus sit, ut rei, de qua agendum est, summam proponat, adhuc in genere judiciali utuntur oratores aliis speciebus procemiorum, quæ nihil aliud sunt, quam quædam remedia, quibus animi judicum, si forte offensi sint, nobis concilientur et causæ faveant. Hujus generis procemia omnia ducuntur vel a causa vel a personis. Et quia tria genera personarum in judiciis interveniunt : orator nimirum, qui consideratur ut faciens unum cum eo, cujus personam sustinet ; auditores, qui judicant, et adversarius ; ideo exordia duci possunt vel a causa, vel ab oratore, vel ab auditore, vel ab adversario. Ita tamen ab his possunt exordia duci, ut non solum

initio orationis, sed etiam in progressu et in fine debeat aliquando orator his uti ad auditorem sibi conciliandum, ideoque quæ de his dicentur, non sunt exordii propria, sed late pertinent ad cæteras etiam partes orationis.

8. *Primo* igitur ex oratore vel ex adversario petuntur, quæ spectant aut ad inferendum crimen adversario, aut ad crimen, quod oratori adversarius impegit, dissolvendum. Hoc loco non eodem modo uti debet accusans ac defendens. Defendens enim ab ipso orationis initio debet criminibus objectis occurrere. Accusans vero in orationis fine ac peroratione debet adversarium criminari. Ratio est, quia cum reus ac patronus, qui partes sustinet rei, contendat se in gratiam judicum insinuare, debet initio removere impedimenta; sed crimina ab adversario objecta impedimento sunt, ne reus gratiam judicum obtineat; ergo ipso orationis initio debet crimina sibi objecta refellere. Accusator e converso debet in fine ac peroratione adversarium criminari, ut magis objecta crimina hæreant memoriæ judicum.

9. *Secundo* ad auditorem pertinent, quæ spectant eo, ut vel eum nobis benevolum faciamus, vel in adversarium concitemus, vel ut reddamus attentum, vel ut reddamus non attentum. Aliquando siquidem causæ prodest, ut auditor non attendat, sed ad alia divertat, ideoque oratores aliquando ex hoc fine ad risum commovent. Ad reddendum oratorem docilem confert, si rei summam proponamus, ut dictum est num. 6, cum de proœmio propriissimo disseruimus. Confert etiam, si orator vir bonus appareat; nam talibus nos attentiores præbemus. Redduntur etiam attenti auditores, cum proponimus ipsis res magnas, ad ipsos pertinentes, admirabiles ac jucundas; ideoque cum volumus, ut auditores attendant, debemus eos admonere, quod oratio erit de talibus, hoc est de magnis, spectantibus ad ipsos, admirabilibus atque jucundis. Quod si e converso volumus auditores non attendere causæ, debemus dicere rem, de qua agitur, parvi esse momenti, nihil ad eos pertinentem, molestam atque odiosam.

10. Oportet vero non latere, omnia esse extra orationem talia; nam ad improbum referuntur auditorem, et quæ sunt extra rem audientem, quoniam si non talis sit, nulla de causa opus sit proœmio, nisi ut rem dicat summatim, ut habeat tanquam corpus caput.

11. Præterea attentum facere omnium partium est commune, si opus sit; ubicumque enim languescunt magis quam incipientes. Quare ridiculum est in principio collocare, cum maxime omnes attendentes audiunt. Quare ubi sit occasio, dicendum est « et mihi adhibete animum : neque enim magis meum quam vestrum. » Et « dicam enim vobis rem, qualem nunquam alias audistis, » atrocem, aut sic admirabilem. Hoc autem est, ut dixit Prodicus, cum dormitant auditores, inferre aliquid demonstrationis quinquaginta drachmarum ipsis.

12. Esse autem hæc ad auditorem, non quatenus auditor est, patet. Omnes enim aut criminantur aut metus dissolvunt in proœmiis. « Rex, dicam quidem, non quanto studio. » « Quid proœmiaris? »

10. Jam circa dicta Aristoteles advertit aliqua notatu digna. *Primum* est, quod, ut dictum est lib. I cap. 1, hæc omnia, quibus in proœmio vel in reliquis partibus orationis utimur ad auditorem nobis conciliandum, vel in adversarios concitandum, extra causam sunt; siquidem ad causam spectant ea solum, quibus probatur, rem ita vel ita se habere. Eatenus igitur his utendum, quatenus agimus cum auditore pravo, quique libenter audit, quæ ad rem non spectant. Si vero auditor ac judex ita esset rectus, ut ea solum vellet audire, quæ ad rem probandam pertinent, proculdubio non esset opus proœmio, sed sufficeret propositio, qua summatim totius causæ capita comprehenderentur, ad hoc, ut auditor in ipso orationis initio totum causæ corpus delineatum quodammodo cerneret.

11. *Secundo* est advertendum, quod hoc, quod est reddere auditorem attentum, non est proprium proœmii, sed est commune omnium partium orationis; siquidem in omnibus orationis partibus conandum est, ut cum causæ prodest, auditorem attentum habeamus. Confirmatur; quia auditores magis in progressu quam in principio orationis animum avocant ab iis, quæ dicuntur; ergo ridiculum est initio solum, cum auditores solent esse attenti, conatum adhibere, ut eos attentos habeamus; in progressu vero, cum non solent esse adeo attenti, id negligere; ergo in omnibus orationis partibus, cum se præbet opportunitas, captanda est attentio, dicendo ex. gr. : *Mihi animum advertite; neque enim mea magis quam vestra res agitur;* vel : *dicam vobis acerbum facinus nunquam alias a vobis auditum ; vel certe tale, ut nunquam aliquid æque admirabile vestras ad aures*

pervenerit. Idcirco Prodicus insignis sophista, cum auditores dormitantes videbat, ut ad novam eos attentionem excitaret; promittebat se illis aliquid dicturum ex illa sua quinquaginta drachmarum demonstratione. Jactabat nimirum Prodicus se quamdam habere demonstrationem, qua, qui uteretur, ex omnibus causis victor evaderet; eamque drachmis quinquaginta docere consueverat. Ut igitur auditores excitaret, promittebat se aliquid illis ex tali demonstratione dicturum, et hac arte novam ab iis attentionem obtinebat.

12. *Tertio* advertendum est, quod proœmium non dirigitur ad auditorem, quatenus auditor est. Probatur, quia ea solum diriguntur ad auditorem, quatenus auditor est, quæ spectant ad causam, de qua agitur; siquidem auditor, ut auditor vult edoceri de causa ac de rationibus, quæ sunt pro utralibet parte; sed oratores in proœmio loco exponendi causam, conantur criminando adversarium contra ipsum concitare auditorem, vel se excusando, metum, quem conceperunt, abjicere; ergo, etc. Quod autem oratores soleant adhibere proœmium non tam gratia edocendi auditorem de causa. quam gratia se excusandi, etc., probat Aristoteles duobus exemplis. Primum desumitur ex Antigone Sophoclis, ubi nuncius accedens ad Creontem regem, ut ei narraret, quo pacto Polynicis cadaver contra ejus edictum fuisset sepulturæ mandatum, exordio utitur ad ostendendum, se culpæ violati edicti immunem fuisse, dicens: Dicam haud equidem, o rex, quanta diligentia, etc., ac multa dicit ad causam non spectantia. Secundum exemplum desumitur ex Euripidis Iphigenia in Tauris, ubi cum Iphigenia longo exordio se excusaret apud Thoantem regem, Thoas illam interturbat dicens : Quid uteris exordio? esse difficile Athenienses apud Athenienses laudare, sed apud Lacedæmonios.

13. *Quarto* advertendum est, quod exordium tum maxime est necessarium, cum malam causam habemus vel habere videmur; tum enim melius videtur de qualibet alia re, quam de causa agere, ideoque longa insinuatione est utendum, ut paulatim, velut aliud agentes, auditores nobis conciliemus, ac sic demum post varias ambages ad causam descendamus.

14. *Quinto* advertendum est, quod cum lib. II. de affectibus agentes explicaverimus, per quæ homines reddantur benevoli, iis est utendum ad hoc, ut auditores nobis benevolos reddamus. Addimus, quod duo præcipue spectant ad reddendos auditores reo ita benevolos, ut eum sublevatum velint. Primum est, ut reus videatur bonus; per hoc enim movebuntur ad illum amandum; secundum est, ut videatur miserabilis; per hoc enim movebuntur ad illum sublevandum. Idcirco Ulysses apud Homerum lib. XIV. Odyss. naufragio ad Phæacas ejectus, ita Palladem precatur :

> Effice, ut adveniam, diva, ad Phæacas amicus,
> Et miserabilis.

Si enim videretur ipsis bonus, adeoque amore dignus, et simul miserabilis, adeoque indigus ope, proculdubio auxilium ab ipsis erat impetraturus.

15. *Sextum* est : in exordiis generis demonstrativi, ut auditorem reddamus benevolum et attentum, conandum est, ut illi se ipsos una laudari putent, eo quod laudemus genus, studia et alia hujusmodi, quæ auditoribus etiam sunt communia. Verum siquidem est id, quod apud Platonem in Menexeno Socrates in funebri oratione dixit, quod nimirum non difficile est Athenienses laudare Athenis; libenter enim unusquisque audit laudationem, quam putat ad se pertinere; at difficile est laudare Athenienses Lacedæmone, quia non libenter audimus ea laudari, quæ ad nos non spectant.

13. Et malam causam habentes, aut qui habere videntur : ubique enim melius est versari quam in causa. Quamobrem servi haudquaquam interrogata dicunt, sed quæ circum sunt, et proœmiantur.

14. Atque unde benevolos oporteat efficere, dictum est, et aliarum unaquæque rerum talium. Quoniam vero probe dictum est : « da me ad Phæaces amicum venire aut miserandum, » hæc oportet duo intueri.

15. In demonstrativis vero oportet facere, ut collaudari putet auditor, aut se, aut genus, aut studia ipsius, aut alio aliquo modo. Quod enim dicit Socrates in funebri, verum est, non

16. Quæ vero sunt deliberativæ orationis, ex generis judicialis orationibus sunt. Natura enim talis oratio minime illa habet. Etenim et de quo agatur sciunt, et nulla de causa res indiget proœmio, nisi propter ipsum aut contradicentes, aut si non quantum velis, existiment, sed aut majus aut minus. Quamobrem aut criminari aut criminationem depellere necesse est, et aut augere aut extenuare. Horum autem causa proœmio indiget, aut ornatus gratia, quod abrupta

videantur, nisi illud habeant. Ejusmodi enim est Gorgiæ encomium in Eleos; nullo enim connixu nulloque motu ante adhibito confestim incipit : « Elis, civitas beata ».

16. Superest jam, ut ultimo loco de exordiis generis deliberativi disseramus. Dicendum, quod exordia generis deliberativi desumenda sunt ex genere judiciali. Ratio est, quia exordium per se est necessarium ad hoc, ut auditores edoceamus de iis, de quibus est agendum; sed deliberantes sciunt de quibus instituta est deliberatio; ergo in genere deliberativo per se non est necessarium exordium; ergo solum potest esse necessarium per accidens vel ex eo, quod orator sit suspectus auditoribus propter crimina illi ab adversario objecta; vel ex eo, quod adversarius gratiam ac fidem apud auditores obtinuerit; vel ex eo, quod auditores existiment rem, de qua agitur, esse majoris aut minoris momenti, quam orator optet illam censeri. Si igitur adhibendum est exordium ex eo, quod adversarius fidem et gratiam auditorum obtinuerit, orator debet in prooemio adversarium criminari; si adhibendum est ex eo, quod orator sit auditoribus suspectus propter crimina ab adversario objecta, debet uti exordio ad talia crimina refellenda; demum si exordium censetur necessarium ex eo, quia auditores res existiment majoris aut minoris momenti, quam orator vellet, debet orator præmittere exordium ad rem amplificandam vel diminuendam. Potest etiam esse ratio præmittendi exordium, ne si ex abrupto de re agere incipiamus, oratio temere ac subito effutita esse videatur. Sicut enim athletæ, dum in certamen descendunt, antequam manus conserere incipiant, quadam cum venustate brachia extendunt et huc illucque movent, ut se ad certamen præparent, sic oratores antequam rem aggrediantur, debent quædam præmittere, per quæ orationi præludant. Contra hoc autem præceptum peccavit Gorgias, dum encomium in Eleos scriptum ex abrupto inchoavit dicens :

Elis fortunata civitas.

CAPUT XV

DE CRIMINATIONE SEU DE ARTE CRIMINA ADVERSARIO OBJICIENDI ET OBJECTA DISSOLVENDI.

1. [15] De criminatione autem unum est, ex quibus aliquis opinionem malam detraxerit : nihil enim differt, dicentene aliquo an non. Quare hoc in universum est.

2. Alius locus, tanquam iis de quibus controversia est occurrere, aut non esse, aut non noxium, aut non huic, aut non tantopere, aut non injustum, aut non magnum, aut non turpe, aut non habens magnitudinem. De his enim controversia est. Ut Iphicrates adversus Nausicratem; affirmavit enim se fecisse, quod is dicebat, et nocuisse, sed non injuste egisse.

3. Aut compensare eum qui injuste agit, si noxium, at honestum; si molestum, at utile, aut aliquid aliud tale.

4. Alius locus, esse erratum aut infortunium, aut necessarium; ut Sophocles dixit se tremere, non quemadmodum calumnians dixit, ut videretur senex, sed ex necessitate; neque enim volenti sibi esse annos octoginta. Et compensare. cujus gratia, quod non nocere voluit, sed hoc, et non illud, quod crimininatus est fecisse; contigit autem nocere. « Justum vero esset adversus me odium esse, si, ut id fieret, commisissem. »

1. Quia ut dictum est, aliquando orator in exordio debet crimina ab adversario objecta dissolvere, et præsertim in peroratione crimina adversario objicere, ideo agendum est de criminatione, in quantum versatur non solum circa crimina objicienda, sed etiam circa crimina objecta dissolvenda. Primo igitur illud universim dici potest, quod orator ea debet afferre, quæ valent ad delendam ex animo malam existimationem, seu sponte illam auditores conceperint, seu adversarius vel quilibet alius eam animis auditorum ingeneraverit. Perinde siquidem officit causæ, quod malam auditores de oratore habeant existimationem, undecumque illam compararint.

2. Sed magis in particulari tradendi sunt loci ac modi, per quos criminibus objectis ac universim malæ existimationi occurratur. *Primus modus* est, ut iis utamur remediis, quibus uti solemus in rebus controversis. Cum igitur de aliquo facto est controversia, multis modis possumus occurrere. Primo enim possumus factum negare; secundo admittendo factum, possumus negare id fuisse perniciosum; tertio admittendo factum fuisse perniciosum, possumus negare id fuisse perniciosum illi, cum quo est controversia; quarto admittendo hoc ipsum, possumus negare tantopere illud fuisse perniciosum, quantum adversarius contendit; quinto hæc admittendo, possumus negare illud fuisse injustum, aut possumus asserere non magnam continuisse injustitiam;

sexto possumus negare rem fuisse turpem; septimo demum possumus asserere id, de quo agitur, parvi esse momenti. Omnibus igitur his possumus uti ad criminationem adversarii depellendam. Hoc loco usus est Iphicrates contra Nausicratem; confessus enim se fecisse, quod Nausicrates objecerat, atque etiam nocumentum intulisse, negavit se injuste egisse.

3. *Secundus modus* est, ut fateamur nos aliquid fecisse mali, sed dicamus id compensatum fuisse aliis bonis. Ex. gr., si imperatori objectum fuerit, quod male pugnaverit, poterit se excusare dicendo, quod licet perniciosum fuerit pugnam oblatam suscipere, adhuc honestum fuit ac plenum dignitatis certamen cum hoste etiam viribus superiore non detrectare. E converso si quis accusetur, quod rem valde molestam ac periculosam susceperit, poterit se tueri dicendo, se rem quidem molestam ac periculosam, sed utilem ac pæne necessariam reipublicæ suscepisse.

4. *Tertius modus* est, ut dicatur id, quod objicitur, errore, vel infortunio, vel necessitate evenisse. Hoc loco usus est Sophocles. Cum enim fuisset accusatus, et in judicium veniens toto corpore contremisceret, accusator objecit eum sponte tremere, ut senior videretur, et judices ad misericordiam commoveret. Respondit facete Sophocles se non sponte esse octogenarium, ideoque nec sponte tremere. Possumus etiam nos excusare dicendo, quod non ob eum fecimus finem, quem adversarius objecit. Ex. gr., si quis accusatur, quod læserit, potest se excusare dicendo, quod non fecerit animo lædendi, sed accidit, ut alter læderetur. Sicut igitur essem dignus odio, si animo lædendi id fecissem, ita cum hoc non egerim animo, dignus sum excusatione.

5. Alius, num simul teneatur criminans, aut nunc aut prius, aut ipse aut suorum aliquis.

6. Alius, num alii simul teneantur, quos confitentur non affines esse criminationi; ut si purus adulter est, igitur et ille et ille.

7. Alius, num qui criminatur, alios criminatus sit, aut alius ipsos, aut sine criminatione suspecti fuerint, ut ipse nunc, qui reperti sint non affines culpæ. Alius ex contrario criminantem criminari : absurdum enim est, si ipse indignus sit fide, ejus fore sermones fide dignos.

8. Alius. si factum est judicium, ut Euripides in Hygiænontem, in Antidosi, accusantem impietatis, ut qui fecerit carmen jubens pejerare : « lingua juravit, mens vero injurata. » Dixit enim injuste agere, ex Dionysiaco certamine judicia in forum traducentem; ibi enim se reddidisse rationem aut redditurum, si voluerit accusare.

9. Alius ex criminatione accusare, quantum et id sit, quod alia judicia efficiat, et quod non credat rei.

5. *Quartus modus* est, ut advertatur, an adversarius vel aliquis ejus propinquus, vel nunc vel antea ejus criminis sit particeps, quod objicit reo. Tum enim criminationem in accusatorem retorquendo non difficile eludemus.

6. *Quintus modus* est, si ostendatur sub criminatione comprehendi etiam eos, quos accusator fatetur esse a tali crimine immunes. Si enim illi censentur insontes, etiam reus censendus est insons. Ex. gr., si adversarius fatetur hunc, cum sit adulter, esse sceleris purum, etiam hic et ille sceleris erit purus.

7. *Sextus modus* est, si ostendatur accusatorem alios falsi criminis insimulasse; eo enim ipso verisimile fit, quod nunc falso insimulet reum; vel ostendatur eos, qui nunc accusantur, alias fuisse falso accusatos; verisimile enim est, quod etiam nunc falso accusentur. Ad depellendam etiam malam existimationem potest dicere, quod iidem, cum alias nullo accusante in suspicionem criminis venerint, inventi sunt innocentes.

8. *Septimus modus* est, si ostendamus jam factum fuisse judicium de crimine objecto, adeoque standum judicatis. Hoc loco usus est Euripides contra Hygiænontem in causa, quæ Antidosis dicebatur. Cum enim objiceret illi, quod per eum versum :

Juravi lingua, mentem injuratam gero,

doceret pejerare, dixit accusatorem injuste agere, qui judicia jam olim in certamine Liberi patris judicata in forum adduceret; se enim jam in eo tribunali rationem ejus criminis reddidisse, atque iterum redditurum, si vellet ibi accusationem instituere.

9. *Octavus modus* est, ut digrediamur ad calumnias ac falsas accusationes vituperandas, ostendendo, quam grave malum sit calumnia, et quantum judicia perturbet. Hac enim vituperatione obtinebimus, ut auditores ita calumniæ fiant inimici, ut etiam, quæ vere non sit, putent esse calumniam.

10. Communis autem ambobus locus est notas dicere, ut in Teucro Ulysses, quod affinis Priamo; Hesione enim soror. Ille vero, quod pater inimicus Priamo, Telamon; et quod non indicavit exploratores.

11. Alius criminanti, laudando rem parvam prolixe vituperare, magnam concise, aut multa bona afferendo, quod ad rem pertinet, unum vituperare. Tales autem sunt artificiosissimi et iniquissimi; bonis enim nocere conantur, miscentes ipsa cum malo.

12. Commune etiam est criminanti et defendenti, quoniam idem contingit plurium causa gestum esse, ut criminanti quidem depravandum sit in pejus arripiendo, defendenti vero in melius; ut quod Diomedes Ulyssem præelegit, illi quidem eo quod optimum existimavit Ulyssem, huic vero quod non, sed quia solus non erat concertaturus ut ignavus. Ac de criminatione quidem dicta sint tam multa.

10. *Nonus modus* criminanti ac criminationem dissolventi communis ducitur a signis. Hoc loco usus est Ulysses in tragœdia, quæ inscribitur Teucrus. Ibi enim Ulysses Teucrum tanquam Trojanorum amicum eorumque rebus faventem criminatur, ac criminationem confirmat ex signis: nam Hesione Teucri mater, Priami soror fuit; ergo non est mirum, quod Priamo faveret, qui eum sanguinis cognatione contingeret. Respondit Teucer contrariis signis criminationem dissolvendo: primo ex eo, quod Telamon, pater Teucri, Priami semper hostis fuerit; secundo ex eo, quod ipse Teucer, quo tempore Græci speculatores Trojam miserunt, id Trojanis minime indicarit, cum facile potuisset indicare, si rebus Priami favere voluisset.

11. *Decimus modus* proprius criminantis est, ut paulum laudet, quo gravius deinde vituperet; et si quid magnum, atque egregium adversarius gessit, breviter attingat, ne ex odio videatur omisisse, ideoque majorem fidem apud auditores obtineat, tanquam vera dicens, seu bona sint seu mala. Artificiosissimi etiam et iniquissimi accusatores ea arte utuntur, ut multa adversariorum bona, quæ ad causam non pertinent, laudent, ut unum deinde crimen, quod ad causam facit, proferendo illud auditoribus persuadeant. Hac autem ratione callidissime adversarium suis bonis lædere conantur, dum iis utuntur ad faciendam fidem criminis objecti.

12. *Undecimus* et *ultimus modus* criminanti ac crimen objectum depellenti communis est, ut quoniam eadem res potuit pluribus ex causis fieri, qui criminatur, curet eam deteriorem in partem trahere; qui vero crimina repellit, conetur eamdem meliorem in partem interpretari. Ita quod Diomedes Ulyssem socium elegerit, posset quis vel meliorem in partem interpretari dicens, id ideo factum, quia Diomedes Ulyssem Græcorum optimum existimabat; vel trahere in partem deteriorem, dicens, ideo Diomedem Ulyssem socium ascivisse, quia eum solum, tanquam ignavum, æmulum sibi gloriæ non fore existimabat. Et hæc de criminatione ac de criminum solutione dicta sufficiant.

CAPUT XVI.

DE NARRATIONE.

1. [16] Narratio vero in demonstrativis est non continenter sed secundum partem. Oportet enim actiones persequi, ex quibus oratio est; constituitur enim oratio, ut habeat tum id quod vacat arte,

2*. (nequaquam enim causa est is qui dicit actionum), tum id quod est ex arte. Hoc vero est demonstrare aut esse, si fide careat, aut quale sit, aut quantum, aut etiam omnia. Ac propterea aliquando non continenter oportet narrare omnia, quia difficulter sub memoriam cadit demonstrare sic. Ac ex his quidem fortis, ex illis vero sapiens aut justus. Et simplicior oratio est ista, illa vero varia et non attenuata.

3. Et oportet notos in memoriam revocare. Quamobrem multi non indigent narratione, ut si velis Achillem laudare; omnes enim sciunt ejus actiones, sed uti ipsis oportet. Si vero Critiam, narrandum est; non enim multi sciunt.

Narratio licet, ut dictum est cap. XIII, non sit pars orationis necessaria, adhuc sæpe est adhibenda, non solum in genere judiciali, séd etiam in genere demonstrativo, ideoque *primo* dicendum est aliquid de narratione generis demonstrativi; *secundo* tradenda sunt præcepta de narratione generis judicialis.

1. In *genere* igitur *demonstrativo* narratio non debet esse perpetua et continens, sed debet esse in plures partes distincta. Ratio est, quia in genere demonstrativo debent narrari singillatim actiones ac res gestæ, et postquam narratæ fuerint, amplificari; ergo tot debent esse narrationes, quot gesta sunt narranda et amplificanda.

2. Sicut vero in genere judiciali duæ sunt species probationum, artificiosæ ni-

mirum et inartificiosæ, ut dictum est lib. I. cap. II, sic in genere demonstrativo quædam sunt artificiosa, quædam sine arte. Sine arte sunt res gestæ, quas orator narrat, siquidem harum orator non est inventor. Artificiosa sunt, quæ orator invenit; ut cum aliqua, quæ spectant ad laudem vel vituperationem, orator probat facta fuisse vel non fuisse; cum, quæ videntur incredibilia, artificiose persuadet; cum disserit de qualitate vel quantitate rerum gestarum, ostendens illas honestas fuisse vel turpes, magnas aut parvas, etc. Porro tum præcipue narratio est in plures partes secanda, cum res narratæ sunt artificiose amplificandæ ac confirmandæ. Ratio est, quia si prius narrentur omnia, deinde amplificentur ac confirmentur, dicendo ex. gr., ex his quidem fortis esse cognoscitur; ex illis sapiens ac justus, etc., difficile est, ut tot res sic narratæ et confirmatæ memoria teneantur. At si singula narrentur, deinde amplificentur et confirmentur, facilius memoria retinentur, ac majori animum delectatione demulcent. Illa igitur oratio, qua continenter omnia sine ulla confirmatione et amplificatione exponuntur, simplicior est minusque artificiosa. Hæc autem, in qua confirmatio et amplificatio interponitur, magis est varia ac non exilis, sed magnifica.

3. Addit Aristoteles, quod actiones jam notæ ac celebres non sunt fuse narrandæ, sed solum in memoriam breviter revocandæ. Hinc sequitur, quod in quibusdam laudationibus non est adhibenda narratio rerum gestarum, in aliis est adhibenda. Ex. gr., si laudes Achillem, cujus res gestæ notissimæ sunt, nulla narratione est opus; at si laudes Critiam, cujus res gestæ non ita sunt pervulgatæ, omnino opus est narratione. Repetit hic Aristoteles iisdem verbis quædam, quæ de laude lib. I. docuerat; quæ, quia nos explicuimus lib. I, cap. IX, n. 30 et 31, ideo omittimus, præsertim cum Petrus Victorius existimet, ea non ab Aristotele hic fuisse repetita, sed ab aliquo rhetore minus perito importune fuisse in hunc locum transcripta.

4. Nunc autem ridicule narrationem aiunt oportere esse brevem. Atqui ut ille pistori interroganti, durumne an mollem subigeret, « quid? bene » inquit « fieri non potest? » ita hic similiter. Oportet enim haud prolixe narrare, ut nec exordiri prolixe nec fidem facere. Neque enim in hac parte est id, quod bene se habet, aut in brevitate aut in concisione, sed in modo. Id autem est dicere, quæcumque rem declarent, aut quæcumque efficiant, ut existiment, factum esse aut nocuisse aut injuriam fecisse aut tanta esse quanta velit; adversario autem contraria.

5. Ac narrationi attexere, quæcumque ad tuam virtutem pertinent, ut « ego vero admonebam semper, justa dicens, ne liberos desereret. » Aut ad alterius improbitatem : « Ille autem respondit mihi, ubi ipse fuerit, futuros esse alios liberos; » quod deficientes Ægyptios respondisse ait Herodotus. Aut quæcumque jucunda judicibus.

6. Defendenti autem minor est narratio. Controversiæ vero sunt, aut non esse factum, aut non noxium esse, aut non injustum, aut non tantum. Quare in re confessa non est insistendum, nisi quid ad illud pertineat, ut si factum est, at non injustum.

4. Agendum jam est de *narratione generis judicialis* ejusque præcepta tradenda. Primo ergo aliqui præcipiunt, ut narratio sit brevis. Irridet Aristoteles hoc præceptum. Narratio enim, sicut exordium, confirmatio et cæteræ partes orationis neque debent esse prolixæ neque breves, sed debent esse mediocres ac tales, quales res, de qua agitur, postulat, ita ut, si sint majores aut minores, eo ipso sint vitiosæ ac reprehendendæ. Potest igitur iis, qui dicunt narrationem debere esse brevem, accommodari id, quod quidam respondit pistori percontanti, utrum vellet, ut panem faceret durum vel mollem. Numquid enim, respondit, non licet facere panem bene se habentem ita ut neque durus sit neque mollis, sed mediocriter se habeat? Sic in casu nostro præcipientes, ut narratio sit brevis, possumus interrogare: numquid narratio non potest bene se habere, ita ut neque sit brevis neque longa, sed mediocris? Si vero quæratur, quæ sit narratio mediocris, dicendum, quod illa narratio est mediocris, per quam res ita exponitur, ut satis sit ad illam explicandam et ad ingenerandam in auditoribus opinionem, quod res fuerit vel non fuerit facta; quod alter læserit vel non læserit; quod injuste se gesserit vel non se gesserit injuste, etc., prout orator accusans aut defendens persuadere voluerit. *Primum* igitur *præceptum* est, non quidem ut narratio sit brevis, sed ut sit mediocris ac fini oratoris accommodata, ut explicatum est.

5. *Secundum præceptum* est, ut orator opportune narrationi quædam inserat, quæ ipsius probitatem et adversarii improbitatem significent; subjiciat etiam aliqua, quæ judicibus sint jucunda. Ratio

est, quia debet ita narrare, ut persuadeat; sed narrando, quæ ostendunt ipsum esse probum, adversarium improbum, reddit se fide dignum, adversarium autem indignum; ergo, etc. Quia vero si dixerit jucunda judicibus, ipsorum gratiam obtinebit, adeoque facilius ipsis persuadebit, ideo debet etiam subtexere aliqua judicibus jucunda. Affert Aristoteles exemplum, in quo orator narrationi addendo quædam, quæ ostendunt ejus probitatem, improbitatem autem adversarii, fidem sibi conciliat, adversario adimit. Agat quis contra aliquem, qui filios deseruerit; rem narrando subjiciat : Ego quidem nunquam admonere eum destiti de iis, quæ justa esse sentiebam, nimirum ne filios desereret; ille vero mihi respondit, sibi, ubicumque fuerit, non defuturos filios, quod Ægyptios respondisse, cum a rege suo defecissent, scribit Herodotus. Hac narratione orator suam probitatem, adversarii improbitatem ostendit.

6. *Tertium præceptum* est : Defensor minus indiget narratione quam accusator. Ratio est, quia cum jam accusator rem exposuerit, defensor non debet diu in iisdem narrandis immorari, sed debet transire ad ostendenda ea, de quibus est controversia, nimirum an res fuerit facta vel non fuerit facta? an detrimentum attulerit vel non attulerit? utrum actum fuerit injuste vel non fuerit actum injuste? utrum res sit magna vel non sit magna? Si tamen res aliter exponenda sit, quam adversarius exposuerit, tum orator longiori utetur narratione; sed illud debet observare, ne immoretur in iis, quæ certa sunt. Ex. gr., si certum sit rem fuisse gestam, ut adversarius exposuit, ne in hoc immoretur, sed gradum faciat ad caput controversiæ ac admittens rem esse gestam, ostendat non fuisse actum injuste.

7. Præterea facta oportet dicere, quæcumque minime, dum fiunt, aut miserationem aut indignationem afferunt. Exemplum est Alcinoi apologus, qui apud Penelopen triginta versibus factus est. Et ut Phayllus circulum. Et in Oeneo prologus.

8. Ac moratam oportet narrationem esse. Idque, erit, si noverimus quid mores efficiant. Jam vero unum est præelectionem indicare. Cujusdam autem modi sunt mores eo, quod hæc cujusdam modi sit. Et præelectio cujusdam modi est eo quod finis. Propterea enim non habent mathematici sermones mores, quia ne præelectionem quidem; nam cujus causa, non habent. Sed Socratici; de his enim dicunt. Alia morata sunt consequentia singulis moribus, ut « quod simul dicens incedebat »; declarat enim audaciam et rusticitatem morum. Et non tanquam ex mentis agitatione dicere, ut ii qui nunc sunt, sed tanquam ex præelectione : « Ego vero volebam (etenim præeligerem id, etiam si non facerem quæstum) quod melius est ». Illud enim prudentis est, hoc probi; prudentis enim est, ut utile persequatur, probi vero, ut honestum.

7. *Quartum præceptum* est, ut si narrando rem, incidat in aliquid, quod possit judices movere ad miserationem adversarii, vel ad indignationem contra eum, quem orator defendit, id vel omittat omnino, vel ita cursim indicet, ut tales in judicibus affectus non sequantur. Tribus exemplis Aristoteles ostendit posse in narratione quædam prætermitti, quæ judices ad miserationem vel indignationem commoverent. Primum est Ulyssis apud Homerum, qui apologum seu narrationem fabulosam, quam apud Alcinoum et Phæacas ita fusissime exposuerat, ut omnes ad commiserationem commoverit, iterum apud Penelopen ita sexaginta vel potius triginta versibus brevissime exponit, ut nullum affectum commoveat. Secundum exemplum est Phaylli, qui longissimum poema, quod circulus vocabatur, in non multos versus contraxit. Tertium est Euripidis, qui in prologo Œnei breviter narrat omnia, quæ deinde in tota tragœdia tragicis affectibus amplificat.

8. *Quintum præceptum* est, ut narratio sit morata, hoc est apta ad exprimendos bonos vel malos mores eorum, quos defendimus vel accusamus. Sed quia non possumus efficere orationem moratam, nisi noverimus, quænam mores effingant, explicandum est, quæ mores effingant. *Primo* mores exprimit bonos aut malos oratio declarans intentionem finis. Actiones enim factæ propter finem bonum sunt bonæ; actiones factæ propter finem malum sunt malæ. Hinc oritur, ut sermones mathematici non sint morati ac nullam habeant vim ad exprimendos mores. Ratio est, quia in mathematicis non consideratur finis; ergo neque consideratur intentio finis; sed actiones sunt moratæ propter finem et propter intentionem finis; ergo sermones mathematici non sunt morati. E converso sermones, in quibus disputatur de bonis et malis, ac de honestis atque inhonestis qui vocantur Socratici, eo quod Socrates primus de his

ex professo disseruit, sunt morati, quia considerant actiones, quæ fiunt propter finem et ex intentione finis. *Secundo* mores exprimit oratio declarans ea, quæ mores cujusque consequuntur; ex. gr., oratio dicens : *hæc autem vociferando recedebat*, exprimit audaciam et rusticitatem morum : clamare enim et vociferari proprium est rusticorum; recedere vero adhuc non accepto responso, proprium est audacis et comminantis. *Tertio* plurimum confert ad efficiendam orationem moratam, si videamur dicere non antea cogitata ac multo studio parata, ut hujus temporis oratores faciunt, sed quæ tum, cum dicimus, certo consilio ac voluntate volumus dicere; ex. gr., morata est hæc oratio : *Ego quidem hoc semper volui et quamvis mihi non esset utile, tamen honestius esse constitui*. Ratio est, quia non videtur præcogitata et exprimit intentionem viri probi. Prudens enim vel potius callidus quærit utile; at vir probus sectatur honestum.

9. Si vero fide careat, tunc causam subjungere, ut Sophocles suppeditat exemplum ex Antigona, quod cariorem fratrem haberet quam virum aut filios; nam eos fore, etiam si perierint : « matre vero et patre mortuis non frater ullus exoriri unquam potest ». Si vero non habeas causam, at tibi non esse occultum, te increcredibilia dicere, sed natura talem esse. Neque enim credunt, aliud agere quemquam sponte præter id quod utile est.

10. Præterea ex iis quæ afficiunt, dicere, narrando et consequentia, et quæ sciunt, et quæ propria aut illi adsunt. « Ille vero abiit me respiciens ». Et ut de Cratylo Æschines, quod exsibilans et manibus explodens; apposita enim ad persuadendum, quia indicia fiunt ea quæ sciunt, illorum quæ nesciunt. Plurima autem talia assumere ex Homero licet : « Sic ait; anus vero obtendit manus faciei », quia lacrimare incipientes attrectant oculos.

9. *Sextum præceptum* est : si rem exponamus, quæ videatur incredibilis, debemus explicare causam, qua explicata, credibilis reddatur. Ita Antigone apud Sophoclem, cum dixisset se cariorem habere fratrem, quam maritum aut filios, cum dictum videretur incredibile, causam subjecit : si enim, inquit, maritum aut filios amisero, possum illos recuperare, ducens alium maritum, ex eoque suscipiens alios filios; at si fratrem amisero, cum utroque parente jam sim orbata, frater mihi amplius exoriri non poterit. Quod si quis narret aliquid incredibile, ac non possit afferre ullam causam, qua reddat illud credibile, dicet, advertere se, quod incredibilia narrarit, dicendo se sequi honestum, etiamsi non sit utile, siquidem homines non credunt quemquam sponte facere, quod sibi utile non sit; sed se natura ita esse comparatum, ut non possit quidquam turpe admittere. Hac autem arte facilius fidem apud auditores obtinebit.

10. *Septimum præceptum* est, ut narratio sit pathetica sive affecta. Ad narrationem reddendam affectam confert, si exponantur ea, quæ solent agere homines, cum affectibus agitantur, præsertim si hæc nota sint auditoribus et spectent ad oratorem vel adversarium; ex. gr., oratio, qua quis dicat : *Ille vero discedens ad me frequenter oculos convertebat*, est pathetica, quia perturbati hominis est in discessu frequenter ad aliquem oculos convertere. Pathetica etiam fuit illa Æschinis narratio de Cratylo, qua dixit eum exsibilare ac manibus explodere. Cum enim notum sit auditoribus, proprium esse hominum impudentium exsibilare ac manibus explodere, orator narrans hæc persuadet auditoribus impudentiam hominis, quæ fortasse iis erat ignota. Porro frequentes apud Homerum sunt narrationes, per quas ex signis animi affectiones describit. Ita lib. X. Odyss. de Euryclea Ulyssis nutrice canit :

Ast anus ad faciem palmas utrasque tetendit.

Quod signum fuit illam in lacrymas jam erupturam, siquidem qui plorare incipiunt, oculos manibus operiunt.

11. Et statim inferas te ipsum cujusdammodi, ut talem intueantur et adversarium, latens autem facias. Facile vero esse, perspicere oportet ex nuntiantibus : de quibus enim nihil scimus, tamen de iis concipimus suspicionem aliquam.

12. Ac multis in locis narrare, et quandoque non in principio.

13. In deliberatione minime narratio est, quia de futuris nemo narrat. Verum si narratio fuerit, præteritorum erit, ut recordati illorum melius consultent de iis quæ posterius erunt, aut criminantes aut laudantes. Sed tunc nequaquam deliberantis obeunt munus.

14. Si vero fide careat, polliceri oportet, te et causam dicturum statim, et tractaturum eorum arbitratu; ut Jocasta Carcini in Œdipode semper pollicetur, percunctante eo, qui quærebat filium. Et Hæmon Sophoclis.

11. *Octavum præceptum* est : narrationis initio debet orator se ostendere virum probum, adversarium autem improbum,

ita ut in tota narratione auditores retineant illam opinionem, quam de oratore ac adversario initio conceperint. Sed in his summa arte curandum, ut lateat ars. Si enim illa se prodiderit, amittetur fides. Quod autem possit orator facile ita orationem conformare, ut videatur vir probus ac fide dignus, patet. Cum enim aliqui nobis quidquam annuntiant, etiamsi illud nobis ante esset omnino ignotum, adhuc aliquam de rei narratæ veritate vel falsitate opinionem concipimus, prout oratio narrantis est ita morata, ut illum probum vel improbum, fide dignum vel indignum exhibeat.

12. *Nonum præceptum* est : aliquando in genere judiciali multis in locis narrare oportet; aliquando etiam accidit, ut non statim post exordium subjungenda sit narratio; tum ergo faciendum est id, quod res postulat.

13. *Decimum præceptum* est : in deliberatione per se locum non habet narratio. Ratio est, quia deliberatio est de futuris; sed nemo narrat futura; ergo, etc. Aliquando tamen in deliberatione narranda sunt aliqua præterita, non ut de iis auditores deliberent, sed ut iis in memoriam revocatis ac perspectis, possint melius deliberare de futuris. Si vero accidat oratorem vituperare vel laudare aliqua præterita, tum non tam fungitur munere deliberantis quam demonstrantis.

14. *Undecimum* et ultimum *præceptum* est : dum narramus aliquid, quod videtur incredibile, nec possumus tum illud probare, debemus auditoribus polliceri nos paulo post illud probaturos, vel probationibus allatis auditorum arbitrio relicturos, ut credant vel non credant, prout ipsis fuerit visum. Ita Jocasta in Œdipode Carcini, cum cuidam qui eam interrogabat de filio, responderet aliquid incredibile, semper pollicetur se ejus probationem allaturam; Hæmon etiam apud Sophoclem eadem arte utitur.

CAPUT XVII. — ART. I.

DE CONFIRMATIONE.

1. [17] Fidem vero oportet idoneam ad demonstrandum esse. Ac demonstrare opus est, quoniam de quatuor est controversia, de re controversa afferendo demonstrationem.

2. Ut si non fecisse controversatur, in judicio oportet hujus maxime demonstrationem afferre, si vero non nocuisse, hujus; aut non tantopere, aut juste, non aliter ac si de facto controversia esset. Neque vero lateat, necessarium esse in hac controversia sola alterum esse improbum; non enim est ignoratio causa, ut si qui de justo controversarentur. Quare in hoc diu insistendum est, in aliis vero secus.

3. Ac in demonstrativis plerumque honestorum aut utilium amplificatio erit. Nam facta oportet credi. Raro enim et horum demonstrationes afferunt, si fide careant aut si alius causam habeat.

4. At in deliberationibus aut non futura esse contenderit aliquis, aut futura quidem, quæ censet, sed non justa aut non utilia aut non tanta.

1. Sequitur, ut cum de narratione egerimus, de confirmatione disseramus. Confirmatio est, *per quam, cum rem exponendo vel narrando proposuimus, illam sic vel sic se habere probamus.* Circa rationes, quæ afferuntur, illud universim dici potest, quod debent habere vim demonstrandi intentum. Porro cum plura sint, quæ possunt tum in judiciis tum in deliberationibus, tum in exornationibus vel vituperationibus in quæstionem vocari, curandum est, ut rationes colliment ad probandum id, de quo est controversia. Explicatur discurrendo per singula genera.

2. *Primo,* in genere judiciali quatuor sunt, de quibus solet esse controversia. *Primum* est, utrum res fuerit facta vel non. *Secundum,* utrum fuerit facta juste vel injuste. *Tertium,* utrum fuerit damnum illatum vel non. *Quartum,* utrum res sit magna vel parva. Si igitur controversia cum adversario sit, utrum res facta fuerit vel non, argumenta dirigi debent ad ostendendum rem fuisse factam. Si orator concedat rem fuisse factam, sed neget fuisse illatum damnum, ostendendum est non fuisse illatum damnum. Si neget damnum fuisse magnum, vel asserat non fuisse illatum injuste, hoc ipsum est probandum. Debet autem adverti, quod in sola controversia, in qua quæritur, utrum res fuerit facta vel non fuerit facta, necesse est, ut alter judicio contendentium sit improbus. Ratio est, quia si reus non commisit id, de quo accusatur, improbus est accusator, utpote qui accusat de eo delicto, quod non scit esse patratum; si vero reus commisit delictum, improbus est reus, utpote qui delictum patravit et negat; ergo impossibile est, ut in controversia facti uterque litigan-

tium per ignorantiam excusetur ab improbitate. E converso in aliis tribus controversiis potest accidere, ut uterque litigantium, hoc est tum accusator tum reus per ignorantiam ab improbitate excusetur, siquidem potest accidere, ut reus arbitratus sit se non egisse injuste, vel damnum non intulisse, vel non intulisse damnum magnum; accusator vero opinetur oppositum, nimirum reum egisse injuste, etc.; sed in hoc casu uterque per ignorantiam excusabitur ab improbitate; ergo, etc. Hinc sequitur, ut cum controversia est de facto, diligentissime ac fusissime sit tractanda, cum in ea quæratur, uter litigantium sit improbus.

3. *Secundo*, in genere exornativo non solet esse quæstio, utrum res facta fuerit vel non fuerit, cum id ut plurimum supponatur, sed utrum, quæ facta fuerunt, fuerint honesta vel utilia reipublicæ an non, et an fuerint magna vel parva, ideoque argumenta non eo sunt dirigenda, ut ostendatur rem esse factam vel non esse factam, sed ut ostendatur rem fuisse vel non fuisse honestam et utilem reipublicæ, magnam vel parvam. Si tamen quod narratur sit incredibile, vel alius existimetur causa ejus extitisse, tum probandum est id fuisse factum, et ab eo, qui laudatur. Idem proportionaliter dic de vituperatione, quæ est altera pars generis demonstrativi.

4. *Tertio*, in genere deliberativo solent in controversiam de futuro vocari illa eadem quatuor, quæ in genere judiciali quæruntur de præterito : nimirum utrum res sit futura vel non; utrum futura sit justa vel injusta; utrum futura sit utilis vel perniciosa, ac demum utrum futura sit magna vel parva. Argumenta igitur dirigenda sunt ad probandum id, circa quod controversia versatur.

5. Oportet vero etiam perspicere, numquid mentiatur extra rem ; tecmeria enim hæc apparent, quod etiam in aliis mentitur.

6. Sunt vero exempla maxime accommodata deliberationi, enthymemata autem judicio. Illa enim circa futurum est, ut ex præteritis necesse sit exempla ducere; hoc vero de iis quæ sunt vel non sunt, cujus rei magis demonstratio est necessaria. Habet enim, quod factum est, necessitatem.

7. Non oportet autem continenter dicere enthymemata, sed permiscere ; alioqui se lædunt invicem. Est enim et quanti terminus : « o amice, quoniam tam multa dixisti, quam multa sapiens vir ». Sed non talia.

8. Et non de omnibus enthymemata quærere ; sin minus, facies quod nonnulli faciunt ex philosophantibus, qui syllogismo concludunt notiora et certiora quam ea, ex quibus dicunt.

9. Et cum affectum concitas, ne dicas enthymema ; ejiciet enim affectum, aut frustra dictum erit enthymema. Nam ejiciunt motiones se invicem, quæ simul sunt, et aut se conficiunt aut debiles reddunt. Nec cum moratam adhibes orationem, oportet enthymema aliquod quærere simul ; non enim habet mores nec præelectionem demonstratio.

5. Descendit deinde Aristoteles ad tradenda aliqua præcepta in confirmatione observanda. *Primum præceptum* est, ut advertatur, an adversarius dixerit aliquid falsi, etiam ad causam non spectans. Ex eo enim tanquam ex signo debemus ducere argumentum ad probandum, quod is mentiatur etiam in iis, quæ ad causam spectant.

6. *Secundum præceptum* est, ut in unoquoque genere utamur iis probationibus, quæ sunt tali generi accommodatæ; sed generi deliberativo maxime accommodantur exempla; generi judiciali maxime accommodantur enthymemata; ergo in genere deliberativo præcipue utendum est exemplis, in genere judiciali præcipue utendum est enthymematibus. Ratio, cur generi deliberativo potissimum accommodentur exempla, generi judiciali enthymemata, est, quia deliberatio est de futuris, judicium de præteritis; sed futura contingentia non possumus certis rationibus probare, sed solum possumus ex præteritis illa conjicere; præterita vero, utpote jam habentia in se ipsis determinationem ac necessitatem, possumus certis rationibus ostendere; ergo, etc.

7. *Tertium præceptum* est, ut enthymemata non continuentur, ne se vicissim infringant, dum auditorum ingenia obruunt, sed aliis jucundioribus ac facilioribus admisceantur. Est igitur tenendus modus non solum in qualitate, sed etiam in numero eorum, quæ afferuntur; ideoque Menelaus apud Homerum lib. IV. Odyss. Pisistratum Nestoris filium laudat ab orationis quoque mediocritate, dicens :

Care mihi, postquam tot tantum es verba locutus,
Quot solet effari prudens ;

non enim laudat, quod dixerit talia, sed quod dixerit tot.

8. *Quartum præceptum* est, ut non omnia probemus, sed ea solum, quæ indi-

gent probatione; pro iis vero, quæ ex se satis sunt manifesta, rationes non afferamus, ne alioquin incidamus in vitium eorum philosophorum, qui dum omnia probare contendunt, magis nota probant per minus nota.

9. *Quintum præceptum* est : cum volumus affectus in auditoribus excitare, abstinendum est ab argumentatione. Ratio est, quia dum animus argumentis attendit, ab affectibus impeditur et e converso; ergo si simul argumenteris, ac velis affectus excitare, vel alterutrum frustra conaberis, vel neutrum consequeris, vel utrumque languidius ac remissius facies, quam par esset. Ex proportionali ratione si velis mores exprimere, ne afferas argumenta, siquidem demonstrationes neque habent vim exprimendi mores, neque exprimendi intentionem finis.

10. Sententiis autem utendum est et in narratione et in fide moratum enim est. « Ego dedi, etiam id sciens non oportere credere ». Si vero affecte, « et non pœnitet me, etiam injuria affectum : huic enim superest lucrum, mihi justum. »

11. Versari r veo in deliberativo genere difficilius est quam in judiciali, merito, quia circa futurum est. Ibi vero circa præteritum, quod scientia comprehendi potest etiam a vatibus, ut dixit Epimenides Cres; ille enim de futuris non vaticinabatur, sed de præteritis quidem, at obscuris. Et lex fundamentum est in judicialibus; qui vero habet principium, cum facilius est invenire demonstrationem. Et non habet multa diverticula, ut contra adversarium, vel de ipso, vel ad affectum afferendum. Verum hæc minime omnium, nisi egrediatur. Oportet igitur indigentem id facere, quod Athenienses oratores faciunt et Isocrates; etenim deliberans accusat, ut Lacedæmonios in panegyrico, Charetem autem in sociali.

10. *Sextum præceptum* est : tum in narratione tum in confirmatione sententiæ sunt admiscendæ. Ratio est, quia curandum est, ut oratio sit morata; sed sententiæ efficiunt orationem moratam ; ergo, etc. Exemplum narrationis, cui opportune sententia inseratur, est : ego vero pecuniam ei credidi, quamvis scirem nemini fidem habendam esse. Si vero quis velit adhuc orationem efficere vehementiorem magisque moratam, addere posset : neque tamen me pœnitet, quamvis injuriam ac detrimentum acceperim : isti enim lucrum superest, mihi vero æquitas et justitia.

11. Ut proponatur septimum præceptum, præmittendum est, quod difficilius est orationes habere generis deliberativi, quam generis judicialis. Probatur primo, quia difficiliora sunt futura quam præterita, ac proinde augures magis enuntiare possunt præterita quam futura; ex quo ortum est, ut Epimenides Cretensis celeberrimus augur profiteretur se posse divinare præterita, licet obscura, non autem futura; sed deliberatio est de futuris, judicium de præteritis; ergo facilius est in genere deliberativo quam in judiciali versari. Secundo probatur, quia facilius est invenire argumenta, cum quis habet quædam principia certa, quam cum non habet; sed lex continet fundamenta ac principia certa, ex quibus possumus in genere judiciali discurrere; in genere deliberativo nullum datur fundamentum discurrendi æquivalens legi; ergo, etc. Tertio probatur, quia in genere judiciali non solum possumus agere de iis, quæ spectant ad causam, sed etiam possumus divertere ad agendum vel de persona adversarii, vel de persona nostra; possumus etiam digredi ad excitandos affectus; sed in genere deliberativo, nisi recedamus a causa, non possumus ad hæc digredi ; ergo, etc. Hoc supposito *septimum præceptum* pro genere deliberativo est, ut non digrediamur ad agendum de persona nostra vel adversarii, neque ad affectus commovendos, nisi cum non suppetit nobis, quid de causa dicamus ; cum vero non possumus de causa dicere, tum ad hæc est digrediendum, ut oratores Athenis faciunt, et etiam Isocrates, qui in panegyrico digreditur ad accusandum Lacedæmonios, in oratione sociali digreditur ad accusandum Charetem, licet utraque oratio sit generis deliberativi.

12. Ac in demonstrativis oportet orationem intexere laudibus, ut Isocrates facit; semper enim aliquem infert. Et quod dicebat Gorgias, non deesse sibi orationem, hoc ipsum est; si enim de Achille loquatur, Peleum laudat, deinde Æacum, deinde deum. Similiter vero etiam fortitudinem. Aut hæc et illa facit, quod tale est.

13. Ac habenti quidem demonstrationes et morate dicendum et demonstrative; si vero non habeas enthymemata, morate. Et magis probo convenit bonum appetere, quam exquisitam orationem.

14. Ex enthymematibus vero, quæ valent ad refutandum, magis probantur quam quæ ad de-

monstrandum, quia quæcumque refutationem efficiunt, magis syllogismo conclusa sunt; juxta enim se posita magis contraria cognoscuntur. Quæ vero sunt contra adversarium, non altera aliqua species sed fides sunt, quæ partim solvunt objectione partim ratiocinatione.

12. *Octavum præceptum* est : quia in genere exornativo non semper satis multa suppetunt propria ejus, qui laudatur, utendum est episodiis, quibus alia ei, quem laudamus, affinia exornemus. ut sic ampliorem reddamus orationem. Hac arte utitur Isocrates, qui semper aliquid, quod laudet, adjungit. Eadem arte utebatur Gorgias, qui idcirco profitebatur sibi nunquam orationem defuturam. Si enim laudat Achillem, digreditur ad celebrandum Peleum Achillis patrem, Æacum avum, Jovem proavum, etc. Rursus quia Achilles fuit fortissimus, excurrit in laudes fortitudinis, etc.

13. *Nonum præceptum* est : si possis argumenta invenire, et etiam mores exprimere, utrumque facias; si vero argumenta tibi non occurrunt, tum totum studium conferas ad efficiendam orationem moratam, præsertim, cum viri boni proprium magis sit, ut suam exprimat probitatem eaque persuadeat, quam ut orationem efficiat exquisitissimam.

14. *Decimum præceptum* est : quia argumenta redargutiva majorem vim habent quam probativa, ideo in illis conficiendis summa cura est insudandum. Ratio, cur argumenta redargutiva majorem vim habeant ex dictis etiam lib. II. cap. XXIV, ea est, quia opposita juxta se posita magis elucescunt; sed argumenta redargutiva, cum refellunt dicta adversarii, ponunt juxta se opposita contradictorie, hoc est dictum adversarii et conclusionem contradictoriam contra ipsum allatam; ergo etc. Revocat autem in memoriam Aristoteles, quod ut lib. II. cap. XXVII. docuerat, argumenta, quæ contra adversarium afferuntur, non differunt specie ab argumentis, quibus nostra probamus; siquidem adversarii dicta refellimus, partim ostendendo argumenta ab ipso allata non concludere, partim contrarium probando.

15. Atque oportet tum in consultatione tum in judicio, qui priore loco dicit, eum facere suam ipsius fidem prius, posterius vero contrariis occurrere solvendo et elevando. Sin autem multiplex sit adversa causa, prius contrariis, ut fecit Callistratus in messeniaca concione; quæ enim dicturi erant, cum is sustulisset, tunc ipse dixit. Qui vero loco posteriori dicit, ei prius quæ sunt contra adversarii rationem dicenda, solvendo et ratiocinationem opponendo, et maxime si probata sint. Ut enim hominem ante in crimen vocatum non recipit animus, eodem modo ne orationem quidem, si adversarius bene videatur dixisse. Oportet igitur locum parare in auditore futuræ orationi : erit autem id, si sustuleris. Quamobrem aut adversus omnia, aut quæ maxima sunt, aut quæ probata, aut facile possunt refutari pugnando. Sic quæ sua sunt, fide digna reddenda sunt. « Deabus primum patrocinium suscipiam. Ego enim Junonem ». In his attigit primum, quod insulsissimum est. Ac de fide quidem hæc.

15. *Undecimum præceptum* est : tum in deliberatione tum in judicio, qui prior causam dicit, primo debet suam causam confirmare et rationibus evincere, deinde quæ possent in contrarium afferri, solvere vel extenuare. Si tamen multa sint, quæ in contrariam partem dici possent, prius illa sunt refutanda, ut fecit Callistratus in concione messeniaca. E converso, qui secundo loco dicit, prius debet refutare ea, quæ ab adversario fuerunt objecta, præsertim si videntur fidem apud auditores obtinuisse, vel solvendo vel contrarium probando, deinde debet sua probare. Ratio est, quia sicut non libenter agimus cum iis, quos multorum criminum reos credimus, ita non libenter audimus orationem, si opinemur adversarium vera dixisse; ergo ut animum auditoris ad audiendam orationem præparemus, debemus initio ostendere adversarium falsa dixisse. Postquam igitur adversarii argumenta rejeceris, vel omnia vel firmissima, vel quæ maxime videntur excellere, vel quæ facilius refelluntur, tum tuam causam debes confirmare; ut etiam apud Euripidem Hecuba fecit, dicens :

> Primo refellam, quæ deis objecta sunt;
> Junonem ego.

Ex his vero primo refellit infirmissimum. Et hæc de confirmatione dicta sufficiant.

CAPUT XVII. — ART. II.

DE ORATIONE MORATA.

16. Quod attinet ad mores, quoniam nonnulla de se dicere aut invidiam aut loquacitatem aut obtrectationem habet, et de alio aut convicium aut rusticitatem, alterum opus est dicentem inducere; quod Isocrates facit in Philippo et in

Antidosi, et ut Archilochus vituperat; inducit enim patrem dicentem de filia in iambo : « rerum insperata nulla est, neque juramento negari potest », et Charonem fabrum in iambo cujus principium est : « non mihi quæ sunt Gygæ. » Et ut Sophocles Hæmonem de Antigona apud patrem, tanquam dicentibus aliis.

17. Oportet vero immutare enthymemata et sententias facere aliquando, ut « opus est pactiones facere qui mentem habent, cum prospera fortuna utuntur : sic enim fuerint optima conditione ». Enthymematice autem : « si enim oportet, cum commodissimæ sint et meliorem afferant conditionem pactiones, tunc pacisci, prospera fortuna utentes oportet pacisci. »

Quia orator ad persuadendum non solum debet uti argumentis, sed etiam oratione morata, ideo Aristoteles præceptis, quæ tradidit circa usum argumentorum, subdit duo præcepta a nobis observanda, dum conamur efficere orationem moratam.

16. *Primum* ergo *præceptum* est : quia aliquando debemus quædam dicere, quæ vergant in laudem nostram et in vituperationem adversarii; suas autem laudes prædicare loquacitatem quamdam sapit et invidiosum est atque obtrectationibus obnoxium, aliena vero facta carpere et insectari, spectare videtur ad maledicentiam atque rusticitatem; — ideo cum vel nostras laudes commemorare vel aliena facta cogimur insectari, satius erit per alienam personam id efficere, atque aliquem oratione conformare ac fingere, qui nostras laudes vel aliena probra persequatur. Hac arte usus est Isocrates in duabus orationibus, quarum altera ad Philippum dirigitur, altera Antidosis inscribitur. Cum enim in oratione ad Philippum vellet eum admonere de suspicione, quam Græci habebant, ne Græciam invaderet ac libertate privaret, profert hanc suspicionem non ex se, sed ex persona quorumdam aliorum. In Antidosi vero, cum de se ipso quædam prædicare vellet, ait se coactum ab adversariis id facere, qui suam famam ac vivendi rationem calumniis insectabantur. Archilochus etiam poeta in iambicis, quos contra Lycambem et ejus filiam scripsit, quorum principium est :

Nil prorsus est, quod non fiat pecunia,
Vel quod futurum non jurare quis queat;

Lycambem patrem turpissima quæque filiæ persuadentem inducit. In aliis vero iambis inducit Charonem quemdam fabrum probra cujusdam commemorantem, quorum iamborum principium est :

Nil curo opes Gygæ.

Hæmon quoque Creontis filius et Antigonæ maritus apud Sophoclem, dum Creontem patrem pro vita Antigonæ, quam Creon volebat interficere, deprecatur, laudes Antigonæ non ex propria, sed ex aliena persona commemorat.

17. *Secundum præceptum* est : quia ut dictum est cap. XVII, num. 9, enthymemata moratæ orationi non admodum conveniunt, ut moratam orationem efficiamus, enthymemata mutanda sunt in sententias; ex. gr., hoc enthymema : si fœdera cum hostibus facere oportet eo tempore, quo sunt utilissima ac melioribus conditionibus possunt sanciri, tum profecto maxime facienda sunt, cum prospera fortuna utimur; mutandum est in sententiam, dicendo : prudentis viri est, cum prospera fortuna utitur, tum cum hostibus pacem et fœdera sancire, ut sic optimis conditionibus fœdera faciat.

CAPUT XVIII. — ART. I.

QUANDO ET QUOMODO SIT INTERROGANDUM, VEL INTERROGATIONIBUS RESPONDENDUM.

1. [18.] Interrogationem autem fieri opportunum est maxime, cum alterum affirmaverit, ut uno interrogato contingat absurdum, ut Pericles Lamponem interrogavit de initiis Sospitæ sacrorum. Cum autem ille diceret, non posse non initiatum audire, interrogavit, num sciret ipse. Aiente, illo « at quomodo, qui non es initiatus? » Secundo loco, cum illud quidem apparet, hoc vero interroganti manifestum est eum daturum. Percunctatum enim oportet unam propositionem non interrogare, quod apparet, sed conclusionem dicere; ut Socrates Melito aiente, ipsum deos non putare, dixit, num dæmonium aliquod diceret. Confitente illo interrogavit, an non dæmones aut deorum filii essent aut divinum aliquid. Affirmante illo, « est igitur » inquit « qui deorum filios arbitratur esse, deos autem non? » Præterea quando futurum est, ut aut contraria dicere demonstret aut præter opinionem. Quarto loco, quando non licet nisi sophistice respondentem solvere; si enim responderit, esse quidem, sed non esse, aut partim quidem esse partim vero non, aut aliquo quidem modo esse, aliquo vero non, conturbantur ut hæsitantes. Aliter non tentandum; si enim restiterit, victus esse videtur. Non enim licet multa interrogare propter infirmitatem auditoris; quamobrem et enthymemata quam maxime contrahere oportet.

Oratores præsertim in judiciis, dum

sua confirmant et aliena refellunt, adversarium interrogant, ut responsione utantur ad aliquid contra ipsum inferendum. Aristoteles igitur hoc loco docet primo, quænam sint opportunitates interrogandi, ac quinam modus sit in interrogationibus tenendus; secundo explicat, quo pacto sit interrogationibus respondendum, ne adversarius responsione nostra contra nos ipsos uti possit.

1. *Quoad primum :* Quatuor sunt opportunitates interrogandi. Prima est, cum adversarius aliquid dixit et affirmavit ita, ut prævideamus, quod si interrogemus, ex responsione ad interrogationem aliquid absurdum consequetur. Ita Pericles, cum ex Lampone sciscitatus fuisset aliquid pertinens ad mysteria Cereris, quæ propter fruges inventas dea salutaris vocabatur ; ille autem respondisset nefas esse illa audire, nisi quis esset initiatus, — iterum Lamponem est percontatus, num ipse ea mysteria sciret; cumque ille annuisset : et quomodo, inquit, cum minime sis initiatus? Secunda opportunitas interrogandi est, cum una præmissa, ex qua sequitur aliquid nostræ causæ favens, perspicua est, alteram vero adversarius est certo concessurus, tum debemus de tali præmissa interrogare ac statim concludere, non interrogando de altera præmissa manifesta. Hac arte in Apologia Platonis utitur Socrates contra Melitum. Cum enim Socrates a Melito accusatus fuisset de impietate, quod nullos esse deos putaret, Socrates Melitum interrogavit, an putaret dæmonium aliquid esse ? Cumque Melitus affirmasset, iterum Socrates est sciscitatus : nonne dæmones vel deorum filii sunt vel habent in se aliquid divinum? ac Melito annuente intulit : fierine potest, ut aliquis putet deorum filios esse, deos vero esse non putet? Notum autem omnibus erat Socratem fateri dæmones esse; cum frequenter diceret dæmonem ab ineunte ætate sibi semper astitisse, ideoque de hoc non interrogavit, sed supposuit. Tertia opportunitas interrogandi est, cum volumus ostendere adversarium sibi ipsi contraria dicere vel ea proferre, quæ paradoxica sint et aliena ab opinione communi. Quarta opportunitas est, cum adversarius non potest respondere nisi sophistice et captiose, nimisque subtiliter, dicendo ex. gr., aliquam rem esse et non esse; vel partim esse, partim non esse; vel aliquo modo esse, aliquo modo non esse. Cum enim auditores, utpote rudes, non satis penetrent istas subtilitates, perturbantur ac suspicantur eum, qui talibus responsionibus utitur, interrogationis laqueis implicatum teneri atque effugia quærere. Cum nulla ex enumeratis opportunitatibus adest, interrogatione non est utendum. Ratio est, quia si contingat adversarium bene respondere et interrogationem eludere, qui interrogavit, videbitur victus. Debet autem adverti, quod quia auditores sunt rudes, non sunt multis interrogationibus, sicut nec multis argumentis obruendi.

2. Respondere vero oportet ad ambigua quidem distinguendo oratione, et non concise,

3*. ad ea vero quæ videntur contraria, solutionem afferendo statim cum responsione, priusquam interroget reliquum aut syllogismo concludat : non enim difficile est prospicere, in quo sit ratio. Apparebit autem nobis ex Topicis et hoc et solutiones.

4. Et ad eum qui concludit, si interrogatio efficiat conclusionem, causam dicere, ut Sophocles interrogatus a Pisandro, an visum esset ipsi ut et aliis præconsultoribus de constituendis quadraginta, affirmavit. « Quid vero ? Nonne prava tibi hæc videbantur esse » ? Affirmavit. « Nonne igitur tu hæc commisisti prava » ? « sane » affirmavit; « non enim erant alia meliora ». Et ut Lacon reddens rationem ephoratus, interrogatus, an viderentur ipsi juste periisse alii, affirmavit. Ille vero « nonne igitur tu hæc cum eis decrevisti » ? et is affirmavit. « Nonne igitur juste » inquit « et tu peribis » ? « minime » inquit : « illi enim cum pecunias accepissent, hæc egerunt, ego vero nequaquam, sed ex sententia ».

5. Quare neque interrogare oportet post conclusionem, neque conclusionem interrogare, nisi multum supersit veri.

2. *Quoad secundum* : sequitur, ut tradamus præcepta bene interrogationibus respondendi illasque eludendi. *Primum præceptum* est : si interrogatio sit ambigua, distinguenda est. Ut autem auditores responsionem facilius percipiant, res explicanda est, non quidem oratione brevi et concisa, sed fusa et ita longa, prout res videtur postulare.

3. *Seccundum præceptum* est : cum adversarius interrogando vult nos cogere ad opposita concedenda, siquidem non est difficile prævidere, quid velit inferre, statim solutio apparentis contrarietatis est afferenda, nec exspectandum, ut secundam interrogationem addat et concludat. Debent igitur oratores scire ea, quæ de

modo vitandi ac solvendi captiosas interrogationes in Topicis tradidimus.

4. *Tertium præceptum* est : si adversarius ex responsione allata interrogationi aliquid contra nos concluserit, opportunum est in responsione addere causam, per quam satisfiat illi, quod objicitur. Hac ratione adversarium eludendi usus est Sophocles. Cum enim interrogatus fuisset a Pisandro, num ipse cum aliis præconsultoribus sententia sua dominatum quadringentorum confirmasset, fassus est se confirmasse. Cum rursus interrogatus fuisset : nonne res illa tibi videbatur improba? Ita, inquit. Cum Pisander demum concluderet : ergo tu sponte rem improbam confirmasti? Certe, inquit Sophocles; neque enim erant alia meliora; et sic afferendo rationem, propter quam admiserat aliquid mali ad vitandum majus malum, totam argumentationem elusit. Eadem arte usus est Lacon ille, qui fuerat ephorus seu senator, cum rationem redderet magistratus administrati. Interrogatus enim, an ejus collegæ, qui simul magistratum gesserant, juste viderentur condemnati, respondit videri. Interrogatus rursus : nonne tu iis consensisti atque eadem decrevisti? Decrevi, inquit. Cum adversarius concluderet : ergo etiam tu juste condemnari debes? minime, ait; nam socii pecunia corrupti illa decreverunt, ego vero ex animi sententia.

5. Addit Aristoteles, quod postquam conclusimus, non debemus amplius interrogare de aliquo, quod ad id, quod intulimus, spectet; imo neque de ipsa conclusione interrogare debemus, nisi forte ita sit perspicua, ut omnino negari non possit. Ratio est, quia si interrogemus, videmur illa in dubium revocare.

CAPUT XVIII. — ART. II.

DE USU RIDICULORUM.

6. Ridicula autem quoniam aliquem videntur usum habere in contentionibus, et oportere dicebat Gorgias seria discutere adversariorum risu, at risum seriis, recte dicens, expositum est, quot genera ridiculorum sint in iis quæ tradita sunt de Poetica;

7. * quorum unum quidem convenit libero, alterum vero nequaquam. Quod igitur conveniens erit sibi, sumet.

8. Est autem dissimulatio scurrilitate liberalior ; ille enim sui causa fingit ridiculum, scurra vero alterius.

6. In judiciis aliquando est utendum ridiculis. Bene siquidem Gorgias dixit aliquando oportere, ut serias rationes adversarii ridiculis diluamus atque in risum vertamus; si vero adversarius adhibuerit ridicula, expedire, ut seriis illa rationibus reprehendamus. Agendum igitur hic esset de ridiculis. Sed quia de ridiculis eorumque speciebus ex professo egimus in Poetica, duo tantum hic sunt advertenda.

7. Primum est : quia quædam sunt ridicula ingenuo ac libero homine digna, quædam vero sunt indigna homine ingenuo ac propria scurrarum et mimorum, iis solum ridiculis, quæ nos deceant, est utendum.

8. Secundum est : cum alia sint ridicula ironica, quibus utitur quis propriæ voluptatis gratia, alia sint scurrilia, quibus utitur ad alium oblectandum, virum ingenuum magis decent ridicula ironica quam scurrilia.

CAPUT XIX.

DE PERORATIONE SIVE EPILOGO.

1. [19] Peroratio componitur ex quatuor, tum ex eo ut erga se ipsum comparet bene auditorem et in adversarium male, tum ex eo ut amplificet et deprimat, tum ex eo ut ad affectus auditorem constituat, tum ex memoriæ renovatione.

2. Factum enim natura est, ut postquam demonstraverit se quidem verum, adversarium autem falsum, sic laudet et vituperet et expoliat. Duorum autem alterum oportet spectare ; aut se his bonum aut simpliciter, illum vero malum his aut simpliciter. Jam vero ex quibus tales comparare oporteat, expositi sunt loci, unde bonos oporteat comparare et malos.

3. Postquam vero hoc demonstratum jam fuerit, augere licet secundum naturam et extenuare. Oportet enim facta constare, si dicturus est quantum; etenim corporum incrementum est ex iis quæ ante insunt. Unde vero oporteat augere et extenuare, expositi sunt loci prius.

4. Postea cum manifesta sint et qualia et quanta, ad affectus impellit auditorem. Hi autem sunt misericordia et indignatio et ira et odium et invidia et æmulatio et contentio. Dicti vero etiam sunt horum loci superius.

5. Quare reliquum est in memoriam revocare quæ ante dicta sint. Id autem convenit facere ita ut aiunt in procemiis, non recte dicentes; ut enim bene percipi possint, jubent sæpe dicere. Ac ibi quidem oportet rem exponere, ut ne lateat id, de quo judicatio est; hic vero, per quæ demonstrata est, summatim.

1. Ultima pars orationis est, quæ græce

epilogus, latine peroratio nuncupatur. Peroratio constare debet ex quatuor partibus, quæ desumuntur ex quatuor, quæ efficere debemus, postquam per confirmationem ostenderimus vera esse, quæ ab initio proposuimus. Primum est, ut auditores benevolos nobis, adversariis malevolos reddamus; secundum est, ut quæ dicta sunt amplificemus aut diminuamus, prout causa postulat; tertium est, ut in auditoribus affectus excitemus; quartum demum est, ut quæ sparsim in decursu orationis sunt dicta, breviter enumerando in memoriam revocemus, ut altius mentibus auditorum hæreant.

2. Explicantur singulæ partes. *Primo* igitur in peroratione debemus auditores nobis quidem benevolos, adversariis malevolos reddere. Ratio est, quia sicut connaturale est, ut artifices postquam opus fecerunt, illud expoliant, sic connaturale est, ut postquam orator fecit opus suum, ostendendo se vera dicere, adversarium falsa, ultimam veluti manum operi addat, laudando causam suam, vituperando causam adversariorum, ut per hoc auditores suæ causæ benevolos, causæ adversariorum reddat infestos. Jam vero quia benevolentia prosequimur vel bonos simpliciter vel bonos nobis, malevolentia vero prosequimur vel malos simpliciter vel malos nobis, ut auditores nobis reddamus benevolos, debemus ostendere nos vel esse bonos simpliciter vel bonos auditoribus; ut eosdem adversariis reddamus malevolos, debemus ostendere adversarios vel esse malos simpliciter vel malos auditoribus. Loci ad ostendendum aliquos esse bonos vel malos, traditi sunt lib. I. cap. IX, ideoque nihil hic est addendum.

3. *Secundo*, in peroratione debemus amplificare vel diminuere, quæ dicta sunt et probata. Ratio est, quia sicut natura per generationem dat corporibus esse, deinde per augmentationem eadem auget et ad debitam magnitudinem perducit; sic connaturale est, ut postquam per confirmationem res ita se habere ostenderimus, per amplificationem vel diminutionem ostendamus, quanta res sit, magnane, an parva. Neque enim explicari potest, quanta res sit, nisi compertum sit illam esse. Loci ad amplificandum vel diminuendum, ostendendo magnitudinem vel parvitatem rerum, traditi sunt lib. I. cap. VII.

4. *Tertio*, in peroratione debemus affectus in animis auditorum excitare. Ratio est, quia postquam per confirmationem ostenderimus rem esse, per amplificationem autem ac diminutionem explicaverimus quanta sit, connaturale est, ut auditorum animos commoveamus. Affectus porro, quos potissimum debemus excitare, sunt misericordia, indignatio, ira, odium, invidia, æmulatio, contentio, de quibus et quo pacto excitentur, actum est lib. II. cap. II. et seq.

5. *Quarto* demum in peroratione debemus dicta breviter enumerando in memoriam revocare. Ratio est, quia excitatis affectibus, nihil aliud superest, nisi ut dicta auditorum animis altius infigamus; sed ad altius infigendum, faciendum est, quod aliqui perperam dicunt fieri in exordio debere, dicta nimirum brevi sunt enumeratione repetenda; ergo, etc. Ratio, cur hæc repetitio non sit facienda in exordio, sed ni peroratione, est, quia in exordio sufficit exponere id, de quo agitur, ne lateat auditorem; cum vero probata fuerunt, quæ ab initio proposuimus, tum summatim illa repetere atque in memoriam revocare debemus.

6. Initium autem sit, quod quæ pollicitus erat, persolvit. Quare et quæ et ex quo, dicendum.

7. Ducitur vero ex adversa collatione adversarii. Conferre autem oportet vel quæcumque circa idem ambo dixerunt, si non ex regione, at sic : « iste quidem hæc de hoc, ego vero hæc et ex his ». Vel ex dissimulatione, ut « iste enim hæc dixit, ego vero hæc. Et quid faceret, si hæc ostendisset, sed non hæc » ? vel ex interrogatione : « quid non ostensum est » ? vel « iste quid confirmavit » ? aut igitur sic ex collatione, aut secundum naturam, prout exposita sunt, eodem pacto, quæ propria sunt. Et rursus, si voluerit, separatim, quæ sunt contrariæ orationis.

8. Fini vero dictionis convenit dissolutio, ut peroratio, sed non oratio sit : « Dixi, audistis, habetis, judicate ».

6. Explicat deinde Aristoteles, unde sumendum sit initium enumerationis, qua dicta breviter repetuntur; quo pacto talis repetitio sit facienda; et qua demum ratione peroratio ac tota oratio sit concludenda. *Primo* igitur orator poterit repetitionem inchoare, dicendo ea se præstitisse, quæ pollicitus fuerat; deinde vero explicet, quænam illa sint et propter quam causam de iis fuerit agendum.

7. *Secundo*, quatuor sunt præcipui modi dicta enumerandi, quorum tres fiunt conferendo dicta a nobis cum dictis ab adversario, quartus est simplex ac sequens or-

dinem naturæ. *Primus* modus est, cum enumeramus, quæ fuerunt dicta a nobis et quæ fuerunt dicta ab adversario, illa invicem conferendo. Duobus modis possumus hæc invicem conferre. *Primo* possumus conferre, quæ de eadem re diximus nos ac dixit adversarius; *secundo* possumus conferre, quæ non de eadem re diximus nos ac dixit adversarius, dicendo ex. gr : *Hic quidem de hac re sic dixit, ego vero egi de hac alia re et hac de causa.* *Secundus* modus enumerandi atque invicem conferendi dicta a nobis et dicta ab adversario, est ironicus, ita ut ironice, quæ fuerunt dicta ab adversario, augeamus, quæ fuerunt dicta a nobis, deprimamus, dicendo ex. gr. : *Iste quidem hæc commemorarit, ego autem hæc. Quidnam ille fecisset, si hæc, non autem illa probasset?* *Tertius* modus enumerandi atque invicem conferendi dicta a nobis et ab adversario est per interrogationem, dicendo ex gr. : *Quid est, quod a me non sit demonstratum? Iste vero quidnam probavit ex iis, quæ probare debuisset?* *Quartus* demum modus breviter enumerandi, quæ fuerunt dicta, est, si sequendo ordinem naturæ sine ulla comparatione prius repetas, quæ ipse dixisti ac probasti, deinde vero seorsim, si libet, enumeres, quæ dixit adversarius.

8. *Tertio* demum ad perorationem et totam orationem concludendam videtur aptissimus modus ille, qui vocatur dissolutus, eo quod conjunctionibus careat, dicendo ex. gr. : *Dixi; audivistis; rem tenetis ; judicate.* Et per hæc Aristotelesconcludit tres libros Rhetoricorum.



IN

POETICAM

PROOEMIUM ET SYNOPSIS

DE NATURA, SUBJECTO, OPERE ET FINE POETICÆ

---

1. Poetica est *ars delectabiliter imitandi sermone metrico.* Genus igitur proximum Poeticæ est, ut sit ars imitativa; differentia, per quam differt ab aliis artibus imitativis, est modus imitandi. Cum enim cæteræ artes imitativæ imitentur aliis modis, Poetica imitatur sermone metrico.

2. Ex hac definitione explicante naturam Poeticæ potest breviter inferri, quodnam sit subjectum Poeticæ, quod ejus opus, ac qui finis. Subjectum Poeticæ sunt res, ut delectabiliter imitabiles sermone metrico; opus Poeticæ est ipsa imitatio; finis est delectatio, quam causat præsertim in phantasia imitatio metrica rerum. Hinc sequitur, quod Poetica præsertim debet imitari ea, quorum imitatio est delectabilissima phantasiæ; sed delectabilissima phantasiæ est imitatio gestorum admirabilissimorum ac verisimilium; ergo Poetica præsertim debet imitari gesta admirabilissima ac verisimilia. Sed ut hæc imitetur, debet primo fingere gesta admirabilia ac verisimilia; deinde debet illa exprimere oratione ipsis accommodata, hoc est admirabili, qualis est oratio metrica; ergo labor Poeticæ debet in his duobus versari : *primo* in fictione fabulæ, hoc est gestorum admirabilium et verisimilium; *secundo* in talibus gestis experimendis oratione metrica maxime ipsis accommodata, hoc est maxime imitativa singulorum. Sed hæc sufficiat nunc delibasse uberius in explicatione tractanda.

3. Poeticam Aristoteles tradidit hoc libello, qui communiter apud Latinos dividitur in capita vigintiquatuor. Capite igitur I. explicat, in quo conveniant ac differant inter se tum Poesis et omnes ejus species, tum facultates affines Poeticæ. Capite II. agit de causis, origine et incremento Poeseos et ejus specierum.

4. Distinctis speciebus Poeseos, descendit Aristoteles ad agendum de singulis speciebus in particulari, ac præsertim de Tragœdia et Epopœia, et in fine cap. II. præmittit, in quo Tragœdia et Epopœia conveniant ac differant.

5. Incipit deinde agere in particulari de Tragœdia, et cap. III. proponit definitionem Tragœdiæ. Cap. IV ex definitione Tragœdiæ infert partes Tragœdiæ esse sex, nimirum apparatum scenicum, melopœiam, dictionem, mores, sententiam et fabulam, easque conferens inter se, ostendit primam et præcipuam partem Tragœdiæ esse fabulam, secundam mores, tertiam sententiam, quartam dictionem, quintam melopœiam, sextam apparatum scenicum; ac omissa tractatione de duabus postremis partibus, cum non spectent ad artificium poeticum, aggreditur agere de quatuor primis et præcipue de fabula, quæ est veluti anima Tragœdiæ. Et quia ad hoc, ut fabula recte se habeat, requiruntur octo conditiones, quarum prima est, ut sit perfecta et tota ; secunda, ut habeat certam magnitudinem; tertia, ut sit una; quarta, ut sit possibilis seu verisimilis; quinta, ut non sit episo-

dica seu digressionibus referta; sexta, ut sit admirabilis; septima ut sit implexa; octava, ut sit miserabilis; ideo cap. v. vi. vii. viii. et ix. de his conditionibus disputat, atque agit etiam de peripetia et agnitione, per quas fabulæ constituuntur implexæ.

6. Assignatis sex partibus Tragœdiæ, quæ dicuntur qualitatis, et explicata prima ac præcipua parte, hoc est fabula, commodius Aristoteles acturus inferius de reliquis partibus, cap. x. brevissime agit de partibus Tragœdiæ, quæ dicuntur quantitatis, quæ partes sunt prologus, episodium, exodus, chorus ingrediens, chorus stabilis et commus seu lamentatio.

7. Descendit deinde ad examinandum, quænam sint persequenda vel vitanda ad constituendam Tragœdiam optimam atque pulcherrimam; et cap. xi. examinat, qualis debeat esse persona tragica; qualem fortunæ mutationem et ex qua causa debeat subire; utrum melior sit fabula simplex an duplex; utrum melius sit, ut actio tragica sit terribilis ac miserabilis propter apparatum scenæ, vel propter constitutionem fabulæ; quinam eventus sint magis aut minus terribiles ac miserabiles, adeoque magis aut minus pulcherrimæ Tragœdiæ accommodati. Cap. xii. explicat, quænam circa mores ac circa solutionem fabulæ sint observanda. Cap. xiii. examinat, quot sint modi seu species agnitionum, et quæ sit pulcherrima agnitio. Cap. xiv. et xv. tradit præcepta ad servandum decorum, ad bene repræsentandos eos, qui affectibus agitantur, et ad fabulam episodiis seu digressionibus amplificandam. Cap. xvi., xvii. et xviii. agit de duabus partibus Tragœdiæ, quæ sunt nodus et solutio, ac de quatuor Tragœdiæ speciebus, implexa nimirum, pathetica, morata et simplici; et tradit quinque præcepta circa species Tragœdiæ, circa ejus nodum et solutionem, circa magnitudinem fabularum, circa res admirabiles ac circa chorum.

8. His expeditis, agit Aristoteles de duabus reliquis partibus qualitatis, nimirum de sententia ac de dictione. Cap. igitur xix. breviter agit de sententia: cap. xx. agit de dictione seu locutione, ac de octo ipsius partibus, quæ sunt elementum, littera, syllaba, conjunctio, nomen, verbum, articulus, casus et oratio, atque explicat varia nominum genera. Cap. xxi. examinat, quibus nominibus sit utendum ad reddendam locutionem poeticam perspicuam ac non humilem.

9. Absoluto tractatu de Tragœdia agit Aristoteles de Epopœia, et quia Epopœia pene totaliter continetur in Tragœdia, cap. xxii. brevissime de Epopœia disserit, et explicat, in quibus Epopœia conveniat cum Tragœdia, et in quibus differat a Tragœdia, et tradit quædam præcepta circa ea, quæ sunt propria Epopœiæ. Cap. xxiii agit de accusationibus, quæ contra poetas afferuntur, ac de modo eos defendendi atque excusandi. Cap. xxiv. et ultimo examinat, utrum melior sit Epopœia, an Tragœdia. Videbatur superesse, ut ageretur de Comœdia juxta ea, quæ Aristoteles proposuit initio cap. vi. Sed hæc tractatio non extat, adeoque hoc opus videtur imperfectum.



POETICA

CAPUT I. — ART. I.

PROPONITUR, DE QUIBUS, ET QUO ORDINE SIT AGENDUM.

1. [1] De poetica et ipsa et formis ipsius, quam vim habeat unaquæque, et quomodo oporteat componi fabulas, si habitura sit se recte poesis, præterea vero ex quot et qualibus constet partibus, similiter autem et de aliis, quæ ejusdem methodi sunt, dicamus incipientes secundum naturam primum a primis.

1. Aristoteles, traditurus artem poeticam, cujus opus est Poesis, initio proponit se acturum tum de Poesi in genere, tum de variis speciebus Poeseos, explicando, quam vim et naturam habeat unaquæque species. Et quia non potest Poesis recte se habere, nisi fabulæ bene constituantur, addit se declaraturum, quo pacto fabulæ sint constituendæ; dicturum etiam, ex quot et qualibus partibus Poesis constet, ac demum reliqua, quæ ad hanc artem seu methodum spectant, persecuturum, servando in his ordinem naturæ, qui postulat, ut prius agatur de prioribus seu communioribus, deinde de posterioribus ac minus communibus. Articulo igitur sequenti explicandum est primo, in quo genere conveniant tum Poesis et omnes ejus species, tum quædam aliæ facultates affines Poeticæ; secundo proponenda sunt tria capita, ex quibus desumuntur differentiæ Poeseos a facultatibus affinibus, et variarum specierum Poeseos inter se. Artic. III, IV et V, examinandum est, quo pacto dictæ facultates ex allatis capitibus differant, ut ex genere ac differentiis colligantur definitiones Poeseos, ejusque specierum.

ART. II.

IN QUO GENERE CONVENIANT POESIS EJUSQUE SPECIES ET ARTES AFFINES, ET EX QUIBUS CAPITIBUS DIFFERANT.

2. Jam vero epopœia et tragœdiæ poesis, præterea comœdia et dithyrambopoetica, et auleticæ maxima pars et citharisticæ, omnes sunt imitatio in universum.

3. Differunt autem inter se tribus ; aut enim quod genere diversis imitantur, aut quod diversa, aut quod diverso et non eodem modo.

2. Genus commune, in quo conveniunt Poesis ac facultates affines, est imitatio. Probatur : illud enim est genus commune Poesi et facultatibus affinibus, in quo conveniunt omnes species Poeseos et facultatum affinium ; sed omnes species Poeseos et facultatum affinium conveniunt in hoc, quod sint imitatio : ergo, etc. — Prob. minor ; species enim Poeseos sunt Epopœia, seu Poesis epica; Tragœdia seu Poesis tragica; Comœdia seu Poesis comica ; et Dithyrambica seu Poesis lyrica; facultates affines sunt illæ, quibus Poesis utitur, quales sunt facultates sonatoriæ, quæ dividuntur in duas classes : in auleticam, sub qua comprehenduntur facultates, quæ sonum edunt spiritu, quo inflant quædam instrumenta ori admota; et in citharisticam, sub qua comprehenduntur illæ facultates, quæ sonum edunt instrumentis manu tactis; sed Epopœia, Tragœdia, Comœdia et Dithyrambica sunt imitatio; sonatoriarum etiam artium maxima pars, ac præsertim eæ, quibus in theatris utuntur poetæ, in imitatione consistunt, licet possit etiam quis sonare sine ulla imitatione : ergo

omnes species Poeseos et facultates affines conveniunt in hoc, quod sint imitatio, adeoque imitatio est genus proximum Poeseos et facultatum affinium.

3. Differentiæ allatarum facultatum præcipue desumuntur ex tribus; *primo* ex eo, quod imitantur instrumentis genere diversis; *secundo* ex eo, quod imitantur res diversas; *tertio* ex eo, quod imitantur modo diverso, ut tribus articulis sequentibus patebit.

ART. III.

QUO PACTO SPECIES POESEOS, ET FACULTATES AFFINES DIFFERANT EX EO, QUOD IMITENTUR DIVERSIS INSTRUMENTIS.

4. Ut enim et coloribus et figuris multa imitantur aliqui effigiem exprimentes, partim quidem per artem, partim vero per consuetudinem, alii autem utrisque, sic in dictis artibus omnes faciunt imitationem in numero et oratione et harmonia, atque his separatim aut mixtis.

5. Ut harmonia quidem et numero utuntur solum et auletica et citharistica, et si quæ aliæ sunt tales potestate, ut fistularum.

6. Ipso autem numero imitantur sine harmonia, qui sunt inter saltatores; etenim isti per figuratos numeros imitantur et mores et perturbationes et actiones.

7. Epopœia vero solum sermonibus nudis vel metris, et his sive mixtis inter se sive uno aliquo genere utens metrorum, qualis fuit usque adhuc.

4. Ex facultatibus imitativis quædam imitantur aliquo permanente, hoc est coloribus et figuris, quædam imitantur aliquo successivo, hoc est rhythmo seu numero, oratione seu sermone, et harmonia. Sicut igitur facultates, quæ imitantur coloribus ac figuris permanentibus, possunt inter se differre per hoc, quod vel imitantur solis coloribus absque figuris solidis, ut pictura; vel per hoc, quod imitantur solis figuris solidis sine coloribus, ut sculptura; vel per hoc, quod imitantur coloribus simul et figuris solidis, ut si quis statuis adderet colores; — sic Poesis et artes affines, quæ imitantur aliquo successivo, hoc est numero, oratione et harmonia, possunt invicem differre, vel per hoc, quod imitentur aliquo solum ex his, vel pluribus inter se mistis et combinatis.

5. *Primo* igitur sonatoria, sub qua comprehenduntur auletica ac citharistica et fortasse aliæ facultates habentes similem naturam, ut fistulatoria, etc. imitantur solum harmonia et numero, non autem oratione. Dixi, quod imitantur harmonia et numero, siquidem in sonis non solum datur harmonia, hoc est concordia discrepantium sonorum, sed etiam datur numerus cum tales soni debeant habere inter se proportionem quorumdam numerorum.

6. *Secundo*, solo rhythmo sive numero absque oratione et harmonia imitatur saltatoria, siquidem saltatores per motus habentes proportionem quorumdam numerorum imitantur mores, actiones, et passiones sive affectus.

7. *Tertio*, Epopœia imitatur solum nudis sermonibus, hoc est metris, vel unius tantum generis, ut hactenus est factum, siquidem poemata epica scripta fuerunt solum versibus heroicis, vel pluribus generibus metrorum seu versuum mistis inter se, ut fieri posset. Aristoteles igitur dum dicit Epopœiam imitari sermonibus nudis seu metris, ly *seu* est ita intelligendum, ut significet idem ac *hoc est*, ut bene eplicant Petrus Victorius et Ludovicus Castelvetrius. Sermones autem, quibus utitur Epopœia, dicuntur nudi, quia non sunt vestiti harmonia vel apparatu scænico, sicut sunt vestiti sermones, quibus utuntur Tragœdia, Comœdia et Dithyrambica.

8. Non enim rem communem possemus nominare Sophronis et Xenarchi mimos et Socratis sermones, neque si quis per trimetra vel elegos vel alia quædam talia conficeret imitationem; nisi quod homines conjungentes cum metro ipsum fingere, alios quidem elegorum fictores, alios vero epicorum fictores nominant, non secundum imitationem sed communiter secundum metrum appelantes poetas. Etenim si medicinæ aut musicæ aliquid per metra proferunt, sic appellare consueverunt; nihil autem commune est Homero et Empedocli præter metrum; quare illum quidem poetam justum est appellare, hunc vero physiologum magis quam poetam. Similiter vero etiam si quis omnia metra miscens non faciat imitationem, quemadmodum Chæremon fecit Centaurum, mixtam rhapsodiam ex omnibus metris, jam poeta non est appellandus. Atque hæc quidem hunc in modum explicata sint.

9. Sunt autem aliquæ, quæ omnibus utuntur iis quæ dicta sunt, nempe numero et concentu et metro, sicut dithyrambicorum poesis et nomorum; præterea tragœdia et comœdia. Differunt vero, quod illæ quidem simul omnibus, hæ vero secundum partem.

8. Sequebatur, ut Aristoteles quarto

loco explicaret, quo pacto Poesis tragica, comica ac dithyrambica utatur metris simul, harmonia et numero; sed quia dixit Epopœiam imitari metris, interponit digressiunculam, in qua duo infert. Primum est, quod quandoquidem Epopœia imitatur metris, nomine Epopœiæ non possumus comprehendere mimos Sophronis ac Xenarchi, et dialogos Platonis, quos vocat sermones Socraticos, quia solet in his induci Socrates disputans. Ratio est, quia licet dialogi Platonis ac mimi Sophronis ac Xenarchi contineant imitationem, adhuc carent metro, cum scripti sint soluta oratione; sed ex dictis Epopœia est imitatio sermone metrico; ergo, etc. Secundum est, quod si loquamur conformiter ad naturam Epopœiæ et Poeseos universim, nomen Epopœiæ et universim Poeseos non debet tribui trimetris, vel elegis, vel cuicumque carmini non continenti imitationem. Licet igitur plerique ex vulgo tribuentes nomen poetæ propter versus magis quam propter imitationem, eos, qui etiam sine imitatione scribunt carmina elegiaca, vocent poetas elegos, eos, qui scribunt hexametra, vocent poetas epicos ideoque poetas epicos vel elegos appellent etiam eos, qui versus scribunt de medicina vel musica, adhuc tamen vere isti non sunt poetæ. Homerus igitur et Empedocles non conveniunt nisi in ratione versificatorum per carmina hexametra; in ratione poetæ non conveniunt, ideoque nomen poetæ convenit soli Homero, qui imitatur; Empedocles non tam est poeta quam physiologus, quia non imitatur, sed scribit hexametra de rebus naturalibus. Sicut autem non esset appellandus poeta, qui sine imitatione scriberet hexametra, sic, si quis misceret omnia carminum genera, ut Chæremon facit, qui scripsit Centaurum, rhapsodiam compositam ex omni carminum genere, nec is poeta esset dicendus. Sed de his hæc dicta sufficiant. Revertamur jam eo, unde sumus digressi.

9. *Quarto* igitur, Poesis dithyrambicorum et momorum, nec non Tragœdia et Comœdia utuntur omnibus tribus imitationis instrumentis, nimirum numero, harmonia et oratione; sed adhuc Poesis dithyrambica et nomica differt a tragica et comica per hoc, quod dithyrambica simul utitur harmonia, sermone ac rhythmo. Eodem siquidem tempore, quo recitabantur Dithyrambi, solebant addi sonus et saltatio; at Comœdia et Tragœdia non simul utitur his tribus. Neque enim eodem tempore imitatio fit recitatione carminum, saltatione ac sono, sed temporibus diversis. Potest quæri, quænam esset Poesis nomorum. Dicendum, quod erat genus carminis, quod tali nomine vocabatur, quia eo scriptæ fuerant leges, quæ græce dicuntur νόμοι.

ART. IV.

QUO PACTO SPECIES POESEOS, ET FACULTATES AFFINES DIFFERANT EX EO, QUOD IMITENTUR DIVERSA.

10. Atque has quidem dico differentias artium, in quibus faciunt imitationem.

11. [2] Quoniam autem ii qui imitantur, agentes imitantur, necesse vero est, eos aut bonos aut malos esse (mores enim ferme hos consequuntur solos; nam vitiositate et virtute in moribus differunt omnes), aut meliores quam secundum nos aut pejores necesse est imitari, ut ex pictoribus Polygnotus quidem meliores, Pauson vero deteriores, at Dionysius similes pingebat.

12. Manifestum autem est, quod et ex iis quæ dictæ sunt imitationibus unaquæque habebit has differentias, et erit diversa eo quod diversa imitabitur. Nam in saltatione et auletica et citharistica possunt esse hujusmodi dissimilitudines. Et circa sermones et nuda metra, ut Homerus quidem meliores, Cleophon vero similes; at Hegemon Thasius, qui parodias, et Nicocharis, qui Deliada, pejores. Similiter vero etiam circa dithyrambos et circa nomos, ut qui fecit Cyclopes Timotheus et Philoxenus, posset aliquis imitari. In eadem vero differentia et tragœdia et comœdia separata est; hæc enim pejores, illa meliores imitari vult, quam ii qui nunc sint.

10. Explicavimus, quo pacto facultates imitativæ differant ex eo, quod imitentur diversis instrumentis; jam explicandum est, quo pacto differant ex eo, quod imitentur diversa.

11. Qui imitantur, non solent imitari otiantes, sed agentes et operantes; sed homines per actiones exhibent mores, qui dividuntur per virtutes ac vitia, adeoque in bonos et malos; ergo qui imitantur, solent imitari vel bonos vel malos, seu improbos vel virtute præditos; sed imitando probos ac virtute præditos possumus illos effingere vel meliores, quam nos homines communiter simus, vel quales nos communiter sumus; similiter imitando improbos, possumus illos effingere vel pejores, quam nos homines

communiter sumus, vel quales nos communiter sumus; ergo facultates imitativæ ex eo, quod imitantur diversa, possunt sortiri præcipue *tres differentias*. *Prima* desumitur ex eo, quod imitentur meliores; *secunda* ex eo, quod imitentur pejores; *tertia* ex eo, quod imitentur tales, quales nos homines communiter sumus. — Confirmatur; quia sicut Pictura imitatur habitum corporis, sic Poesis et aliæ facultates affines imitantur habitum animi; ergo sicut pictores differunt inter se per hoc, quod fingant homines secundum habitum et pulchritudinem corporis vel meliores et pulchriores, quam communiter sint, ut faciebat Polygnotus, vel pejores ac deformiores, ut faciebat Pauson, vel similes, ut faciebat Dionysius; sic Poesis et artes affines præcipue differunt per hoc, quod vel effingant homines secundum habitum animi meliores, vel deteriores, vel similes.

12. Sed jam magis in particulari est explicandum, quo pacto tum Poesis ejusque species, tum facultates affines possint sortiri has differentias. *Primo*, per saltationem ac sonum tibiarum et fidium potest quis imitari meliores, vel pejores, vel tales, quales homines communiter solent esse. *Secundo*, hoc idem possumus facere per sermones et nuda carmina; ex. gr., Homerus quidem ut plurimum imitatur meliores, quam homines communiter sint; Cleophon imitatur similes; Hegemon Thasius, qui primus parodias cecinit, et Nicocharis, qui Deliada versibus descripsit, imitati sunt deteriores. *Tertio*, etiam per Poesim dithyrambicam et nomicam possumus imitari meliores aut deteriores. De facto enim qui canunt deos aut heroes, imitantur meliores; Timotheus autem et Philoxenus canentes Persas Græcorum hostes et Cyclopes, imitati sunt deteriores; et posset etiam quis imitari pares. *Quarto* demum, duæ species Poeseos dramaticæ, Tragœdia nimirum et Comœdia differre videntur inter se per hoc, quod Tragœdia præcipue intendit imitationem meliorum, Comœdia præcipue intendit imitationem pejorum, ac potest etiam dari Drama medium inter Tragœdiam et Comœdiam exprimens homines, quales communiter sunt.

ART. V.

QUO PACTO SPECIES POESEOS POSSINT DIFFERRE EX EO, QUOD IMITENTUR MODO DIVERSO.

13. [3] Præterea vero in his tertia differentia est, ut singula hæc imitaretur aliquis. Etenim in iisdem et eadem imitari licet interdum quidem exponentem vel aliud quippiam factum, ut Homerus facit, vel ut eundem et non se immutantem; vel omnes ut agentes et molientes aliquid, quos imitantur. Jam vero in tribus his differentiis imitatio est, ut dicebamus in principio, tum in quibus, tum quæ, tum quomodo.

14. Quare in una quadam parte idem erit imitator cum Homero Sophocles, imitantur enim ambo bonos; in altera vero cum Aristophane, molientes enim aliquid et agentes ambo imitantur.

15. Unde et Dramata, id est actus, ea ab agentium imitatione appellari, nonnulli dicunt (1).

13. Tertia demum differentia est, per quam species Poeseos imitantes eadem et iisdem instrumentis, hoc est sermonibus metricis, adhuc possunt inter se differre per hoc, quod imitentur modo diverso. Tres igitur sunt modi imitandi per sermones metricos, quorum primus plerumque convenit Dithyrambo seu Poesi lyricæ; secundus convenit Epopœiæ; tertius Tragœdiæ et Comœdiæ. *Primus modus* est, cum poeta omnia exponit ex propria persona, nihil vel pæne nihil ex persona alterius. Ita poetæ lyrici omnia vel pæne omnia dicunt ex propria persona, nihil vel pæne nihil dicunt ex persona alterius, cum paucissimæ apud ipsos inveniantur conciones. *Secundus modus* est, cum poeta quædam exponit ex persona, propria, quædam ex persona aliorum, quos loquentes inducit. Ita Homerus aliique poetæ epici multa dicunt ex persona propria, multa ex personis aliorum, in quos se quodammodo transformant, dum eos loquentes inducunt. *Tertius modus* est, cum poeta nihil dicit ex persona propria, sed omnia ex persona aliorum, quos inducunt loquentes et agentes, ut in Comœdiis et Tragœdiis fit. Explicatum est igitur, quo pacto imitationes differant, vel ex eo, quod imitentur diversis instrumentis, vel ex eo, quod imitentur diversa, vel ex eo, quod imitentur modo diverso.

1. Hæc textus particula in versione Riccoboni excidit, licet in græco legatur.

14. Infertur *primo*, Tragœdiam esse quodammodo mediam inter Epopœiam et Comœdiam, ita ut in aliquo conveniat cum Epopœia, in altero cum Comœdia. Ex una parte Tragœdia convenit cum Epopœia ac differt a Comœdia in eo, quod tum Epopœia tum Tragœdia imitantur præstantes et virtute præditos, cum Comœdia imitetur viles et vitiosos. Ex alia parte Tragœdia convenit cum Comœdia ac differt ab Epopœia, quod tum in Tragœdia tum in Comœdia poeta nunquam loquitur ex propria persona, sed semper loquitur ex persona aliorum, quos inducit agentes et negotiantes; in Epopœia vero poeta sæpe loquitur ex propria persona. Sophocles igitur tragicus, in quantum imitatur præstantes ac probos, convenit cum Homero; in quantum non loquitur ex propria persona, convenit cum Aristophane poeta comico.

15. Infertur *secundo*, cur Tragœdia et Comœdia communi nomine vocentur Dramata. Ratio est, quia δρᾶν idem significat ac agere; sed in Comœdiis ac Tragœdiis semper inducuntur personæ agentes et negotiantes; ergo Tragœdia et Comœdia convenientissime vocantur Dramata sive actiones.

16. Quamobrem sibi vindicant eo tragœdiam et comœdiam Dorienses, comœdiam quidem Megarenses, et qui hic sunt, tanquam in ipsorum democratia natam, et qui sunt ex Sicilia; inde enim Epicharmus poeta multo prius quam Chonnides et Magnetes. Et tragœdiam aliqui eorum qui sunt in Peloponneso, ducentes a nominibus signum; hi enim comas pagos appellare se dicunt, Athenienses vero demos, quasi comœdi non κωμάζειν dicti sint, sed nominati ab errore per pagos ex urbe. Et *facere* ipsi quidem ostendunt se dicere δρᾶν, Athenienses vero πράττειν. Ac de differentiis quidem imitationis, et quot et quæ sint, tam multa dicta sint.

16. Infertur *tertio*, cur inventionem Comœdiarum ac Tragœdiarum apud Græcos præ Atticis, quorum præcipui sunt Athenienses, sibi vindicent Dores seu Dorienses. Fundamentum desumunt ex etymologia nominum. *Primo* enim, Tragœdia et Comœdia communi nomine vocantur δράματα a verbo δρᾶν, quod significat agere; sed δρᾶν est verbum doricum, non autem atticum, siquidem Athenienses, hoc, quod est agere, significant per verbum πράττειν; ergo cum verisimile sit Dramata ab iis fuisse inventa, a quibus acceperunt nomen, verisimile est Dramata non ab Atticis, sed a Doribus fuisse inventa. *Secundo*, Comœdia non tam dicitur a κωμάζειν, quod significat convivia ac festa celebrare, quam a κώμαις, quod significat pagos. Asserunt enim comœdos dictos fuisse ex eo; quod cum ignominia a civitatibus expulsi, per pagos vagabantur; sed pagos Dores quidem vocabant κώμας, Attici vero vocabant non κώμας, sed δήμους seu populos; ergo cum Comœdia habuerit nomen a Doribus, signum est, quod ab iis fuit inventa. Ex Doribus, qui incolunt Græciam, Comœdiæ inventionem sibi vindicant Megarenses ac dicunt, eam apud ipsos fuisse exortam, cum status civitatis esset popularis seu democraticus. Cum enim status popularis amet effrenem quamdam libertatem in agendo, introduxit etiam effrenem libertatem in dicendo, qualis fuit in antiqua Comœdia. Ex Doribus vero habitantibus extra Græciam, Comœdiæ inventionem sibi vindicant, qui sunt in Sicilia, ex quibus prodiit Epicharmus comicus antiquissimus, qui multo tempore fuit ante Chonnidem et Magnetem primos comicos Atheniensium. Tragœdiæ inventionem sibi vindicant ex Doribus quidam, qui incolunt Peloponnesum.

CAPUT II. — ART. I.

DE CAUSIS, ORIGINE ET INCREMENTIS POESEOS.

1. [4] Videntur autem genuisse in universum poeticam causæ duæ, atque ipsæ naturales. Nam imitari insitum hominibus a pueris est, et hac re differunt ipsi ab aliis animalibus, quod homo est animal maxime accommodatum ad imitandum. Et perceptiones faciunt primas per imitationem. Et gaudent omnes rebus imitatione expressis. Signum autem hujus rei est id quod contingit in operibus opificum; quæ enim ipsa moleste cernimus, horum imagines exactissime expressas dum spectamus, gaudemus, ut ferarum formas abjectissimarum et cadaverum. Ac signum hujus rei etiam est, quod discere non solum philosophis jucundissimum est, sed etiam aliis similiter, qui tamen parum ejus participes sunt; ob id enim gaudent cernentes imagines, quia contingit spectantes discere et ratiocinari quid unumquodque sit, ut hunc illum esse; quoniam nisi contigerit eum prius vidisse, non propter id quod imitatione expressum est, efficiet voluptatem, sed propter artificium aut colorem aut talem aliquam causam. Verum cum secundum naturam sit in nobis ipsum imitari et harmonia et numerus (nam metra particulas esse numerorum manifestum est), a principio, qui natura apti erant ad hæc ipsa maxime, paulatim

promoventes et genuerunt poesim ex iis quæ subito dicebantur.

Explicata Poesi in genere, ejusque differentiis, agit Aristoteles de ipsius causis, origine et incrementis. *Primo* igitur affert duas causas, propter quas homines natura duce impulsi sunt ad inchoandam Poesim, seu ad imitandum per sermones metricos; *secundo* explicat, quo pacto Poesis divisa sit in plures species; *tertio* demum explicat, quo pacto Comœdia ac Tragœdia, quæ exortum habuerunt ab Epopœia, paulatim incrementum ac perfectionem acceperint.

1. *Quoad primum* : Poesis ex dictis est *imitatio sermone metrico;* sed homines naturaliter sunt propensi tum ad imitandum, tum ad loquendum metrice : ergo istæ duæ propensiones fuerunt causæ, propter quas aliqui cœperunt imitari sermonibus metricis, adeoque inchoaverunt Poesim. Quod homines naturaliter sint propensi ad imitandum, probatur quatuor rationibus. *Prima ratio* est, quia quod est hominibus insitum a pueris, naturale est homini; sed hominibus a pueris insitum est studium imitandi, ut patet experientia : ergo, etc. *Secunda ratio* est, quia id, per quod homines differunt ab aliis animalibus, naturale est homini; sed homo differt ab aliis animalibus per hoc, quod est maxime aptus ad imitandum : ergo, etc. *Tertia ratio* est, quia id, per quod homo addiscit ea, quæ primo illi sunt addiscenda, naturale est homini; sed homo imitando addiscit loqui et alia hujusmodi, quæ primo illi sunt addiscenda; ergo, etc. *Quarta ratio* est, quia id, quo omnes delectantur, naturale est homini; sed omnes homines delectantur imitatione ac rebus imitatione expressis; ergo, etc. Minor probatur ex signo. Nam aliquando res ipsas, puta belluas abjectissimas et cadavera cum molestia aspicimus, earum vero imagines magno artificio elaboratas cum delectatione contemplamur; ergo signum est, quod imaginibus delectamur non propter res expressas, sed propter ipsam imitationem. Ratio autem a priori, cur omnes delectentur imitatione ac rebus imitatione expressis, est, quia addiscere jucundissimum est non solum philosophis, sed etiam aliis, qui, quia non vacant studiis sapientiæ, parum participes sunt addiscendi; sed cum cernimus imagines et imitationes rerum, addiscimus, atque ex similitudine, quam videmus in imagine cum re repræsentata, arguimus, quod hæc est imago illius; ergo, etc. Hinc sequitur, quod si quis cernens imaginem, non ratiocinetur, cujus imago sit, eo quod non viderit rem repræsentatam, nec de illa audiverit ita, ut habeat in animo impressam speciem illius, non delectatur imagine propter imitationem, sed solum propter artificium ac studium opificis, vel propter colorem aut aliud hujusmodi. Quod homines sint etiam naturaliter propensi ad loquendum metrice, probari potest; nam homines sunt naturaliter propensi ad rhythmum seu numerum, hoc est ad actiones habentes proportionem quorumdam numerorum, ideoque propensi sunt ad harmoniam, quia in ea datur proportio numerorum in sonis; ad saltationem seu choreas, in quibus datur proportio numerorum in motibus, etc.; sed etiam sermo metricus constituitur per rhythmum, seu per proportionem numerorum in vocibus; ergo homines sunt etiam naturaliter propensi ad sermonem metricum; ergo sicut Musica ortum habuit ex eo, quod aliqui naturaliter propensi ad harmoniam cœperunt modulari aliquas cantilenas; saltatoria ortum habuit ex eo, quod aliqui cœperunt saltare aliquas saltationes numerosas; sic Poesis ortum habuit ex eo, quod aliqui præ aliis facti ad imitandum, ex naturali propensione ad rhythmum cœperunt imitari sermonibus rhythmicis, effundentes extemporanee aliquos versus imitativos. Accedente deinde consuetudine, studio et arte, fuit promota et perfecta Poesis, proportionaliter ac promota et perfecta fuit Musica, saltatoria atque aliæ facultates imitativæ.

2. Divisa autem est secundum proprios mores poesis; nam grandiores honestas imitabantur actiones ac hujusmodi hominum, humiliores vero malorum, facientes primum vituperationes, quemadmodum alteri hymnos et encomia. Atque eorum quidem, qui ante Homerum fuerunt, nullius possumus nominare poema tale; verisimile autem est multos esse. At ab Homero exorsis licet, ut est illius Margites et talia. Quibus secundum id quod conveniebat, iambicum accessit metrum. Itaque et iambicum vocatur nunc, quod et in hoc metro convicia inter se exercebant; et fuerunt ex priscis alii quidem heroicorum, alii vero iamborum poetæ.

2. *Quoad secundum* : explicata origine Poeseos, explicandum est, quo pacto fuerit divisa in suas species. Ex hominibus aliqui naturaliter sunt graves ac severi,

adeoque propensi ad imitandum meliora, hoc est actiones honestas ac dignitatis plenas; alii e converso sunt minus graves ac naturaliter proni ad imitandum pejora et turpia. Inventa igitur Poesi, graviores imitari cœperunt meliora, et per hymnos atque encomia canere facta deorum, heroum atque illustrium virorum; minus vero graves cœperunt imitari deteriora, canendo psogos seu vituperationes hominum perditorum, adeoque Poesis divisa est in duas species, hoc est in imitationem meliorum et imitationem deteriorum, in quas species dividitur ratione rerum, quas imitatur. Ex poetis aliqui fuerunt ante Homerum, sed eorum nullum possumus poema proferre. Licet enim verisimile sit, illos multa poemata scripsisse, omnia perierunt. At si ab Homero incipiamus, possumus ex ipso afferre exempla poematum utriusque generis, hoc est tum eorum, in quibus imitatur meliora, qualia sunt Ilias et Odyssea; tum eorum, in quibus imitatur deteriora, qualis est Margites et alia nonnulla; ex quibus patet Homerum fuisse ingenii versatilis, atque a natura factum ad imitandum tum meliora tum deteriora. Licet Homerus etiam Margitem poema vituperatorium scripserit carmine hexametro, adhuc, quia inventum est vituperationi magis congruere carmen iambicum, poetæ post Homerum cœperunt vituperationes scribere carmine iambico, ideoque carmen vituperatorium etiam vocatur iambicum, quia prisci illi post Homerum iambis se mutuo proscindebant, atque omni contumelia afficiebant. Divisi sunt igitur prisci poetæ in heroicos et iambicos, quia laudes deorum et heroum canebant carmine hexametro, vituperationes vero canebant carmine iambico.

3. Quemadmodum autem et in gravibus maxime poeta fuit Homerus (solus enim fuit non solum quia bene, sed etiam quia imitationes dramatice fecit), sic et comœdiæ figuras primus submonstravit, non vituperationem sed ridiculum dramate complectens; nam Margites proportionem habet, ut Ilias et Odyssea ad tragœdias, sic et ipse ad comœdias.

4. Cum autem apparuisset tragœdia et comœdia, qui ad utramque poesim ferebantur secundum propriam naturam, partim quidem pro iambicis comici facti sunt, partim vero pro epicis tragici, quia majores et honoratiores figuræ essent hæ quam illæ. Ac considerare quidem utrum sufficienter se habeat jam tragœdia in formis ipsius necne, tum si res ipsa per se judicetur, tum ad theatra, alia ratio est.

3. *Quoad tertium* : explicandum jam est, quo pacto Tragœdia et Comœdia exortum habuerint ab Epopœia, et paulatim incrementum ac perfectionem acceperint. Homerus fuit maximus poetarum tum in imitatione meliorum et gravium, tum in imitatione deteriorum et levium. Porro in imitatione gravium fuit maximus, non solum quia solus imitatus est bene, sed etiam quia imitatus est dramatice, cum in Iliade et Odyssea inducat passim viros præstantes, agentes ac mutua colloquia miscentes, et per hoc adumbravit Tragœdiam, quæ est imitatio præstantium ut agentium et colloquentium. Proportionaliter in imitatione pejorum et levium ut in Margite, adumbravit Comœdiam, tum propter materiam, quam imitatus est, tum propter modum imitandi; propter materiam quidem, quia in Margite loco vituperandi, imitatus est ridicula, quæ sunt aptissima materia Comœdiæ; propter modum autem imitandi, quia imitatus est ridicula dramatice, hoc est sæpe inducens personas viles mutua colloquia miscentes. Eodem igitur pacto se habet Margites Homeri ad Comœdias, sicut Ilias et Odyssea se habent ad Tragœdias; siquidem et Comœdia quodammodo continetur in Margite, et Tragœdia quodammodo continetur in Iliade atque Odyssea, adeoque tum Comœdia, tum Tragœdia ortæ sunt ex Epopœia Homeri:

4. Postquam in poematibus Homeri apparuit tum Tragœdia, hoc est imitatio quodammodo dramatica meliorum, tum Comœdia, hoc est imitatio quodammodo dramatica deteriorum, poetæ minus graves, qui propensi erant ad imitandum pejora, loco scribendi iambos vituperatorios, ut ante faciebant, cœperunt scribere Comœdias ridiculas; poetæ vero graves loco scribendi epica, cœperunt scribere Tragœdias, eo quod visus est modus aptior ad imitandum dramaticus quam epicus. Paulatim deinde tum Comœdia tum Tragœdia incrementum acceperunt, donec pervenerunt ad hunc statum, in quo de facto sunt constitutæ. Quia vero non est hujus loci examinare, utrum Comœdia et Tragœdia sufficienter se habeant, atque ad debitam perfectionem pervenerint, tum secundum se consideratæ tum in ordine ad theatra, an potius aliquid ipsis earumque speciebus addi debeat, ideo hanc quæstionem in præsentia omittentes, subjungemus tantummodo, quo pacto tum Comœdia tum Tragœdia incre-

mentum paulatim acceperint, atque ad hanc perfectionem pervenerint.

5. Nata igitur est a principio ex tempore et ipsa et comœdia, et una quidem ab iis qui dithyrambum canebant, altera vero ab iis qui phallica, quæ propterea etiam nunc in multis civitatibus manent legibus constituta, paulatim aucta est, producentibus quantum ipsius factum est manifestum.

6. Et multas mutationes cum habuisset tragœdia, conquievit, quia consecuta est suam ipsius naturam. Ac histrionum multitudinem ex uno ad duos primus Æschylus produxit, et ea quæ ad chorum pertinent, minuit, et orationem primarum partium instituit; tres autem, et scenæ ornamentum, Sophocles. Præterea magnitudo ex parvis fabulis et locutione ridicula, propterea quod ex Satyrico mutata est, tarde granditatem habuit. Ac metrum ex tetrametro iambicum factum est. Nam primum tetrametro utebantur propterea quod Satyrica et magis saltatoria erat poesis. Locutione autem nata, ipsa natura proprium metrum invenit. Maxime vero sermoni accommodatum omnium metrorum iambicum est. Signumque hujus rei est, quod plurima iambica proferimus in collocutione, quam invicem habemus, hexametra vero raro, et exeuntes ex accommodata sermoni harmonia. Præterea vero episodiorum multitudines, et alia ut singula se habent, ornata esse dicuntur. Ac de his quidem tam multa a nobis dicta sint; plura enim fortasse dicenda essent, si singula essent explicanda.

5. Tum Tragœdia tum Comœdia primo exhibitæ sunt extemporario carmine. Aliqui enim extemporanee repræsentantes quiddam grave, primo exhibuerunt rudem quamdam tragœdiam; aliqui extemporanee repræsentantes quiddam leve et ridiculum, exhibuerunt rudem quamdam comœdiam. Tragœdia cum sic fuisset exorta, incrementum accepit ab iis, qui canebant dithyrambos, hoc est grave carmen in laudem Bacchi, fortasse quia cum dithyrambici carmini adderent harmoniam et saltationem, Tragœdia primum a dithyrambicis hæc accepit. Comœdia vero aucta est a phallicis, ab iis nimirum, qui canebant phallica; fortasse quia Comœdia a phallicis harmoniam et saltationem accepit. Erant autem phallica genus quoddam carminis vile in laudem deorum rusticorum, quod etiam tempore Aristotelis multis in civitatibus ex lege antiqua canebatur. Deinde Comœdia accepit alia incrementa, donec pervenit ad hunc statum, in quo modo videmus illam esse constitutam.

6. Tragœdia postquam a dithyrambicis accepit harmoniam et saltationem, plures mutationes sortita est, donec perducta fuit ad statum, quem modo habet, in quo conquievit, quia videtur id consecuta, quod ipsius naturæ est accommodatum. Et quidem cum ante Æschylum nunquam plures histriones simul prodirent in scænam, atque invicem colloquia miscerent, sed unicus tantum histrio loqueretur, vel per soliloquia vel respondente choro, qui repræsentabat multitudinem civium, Æschylus numerum histrionum auxit ac cœpit duos simul histriones colloquia invicem miscentes in scænam producere, partes vero chori minuit, transferens ad histriones multa, quæ antiquitus agebantur a choro; ac præterea instituit, ut unus aliquis ex histrionibus ageret primas partes Tragœdiæ. Post Æschylum Sophocles tres simul histriones invicem colloquentes cœpit in scænam producere, et scænæ ornatum atque apparatum auxit. Sicut vero Tragœdia aucta est quoad apparatum scænæ et quoad numerum histrionum, sic perfecta est in iis, quæ spectant ad fabulam, ad elocutionem, ad metrum et ad episodia. Fabulæ enim ex exilibus grandiores effectæ sunt; locutio, quæ erat ridicula, utpote ex satyrico dicendi genere desumpta, facta est gravior et honestior; metrum ex tetrametro mutatum est in iambicum. Ratio porro, cur antiqui in Tragœdiis uterentur tetrametris, ea est, quia cum primæ fabulæ fuerint satyricæ, prisca Tragœdia magna ex parte erat satyrica, adeoque habebat metrum accommodatum saltationibus satyrorum; sed versus tetrametri habent metrum accommodatum saltationibus; ergo non est mirum, quod prisca Tragœdia uteretur tetrametris. Postquam vero fabula et locutio facta est grandior, Tragœdia accepit metrum ejus naturæ accommodatum, et quia Tragœdiæ maxime accommodantur versus iambici, ideo Tragœdia accepit metrum iambicum. Quod vero iambi accommodentur Tragœdiæ, probatur, quia, cum Tragœdia imitetur sermonem familiarem, illud genus metri accommodatur maxime Tragœdiæ, quod est maxime simile familiari sermoni; sed senarii iambici sunt præ omnibus versibus similes sermoni familiari, ut patet ex signo. Nam in sermone familiari sæpe senarii iambi nobis imprudenter excidunt, hexametri vero admodum raro, ac tum oratio non habet harmoniam accommodatam sermoni familiari; ergo Tragœ-

diæ maxime accommodantur senarii iambici, ac multo magis quam versus hexametri. Demum Tragœdia etiam quoad multitudinem episodiorum ac quoad reliqua ornata fuit atque perfecta. Sed de his dicta sufficiant. Magnum enim opus laboremque susciperet, qui vellet singula accurate recensere.

7. [5] Comœdia vero est, ut dicebamus, imitatio pejorum. At non secundum omne vitium; sed turpitudinis est particula ridiculum. Etenim ridiculum est erratum quoddam, et turpitudo sine dolore, et non habens vim interimendi, ut statim ridicula facies turpis ac distorta sine dolore. Ac mutationes quidem tragœdiæ, et per quos factæ sint, non latent; comœdia vero, quia in ipsa a principio positum studium non est, latuit. Etenim chorum comœdorum sero magistratus dedit; sed illi voluntarii erant. Atque cum figuras quasdam jam ipsa nacta esset, pauci ipsius poetæ commemorantur. Quis autem personas assignaverit aut prologos aut multitudines histrionum et quæcumque talia, ignorantur. At fabulas facere Epicharmus et Phormis cœperunt Ac. ex Sicilia quidem a principio venit. Eorum vero qui Athenis orti sunt, Crates primus, cum iambicam formam abjecisset, cœpit in universum facere sermones vel fabulas.

7. Proportionali modo etiam Comœdia incrementum accepit. Comœdia licet ex dictis sit imitatio pejorum, non imitatur illos secundum quodlibet vitium, sed solum secundum illos defectus, qui movent ad risum et constituunt hominem ridiculum. Ridiculum est *defectus quidam ac turpitudo sine dolore, ac non habens vim interimendi*; ex gr. facies ridicula est, quæ est turpis ac distorta, sed ita, ut turpitudo neque dolorem neque interitum afferat ei, qui habet talem faciem. Quia vero primus Homerus in Margite cœpit imitari ridicula, hoc est turpia sine dolore, Comœdia orta est ex Margite Homeri, sicut Tragœdia orta est ex Iliade et Odyssea. Quo pacto et a quibus Tragœdia fuerit in melius mutata atque perfecta, memoriæ proditum fuit, quia Tragœdia statim ab initio recepta est et probata in civitatibus. At quia Comœdia sero admodum in civitatibus publico consilio probari cœpit, ut patet ex eo, quia sero chorum accepit a magistratibus, adeoque diu choro voluntario uti coacta est, ideo ad nostram memoriam non pervenit, a quibus aucta fuerit atque perfecta, atque in hanc formam, quam nunc habet, redacta. Pauci siquidem poetæ comici, quorum nomen et memoria ad nos pervenit, floruerunt, cum jam Comœdia formam accepisset, adeoque nescimus, quis personas assignaverit, prologos introduxerit, numerum histrionum simul colloquentium auxerit, ac reliqua. quæ ad Comœdiam spectant, constituerit. His jam pridem institutis, Epicharmus ac Phormis Siculi fabulas comicas scribere inceperunt, siquidem in antiquioribus comœdiis vix ullum fabulæ vestigium extabat, ideoque Comœdia ex Sicilia videtur in Græciam venisse. Athenis vero Crates primus, cum abjecisset formam illam iambicam Comœdiæ, quæ tota erat in vituperationibus atque conviciis, cœpit in universum struere sermones ac fabulas.

ART. II

IN QUO TRAGŒDIA CONVENIAT CUM EPOPŒIA, ET IN QUO AB EADEM DIFFERAT

8. Epopœia igitur tragœdiam usque ad solum hunc terminum consecuta est, quod sit cum sermone imitatio bonorum. In eo autem differunt, quod illa quidem metrum simplex habet, et enarratio est, præterea longa est; hæc vero quam maxime conatur sub uno solis ambitu esse aut paulisper variare, cum epopœia indefinita sit tempore. Atque in hoc differt, etiamsi primis temporibus id similiter faciebant, tum in tragœdiis tum in epicis.

9. Partes autem quædam eædem sunt, quædam propriæ tragœdiæ. Quare quicumque cognitionem habuerit tragœdiæ bonæ et malæ, habuerit etiam epicorum; quæ enim epopœia habet, insunt in tragœdia, quæ vero ipsa, non omnino in epopœia. [6] Ac de imitatione quidem quæ fit hexametro, et de comœdia posterius dicemus. De tragœdia vero dicamus, assumentes ipsius definitionem, quæ ex iis quæ dicta sunt nascitur, unde patet ipsius natura.

Distinctis speciebus Poeseos, descendit Aristoteles ad agendum de singulis speciebus in particulari; et quia primæ ac præstantissimæ species Poeseos sunt Tragœdia et Epopœia, de his primo disputaturus, præmittit, in quo conveniant ac differant.

8. Tragœdia et Epopœia conveniunt in hoc, quod utraque est imitatio præstantium et proborum sermone metrico; at differunt in tribus. *Primo* enim Epopœia utitur unico metro, seu unico carminum genere, nimirum solis hexametris; Tragœdia vero utitur multiplici metro et pluribus carminum generibus. *Secundo*, Epopœia est narratio; nam in ea poeta ali-

quid narrat; Tragœdia non est enarratio sed actio; nam poeta non narrat, sed introducit personas agentes et colloquentes. *Tertio* differunt longitudine. Epopœia enim non est definita intra certum tempus, sed potest narrare ea, quæ plurium annorum spatio fuerunt gesta; Tragœdia e converso debet eniti, ut repræsentet, quæ intra unam diem naturalem, seu intra viginti quatuor horas vel non multo plures potuerunt fieri. Licet enim antiquitus non clauderent Tragœdias ullis spatiis temporis, sed liberas ac solutas illas relinquerent, non minus quam Epopœias, tamen merito id postea improbatum et correctum fuit.

9. Sicut Tragœdia et Epopœia consideratæ secundum totum, partim conveniunt, partim differunt, ita quoad partes partim conveniunt, partim differunt. Ex partibus igitur aliquæ sunt communes Tragœdiæ et Epopœiæ, aliquæ sunt propriæ Tragœdiæ. Quia vero nihil pæne habet Epopœia, quod non conveniat Tragœdiæ, at quædam habet Tragœdia, quæ non conveniunt Epopœiæ, ideo qui scit, qualisnam tragœdia bene vel male se habeat, scit etiam, qualisnam epopœia bene vel male se habeat, non e converso; ideoque accuratissime agendum est de Tragœdia, utpote in qua vel omnino vel magna ex parte continetur Epopœia. Acturi igitur inferius de Epopœia ac de Comœdia, de Tragœdia nunc disputamus, ac primo ex iis, quæ diximus, Tragœdiæ definitionem colligemus.

CAPUT III.

PROPONITUR DEFINITIO TRAGŒDIÆ.

1. [3] Est igitur tragœdia imitatio actionis probæ et perfectæ, magnitudinem habentis, suavi sermone, separatim singulis formis in partibus agentibus, et non per enarrationem, sed per misericordiam et metum inducens talium perturbationum purgationem. Jam dico suavem sermonem habentem numerum et harmoniam et melodiam. Illud autem « separatim formis » propterea quod quædam solum efficiuntur per metra, et rursus alia per melodiam.

1. Tragœdia definiri potest : *imitatio actionis seriæ et perfectæ, magnitudinem habentis, sermone condito, seorsim singulis imitandi speciebus in variis partibus utens, non per enarrationem, sed per misericordiam et metum tales passiones purgans.* Hæc definitio explicat primo genus Tragœdiæ, quod est imitatio; secundo explicat differentiam Tragœdiæ, quæ desumitur ex tribus, nimirum ex eo, quod imitatur, ex instrumentis, per quæ imitatur, et ex modo imitandi. Id, quod Tragœdia imitatur, est actio seria, non ridicula, qualem imitatur Comœdia; est actio perfecta et ad exitum perducta, non inchoata tantum; est actio habens magnitudinem definitam, quæque intra unum diem possit contineri, non autem habens magnitudinem talem, ut non potuerit nisi pluribus annis peragi, qualis est actio, quam imitatur Epopœia. Demum est actio, quæ per imitationem ob oculos posita possit excitare in spectatoribus timorem et miserationem, adeoque tales passiones paulatim purgare et ad mediocritatem reducere; et quia non potest id præstare, nisi includat plura terribilia et miserabilia, debet esse actio includens plura terribilia ac miserabilia. Instrumenta, per quæ Tragœdia imitatur, explicat Aristoteles per particulas *sermone condito*. Sicut enim cibus conditur, cum redditur suavis condimentis extrinsecus adjacentibus, sic sermo, quo Tragœdia utitur ad imitandum, debet reddi suavis tribus veluti condimentis extrinsecis, nimirum rhythmo seu saltatione, harmonia seu sono, et melodia seu cantu, quæ tria condimenta deinceps Aristoteles significat unico nomine melopœiæ. Addit illas particulas : *seorsim singulis imitandi speciebus in variis partibus utens*, quia Tragœdia licet imitetur sermone, saltatione, sono et cantu, non imitatur simul his omnibus, sicut Dithyrambica, sed iis imitatur seorsim; aliquando enim imitatur solo sermone, aliquando saltatione, etc. Modum, quo Tragœdia imitatur, explicat Aristoteles per illas particulas : *et non per enarrationem*. Licet etiam Epopœia possit imitari actionem seriam, perfectam, terribilem ac miserabilem, adeoque excitando timorem et miserationem, adhuc differt a Tragœdia ex modo imitandi; nam Epopœia imitatur narrative, Tragœdia imitatur dramatice. Per ultimas particulas explicat Aristoteles finem et utilitatem Tragœdiæ, qui est, ut excitando miserationem et metum, tales passiones purget et ad mediocritatem perducat. Sicut enim Medicina aliquando per pharmaca humores commovendo turbat corpus, ut illud purget et humores ad mediocritatem perducat; — sic Tragœdia

excitando passiones timoris et miserationis, turbat animum, ut eum purget, ac tales passiones ad mediocritatem perducat. Si vero quæratur, quo pacto Tragœdia timorem et miserationem perducat ad mediocritatem, dicendum, quod experientia constat, quod, qui non sunt assueti videre terribilia et miserabilia, cum primo illa vident, nimis timent, nimisque miserentur; qui vero sunt assueti, timent ac miserentur mediocriter et ut oportet; sed homines spectando tragœdias assuescunt quodammodo videre terribilia et miserabilia; ergo assuescunt timere et misereri mediocriter et ut oportet, adeoque Tragœdia, dum movet spectatores ad timorem et miserationem, non reddit illos timidos et molles, ut docuit Plato, qui ex hac ratione poetas tragicos a sua republica jussit abire, sed timorem et miserationem purgans, assuefacit illos ad timendum et miserendum mediocriter et prout oportet.

CAPUT IV. — ART. I.

OSTENDITUR, PARTES TRAGŒDIÆ ESSE SEX, NIMIRUM ORNATUM SIVE APPARATUM SCÆNICUM, MELOPŒIAM, DICTIONEM, MORES, SENTENTIAM ET FABULAM.

1. Quoniam autem agentes faciunt imitationem, primum quidem ex necessitate erit aliqua pars tragœdiæ apparatus, deinde melopœia et dictio; in his enim faciunt imitationem. Ac dico dictionem ipsam metrorum compositionem, melopœiam vero id ipsum, quod manifestam omnibus vim habet. Et quoniam actionis est imitatio, atque agitur a quibusdam agentibus, quos necesse est cujusdam modi esse et secundum mores et sententiam (nam propter hæc etiam actiones dicimus esse cujusdam modi), naturaliter sunt duæ causæ actionum, sententia et mores. Et secundum has tum fortunati tum infortunati sunt omnes. Est autem actionis quidem fabula imitatio; dico enim fabulam hanc rerum compositionem, mores vero secundum quos cujusdam modi esse dicimus agentes, at sententiam ea omnia, in quibus dicentes demonstrant aliquid vel etiam enuntiant mentem.

2. Necesse igitur est, omnis tragœdiæ partes esse sex, secundum quas cujusdammodi est tragœdia; atque hæ sunt fabula, mores et dictio et sententia et apparatus et melopœia.

3. Quibus enim imitantur, duæ partes sunt; quomodo imitantur, una; quas imitantur, tres.

4. Etenim apparatus habet omne et mores et fabulam et dictionem et melos et sententiam similiter.

1. Ex allata definitione infert Aristoteles, quot et quæ sint partes Tragœdiæ. *Primo* igitur, quia Tragœdia imitatur non narrando, sed ob oculos ponendo personas agentes; ut autem ob oculos ponat agentes, requiruntur indumenta quædam apta et totus apparatus, sive ornatus scænicus; — ideo aliqua Tragœdiæ pars est apparatus et ornatus scænicus, qui ad aspectum spectat. *Secundo*, quia Tragœdia ad imitandum non solum utitur sermonibus metricis, sed etiam melopœia, quæ complectitur rhythmum seu saltationem, harmoniam seu sonum et melos seu cantum; — ideo secunda et tertia pars Tragœdiæ sunt melopœia, cujus vis est manifesta, et dictio seu sermo metricus. *Tertio*, Tragœdia est imitatio ejusdem actionis factæ a quibusdam agentibus; sed agentes debent esse quales, constituuntur autem quales per mores, per quos sunt boni vel mali, et per animi sensus, per quos sunt recte vel non recte sentientes, sicut etiam actiones dicuntur quales, hoc est bonæ vel malæ, in quantum procedunt a moribus bonis aut malis, et a sensibus animi rectis vel non rectis, quæ duo, mores nimirum et sensus animi sunt præcipuæ causæ actionum, per quas actiones homines evadunt felices vel infelices; ergo Tragœdia debet etiam exprimere mores agentium et sensus animi; sed imitatio actionis est fabula, siquidem fabulæ nomine intelligimus constitutionem rerum gerendarum; expressionem morum, per quos agentes se ostendunt bonos vel malos, vocamus mores; expressionem, per quam agentes patefaciunt sui animi sensus, vocamus sententiam; ergo etiam mores, sententia et fabula sunt partes Tragœdiæ; ergo universim partes Tragœdiæ sunt sex : fabula nimirum, mores, sententia, dictio, melopœia et ornatus scænicus ad aspectum spectans.

2. Addit Aristoteles primo, quod hæ sunt partes qualitatis, non autem quantitatis. Ratio est, quia partes quantitatis dicuntur, quæ ita sunt separatæ, ut una ponatur post aliam : partes vero qualitatis sunt, quæ sunt simul; sed partes enumeratæ sunt simul; ergo, etc. Posset opponi, quod melopœia et dictio non sunt simul; ergo, etc. Dicendum, quod quia etiam melopœia ac dictio sunt simul cum aliis quatuor partibus, ideo sunt partes non quantitatis, sed qualitatis.

3. Addit secundo, quod ex his partibus

duæ spectant ad instrumenta, quibus Tragœdia imitatur, una ad modum, quo imitatur, tres ad res, quas imitatur. Ad instrumenta, quibus imitatur, spectant dictio et melopœia. Ad modum imitandi spectat apparatus. Quia enim imitatur non narrando, sed agendo et ob oculos ponendo, utitur apparatu scænico. Demum ad res, quas imitatur, spectant mores, sententia et fabula.

4. Addit tertio, quod non pauci ex poetis tragicis faciunt Tragœdias habentes omnes dictas partes; utuntur enim apparatu scænico ponente rem ob oculos; utuntur dictione et melopœia; et præterea per fabulam imitantur aliquam actionem, exprimendo aliqualiter mores et animi sensus, licet aliqui melius, aliqui minus bene, ideoque aliquæ tragœdiæ sunt magis, aliæ minus moratæ.

ART. II.

QUÆNAM SIT PRIMA ET PRÆCIPUA PARS TRAGŒDIÆ, QUÆ SECUNDA, QUÆ TERTIA, ETC.

5. Maximum vero horum est rerum compositio. Tragœdia enim imitatio est non hominum sed actionum et vitæ et felicitatis et infelicitatis. Etenim felicitas in actione est, et finis actio quædam est, non qualitas. Ac sunt quidem secundum mores cujusdam modi, at secundum actiones felices vel contra. Non igitur agunt, ut imitentur mores, sed propter actiones mores complectuntur.

6. Quare res et fabula finis est tragœdiæ, ac finis maximum omnium est. Nam sine actione non fieret tragœdia, at sine moribus fieret. Recentium enim plurimorum tragœdiæ sine moribus sunt; et omnino poetæ multi tales, sicut et ex pictoribus Zeuxis ad Polygnotum se habet; nam Polygnotus bonus morum descriptor, at Zeuxidis pictura prorsus caret moribus. Præterea si quis ordine posuerit collocutiones moratas et dictiones et sententias benefactas, non efficiet quod est tragœdiæ opus; sed multo magis efficiet tragœdia, quæ his quidem deterioribus usa sit, at habeat fabulam et compositionem rerum bene factam.

7. Ad hæc maximæ res, quibus capit animos tragœdia, sunt fabulæ partes, nempe peripetiæ et agnitiones.

8. Præterea signum est, quod et qui conantur rem poeticam agere, prius possunt dictione et moribus res exquisite tractare quam res componere, ut primi poetæ ferme omnes.

9. Ac principium quidem et tanquam animus tragœdiæ fabula est.

Enumeratis sex partibus Tragœdiæ, comparat illas Aristoteles inter se et examinat, quænam sit prima et præcipua, quæ secunda, quæ tertia, etc.

5. Dicendum : *Prima* et præcipua *Tragœdiæ pars* est *fabula* seu constitutio rerum gerendarum. Probatur pluribus rationibus. *Prima ratio* est : illa est præcipua pars Tragœdiæ, quæ est finis ipsius, et ad quam ordinantur reliquæ partes, siquidem finis est præcipuum in rebus; sed finis Tragœdiæ est fabula, atque ad ipsam ordinantur mores ac reliquæ partes Tragœdiæ; ergo, etc. — Probatur minor. Nam finis Tragœdiæ est, ut imitetur non homines, exprimendo quales sint, sed actiones et vitam hominum, licet debeat deinde hominibus affingere mores consentaneos actionibus ac vitæ ipsorum; sed fabula est imitatio actionis ac vitæ; ergo fabula est finis Tragœdiæ, morum autem expressio ordinatur ad fabulam tanquam ad finem. Probatur et explicatur. Nam finis Tragœdiæ est, ut imitetur hominum vitam felicem vel infelicem; sed licet homines per mores constituantur quales, puta boni vel mali, adhuc non per mores, sed per actiones jucundas vel injucundas constituuntur felices vel infelices; sunt enim felices, cum agunt et vivunt ut volunt; sunt infelices, cum agunt et vivunt non ut volunt, adeoque finis est agere ac vivere ut volumus; ergo finis Tragœdiæ est, ut imitetur non mores sed actiones, ideoque imitationem morum ordinat ad imitationem actionum ac vitæ, non autem imitationem vitæ ad imitationem morum; ergo fabula, quæ est imitatio actionis ac vitæ, est finis Tragœdiæ, ac proinde potissima pars ipsius.

6. *Secunda ratio* est, quia illa pars, sine qua Tragœdia non potest existere, est principalior, quam illa, sine qua Tragœdia potest existere; sed sine fabula, hoc est sine constitutione actionum ac rerum gerendarum, Tragœdia nullo pacto potest existere, at potest existere sine moribus. Nam plures tragœdiæ recentiorum non sunt moratæ et tamen sunt tragœdiæ; ergo, etc. Addit Aristoteles, quod sicut ex pictoribus aliqui sunt morati, qualis fuit Polygnotus, qui optime exprimebat mores, alii non sunt morati, qualis fuit Zeuxis, qui pingebat imagines non moratas; — sic ex poetis aliqui sunt morati, multi non sunt morati. Confirmatur argumentum, quia si quis ordinet quosdam sermones moratos, et quasdam sententias probe confectas, et quasdam di-

ctiones tragicas, quæ nullam contineant fabulam, faciet opus habens tres partes Tragœdiæ, nimirum mores, sententiam et dictionem tragicam, et tamen hoc opus non erit Tragœdia; e converso si quis fabulam concinnet dictione non tragica, neque morata, ac sententiis bene confectis carente, magis faciet Tragœdiam; ergo in Tragœdia potior pars est fabula, quam dictio, sententia et mores.

7. *Tertia ratio* est: præcipuum in Tragœdia est, quod maxime capit animos hominum; sed fabula per peripetias et agnitiones, quæ partes fabulæ sunt, maxime capit animos hominum: ergo fabula est præcipua in Tragœdia.

8. *Quarta ratio* desumitur a posteriori ex signo. Videmus enim, quod qui operam dant scribendis Tragœdiis, prius acquirunt facultatem res explicandi dictione tragica, morata atque aptis sententiis referta, quam fabulas apte concinnandi, quod etiam antiquis poetis contigit; ergo signum est fabulæ constitutionem esse præcipuum ac maximum in Tragœdia.

9. Ex his concluditur, fabulam esse principium ac veluti animam Tragœdiæ. Ratio, cur fabula sit principium Tragœdiæ, est, quia principium Tragoediæ est illa pars, quam poeta debet primo statuere, ut illi deinde accommodet cæteras partes; sed poeta debet primo concinnare fabulam, ut ipsi deinde accommodet cæteras partes Tragœdiæ; ergo, etc. Ratio, cur fabula sit veluti anima Tragœdiæ, est, quia sicut anima regit ac sustinet corpus, sic fabula regit ac sustinet cæteras partes, ex quibus conflatur quoddam veluti corpus Tragœdiæ.

10. Secundum autem mores. Assimile enim est in pictura; nam si quis illineret pulcherrimis coloribus fusim, non similiter delectaret ac si quis albo describeret imaginem. Est autem imitatio actionis, et per hanc maxime agentium.

11. Tertium vero sententia. Id autem est dicere posse insita et convenientia, quod in orationibus politicæ et rhetoricæ opus est; nam prisci politice introducebant dicentes, qui vero nunc sunt, rhetorice. Jam mores sunt tale quiddam, quod aperit præelectionem, qualis sit in illis in quibus non est manifestum utrum, dicens eligat aut fugiat. Sententia vero est in illis in quibus demonstrant, aliquid aut esse aut non esse, aut enuntiant aliquid in universum.

12. Quartum est sermonum dictio. Ac voco, quemadmodum prius dictum est, dictionem per verba interpretationem, quod et in metris et in orationibus eamdem vim habet. Reliquarum vero quinque

13 * melopoeia est maxime condimentorum.

14. Et apparatus allicit quidem animos, sed maxime est artis expers et minime proprius poeticæ; nam tragœdiæ vis et sine certamine et histrionibus est. Præterea vero potentior est circa fabricam apparatuum ars illius qui scenam conficit quam ars poetarum.

10. *Secunda pars Tragœdiæ* sunt *mores.* Ratio est, quia sicut Pictura primo debet delineare figuram et imaginem corporis, deinde debet coloribus additis illam imaginem reddere qualem; sic Tragœdia primo per fabulam debet actionem exprimere ac delineare, deinde per mores debet illam actionem reddere moratam et qualem, puta bonam vel malam; ergo sicut qui nullam exprimens imaginem, pulcherrimis coloribus tabulam illineret, minus delectaret contemplantem, quam qui albo tantum, hoc est claro et obscuro, ut aiunt, imaginem exprimeret sine aliis coloribus; — sic qui per fabulam exprimit actionem sine moribus, magis delectat, quam qui exprimit mores sine fabula.

11. *Tertia pars Tragœdiæ* est *sententia.* Facultas sententias concinnandi nihil est aliud, *quam vis quædam apte dicendi ea, quæ rebus, de quibus agitunr, insunt et congruut,* quæ vis est propria Politicæ, ac Rhetoricæ. Est propria Politicæ, quia qui in civilibus sunt versati, propter experientiam habent facultatem judicandi atque enuntiandi de rebus gerendis; est etiam propria Rhetoricæ, quia Rhetorica est ars dicendi apte de rebus, præsertim gerendis. Hinc ortum est, ut ex poetis tragicis quidam inducant dicentes politice, quidam inducant dicentes rhetorice. Apud priscos tragicos de rebus enuntiabant civiliter, ac tanquam experti. Apud tragicos nostri temporis enuntiant rethorice, hoc est non tanquam experti, sed tanquam habentes facultatem ex communibus sententias quasdam de unaquaque re proferendi. Ex dictis de moribus ac sententia, patere potest discrimen inter mores atque sententiam. Mores, a quibus oratio dicitur morata, consistunt in hoc, *quod quis ita loquatur, ut ex ejus oratione judicetur, quam quis habeat electionem vitæ, et quid habitualiter persequatur ac fugiat, cum alioquin, nisi talem haberet orationem, deprehendi non posset, quid ille persequatur ac fugiat.* Ex. gr. ut oratio avari sit morata, debet esse talis, ut ex ea

deprehendatur loquentem esse valde cupidum pecuniarum, ac totam pæne suam vitam ad pecunias congerendas referre, idemque dic de aliis. Ex quo apparet, orationes, ex quibus deprehendi nequit, quam quis habeat electionem vitæ, quid persequatur aut fugiat, non esse moratas. Sententia est, *per quam quis significat aliquid ita vel ita se habere, vel universaliter de rebus enuntiat, adeoque sui animi sensus aperit.*

12. *Quarta pars Tragœdiæ* est *dictio.* Dictio, ut supra etiam est indicatum, consistit in eo, *ut loquens per verba animum ac mentem interpretetur.* Eamdem autem habet vim mentem interpretandi oratio soluta ac numeris vincta, qua utuntur poetæ.

13. Sequuntur aliæ duæ partes orationi extrinsecæ, melopœia nimirum et apparatus scenicus. Quintum igitur locum tenet *melopœia,* quæ est maximum condimentorum. Dicitur autem condimentum, quia sicut condimenta extrinsecus adduntur cibis, ut illos reddant suaviores, sic in Tragœdia melopœia debet extrinsecus addi orationi, ut illam efficiat delectabiliorem.

14. Ultimum locum tenet *apparatus scenicus* ad visum spectans, qui licet habeat magnam vim alliciendi animos ac res ob oculos ponendi, adhuc parum habet artis, et si quid continet artis, illa non est propria poetæ; siquidem artificium poeticum totum manet ablato apparatu scenico, imo etiam ablatis histrionibus, qui Tragœdiam certatim exhibeant. Præterquam quod in apparatu scenico magis elucet ars opificis, qui scenam aliaque instrumenta construxit, quam ars poetæ, qui Tragœdiam scripsit.

CAPUT V.

DE CONDITIONIBUS FABULÆ, AC PRIMO DE ORDINE, PER QUEM FABULA CONSTITUITUR PERFECTA ET TOTA, AC DE EJUSDEM MAGNITUDINE.

1. [7] Explicatis autem his, dicamus deinceps, qualem esse oporteat rerum compositionem, quoniam jam hoc et primum et maximum tragœdiæ est.

2. Positum autem est a nobis, perfectæ atque totius actionis esse imitationem, habentis aliquam magnitudinem.

3. Siquidem et totum est carens magnitudine (1).

4. Totum autem est habens principium et medium et finem. Ac principium est, quod ipsum ex necessitate post aliud non est, post illud vero aliud naturaliter est aut fit. Finis contrarium, quod ipsum post aliud naturaliter, est aut ex necessitate aut plerumque, post hoc autem aliud nihil. Medium, quod et ipsum post aliud est et post illud aliud. Oportet igitur bene compositas fabulas neque unde libet incipere, neque ubi libet finire, sed uti dictis formis.

(1) Hæc « quæ in textu græco leguntur » in hac versione exciderunt.

1. Assignatis partibus Tragœdiæ, debemus agere in particulari de iis partibus, circa quas versatur artificium poeticum in scribendis Tragœdiis; sed artificium poeticum versatur in constitutione fabulæ, in moribus, in sententia et in dictione, non autem in melopœia et in apparatu scenico, quippe quæ ex aliis artibus Tragœdiæ accedunt; ergo omissa tractatione de melopœia ac de apparatu scenico, debemus agere in particulari de constitutione fabulæ, de moribus, de sententia ac de dictione; sed prima et potissima Tragœdiæ pars est fabula; ergo primo et accuratissime debemus agere de fabulis.

2. Ad hoc, ut fabula recte se habeat, videntur requiri *octo conditiones. Prima* est, ut sit perfecta et tota; *secunda,* ut habeat convenientem magnitudinem; *tertia,* ut sit una; *quarta,* ut sit possibilis seu verisimilis; *quinta,* ut non sit episodica seu referta digressionibus inutilibus; *sexta,* ut sit admirabilis; *septima,* ut sit implexa; *octava* demum, ut sit miserabilis. De his conditionibus singillatim est agendum, ostendendo etiam, quo pacto ex definitione Tragœdiæ allata cap. III. sequatur, has conditiones ad fabulam tragicam requiri.

3. *Primo* igitur ad fabulam tragicam requiritur, ut sit perfecta et tota; *secundo,* ut habeat convenientem magnitudinem. — Ratio est, quia ut patet ex definitione, Tragœdia est imitatio actionis perfectæ et magnitudinem habentis; sed actio, quæ non est tota, eo ipso non est perfecta; ergo actio, quam Tragœdia imitatur, debet esse tota; sed potest aliquod totum non habere magnitudinem convenientem; ergo ad actionem tragicam requiritur etiam, ut habeat magnitudinem convenientem; sed actionem illam, quam Tragœdia repræsentat, vocamus fabulam; ergo fabula tragica debet esse tota, ac debet habere convenientem magnitudinem.

4. Sed explicandum est, quid requiratur ad hoc, ut fabula sive actio tragica sit tota, et ad hoc, ut habeat convenientem

magnitudinem. Compositum totum est, *quod habet principium, medium et finem.* Principium est, *quod ex necessitate non est post aliud, cætera vero post ipsum nata sunt esse, aut fieri.* Finis est id, *quod opponitur principio, ita ut ipsum quidem necessario vel plerumque debeat esse post aliud, at nihil debeat poni post ipsum.* Medium est, *quod et ipsum debet poni post aliud, et aliud quid debet poni post ipsum.* Ut igitur fabula sit tota, non debet incipere temere, et unde sors tulit, neque debet, ubicumque contingit, desinere, sed debet constare ex partibus ita ordinatis, ut aliqua habeat rationem principii, adeoque sit talis, ut ipsa non debeat poni post aliam, sed aliæ post ipsam; aliqua habeat rationem finis, ita ut ipsa debeat poni post alias, at post ipsam non debeat poni alia pars; aliæ sint mediæ, ita ut ipsæ debeant poni post priores, vel post primam, post ipsas vero pebeant poni posteriores vel ultima.

5. Præterea vero, quoniam pulchrum et animal et omnem rem, quæ ex quibusdam composita est, non solum hæc ordinata habere oportet, verum etiam esse magnam, sed non quomodolibet; nam pulchrum in magnitudine et ordine consistit; unde neque omnino parvum animal esse potest pulchrum (confunditur enim spectatio, quæ prope insensibili tempore fiat) neque omnino magnum (non enim simul spectatio fit, sed perit spectantibus unum et totum ex spectatione, ut si decem millium stadiorum sit animal), propterea oportet, quemadmodum in corporibus et in animalibus inesse quidem magnitudinem, sed eam quæ facile conspici possit, sic et in fabulis inveniri quidem longitudinem, sed eam quæ facile retineri memoria possit.

6. Longitudinis autem terminus ad contentiones et sensum non artis est; si enim termino opus esset causa tragœdias recitandi, ad clepsydras contenderent, quemadmodum quondam et aliis temporibus factum esse affirmant. Terminus autem rei secundum ipsam naturam semper quidem, qui major est, quatenus simul patet, pulchrior est secundum magnitudinem. Verum ut simpliciter re definita dicam, in quanta magnitudine secundum verisimile et necessarium deinceps nascentibus rebus contingit in prosperam fortunam ex adversa aut ex prospera in adversam mutari, sufficiens terminus est magnitudinis.

5. Verum ad hoc, ut animal et universim compositum quodcunque sit pulchrum, non sufficit, quod sit totum seu quod habeat partes ita ordinatas, ut in eo detur principium, medium et finis, sed requiritur præterea, ut habeat magnitudinem convenientem, adeoque pulchritudo compositi consistit in duobus, nimirum in ordine partium et in magnitudine conveniente. Ex defectu magnitudinis oritur, ut neque animalia nimis pusilla neque nimis magna sint pulchra. Ratio est, quia pulchrum est, cujus aspectus est delectabilis; sed aspectus rerum valde pusillarum et valde magnarum non est delectabilis; ergo, etc. — Probatur minor; quia delectatio visus resultat ex eo, quod, cum res tota sub aspectum cadat, debito spatio temporis percurrimus ac distinguimus partes, earumque ordinem advertimus; sed cum res est nimis parva, ita cadit sub aspectum, ut insensibili tempore percurramus omnes partes, adeoque illas confundamus, nec satis ordinem, quem habent, possimus advertere; cum autem res est nimis magna, non potest sub unum aspectum cadere, eo pacto, quo animal decem mille stadiorum non posset unico intuitu cerni; ergo aspectus rerum nimis pusillarum ac nimis magnarum non est delectabilis. Sicut igitur corpora animalium et aliarum rerum debent quidem esse magna, sed ita, ut facile possint circumspici; sic fabula tragica debet esse longa, sed ita, ut facile possit memoria teneri.

6. Si vero quæratur, ut adhuc magis explicetur, quanta debeat esse longitudo fabulæ, dicendum, quod vel quærimus de longitudine, quæ convenit fabulæ ex natura rei, vel de longitudine, quæ convenit fabulæ propter extrinsecas circumstantias. Longitudo, quæ convenit fabulæ propter extrinsecas circumstantias, non potest cadere sub præcepta artis. Si enim Tragœdiæ fiant in ordine ad hoc, ut per eas histriones decertent in theatro, adeoque debeant una die exhibere centum tragœdias, deberent fieri ad clepsydram, ut aliquando narratur esse factum, ita ut eo temporis spatio durarent, quod fuisset a certantibus et a spectantibus constitutum. Si vero loquamur de longitudine, quæ convenit fabulæ ex natura rei, *primo* illud in universum dici potest, quod fabula, quo est major, eo est pulchrior, dummodo possit facile memoria retineri. *Secundo* dicimus, quod tum unaquæque fabula habet convenientem magnitudinem, cum tanto durat spatio temporis, quanto verisimiliter possit fieri illa ingens immutatio ex prospera fortuna in adversam, vel ex adversa in prosperam, servato necessario

vel verisimili ordine rerum, per quem una res sequitur ex alia et post aliam.

CAPUT VI.

DE UNITATE FABULÆ.

1. [8] Fabula autem est una,

2 * non ut aliqui putant, si circa unum sit; multa enim et infinita genere contingunt, ex quibus nonnullis nihil est unum, sed et actiones unius multæ sunt, ex quibus nulla actio est una.

3. Quare omnes videntur peccare, quicumque ex poetis Herculeidem, Theseidem et talia poemata fecerunt; putant enim, quoniam unus erat Hercules, unam etiam fabulam convenire. At Homerus ut et in aliis excellit, sic etiam hoc videtur pulchre vidisse, sive propter artem sive propter naturam. Odysseam enim faciens non descripsit omnia quæcumque ipsi contigerunt, ut eum accepisse vulnus in Parnasso, et simulasse insaniam in coitione exercitus, ex quibus non erat necessarium, altero facto, alterum factum esse; sed circa unam actionem, qualem dicimus esse Odysseam, invasit. Similiter et Iliadem. Oportet igitur, ut in aliis imitatricibus una imitatio unius est, sic et fabulam, quoniam actionis imitatio est, et unius esse et hujus totius, et partes constare rerum sic, ut transposita aliqua aut ablata diversum reddatur et moveatur totum; quod enim cum adest aut non adest, nihil facit quod appareat, id ne pars quidem est.

1. *Tertia conditio* fabulæ est, ut sit una. Ratio est, quia in definitione dictum est, quod Tragœdia est imitatio actionis in numero singulari, non autem actionum in numero plurali; ergo fabula sive actio repræsentata debet esse una.

2. Aliqui existimant ad unitatem fabulæ sufficere, ut versetur circa unum hominem. Rejicit Aristoteles hanc sententiam. Cum enim fabula sit actio repræsentata, ut fabula sit una, actio repræsentata debet esse una; sed uni et eidem homini multa, imo infinita genera aliquando eveniunt, quæ sunt ita disparata, ut ex iis non fiat unum; multæ etiam actiones ejusdem hominis sæpe sunt ita disjunctæ, ut non coalescant in unam actionem; ergo ad unitatem fabulæ non sufficit, ut versetur circa unum hominem.

3. Hinc infertur peccasse contra unitatem fabulæ omnes poetas, qui scripserunt Herculeida, Theseida ac similia poemata, in quibus persecuti sunt actiones unius hominis, puta Herculis, aut Thesei, falso putantes, Herculeida ex. gr., esse unam fabulam, quia Hercules, cujus actiones describuntur, fuit unus. Homerus e converso, sicut in cæteris excelluit, sic vel propter artem vel propter naturam, vidit ad unitatem fabulæ non sufficere, ut complectatur, quæ uni homini contigerunt, sed requiri, ut repræsentet unam actionem. Ideo in Odyssea non cecinit omnia, quæ Ulyssi contigerunt, puta quo pacto vulneratus fuerit in Parnasso; quo pacto simulaverit se insanum, cum Græci, conspiratione facta, in unum exercitum contra Trojanos coirent, quæ ita sunt disparata, ut unum ex altero neque necessario neque verisimiliter sequi debeat, sed unam actionem Ulyssis est persecutus; ac similiter in Iliade non narravit omnia, quæ ad Achillem spectant, sed unam ejus actionem. Sicut igitur in aliis artibus imitativis ad hoc, ut imitatio sit una, requiritur, ut sit imitatio unius, sic in Tragœdia, ut fabula, quæ est imitatio actionis, sit una, debet esse imitatio actionis unius, perfectæ atque totius, adeoque partes talis actionis debent esse ita ordinatæ, ut una ablata vel mutata, auferatur et mutetur totum. Quod enim ita se habet in fabula, ut sive ponatur sive auferatur, nihil influat ad cætera, proprie non est fabulæ pars.

CAPUT VII.

DE POSSIBILITATE SEU VERISIMILITUDINE FABULÆ.

1. [9] Manifestum autem est ex iis quæ dicta sunt, non esse poetæ munus, facta dicere, sed qualia fieri debent et qua fieri possunt, secundum verisimile vel necessarium. Nam historicus et poeta non eo quod aut cum metro dicant aut sine metro, inter se differunt; liceret enim, quæ Herodoti, in metris ponere, et nihilominus esset historia quædam cum metro quam sine metris. Sed in hoc est differentia, quod unus quidem facta dicit, alter vero qualia fieri debent.

1. *Quarta conditio* fabulæ est, ut sit possibilis seu verisimilis. Ratio est, quia Poesis non est narratio rei factæ, sed imitatio actionis, quæ fieri potuisset; ergo munus poetæ est non quidem narrare, quæ acciderunt, sed ea referre, quæ potuissent accidere, et quæ necessario vel verisimiliter evenissent; sed quod a poeta narratur, est fabula; ergo fabula debet esse possibilis ac verisimilis.—Confirmatur, quia poeta non differt ab historico solum

per hoc, quod poeta res narrat oratione numeris vincta; historicus narrat oratione soluta; ideoque si quis carminibus complecteretur ea, quæ habentur apud Herodotum, adhuc talis narratio non esset poesis sed historia; ergo poeta differt ab historico per hoc, quod historicus narrat quæ evenerunt, poeta describit quæ verisimiliter evenire potuissent ac debuissent, adeoque fabula, seu narratio poetica debet esse possibilis ac verisimilis.

2. Quamobrem et res magis philosophica et melior poesis est quam historia; nam poesis magis universalia, historia magis singularia dicit. Est autem universale, cum exponitur quemadmodum tali talia contingat dicere aut facere secundum verisimile aut necessarium; id quod spectat poesis, nomina imponens. Singulare vero, quid Alcibiades fecerit aut passus sit Ac in comœdia quidem jam hoc manifestum factum est; nam cum constituerint fabulam per verisimilia, sic quælibet nomina imponunt, et non ut iambici circa aliquem singularem faciunt. In Tragœdia autem factis nominibus hærent. Causa vero est, quod persuasibile est possibile; ac non facta quidem non credimus esse possibilia, facta vero manifestum est possibilia esse; non enim facta essent, si impossibilia essent. Nec tamen non in aliquibus tragœdiis unum aut duo sunt ex notis nominibus, alia vero ficta. In quibusdam autem nullum, ut in Agathonis Flore; similiter enim in hoc et res et nomina ficta sunt, et nihilominus delectat. Quare non omnino quærendum est ut traditis fabulis, in quibus tragœdiæ versantur, hæreamus; nam est ridiculum hoc quærere, quoniam et nota paucis nota sunt, et tamen delectant omnes.

2. Ex allato discrimine Poeseos et Historiæ *infertur primo* Poesim esse affiniorem Philosophiæ ac studiis sciendi, quam Historia. Ratio est, quia Philosophia ac scientiæ contemplantur universalia, non autem singularia; sed Historia narrat singularia, puta quid Alcibiades fecerit vel passus fuerit; Poesis in universum contemplatur, quid necessarium aut verisimile fuerit hominem talis conditionis dicere aut facere; ex. gr., quid verisimile sit dicere vel facere senem avarum, juvenem incontinentem, etc.; deinde vero talibus hominibus nomina imponit; ergo Poesis est affinior Philosophiæ ac studiis sciendi, quam Historia. Et quidem quod Poesis in universali contempletur, quid verisimile sit dicere vel agere homines talis conditionis, deinde nomina illis imponat, manifestum est in Comœdia, obscurius in Tragœdia. Quod sit manifestum in Comœdia, probatur; nam licet prisci iambici contra certos homines carmina scriberent, eorumque vitia exagitarent, recentiores comici hunc scribendi morem tanquam a Poesi alienum abjecerunt, ac loco agendi de singularibus hominibus, fabulas constituunt, in quibus narrant, quid verisimiliter hominibus variarum conditionum accidere potuerit, deinde vero illis hominibus nomina imponunt. At hoc idem est obscurius in Tragœdia. Nam tragici cum utantur nominibus clarorum hominum, qui jam fuerunt, videntur de talibus singularibus hominibus agere. Adhuc tamen etiam ipsi non intendunt narrare, quid illis hominibus evenerit, sed quid verisimile sit evenire hominibus talis conditionis; sed spectatores non crederent possibile et verisimile viros principes ex summa felicitate in maximam miseriam incidere, nisi scirent id factum; quod vero credunt factum, putant possibile et verisimile; neque enim fuisset factum, nisi fuisset possibile; ergo ut, quæ in Tragœdiis repræsentantur principum virorum infortunia, censeantur a spectatoribus verisimilia, Tragœdiarum scriptores utuntur nominibus hominum, quibus similia acciderunt; utentes tamen talibus hominibus non referunt quid illis acciderit, sed quid hominibus ejus conditionis potuerit evenire. Non desunt tamen aliquæ Tragœdiæ, in quibus non solum res sunt fictæ, sed etiam nomina, exceptio uno vel duobus nominibus notis; imo in tragœdia Agathonis, quæ dicitur *Flos*, omnia nomina sunt ficta simul cum rebus, et tamen illa adeo delectat, ut pateat in Tragœdiis non esse hærendum antiquis ac notis fabulis, ut quidam putant. Confirmatur hoc ipsum, quia tales fabulæ antiquæ paucis spectatoribus sunt notæ, et tamen Tragœdiæ antiquis fabulis hærentes delectant omnes spectatores, etiam eos, ad quos antiquarum fabularum notitia non pervenit; ergo ad hoc, ut Tragœdiæ sint delectabiles, non necessario est hærendum fabulis aut historiis veris; ergo sufficit, ut poeta referat possibilia ac verisimilia, siquidem per hoc ipsum differt ab historico.

3. Manifestum igitur ex his, poetam esse oportere magis fabularum effectorem quam metrorum, quatenus poeta secundum imitationem est, imitatur autem actiones.

4. Quamvis igitur contigerit facta pangere, nihilominus poeta est. Factorum enim nonnulla

nihil prohibet talia esse, qualia verisimile est fieri et possibilia esse, secundum quod ille ipsorum poeta est.

3. *Infertur secundo* magis proprium poetæ esse, ut sit inventor fabularum, quam ut sit effector carminum. Ratio est, quia illud est magis proprium poetæ, in quo præcipue differt ab historico; sed præcipuum discrimen poetæ ab historico non est, quod poeta sit scriptor versuum, historicus sit scriptor solutæ orationis, sed quod poeta agit fabulas imitantes ac repræsentantes quæ potuerunt ac debuerunt verisimiliter evenire, historicus narrat, quæ evenerunt; ergo, etc.

4. *Infertur tertio*, quod si contingat id, quod poeta narrat tanquam verisimile, fuisse factum, adhuc poeta exercet munus poetæ. Ratio est, quia poetæ munus est, ut referat verisimilia, eo modo, quo verisimile est illa fuisse facta; sed nihil prohibet aliquid verisimile fuisse factum, et eo modo fuisse factum, quo poeta illud enarrat; ergo poeta dum illud enarrat ut verisimile, adhuc exercet munus poetæ.

CAPUT VIII

DE QUINTA ET SEXTA CONDITIONE FABULÆ, QUÆ SUNT, UT NON SIT EPISODICA, ET UT SIT ADMIRABILIS.

1. Simplicium autem fabularum et actionum episodicæ sunt pessimæ. Dico episodicam fabulam, in qua episodia altera post altera esse, neque verisimile neque necesse est.

2. Ac tales efficiuntur a malis quidem poetis propter ipsos, a bonis vero propter histriones: certamina enim facientes, et supra facultatem fabulam extendentes, distorquere sæpenumero coguntur quod ex ordine est. Quoniam autem non solum est perfectæ actionis imitatio, sed etiam terribilium et miserabilium, atque hæc fiunt maxime talia, et magis, cum fiant præter opinionem inter se (nam admirabile sic habebunt magis quam si a casu et fortuna, quoniam et eorum quæ a fortuna sunt, hæc maxime admirabilia videntur quæcumque tanquam ex industria apparent facta fuisse, sicuti statua Mityi Argis interfecit eum, qui fuit causa interitus Mityi, cum in ejus caput incidisset, dum ipse spectaret; videntur enim talia non temere facta esse), idcirco necesse est tales fabulas pulchriores esse.

1. *Quinta conditio* fabulæ est, ut non sit episodica. Fabula episodica est, quæ est episodiis referta ita se habentibus, ut licet unum ponatur post alterum, adhuc unum neque necessario neque verisimiliter sequatur ex altero. Quod fabulæ episodicæ sint pessimæ inter fabulas simplices, probatur, quia non sunt unæ. Ex dictis enim cap. VI. unitas fabulæ consistit in hoc, ut actiones sint ita ordinatæ, ut una sequatur ex altera necessario vel verisimiliter; sed eo ipso, quod sunt episodicæ, plura successive repræsentantur, quorum unum neque necesssario neque verisimiliter sequitur ex altero; ergo eo ipso, quod fabulæ sunt episodicæ, non sunt unæ, adeoque sunt pessimæ.

2. Addit Aristoteles, quod aliquando non solum mali, sed etiam boni poetæ scribunt fabulas episodicas; mali quidem ex proprio defectu, quia non possunt actiones ita ordinare, ut una sequatur ex alia; boni vero propter histriones. Quia enim histriones decertantes in theatris volunt fabulas longas, poetæ coguntur Tragœdias magis producere, quam possint servando actionum ordinem ac nexum, adeoque turbant ordinem rerum ac multa inserunt episodia non bene colligata.

3. *Sexta conditio* fabulæ est, ut sit admirabilis. Ratio est, quia ex dictis in definitione Tragœdia est imitatio miserabilium ac terribilium; sed quæ ex natura sua sunt terribilia et miserabilia, evadunt terribiliora et miserabiliora, si sint admirabilia. Nam propter hoc ipsum, quia accidunt præter expectationem, magis movent ad timorem et ad miserationem; ergo ut fabula sit terribilis ac miserabilis, debet etiam esse admirabilis ac plura continere, quæ præter expectationem eveniant; sed ex iis, quæ accidunt præter expectationem, ea sunt admirabiliora, quæ sunt ita connexa, ut videantur non fortuito, sed certo consilio inter se colligata ad hoc, ut homini infortunium afferant, ideoque ex ipsis fortuitis et casualibus ea sunt admirabiliora, quæ videntur accidisse ex consilio; eo pacto, quo valde fuit admirabile, quod Argis statua Mityi cadens interfecerit eum, qui causa fuerat, ut Mityus moreretur, quia statua visa est non fortuito, sed de industria interfecisse interfectorem Mityi; ergo fabulæ tum erunt admirabiliores ac miserabiliores et pulchriores, cum non solum infortunia accident præter expectationem, sed res erunt ita inter se connexæ, ut videantur non fortuito, sed

certo consilio inter se colligatæ ad hoc, ut infortunium afferant.

CAPUT IX

DE SEPTIMA ET OCTAVA CONDITIONE FABULÆ, QUÆ SUNT, UT SIT IMPLEXA AC MISERABILIS; ET DE PERIPETIA ET AGNITIONE, PER QUAS FABULÆ REDDUNTUR IMPLEXÆ.

1. [10] Ac fabularum aliæ simplices sunt aliæ implexæ. Etenim actiones, quarum imitationes fabulæ sunt. ne aliud quæramus, sunt tales. Appello simplicem actionem, qua facta, ut definitum est, continua et una, transitus fit sine peripetia vel agnitione. Implexa est, ex qua cum agnitione aut peripetia aut ambabus transitus fit.

2. Hæc autem oportet fieri ex ipsa constitutione fabulæ, ut ex anteactis aut ex necessitate aut secundum verisimile hæc fieri contingat. Differt enim multum, utrum hæc propter hæc, an post hæc fiant.

3. [11] Est vero peripetia in contrarium eorum quæ aguntur mutatio, ut dictum est; atque hoc, ut dicimus, secundum verisimile aut necessarium. Ut in Œdipode, cum venisset nuntius tanquam lætitiam allaturus Œdipodi eumque metu liberaturus adversus matrem, ut aperuit quisnam esset, contrarium fecit. Et in Lynceo, cum ipse quidem duceretur ut moriturus, Danaus vero persequeretur ut interfecturus, hunc quidem contigit ex rebus gestis mori, illum vero servari.

1. *Septima conditio* fabulæ tragicæ est, ut sit implexa. Pro explicatione præmittendum est, quod fabulæ dividuntur in simplices et implexas. Ratio est, quia cum fabula sit imitatio actionis humanæ, proportionaliter dividitur, ac dividantur actiones humanæ; sed ex actionibus humanis aliæ sunt simplices, aliæ implexæ; ergo, etc. Probatur minor. Actionem enim simplicem dicimus eam, *quæ cum sit una et continua, ut dictum est cap.* VI, *transit a principio ad finem sine peripetia vel agnitione, ita ut nulla fiat mutatio ex miseria in felicitatem vel ex felicitate in miseriam.* Actionem implexam vocamus, *in qua cum peripetia vel agnitione, vel peripetia simul et agnitione fit transitus a principio ad finem, ita ut aliqua interveniat mutatio ex felicitate in miseriam vel ex miseria in felicitatem;* sed actionum humanarum aliquæ transeunt a principio ad finem sine ullis peripetiis vel agnitionibus, aliquæ cum peripetiis et agnitionibus; ergo actionum humanarum aliquæ sunt simplices, eo quod unus in eis servetur fortunæ tenor, aliæ sunt variis fortunis implexæ, adeoque etiam ex fabulis aliquæ sunt simplices, aliæ implexæ.

2. Hoc posito. sic ostenditur fabulam tragicam debere esse implexam. Fabula tragica debet movere ad miserationem et ad metum; sed isti affectus præcipue excitantur ex mutatione fortunæ prosperæ in adversam; ergo fabula tragica non debet esse simplex, sed variis fortunis implexa. Advertit autem Aristoteles ita fabulam esse constituendam, ut peripetia atque agnitio ex ipsa fabulæ constitutione nascantur, ita ut ex antecedentibus necessario vel verisimiliter sequatur fortunæ mutatio et agnitio, adeoque peripetia et agnitio non solum fiant post antecedentia, sed etiam ex antecedentibus. Multum autem differt, utrum aliquid fiat post aliud, vel oriatur ex alio. Primum non sufficit ad unitatem fabulæ, secundum sufficit.

3. Jam quia dictum est fabulam implexam esse illam, quæ includit peripetiam vel agnitionem, agendum est de peripetia et agnitione. *Peripetia* est *eorum, quæ aguntur, in contrarium mutatio.* Non igitur quæcumque mutatio est peripetia, sed sola mutatio in contrarium, per quam scilicet quis vel ex miseria ad felicitatem vel ex felicitate mutatur in miseriam. Hæc porro mutatio debet necessario vel verisimiliter oriri ex ipsa constitutione rerum, ut explicatum est. Duo exempla peripetiarum factarum ex ipsa rerum constitutione proponit Aristoteles. *Primum* desumitur ex tragœdia Sophoclis, quæ inscribitur Œdipus Tyrannus. Cum venisset Corintho nuncius, referens Polypum, qui putabatur Œdipi parens, mortuum esse, atque Œdipum a Corinthiis in regnum vocari, Œdipus autem recusaret Corinthiorum regnum capessere, ne se juxta prædictionem oraculi incestis nuptiis cum Merope, quam putabat matrem. pollueret, nuncius ut hoc timore Œdipum liberaret, aperit Œdipo, quinam ipse Œdipus foret, atque in causa est, ut Œdipus comperiat se jam dudum parente Laio interfecto, Jocastem matrem in uxorem duxisse; quo cognito sibi præ dolore oculos eruit ac regno ejectus in maximas miserias incidit. Hæc igitur fabula ita est coagmentata, ut nuncius, dum novum regnum Œdipo offert, eumque a metu incestarum cum matre nuptiarum liberare conatur contrarium effi-

ciat et sit in causa, ut ille comperiat, se incestas, jam dudum cum matre nuptias inivisse, atque oculos sibi eruens, loco acquirendi novum regnum, quod jam possidebat, amittat ac miserrimus hominum evadat. *Secundum* exemplum desumitur ex tragœdia, quæ inscribitur Lynceus, quæ tragœdia non extat. Fabula hujus tragœdiæ ita erat constituta, ut dum Danaus persequitur Lynceum, ut ipsum interfecturus, Lynceus vero ducitur ut interficiendus, contrarium accidat, ac Lynceus quidem conservetur, Danaus interficiatur. Est autem Danaus sævissimus ille socer, quo auctore filiæ noctu viros suos Danai generos interfecerunt, excepta Hypermnestra quæ Lynceum virum contra patris jussum servavit: in cujus fuga poeta fingit, Danaum persequentem loco Lyncei ad necem quæsiti fuisse interfectum.

4. Agnitio autem est, ut etiam nomen significat, ex ignoratione in cognitionem mutatio, aut ad amicitiam aut inimicitiam eorum qui ad prosperam fortunam vel adversam definiti sunt. Ac pulcherrima agnitio est cum simul peripetiæ fiunt, ut se habet in Œdipode. Ac sunt quidem etiam aliæ cognitiones. Etenim ad inanimata pertinet agnitio, et ad quæcumque, ut dictum est, a fortuna aliquando esse contingit. Et si fecit aliquis aut non fecit, licet agnoscere. Sed quæ maxime pertinet ad fabulam et quæ maxime ad actionem est ea quæ dicta est; talis enim agnitio et peripetia aut misericordiam habebit aut metum; qualium actionum tragœdia imitatio supponitur. Præterea vero et adversa fortuna uti et prospera in talibus continget.

5. Jam quoniam agnitio quorumdam est agnitio, aliæ quidem sunt alterius ad alterum solum, cum fueruit manifestus alter quis sit; aliquando vero ambos oportet agnoscere, ut Iphigenia ab Oreste agnita est ex missione epistolæ, illi autem erga Iphigeniam alia opus fuit agnitione. Ac duæ quidem fabulæ partes circa hæc sunt, peripetia et agnitio.

6. Tertia vero est passio. Atque ex his peripetia et agnitio expositæ sunt. Passio vero est actio habens vim interimendi aut graves dolores afferendi, ut quæ in aperto sunt mortes et ejulationes et vulnerationes, et quæcumque talia.

4. Agnitio, ut ex ipsa nominis significatione constat, est *mutatio, per quam, cum ante ignoraretur, agnoscitur, quænam sint illæ personæ, quæ debent ex miseria transire in felicitatem vel ex felicitate in miseriam, ita ut ex hac notitia sequatur etiam mutatio amoris aut odii, quo se prosequebantur.* Ex agnitionibus pulcherrimæ sunt illæ, quibus factis, simul fit peripetia, ut in Œdipo Tyranno Sophoclis. Statim enim ac Œdipus agnoscit, se esse filium Iocastis, ex felici evadit miser, et cum ante Iocastem diligeret, incipit et illam et seipsum odisse. Præter hanc agnitionem personarum principalium atque in dignitate constitutarum, quæ debent ex felicitate transire in miseriam, dari possunt etiam aliæ agnitiones personarum inferiorum, imo etiam rerum quarumlibet inanimatarum, ac demum potest etiam dari agnitio facti, puta cum quis deprehenditur fecisse aliquid, quod putabatur non fecisse, vel non fecisse aliquid, quod putabatur fecisse. Verum nulla agnitio ita est propria fabulæ atque actionis tragicæ, ac agnitio personarum primo loco explicata. Ratio est primo, quia Tragœdia est imitatio actionum afferentium metum et misericordiam; sed agnitio personarum habens conjunctam peripetiam maxime movet ad metum et ad misericordiam, eo pacto, quo Œdipus maxime movet ad metum et ad misericordiam, dum agnoscens, quis esset, ex felici miserrimus evadit; ergo, etc. Secunda ratio est, quia nihil est æque admirabile ac subita mutatio ex miseria in felicitatem et ex felicitate in miseriam; sed tales subitæ mutationes præsertim fiunt per agnitionem personarum: ergo, etc.

5. Quia agnitio est alicujus agnitio, aliquando sufficit, ut de uno tantum agnoscatur, quis sit, de altero enim supponitur id compertum, et hæc potest dici agnitio simplex; aliquando de utroque debet agnosci, quis sit. Exemplum primæ agnitionis est in Œdipo Tyranno. Cum enim esset compertum, quænam esset Iocasta ac solum error versaretur circa Œdipum, qui censebatur filius Polypi Regis Corinthiorum, detecto quis esset Œdipus, non opus fuit alia agnitione. Exemplum agnitionis duplicis habetur apud Euripidem in tragœdia, quæ inscribitur Iphigenia in Tauris. Cum enim et Iphigenia ignoraret, quis Orestes esset, et Orestes, quænam esset Iphigenia, post primam agnitionem, qua Iphigenia dans epistolam Oresti fratri, quem putabat in Græcia manere, Oresti ipsi deferendam, se manifestavit Oresti, opus fuit alia agnitione, qua Orestes se manifestaret Iphigeniæ.

6. *Octava demum conditio* fabulæ tragicæ est, ut sit miserabilis. Ad reddendam fabulam miserabilem tria præcipue

requiruntur: peripetia nimirum atque agnitio, de quibus jam egimus, et præterea passiones ante oculos positæ. Nomine passionum hic intelligimus actiones mortis vel magni doloris allativas, cujusmodi sunt cædes, ejulationes, vulnerationes et alia hujusmodi. Ut igitur poeta reddat fabulam terribilem ac miserabilem, debet in scenam producere aliquos homines mortuos, vel vulneribus confossos et carissimos, puta parentes aut filios etc., supra extinctos vel vulneratos ejulantes, etc.

CAPUT X

DE PARTIBUS, IN QUAS TRAGŒDIA DIVIDITUR SECUNDUM QUANTITATEM.

1. [12] Jam partes tragœdiæ, quibus ut formis oportet uti, prius diximus.

2. At secundum quantitatem, et in quas ipsa dividitur separatas, hæ sunt: prologus episodium exodus choricum, et hujus quidem una pars parodus, altera vero stasimum. Atque hæ quidem communes omnium, propriæ vero illæ a scena et commi.

3. Ac prologus est pars integra tragœdiæ ante chori parodum.

4. Episodium pars integra tragœdiæ interjecta inter integros choricos cantus.

5. Exodus pars integra tragœdiæ, post quam non est chori cantus.

6. Chorici autem parodus prima dictio integri chori.

7. Stasimum vero cantus chori sine anapæsto et trochæo.

8. At commus lamentatio communis chori et a scena.

9. Ac partes quidem tragœdiæ, quibus oportet uti, prius dictæ; at secundum quantitatem, et in quas ipsa dividitur separatas, hæ sunt.

[13] Quæ vero oportet spectare et quæ oportet cavere constituentes fabulas, et unde erit tragœdiæ opus, sequitur ut dicamus post illa quæ adhuc dicta sunt.

1. Postquam Aristoteles assignavit sex partes Tragœdiæ, quæ dicuntur qualitatis, et explicavit ordinem earum, atque egit de prima et præcipua parte, hoc est de fabula ejusque conditionibus, commodius acturus infra de tribus reliquis partibus qualitatis, circa quas versatur artificium poeticum, hoc est de moribus, de sententia ac dictione, brevissime agit de partibus Tragœdiæ, quæ dicuntur quantitatis, eo quod sint ita separatæ, ut una ponatur post aliam.

2. Partes quantitatis omnibus Tragœdiis communes sunt quinque, quibus potest addi sexta pars aliquarum Tragœdiarum propria. Ex istis partibus tres spectant ad solos histriones, duæ ad solum chorum; una ad histriones simul et chorum. Ex partibus spectantibus ad solos histriones, prima vocatur prologus, secunda episodium, tertia exodus. Ex partibus spectantibus ad chorum, prima vocatur parodus seu chorus ingrediens; secunda stasimon seu chorus stabilis. Et hæ quinque partes, nimirum prologus, episodium, exodus, chorus ingrediens et chorus stabilis sunt communes omnibus Tragœdiis. Sexta pars aliquarum Tragœdiarum propria, quæ spectat ad histriones simul et chorum, est earum, quæ sunt a scena et commi, hoc est communis lamentatio et ejulatus tum histrionum in scena agentium, tum chori extra scenam canentis, ut jam magis explicabitur.

3. *Prima igitur pars Tragœdiæ* ad histriones spectans est prologus. Triplex potest distingui prologus. *Primus* est omnino separatus a fabula, cum scilicet introducitur aliquis exponens populo argumentum fabulæ, qui deinde nullam talis fabulæ partem agit, uti fit apud latinos comicos, Plautum nimirum et Terentium. *Secundus* est non omnino separatus a fabula, sed non satis cum illa connexus; cum scilicet aliquis, qui partem aliquam agit in fabula, initio narrat multa, ex quibus dramatis argumentum possit intelligi; a qua tamen narratione non pendent ea, quæ deinde agenda sunt in fabula, uti sæpe apud Græcos Euripides facit. *Tertius* est omnino connexus cum cæteris fabulæ partibus, cum nimirum fabula ita est constituta, ut ex prima parte fabulæ ita argumentum fabulæ possit intelligi, ut ex ea parte necessario vel verisimiliter sequantur reliquæ partes. Dum igitur Aristoteles dicit, primam partem Tragœdiæ esse prologum, loquitur de prologo in hoc tertio sensu, in quo est prima pars fabulæ, ex qua ita intelligi potest argumentum fabulæ, ut sit omnino connexa cum cæteris partibus. *Prologus* igitur in hoc sensu *est tota illa Tragœdiæ pars ad histriones spectans, quæ est ante parodum seu chorum ingredientem.* Et quia chorus ingrediens ponitur post primum actum, ideo prologus in hoc sensu est primus actus Tragœdiæ, qui debet ita constitui, ut cum ex eo pendeant reliqua in cæteris actibus gerenda, possit ex ipso intelligi argumentum totius fabulæ.

4. *Secunda pars Tragœdiæ* ad histriones spectans est episodium. Episodium dicitur tripliciter. *Primo* episodia dicuntur digressiones non connexæ cum aliis partibus Tragœdiæ, de quibus actum est cap. VIII. *Secundo* episodia dicuntur digressiones connexæ, in quibus per nuncios vel alia ratione exponuntur, quæ alio tempore vel loco acta sunt, aguntur vel agentur extra scenam, ita tamen, ut sint connexa necessario vel verisimiliter cum iis, quæ aguntur in scena. In neutro sensu episodium sumitur hoc loco ab Aristotele. *Tertio* igitur episodium, prout hoc loco sumitur ab Aristotele, est *tota pars Tragœdiæ, quæ interjecta est inter totas chori cantilenas.* Et quia chorus totus quater canit, hoc est post primum, secundum, tertium et quartum actum, ideo pars illa Tragœdiæ, quæ est post primam et ante ultimam cantionem chori, nimirum secundus, tertius et quartus actus vocatur episodium. Quæritur, cur hanc partem Aristoteles vocet episodium. Aliqui dicunt vocari episodium, quia præsertim secundo, tertio et quarto actu locum habent digressiones, non quidem inconnexæ, sed connexæ cum reliquis partibus Tragœdiæ. Ego suspicor non legendum ἐπισόδιον cum ο, prout legitur in codicibus græcis, et significat digressionem vel introductionem, sed ἐπισώδιον cum ω, quod potest significare intercantionem, et episodium vocari explicatam partem Tragœdiæ, quia intercipitur inter primam et ultimam cantionem chori.

5. *Tertia pars Tragœdiæ* ad histriones spectans est exodus sive exitus, et est *illa pars Tragœdiæ, quæ sequitur post ultimam cantilenam chori, et post quam non sequitur alia cantilena et in qua tota actio repræsentata perducitur ad exitum seu finem.*

6. Sequuntur quarta et quinta pars spectantes ad chorum. *Quarta* ergo *pars* est chorus ingrediens et prima cantio totius chori, quæ ponitur post primum actum.

7. *Quinta pars* vocatur stasimon sive chorus stabilis, et sunt reliquæ cantiones, quæ sunt sine trochæis et anapæstis, qui sunt pedes valde mobiles et parum habentes stabilitatis, ac fiunt per alios pedes stabiliores.

8. *Sexta* demum *pars,* quæ non est communis omnium Tragœdiarum, sed aliquarum propria, vocatur *commus,* et est lamentatio et ejulatus communis chori et histrionum manentium in scena. Fortasse enim in quibusdam Tragœdiis post ultimum actum, in quo exhibitus fuerat exitus miserrimus aliquarum præcipuarum personarum, ad augendos affectus miserationis ac metus inducebantur histriones in scena, et chorus extra scenam flebilibus ejulatibus et cantibus aures implentes, et hoc miserabili ejulatu Tragœdia absolvebatur.

Ex his patet, quod ex tribus partibus Tragœdiæ ,prologus est principium tragœdiæ, prima nimirum pars, quæ non pendet ex alia parte et a qua reliquæ pendent. Episodium est medium Tragœdiæ, illa nimirum pars, quæ pendet ex alia et ex qua pendet aliqua alia pars, et qua durante omnia quodammodo pendent. Exodus est finis Tragœdiæ, pars nimirum illa, quæ pendet ex aliis et a qua non pendet alia pars. Cæteræ partes spectantis ad chorum sunt veluti divisiones et condimenta Tragœdiæ.

9. Concludit Aristoteles, supra esse explicatas partes qualitatis, nunc esse explicatas partes quantitatis. Sequitur. ut ex principiis ante positis indagemus, quænam debeant studiose sectari et a quibus cavere, qui fabulas constituunt, ut opus Tragœdiæ bene se habeat, ac ipsa Tragœdia pulcherrima evadat.

CAPUT XI — ART. I

QUALIS DEBEAT ESSE PERSONA TRAGICA, QUALIS MUTATIO ET QUÆ CAUSA MUTATIONIS.

1. Quoniam igitur constitutionem pulcherrimæ tragœdiæ oportet esse non simplicem sed nexam, eamque terribilium et miserabilium imitationem (hoc enim proprium hujusmodi est imitationis), primum quidem manifestum est, neque æquos viros mutatos apparere oportere ex prospera fortuna in adversam (id enim non est terribile nec miserabile, sed sceleratum) neque improbos ex infortunio in prosperam fortunam (id enim maxime omnium a tragœdia alienum est, quia nihil habet eorum quæ oportet; neque enim gratum hominibus neque miserabile neque terribile est), neque rursus valde malum ex prospera fortuna in adversam cadere; quod enim gratum est hominibus, id quidem habet talis constitutio, sed neque misericordiam habet neque timorem; illa enim est circa eum qui indigne adversa fortuna utatur, hic vero circa similem, quare neque miserabile neque terribile apparet quod contingit. Reliquus igitur est inter hos interjectus. Est autem talis, qui neque

virtute præstat et justitia, neque propter vitium et pravitatem mutatur in adversam forutnam, sed propter errorem aliquem, eorum qui sunt in magna existimatione et fortunæ prosperitate, cujusmodi Œdipus et Thyestes, et qui ex talibus familiis illustres viri sunt.

Tradita definitione et assignatis partibus Tragœdiæ, tum quæ ad qualitatem spectant, tum quæ ad quantitatem; explicata etiam prima et præcipua Tragœdiæ parte, hoc est fabula, ejusque conditionibus, descendit Aristoteles ad examinandum, quænam sint persequenda vel vitanda ad constituendam optimam ac pulcherrimam Tragœdiam. Quia enim primum et optimum in unoquoque genere est mensura reliquorum, quæ eatenus sunt meliora vel deteriora, quatenus magis aut minus propinqua sunt optimo, qui potuerit de optima Tragœdia judicare, poterit etiam facile statuere de non optimis.

1. Quæritur igitur *primo* ad pulcherrimam Tragœdiam constituendam, qualis persona tragica debeat eligi, qualem fortunæ mutationem, et ex qua causa debeat subire.

Dicendum, quod ad pulcherrimam Tragœdiam constituendam debet eligi aliquis, neque virtute ac justitia præstans, neque omnino malus, qui, cum in magna existimatione et in abundantia omnium bonorum versetur, non ex vitio et pravitate, sed ex aliquo errore humano in magnas calamitates incidat, quales fuerunt ex. gr. Œdipus et Thyestes, quorum primus ex ignorantia patrem occidit ac matrem duxit in uxorem, secundus filios comedit.

Probatur; proprium enim Tragœdiæ est, ut sit imitatio terribilium ac miserabilium, ut ex definitione constat; ad pulcherrimam vero Tragœdiam requiritur, ut sit implexa, continens nimirum mutationem aliquam fortunæ, ut dictum est cap. IX, ergo pulcherrima Tragœdia debet repræsentare mutationem fortunæ, quæ sit maxime terribilis ac miserabilis; sed mutatio fortunæ maxime movens ad timorem et miserationem, adeoque maxime terribilis ac miserabilis est, per quam aliquis, neque virtute et justitia præstans, neque omnino malus, non propter pravitatem, sed propter errorem ex magna felicitate incidat in magnam miseriam; ergo, etc. — Probatur et explicatur assumptum. Possumus enim fingere duas mutationes : prima est ex miseria in felicitatem, secunda ex felicitate in miseriam. Mutatio ex miseria in felicitatem non est miserabilis neque terribilis, quicumque sit qui mutatur, sive sit probus, sive improbus, sive mediocris. Quod enim probi et mediocres ex miseria transeant ad felicitatem, non est miserabile neque terribile, sed jucundum et gratum; quod improbi ex miseris evadant felices, neque est miserabile, neque terribile, neque gratum, ideoque est alienissimum a Tragœdia, cum nihil habeat eorum, quæ Tragœdia debet habere ; ergo mutatio tragica debet esse secundi generis, hoc est ex felicitate in miseriam; sed mutationum ex felicitate in miseriam aptissimæ ad excitandam miserationem atque formidinem sunt, per quas mediocres in virtute propter errorem in miseriam incidunt; ergo, etc. — Probatur minor. Tria enim hominum genera possunt in miserias incidere : omnino boni, omnino mali et mediocres; sed quod omnino boni in miserias incidant, non tam est terribile et miserabile quam sceleratum, ideoque potius movet ad indignationem quam ad miserationem aut timorem; quod omnino mali evadant miseri, nec est miserabile neque terribile, sed gratum ; miseratio enim oritur, cum quis patitur indigna, timor vero, cum qui patitur, est similis nobis ; ergo reliquum est, ut maxime apta ad excitandam miserationem et formidinem sit mutatio, per quam aliquis mediocris in virtute, non ex pravitate, sed ex errore quodam et imprudentia incidit in miserias. Nam tum miseremur, quia est indignus calamitatibus, quas patitur; timemus, quia cum videamus illum incidere in miseriam ex errore et imprudentia, putamus nos etiam posse in tales miserias incidere.

ART. II

UTRUM MELIOR SIT FABULA SIMPLEX AN DUPLEX.

2. Necesse enim est egregie se habentem fabulam esse magis simplicem quam duplicem, ut quidam dicunt; et mutari non in prosperam fortunam ex adversa, sed contra ex prospera in adversam, non propter improbitatem sed propter errorem magnum, aut talis personæ qualis dictum est, aut melioris magis quam pejoris.

3. Signum autem est etiam id quod observatur; nam antea quidem poetæ quaslibet fabulas enumerabant, nunc vero circa paucas domos pulcherrimæ componuntur tragœdiæ, ut circa

Alcmæonem et Œdipum et Orestem et Meleagrum et Thyestem et Telephum, et quibuscumque aliis contingit atrocia aut pati aut facere. Ac secundum artem quidem pulcherrima est tragœdia ex hac constitutione.

2. Quæritur *secundo*, utrum ad pulcherrimam Tragœdiam constituendam potius sit fabula simplex an duplex. Pro intelligentia quæstionis præmittendum est, quid intelligatur nomine fabulæ duplicis ac simplicis. Fabula duplex dicitur illa, *in qua dantur duo genera personarum et hominum ; aliqui boni, aliqui mali, ac duæ contrariæ mutationes, per quarum alteram boni ex miseria transeunt ad felicitatem, per alteram mali ex felicitate transeunt ad miseriam.* Fabula simplex dicitur hic, non quæ caret peripetia, adeoque non est implexa; (dictum est enim cap. XV, fabulam tragicam debere habere peripetiam et esse implexam), sed *quæ continet unum genus personarum quæ ex felicitate transeunt ad miseriam.* Quæritur igitur, an melior sit fabula simplex, hoc est habens unum genus personarum, quæ ex felicitate mutentur in miseriam, an duplex, continens duo genera personarum, quarum aliquæ ex miseria mutentur in felicitatem, aliquæ ex felicitate mutentur in miseriam.

Aliqui præferunt fabulam duplicem. Dicendum tamen, quod ad pulcherrimam tragœdiam melior est fabula simplex, in qua personæ unius generis, hoc est mediocres in virtute, ac potius meliores quam deteriores, mutentur, non quidem ex miseria in felicitatem, sed ex felicitate in miseriam, non propter pravitatem, sed propter magnum errorem, ut explicatum est articulo superiori.

Probatur primo ex dictis. Fabula enim duplex continet duas contrarias mutationes: alteram proborum ex miseria in felicitatem, alteram improborum ex felicitate in miseriam ; sed neutra mutatio est terribilis ac miserabilis; mutatio enim proborum ex miseria in felicitatem nihil repræsentat mali; mutatio improborum ex felicitate in miseriam non repræsentat aliquos patientes mala indigne; ergo neutra mutatio est satis apta ad pulcherrimam Tragœdiam constituendam; ergo præferenda est fabula simplex ac continens unicam mutationem ex felicitate in miseriam, ut explicatum est.

3. *Probatur secundo* a posteriori ex signo. Videmus enim, quod antiqui poetæ indifferenter eligebant fabulas quascumque simplices aut duplices, continentes quascumque mutationes ex miseria in felicitatem vel ex felicitate in miseriam; deinde vero experientia edocti, quod illæ Tragœdiæ evadebant pulcherrimæ, quæ continebant fabulas simplices illustrium virorum, qui ex quodam culmine felicitatis in maximas miserias prolapsi sunt, has fabulas eligunt. Et quia paucis viris paucarum illustrium familiarum contigit ex culmine felicitatis in magnas miserias labi, ideo Tragœdias scribunt circa viros paucarum familiarum, hoc est circa Alcmæonem, Œdipum, Orestem, Meleagrum, Thyestem, Telephum aliosque similes, quibus contigit atrocia agere aut pati; ergo ipsa experientia fuit compertum ad pulcherrimas Tragœdias requiri fabulas simplices, per quas illustres viri mutentur ex felicitate in miseriam.

4. Quare et errant qui accusant Euripidem in eadem re, quod hoc faciat in tragœdiis, et multæ ipsius in adversam fortunam terminent. Id enim rectum est, ut diximus. Ac signum maximum est, quod in scenis et certaminibus tales maxime apparent tragicæ, si recte dirigantur; et Euripides quamvis alia non bene disponat, hac tamen in parte inter poetas maxime apparet tragicus.

5. Jam vero secunda constitutio est, quæ a quibusdam prima dicta est, ejus fabulæ quæ duplicem habet constitutionem, ut Odyssea, et desinit ex contrarietate melioribus et pejoribus. Videtur autem esse prima propter theatrorum imbecillitatem; nam poetæ eam consequuntur, morem gerentes spectatoribus. Atque hæc ea non est quæ a tragœdia proficiscitur voluptas, sed magis comœdiæ propria ; in ea enim fabula si inimicissimi sint, ut Orestes et Ægisthus, amici tandem facti exeunt et nullus per alterum moritur.

4. Hinc Aristoteles infert, male quosdam Euripidi vitio vertere, quod in Tragœdiis constituat fabulas simplices, quarum pleræque in miseriam desinant. Neque enim hoc reprehensione est dignum, sed laude, ut dictum est. — Confirmatur ex signo. Videmus enim quod, cum in theatris et certaminibus exhibentur actiones continentes fabulas simplices atque habentes exitum infelicem, apparent maxime tragicæ, nisi in iis agendis histriones peccent; ergo signum est, quod fabulæ simplices atque habentes exitum infelicem sunt maxime tragicæ. — Confirmatur secundo, quia Euripides licet in aliis non omino bene Tragœdias texat, adhuc quia constituit fabulas simplices

et habentes exitum infelicem, apparet maxime tragicus poetarum; ergo, etc.

5. Quandoquidem prima et optima fabula tragica est simplex, ut probatum est, fabula duplex tenebit secundum locum, non autem primum, ut quidam existimant. Exemplum fabulæ duplicis esse potest Odyssea Homeri, quæ repræsentat duo genera personarum, quasdam bonas, quales sunt Ulysses, Penelopes ac Telemachus; quasdam malas, quales sunt Proci et ancillæ Penelopis. Ulysses autem, Penelopes et Telemachus ex miseria transeunt ad felicitatem; Proci et ancillæ ex felicitate transeunt in miseriam. Ratio, cur fabula duplex licet sit secunda, quibusdam videatur prima, desumitur ex imperitia spectatorum. Quia enim spectatores, non discernentes voluptatem fabulæ tragicæ debere oriri ex repræsentatione miserabilium ac terribilium, delectantur, cum vident bonos ex miseria transire in felicitatem, malos ex felicitate transire ad miseriam, quæ voluptas non est propria Tragœdiæ, sed potius Comœdiæ, ideo poetæ morem gerentes spectatoribus non secundum artem tales fabulas constituunt. At hæc voluptas, cum non oritur ex repræsentatione miserabilium ac terribilium, non est propria Tragœdiæ sed potius Comœdiæ, cujus est voluptatem afferre spectatoribus, non ex repræsentatione terribilium ac miserabilium, sed potius ex eo, quod res habeant eum eventum, quem spectatores vellent habere. Et quia spectatores lætantur, cum vident inimicos reconciliari, ideo in Comœdiis, etiamsi aliqui fuerint inimici, non minus quam inimici fuerint Orestes et Ægisthus, in fine Comœdiæ redeunt in gratiam et amicitiam, nec ullus interficitur.

ART. III

UTRUM MELIUS SIT, UT ACTIO TRAGICA TERRIBILIS SIT AC MISERABILIS PROPTER APPARATUM SCEN, VEL PROPTER CONSTITUTIONEM FABUL

6. [14] Ac licet quidem terribile et miserabile ex apparatu fieri, licet vero etiam ex ipsa constitutione; id quod prius est et poetæ melioris.

7. Oportet enim etiam sine visu fabulam sic constitutam esse, ut audiens res quæ fiunt, et horreat et misereatur ex iis quæ contingunt, in quas perturbationes cadet ille, qui Œdipodis fabulam audiat. Efficere autem hoc per apparatum est magis artificii expers, et sumptus requirit.

8. Atque qui non solum terribile per apparatum sed monstruosum efficiunt, nihil commune habent cum tragœdia; non enim omnem a tragœdia oportet voluptatem quærere, sed propriam. Quoniam vero ex misericordia et metu per imitationem poetam efficere oportet voluptatem, id in rebus efficiendum esse, manifestum est.

6. Dictum est, voluptatem Tragœdiæ propriam esse, quæ resultat ex repræsentatione terribilium ac miserabilium. Jam quia quæ repræsentantur, possunt videri terribilia ac miserabilia, vel propter apparatum scenæ vel propter constitutionem rerum, *quæritur tertio*, utrum ad pulcherrimam tragœdiam melius sit, ut quæ repræsentantur sint terribilia ac miserabilia propter apparatum scenæ, an potius propter constitutionem rerum.

Dicendum, quod melius est et poetæ melioris, ut quæ repræsentantur, sint terribilia et miserabilia propter constitutionem rerum quam propter apparatum scenæ.

7. Probatur, quia melius est ac melioris poetæ, ut Tragœdia sit terribilis et miserabilis propter ea, quæ sunt propria artis poeticæ ac pendent ab ingenio scribentis, nullosque requirunt sumptus, quam propter ea, quæ non pendent ab artificio poetico ac magnos requirunt sumptus; sed apparatus scenæ non pendet ab arte poetica ac magnos requirit sumptus; constitutio rerum unice pendet ab arte ac ingenio poetæ, ac nullos requirit sumptus; ergo, etc. Debet igitur poeta sic fabulam constituere, ut qui audit res, quæ fiunt, misericordia et horrore quodam concutiatur propter ea, quæ audit, eo pacto quo misericordia et horrore concutimur, cum audimus ea, quæ Œdipo contigisse narrantur in tragœdia Sophoclis, quæ inscribitur Œdipus Tyrannus, cujus argumentum breviter explicatum est cap. IX, num. 3.

8. Infertur, quod illa voluptas, quæ oritur ex apparatu non solum terribili sed etiam monstruoso, non est propria Tragœdiæ. Videtur vero Aristoteles hoc loco sugillare Æschylum, qui in tragœdia, quam Eumenides inscripsit, produxit in scenam Eumenides in speciem tam terribiles ac monstruosas, ut magnum populo ac præsertim mulieribus terrorem incusserit, ex quo deinde magna voluptas exstitit. Verum poeta non debet quam-

cumque spectatoribus voluptatem afferre, sed eam tantum, quæ est propria Tragœdiæ; sed voluptas Tragœdiæ propria oritur ex repræsentatione rerum ex se terribilium ac miserabilium; ergo poeta debet voluptatem spectatoribus afferre per repræsentationem rerum terribilium ac miserabilium.

ART. IV

QUINAM EVENTUS SINT MAGIS AUT MINUS TERRIBILES AC MISERABILES, ADEOQUE MAGIS AUT MINUS PULCHERRIMÆ TRAGŒDIÆ ACCOMMODATI.

9. Qualia igitur atrocia aut qualia miserabilia appareant, ex iis assumamus quæ contingunt.

10. Necesse autem est aut amicorum esse inter se tales actiones, aut inimicorum, aut neutrorum. Quod si inimicus inimicum occiderit, nihil miserabile, neque dum facit neque dum facturus est, monstrat, præterquam in illa ipsa perturbatione. Neque qui se neutro modo habent. Quando autem in amicitiis sunt perturbationes, ut si frater fratrem aut filius patrem aut mater filium aut filius matrem occiderit aut occisurus fuerit aut tale aliquid aliud faciat, hæc quærere oportet.

9. Ex dictis oritur *quarta quæstio*. Quia enim poeta debet ita fabulam texere, ut spectatores moveantur ad misericordiam et metum, non propter apparatum scenæ, sed propter ea, quæ accidunt, quæritur, quinam eventus atroces sint magis aut minus terribiles ac miserabiles, adeoque magis aut minus pulcherrimæ tragœdiæ accommodati?

10. Dicendum *primo*, quod cum quis possit atrocia pati, vel ab amicis, vel ab inimicis, vel a neutris, pulcherrimæ tragœdiæ maxime sunt accommodati illi eventus, per quos quis patitur ab iis, cum quibus est necessitudine conjunctus : puta cum frater interficit fratrem, vel filius patrem aut matrem, vel pater aut mater filium, etc. Ratio est, quia illi eventus magis sunt pulcherrimæ tragœdiæ accommodati, qui sunt magis miserabiles; sed magis miserabile est, quod quis interficiatur a consanguineis, quam ab inimicis vel neutris; ergo, etc. — Probatur minor. Quod enim quis interficiatur ab inimicis vel neutris, solum est miserabile propter malum, quod patitur; at quod interficiatur a parente, non solum est miserabile propter malum, quod patitur, sed etiam quia patitur ab eo, a quo non debuerat.

11. Ac receptas quidem fabulas solvere non licet ; dico autem ut Clytæmnestram occisam ab Oreste et Eriphylen ab Alcmæone. Ipsum vero invenire ac traditis recte uti oportet.

12. Idque quod dicimus se recte habere, apertius exponamus. Licet enim sic actionem fieri ut antiqui faciebant, ut eam præstarent scientes et cognoscentes, quemadmodum occidentem filium Medeam Euripides fecit. At licet agere ita, ut ignorantes rem agant atrocem, postea vero amicitiam agnoscant, ut Sophoclis Œdipus. Atque hoc quidem extra actionem. In ipsa vero tragœdia, ut Alcmæon Astydamantis vel Telegonus in vulnerato Ulysse. Præterea tertium est, cum quis aliquid lævi propter ignorantiam facturus erat et priusquam faceret agnovit. Et præter hæc aliter non licet ; aut enim facere necesse est aut non, et scientes aut non scientes.

11. Dicendum *secundo*, quod cum in argumentum Tragœdiæ sumimus fabulas a majoribus acceptas ac celebres, quandoquidem non licet illas dissolvere ac totaliter invertere, debemus iis recte uti, ita res constituendo et ordinando, ut eventus repræsentati maxime miserabiles videantur. Explicatur, qui assumit in argumentum tragœdiæ Clytæmnestram matrem occisam ab Oreste filio, vel Eriphylem itidem matrem ab Alcmæone filio interfectam, non potest quoad hæc fabulam invertere. Reliquum igitur est, ut fabula recte utatur atque ita res disponat, ut ea interfectio maxime miserabilis videatur.

12. Sed ut pateat, quænam dispositio rerum reddat eventum magis miserabilem, adeoque magis tragicum, advertendum est quadrupliciter posse rem disponi. *Primus modus* est, cum quis facinus atrox patrat sciens et volens, uti fit apud antiquos et etiam apud Euripidem, apud quem Medea mater occidit filios sciens et volens. *Secundus modus* est, cum quis ignorans facinus patrat, puta filius parentem interficit vel vulnerat, ignorans esse parentem, deinde agnoscit ac dolet, eo pacto, quo apud Sophoclem Œdipus Laium patrem interficit ignorans, deinde vero agnoscit ac dolet a se parentem interfectum, ut explicatum est cap. IX, num. 3. Sed quia Œdipus interficit Laium non in ipsa fabula, sed multis annis ante, possemus etiam afferre exempla filiorum, qui in ipsis fabulis ignoranter parentes interficiunt, ac deinde agnoscunt

et dolent. Hujusmodi sunt Alcmæon, qui apud Astydamantem ignoranter interficit Eriphylem matrem; et Telegonus Ulyssis ex Circe filius, qui ignoranter Ulyssem patrem vulnerat. *Tertius modus* est, in quo quis, cum jamjam esset facinus ignoranter patraturus, antequam faciat, agnoscit ac non facit. Potest his addi quartus modus, cum quis tentat scienter facinus committere, sed non committit, quia non potest. Alius modus præter hos non est possibilis. Vel enim quis facinus absolvit vel non : si absolvit, vel absolvit sciens, et est primus modus; vel ignorans, et est secundus modus; si non absolvit, vel non absolvit ignorans, et est tertius modus; vel sciens, et est quartus modus; ergo nullus superest modus, qui non reducatur ad quatuor assignatos. Hoc posito.

13. Horum autem pessimum est, cum quis facturus fuit et non fecit ; sceleratum enim habet et non tragicum, nam sine affectu est. Quare nemo facit similiter nisi raro, ut in Antigona Creontem Hæmon; nam fecisse secundum est. Ac melius est ; ignorantem quidem fecisse, cum autem fecerit, agnovisse ; sceleratum enim non adest, agnitio stuporem gignit. Optimum vero est postremum. Dico autem ut in Cresphonte Merope interfectura quidem filium erat, sed cum agnovisset, non interfecit. Et in Iphigenia soror fratrem. Et in Helle filius matrem dediturus agnovit.

14. Quapropter quod pridem dictum est, non circa multas sunt tragœdiæ familias ; quærentes enim non ab arte, sed a fortuna hujusmodi fabulæ confectionem invenerunt ; itaque ad has domos coguntur occurrere, quibuscumque tales contigerunt perturbationes. Ac de rerum constitutione, et quales fabulas esse oporteat, satis dictum est.

13. Dicendum *tertio :* pessimus modus est, cum quis scienter conatur facinus committere et jamjam videtur commissurus, sed non committit; minus malus est, cum facinus committit scienter; adhuc melior modus est, cum committit ignoranter, sed post re cognita, sero ac frustra dolet; optimus omnium modorum ac pulcherrimæ tragœdiæ maxime accommodatus est, cum quis jam facinus propter ignorantiam patraturus, re cognita non facit.

Probatur conclusio per singulas partes et *primo* quidem quod pessimus modus est, cum quis scienter conatur facinus patrare, puta parentem interficere ac deinde non interficit. Pessimus enim modus constituendi fabulam tragicam est, qui movet quidem ad indignationem propter sceleris atrocitatem, at non movet ad misericordiam, quia non sequitur passio vel mors; sed cum filius ex. gr., conatur scienter parentem interficere ac non interficit, quia non potest, scelus filii apparet ita atrox, ut moveat ad indignationem, parens vero, cum mortem effugiat, non movet ad misericordiam; ergo, etc. Confirmatur a posteriori ex signo; videmus enim, quod raro admodum poetæ ita constituerunt fabulam, ut quis conetur scienter facinus patrare et non patret. Eo tamen modo usus est Sophocles in Antigone, in qua Æmon filius conatur Creontem patrem interficere nec interficit, quia Creon ictum vitat et fuga sibi consulit. — Probatur jam *secunda* et *tertia pars*, quod nimirum minus malus modus sit, cum ita fabula constituitur, ut quis facinus, quod scienter aggreditur, patret, et adhuc melior sit, cum facinus facit ignoranter, deinde agnoscit et dolet. Cum enim quis facinus atrox facit scienter, puta cum Medea filios interficit scienter, licet sceleris immanitas moveat ad indignationem, passio ejus, qui interficitur, puta mors filiorum Medeæ movet ad misericordiam. Cum vero quis facinus patrat ex ignorantia, abest atrocitas movens ad indignationem et miseremur tum ejus, qui patitur et interficitur, tum ejus, qui ignoranter interficit, et cum is rem sero cognoscit ac dolet, accedit stupor et augetur miseratio. — Probatur demum *quarta pars*, quod nimirum optimus modus sit, cum fabula ita constituitur, ut cum quis jam ex ignorantia facinus est patraturus re cognita, non patret. Cum enim videmus aliquem ex ignorantia jamjam facinus patraturum, ita ut nulla supersit spes evadendi, timore ac misericordia incredibiliter concutimur; et ex alia parte si insperato impediatur a facinore, abest omnis atrocitas et indignatio; ergo hic modus fabulam constituendi est optimus et ad Tragœdiam aptissimus. — Tria modi hujus exempla Aristoteles affert. *Primus* desumitur ex Cresphonte Euripidis, quæ tragœdia non extat, in qua Meropes Telephontem filium, quem putat hostem, jamjam interfectura, agnoscit ac facinus non patrat. Narrat autem Plutarchus in libello secundo de carnibus vorandis, quod cum ea tragœdia haberetur, ac Meropes securim in filium sustulisset, voce etiam edita, qua suum in eum odium significavit, totus populus cohor-

ruit atque incredibili miseratione est concussus. *Secundum* exemplum desumitur ex Iphigenia in Tauris ejusdem Euripidis, in qua Iphigenia soror Orestem fratrem, quem non cognoscebat, jamjam immolatura re cognita, servat incolumem, ut magis explicatur infra cap. XIII, num. 3. *Tertium* desumitur ex quadam tragœdia, quæ inscribebatur Helle, quæ non extat, et cujus auctor ignoratur, in qua filius matrem ex ignorantia interfecturus agnoscit atque a facinore desistit.

14. Quia pulcherrimæ fabulæ sunt, in quibus viri principes patiuntur a maxime conjunctis, puta a parentibus vel filiis, paucis vero familiis hoc accidit, ideo præcipuæ Tragœdiæ versantur circa paucas familias; quærentibus nimirum poetis argumenta Tragœdiarum a casu magis quam ab arte. Et hæc de constitutione rerum ac fabularum ad pulcherrimas Tragœdias conficiendas, dicta sufficiant.

CAPUT XII

QUÆNAM CIRCA MORES AC CIRCA SOLUTIONEM FABULÆ OBSERVANDA SINT AD PULCHERRIMAS TRAGŒDIAS CONSTITUENDAS.

1. [15] Ceterum de moribus quatuor sunt, quæ spectare oportet unum quidem et primum, quomodo boni sint

2. Habebit autem mores, si, ut dictum est, oratio aut actio manifestam efficiat præelectionem aliquam; malos quidem, si malam, bonos vero, si bonam. est vero hoc in unoquoque genere; etenim mulier est bona et servus, etiamsi fortasse ex his illud quidem pejus, hoc omnino malum est.

3. Secundum est, quando sint convenientes; est enim virorum mos, sed non conveniens mulieri, fortem vel terribilem esse. Tertium quando sint similes; hoc enim aliud est ab eo quod est, bonos et convenientes mores facere, ut dictum est. Quartum, quomodo æquales; tametsi enim inæqualis quidam sit qui præbet imitationem, et talibus moribus suppositus sit, tamen æqualiter inæqualem oportet esse.

1. Explicatis iis, quæ spectant ad optimam constitutionem rerum, descendit Aristoteles ad explicanda ea, quæ circa mores sunt observanda ad hoc, ut tragœdia evadat pulcherrima. Docet ergo circa mores *quatuor* esse observanda, quorum primum est, ut singuli patefaciant mores bonos potius quam malos. Ut hoc et alia ad mores spectantia Aristoteles explicet, *primo* præmittit tria, quæ sunt supponenda; *secundo* affert quatuor, quæ circa mores sunt observanda, ac proponit exempla eorum, qui contra ipsa peccarunt; *tertio* explicat, quo pacto actiones secundum mores sint ordinandæ; *quarto* infert, qualis debeat esse solutio fabulæ; quinto demum addit alia duo præcepta circa mores.

2. *Quoad primum :* tria sunt supponenda. *Primo* supponendum est, Tragœdiam debere esse moratam, ideoque dictum est cap. IV, mores esse secundam Tragœdiæ partem inter eas, quæ qualitatis dicuntur. *Secundo* supponendum est, quod Tragœdiam esse moratam nihil est aliud, quam quod personæ, quæ repræsentantur in scena ut loquentes et agentes, per orationem et facta patefaciant electionem animi bonam vel malam, per quam nimirum honesta vel inhonesta certo ac deliberato consilio sectantur. Tragœdia igitur erit bonis moribus imbuta, cum personæ, quæ repræsentantur, per ea, quæ dicunt ac faciunt, indicant, se habere electionem honestam et bonam; erit malis moribus imbuta, cum indicant, se habere electionem inhonestam ac malam. *Tertio* supponendum, quod unusquisque potest esse bonus et malus in suo genere; ex. gr., non solum vir potest esse bonus, sed etiam mulier, licet sit imperfectior viro; servus autem licet videatur simpliciter imperfectus et quodammodo malus, adhuc potest esse bonus in genere servi.

3. *Quoad secundum :* his suppositis, quatuor circa mores sunt observanda ad pulcherrimam tragœdiam constituendam. *Primum* est, ut sicut num. 1, dicebamus, singuli habeant et patefaciant mores in suo genere bonos potius quam malos, in quantum fabula fert; imo propter hoc ipsum fabula ita est constituenda, ut singuli possint habere et exprimere bonos mores potius quam malos. Ratio est, quia imitatio proborum morum confert plurimum ad bene formandos mores spectatorum. *Secundum* est, ut singuli exprimant mores ipsis convenientes, puta mulier exprimat mores convenientes mulieri, etc. Licet enim in viro mos laudabilis sit *esse fortem atque terribilem*, tamen hic mos non est conveniens mulieri, adeoque non est illi affingendus. *Tertium* est, ut habeant mores similes, puta si inducitur Græcus vel Barbarus, debet habere mores similes moribus Græcorum et Barbarorum; si inducitur Achilles aut Paris, debent habere tales mores, quales homines

ex fama persuadent sibi habuisse Achillem ac Paridem. Ex hoc patet, quod *habere mores similes* aliud est, ac *habere mores bonos ac convenientes.* Posset enim Græcus induci habens mores bonos et convenientes viro, sed non similes moribus Græcorum. *Quartum* est, ut habeant mores æquales ac cohærentes. Si igitur accidat, ut quis personam gerat alicujus in moribus inæqualis atque inconstantis, in hac ipsa inæqualitate atque inconstantia fingi debet æqualis ac constans.

4. Exempla Tragœdiarum, in quibus peccatum est contra quatuor allatas conditiones morum possumus afferre præsertim ex Euripide. Hic igitur in Oreste peccavit contra *primam* conditionem fingendi mores bonos potius quam malos, quia sine ulla necessitate finxit Menelaum, ut valde improbum; in quo videtur etiam peccasse contra *tertiam* conditionem, quia affinxit Menelao mores dissimiles, siquidem fama constat Menelaum non fuisse malis sed bonis potius moribus præditum. Contra *secundam* conditionem fingendi mores convenientes peccavit quidam poeta, qui inducit Ulyssem, dum Scyllam ac Charibdim præternavigaret, in lamentationem quamdam erumpentem, quæ virum fortem, qualis Ulysses fuit, non decet. Peccavit etiam Euripides, apud quem Menalippes puella duos infantes furtim conceptos, furtim enixa, cum pater illos in stabulo invenisset, orationem habet, qua rationibus ex intima Philosophia petitis, conatur parenti suadere potuisse illos ex bobus oriri. Demum contra *quartam* conditionem fingendi mores æquales peccavit Euripides in tragœdia, quæ inscribitur *Iphigenia in Aulide,* apud quem Iphigenia exhibet mores valde inæquales; siquidem illa eadem, quæ initio fingitur valde timida ac mortem reformidans, ac deprecans, in postrema parte tragœdiæ fingitur magna ac plus quam virili fortitudine et constantia oppetens mortem.

4. Est autem exemplum improborum morum non ex necessitate, ut Menelaus in Oreste: ejus vero quod non deceat et non conveniat, tum lamentatio Ulyssis in Scylla, tum Menalippæ dictio. At inæqualium in Aulide Iphigenia; nullam enim in partem similis est, dum orat, ei quæ apparet posterius.

5. Oportet autem et in moribus, ut etiam in rerum constitutione, semper quærere vel necessarium vel verisimile: et hoc post hoc fieri vel ex necessitate vel ex verisimilitudine.

6. Apparet igitur et solutiones fabularum ex ipsa oportere fabula contingere, et non ut in Medea a machina, et in Iliade ea quæ sunt circa renavigationem. Sed machina uti opus est ad ea quæ sunt extra actionem, aut quæcumque ante facta sunt, quæ fieri non potest, ut homo sciat, aut quæcumque postea, quæ egent prædicatione et nuntiatione; omnia enim videre tribuimus diis. At sine ratione in rebus nihil esse oportet; sin minus, id extra tragœdiam sit, ut quæ sunt in Œdipode Sophoclis.

7. Quoniam autem tragœdia est meliorum imitatio, oportet nos imitari bonos formarum fictores. Etenim illi cum tribuant propriam formam, faciendo similes pulchriores fingunt. Sic etiam oportet poetam imitantem et iracundos et socordes et alia talia habentes in moribus, cum tales sint, probitatis facere exemplum ac duritiæ, ut Achillem bonum etiam Homerus. Jam vero hæc oportet servare, et ad hæc ea quæ sub sensum cadunt consequentia poeticæ, præter illa quæ sunt ex necessitate; etenim secundum ipsa sæpenumero contingit peccare. Dictum autem est satis de ipsis in editis libris.

5. *Quoad tertium*: non solum mores debent esse quales descripsimus, sed etiam debent recte cum rebus ordinari. Sicut igitur res debent ita constitui, ut ex eo, quod ante factum est, sequatur necessario vel verisimiliter id, quod nunc fit, sic mores debent ita fingi et ordinari, ut ex eo, quod quis sit talibus moribus præditus, necessario vel verisimiliter sequatur, quod talia agat ac dicat, adeoque necessarium ac verisimile fit, ut postquam hoc dixit ac fecit, faciat ac dicat hoc aliud.

6. *Quoad quartum*: ex iis, quæ dicta sunt de ordinatione rerum ac morum, potest obiter inferri, quid sit dicendum de solutione fabulæ. Sicut res debent ita ordinari, ut ex una sequatur altera necessario vel verisimiliter, sic ipsa fabulæ solutio debet sequi ex iis, quæ aguntur, non autem fabula debet solvi per machinam, inducto in scenam aliquo deo.— Duo exempla Tragœdiarum, in quibus fabulæ nodus per machinam solvitur, Aristoteles affert. *Primum* est Medeæ Euripidis, in qua Medea, cum de Iasone ultionem suscepisset ac septa muris Corinthi ex manibus Jasonis effugere non posset, ad hunc nodum solvendum advocatur machina. Accepto enim a Sole curru, Medea conatus Jasonis eludit ac fugit. *Secundum* desumitur ex quadam tragœdia, in qua agebatur de reditu seu renavigatione Græcorum in patriam, post Troiam expugnatam, in qua similiter nodus solve-

batur per machinam; sed quia hæc tragœdia non extat, quinam esset nodus et quæ ipsius solutio, divinare non possumus. Aliquando possumus per machinam vel alia ratione aliquem deum inducere ad patefaciendum aliquid, quod extra fabulam fit atque ab hominibus sciri nequeat, puta ad revelandum aliquid occultum multo tempore antea factum, vel quod tempore dramatis in loco longinquo fieri fingitur, vel ad prænunciandum aliquid futurum ac post faciendum. Ratio est, quia hæc humanam scientiam superant; ergo non indecore ad ea patefacienda inducitur aliquis ex diis, quos gentiles censebant omniscios. Secundum est, quod debemus cavere, ne quidquam absurdum aut inverisimile fingamus. Si vero aliquid absurdum aut inverisimile sit fingendum, curandum, ut sit extra fabulam, eo quod supponatur ut alio tempore gestum. Ita Sophocles quandoquidem minus verisimiliter coactus est fingere, quod Œdipus, qui Laio paulo ante exstincto successit in regnum, ignoraret quo genere mortis et quo loco Laius fuisset occisus, hanc verisimilitudinem posuit extra fabulam, fingens Œdipum tum cum factus fuit rex, de nece Laii non interrogasse.

7. *Quoad quintum*: circa expressionem morum duo præcepta sunt addenda. *Primum* est quod, quia Tragœdia est imitatio meliorum secundum mores, qui spectant ad animum, sequi debemus præstantes pictores, qui imitantur corpora secundum, exteriorem speciem ac formam. Sicut igitur pictores cum alicujus imaginem pingunt, ita conantur facere similem, ut faciant pulchriorem; sic poeta cum imitatur iracundos vel mansuetos et alio modo se habentes in moribus, ita debet facere similes, ut faciat meliores, eo pacto, quo Homerus et Agathon ita finxerunt Achillem summe iracundum, ut cum in ipsa iracundia bonis moribus præditum expresserint. *Secundum* est, quod quia Tragœdiæ debent in scena sensibus repræsentari, poeta in Tragœdiis pangendis debet curare ut tali repræsentationi sint accommodatæ, ideoque multi poetarum peccant, qui Tragœdias scribunt tales, ut non sint idoneæ, quæ sensibus in scena repræsententur, ut dictum est in aliis libris a nobis editis.

CAPUT XIII

QUOT SINT MODI SEU SPECIES AGNITIONUM, ET QUÆ SIT PULCHERRIMA AGNITIO.

1. [16] Ac agnitio quid sit, dictum est prius. Species autem agnitionis.

2* prima est, quæ maxime expers est artis et qua plurimi utuntur propter penuriam, quæ per signa fit; eaque partim innata, ut lanceam quam Terrigenæ ferunt, aut stellas, quales in Thyeste dicit Carcinus; partim adventicia, aut in corpore, ut cicatrices, aut extra, ut monilia, et ut in Tyrone per scapham. Ac licet his uti vel melius vel pejus, ut Ulysses per cicatricem aliter agnitus est a nutrice, aliter a subulcis. Et sunt quidem, quæ fidei causa adhibentur, magis artis expertes, etiam hujusmodi omnes. Quæ vero ex peripetia, ut quæ in Niptris, meliores.

3. Secundæ sunt quæ a poeta factæ sunt. Itaque expertes artis, ut Orestes in Iphigenia agnovit sororem agnitus ab ipsa. Hæc quidem agnita per epistolam, ille vero per signa. Ac ipse quidem dicit quæ vult poeta, sed non fabula. Quare a dicto peccato non longe abest (licebat enim quædam interponere) etiam in Sophoclis Tereo radii vox.

1. Quia ad pulcherrimam tragœdiam, summopere refert, ut in ea detur agnitio personæ eaque optimo modo fiat, quandoquidem supra cap. IX, num. 4. explicavimus, quid sit agnitio ac quorum sit, proponere hic debemus, quot sint modi seu species agnitionis personarum, ac deinde examinare, qui modus sit optimus atque pulcherrimæ tragœdiæ accommodatissimus.

2. Modi seu *species* agnitionis personarum reduci possunt ad *quinque*. *Primus* ac maxime expers artis et quo utuntur plurimi, quia non occurrit illis modus melior, est per quem quis agnoscitur ex signis. Signa alia sunt innata, alia adventitia. Signa innata sunt, cum quibus quis natus est, qualis erat lancea, quam ab ipsa nativitate impressam in corpore gerebant Thebis, qui dicebantur Terrigenæ, eo quod ex terra censerentur exorti, quippe qui originem trahebant ab aliquo ex iis, qui orti erant ex dentibus a Cadmo seminatis; et quales erant stellæ, quæ ab ipsa nativitate apparebant in corpore filiorum Thyestis, ut fingit Carcinus in quadam sua tragœdia, per quas Thyestes filios a se voratos agnovit. Signa adventitia sunt, cum quibus quis natus non est. Ex his quædam sunt in ipso corpore impressa, ut cicatrices; quædam sunt extrinseca, ut monilia et

cunæ, per quas facta fuit quædam agnitio in tragœdia, quæ inscribebatur Tyrus, quæ tragœdia amplius non extat. Possumus his signis ad agnitionem fingendam melius vel deterius uti. Et quidem melior est agnitio, si quis aliquod signum advertens, personam agnoscat; est deterior, si quis hæc signa patefaciat, ut agnoscatur. Explicatur exemplo. Fingit Homerus in corpore Ulyssis fuisse cicatricem ex vulnere ab apro quondam accepto. Ex hoc signo diversa ratione agnoscitur primo quidem a subulcis, deinde vero ab Euryclea Ulyssis nutrice. Nam a subulcis agnoscitur Ulysse cicatricem ostendente, ut agnosceretur; ab Euryclea vero agnoscitur casu, dum pedes Ulyssis lavat, in cicatricem oculos conjiciente, ideoque hæc agnitio nutricis est multo pulchrior.

3. *Secundus* modus agnitionis est, cum quis agnoscitur sine signis per ea, quæ poeta confingit dici ac fieri ad hoc, ut fiat agnitio, cum alioquin series fabulæ non postulet hæc dici vel fieri, ideoque est expers artis. Duo hujus agnitionis exempla Aristoteles affert. *Primum* desumitur ex Euripidis Iphigenia in Tauris, in qua postquam Iphigenia fuit agnita ab Oreste fratre ex epistola, et propter ipsam seriem rerum, ut explicabitur paulo post num. 6. cum agemus de quinta specie agnitionis, ipsa agnoscit Orestem per ea, quæ Orestes dicit, ut agnoscatur. Dicit autem Orestes quæ poeta vult, cum fabulæ series non postulet, ut dicat potius hæc quam alia, ideoque hæc agnitio affinis est culpæ, cum potuissent æque bene alia dici. *Secundum* exemplum desumitur ex Tereo Sophoclis, quæ tragœdia non extat. Fortasse fabula erat ita conficta. Tereus cum vim intulisset Philomelæ, illique linguam abscidisset, ne posset injuriam acceptam eloqui, duxit illam in Thraciam, eamque tanquam ancillam deposuit apud Lathusam Lyncei regis uxorem, apud quam exercebat opus texendi. Casu accidit, ut Prognes Philomelæ soror ad Lathusam, cui hospitii jure erat conjuncta, diverteret, ac cum apud ipsam hospitaretur, audiret vocem radii Philomelæ texentis, ac vellet illam videre, ad eamque ducta sororem agnosceret. Prognes igitur sororem agnoscit ex voce radii, quam auditam fingit poeta, ut fiat agnitio, cum posset ad eumdem finem plura alia confingere, siquidem series fabulæ non postulat unum potius quam aliud.

4. Tertia agnitio est, quæ per memoriam fit, cum quis sentit aliquid videndo, ut quæ in Cypriis Dicæogenis ; cum enim picturam inspexisset, luxit; et quæ in Alcinoi apologo ; citharœdum audiens et recordatus lacrimavit; unde agniti sunt.

5. Quarta quæ ex syllogismo, ut in Chœphoris, quia similis quidam venit ; atqui similis nullus præterquam Orestes ; ergo iste venit. Et quæ Polyidis sophistæ de Iphigenia ; verisimile namque est Orestem ratiocinari et sororem immolatam esse et ipsi contingere immolari. Et in Tydeo Theodectis, quod cum venisset ut inventurus filium, ipse periit. Et quæ in Phœnicibus ; cum enim locum vidissent, ratiocinatæ sunt fatum, quod fato statutum esset ipsis moriendum esse ; etenim ibi expositæ sunt. Est etiam quædam composita ex paralogismo theatri, ut in Ulysse falso nuntio hic enim inquit; se arcum cogniturum, quem non viderat; ille vero quasi is agnovisset, propterea paralogismum fecit.

6. Omnium autem optima agnitio est, quæ ex ipsis rebus est, facta consternatione per verisimilia, ut in Sophoclis Œdipode et in Iphigenia ; verisimile enim est eam velle dare litteras; tales enim solæ sine factis signis et monilibus sunt. At secundæ sunt quæ per syllogismum fiunt.

4. *Tertius modus* agnitionis est, cum quis ex eo, quod aliquid videat vel audiat, recordatus veterum suarum fortunarum, in quosdam actus erumpit, quibus se prodit, ita ut agnoscatur. Duo exempla Aristoteles affert. *Primum* desumitur ex Cypriis Dicæogenis, quod opus non extat. In eo quidam cum videret picturam, in qua fortasse representabatur aliquod infortunium ad ipsum spectans, in ploratum erumpit et agnoscitur. *Secundum* exemplum desumitur ex Odyssea Homeri, in qua Ulysses naufragus ab Alcinoo rege Phæacum hospitio exceptus, audiens citharœdum canentem fortunas Græcorum apud Troiam, recordatus suarum fortunarum lachrymas nequit continere et agnoscitur.

5. *Quartus modus* est, cum ex eo, quod quis aliquid facit ac dicit, alter syllogizat et concludens, quis sit, cum agnoscit. Quatuor exempla Aristoteles affert. *Primum* desumitur ex Chœphoris Æschyli tragœdia, Orestes cum in patriam redisset ultionem de Agamemnonis patris nece sumpturus, divertit ad Agamemnonis sepulcrum manes parentis placaturus, atque ibi cæsariem ritu gentilium relinquit. Non multo post Electra soror Orestis

ad Agamemnonis bustum accedit cum grege ancillarum, ac cæsarie inventa, cum advertisset illam esse similem comæ ipsius Electræ, in colore capillorum, syllogizat : *Venit aliquis habens cæsariem similem meæ comæ; non est alius, qui talem habeat cæsariem, nisi Orestes frater meus; ergo venit Orestes, frater meus.* — *Secundum* exemplum desumitur ex Iphigenia Polyidis sophistæ, quæ tragœdia non exstat. Venerat Orestes cum Pylade amico in Tauros, ubi advenæ ad ea loca appulsi Dianæ mactabantur ab Iphigenia iis sacris præposita, et simul capti alteruter eorum destinatur neci. Oritur contentio uter debeat sacrificari. Orestes dicit sibi id fatum deberi, siquidem et ipsius soror jam dudum fuerat immolata. Ex hoc syllogizat Iphigenia : *Hic est Græcus et soror ipsius fuit immolata; sed ex Græcis nulla alia fuit immolata, nisi ego; ergo hic est frater meus Orestes,* et sic syllogismo germanum agnoscit. — *Tertium* exemplum desumitur ex Tydeo Theodectis, quæ tragœdia non exstat. Videtur vero fabula ita conficta. Venerat quidam, ut filium, quem amiserat, inveniret, atque eo ex variis casibus res erat deducta, ut ipse ad mortem damnaretur. Jam ad necem ducendus de suo infortunio conquerens dicit : *Ego veneram ut filium invenirem, et ecce ipse morti destinor.* Audit filius, qui forte aderat, et ratiocinatur : *Hic filium amisit; sed ego cum essem infans amispus fui a patre meo; ergo verisimile est hunc esse meum patrem,* et hoc syllogismo parentem agnoscit. — *Quartum* exemplum desumitur ex fabula quadam, quæ inscribebatur Phænissæ, quæ non exstat, ejusque, auctor nescitur. Videtur vero fabula sic se habuisse. Quædam mulieres, quæ ab infantia in quodam loco fuerant expositæ, ex variis infortuniis eo fuerant deductæ, ut in eodem loco essent necandæ. Cum in conspectum ejus loci venissent, dicunt : *Ita in fatis erat, ut hoc loco moreremur. Ab infantia siquidem hic fuimus expositæ, et tum a morte liberatæ, post tot annos in eumdem locum reducimur, ut moriamur.* Audit pater vel frater, qui præsens aderat, et ratiocinatur : *Istæ fuerunt ab infantia hic expositæ; meæ filiæ vel meæ sorores fuerunt hic expositæ; ergo verisimile est has esse meas filias vel sorores.* — Addit Aristoteles, dari etiam falsam agnitionem factam ex paralogismo, quo etiam decipiatur theatrum. Exemplum affert ex quadam tragœdia, quæ non extat, et inscribitur : Falsus de Ulysse nuncius. Fortasse fabula ita fuit confecta. Quia Penelopes existimans Ulyssem adhuc vivere, nullum procorum volebat ducere in maritum, Proci falsum de Ulyssis morte nuncium confingunt. Accedit quidam, qui dicit se esse puerum, qui olim Ulyssem ad bellum Troianum fuerat comitatus, ac narrat Ulyssem mortuum. Ut vero persuadeat, se esse illum puerum, dicit : *Afferte ad me varios arcus, et inter ipsos arcum Ulyssis : ego illum agnoscam, quia cum essem puer, illum domino meo gestabam.* Afferuntur arcus; agnoscit illum fortasse ex signo, de quo fuerat a procis edoctus. Paralogizat Euclya mater Ulyssis : *Hic agnovit arcum; non potuisset agnoscere, nisi esset puer Ulyssis; ergo hic est puer Ulyssis ac verum de ejus morte nuntium affert,* et dolore ac desperatione correpta se interficit.

6. *Quintus* et optimus *modus* agnitionis est, cum ex ipsis rebus, quæ fiunt necessario vel verisimiliter postulante fabulæ serie, fit agnitio cum quodam stupore omnium. Duo exempla affert. *Primum* desumitur ex Sophoclis Œdipo Tyranno, in quo fabula ita est ordinata, ut ex iis, quæ necessario vel verisimiliter aguntur, Œdipus deprehendat se esse filium Laii ac Jocastes, quorum alterum interfecerat, alteram duxerat in uxorem, ut explicatum est cap. IX, num. 3. *Secundum* exemplum desumitur ex Euripidis Iphigenia in Tauris, in qua sic fabula concinnatur. Orestes cum Pylade defertur in Tauros, ubi advenæ mactabantur Dianæ ac Iphigenia præerat infandis sacris. Capiuntur ac sacrificio destinantur. Iphigenia comperiens illos esse homines Græcos, impetrat vitam alteri, ut ipsum cum epistola in patriam remittat, atque oretenus etiam mandata dat Oresti fratri deferenda. Audit Orestes et cum omnium stupore ex ipsa fabulæ serie sororem agnoscit. Hæc igitur, quæ fit ex fabulæ serie sine ullis signis vel monilibus vel aliis a poeta gratis confictis et additis, est agnitionum pulcherrima, ut patet ex stupore, quo spectatores et auditores consternantur. Secundum locum tenet agnitio, quæ fit per syllogismum. Quem locum aliæ teneant, Aristoteles non explicat. Videtur, quod tertium locum teneat, quæ fit per memoriam, ut explicatum est num. 4; quartum locum teneat, quæ fit per ea, quæ sunt a poeta conficta ad hunc finem; ultimum locum teneat, quæ fit per signa.

CAPUT XIV

TRADUNTUR DUO PRÆCEPTA AD SERVANDUM DECORUM, ET AD BENE REPRÆSENTENDOS EOS, QUI AFFECTIBUS AGITANTUR.

1. [17] Fabulæ autem sunt constituendæ et elocutione conficiendæ quam maxime ante oculos ponendo ; sic enim evidentissime perspiciens, tanquam rebus ipsis præsens fuerit dum gerebantur, inveniet quod decet, et ipsum minime fallent subcontraria.

2. Signum autem hujus rei est quod reprehenditur in Carcino ; Amphiaraus enim e fano exiit; quod fefellit spectatorem non videntem ; in scena vero lapsus est, ægre ferentibus id spectatoribus,

3. Quantum autem fieri potest, oportet figuris exornando exercere poesim ; maxime enim persuasibiles sunt ab eadem natura, qui in perturbationibus sunt; quamobrem et fluctuare facit fluctuans, et ad iram concitat iratus verissime. Itaque ingeniosi poetica est vel furore perciti ; ex his enim alii quidem bene fortunati, alii vero extra se positi sunt,

Non potest Tragœdia optime se habere, nisi in ea servetur decorum et nisi vitentur contrarietates. Ad Tragœdiæ etiam pulchritudinem conducit, ut bene repræsententur ii, qui affectibus agitantur, et ut fabula congruis episodiis seu digressionibus amplificetur. Aristoteles igitur, ut nihil omittat eorum, quæ ad pulcherrimam Tragœdiam pertinent, tradit tria præcepta circa hæc.

1. *Primum præceptum* est : ut poeta in fabula constituenda et per elocutionem exornanda, decorum servet ac contrarietates evitet, debet sibi in quantum potest ponere ob oculos res, ac si in scena agerentur. Ratio est, quia ut poeta servet decorum, ac non fingat incohærentia ac mutuo repugnantia, debet videre, quid deceat et quid repugnet, minusque cohæreat cæteris, quæ aguntur; sed si res ipsas sibi ponat ob oculos, ac si agerentur in scena, facilius videbit, quid deceat, nec ipsum latebit, si quid repugnet, minusque cohæreat cæteris, quæ aguntur; ergo, etc. — Probatur minor. Nam spectatores etiam indocti, dum Tragœdia agitur, vident quid deceat ac quid repugnet; ergo multo magis poetæ, si rem sibi proponant ob oculos, ac si ageretur, poterunt hæc advertere.

2. Confirmatur ex signo. Carcinus enim, quia non sibi proposuit ob oculos fabulam, ac si ageretur, lapsus est ac repugnantia finxit, ideoque cum haberetur tragoedia in theatro, reprehensus atque explosus est a populo stomachante incohærentiam eorum, quæ repræsentabantur; ergo, etc. Quid sit id, in quo lapsus est Carcinus, ita ut repugnantia finxerit, nec potest videri in ejus tragoedia, quæ non exstat, nec potest divinari ex verbis Aristotelis, qui solum innuit incohærentiam versari in hoc, quod Amphiaraus exivit de templo. Fortasse in fabula fingebatur Amphiaraus clam e templo exiens ac fugiens; in tragoedia vero habenda inductus fuit Amphiaraus exiens ac fugiens e templo in talibus circumstantiis, ut ea fuga non posset videri clandestina et occulta, quam contrarietatem cum spectatores advertissent, Carcinum exsibilarunt; qui profecto in hanc incohærentiam non incidisset, si tragœdiam scribens Amphiarai fugam furtivam, ac si repræsentaretur in scena, sibi ob oculos posuisset.

3. *Secundum præceptum* est : ut poeta ad vivum exprimat eos, qui affectibus agitantur, conari debet, ut eorum figuras ac formas induat, puta ut cum exprimere vult iratum, induat figuram et affectum hominis irati, etc. Ratio est, quia qui aliquid sentiunt et quibusdam perturbationibus agitantur, propter hoc ipsum ex natura rei sunt magis apti ad similes sensus et affectus in aliis excitandos, persuadendo aliis, quod ipsi sentiunt, atque alios perturbando affectibus, quibus ipsi agitantur. Ex. gr., qui fluctuant aut irascuntur facile alios movent ad similem fluctuationem et iram; ergo ad hoc, ut poeta ita exprimat ad vivum homines affectibus agitatos, ut spectatores perturbet, debet ipse figuras et affectus perturbatorum induere. Hinc Aristoteles infert illos ad Poesim esse maxime aptos ex natura sua, qui vel valde sunt ingeniosi, vel sunt fanatici, ita ut facile affectibus in modum furentium agitentur. Ratio est, quia Poesis est imitatio; sed ad hoc, ut quis sit aptus ad imitandum, requiritur, ut vel facile possit induere affectus atque habitus eorum, quos debet imitari, quod est proprium fanatici; vel ut licet non induat tales affectus, possit videre, quænam conveniant iis, qui affectibus agitantur, quod est proprium ingeniosi; ergo ad hoc, ut quis sit naturaliter aptus ad Poesim, debet esse vel fanaticus, vel valde ingeniosus.

CAPUT XV

TRADITUR TERTIUM PRÆCEPTUM AD FABULAM CONGRUIS EPISODIIS SEU DIGRESSIONIBUS AMPLIFICANDAM.

1. Hos autem sermones oportet esse factos, et ipsum facientem exponere in universum, deinde episodiis uti, eaque inserere. Dico vero sic universum spectari, ut Iphigeniæ. Cum esset immolata quædam virgo sublataque immolantibus non manifesto ac comportata in aliam regionem, in qua lex erat hospites deæ immolare, hoc sacerdotium obtinuit. Tempore autem sequenti fratri sacerdotis huc venire contingit propter nescio quid, quoniam responsum dedit deus propter aliquam causam, quæ extra universum est, eo venire ; sed quamobrem, id extra fabulam est. Cum vero venisset et captus esset, dum immolandus esset, agnovit, sive ut Euripides, sive ut Polyides fecit, dicens secundum verisimile non solum sororem sed etiam ipsum sacrificari oportuisse, et hinc salutem. Post hæc cum quis jam nomina supposuerit, eum episodiis uti oportebit. Et quando erunt propria episodia, considerare, ut in Oreste insania, propter quam captus est, et salus per expiationem. Ac in dramatibus quidem episodia concisa sunt, epopœia vero his producitur. Odysseæ enim longus sermo est,

2* de quodam multos annos peregrinante et observato a Neptuno, et dum solus esset; et præterea sic se habentibus domesticis rebus ut fortunæ ipsius a procis consumerentur et filius insidiis peteretur, ipse venit tempestatibus perturbatus, et cum quosdam agnovisset, ipsos decipiens ipse quidem servatus est, inimicos vero perdidit. Ac proprium quidem est hoc, alia vero episodia.

1. *Tertium præceptum* est : ut poeta possit fabulam congruis episodiis seu digressionibus amplificare, debet prius universalem fabulam struere sine ullis episodiis ac sine nominibus personarum, deinde debet nomina imponere, episodia excogitare et opportunis locis inserere. Explicatur, proponendo exempla duarum universalium fabularum, unius tragicæ, alterius epicæ. Universalis fabula tragica ex Euripidis ac Polydis tragœdiis de Iphigenia in Tauris abstracta hæc est. Cum quædam virgo jam esset immolanda, ex oculis immolantium erepta atque in aliam regionem translata, in qua ex lege deæ quidam mactabantur advenæ, his nefandis sacris præposita est. Post multum temporis accidit, ut frater virginis propter quamdam causam in eam regionem veniret; siquidem deus aliquis præceperat, ut ex quadam causa, quæ ad fabulæ universalis constitutionem haud pertinet, illas peteret terras. Cum captus fuisset atque a sorore mactari deberet, facta est agnitio, vel ex epistola, ut fingit Euripides juxta dicta cap. XIII, num. 6, vel ut fingit verisimiliter Polyides juxta dicta eodem cap. num. 5, quia ipse dixit, sibi deberi fatum sororis, siquidem etiam ipsa fuerat immolata; ex agnitione vero orta est salus. Constituta hac universali fabula, poeta debet personis nomina imponere, eo pacto, quo Euripides, virginem præpositam sacrificiis advenarum vocavit Iphigeniam, fratrem ejus Orestem; deinde vero debet fabulam episodiis amplificare, quæ episodia non debent esse disjuncta ac communia, sed propria, apte cum universali fabula cohærentia. Ita Euripides, ut explicaret, quo pacto Orestes cum Pylade captus fuerit, finxit illum furore agitari cœpisse, ac districto gladio impetum fecisse in greges, ideoque a pastoribus captum et ad Thoantem regem fuisse perductum, ab eoque destinatum ad sacrificium. Ut vero explicaret, quo pacto per factam agnitionem Orestes fuerit a sorore salvatus, fingit episodium purgationis. Iphigenia enim, ut fratrem a morte liberaret, atque una cum eo fugam arriperet, commenta est apud regem, expiandum esse simulacrum pollutum aspectu Orestis matricidæ, atque ipsum Orestem, qui debebat mactari, esse purgandum, adeoque tum simulacrum tum Orestem abluendum aqua marina. Annuit rex ; simulacrum ab Iphigenia in navim asportatur, atque omnes una cum simulacro fugiunt atque in Græciam redeunt incolumes. Hæc porro episodia in Tragœdia, et universim in quolibet dramate debent esse brevia; in epopœia vero, quæ est poema longum possunt magis produci. Sed jam proponendum est exemplum universalis fabulæ epicæ.

2. Universalis igitur fabula epica abstracta ex Odyssea Homeri est. Cum quidam plures per annos, Neptuno illi infenso, extorris a patria fuisset terris pelagoque jactatus, ac sociis amissis, remansisset solus; cumque eodem tempore Proci optantes ducere in matrimonium uxorem ipsius, facultates ejus absumerent ac filio insidiarentur, ut eum vita privarent, in patriam tandem remeavit,

et a quibusdam cognitus, alios fallens, inimicos necavit, ipse vero incolumis uxorem, filium, domum et facultates recepit. Hæc igitur est universalis fabula Homericæ Odysseæ. Reliqua spectant ad episodia.

CAPUT XVI

DE DUABUS PARTIBUS TRAGŒDIÆ, QUÆ SUNT NODUS ET SOLUTIO.

1. [18] Est autem omnis tragœdiæ una quidem pars nexus, altera vero solutio. Ea quidem quæ sunt extra, et aliqua eorum quæ intra, sæpenumero sunt nexus, reliquum vero est solutio. Dico autem, nexum esse eum qui a principio est usque ad eam partem, quæ postrema est, ex qua transit in prosperam fortunam vel adversam, solutionem vero, quæ est a principio transitus usque ad finem,

2* ut in Lynceo Theodectis nexus sunt ea quæ gesta sunt et pueri sumptio, at solutio, quæ est ab objectione mortis usque ad finem.

Traditurus Aristoteles alia præcepta, quia quædam talium præceptorum non possunt satis percipi, nisi præmittatur, quid sit nodus et quid solutio, nec non quot et quæ sint species Tragœdiæ, ideo hæc præmittit.

1. *Quoad primum :* cujuscumque Tragœdiæ, saltem implexæ, duæ sunt partes, nodus nimirum et solutio. Nodus est *illa pars Tragœdiæ, quæ durat ab initio usque ad illam partem, in qua fit extrema mutatio ex felicitate in miseriam, vel ex miseria in felicitatem.* Solutio est *altera pars Tragœdiæ, per quam ab extrema mutatione res ad exitum perducitur.* Nodus solet comprehendere non solum multa, quæ in ipsa Tragœdia repræsentantur, acsi tum fierent, sed etiam plura, quæ per episodia narrantur, ut extra Tragœdiæ tempus ac locum aliis temporibus ac locis facta; et quia hæc continentur prologo et episodio seu primis quatuor actibus, ideo nodus complectitur prologum et episodium, seu primos quatuor actus. Solutio vero coincidit cum exodo, seu cum quinto actu Tragœdiæ, de quibus actum est supra cap. X.

2. Proponit Aristoteles exemplum nodi ac solutionis ex Lynceo Theodectis, quæ Tragœdia non extat. Ejus autem argumentum erat hujusmodi. Tereus, cum vim intulisset Philomelæ, duxit illam in Thraciam, eamque deposuit apud Lathusam Lyncei regis uxorem. Ibi cum Prognes Philomelæ soror, quæ ad Lathusam diverterat, ut dictum est cap. XIII, num. 3, Philomelam agnovisset ac factum rescisset, ut vindictam de Tereo sumeret, statuit Itym filium Terei epulandum patri apponere, ideoque Itym clam interficit. Tereus, cum filium non inveniret, putat Dryantem fratrem, ad quem, Ity sublato, regnum Terei post ipsius Terei mortem pervenisset, auctorem cædis fuisse, ideoque Dryantem interficit ac non multo post Itym filium a Progne sibi appositum comedit. In hac igitur Tragœdia omnia, quæ fiunt, antequam Ity capto et interempto Tereus ex felicitate mutetur in miseriam, spectant ad nodum; reliqua a capto Ity usque ad finem spectant ad solutionem.

CAPUT XVII — ART. I

DE QUATUOR TRAGŒDIÆ SPECIEBUS, IMPLEXA NIMIRUM, PATHETICA, MORATA ET SIMPLICI.

1. Tragœdiæ species sunt quatuor; tot enim etiam partes dictæ sunt. Una quidem implexa, cujus totum est peripetia et agnitio; altera vero affecta, ut Ajaces et Ixiones; tertia morata, ut Phthiotides et Peleus; quarta, ut Phorcides et Prometheus, et quæcumque apud inferos.

1. *Quoad secundum :* quatuor sunt Tragœdiæ species, desumptæ ex quatuor speciebus fabularum, quæ possunt repræsentari, implexa nimirum, pathetica, morata et simplex. *Tragœdia implexa* est, quæ tota pæne consistit in eo, ut repræsentet peripetiam, sive ingentem fortunæ mutationem vi agnitionis mirabilis factam. Exemplum potest esse Œdipus Tyrannus Sophoclis, in qua repræsentatur Œdipus ex felicitate in summam miseriam per agnitionem præcipitans. *Tragœdia pathetica* est, quæ tota pæne consistit in eo, ut repræsentet aliquem magnis affectibus agitatum, qui sint in causa, ut atrocia patiatur aut agat. Exempla sunt Ajaces et Ixiones. Plures enim variorum poetarum tragœdiæ, quæ inscribuntur *Ajax*, totæ sunt in repræsentando Ajace ex magnitudine doloris et iræ in furorem incidente, ac primo gregibus, deinde sibi ipsi manus inferente. Plures tragœdiæ, quæ inscribuntur *Ixion*, totæ

sunt in repræsentando Ixione, qui sacrilego Junonis amore agitatus, atrocia audet, deinde patitur, quippe cum in infernum detrudatur et rotæ affigatur, quæ perpetuo circumagitur. *Tragœdia morata* est, quæ tota pæne consistit in repræsentando aliquo bonis moribus prædito, qui fortunam præsertim adversam æquo animo ferat. Exempla sunt Phthiotides, mulieres nimirum quædam a patria Phthio sic dictæ, quæ fortasse, cum probis moribus essent præditæ, in adversa fortuna egregie se gesserunt; ac Peleus, qui propter egregiam virtutem diis carus fuisse fingitur, ac licet adversa fortuna diu jactatus, tandem e periculis deorum auxilio evasisse. Porro hæ tragœdiæ non exstant, ideoque hæc ex conjectura dixisse sufficiat. *Tragœdia simplex* est, quæ tota pæne consistit in repræsentando aliquo in continua quadam miseria et assiduis doloribus constituto. Primum exemplum possunt esse Phorcides tragœdia Aeschyli, quæ non exstat, in qua virgines quædam a patre Phorco Phorcides dictæ, repræsentabantur, ut in continuis miseriis ac doloribus constitutæ. Secundum exemplum est Prometheus vinctus ejusdem Æschyli, quæ pariter tragœdia non exstat. Possunt etiam in exemplum adduci omnes illæ tragœdiæ, in quibus repræsentantur supplicia quorumdam apud inferos, puta supplicium Titi vel Tantali.

ART. II

TRADUNTUR QUATUOR PRÆCEPTA CIRCA SPECIES TRAGŒDIÆ; CIRCA EJUSDEM NODUM AC SOLUTIONEM; CIRCA MAGNITUDINEM FABULARUM ET CIRCA RES ADMIRABILES.

2. Ac omnia quidem maximopere conandum est, ut habeantur; sin autem, maxima et plurima, præsertim ut nunc criminationem objiciunt poetis. Cum enim boni fuerint secundum unamquamque partem poetæ, unum superare singulos in proprio bono dignum existimant.

3. Justum autem est et tragœdiam aliam et eamdem dicere nihil fortasse ob fabulam. Hoc vero intelligitur in iis, quarum eadem plicatio et solutio est. Multi qui bene plicarunt, solvunt male.

4. Ac ambo semper cum plausu excipi oportet. Et oportet, quod dictum est, sæpe in memoriam revocare, et non efficere, ut tragœdia sit epopœica constitutio. Dico epopœicam, quæ multas fabulas continet, ut si quis totam fabulam Iliadis conficiat. Ibi enim propter longitudinem partes assumunt convenientem magnitudinem; in dramatibus vero multum præter existimationem accidit. Signum vero est, quod quicumque expugnationem Ilii totam fecerunt et non secundum partem, ut Euripides Hecubam et non ut Æschylus, vel labuntur vel male certant, siquidem Agathon in hoc solo lapsus est.

5. In peripetiis autem et in simplicibus rebus assequuntur quod volunt, per admirabile; tragicum enim hoc et gratum hominibus. Est autem hoc, quando sapiens quidem, sed cum improbitate deceptus fuerit, ut Sisyphus, et fortis quidem, sed injustus superatus sit. Atque hoc verisimile est, ut Agathon dicit; verisimile enim est multa fieri etiam præter verisimile.

Assignatis speciebus fabularum et explicato, quid sit nodus et quid solutio, tradit Aristoteles quinque præcepta ad superiora pertinentia.

2. *Primum præceptum* ad species Tragoediæ spectans est : poeta debet conari, ut excellat in omnibus Tragœdiæ partibus ac speciebus, vel saltem in pluribus ac præcipuis. Ratio est, quia videmus, quod de facto nostris temporibus homines exigunt, ut cum antiqui excelluerint hic quidem in uno, hic autem in alio, ii, qui nunc Tragœdias scribunt, antiquos superent in omnibus, et si in aliquo deficiunt, illos calumniantur; ergo poetæ ut hominibus satisfaciant, conari debent, ut in omnibus sint præstantes.

3. Ut proponatur secundum præceptum spectans ad nodum ejusque solutionem, præmittendum est, quandonam Tragoedia sit eadem vel diversa. Tragœdia eadem est, *quæ habet eumdem nodum eamdemque solutionem, licet non habeat eamdem fabulam;* e converso Tragœdia est diversa, *cum habet diversum nodum ac diversam solutionem, licet habeat eamdem fabulam.* Ex. gr., si tractetur eadem fabula Iphigeniæ in Tauris immolaturæ Orestem, sed ita, ut diverso modo innodetur et solvatur, erunt diversæ Tragœdiæ; e converso si alia fabula alterius sororis fratrem immolaturæ tractetur ita, ut sit idem nodus ac eadem solutio, ac Iphigeniæ in Tauris ab Euripide scriptæ, erit eadem Tragœdia. — Hoc præmisso, *secundum præceptum* est : licet quidem poetis circa fabulas antiquas novas Tragœdias scribere, ita ut habeant diversum nodum ac diversam solutionem; at non licet scribere Tragœdias etiam circa novas fabulas, transferendo ad illas nodum ac solutionem ex alia Tragœdia. Præterea quia multi bene fabulas innodant, sed

male solvunt, conandum est poetis, ut non solum bene innodent, sed etiam bene solvant; alioquin plausum non consequentur.

4. *Tertium præceptum* ad fabulæ magnitudinem spectans est : caveant poetæ, ne in argumentum Tragœdiæ assumant fabulam epicam, ex pluribus nimirum fabulis constantem, qualis est fabula Iliados. Ratio est, quia Epopœia est poema longum; ergo si quis fabulam longam epice describat, poterit singulis partibus convenientem magnitudinem dare; at cum dramata sint brevia, si quis velit per dramata longam fabulam repræsentare, cogetur singula brevius persequi, quam res postulet, adeoque Tragœdia non evadet illi e sententia. — Confirmatur ex signo. Videmus enim, quod omnes poetæ, qui unica Tragœdia voluerunt repræsentare totam expugnationem Ilii, et non aliquam solum ejus partem, ut fecerunt Euripides et Æschylus, qui unam solum partem repræsentarunt, puta quæ ad Hecubam spectant, etc., videmus inquam, quod omnes hi lapsi sunt ac non obtinuerunt plausum; in certaminibus autem fuerunt victi, eo pacto, quo propter hoc unum lapsus est Agathon; ergo, etc.

5. *Quartum præceptum* est : ut poetæ finem Tragœdiæ obtineant et simul spectatores delectatione afficiant, conari debent, ut tum in fabulis implexis tum in simplicibus, admirabilia fingant; admirabile siquidem et tragicum est et spectatores delectat. Et quia admirabile simul et gratum hominibus est, cum vir astutus simul atque improbus comprehenditur in astutia sua ac decipitur a minus vafro, vel vir magnis viribus præditus sed injustus, in pugna vincitur a minus valido, ideo debet poeta tales eventus confingere. Exemplum potest esse Sisyphus, qui cum esset astutissimus simul et improbissimus, deceptus fuit ab Autolico, qui Sisypho auferebat armenta, absque eo quod posset unquam Sisyphus auctorem furti detegere, etc. Quia vero posset opponi tales eventus esse quidem admirabiles sed inverisimiles, cum raro accidant, respondet Aristoteles, quod cum, ut bene Agatho dicit, verisimile imo necessarium sit, aliquando accidere quædam minus verisimilia, ex hoc capite etiam eventus raro contingentes sunt verisimiles, hoc est similes non quidem iis, quæ plerumque contingunt, sed iis, quæ aliquando contingunt.

CAPUT XVIII

TRADITUR QUINTUM PRÆCEPTUM CIRCA CHORUM.

1. Et existimandum est, chorum esse unum de histrionibus et partem totius, ac simul contendere, non ut apud Euripidem, sed ut apud Sophoclem. Quæ vero conceduntur aliis, magis sunt fabulæ et Tragœdiæ alterius. Quamobrem embolima canunt, cum primus Agathon rem talem inceperit. Atqui quid interest, si quis embolima canat, vel dictionem ex alio in aliud accommodet?

1. *Quintum præceptum* spectans ad chorum est : debemus existimare chorum esse unum ex histrionibus fabulam agentibus, adeoque sicut nullus introducitur histrio dicens, quæ ad fabulam non spectant, ita non debet introduci chorus canens, quæ ad rem non spectant; et sicut quilibet histrio est pars fabulæ, et cooperatur aliis histrionibus ad repræsentandam fabulam, ita chorus debet esse pars fabulæ, et suo cantu cooperari debet cum histrionibus ad fabulam absolvendam. Non igitur chori debent esse quales sunt apud Euripidem, apud quem pauca canunt spectantia ad res, quæ aguntur, sed quales sunt apud Sophoclem, apud quem ea solum canunt, quæ ad rem spectant, et quæ exprimunt sensus populi circa ea, quæ acciderunt. Chori vero, qui aliis poetis permissi sunt ex quadam licentia, in quibus canuntur res ad fabulam non pertinentes, videntur potius spectare ad alias fabulas et ad alias Tragœdias, quam ad eam, quæ agitur; ideoque in talibus Tragœdiis chori non sunt fabulæ partes, sed embolisma, hoc est carmen aliquod adjectum fabulæ, sed ad illam non spectans, quod est simile, ac si quis Tragœdiæ interponeret histrionem dicentem aliqua ad rem non spectantia, vel insereret episodium omnino a Tragœdia disjunctum. Primus vero, qui invexit hunc morem introducendi choros canentes, quæ ad rem non spectant, fuit Agatho poeta.

CAPUT XIX

DE SENTENTIA.

1. [19] Ac de aliis quidem jam dictum est, Reliquum vero est de elocutione vel sententia dicere.

2. Ac quæ pertinent quidem ad sententiam

in libris de rhetorica posita sunt; hoc enim methodi illius magis est proprium. Sunt autem secundum sententiam ea quæcumque ab oratione paranda sunt. Et eorum partes sunt tum demonstrare et solvere, tum perturbationes parare, ut misericordiam vel metum vel iram et quæcumque talia, tum præterea amplificare et diminuere. Manifestum autem est, et in actionibus utendum esse iisdem formis, cum miserabilia aut terribilia aut magna aut verisimilia parare oportuerit; nisi quod ea sola differentia est, quod hæc quidem apparere sine doctrina oportet, quæ vero in oratione posita sunt, a dicente parari et per orationem fieri. Quod enim esset dicentis munus, si apparerent jucunda et non per orationem?

1. Diximus cap. IV, sex esse partes Tragœdiæ, quæ ad qualitatem spectant, nimirum fabulam, mores, sententiam, dictionem, melopœiam et apparatum scenicum egimus etiam fuse de fabula ac de moribus, atque de his agentes disseruimus etiam de partibus quantitatis, ac tradidimus pæne omnia, quæ spectant ad pulcherrimam tragœdiam construendam. Superest, ut agamus de dictione vel etiam de sententia.

2. De sententia egimus ex professo lib. II. Rhetoricorum cap XXII, quia tractatus de sententia est magis proprius Rhetoricæ quam Poeticæ, ideoque hic paucissima tantum sunt delibanda. Ad sententiam spectant ea, ex quibus orator debet sibi comparare copiam dicendi; sed orator, ut habeat copiam dicendi, debet scire propositiones, ex quibus possit probare vel argumenta contraria solvere, excitare in auditoribus affectus, puta misericordiam, metum, iram, ac rursus amplificare vel diminuere, ostendendo rem esse magnam vel parvam; ergo omnes propositiones ac formæ in Rhetoricis allatæ ad probandum, ad solvendum, ad affectus excitandos, et ad amplificandum ac diminuendum, ad sententias spectant; sed iisdem locis ac formis debet uti poeta ad hoc, ut faciat res, quæ aguntur in scena, videri miserabiles, vel acerbas, vel magnas, vel verisimiles, quibus debet uti orator; ergo cum tales propositiones ac loci abunde sint in Rhetoricis explicati, nihil hic est addendum.

3. Advertendum tamen est, quod licet tum orator tum poeta debeat facere, ut quæ dicunt vel agendo repræsentant, videantur auditoribus miserabilia, terribilia, verisimilia, etc. nihilominus diverso modo debent id præstare. Orator enim debet docere et ostendere, illa esse talia; puta cum vult movere ad miserationem vel terrorem, debet ostendere aliquid esse miserabile vel terribile; cum vult persuadere, debet docere et ostendere, aliquid esse verum aut verisimile. Si enim hoc non est opus oratoris proprium, quod aliud erit opus oratoris? Num res tales, puta jucundas aut verisimiles afferre, quod facit poeta? E converso poeta non debet per se docere et ostendere, quæ aguntur, esse verisimilia et miserabilia, etc., sed debet ita res concinnare et exponere, ut res repræsentatæ ex se videantur miserabiles aut verisimiles.

CAPUT XX — ART. I

QUÆ CIRCA DICTIONEM SINT OMITTENDA IN POETICA.

1. Eorum vero quæ pertinent ad elocutionem una species est contemplationis, quæ considerat figuras elocutionis, quas scire est histrionicæ, et ejus qui talem habeat architectonicam, ut quid sit mandatum et quid precatio et narratio et mina et interrogatio et responsio, et si quid aliud hujusmodi. Ab horum enim cognitione vel ignorantia nulla reprehensio in poeticam affertur, quæ curanda sit. Qui enim fieri potest, ut aliquis existimet, errorem commissum esse in iis quæ Protagoras reprehendit, quod putans precari præcipit, dicens « Iram diva cane » ? Nam jubere, inquit, ut aliquid faciat aut non faciat, præceptio est. Quamobrem omittatur, ut quæ alterius et non poeticæ sit contemplatio.

1. Breviter expeditis iis, quæ ad sententiam spectant, fusius agere debemus de dictione sive elocutione. Non omnia, quæ circa dictionem possunt animadverti, spectant ad Poeticam, sed aliqua spectant ad alias facultates. Explicatur. Non eodem modo debet vultum, gestum ac vocem conformare quis, dum præcipit, dum precatur, dum narrat, dum minatur, dum interrogat, dum respondet, etc.; ergo qui agit de dictione ac de locutione, debet etiam agere de figuris ac modis loquendi ac vultum gestusque conformandi, ac docere figuram loquendi imperative, deprecative, minative, etc., explicando etiam, quid sit præceptum, quid preces, quid narratio, quid interrogatio, quid responsio; sed hæc non sunt propria Poeticæ; ergo de iis agendum non est a Poetica sed ab histrionica, vel ab alia facultate architectonica, a qua possit hæc

mutuare. Confirmatur, quia ex horum scientia non potest derivari aliquid magnopere conducens ad Poesim perficiendam, et ex eorumdem ignorantia non potest incurri reprehensio alicujus momenti; ergo non est operæ pretium divertere ad hæc, cum alioquin non sint propria Poeticæ, sed spectent ad alias facultates. — Probatur antecedens. Licet enim Protagoras reprehenderit Homerum ex eo, quod loco orandi deam, ut caneret iram Achillis, præceperit deæ, dicens : *Iram cane, dea;* probaverit autem Homerum præcepisse ex definitione præcepti, quod nihil aliud est, quam *actus, quo edicimus alicui, ut aliquid faciat vel non faciat*, tamen, ut ex se patet, tales accusationes parvi sunt momenti atque omnino contemnendæ; ergo non est in his immorandum, sed ad alia progrediendum atque explicandum, quot et quæ sint partes locutionis humanæ.

ART. II

DE OCTO PARTIBUS DICTIONIS SEU LOCUTIONIS.

2. [20] Jam vero elocutionis omnis hæ sunt partes: elementum, syllaba, conjunctio, nomen, verbum, articulus, casus, oratio. Ac elementum quidem est vox individua, non omnis, sed ex qua naturaliter vox fit, quæ intelligi possit ; etenim belluarum sunt voces individuæ, quarum nullam elementum voco.

3. Hujus autem partes sunt tum vocale tum semivocale tum mutum. Atque vocale est, quod sine ictu vocem habet, quæ audiri potest, ut α et ω ; semivocale, quod cum ictu vocem habet, quæ audiri potest, ut σ et ρ ; mutum, quod cum ictu per se quidem nullam habet vocem, sed cum habentibus aliquam vocem fit hujusmodi, ut audiri possit, ut γ et δ.

4. Atque hæc inter se differunt tum figuris oris tum locis tum crassitudine tum tenuitate tum longitudine tum brevitate, præterea vero acumine et gravitate et medio, de quibus singulis in metricis convenit contemplari.

2. Partes, ex quibus constat humana locutio sunt octo, nimirum elementum seu littera, syllaba, conjunctio, nomen, verbum, articulus, casus, oratio. De singulis breviter est agendum.

Prima igitur *pars* locutionis est elementum. Ad elementum duæ requiruntur conditiones. Prima conditio est, ut sit vox indivisibilis ac simplex. Ratio est, quia sicut omnia corpora composita ex pluribus corporibus specie diversis resolvuntur tandem in aliqua prima corpora simplicia, quæ non possunt dividi in alia specie diversa, quæ communiter assignantur terra, aqua, aer et ignis; sic omnes voces compositæ resolvuntur in aliquas voces simplices, ac quæ non possunt dividi in alias voces specie diversas. Ex. gr., ba dividitur in b et a, quæ sunt voces simplices; sed tales voces simplices dicuntur elementa vocum ; ergo elementa vocum sunt voces indivisibiles. Sicut porro, dum dicitur, elementa corporum esse corpora indivisibilia, non negatur, illa posse dividi in plura corpora ejusdem rationis (terra enim potest dividi in plures partes terreas ejusdem rationis, idemque dic de aqua etc., sed solum asseritur, elementa corporum non posse dividi in plura corpora diversæ rationis ac speciei), sic dum dicimus elementa vocum esse voces indivisibiles, negatur solum, illa posse dividi in plures voces diversæ rationis, at non negatur, illa posse dividi in plures voces ejusdem rationis. Dum enim aliquis diu durat dicendo *a*, proculdubio vox illa *a* potest dividi in plures similes sonos ejusdem rationis. Licet elementum sit vox indivisibilis, non omnis vox indivisibilis est elementum. Dantur enim voces ferarum indivisibiles, puta mugitus boum, etc., quæ non sunt elementa, ideoque secunda conditio ad elementum requisita est, ut sint voces ex natura sua aptæ ad hoc, ut ex ipsis componantur voces intelligibiles, nimirum aptæ ad communicandas mutuo nostras intellectiones. Ex his duabus conditionibus sic explicatis fit integra definitio elementi, quæ est : *elementum est vox indivisibilis in plures voces diversæ rationis, ex natura sua apta ad hoc, ut ex ipsa componi possint voces intelligibiles, hoc est aptæ ad communicandas mutuo nostras intellectiones.*

3. Elementa seu litteræ dividuntur in vocales, semivocales et mutas. Vocalis est *vox, quæ habet sonum per se audibilem, absque consortio alterius vocis et absque ictu, per quem impetu quodam dentibus aut gingivis allidatur.* Semivocalis est *vox, quæ habet sonum per se audibilem absque consortio alterius vocis, sed non absque ictu, per quem dentibus aut gingivis allidatur.* Muta est *vox, quæ etiam cum ictu non habet sonum, qui possit audiri, sed ut possit audiri debet proferri cum consortio alterius vocis per se*

audibilis.. Exemplis res explicabitur: α et ω Græcorum, seu a et o Latinorum, etc. sunt vocales, quia possunt per se proferri, absque ictu, per quem impetu quodam allidantur dentibus ac gingivis. S et r sunt semivocales, quia, licet sine ictu non possint per se proferri, ita ut audiantur, adhuc cum ictu possunt proferri, ut patet experientia, qua proferimus s per quemdam sibilum, et r per quemdam quasi rugitum, l etiam cum ictu proferri aliqualiter potest. Demum γ et δ Græcorum, ac c et d Latinorum sunt elementa muta, quia etiam cum ictu non possunt proferri, ita ut audiantur, sed debent proferri cum consortio alterius vocis per se audibilis, ut patet experientia.

4. Addit Aristoteles, quod elementa seu voces simplices possunt differre ex quinque. *Primo* possunt differre ex eo, quod os in iis proferendis debet conformari in diversam figuram. Patet experientia. Diverso enim modo figuramus os, ut proferamus a, diverso ut proferamus e, etc. *Secundo* possunt differre ex eo, quod formentur in diversis locis. Quatuor sunt præcipua loca, in quibus litteræ formantur: labia nimirum, dentes, lingua et palatus. In labiis formantur b, p, m. In dentibus formantur s, r. Lingua videntur formari d, t, l, n. In palato formantur g, c, etc. *Tertio* possunt differre tenuitate ac crassitudine. Quædam enim habent sonum tenuiorem, quædam crassiorem. Ex. gr., t, habet suum sonum tenuiorem, d habet sonum crassiorem, etc. *Quarto* possunt differre longitudine et brevitate. Quædam enim sunt longæ, quædam breves. *Quinto* demum possunt differre accentu. Nam quædam proferuntur tono vocis acuto, quædam gravi, quædam medio, ideoque apud Græcos tres sunt accentus: acutus, gravis ac medius, seu circumflexus. Sed sufficit hæc indicasse, siquidem de iis ex professo agendum est in arte metrica.

5. Syllaba est vox significationis expers, composita ex muto et vocem habente; etenim γρ sine α syllaba est, et cum α, ut γρα. Sed et horum intueri differentias metricæ est.

5. *Secunda pars* locutionis est syllaba. Syllabam describit Aristoteles dicens: *syllaba est vox non significativa, composita ex elemento voce carente seu muto, et ex elemento vocem habente seu vocali aut semivocali.* Exemplum syllabæ compositæ ex littera muta et semivocali est syllaba gr; exemplum syllabæ compositæ ex tribus litteris, muta nimirum, vocali et semivocali est syllaba *gra.* Addit Aristoteles, quod ad artem metricam spectat contemplari differentias syllabarum.

6. Conjunctio est vox significationis expers, quæ neque impedit neque facit vocem unam significativam, quæ ex pluribus vocibus componatur, tam in extremis quam in medio, nisi congruerit in principio orationis ponere per se, ut μέν, ἤτοι, δή. Vel vox non significativa ex pluribus quidem vocibus una, sed significativis, idonea quæ faciat unam vocem.

7. Articulus est vox significationis expers, orationis initium aut finem aut distinctionem indicans, ut τὸ φημί, τὸ περί et alia. Vel vox significationis expers, quæ neque impedit neque facit vocem unam significativam ex pluribus vocibus, idoneam quæ componatur et in extremis et in medio.

6. *Tertia pars* locutionis est conjunctio. Conjunctio est *vox non significativa, quæ neque impedit neque facit vocem unam significativam ex pluribus vocibus aptam componi.* Descriptio est obscurissima. Sensus videtur esse, quod conjunctio est vox ex se nihil significans determinatum, sed quæ ordinatur pure ad faciendam ex pluribus vocibus unam vocem seu unam orationem, ita ut illis vocibus neque addat significationem neque demat. Addit Aristoteles, quod conjunctio potest poni vel in extremo vel in medio, nisi aliqua postulet poni in principio, et per hoc innuit dari tria genera conjunctionum, quarum quædam præponuntur, quædam postponuntur, quædam ponuntur in medio. Subdit aliam descriptionem breviorem dicens, quod conjunctio est vox non significativa, quæ ex pluribus quidem vocibus unam, et ex significativis apta est facere unam vocem significativam. Hæc descriptio debet intelligi sicut præcedens.

7. *Quarta pars* locutionis est articulus. Articulus est *vox non significativa, quæ orationis principium, aut finem, aut distinctionem indicat.* Hæc etiam descriptio est obscurissima. Sensus videtur, quod articulus est vox, quæ per se non significat aliquid determinatum, sed pure deservit ad hoc, ut indicet ac quodammodo demonstret vocem significativam, cui præponitur, vel postponitur, vel quam distinguit a cæteris vocibus; ex. gr.,

cum dicimus τὸ φημί, designamus hanc vocem φημί, cui articulus præponitur, et illam distinguimus ab aliis vocibus. Addit Aristoteles aliam descriptionem articuli dicens: articulus est vox non significativa, quæ neque prohibet neque efficit unam vocem significativam, ex pluribus vocibus naturaliter aptam componi, et in extremo et in medio. Sensus est, quod articulus est vox non significans aliquid determinatum, quæ pure ordinatur ad hoc, ut indicet ac demonstret voces significativas, quibus significationem neque addit neque demit, ita ut vocibus designatis aliquando præponatur, aliquando postponatur, aliquando ponatur in medio.

8. Nomen est vox composita significativa sine tempore, cujus pars nulla est per se significativa; nam in duplicibus non utimur, ut etiam ipsum per se significet, veluti in Theodoro illud δῶρον non significat.

9. Verbum est vox composita significativa cum tempore, cujus per se pars nulla significat, ut etiam in nominibus. Illud enim *homo* vel *album* non adsignificat quando; at illud *ambulat* vel *ambulavit* adsignificat, alterum quidem præsens tempus, alterum vero præteritum.

10. Casus est nominis aut verbi, unus quidem secundum id quod est hujus vel huic significans, et quæcumque talia; alter vero secundum id quod uni vel multis, vel homines vel homo; alius autem secundum ea quæ ad gestum pertinent, ut per interrogationem vel præceptionem, nam *ambulavit* vel *ambulat* casus verbi secundum has species est.

11. Oratio est vox composita significativa, cujus aliquæ partes per se significant aliquid; nec enim omnis oratio ex verbis constat et nominibus, quemadmodum hominis definitio, sed contingit sine verbis esse orationem. Atqui partem semper quampiam significantem habebit, ut in illo « ambulat Cleon » id ipsum Cleon. Una autem est oratio duobus modis: aut enim quæ unum significat, aut quæ ex pluribus conjunctionibus est, ut Ilias quidem est conjunctione una, hominis vero definitio eo quod unum significet.

8. *Quinta pars* locutionis est nomen. Nomen desribitur *vox composita significativa sine tempore, cujus nulla pars significat separata.* Quia vero videtur, quod partes nominum compositorum significent separatæ, eo pacto, quo in hoc nomine Theodorus græce Θεόδωρος, Θεός significat Deum, et δῶρον significat donum, ideo Aristoteles tacite huic difficultati satisfaciens dicit, quod licet partes nominum compositorum ex se sint significativæ, tamen in quantum utimur ipsis ut partibus non significant. Neque enim dum dicimus Theodorus, per ly Θεός significamus Deum, per ly δῶρον significamus donum, sed per totum nomen significamus hominem quemdam, qui vocatur hoc nomine. Videri possunt, quæ de nomine dicta sunt lib. I. Periherm. cap. II, ubi ex professo de ipso est actum.

9. *Sexta pars* orationis est verbum. Verbum describitur *vox composita significativa cum tempore, cujus nulla pars separata significat.* Convenit igitur verbum cum nomine in hoc, quod sit vox composita significativa, cujus nulla pars separata significat; differt in hoc, quod nomen non adsignificat tempus. Ex. gr., hæc nomina *homo albus,* non significant potius album tempore præsenti quam præterito vel futuro; at verbum adsignificat tempus, ex. gr,, *ambulat* adsignificat tempus præsens, *ambulavit* adsignificat tempus præteritum, etc. Videri possunt, quæ de verbo dicta sunt lib. I. Periherm. cap. II.

10. *Septima pars* locutionis est casus. Casus sunt *per quos nomina vel verba variantur, ita ut secundum diversas desinentias diversimode significent.* Tres modos casuum assignat Aristoteles. *Primus* est, per quem nomen rectum ducitur in varios casus obliquos per se significantes diversum ordinem ad rectum; ex. gr., *Socrates,* quod est rectum, potest variari per casus obliquos, qui sunt *Socratis, Socrati,* etc. qui per se significant diversum ordinem ad rectum, *Secundus* est, per quem nomina vel verba variantur ad significandum unum aut plura, eo pacto, quo *homo* significat unum, *homines* significat plures homines. *Tertius* est, per quem verba variantur secundum modos, qui regulariter debent proferri diverso vultu ac gestu; diverso enim gestu ac vultu exprimimus modum optativum, diverso interrogativum, imperativum vel indicativum, etc. Exempla sunt: *ambulavit, ambula*: *ambulavit* enim significat modum indicativum; *ambula* significat modum imperativum. Possent etiam addi casus, per quos verba ducuntur per diversa tempora, præsens, præteritum aut futurum, etc. Videri possunt, quæ de casibus dicta sunt lib. I. Periherm. cap. II, num. 13, 14 et 15.

11. *Octava pars* locutionis est oratio. Oratio describitur *vox composita significativa, cujus quædam partes per se significant aliquid.* Differentia igitur orationis

a verbo et nomine est, quod partes orationis separatæ significant; ex. gr., partes hujus orationis : *Cleon ambulat*, separatæ significant; at partes nominis ac verbi separatæ non significant, ut explicatum est num. 13 et 14. Neque vero necesse est, ut omnis oratio constet ex nomine ac verbo, sed potest dari oratio sine verbo. Definitio enim hominis ex. gr., quæ est *animal rationale*, est oratio sine verbo. Oratio potest esse una dupliciter : primo per hoc, quod significet unum. Ita oratio, qua homo definitur *animal rationale*, est una, quia significat hominem, qui est aliquid unum per se. Secundo oratio potest esse una conjunctione; ex. gr. Ilias Homeri est una oratio, quia licet significet plura, adhuc una est conjunctione. Videri possunt, quæ de oratione dicta sunt lib. I. Periherm. cap. IV et initio V, ubi explicata est differentia inter enunciationem unam simpliciter vel conjunctione.

ART. III

DE VARIIS SPECIEBUS NOMINUM.

12. [21] Jam nominis species una quidem simplex est (voco simplicem, quæ constat ex non significantibus) altera vero duplex; atque hæc partim ex significante et non significante, partim ex significantibus constat. Potest etiam esse triplex et quadruplex nomen et multiplex, ut multa Megaliotarum, Hermocaicoxanthus.

13. Omne autem nomen est aut proprium aut lingua aut translatio aut ornatus aut factum aut protractum aut subtractum aut immutatum.

14. Voco proprium, quo utuntur singuli, linguam illud, quo diversi. Quamobrem apparet, fieri posse ut lingua et proprium sit idem, non autem iisdem; nam sigynon Cypriis est proprium, nobis lingua.

12. Plures sunt nominum species. *Primo* ergo nomen dividitur in simplex et duplex sive multiplex. Nomen simplex est, *quod non componitur ex pluribus vocibus significativis simpliciter vel secundum quid*. Voces significativæ simpliciter sunt nomina, etc., voces significativæ secundum quid sunt conjunctiones et articuli. Ad nomen igitur simplex requiritur, ut neque componatur ex pluribus nominibus, neque ex nomine et conjunctione vel articulo; ex. gr., terra, cœlum etc., sunt nomina simplicia. Neque vero obstat nomini simplici, ut una ejus pars sit significativa, dummodo alia non sit significativa ullo pacto; ex. gr., hæc nomina *paternus*, *maternus*, etc., sunt simplicia, quia licet primæ partes eorum, quæ sunt *pater* et *mater*, sint significativæ, adhuc altera pars, quæ est *nus* non est significativa, sed est pura syllaba et pura desinentia. Nomen duplex seu multiplex est, *quod constat ex pluribus vocibus significativis simpliciter vel secundum quid*. Nomen igitur multiplex vel constat ex voce significativa simpliciter et ex voce significativa secundum quid, hoc est ex nomine et conjunctione seu articulo; vel constat ex pluribus vocibus significativis simpliciter, hoc est ex pluribus nominibus. Exemplum nominis constantis ex pluribus nominibus est *terraqueus*, quod est compositum ex nominibus terræ et aquæ. Exemplum nominis constantis ex nomine et conjunctione est *conjunctus*, quod constat ex *cum* et *junctus*. Ex nominibus multiplicibus aliqua sunt duplicia, ita ut constent ex duobus nominibus; aliqua sunt triplicia vel quadruplicia, etc., ita ut constent ex tribus vel quatuor nominibus, etc. Horum nominum exempla inveniuntur apud Megaliotas, quale est *Hermocaicoxanthus*, quod est nomen compositum ex tribus nominibus fluviorum, qui sunt Hermus, Caicus et Xanthus. Quinam fuerint Megaliotæ, quorum hic mentionem facit Aristoteles, incertum est. Quidam enim putant, Megaliotas fuisse quosdam populos; alii existimant, Megaliotas dictos fuisse poetas dithyrambicos.

13. *Secundo* nomen dividitur in octo species seu classes. In prima specie seu classe continentur nomina propria; in secunda nomina linguarum diversarum; in tertia nomina translata; in quarta nomina spectantia ad ornatum; in quinta nomina ficta; in sexta nomina protracta; in septima nomina contracta; in octava demum nomina immutata. De singulis breviter est agendum.

14. Nomina propria et linguarum dicuntur non absolute, sed relative ad gentes aut linguas. Nomina igitur propria uniuscumque gentis aut linguæ sunt, *quibus utuntur singuli ex tali gente ac lingua*. Nomina linguarum sunt, *quibus non utuntur singuli ex aliqua gente et lingua, sed accipiuntur ab aliquibus ex alia gente et lingua*. Hinc patet primo, idem nomen non posse apud eamdem gentem esse proprium simul et linguam,

apud diversas posse; ex. gr., nomen σύλυνον, quod apud Cyprios erat proprium et significabat quoddam genus jaculi, apud Græcos erat lingua. Patet secundo, rursus aliqua nomina, quæ ab initio apud aliquam gentem non sunt propria, sed peregrina, si deinde communi usu recipiantur, evadere propria. Patet tertio, posse aliqua nomina esse propria plurium linguarum, si sint communi usu recepta in pluribus linguis.

15. Translatio est nominis alieni illatio, aut a genere ad speciem, aut a specie ad genus, aut a specie ad speciem, aut secundum proportionem. Dico a genere ad speciem, ut « navis autem mihi hæc stetit » ; nam in portu esse stare quoddam est. A specie ad genus, « jam decem millia Ulysses bona egit » ; nam decem millia multa sunt, quibus nunc usus est pro multis. A specie ad speciem, ut « aere animum cum hausisset, incidit indefesso aere. ». Hic enim haurire pro incidere et incidere pro haurire dixit ; ambo enim sunt quoddam auferre.

16. Proportionem dico, quando similiter se habeat secundum ad primum ac quartum ad tertium. Nam dicit pro secundo quartum aut pro quarto secundum, et interdum apponunt pro quo dicit ad quod est. Dico autem, ut similiter se habet poculum ad Bacchum et scutum ad Martem ; dicet igitur et scutum poculum Martis et poculum scutum Bacchi. Præterea similiter se habet vesper ad diem et senectus ad vitam ; dicet igitur vesperam senectutem diei et senectutem vesperam vitæ, vel ut Empedocles, occasum vitæ. Nonnullis vero non est nomen positum eorum, quæ sunt ex proportione, sed nihilo minus similiter dicetur, ut illud, semen quidem jacere, serere ; flammam vero emitti a sole sine nomine est ; sed similiter se habet hoc ad solem et serere ad semen, quamobrem dictum est « serens a deo conditam flammam ». Ac licet uti hoc translationis modo et aliter, ut cum appellaverit id quod alienum est, neget aliquid eorum quæ propria sunt ; ut si scutum dicat poculum non Martis, sed sine vino.

15. Nomina metaphorica seu translata sunt, *quæ cum sint imposita ad significandum unum, transferuntur ad significandum aliud*. Quatuor sunt nominum translatorum modi. Primus est, per quem nomen transfertur a genere ad speciem; secundus, per quem transfertur a specie ad genus; tertius, per quem transfertur a specie ad speciem; quartus, per quem transfertur ab aliquo proportionali ad aliud, cum quo habet proportionem. Exemplum nominis translati a genere ad significandam speciem potest esse illud Ulyssis apud Homerum lib. ult. Odysseæ: *navis autem mihi stetit*. Stare enim significat genus standi; stare autem navis in portu græce dicitur ὁρμεῖν; cum igitur dicatur stare loco ὁρμεῖν ponitur genus loco speciei. Exemplum nominis translati a specie ad genus est illud ejusdem Homeri lib. II. Iliados, ubi de Ulysse dicitur : *Certe decem millia bona jam fecit Ulysses*. Cum enim ponatur numerus specificus *decem millia*, loco numeri generici *multa*, ac loco dicendi : *Ulysses multa bona fecit*, dicatur : *Ulysses decem millia bona fecit*, species ponitur loco generis. Exempla nominis translati a genere ad speciem sunt illa, de quibus non satis constat, an desumpta sint ex Homero vel ex alio : *Ære animum cum hausisset, incidit indefesso ære*. Exempla sunt obscurissima ac censentur corrupta. Vis eorum videtur consistere in hoc. *Auferre* est nomen genericum, sub quo duæ sunt species, altera hauriendi, altera incidendi seu amputandi. Haurire proprie significat ablationem partis liquidæ a liquida, amputare significat ablationem partis solidæ a solida. Si igitur quis dicat : *Ferro haurit ex arbore; situla aquam amputavit ex puteo*, nomina hauriendi et amputandi transferuntur a specie ad speciem.

16. Ut afferamus exempla nominum translatorum ab uno proportionali ad aliud, præmittendum est, quid sit proportionalitas, a qua dicitur aliquid proportionale. Proportionalitas requirit saltem quatuor terminos et consistit in hoc, ut sicut secundus se habet ad primum, ita quartus se habeat ad tertium; ex. gr., inter istos quatuor numeros 2, 4, 3, 6, datur proportionalitas, quia sicut se habent quatuor ad duo, ita se habent sex ad tria; sicut enim quatuor sunt duplum duorum, sic sex sunt duplum trium. Cum vero quartum ita se habet ad tertium, sicut secundum ad primum, quartum dicitur esse proportionale tertio; ex. gr., quia numerus senarius ita se habet ad ternarium, sicut quaternarius ad binarium, numerus senarius dicitur esse proportionalis quaternario. Translatio igitur proportionalitatis consistit in hoc, ut quando quartum ita se habet ad tertium, sicut secundum ad primum, nomen quarti transferatur ad secundum, vel nomen secundi ad quartum. Ex. gr., sicut se habet clypeus ad Martem, ita se habet poculum ad Bacchum; potest igitur per translationem clypeus vocari *poculum Martis*, poculum vocari *clypeus Bacchi*. Rursus

sicut se habet vesper ad diem, ita se habet senectus ad vitam; potest igitur per translationem vesper vocari *senectus diei*, senectus vocari *vesper vitæ*, vel *occasus vitæ* ut dixit Empedocles. Cum utimur tali translatione, aliquando apponimus particulam *ceu*, vel aliam æquivalentem, dicendo ex. gr., quod poculum est ceu clypeus Bacchi; aliquando non addimus talem particulam, ut cum absolute loco nominandi poculum, dicimus *clypeum Bacchi*. Addit Aristoteles primo, quod translatione proportionalitatis possumus uti etiam, cum alteri ex duabus proportionalibus non est impositum nomen. Ex. gr., datur proportionalitas inter lucem diffusam a sole, et semina sparsa ab agricolis; attamen actio spargendi semina habet nomen proprium, quod est serere; at actio diffundendi lucem non habet proprium nomen. Adhuc tamen nomen serendi possumus ad solem transferre; unde quidam dixit, quod *sol serit divinam lucem seu flammam*. Addit secundo, quod aliquando possumus ita hoc genere translationis uti, ut nomen transferendo, negemus de eo, quod proprium est talis nominis; ex. gr., loco nominandi clypeum poculum Martis, possumus illum vocare poculum sine vino, adeoque ita clypeum vocare poculum, ut de eo negemus *habere vinum*, quod proprium est poculi.

Quid sint nomina spectantia ad ornatum, Aristoteles vel non explicavit vel si explicavit, talis explicatio amissa est injuria temporis vel incuria librariorum. Videntur vero hæc nomina esse, quæ vocantur epitheta sive adjuncta, ac maxime ornant orationem, de iisque actum est lib. III, Rhetoric. cap. II, num. 12.

17. Factum est, quod ab aliquibus prorsus non appellatum ipse ponit poeta; videntur enim aliqua esse talia, ut *cornua* ἐρνύτας et *sacerdotem* ἀρητῆρα.

18. Protractum est vel subtractum, illud quidem, si vocali longiore usum fuerit quam propria sit, vel syllaba inculcata; hoc vero si sublatum fuerit quidpiam vel ab ipso vel ab eo quod inculcatum est.

19. Protractum quidem, ut illud πόλεως πόληος, et illud πηλείδου πηληϊάδεω. Sublatum vero, ut illud κρῖ et illud δῶ et μία γίνεται ἀμφοτέρων ὄψ.

20. Immutatum est, quod nominati unam quidem partem reliquerit, alteram vero fecerit, ut illud δεξιτερὸν κατὰ μαζὸν pro δεξιόν

17. Nomina ficta seu facta sunt, *quæ ipse poeta quibusdam rebus de novo imponit, cum antea a nemine fuerint usurpata*. Solent autem hæc nomina fingi ex aliquo nomine antea usitato. Ita ex hoc nomine ἔρνος, quod significabat ramum, fictum est nomen ἐρνύτης ad significandum cornua præsertim cervorum, quæ pullulant ad modum ramorum. Similiter ex hoc nomine ἀρά, quod significat preces, finxit Homerus nomen ἀρητήρ, eoque vocavit sacerdotes, sicut si nos sacerdotem vocaremus preculum.

18. Nomen protractum est, *quod augetur et fit longius*. Duobus modis potest aliquod nomen augeri ac fieri longius. *Primo* potest augeri, mutando vocalem brevem in longam, puta mutando ε in η, vel ο in ω, ut cum Homerus loco dicendi πόλεος dicit πόληος ac mutat ε in η. *Secundo* potest nomen augeri addendo aliquam litteram vel syllabam, ut cum loco dicendi πηλείδον, dicitur πηληϊάδεω.

19. Nomen contractum est, *quod imminuitur et fit brevius, detracta aliqua littera vel syllaba ab ipso, vel a nomine protracto*. Tria exempla affert Aristoteles. *Primum* est apud Homerum lib. V. Iliados, ubi ex κρίμνον, quod significat furfur, facit κρῖ. *Secundum* ex eodem libro Iliados est, cum loco dicendi δῶμα, quod significat domum, dicit δῶ. *Tertium* est Empedoclis, qui loco dicendi ὄψις, quod significat visum, dicit ὄψ.

20. Demum nomen immutatum est, *cum poeta ita aliquod nomen immutat, ut parte ejus relicta, alteram partem de novo fingat*, ut cum loco dicendi δεξιόν, quod significat dexterum, retenta prima parte δεξ, secundam, quæ est ον mutat in οτερον, et dicit δεξιτερόν, unde Homerus lib. V. Iliados dixit κατὰ μαζὸν δεξιτερόν, hoc est in dextera mamilla.

Debet autem adverti, quod cum nomen aliquando sumatur stricte, prout opponitur verbo, aliquando sumatur late, prout comprehendit verbum, hoc loco ab Aristotele videtur sumi late, siquidem etiam verba dividuntur in propria, in linguas, in translata, etc., ut patet etiam ex eo, quod numero 5, in exemplum nominum translatorum affert etiam verba.

21. Præterea ex nominibus alia virilia alia muliebria alia interjecta, virilia quidem, quæcumque desinant in ν et ρ, et quæcumque ex aliquo eorum, quæ muta sunt constant. Atque ea sunt duo, ψ et ξ. Muliebria vero, quæcumque ex vocalibus in ea quæ semper longa sunt, ut in η ω, et ex iis quæ producuntur in α. Quare evenit ut æqualia sint multitudine, in quæcumque desi-

nunt virilia et muliebria ; nam ψ et ξ eadem sunt. In mutum autem nullum nomen desinit, neque in vocale breve. At in ι tria sola : μέλι, κόμμι, πέπερι. Et in υ quinque : πῶϋ, νᾶπυ, γόνυ, ἄστυ, δόρυ. Interjecta vero in hæc et ν et σ.

21. *Tertio* demum nomina dividuntur in masculina, feminina et media, quæ vocari solent neutra. Nomina masculina desinunt in ν et ρ, et in duas duplices ψ et ξ. Non tamen negat Aristoteles in litteras enumeratas posse etiam desinere nomina aliorum generum; et præterea non negat posse nomina masculina desinere etiam in alias litteras, cum multa desinant in σ. Nomina feminina desinunt vel in duas vocales longas, quæ sunt ω et η, vel etiam in vocalem ancipitem α, et præterea quædam desinunt in ψ et χ, quæ sunt litteræ communes desinentiis masculinorum et femininorum. Hinc sequitur in tot litteras desinere nomina masculina ac nomina feminina; masculina enim desinunt in quinque, quæ sunt ν, ρ, σ, ψ et ξ; feminina desinunt in totidem quinque quæ sunt ω, η, α, ψ et ξ. In litteras mutas et in vocales breves, quæ sunt ε, ο, nullum nomen græcum desinit; in ι, desinunt tria solum, quæ sunt μέλι, κόμμι et πέπερι. In υ desinunt quinque, nimirum πῶϋ, νᾶπυ γόνυ, δόρυ, ἄστυ. Nomina neutra desinunt in ν, ρ, σ. Tota hæc doctrina spectat potius ad Grammaticam, quam ad Philosophiam vel Poeticam, et est valde mutila et imperfecta; ideoque interpretes suspicantur textum esse corruptum. Sed non est immorandum.

CAPUT XXI

QUIBUS NOMINIBUS ET QUO PACTO SIT UTENDUM AD REDDENDAM LOCUTIONEM POETICAM, PERSPICUAM ET NON HUMILEM.

1. [22] Elocutionis autem virtus est, ut sit perspicua et non humilis.

2. Ac maxime quidem perspicua est, quæ ex propriis nominibus constat, sed humilis. Exemplum est Cleophontis poesis et Stheneli, at grandis et immutans id quod vulgare est, quæ peregrinis utitur, peregrinum autem voco linguam et translationem et protractionem, et quidquid præter proprium est.

1. Distinctis speciebus nominum, examinandum est, quibus nominibus sit utendum ad hoc, ut locutio poetica bene se habeat; et quia non potest locutio poetica bene se habere, nisi habeat duas virtutes, quarum altera est, ut sit perspicua, altera ut non sit humilis sed grandis, ideo *primo* est explicandum, quænam nomina faciant locutionem perspicuam, quæ faciant non humilem sed grandem; *secundo* explicandum est, qua temperantia in usu talium nominum sit utendum, ne dum conamur efficere locutionem perspicuam, faciamus humilem, et dum conamur facere grandem, faciamus obscuram; *tertio* refellendæ sunt duæ accusationes contra locutionem, qua utuntur poetæ epici ac tragici; *quarto* explicandum est, quorum nominum usus sit præ cæteris laudabilis; *quinto* demum statuendum est, quæ præcipue nomina conveniant Poesi dithyrambicæ, quæ epicæ vel iambicæ.

2. *Quoad primum :* maxime perspicua locutio est, quæ utitur nominibus propriis atque usu vulgi protritis, sed propter hoc ipsum est humilis. Exemplum esse potest poesis Cleophontis ac Stheneli, quæ quia ex propriis nominibus constat, ita est dilucida, ut sit humilis. E converso illa locutio est grandis et a consuetudine vulgi recedens, quæ nominibus utitur peregrinis. Peregrina vero nomina dicimus nomina linguarum, nomina translata, protracta, contracta et universim omnia, de quibus egimus cap. superiori, exceptis propriis. Ratio, cur nomina peregrina faciant locutionem grandem, allata est a nobis lib. III. Rhetoric cap. II, num, 2, ideoque non est hic repetenda.

3. Sed si quis simul omnia talia fecerit, aut ænigma erit aut barbarismus Si igitur ex translationibus, ænigma, si ex linguis, etiam barbarismus. Ænigmatis autem forma est, ut qui dicit, copulet ea quæ fieri non possunt. At secundum compositionem quidem nominum id fieri non potest; verum secundum translationem contingit, ut « virum vidi igne æs viro agglutinantem » et talia. Ex linguis vero barbarismus. Quamobrem aliquo modo his temperatur ; ac non vulgare quidem efficiet neque humile lingua et translatio et ornatus et aliæ formæ, quæ dictæ sunt, perspicuitatem vero proprium. At non minimam partem conferunt ad perspicuam elocutionem et non vulgarem protractiones et subtractiones et immutationes nominum; nam quoniam hoc aliter se habet ac proprium, quod factum est præter consuetum, non vulgare efficiet ; quoniam autem commune aliquid habet cum eo, quod est consuetum, erit perspicuum.

3. *Quoad secundum :* licet nomina translata et nomina linguarum valde

conferant ad efficiendam orationem peregrinam, tamen si tota locutio constet ex nominibus translatis, evadet ita obscura, ut degeneret in ænygma; si tota constet ex nominibus linguarum, barbarum quid sonabit ac degenerabit in barbarismum. Ratio, cur locutio constans ex nominibus linguarum degeneret in barbaram, est, quia nomine locutionis barbaræ hic intelligimus eam, quæ sapit aliam linguam diversam ab ea, qua loquimur; sed locutio tota pæne constans ex nominibus diversarum linguarum, eo ipso sapit aliam linguam diversam ab ea, qua loquimur; ergo, etc. Ratio, cur locutio constans ex nominibus translatis degeneret in ænygma, est, quia forma ac definitio ænygmatis est, ut sit oratio, per quam dicentes, quæ rei insunt, videmur impossibilia conjungere ac de re enuntiare; sed si explicemus, quæ rei insunt per nomina propria, nunquam videmur impossibilia conjungere et enuntiare; si vero explicemus, quæ rei insunt per nomina translata, tum videmur impossibilia conjungere et enuntiare; ergo, etc. Exemplum potest esse illud celebre ænygma, in quo de chirurgo, qui applicaverat ægroto cucurbiculas ignitas, vulgo *le coppe*, dictum est : vidi virum igne æs viro agglutinantem. Hoc ænigma cum enuntiet aliquid verum, videtur enuntiare aliquid impossibile, siquidem primo aspectu videtur impossibile, quod igne agglutinetur æs viro. Ratio, cur videatur enuntiare aliquid impossibile, est, quia totum constat ex translatis. Chirurgum enim vocat nomine generico viri; cucurbiculam æneam vocat nomine æris; stupam ignitam vocat ignem; ægrotum vocat nomine generico viri; applicationem demum cucurbiculæ vocat agglutinationem; ergo patet orationem constantem ex translatis degenerare in ænigma. Ne igitur locutio poetica videatur ænigmatica vel barbara, temperate utendum est tum nominibus translatis, tum nominibus linguarum, eaque sunt miscenda cum propriis. Ita enim fiet, ut locutio per nomina translata, per nomina linguarum et per epitheta spectantia ad ornatum, evadat non humilis ac non vulgaris; a nominibus vero propriis perspicuitatem acquirat. Addit Aristoteles, quod ad reddendam elocutionem poeticam perspicuam simul et peregrinam, valde conferunt nomina protracta, contracta et commutata. Ratio est, quia cum hæc nomina sint communia et usitata, sed præter vulgarem usum prolata, quia sunt communia, facile percipiuntur, adeoque reddunt locutionem perspicuam; quia præter usum communem proferuntur, reddunt eamdem non vulgarem sed peregrinam.

4. Quare non recte vituperant, qui reprehendunt talem modum locutionis, ac maledictis poetam insectantur, ut Euclides ille antiquus, quod facile sit poetice agere, si quis concesserit protrahere, quantum velit, eum qui iambis usus sit in eadem locutione, ut ἠτίχαριν εἶδον Μαραθῶνα βαδίζοντα, et οὐκ ἂν γεινάμενος τὸν ἐκείνου ἐξ ἐλλέβορον. Ac cum appareat quidem aliquo modo aliquem sequi hunc ipsum usum, id ridiculum est, mensura vero communis est omnium partium. Etenim qui translationibus et linguis et aliis formis uteretur indecore et studiose ad ridicula, idem efficeret.

4. *Quoad tertium* : ex dictis refelli possunt duæ accusationes, quarum altera proposita fuit contra poetas epicos, altera contra tragicos. *Prima accusatio* est quorumdam, qui reprobant usum nominum immutatorum, contractorum et protractorum, ac maledictis vexant Homerum, quod eum usum introduxerit. Et quidem Euclides priscus, qui censetur fuisse Grammaticus, contra hanc nomina immutandi licentiam objecit, quia, si liceat poetæ epico nomina immutare, producere ac contrahere prout voluerit, facile erit versus scribere; ex. gr., si liceat litteram brevem producere, facile poterit quis utens pede iambo, primam ejus syllabam brevem producendo mutare in spondæum, adeoque carmen hexametrum componere, ut fecit ille, qui hac licentia utens scripsit duos versus sequentes. Primus est :

ἠτίχαριν εἶδον Μαραθῶνα βαδίζοντα

in quo secundus pes ριν est jambus, cum syllaba ριν sit brevis, et tamen efficiendo syllabam ριν longam, iambus mutatur in spondæum. Secundus versus est :

οὐκ ἂν γεινάμενος τὸν ἐκείνου ἐξ ἐλλέβορον

in quo sextus pes βορον est jambus, cum prima ejus syllaba βο sit brevis, et tamen per licentiam poeticam mutando illam in longam, iambus mutatur in spondæum. Respondet Aristoteles huic Euclidis objectioni, in aperto esse, quod si quis male et sine modo utatur nominibus contractis, protractis et immutatis, efficiet orationem ridiculam; at ex hoc non probatur universim esse reprehendendum usum ta-

lium nominum, sed solum ostenditur iis temperate et cum quadam mensura utendum. Confirmatur, quia omnibus nominibus utendum est cum quadam mensura et modo, ideoque si quis sine modo utatur translationibus, linguis aliisque formis loquendi, peccabit et efficiet orationem ridiculam; et tamen non est universim reprehendendus usus translationum, sed solus abusus; ergo licet possit quis sine modo uti nominibus immutatis, etc., adhuc non est reprehendendus usus, sed abusus talium nominum.

5. Id autem quod congruit, quantum excellat in heroico carmine, consideretur injectis nominibus in metrum. Et certe in linguis et in translationibus et in aliis formis, si quis posuerit propria nomina, videbit a nobis dici ea quæ vera sunt, ut cum eumdem iambicum fecit Æschylus et Euripides, et unum solum nomen immutavit, et posuit linguam pro proprio consueto. Atque unum quidem apparet pulchrum, alterum vero humile. Nam Æschylus in Philoctete fecit « phagedæna, quæ mei carnes comedit pedis », hic vero pro ἐσθίει posuit θοινᾶται, epulatur. Et « nunc autem me, qui est parvusque et nihili et indecens ». Si quis dicit positis propriis « nunc autem me, qui est parvusque et imbecillis et deformis ». Et « sedile non conveniens cum posuisset, paucamque mensam ». Et illud « littora vociferantur », littora clamant.

5. Addit Aristoteles, quod ut videamus, quantum splendoris addat carminibus, præsertim epicis, congruus usus nominum peregrinorum, translatorum nimirum atque ex linguis desumptorum, etc., debemus considerare versus, in quibus nomina peregrina sunt congrue posita, ac deinde loco nominum peregrinorum ponere nomina propria et vulgaria; statim enim apparebit versus illos ablatis nominibus peregrinis omnem pæne dignitatem amittere, adeoque magnam iis carminibus ex peregrinis nominibus dignitatem accessisse. Explicatur, proponendo nobis ob oculos exempla quatuor versuum, quorum primus est iambus, tres ultimi sunt hexametri. *Primum* exemplum est versus iambus, qui idem invenitur apud Æschylum et apud Euripidem, uno tantum nomine immutato. Versus Æschyli in Philoctete, qui morsus a serpente, atque ex vulnere orta in pede phagedæna, hoc est cancrena quadam incurabili, lamentabatur, est : *Phagedæna, quæ mei carnes comedit pedis*. Versus Euripidis est : *Phagedæna, quæ mei carnes epulatur pedis;* sed versus Æschyli, quia utitur verbo consueto *comedit*, est humilis; versus Euripidis, quia utitur verbo quodam peregrino atque ex alia lingua desumpto, quod nos vertimus : *epulatur*, est grandis ac dignitate plenus; ergo ex usu nominis peregrini magna dignitas illi carmini accedit. *Secundum* exemplum est carmen Hexametrum, quo apud Homerum lib. IX. Odyss. Polyphemus ab Ulysse excæcatus conqueritur, quod ab homine parvo, imbecilli ac turpi fuisset orbatus visu, dicens : *Nunc autem hic paucus, nullius pretii atque informis*, etc. Hoc carmen magnam habet dignitatem propter nomina translata, quæ si mutentur in propria, dignitatem amittit. Primo enim, loco vocandi Ulyssem *parvum* vocat *paucum*, adeoque transfert nomen a quantitate discreta ad continuam. Secundo, loco vocandi *imbecillum* vocat *nullius pretii*, adeoque nomen transfert a mercibus, quæ venduntur, ad hominem. Tertio, loco vocandi Ulyssem turpem, vocat nomine metaphorico turpitudinem exprimente. *Tertium* exemplum desumitur ex lib. XXI. Odysseæ, ubi narrans Homerus, quo pacto Telemachus apposuerit Ulyssi vile quoddam sedile et parvam mensam, dicit :

δίφρον ἀεικέλιον καταθεὶς ὀλίγην τε τράπεζαν

Sedem vilem constituens, paucamque mensam.

In quo carmine ad significandam sedem vilem, vocat illam nomine peregrino ἀεικέλιον, non autem nomine usitato μοχθηρόν, et mensam non vocat parvam sed paucam, atque eorum nominum usu magnam carmini dignitatem addit. *Quartum* exemplum desumitur ex lib. XVII Iliados, in quo Homerus describens strepitum, quem edunt undæ maritimæ, dum magno impetu littoribus alliduntur, loco dicendi ἠϊόνες κράζουσι, hoc est *littora perstrepunt*, dicit ἠϊόνες βοόωσιν, hoc est littora clamant, et ita transferens verbum clamandi, quod est proprium animatorum, ad littora inanimata, carmen pulcherrimum efficit. Patet ergo ex dictis. nomina peregrina congrue ac cum modo adhibita magnam carminibus dignitatem adjungere.

6. Præterea vero Ariphrades tragœdis maledicebat, quod quæ nemo diceret in sermone, iis uterentur, quale illud est, δωμάτων ἄπο domibus ab, sed non ἀπὸ δωμάτων domibus; et illud σέθεν tui; et illud ἐγὼ δέ νιν ego autem ipsum; et

illud Ἀχιλλέως πέρι Achille de, sed non περὶ Ἀχιλλέως de Achille; et quæcumque alia talia. Nam quoniam non sunt in propriis, faciunt id quod non vulgare est hæc omnia in elocutione; ille vero hoc nesciebat.

6. Secunda accusatio est cujusdam Ariphradis fortasse grammatici, qui poetas tragicos irridebat, quod uterentur quibusdam nominibus ac modis loquendi, quibus in familiari sermone nemo usus fuisset sine derisu. Quatuor exempla nominum vel modorum loquendi, quæ ab Ariphrade deridebantur, Aristoteles affert. Prima duo consistunt in inusitato ordine vocum. Cum enim in sermone communi dicamus : ἀπὸ δωμάτων, a domibus, tragici dicunt δωμάτων ἄπο; et cum dicamus περὶ Ἀχιλλέως circa Achillem, tragici dicunt Ἀχιλλέως πέρι, Achillem circa. — Duo posteriora exempla consistunt in usu vocum in communi sermone inusitatarum. Cum enim in communi sermone dicamus σοῦ, quod significat sui, tragici dicunt σέθεν; et cum dicamus αὐτόν δε ἐγώ *ego autem eum*, Tragici dicunt ἐγὼ δέ νιν, ponentes νίν, quod est doricum loco αὐτόν. Respondet Aristoteles, quod tales modi loquendi propter hoc ipsum, quod recedunt a consuetudine vulgi, efficiunt locutionem magnificam ac minime vulgarem; sed ea, quæ conferunt ad efficiendam locutionem minime vulgarem, laudanda sunt, non reprehendenda; ergo poetæ tragici ex hoc capite sunt laudandi, licet Ariphrades hæc non advertens, illos reprehenderit.

7. Jam magnum est, uti congruenter unoquoque de iis quæ dicta sunt, et duplicibus nominibus et linguis. At maximum est metaphoricum esse; solum enim hoc neque ab alio licet assumere, et boni ingenii signum est. Bene enim transferre est simile intueri.

8. Ex nominibus autem duplicia quidem maxime conveniunt dithyrambis, linguæ vero heroicis, at translationes iambicis. Et in heroicis quidem omnia utilia quæ dicta sunt; verum in iambicis, quia quam maxime collocutionem imitantur, ex nominibus illa congruunt, quibuscumque etiam in sermonibus aliquis uteretur. Sunt autem talia proprium et translatio et ornatus. Ac de tragœdia quidem et de imitatione, quæ in agendo posita est, nobis satis sint quæ exposita sunt.

7. *Quoad quartum :* licet magnum ac laude dignum sit, uti convenienter nominibus compositis, nominibus ex linguis desumptis, aliisque generibus nominum peregrinorum, adhuc multo maximum ac laudabilissimum est convenienter uti nominibus translatis. Ratio est, quia majorem laudem meretur poeta propter ea, quæ non debet ab aliis accipere, sed debet proprio ingenio excogitare, quam propter ea, quæ potest ab aliis accipere; sed alia genera nominum possumus ac plerumque debemus ab aliis accipere, nomina translata debemus proprio ingenio excogitare; ergo, etc. — Confirmatur, quia congruæ translationes inveniri nequeunt sine magno ingenii acumine; ergo cum sint ingenii signum, maxime sunt laudandæ. — Probatur antecedens. Translationes enim congruæ fundantur in similitudine ac proportione rerum; sed videre similitudinem ac proportionem rerum opus est ingenii; ergo, etc.

8. *Quoad quintum :* ex enumeratis generibus nominum aliqua præcipue conveniunt uni poematum generi, alia alteri. Primo ergo nomina multiplicia ac composita præcipue conveniunt carmini dithyrambico. Ratio est, quia carmen dithyrambicum debet esse valde sonorum ac magni spiritus plenum; sed nomina multiplicia et composita valde conferunt ad reddendum carmen sonorum ac magni spiritus plenum; ergo, etc. Secundo nomina linguarum diversarum præcipue conveniunt carmini epico sive heroico. Ratio est, quia carmen heroicum debet esse majestatis plenum ac valde recedere a vulgari modo loquendi; sed per nomina diversarum linguarum valde recedit a vulgari modo loquendi; ergo, etc. Tertio nomina translata præcipue conveniunt carmini iambico seu tragico. Ratio est, quia, cum locutio tragica ita debeat esse magnifica, ut imitetur familiares sermones, iis præsertim nominibus debet uti, quibus homines etiam in familiari sermone utuntur ad reddendam locutionem magnificam; sed homines in familiaribus sermonibus ad reddendam locutionem magnificam utuntur pæne unice nominibus translatis, non autem compositis aut linguarum, etc.; ergo, etc. Addit Aristoteles, quod in carmine epico possumus uti omnibus explicatis generibus nominum; at in iambicis solum iis, quæ sunt usitata in familiari sermone, cujusmodi sunt nomina propria, translata, et epitheta seu nomina ad ornatum spectantia. Atque hæc de Tragœdia ac de imitatione, per quam poeta imitatur, non narrando sed agendo, dixisse sufficiat.

CAPUT XXII. — ART I.

DE EPOPŒIA; IN QUIBUSNAM EPOPŒIA CONVENIAT CUM TRAGŒDIA.

1. [23] De narrativa autem et in metro imitatione oportet fabulas constituere, quemadmodum dramaticus in tragœdiis,

2*. et circa unam actionem totam et perfectam, habentem principium et medium et finem, ut quemadmodum animal unum totum efficiat propriam voluptatem,

3*. nec similes esse historias consuetas, in quibus necesse est non unius actionis efficere expositionem sed unius temporis, quæcumque in eo evenerunt circa unum vel plures, quorum unumquodque, ut sors tulit, alterum respicit. Quemadmodum enim secundum eadem tempora et in Salamine facta est navalis pugna et in Sicilia Carthaginiensium pugna, nequaquam ad eumdem tendentes finem, sic et in temporibus consequentibus aliquando fit alterum cum altero, ex quibus non est unus finis.

Ex dictis cap II. num 9. Epopœia nihil pæne habet, quod Tragœdia non habeat, adeoque pæne totaliter continetur in Tragœdia; ergo tractatus de Tragœdia continet pæne totaliter tractatum de Epopœia. Aristoteles igitur, postquam fusissime disputavit de Tragœdia, breviter agit de Epopœia; et primo quidem explicat, in quibusnam Epopœia conveniat cum Tragœdia; secundo explicat, in quibus Epopœia differat a Tragœdia; tertio tradit quædam præcepta circa ea, quæ sunt propria Epopœiæ; hæc autem tribus articulis proponemus.

1. *Quoad primum* igitur, Epopœia, hoc est Poesis, quæ imitatur narratione metrica, in pluribus convenit cum Tragœdia. *Primo* convenit in hoc, quod debet constituere fabulas dramaticas, per quas nimirum describat homines negotiantes et aliquid agentes.

2. *Secundo* convenit in hoc, quod fabula epica, sicut etiam tragica versari debet circa aliquam actionem unam et perfectam, quæ proinde habeat principium, medium et finem. Sicut igitur animal ita constat ex pluribus partibus, ut tales partes constituant unum totum, sic actio epica debet constare ex pluribus partibus coalescentibus in unam actionem, quæ una actio per fabulam repræsentata habeat vim efficiendi voluptatem, non qualemcumque, sed eam, quæ est propria Tragœdiæ.

3. *Tertio* fabula epica convenit cum tragica etiam in hoc, quod utraque debet habere majorem unitatem, quam ut plurimum habeant historiæ. Explicatur. Ad historiam non requiritur, ut narret unam actionem, cujus partes sint ita ordinatæ, ut ex prima pendeat secunda, ex secunda tertia etc. sed sufficit, ut narret, quæ acciderunt eodem tempore vel iisdem personis, etiam si talia sint, ut unum non pendeat ex alio, sed omnino per accidens se habeat ad illud. Ex. gr. Herodotus narrat plura eodem tempore gesta, quorum unum non solum non pendebat ex alio, sed neque tendebant ad eumdem finem; puta lib. VII. narrat pugnam navalem, in qua Athenienses ac Lacedæmonii in Salamina victoriam de Persis retulerunt, et prælium terrestre, in quo Gelon in Sicilia vicit Carthaginienses, quæ duo prælia casu et non in ordine ad eumdem finem gesta fuerunt eodem pæne tempore. E converso per fabulam epicam debet narrari actio una non ex eo tantum, quod ejus partes eodem tempore vel ab iisdem personis sint gestæ, sed etiam ex eo, quod una pars pendeat ex alia, ut de actione tragica explicatum est supra cap. VI.

4. Ac ferme id faciunt poetarum multi. Quamobrem, ut jam dicebamus, et in hac parte divinus apparere Homerus præter cæteros potest, et quia neque bellum, quamvis habens principium et finem, aggressus est versibus totum describere (valde enim magnum, et quod non facile conspici poterat, evasurum erat) vel magnitudine se modice habens intertextum varietate. Nunc autem cum abstulisset unam partem episodiis usus est ipsorum multis, ut navium catalogo et aliis episodiis quibus distinguit poesim. Alii vero circa unum canunt et circa unum tempus et unam actionem multarum partium, ut qui Cyprica fecit et parvam Iliadem. Igitur ex Illiade et Odyssea una tragœdia fit ex utraque, vel duæ solæ; at ex Cypriis multæ, et ex parva Iliade plus quam octo, ut armorum judicium, Philocretes, Neoptolemus, Eurypylus, mendicatio, Lacænæ, Ilii direptio et reditus classis et Sinon et Troades.

4. Addit Aristoteles, quod multi poetarum contra unitatem fabulæ peccant, dum loco scribendi fabulam unam unitate actionis, scribunt fabulam unam unitate temporis vel personæ, cujus res gestas persequuntur. Homerus e converso etiam ex hoc capite præter cæteros divinus est censendus, quia in hoc vitium non incidit, sed cecinit actionem maxime unam. Non solum enim in Iliade non aggressus est canere omnia spectan-

tia ad unum hominem, puta ad Achillem, quippe quæ non constituissent unam actionem, sed neque aggressus est canere totum bellum Trojanum, licet videretur esse una actio, utpote habens principium, medium et finem. Ratio est, quia fabula non solum debet esse una, sed debet habere convenientem magnitudinem, per quam possit tota perspici ac sub memoriam cadere, ac præterea debet posse variis episodiis exornari ac distingui; sed bellum Trojanum licet admittatur, quod sit una actio, adhuc est ita magnum, ut præsertim si episodiis variis exornetur, non possit totum perspici ac sub memoriam cadere; ergo sapienter Homerus aggressus est canere non totum bellum Trojanum, sed unam ejus partem, eamque catalogo navium, aliisque episodiis exornavit. E converso alii poetæ peccarunt, quia vel aggressi sunt canere unum virum et omnia spectantia ad ipsum, ut qui scripserunt Herculeida, Theseida, etc. ut dictum est etiam cap. VI. num. 3, vel quæ gesta sunt uno tempore; vel unam actionem constantem ex pluribus partibus, ut qui scripsit Cyprica, et qui fecit parvam Iliadem, in qua complexus est totum bellum Trojanum. Hinc ortum est, ut horum poemata contineant fabulas minus unas quam poemata Homeri. Probatur : nam illæ fabulæ, ex quibus possunt confici pauciores tragœdiæ, sunt magis unæ, quam eæ, ex quibus possunt confici plures tragœdiæ; sed ex Iliade Homeri potest confici unica tragœdia, vel ad summum duæ, idemque dic de Odyssea, etc. E converso ex Cypriis possunt confici multæ tragœdiæ, ex parva Iliade plus quam octo; de facto siquidem decem tragœdiæ conscriptæ sunt circa ea, quæ continentur in parva Iliade, quarum inscriptiones sunt : Armorum judicium, Philoctetes, Neoptolemus, Eurypylus, Mendicatio, Lacænæ, Ilii depopulatio, Reditus classis, Sinon et Troades. Ex his tragœdiis duæ tantum extant, Philoctetes nimirum Sophoclis et Troades Euripidis; aliæ octo non extant.

5. [24] Præterea vero epopœiam oportet habere formas easdem cum tragœdia; aut enim simplicem aut implexam aut moratam aut affectam oportet esse. Et partes extra melopœiam et apparatum easdem; etenim ei opus est peripetiis et agnitionibus et affectibus. Præterea sententias et elocutionem recte habere. Quibus omnibus Homerus usus est primus et satis; etenim poematum utrumque constitutum est, Ilias quidem simplex et affectum, Odyssea vero implexum; agnitio enim per totum et moralis est. Ad hæc dictione et sententia omnes superavit.

5. *Quarto* Epopoeia convenit cum Tragœdia in speciebus atque in plerisque partibus. Sicut ergo ex dictis cap. XVII. num. 1 quatuor sunt Tragœdiæ species, simplex nimirum, implexa, pathetica et moralis, sic totidem sunt species Epopœiæ. Rursus ex sex partibus qualitatis, quæ, ut dictum est cap. IV., conveniunt Tragœdiæ, quæ partes sunt apparatus scenicus, melopœia, dictio, mores, sententia et fabula, exceptis duabus, apparatu nimirum scenico et melopœia, reliquæ quatuor conveniunt etiam Epopœiæ, siquidem et Epopœia debet enarrare fabulam, in qua sint peripetiæ, agnitiones et passiones; ac præterea debet recte se habere quoad dictionem, sententiam atque expressionem morum. Homerus porro omnibus his speciebus et partibus usus est primus, et tam bene, ut possit reliquis proponi in exemplum. Scripsit enim Iliadem, quæ est poema simplex et patheticum; scripsit Odysseam, quæ est poema implexum. Utrumque poema agnitionibus est refertum, atque egregie mores exprimit. In elocutione vero et sententia ita excelluit, ut omnes superarit.

ART. II.

QUO PACTO EPOPŒIA DIFFERAT A TRAGŒDIA IN MAGNITUDINE AC METRO.

6. Differt autem epopœia et constitutionis longitudine et metro. Ac longitudinis quidem terminus sufficiens dictus est; debet enim esse ejusmodi, ut simul conspici et principium et finis possit. Id sane esset, si priscis minores constitutiones essent, et pervenirent ad multitudinem tragœdiarum, quæ in unam ponerentur auditionem.

7. Habet vero multum quiddam epoœpia, et quidem proprium, ut extendere magnitudinem possit, propterea quod non contingit in tragœdia imitari multas partes, quæ eodem tempore geruntur, sed eam solam quæ geritur in scena et histrionum est. At in epopœia, quia narratio est, licet efficere, ut simul multæ partes ad finem perducantur, quæ, cum propriæ sint, augent poematis molem. Quare hoc habet, quod bonum est ad magnificentiam, et ad mutationem audientis et ad incrementum, quod fit dissimilibus episodiis; simile enim, quod cito satietatem affert, efficit ut tragœdiæ displiceant.

6 Explicatis iis, in quibus Epopœai convenit cum Tragœdia, explicanda sunt

ea, in quibus differt. *Epopœia differt a Tragœdia* præsertim in duobus: primo in magnitudine, secundo in metro. *Primo* igitur differt in magnitudine. Cum enim Tragœdia debeat repræsentare actionem, quæ potuerit perfici unius circiter diei spatio; Epopœia possit narrare actionem, quæ non nisi pluribus diebus, mensibus vel etiam annis potuerit absolvi, potest Epopœia esse longior Tragœdia. Si vero quæratur, intra quem terminum debeat Epopœiæ longitudo consistere, dicendum, quod Epopœia debet esse tanta, ut possit tota in memoriam cadere, per quam uno pæne aspectu videatur ejus principium, medium et finis. Videtur igitur, quod Epopœia debeat esse minor epopœiis ab antiquis conscriptis, cujusmodi sunt Cyprica et parva Ilias, quæ non possunt totæ in memoriam cadere, ac videtur posse continere multas tragœdias ita ordinatas, ut debeant iisdem auditoribus exhiberi, eo quod repræsentent fabulas ita connexas, ut secunda pendeat ex prima, quales sunt aliquæ antiquorum tragœdiæ.

7. Sicut porro Epopœia debet esse longior Tragœdia, sic habet aliquid, quod valde conferat ad epopœias producendas, quod non habet Tragœdia. Explicatur. Ad fabulam producendam multum confert repræsentare, quæ eodem tempore diversis in locis fiunt, si sint ita connexa, ut ad eumdem finem conferant; sed Tragœdia, cum debeat per se repræsentare personas in scena negotiantes et agentes, non potest repræsentare, quæ eodem tempore fiunt in diversis locis, sed solum quæ fiunt in uno loco. E converso Epopœia, cum repræsentet narrando, potest narrare quæ eodem tempore fiunt in diversis locis et sunt ita connexa, ut conducant ad eumdem finem; ergo Epopœia habet præ Tragœdia aliquid, quod valde confert ad producendas epopœias. Hæc facultas producendi Epopœiam, narrando quæ eodem tempore fiunt in diversis locis, multum confert tum ad magnificentiam, tum ad recreandum animum auditoris varietate rerum, tum ad epicum poema dissimilibus episodiis exornandum. Episodia vero debent dissimilia constitui, quia similitudo rerum repræsentatarum cito affert satietatem et fastidium, ideoque ex hac similitudine oritur, ut multæ tragœdiæ excidant a suo fine, nec plausum ab auditoribus consequantur.

8. Metrum autem heroicum ex experientia quadravit; nam si quis aliquo alio metro narrativam imitationem efficeret aut multis, indecorum certe appareret. Heroicum enim firmissimum et tumidissimum est metrorum; quamobrem et linguas et translationes maxime recipit. Supervacanea enim est narrativa motio aliorum. Iambicum vero et tetrametrum mobilia sunt, hoc quidem ad saltationem accommodatum, illud vero rebus agendis idoneum. Præterea vero absurdius fit, si quis ipsa misceat ut Chæremon. Quamobrem nemo fecit longam constitutionem alio nisi heroo. Sed ut dicimus, ipsa docet natura, ut illud ipsum partiamur, quop congruit.

8. *Secundo* Epopœia differt a Tragœdia in metro. Cum enim Tragœdiæ conveniat iambus, experientia compertum est, Epopœiæ convenire carmen heroicum sive hexametrum; ideoque si quis imitationem narrativam faceret alio metro quam hexametro, vel pluribus metris simul conjunctis, videretur facere aliquid indecorum. Ratio, cur imitationi narrativæ conveniat carmen hexametrum, est, quia imitationi gravissimæ simul ac maxime æquali ac stabili convenit metrum gravissimum, maxime æquale ac stabile; sed imitatio narrativa est gravissima, maxime æqualis ac maxime stabilis; ergo imitationi narrativæ, qualis est epica, convenit metrum gravissimum, maxime æquale ac stabile; sed metrum hexametrum est gravissimum, maxime æquale ac stabile, ut dictum est lib. III. Rhet. cap. VIII. num. 3; ergo imitationi narrativæ sine epicæ maxime congruit carmen hexametrum. Iambi vero ac tetrametri constantes trochæis, quia sunt valde mobiles, non congrunt imitationi epicæ; sed iambi conveniunt Poesi dramaticæ, in qua repræsentantur homines agentes et loquentes; tetrametri conveniunt saltationibus, ut dictum est VIII. cap. cit. III, Rhet. num. 3. Quia vero imitatio epica debet esse gravissima et maxime æqualis, multo absurdius esset, si quis ex pluribus carminum generibus poema epicum conficeret, eo pacto, quo Chæremon ex pluribus carminum generibus Centaurum poema conscripsit. Confirmatur, quia Epopœia debet esse poema longum; sed videmus, quod hactenus nemo ullum poema longum scripsit, nisi carmine hexametro; ergo ipsa natura nos docet, Epopœiæ non aliud carmen convenire quam hexametrum.

ART. III.

TRADUNTUR QUÆDAM PRÆCEPTA CIRCA EA, QUÆ SUNT PROPRIA EPOPŒIÆ.

9. Homerus autem et in aliis multis dignus est qui laudetur, et in hoc etiam, quod solus inter poetas id non ignorat, quod ipsum facere oportet. Ipsi enim poetæ quam paucissima dicenda sunt; etenim ipse non est secundum hæc imitator. Ac alii quidem ipsi per totum in actione versantur, et pauca imitantur ac paucis in locis; at hic, cum pauca præfatus sit, statim inducit virum aut mulierem aut aliquos alios mores, et nihil morum expers, sed habens mores.

10. Ac oportet quidem in tragœdiis efficere id, quod admirabile est; sed magis in epopœia contingit id, quod ratione vacat. Quamobrem contingit maxime id, quod admirabile est, quia non spectant in agentem, quoniam quæ evenerunt circa Hectoris insectationem, in scena certe apparerent ridicula, hi quidem stantes et non insectantes, hic vero renuens; at in epicis latent. Jam admirabile jucundum est. Ac signum est, quod omnes addentes nuntiant, tanquam gratificantes.

Explicatis iis, in quibus Epopœia convenit cum Tragœdia, et iis, in quibus ab eadem differt, tradit Aristoteles aliqua præcepta propria Epopœiæ.

9. *Primum præceptum*, quod ab Homero tantum videtur fuisse observatum, qui proinde etiam ex hoc capite summam laudem meretur, est, ut poeta epicus paucissima dicat ex propria persona, ac pæne semper loquatur ex persona aliorum, qui sermonibus moratis utantur. Ratio est, quia poeta debet esse maxime imitator; sed dum loquitur ex aliena persona, tum maxime est imitator; dum loquitur ex propria persona, non tam est imitator quam narrator; ergo etc. Cæteri igitur epicorum poetarum, cum pæne omnia dicant ex propria persona, pleraque narrant, raro et pauca imitantur; Homerus e converso, postquam pauca exorsus est dicere ex propria persona, statim inducit loquentem aliquem virum vel mulierem, nec ullum inducit loquentem, qui non egregie exprimat mores, quibus est præditus.

10. *Secundum præceptum* est: licet fabula tragica debeat esse admirabilis, ut dictum est cap. XVII. num. 5., tamen fabula epica debet esse proportionaliter admirabilior. Ratio est, quia fabula tragica admirabilia debet in scena ob oculos ponere; fabula epica admirabilia solum narrat et auribus subjicit; sed multa admirabilia, si in scena ponantur ob oculos, eo ipso videntur irrationalia, ideoque movent potius ad risum quam ad admirationem; si vero narratione solum auribus subjiciantur, non videntur irrationalia, ideoque movent ad admirationem; ergo fabula epica potest esse multo admirabilior quam tragica; sed posito, quod fabula epica possit esse admirabilior, poeta debet illam constituere admirabiliorem; sic enim constituet illam jucundiorem, siquidem admirabile est jucundum, ut patet ex eo, quod, qui narrant, semper addunt aliquid, ut narratio evadat admirabilior, adeoque jucundior; ergo fabula epica debet esse admirabilior quam tragica. Quod autem quædam admirabilia in scena ob oculos posita videantur ridicula, narrata autem non videantur ridicula, confirmat Aristoteles exemplo. Homerus lib. X. Iliad. describit Achillem in campo insequentem Hectorem et capite innuentem exercitui Græcorum, ut consisterent ac nullum telum in Hectorem jacerent. Hoc factum ab Homero narratum est admirabile. Si vero quis in scena exhiberet Achillem, qui solus insequeretur Hectorem et capite innueret Græcis, ut consisterent, ac totum Græcorum exercitum consistentem et otiantem, videretur aliquid ridiculum.

11. Et docuit maxime Homerus alios falsa dicere ut oportet. Atque hoc naturam habet paralogismi; existimant enim homines, quando, dum unum est aut factum est, alterum fit, si posterius est, etiam prius esse vel fieri; hoc autem mendacium est. Idcirco primum jam certe mendacium est. Sed necesse non est, dum unum est, ut alterum sit vel fiat vel apponatur. Nam quia scit hoc verum esse, falso ratiocinatur animus noster etiam primum, tanquam id quod sit (cujus exemplum ex Niptris sumi potest) (1).

12. Eligenda autem sunt, quæ fieri non possunt et verisimilia sunt, magis quam quæ fieri possunt et parum apposita sunt ad persuadendum.

11. *Tertium præceptum* est: poeta epicus, cum narrat falsa, debet illa narrare, ut oportet, ita ut videantur verisimilia, et in hoc debet imitari Homerum, qui artem narrandi falsa, ut oportet, suo docuit exemplo. Sed explicandum est, quænam sit ars narrandi falsa, ut oportet, et ita ut videantur verisimilia. Dicendum, quod ars dicendi falsa verisimiliter et ut oportet, reducitur ad fallaciam

(1.) Hæc, quæ in textu græco leguntur, in hac versione exciderunt.

consequentis. Fallacia consequentis fundatur in hoc, quod, cum ex antecedenti sequitur consequens, homines putant consequentiam converti, et ex consequenti sequi antecedens; ex. gr. quia ex pluvia sequitur, terram madefieri, homines putant, ex madefactione terræ sequi, quod plue-rit, ac sæpe in tali illatione decipiuntur. Ut igitur narremus falsa verisimiliter, debemus ita illa ordinare, ut ex iis sequatur aliquod verum. Cum enim homines vident, id, quod sequitur, esse verum, capiuntur fallacia consequentis, per quam videntur etiam vera, quæ ex ipsis sequuntur; ex. gr. quia homines sciebant Hectorem ab Achille occisum, Homerus narrando multa falsa, ex quibus sequebatur verisimiliter hoc verum, quod Hector occisus fuerit ab Achille, fecit, ut hominibus deceptis fallacia consequentis illa omnia viderentur vera. Ars igitur narrandi falsa, ut oportet, ex Homero desumpta est narrare ea, ex quibus sequantur, quæ homines sciunt esse vera.

12. *Quartum præceptum* est : si poeta non possit narrare, quæ simul sint possibilia ac verisimilia, potius debet fingere impossibilia verisimilia, quam possibilia inverisimilia. Ratio est, quia sicut poeta non debet narrare vera sed verisimilia, sic non debet narrare possibilia sed verisimilia; ergo si non possit fingere verisimile simul et possibile, debet potius fingere impossibile verisimile, quam possibile inverisimile.

13. Ac sermones non constituendi ex partibus carentibus ratione, sed maxime quidem, ut nihil habeant, quod careat ratione, si vero non sint tales, at certe habeant extra fabulam, ut Œdipus illud habet, quod nesciat, quomodo Laius mortuus sit. Non autem in dramate, ut in Electra, qui Pythia nuntiant; aut in Mysis, qui sine voce ex Tegea in Mysiam venit. Quare ridiculum est dicere, fabulam interituram, quia a principio non oportet constituere tales.

14. Quodsi quis constituerit et apparurite magis consentaneum recipere, erit etiam absurdum, quoniam et quæ sunt in Odyssea sine ratione, nempe quæ circa expositionem, nullo modo tolerabilia esse, manifestum foret, si ipsa malus poeta faceret. Nunc autem aliis bonis poeta obscurat, jucundum reddens absurdum.

15. Dictione autem oportet laborare in partibus otiosis et non moratis neque sententiarum plenis; contra enim occultat dictio valde splendida tum mores tum sententias.

13. *Quintum præceptum* est : Poeta in fabula constituenda nullam ejus partem fingere debet irrationabilem; si vero non possit fabulam constituere, nisi fingat aliquid irrationale, debet curare, ut illud non spectet ad fabulam, sed tanquam antea factum supponatur. Explicatur exemplis. Sophocles non potuit constituere fabulam Œdipi Tyranni, nisi fingeret aliquid irrationabile et inverisimile, quod nimirum Œdipus, qui in Thebarum regno successerat Laio tum occiso, per multos annos non interrogaverit neque sciverit, quo pacto Laius fuerit occisus. Sed quandoquidem coactus est, hoc inverisimile fingere, supponit illud ut antea factum, non autem repræsentat in fabula, ideoque levius peccat. At idem Sophocles gravius peccat in Electra. Inducit enim intra ipsam fabulam nuncium narrantem, Orestem occisum fuisse in ludis Pythiis modo quodam parum verisimili, adeoque non solum fingit aliquid irrationabile, sed constituit illud partem fabulæ. In idem peccatum incidit auctor tragœdiæ, quæ inscribitur Mysis, in qua fingitur ut pars fabulæ, quemdam venisse ex Tegea in Mysiam itinere satis longo, absque eo quod in itinere fuerit locutus, quod est irrationabile. Posset quis respondere, has inverisimilitudines esse dignas excusatione, quia sine ipsis tales fabulæ non potuissent constitui. Sed contra, quia hoc ipsum est reprehendendum, quod quis constituat fabulas, quæ ita includant aliquid inverisimile, ut sine ipso stare nequeant; ergo ridicula est excusatio ex eo, quod sine talibus inverisimilibus fabula stare non possit.

14. *Sextum præceptum* est : si quis velit in fabulas admittere aliqua inverisimilia et irrationabilia, debet illa inverisimilia tot bonis, quasi quibusdam condimentis aspergere, ut quodammodo non appareant. Explicatur exemplo Homeri. Hic in Odyssea circa expositionem, qua Ulysses a Phæacibus expositus est in littore Ithacæ, quædam narrat inverisimilia. Inverisimile enim est Phæaces, qui tanta benevolentia Ulyssem exceperant ac tanto honore fuerant prosecuti, illum deinde dormientem ac solum in littore Ithacæ exposuisse ac reliquisse. Homerus igitur hanc inverisimilitudinem advertens, fabulam de Ulyssis expositione in littore Ithacensi, quæ si a malo poeta descripta fuisset, intolerabilis videretur, ita ornavit, ut inverisimilitudo non appareat.

15. *Septimum præceptum* est : poeta debet locutionis luminibus ornare præ-

sertim partes otiosas poematis et morum expressione ac sententiarum acumine vacuas. Ratio est, quia lumina locutionis obscurant quodammodo sententias et mores, ita ut non satis appareant; ergo in iis orationis partibus, quæ sunt moratæ ac sententiis refertæ, a splendidiori locutione est abstinendum, eaque utendum in aliis partibus, quæ cum non sint moratæ nec sententiis refertæ, indigent luminibus verborum.

CAPUT XXIII

DE ACCUSATIONIBUS, QUÆ AFFERUNTUR CONTRA POETAS, AC DE MODO ILLOS DEFENDENDI ATQUE EXCUSANDI.

1. [25] Jam de quæstionibus et solutionibus, tum ex quot tum ex qualibus formis sint, hoc pacto contemplantibus fiet sine dubio manifestum. Quoniam enim poeta est imitator, quemadmodum etiam pictor vel quis alius imaginum effector, necesse est imitari de iis, quæ numero sunt tria, unum aliquod semper; aut enim qualia erant aut sunt; aut qualia aiunt aut videntur; aut qualia esse oportet. Hæc autem exponuntur dictione vel et linguis et translationibus. Et multæ affectiones sunt dictionis; hæc enim poetis concedimus. Præterea vero non est eadem rectitudo politicæ et poeticæ, neque aliarum artium et poeticæ. Ipsius autem poeticæ duplex erratum : nam unum per se, alterum per accidens. Etenim aut præeligit imitationem rei, quæ ultra facultatem est, quod erratum ipsius est; aut præeligit non recte, quod per accidens est, sed fecit equum moventem utramque dextram partem. Aut erratum est secundum unamquamque artem, quemadmodum secundum medicinam aut aliam artem. Aut quæ fieri non possunt, ficta sunt.

2. Hæc igitur qualiacumque fuerint, non per se sunt. Quare reprehensiones in quæstionibus ex his considerando solvendæ sunt.

Postquam Aristoteles egit de Tragœdia ac de Epopœia, proponit accusationes, quæ afferuntur contra poetas, ac docet modum poetas defendendi vel excusandi a talibus accusationibus. *Primo* ergo affert tria capita, ex quibus possunt poetæ excusari ac defendi; *secundo* descendit ad proponendas magis in particulari objectiones contra poetas, earumque solutiones.

1. *Quoad primum :* antequam proponamus objectiones contra poetas earumque solutiones, considerare debemus tria, ex quibus possunt solvi, quæ contra poetas objiciuntur. *Primum* est : quandoquidem poeta convenit cum pictoribus, aliisque imaginum expressoribus in hoc, quod sit imitator, necesse est, ut imitetur ac repræsentet res, vel quales sunt aut fuerunt secundum veritatem, vel quales sunt aut fuerunt secundum opinionem, hoc est quales dicuntur et videntur esse, vel quales esse deberent. *Secundum* est : poeta imitatur locutione, et hac vel propria, vel ex diversis linguis desumpta, vel translata. Plures etiam sunt locutionis passiones; siquidem quædam nomina sunt protracta, quædam contracta; quædam proferuntur cum uno accentu, quædam cum alio. Permittitur vero poetis uti vocibus diverso modo affectis. *Tertium* est : sicut alia est rectitudo propria Poeticæ, alia est rectitudo propria Politicæ vel aliarum artium, sic aliud est peccatum, quo poeta peccat contra artem poeticam, aliud est peccatum, quo peccat contra politicam vel contra alias artes, quas non tenetur scire. Potest igitur poeta peccare vel per se vel per accidens. Tum peccat per se, quando peccat contra ipsam artem poeticam; et quia Poetica est ars imitandi, tum per se peccat, quando cum proposuerit sibi aliquid imitandum, non potest consequi suum finem, adeoque non bene illud imitatur; puta cum proponit sibi imitandum equum currentem, nec bene imitatur equum currentem. Tum peccat per accidens, quando errat circa id, quod sibi proponit imitandum, sed posito, quod illud sibi proposuerit, bene illud imitatur; ex. gr. si poeta describens equum currentem, repræsentet illum ut eodem tempore moventem ac projicientem utrumque dextrum crus ac pedem, errat, quia equus non potest eodem tempore projicere utrumque dextrum crus, alioquin caderet in partem dextram, sed projicit anteriorem dextrum, posteriorem sinistrum, etc. Quia tamen poeta errat, putando equum simul projicere utrumque dextrum crus, quod scire non spectat ad Poesim, si posito hoc errore bene imitetur equum utrumque crus projicientem, peccat solum per accidens, non per se. Rursus peccat per accidens, cum errat circa ea, quorum cognitio non est propria Poeticæ, sed aliarum artium, puta dicens aliquid contra Medicinam, contra Astronomiam, etc. vel cum dicit aliqua impossibilia, non tamen inverisimilia. Neque enim ad Poeticam spectat scire de omni bus, utrum sint possibilia vel impossibilia.

2. Ex his capitibus desumi possunt duodecim modi ac formæ solvendi, quæ

contra poetas objiciuntur. Si enim objiciatur, quod poeta non imitatus est bene, possumus ex primo capite desumere quinque modos solvendi. *Primo* possumus dicere, quod licet non imitatus sit res, quales nunc sunt, imitatus est res, quales erant iis temporibus, de quibus agit. *Secundo* possumus dicere, quod non imitatus est res, quales tunc erant, sed quales nunc sunt. *Tertio*, quod imitatus est res, non quales fuerunt, sed qualis fama est, illas fuisse. *Quarto*, quod imitatus est res, quales potuissente sse. *Quinto*, quod imitatus est res, quales esse deberent. Si objiciatur aliquid contra voces, quibus usus est poeta, possumus ex secundo capite desumere quatuor modos solvendi. *Primus* desumitur ex significatione propria vocis; *secundus* ex significatione, quam vox illa habet apud aliam gentem; *tertius* ex significatione metaphorica; *quartus* ex passione vocis, puta ex accentu, etc. Demum si afferatur aliquid, in quo poeta peccavit, possumus ex tertio capite deducere tres solutiones seu excusationes. *Prima* est, quod peccavit per accidens, errans circa id, quod sibi proposuit imitandum, sed bene imitatus est id, quod imitandum sibi proposuit. *Secunda* est, quod non peccavit contra Poeticam, sed contra aliam artem, quam non tenebatur scire. *Tertia* est, quod finxit quidem aliquid impossibile, sed per id consecutus est aliquod magnum bonum, quod intendit. Sed hæc melius patebunt objectiones in particulari solvendo.

3. Primum enim, si quæ adversus ipsam artem sunt, ficta sint hujusmodi, ut fieri non possint, erratum sit. Sed recte se res habet, si consequitur finem ipsius. Finis enim dictus est, quemadmodum si sit magis ad consternandum vel ipsa accommodetur vel alteram partem accommodet. Exemplum Hectoris insectatio. Nam si finis vel magis vel minus contingebat inesse, etiam secundum eam artem, quæ de his est, peccatum est non recte ; oportet enim, si fieri potest, omnino nusquam errari.

4. Præterea utrorum est peccatum majus, eorumne quæ sunt secundum artem, an eorum quæ sunt secundum aliud accidens. Minus enim est, si nesciebat in cervorum specie feminam cornua non habere, quam si mala imitatione describeret.

5. Ad hæc si opponitur, non esse vera, at qualia oportet, ut Sophocles inquit, se quidem facere quales oportet, Euripides vero quales sunt, quamobrem hac ratione solvendum est.

3. *Quoad secundum :* præmissis capitibus, ex quibus possunt desumi solutiones, atque indicatis modis solvendi, debemus objectiones proponere ac solvere. *Primo* ergo si objiciatur, poetam finxisse aliquid impossibile secundum aliquam artem, possumus dicere, quod licet finxerit aliquid impossibile, adhuc per id consecutus est aliquod bonum tanti momenti, ut expedierit illud impossibile fingere. siquidem per id consecutus est suum finem Exemplum desumitur ex Homero, qui lib. X. Iliad. finxit, quod cum Achilles Hectorem fugientem persequeretur, nutu Achillis totus exercitus Græcorum constiterit versus in spectatorem, quod est impossibile. Verum Homerus fingendo hoc impossibile consecutus est aliquod bonum tanti momenti, ut expedierit illud fingere. Ex ea enim narratione consternantur animi, ac stupore quodam de Achillis fortitudine ac de pugnæ illius exitu suspenduntur. Quod si poeta potuisset eumdem finem paulo magis ac minus consequi, nullum impossibile fingendo, tum peccasset fingens illud impossibile, ac proinde non esset a reprehensione immunis.

4. *Secundo*, si objiciatur aliquid, in quo poeta peccaverit, considerandum est, an peccaverit contra artem poeticam, an contra aliam artem. Si enim peccavit contra aliam artem, quam non tenetur scire, dignus est venia; si vero peccavit contra artem poeticam, non meretur veniam. Ex hoc loco possunt excusari Pindarus, Callimachus et alii, qui cervæ cornua affinxerunt, cum inter cervos feminæ sint sine cornibus. Peccarunt enim non contra Poeticam, sed contra naturalem Historiam, quam scire non tenebantur, ideoque excusatione sunt digni. Si vero male imitati fuissent, tum per se peccassent contra Poeticam, nec mererentur excusationem.

5. *Tertio*, si opponatur, quod non imitetur res, ut vere sunt, potest responderi, quod illas repræsentat tales, quales deberent esse; hoc autem est laude dignum, ideoque laudi vertitur Sophocli, quod, cum Euripides faciat personas tales, quales sunt, Sophocles faciat tales, quales deberent esse.

6. Sin autem neutro modo, quod sic aiunt, ut quæ de deis dicuntur. Fortasse enim neque licet dicere melius sic, neque vera sunt,

7*. sed casu accidit, quemadmodum Xenophanes, sed non aiunt hæc. Fortasse autem non melius quidem, sed sic se res habebat, quem-

admodum quæ de armis dicuntur « lanceæ vero ipsius rectæ in saurotere; » id enim tunc institutum habebant, quemadmodum etiam nunc Illyrici. De illo autem quod bene aut non bene aut dictum est ab aliquo aut factum, non solum considerandum est, in ipsum quod factum est aut dictum intuendo, utrum ipsum laude an reprehensione dignum sit, sed etiam in agentem aut dicentem, erga quem aut quando aut quomodo aut cujus causa, quemadmodum aut majoris boni, ut fiat, aut majoris mali, ut ne fiat.

6. *Quarto,* si objiciatur, quod neque repræsentet res tales, quales sunt, neque quales deberent esse, responderi potest, quod illas repræsentat tales, quales a vulgo dicuntur esse. Ex. gr., cum objicitur Homero, quod neque descripserit deos tales, quales sunt, neque tales, quales esse deberent, responderi potest, quod descripsit illos tales, quales a vulgo dicebantur esse.

7. *Quinto,* si objiciatur, quod non repræsentat res tales, quales dicuntur esse, neque tales, quales deberent esse, potest responderi, ut dicebat Xenophanes, quod repræsentat tales, quales iis temporibus contigit esse. Ex. gr., Homerus narrat, Diomedem cum copiis noctu ita dormisse, ut haberent omnia parata et expedita ad pugnandum, si hostes illum aggrederentur, atque ad hunc finem lanceas humi vel in quodam instrumento, quod vocabant *sauroteres,* defixas habuisse, ut erectæ starent. Contra hanc Homeri narrationem objicitur, quod melius sit ad pugnandum contra hostes, si forte aggrediantur, hastas non humi defigere, sed ita disponere, ut cuspide sint obversæ ad eam partem, unde periculum est, ne hostes aggrediantur; ergo, etc. Responderi potest, quod Homerus narravit, Diomedem et socios ita hastas disposuisse, non ut melius erat, sed ut vere iis temporibus solebant Græci illas disponere; sed Græci solebant hastas humi figere, ut patet, quia hic usus adhuc retinetur apud Illyricos; ergo, etc. Jam quia qui poetas accusant aut defendunt, sæpe vocant in controversiam, utrum aliquid, quod a poeta narratur tanquam dictum vel factum, recte vel non recte fuerit dictum vel factum, advertit Aristoteles, quod ad judicandum, rectene aliquid dictum fuerit aut factum, non solum est considerandum, quid sit dictum aut factum, sed etiam, in quibus circumstantiis fuerit dictum aut factum; ex. gr., considerandum est, quis dixerit aut fecerit, cui dixerit aut fecerit, quando dixerit aut fecerit, quomodo vel quo instrumento sit usus, propter quem finem dixerit vel feceirt, ex. gr., an dixerit gratia majoris boni efficiendi, an gratia majoris mali vitandi, etc.

8. Hæc autem intuendo ad elocutionem solvenda sunt.

9 *. quemadmodum per linguam οὐρῆας μὲνπρῶτον « mulos quidem prius ». Fortasse enim non mulos sed custodes dicit. Et in Dolonem « specie quidem erat malus », non corpore incomposito, sed facie turpi; nam Cretenses pulchritudinem faciei vocant εὐειδές. Et illud ζωρότερον δὲ κέραιρε « meracius autem misce », Non meracius, ut temulentis, sed citius.

10. Illud autem per translationem dictum est : ἄλλοι μέν ῥα θεοί τε καὶ ἀνέρες εὗδον παννύχιοι « alii quidem diique et homines dormiebant totam noctem ». Et illud ἤτοι ὅτ᾽ ἐς πεδίον τὸ Τρωϊκὸν ἀθρήσειεν, καὶ αὐλῶν συρίγγων τε ὁμαδόν « sive hic in campum Troianum respiceret et tibiarum fistularumque vocem. » Nam πάντες « omnes » pro hac voce πολλοί « multi » secundum translationem dictum est, quia πᾶν « omne » est πολύ τι « multum quiddam ». Et illud οἴη δ᾽ἄμμορος « sola expers » secundum translationem; quod enim notissimum est, solum est.

8. Sequuntur rationes ac modi solvendi ex locutione atque ex diversa vocum significatione. *Sexto* igitur, si opponatur, quod poeta dixerit aliquid incongruum, possumus respondere, quod id, quod sumendo voces in significatione, quam habent in una lingua vel dialecto, videtur incongruum, sumendo easdem voces in significatione, quam habent in alia lingua vel dialecto, est congruum.

9. Tria hujus solutionis exempla affert Aristoteles. *Primum* est : Homerus lib. I. Iliados describens pestilentiam, quam Apollo immisit in exercitum Græcorum, dicit, quod pestis primum invasit οὐρῆας, quod juxta linguam communem Græcorum significat mulos. Hinc aliqui Homerum carpunt, quia videtur sine ulla ratione finxisse, quod pestis primo invaserit mulos. Responderi potest, quod nomen οὐρεύς juxta quamdam dialectum significat custodes; non est autem irrationabile, quod Apollo pestilentiâ primo percusserit custodes. *Secundum* exemplum est : Homerus lib. II. Iliad. agens de Dolone Trojano dicit, quod forma corporis erat malus, sed cursor velox. Opponunt aliqui : qui corpus habet improportionatum ac male constitutum, non potest esse velox ad currendum; ergo Homerus sibi ipsi contrarius est. Responderi

potest, quod licet εἶδος, quo vocabulo utitur Homerus, secundum linguam communem Græcorum significet figuram totius corporis, attamen juxta dialectum Cretensium significat faciem, ut patet ex eo, quod apud Cretenses εὐειδὲς significat pulchritudinem faciei. Homerus igitur dicit, quod Dolon erat quidem turpis facie, sed reliquo corpore erat proportionatus, adeoque aptus ad currendum, quod non repugnat. *Tertium* exemplum est : lib. IX. Iliados Achilles excipiens legatos Agamemnonis mandat Patroclo, ut legatis ministret vinum ζωρότερον, hoc est purum. Hinc aliqui objiciunt, quod fuerit inconveniens legatis quasi temulentis ministrari vinum purum. Responderi potest, quod ζωρότερον juxta quamdam dialectum idem significat ac citius. Præcepit ergo Achilles Patroclo, ut legatis vinum quam citissime ministraret, quod non est inconveniens.

10. *Septimo* possunt similes objectiones solvi ex eo, quod id, quod sumendo voces in propria significatione videtur inconveniens, sumendo easdem in significatione metaphorica non est inconveniens. Quatuor exempla Aristoteles affert. *Primum* est : Homerus lib. II. Iliad. dicit : *Alii quidem dii et homines dormiebant per totam noctem.* Opponunt aliqui, quod absurde Homerus canat deos, qui somno non indigent, dormisse per totam noctem. Responderi potest, quod Homerus dicens, deos dormisse, metaphorice significavit, deos ita ab agendo cessasse, ac si somno indulgerent; dum etiam dicit deos et homines dormise per totam noctem, metaphorice signsificat, homines dormisse per multam noctem, ponens *omnem* loco *multam.* Sæpe enim dicendo *omnes* significamus *multos*, quia omne videtur esse multum. *Secundum* exemplum est : Homerus lib. X. Iliad. narrat Agamemnonem noctu, cum magnis curis conflictaretur, respexisse campum Trojanum, etc. Dicendum, quod Homerus dicens Agamemnonem respexisse campum Trojanum, metaphorice significavit, eum non oculos corporeos, sed oculos mentis in campum Trojanum intendisse. *Tertium* exemplum est : Homerus ibidem dicit, Agamemnonem miratum esse audita voce tibiarum ac fistularum. Opponunt aliqui, quia vox est propria animalium; ergo absurde tribuitur tibiis ac fistulis, quæ sunt inanimata. Responderi potest, quod tribuitur non in sensu proprio sed metaphorico. *Quartum* exemplum est : Homerus lib. XIX. Iliad. et lib. V. Odysseæ loquens de Ursa dicit, quod inter sidera sola Ursa non occidit, adeoque non lavatur oceano. Objicitur, quia hoc est falsum, cum præter Ursam dentur alia sidera, quæ non occidunt, adeoque non merguntur oceano. Responderi potest, quod metaphorice id, quod est maxime notum, dicitur solum comparative ad minus notum; sed de Ursa est maxime notum, quod non occidit ; illam enim unice contemplantur nautæ; de aliis sideribus, præsertim tempore Homeri hoc non erat ita notum; ergo merito Homerus potuit dicere, quod Ursa sola non lavatur oceano.


11. Et secundum accentum. Quemadmodum Hippias Thasius solvebat illud δίδομεν δέ οἱ. Et τὸ μὲν οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ « hoc quidem ubi corrumpitur imbre ».

12. Hæc autem divisione, ut Empedocles αἶψα δὲ θνήτ᾽ ἐφύοντο τὰ πρὶν μάθον ἀθάνατα εἶναι, ζῶρά τε πρὶν ἄκρητα « extemplo autem mortalia nata sunt, quæ prius didiceram immortalia esse, mistaque prius pura. »

13. Hæc vero per ambiguitatem, παρῴχηκε δὲ πλέον νύξ. « Præteriit autem plus nox »; nam illud πλέον ambiguum est.

14. Atque hæc secundum consuetudinem locutionis ; ut aqua temperatum vinum dicunt esse. Unde factum est κνημὶς νεοτεύκτου ‟κασσιτέροιο ocrea recens fabrefacti stanni ». Et vocanti χαλκέας ærarios, qui ferrum exercent. Unde dictus est Ganymedes Jovi οἰνοχοεύειν vinum ministrare, non bibentibus vinum diis.

11. *Octavo*, quædam objectiones possunt solvi ex quibusdam passionibus vocum, puta ex accentu, ex divisione sive interpunctione, ex amphibologia, etc. *Primo* igitur affert Aristoteles duo exempla objectionum contra Homerum, quas Hippias Thasius solvit ex accentu, quæ duo exempla allata sunt etiam lib. I. Elench. cap. III, num. 17. *Primum* est : lib. II. Iliad. circa initium, ubi Jupiter præcipiens somno, ut decipiat Agamemnonem, in versione, qua Aristoteles utebatur, profert hunc versum : δίδομεν δέ οἱ εὖχος ἀρέσθαι, ut quidam legebant, hoc est *damus ipsi Agamemnoni, ut gloriam reportet.* Hunc locum quidam reprehendunt, quia Jupiter inducitur mentiens ac promittens Agamemnoni gloriam ex pugna, cum tamen Agamemnon in ea pugna esset vincendus, adeoque non esset reportaturus gloriam sed ignominiam. Hæc reprehensio est sophistica ex fallacia



accentus. Neque enim debet legi δίδομεν cum accentu in antepenultima, ita ut significet *damus*, sed διδόμεν cum accentu in penultima, ita ut sit infinitum jonicum, et significet *dare*. Non igitur Jupiter dicit: *damus Agamemnoni gloriam*, sed præcipit somno *dare seu promittere Agamemnoni gloriam;* ergo non Jupiter mentitur, sed mittit somnum mentientem, et sic hanc reprehensionem solvit Hippias Thasius. *Secundum* exemplum est libro XXIII. Iliad. vers. 328, in quo Nestor loquens de quadam quercu dicit, ut quidam legunt : οὗ καταπύθεται ὄμβρῳ, *ubi putrescit imbre*, et reprehendunt Homerum, quia quercus imbre non putrescit sed duratur. Hæc reprehensio est sophistica et ex fallacia accentus. Neque enim debet legi οὗ cum spiritu aspero et accentu circumflexo, ita ut significet ubi, sed οὐ cum accentu acuto et spiritu leni, ita ut significet *non*, et sensus sit, quod quercus non putrescit imbre.

12. *Secundo* Aristoteles affert exemplum objectionis contra Empedoclem factæ, quæ solvitur divisione sive interpunctione. Empedocles describens conversionem rerum, per quam prævalente lite supra amicitiam, ea, quæ per amicitiam fuerant conjuncta et confusa in massam quamdam immortalem, per litem separantur in corpora mortalia, dicit : *Extemplo autem mortalia facta sunt, quæ prius didicerant immortalia esse; et confusa, quæ prius erant distincta.* Opponunt aliqui, quia Empedocles loquitur de lite, quæ prævalendo separat ac distinguit. Quo pacto ergo asserit a lite fuisse confusa, quæ erant distincta? Responderi potest, non esse legendum : *confusa, quæ prius erant distincta*, ponendo virgulam post *confusa*, sed legendum : *confusa quæ prius, distincta erant*, ponendo virgulam post *prius*, ita ut sensus sit, per litem fuisse distincta, quæ per amicitiam fuerant confusa.

13. *Tertio* affert Aristoteles exemplum objectionis contra Homerum lib. IX. Iliad. quæ objectio solvitur amphibologia. Ulysses socius Diomedis in nocturna quadam expeditione hortatur Diomedem, ut properet, ac dicit : *Abiit enim nox plus duabus partibus; et adhuc superest tertia pars*. Opponitur, quia si transactæ erant plus quam duæ partes noctis, quo pacto poterat adhuc superesse tertia pars? Responderi potest, orationem esse ambiguam. Potest enim significari, vel quod transacta fuerit nox secundum duas partes et plus, et tum non posset superesse tertia pars; vel potest significari, quod nox transacta fuerit secundum plus duarum partium, ita ut aliquid adhuc supersit duarum partium, adeoque possit superesse tota tertia pars; et si in hoc sensu intelligatur, nulla est contradictio.

14. *Quarto* affert Aristoteles exempla quarumdam objectionum, quæ solvi possunt ex recepta consuetudine sermonis. *Prima* est : si quis vinum aqua dilutum vocet vinum, posset reprehendi, quia nomen vini primo impositum est ad significandum vinum purum; ergo abutitur nomine vini, dum vinum vocat vinum aqua dilutum. Responderi potest, quod jam ex consuetudine sermonis receptum est, ut nomen vini tribuatur etiam vino aqua diluto. *Secundum* exemplum est : Homerus lib. II. Iliad. narrat. Agenorem percussisse jaculo tibiam Achillis, ita ut ocrea recens fabrefacti stanni sonum ingentem ediderint. Objicitur, quia ocrea Achillis non erant stannea ; ergo, etc. Responderi potest, quod jam ex consuetudine est receptum, ut ocrea dicantur stannea, licet constent ex alio metallo. Confirmatur, quia ii, qui ferrum exercent, dicuntur fabri ærarii, licet non versentur circa æs, sed circa ferrum. *Tertium* exemplum est : Homerus dicit, Ganymedem vinum Jovi ministrare; sed Jupiter ac dii non bibunt vinum sed ambrosiam; ergo abutitur nomine vini. Responderi potest, quod οἰνοχεύειν, licet ex prima impositione significet hoc, quod est vinum ministrare, tamen jam ex consuetudine obtinuit, ut significet hoc, quod est ministrare potum quemcumque; sed Ganymedes ministrat Jovi ambrosiam ; ergo bene dicitur οἰνοχεύειν. Potest vero hæc consuetudo fundari in translatione, per quam nomen transfertur a specie ad speciem, etc.

15. Quando autem nomen aliquod videtur subcontrarium aliquod significare, attendendum est, quotupliciter significet hoc in eo quod dictum est, ut τῇ ρ᾽ ἔσχετο χάλκεον ἔγχος, eo quod prohibitum sit. Illud autem « quotupliciter » contingit sic quodammodo. Maxime vero si quis suspicetur per eam rationem, quæ e regione est velut ut Glauco dicit, quod nonnulli sine ratione præsumunt et ipsi, cum jam alterum condemnaverint, syllogismo concludunt, et tanquam eos qui dixerint quod videtur reprehendunt, si subcontrarium fuerit ipsorum existimationi. Atque hoc patiuntur quæ de Icario dicuntur.

Existimant enim ipsum Laconem esse; absurdum igitur, aiunt, est, non congressum esse cum eo Telemachum, cum Lacedæmona ivit. Idque fortasse se habet, ut Cephalenes aiunt; a se enim uxorem duxisse dicunt Ulyssem, et esse Icadium, non Icarium propter erratum. Quæstio autem res verisimilis est.

15. *Quinto* affert Aristoteles exempla objectionum, quæ solvuntur, distinguendo plures significationes alicujus nominis. Aliquando opponitur, quod poeta dixerit aliquid subcontrarium alteri, quod alio loco dicit. Tum ergo distinguendo plures nominis significationes, possumus objectionem solvere. Exemplum est : Homerus lib. XX. Iliados describens pugnam Æneæ cum Achille dicit, quod lancea Æneæ δύο μὲν ἔλασσε πτύκας, hoc est duas laminas perforavit ex quinque, quibus contextus erat clypeus Achillis ; lamina vero aurea prohibuit lanceam, ne ulterius transiret. Objicitur, quia Homerus describens clypeum Achillis, dicit, illum ita fuisse a Vulcano constructum, ut ab homine mortali perforari non posset; ergo Homerus dicens, lanceam Æneæ duas laminas perforasse, sibi ipsi contradicit. Responderi potest, quod illud ἔλασσε πτύκας potest significare, vel quod duas laminas perforaverit, vel quod duas laminas inflexerit; sed si intelligamus in secundo sensu, quod hasta Æneæ duas laminas inflexerit, atque a lamina aurea, quæ erat prima, prohibita fuerit, ne perforaret, nulla est contradictio; ergo, etc. Addit Aristoteles, quod plures objectiones possunt solvi distinguendo plures opiniones contrarias, quas poeta potuit sequi. Multi enim sequuntur opinionem contrariam ei, quam secutus est poeta, vel quædam sine ulla ratione supponunt, cum poeta supposuerit contrarium, his vero suppositis syllogizant ac concludunt aliquid, ex quo poetam reprehendunt. Hæ autem objectiones uno verbo solvuntur dicendo, poetam secutum fuisse opinionem contrariam. Exemplum est : multi supponunt Icarium patrem Penelopis ac proinde socerum Ulyssis atque avum maternum Telemachi fuisse Lacedæmonium. Hinc reprehendunt Homerum, quod cum narrat Telemachum profectum fuisse Lacedæmona, non fecerit illum ad Icarium avum divertere. Solutio potest desumi ex eo, quod Homerus censuerit, Ulyssem uxorem duxisse non ex Lacedæmoniis sed ex Cephaleniis, ut etiam Cephalenii dicunt; patrem vero Penelopis fuisse non Icarium Lacedæmonem, sed Icadium Cephalenium. In hoc igitur errore circa patrem Penelopis fundatur quæstio, qua quæritur, cur Telemachus Lacedæmonem profectus non diverterit ad avum maternum Icarium; talis enim quæstio est de subjecto non supponente.

16. Omnino vero, quod fieri non potest, vel ad poesim vel ad melius vel ad opinionem oportet redigere. Nam quod attinet ad poesim, magis eligendum est appositum ad persuadendum, quod fieri non potest, quam non appositum ad persuadendum, quod fieri potest. Ac fieri non potest, ut tales sint, quales Zeuxis pingebat. Verum spectatur etiam melius; nam exemplum debet exsuperare.

17. Ad ea quæ aiunt, reducuntur ea quæ sine ratione sunt. Et sic etiam dicendum, quod aliquando non est præter rationem; verisimile enim est, etiam præter verisimile fieri.

18. Subcontraria vero, ut dicta sunt, oportet considerare, quemadmodum in sermonibus refutationes, si idem et ad idem et simili modo. Quare et ipse respicit aut ad ea quæ ipse dicit, aut ad id quod prudens supponat.

19. Jam recta reprehensio est et vacare ratione, et pravum apparere, quando, dum necessitas non est, usus fuerit aliquo quod vacet ratione, quemadmodum Euripides illo Ægeesti, et pravitate, ut Menelai in Oreste.

20. Atque has quidem reprehensiones ex quinque formis afferunt; nam sunt aut tanquam ea quæ fieri non possunt, aut tanquam sine ratione, aut tanquam perniciosa, aut tanquam subcontraria, aut tanquam præter eam rectitudinem, quæ secundum artem est. Solutiones vero ex dictis numeris considerandæ; et duodecim sunt.

16. Concludit Aristoteles epilogando et magis explicando hactenus dicta de objectionibus, quæ afferuntur contra poetas, earumque solutionibus. *Primo*, objectiones, in quibus opponitur, poetam dixisse aliquid impossibile, possunt solvi tripliciter. *Prima* solutio desumpta ex ipsa natura Poeseos est, quod poeta præferre debet impossibilia verisimilia possibilibus inverisimilibus; sed hoc impossibile, quod finxit, est verisimile; ergo, etc. *Secunda* solutio desumpta ex opinione communi est : poeta potest narrare, quæ secundum opinionem communem censentur possibilia; sed hoc, quod narravit, licet vere sit impossibile, secundum opinionem communem censetur possibile; ergo, etc. *Tertia* solutio desumpta ex eo, quod est melius, est : poeta potest res imitari non ut sunt, sed ut melius est il-

las esse, licet moraliter non possint esse tales, eo pacto, quo Zeuxis pinxit Helenam pulchriorem, quam fuerit et quam moraliter esse potuerit; sed licet non expresserit res ut sunt, et ut moraliter possunt esse, fecit illas meliores; ergo, etc. Ratio vero, cur poetæ liceat, res exprimere ut meliores, quam possint moraliter esse, ea est, quia debet imitando sibi proponere ideam sive exemplar perfectissimum rei; sed exemplar est melius ac perfectius rebus, quæ sunt atque moraliter possunt esse; ergo poeta potest res exprimere ut meliores, quam sint et quam moraliter possint esse.

17. *Secundo*, objectiones, in quibus opponitur, aliquid esse irrationabile, possunt solvi dupliciter. *Primo* potest responderi, quod licet sit irrationabile, adhuc est conforme iis, quæ communiter dicuntur, et hoc pacto possunt salvari ea, quæ poetæ narrant de diis. *Secundo* possumus cum Agathone respondere, quod sicut verisimile est, aliquando, licet raro, accidere aliquid inverisimile, ita poeta potest verisimiliter fingere hoc ipsum, quod nimirum aliquando, sed raro, evenerit aliquid inverisimile.

18. *Tertio*, objectiones, in quibus opponitur, poetam dixisse aliqua invicem contraria, possunt solvi ex iis, ex quibus in disputationibus solvuntur argumenta probantia, nos dixisse contraria vel contradictoria. Sicut igitur argumenta probantia, nos dixisse contraria vel contradictoria, solvuntur ex definitione contradictionis, quæ est, ut sit *affirmatio ac negatio ejusdem de eodem, secundum idem*, etc., — sic eodem pacto solvuntur similes objectiones, cum contra poetas fiunt. Considerandum est igitur *primo*, utrum idem affirmetur vel negetur. Si enim non sit idem, non est contradictio. *Secundo* considerandum est, utrum idem affirmetur ac negetur respectu ejusdem vel respectu diversi. Si enim sit respectu diversi, non est contradictio. *Tertio*, utrum affirmetur ac negetur eodem modo. *Quarto*, utrum idem sit, qui affirmat ac negat. Si enim poeta unum affirmet ex propria persona, idemque neget ex persona et opinione alterius, non dicit contraria. Demum, utrum loquatur ex propria opinione, vel supponens opinionem alterius prudentis, etc.

19. *Quarto*, explicatis modis, ex quibus possunt poetæ reprehendi non recte, explicat Aristoteles, quid et quotuplex sit recta reprehensio poetarum. Est igitur recta poetarum reprehensio, per quam ostenditur, illos sine ulla necessitate finxisse aliquid irrationabile vel pravum, adeoque per rectam reprehensionem potest poetis opponi vel irrationabilitas vel pravitas. Exemplum irrationabilis est, quod de Ægistho fingit Euripides in quadam tragœdia, quæ quia non extat, divinari non potest, in quo consisteret. Exemplum pravitatis desumitur ex Oreste tragœdia ejusdem Euripidis, in qua sine ulla necessitate describitur Menelaus, ut valde pravis moribus præditus, ut dictum est etiam supra cap. XII.

20. Concludit Aristoteles, objectiones contra poetas desumi posse ex quinque capitibus. *Primo* ex eo, quod dicat impossibilia; *secundo* ex eo, quod dicat irrationabilia; *tertio* ex eo, quod dixerit perniciosa auditoribus; *quarto* ex eo, quod dixerit repugnantia; *quinto* demum, quod peccaverit contra rationem ac contra præcepta artis poeticæ. Solutiones objectionum desumi possunt ex duodecim enumeratis num. 2.

CAPUT XXIV

UTRUM MELIOR SIT EPOPŒIA AN TRAGŒDIA.

1. [26] Jam vero utrum sit melior epopœica imitatio an tragica, dubitare aliquis posset. Nam si quæ minus onerosa est, melior est, et talis pertinet ad spectatores meliores, manifestum est, quæ omnia imitatur, onerosam esse; quasi enim non sentientibus, nisi ipse poeta multam adjunxerit motionem, moventur, ut mali tibicines volventes se, si discum oporteat imitari, et trahentes coryphæum, si Scyllam cecinerint. Ac tragœdia quidem talis est, quemadmodum etiam qui prius fuerunt, existimabant posteriores histriones; nam Mynniscus Callipedem vocabat tanquam nimis exsuperantem simiam. Ac talis quoque opinio de Pindaro erat. Ut autem isti se habeant invicem, sic tota ars ad epopœiam se habet. Atque hanc quidem circa spectatores probos ajunt esse; quamobrem nihil egeat figuris. Tragicam vero ad improbos. Igitur onerosa pejor profecto erit.

1. Comparat demum Aristoteles Tragœdiam cum Epopoeia et examinat, utra in genere Poeseos sit melior ac perfectior. Ex una igitur parte videtur Epopœia esse præferenda Tragœdiæ. Illa enim imitatio est melior, quæ minus est importuna ac minus molesta spectatoribus melioribus; sed imitatio epica minus est importuna minusque molesta specta-

toribus melioribus; ergo, etc. — Probatur minor; imitatio, quæ cuncta gestibus ac motibus conatur exprimere, magis est importuna atque molesta spectatoribus melioribus quam imitatio, quæ non cuncta gestibus conatur exprimere; sed imitatio tragica cuncta gestibus ac motibus conatur exprimere, secus imitatio epica; ergo, etc. — Probatur major; nam imitatio, quæ cuncta gestibus ac motibus conatur exprimere, supponit, auditores esse quodammodo insensatos ac non percipere, nisi cuncta, quæ dicuntur, motibus ac gestibus exprimantur; sed spectatoribus valde est molestum, quod cum ipsis agatur quasi cum insensatis ac non percipientibus; ergo, etc. *Confirmatur primo*; nam tibicines, qui, dum sono tibiarum aliquid imitantur, conantur etiam illud exprimere gestibus ac motibus, adeoque dum imitantur discum, qui circumvolvitur, se ipsos versant in gyrum, et dum canunt Scyllam trahentem naves, apprehendunt ac trahunt Corypheum seu ductorem chori, molesti sunt spectatoribus melioribus, licet fortasse placeant hominibus ex vulgo; sed imitatio tragica est similis imitationi talium tibicinum : ergo molestiam affert spectatoribus melioribus ac magis expolitis. *Confirmatur secundo*, quia histriones primæ notæ pauca gestibus ac motibus exprimunt; histriones secundæ notæ omnia pæne gestibus ac motibus exprimunt, ideoque Mynniscus optimus histrio per contemptum vocabat Callipedem histrionem malum, nomine simiæ, eo quod, cum omnia gestibus exprimeret, videbatur similis simiæ; atque in eamdem etiam reprehensionem incidit Pindarus histrio; sed ita videtur Epopœia se habere ad Tragœdiam, sicut optimus histrio ad histrionem malum et omnia gestibus exprimentem : ergo Epopoeia est præferenda Tragœdiæ. Videtur enim Epopœia non indigere tot gestibus ac motibus, quia ordinatur ad spectatores doctrinis ac moribus expolitos, adeoque percipientes, etiamsi quæ dicuntur, gestibus non exprimantur; Tragœdia vero videtur indigere tot gestibus ac motibus, quia ordinatur ad vulgus hominum non percipientium.

2. Ac primum quidem accusatio non est artis poeticæ sed histrionicæ, quoniam potest uti signis etiam qui recitat epopœiam, id quod faciebat Sosistratus; et qui canit, id quod faciebat Mnasitheus Opuntius. Deinde non omnis motio improbanda, siquidem neque saltatio, sed motio improborum. Id quod etiam Callipidi vitio dabatur, et nunc aliis, tanquam non ingenuas mulieres imitantibus. Præterea tragœdia etiam sine motione facit illud, quod habet proprium, ut epopœia; nam per lectionem manifesta est, qualis sit. Si igitur est in aliis melior, hoc certe, ut ipsi insit, necessarium non est.

2. Dicendum tamen, quod Tragœdia est præferenda Epopœiæ. Probatur *primo*; quia rationes allatæ pro Epopoeia non concludunt; ergo, etc. Probatur antecedens; Tragœdia enim postponebatur Epopœiæ, quia histriones Tragœdias repræsentantes, cuncta quæ dicunt, gestibus exprimunt, adeoque molestiam afferunt spectatoribus melioribus, dum agunt cum ipsis quasi cum insensatis; sed hoc non est vitium Tragœdiæ sed histrionum, et potest etiam convenire Epopœiæ. Nam etiam qui carmen epicum recitat, potest esse molestus spectatoribus, eo quod omnia velit gestibus exprimere, ut faciebat Sosistratus, vel ex eo, quod recitatio nimis accedat ad cantum, ut faciebat Mnasitheus Opuntius; ergo ex hoc capite non ostenditur, Tragœdiam esse postponendam Epopœiæ. *Confirmatur primo*, quia non omnis gestus ac motus est improbandus, sicut non omnis saltatio, sed solum motus ac gestus non decentes, qualibus utebatur Callipedes, et qualibus utuntur alii, qui idcirco dicuntur imitari gestus mulierum non liberalium; ergo cum possint auctores Tragœdiarum uti gestibus ac motibus laudabilibus, Tragœdia non est postponenda Epopœiæ ex eo, quod aliqui actores peccent in motu ac gestu. *Confirmatur secundo*, quia sicut Epopœia, sic etiam Tragœdia potest legi et causare delectationem propriam Poeseos sine ullo motu ac gestu; ergo si ex aliis capitibus præstat Epopœiæ, non est postponenda propter motus ac gestus, qui non sunt ad Tragœdiam necessarii.

3. Deinde quoniam habet omnia, quæ habet epopœia. Etenim metro licet uti, et quod non parvam partem habet musicam, et apparatum, per quam voluptates constituuntur evidentissime. Deinde et evidens habet et in lectione et in actibus. Accedit quod finis imitationis est in minore longitudine; nam strictius est jucundius quam id, quod multi temporis mixtionem habet. Dico autem quemadmodum si quis componeret Œdipodem Sophoclis, in quot versibus Ilias est. Præterea minus una est qualiscumque imitatio epicorum ; signum autem est, quod ex qualicumque imitatione plures tragœdiæ conficiuntur. Quare si unam fabulam faciant, necesse est vel ut breviter ostensa appareat cauda muris, vel

ut sequens metri longitudinem appareat aquea, Sed si faciant plures, quemadmodum si ex pluribus actionibus fuerit composita, non erit una; ut Ilias habet multas tales partes, et Odyssea, quæ etiam per se habent magnitudinem, etiamsi hæc poemata constituta sint, quantum fieri potest, optima, et quam maxime sint imitatio actionis unius. Si igitur et propter hæc omnia præstat et propter artis etiam opus (oportet enim ipsas non quamlibet efficere voluptatem, sed eam quæ dicta est), apparet eam, quæ magis finem consequitur, meliorem sine dubio esse epopœia. Ac de tragœdia quidem et epopœia et ipsis et formis et partibus ipsarum, et quot sint et quid differant, et quæ causæ sint ejus quod bene est et quod bene non est, et de reprehensionibus et solutionibus, tam multa dicta sint.

3. *Secundo* positive probatur, Tragœdiam esse præferendam Epopœiæ. Si enim Tragœdia haberet omnia, quæ habet Epopœia et quædam alia, ac præterea in aliquibus, in quibus convenit cum Epopœia, melius se haberet ac præstaret Epopœiæ in eo, quod est proprium artis poeticæ, procul dubio esset præferenda Epopœiæ; sed Tragœdia est talis; ergo, etc — *Probatur minor* per singulas partes; et *primo* ostenditur, Tragœdiam habere omnia, quæ habet Epopœia, et quædam alia. Epopœia enim habet fabulam, mores, sententiam ac dictionem metricam; sed Tragœdia habet has omnes partes, et præterea apparatum scenicum spectantem ad visum, et melopœiam, quæ manifestissime maximam afferunt voluptatem; ergo Tragœdia habet omnia, quæ habet Epopoeia, et quædam alia. — *Secundo* probatur secunda pars, quod nimirum Tragœdia in quibusdam, in quibus convenit cum Epopœia, melius se habeat. *Primo* enim Tragœdia convenit cum Epopœia in hoc, quod imitetur actionem gravem, perfectam et magnitudinem habentem, etc., sed Tragœdia hanc imitationem citius perducit ad finem; imitatio autem actionis perfectæ, si citius ad finem perducatur, est jucundior, quam si longius producatur; sicut enim vinum aqua dilutum amittit vigorem, sic imitatio longitudine evadit minus jucunda; ergo, etc. Confirmatur, quia si quis Œdipum Sophoclis produceret ita, ut evaderet ita longus ac sit Ilias Homeri, procul dubio redderet illam fabulam minus jucundam; ergo, etc. *Secundo* Tragœdia convenit cum Epopœia in hoc, quod debet continere fabulam unam, adeoque imitari actionem unam; sed fabula epica minus est una quam tragica, ut patet ex signo, quia ex una epopœia possunt confici multæ Tragœdiæ; ergo, etc. *Confirmatur primo*, quia si, qui scribit carmen epicum, eligat fabulam perfecte unam, vel illam cito absolvit, et poema epicum videbitur nimis breve; vel illam producit, usque dum poema habeat convenientem magnitudinem, et eo ipso poema erit languidum, utpote breviori fabula animatum, quam tam longo poemati conveniret. Si autem plures fabulas conjungat in unam fabulam, jam fabula non erit perfecte una, quippe quæ poterit dividi in plures fabulas habentes sufficientem magnitudinem ad plures Tragœdias constituendas. *Confirmatur secundo*, quia Ilias et Odyssea sunt poemata optime constructa; sed adhuc non continent fabulam ita unam sicut Tragœdiæ, ideoque ex iis possunt fieri plures Tragœdiæ; ergo signum est, quod fabula epica ex sua natura minus est una quam fabula tragica.—*Tertio* probatur tertia pars conclusionis, quod nimirum Tragœdia præstet Epopœiæ in eo, quod est proprium artis poeticæ. Nam maxime proprium artis poeticæ est imitari; sed Tragœdia magis imitatur quam Epopœia, siquidem imitatur non solum narrando sed agendo; ergo Tragœdia præstat Epopœiæ in eo, quod est maxime proprium artis poeticæ, adeoque simpliciter præferenda est Epopœiæ. Debet autem adverti, quod dum asseritur, Tragœdiam esse meliorem Epopœia, non est intelligendum, quod quælibet Tragœdia sit melior qualibet epopœia; nam Tragœdia mala, adeoque non consequens suum finem deterior est Epopœia bene facta, adeoque consequente suum finem. Sensus igitur est, quod optima Tragœdia, adeoque consequens suum finem, est melior optima Epopœia, quæque suum finem assequatur. — Hæc igitur de Tragœdia et Epopœia, earumque speciebus ac partibus, ac de numero partium, nec non de differentiis ac de causis, propter quas bene vel male se habent; ac demum de objectionibus contra poetas earumque solutionibus dicta sufficiant. Videbatur superesse, ut ageretur de Comœdia, juxta ea, quæ Aristoteles proposuit cap. II, num. 9. Sed hæc tractatio non extat, adeoque hoc opus videtur imperfectum, vel quia Aristoteles ipsum non absolvit, vel quia ultima ejus pars injuria temporum periit.

CORRIGENDA.

Monui in præfatione primi voluminis, me in eo corrigendo non id, quod desiderabam, esse assecutum. Cui rei ut remedium aliquod adhiberem, primum folium atque pag. 155 et 156 denuo typis describenda et toto volumine diligenter excusso mendorum, quæ legentes detinere possent, indicem conficiendum curavi.

Pag. 49a	lin.	5	supra	: fit *lege* : sit.
52b	»	23	»	: oppositam *lege* : opposita.
67b	»	27	infra	: attribuantur *lege* : attribuatur.
72b	»	8	supra	: sit *lege* : fit.
77b	»	7	infra	: cum *lege*: cui.
86b	»	17	supra	: et *lege* : est.
88b	»	1	»	: si *lege* : sit.
121b	»	10	infra	D. Darapti *lege* : De Darapti.
125a	»	17	supra	: ut *lege* : at.
133b	»	6	»	: *utraque negativa* sive altera affirmativa altera negativa, *nulla*.
135a	»	4	infra	: A F B *lege* : A et B.
166b	»	19	supra	: *ita ut* de illo prædicetur, vel intra majus extremum, ita ut *ipsi subjiciatur.*
167a	»	1	supra	: *duæ ex quibus constat* syllogismus, duæ ex quibus constat *prosyllogismus.*
173b	»	19	infra	: inventam *lege* : intentam.
176a	»	26	supra	: *omnes* syllogismos *exstrui.*
200a	»	20	supra	: *non est* non *albus.*
209b	»	26	»	: *extremo* et sit extraneum minori extremo, *ex. gr.*
210a	»	25	supra	: *Nam* si τὸ α.
213a	»	15	infra	: *tota vera* et conclusio vera. *Itidemque.*
213a	»	16	»	: propositio autem α β *lege* : propositio α β.
217b	»	25	»	: pura quadrupes *lege* : puta quadrupes.
218b	»	2	»	: contradictorio *lege* : contradictorium.
225b	»	14	»	: *Cum enim* minor *sit.*
230a	»	17	»	: *differunt* per differentiam *jam.*
242a	»	18	infra	: der se *lege* : per se.
247b	»	19	»	: eum sine *lege*: cum sine.
247b	»	2	»	: media vera *lege* : media vero.
249b	»	14	»	: cum rursus *lege* : eum rursus.
251a	«	3	»	: putet ferre in utero; non hanc *lege* : putet hanc ferre in utero; non enim.
265a	»	15	»	: judicium *lege* : indicium.
265a	»	19	»	: judicium *lege* : indicium.
272a	»	19	»	: *ejus* rei *causam.*
277b	»	13	supra	: τὸ α et τῷ β *lege* : τὸ α τῷ β.
282b	»	27	»	: propositio *lege* : proportio.
296b	»	19	»	: *principiis* ut principiis *ad.*
310a	»	24	infra	: et non erit *lege*: et tum erit.
319b	»	18	supra	: sinquam *lege* : si inquam.
323a	»	12	»	: prædicatum *lege*: prædicamentum.
333b	»	30	»	: quærere : cur habent? *lege*: quærere, cur habeat.
346b	»	32	»	: *et eadem* res, *ita.*
346b	»	9	infra	: *non animal*) et non id ipsum quod animal; hoc enim sit posse esse non animal.
366b	»	25	supra	: *cibos* non *fluitare.*

Pag. 366b	lin.	27	»	: τὸ β inest τῷ γ.
368b	»	9	infra	: *vero* non *colligitur.*
388a	»	6	»	: dinœa *lege*: dianœa.
388a	»	3	»	: syllogismus *lege* : logismus.
394a	»	14	supra	: *probabilia*, videtur *esse.*
402b	»	6	infra	: Et autem *lege* : Est autem.
415b	»	12	supra	: sit *lege* : fit.
»	»	17	»	: fit *lege* : sit.
417b	»	5	infra	: albo ut si *lege* : albo ut sit.
420b	»	22	»	: asserendi *lege* : afferendi.
426a	»	6	supra	: εὖ τὴν ψυχήν.
426b	»	3	»	: ex felix *lege* : est felix.
430a	»	21	infra	: *est*, ne *in iis.*
432a	»	18	supra	: *suave;* vel : *si justitia.*
435b	»	9	infra	: *ideo* non *valet.*
442b	»	17	supra	: *quæ* sunt *ex.*
446a	»	19	infra	: definitione *lege* : definitionem.
447b	»	22	supra	: *voluptas* non *est.*
470a	»	16	»	: *de omnibus*, dicuntur de æqualibus ; si genus non dicitur de omnibus, *differentia.*
475a	»	6	infra	: aliqui *lege* : alicui.
486b	»	22	supra	: *conveniat rei* ut participatæ vel *ut participanti.*
487a	»	10	infra	: et ignis *lege* : est ignis.
499a	»	8	supra	: *quod* absolute *definitio.*
511b	»	5	infra	: et anima *lege* : et animal.
518a	»	10	supra	: *contra hos* etiam huiusmodi rationes *valent.*
519a	»	18	»	: *definitionem* communem *omnibus.*
520b	»	3	»	: definitio *lege* : definito.
522a	»	19	»	: *ipso* oratio *allata.*
525a	»	26	infra	: *quarum altera* sit *per se.*
575a	»	11	»	: οὖ *lege* : οὔ.
602a	»	15	»	: πήγιξ *lege* : πήληξ.
647b	»	22	supra	: in parte *lege* : in arte.
651b	»	29	»	: *concludit* conclusiones *contingentes.*
653a	»	21	infra	: alterio *lege* : altero.
667b	»	16	supra	: malam *lege* : mala.
683a	»	17	infra	: ut sit *lege* : ut si.
687a	»	21	supra	: disputate *lege* : disputare.
688b	»	25	infra	: insitum jam sit *lege* : insitum jam fit.
690a	»	19	supra	: memor et *lege* : memor est.
721b	»	1	supra	: ob irem *lege* : ob iram.
727b	»	7	»	: aut amatores *lege* : ut amatores.
824a	»	28	«	: Versarir veo *lege* : versari vero.
849b	»	23	infra	: exceptio uno *lege* : excepto uno.
861b	»	25	»	: verisimile fit *lege* : verisimile sit.
880a	»	23	supra	: significat sui *lege* : significat tui.

jam syllogismus erit in Felapton; convertendo eodem pacto etiam majorem, fiet syllogismus in Darapti, qui modi concludunt, ut demonstratum est num. 5 et 6.

8. Si vero terminorum alter sit universalis alter in parte, cum eodem modo habent, quo in eo quod inest, erit et non erit syllogismus. Contingat enim τὸ α omni γ, ac τὸ β alicui γ inesse. Erit igitur iterum prima figura conversa propositione particulari. Nam si τὸ α omni γ, ac τὸ γ alicui β, etiam τὸ α alicui β contingit.

9. Idem fit, si nota universalis juncta sit propositioni β γ.

10. Similiterque si propositio α γ sit privativa, et β γ affirmativa. Iterum enim erit prima figura per conversionem.

11. Si vero ambæ privativæ positæ sint, altera universalis altera in parte, ex his quidem quæ sumptæ sunt, non erit syllogismus, sed iis conversis erit syllogismus, quemadmodum in superioribus.

12. Cum autem ambæ sumptæ sunt indefinitæ vel in parte, non erit syllogismus. Etenim necesse est τὸ α et omni et nulli β inesse. Termini, in quibus inest, hi sint, animal-homo-album, in quibus non inest, equus-homo-album. Medium sit album.

8. Explicatis conjugationibus universalibus discurrit Aristoteles per mistas ex altera præmissa universali, altera particulari. Præmittit, quod syllogismus de contingenti fit sicut de inesse. — Quarto igitur, si utraque sit affirmativa de contingenti, sed major universalis, minor particularis, fit syllogismus in Datisi, in quo sequitur conclusio de contingenti. Ex. gr., si dicatur: *contingit omnem hominem esse musicum; contingit aliquem hominem dormire,* sequitur: *ergo contingit aliquod dormiens esse musicum;* convertendo enim minorem simpliciter in hanc: *contingit aliquod dormiens esse hominem,* eadem conclusio sequitur in Darii, ut dictum est cap. XIV, num 6; ergo etc.

9. Quinto, si utraque præmissa sit de contingenti et affirmativa, sed major particularis, minor universalis, fit syllogismus in Disamis, et sequitur conclusio de contingenti. Ex. gr., si dicatur: *contingit aliquem hominem dormire; contingit omnem hominem esse musicum,* sequitur: *ergo contingit aliquem musicum dormire.* Probatur, quia per conversionem majoris et transpositionem præmissarum sequitur in Darii eadem conclusio, vel saltem conclusio in illam convertibilis.

10. Sexto, si major sit universalis negativa de contingenti, minor particularis affirmativa de contingenti, sequitur conclusio de contingenti in Ferison. Ex. gr., si dicatur: *contingit nullum hominem esse musicum; contingit aliquem hominem esse logicum,* sequitur: *ergo contingit aliquem logicum non esse musicum.* Convertendo enim minorem in hanc: *contingit aliquem logicum esse hominem,* sequitur eadem conclusio in Ferio, ut dictum est cap. XIV, num. 6.

11. Septimo, si utraque præmissa sit negativa, altera universalis de contingenti, altera particularis, convertendo propositiones vel ex negativis in affirmativas vel in mistas fit syllogismus, in quo conclusio sequitur ex necessitate. Ex. gr., si dicatur: *contingit nullum hominem esse musicum; contingit aliquem hominem non esse logicum,* sequitur: *ergo contingit aliquem logicum non esse musicum.* Convertendo enim minorem in affirmativam de dicto, eadem conclusio sequitur in Ferison, ut jam dictum est n. 10.

12. Octavo demum, si utraque præmissa sit particularis vel indefinita, non sequitur ulla conclusio, neque affirmativa neque negativa, neque de necessario neque de contingenti, neque de inesse, adeoque non fit syllogismus. Quod non sequatur conclusio negativa, patet in his terminis *animal, homo, album.* Si enim dicatur: *contingit aliquod album non esse animal; contingit aliquod album esse hominem,* non sequitur: *ergo contingit aliquem hominem non esse animal;* neque sequitur: *ergo aliquis homo non est animal;* multo minus sequitur: *ergo aliquis homo necessario non est animal,* cum omnis homo necessario sit animal. Quod non sequatur ulla conclusio affirmativa, patet in his terminis *equus, homo, album.* Si enim dicatur: *contingit aliquod album esse equum; contingit aliquod album esse hominem,* non sequitur: *ergo contingit aliquem hominem esse equum;* neque sequitur: *ergo aliquis homo est equus;* neque: *ergo aliquis homo necessario est equus,* cum ex necessitate nullus homo sit equus.

CAPUT XXI

DE SYLLOGISMIS EX ALTERA PRÆMISSA DE CONTINGENTI, ALTERA DE INESSE IN TERTIA FIGURA.

1. [21] Si vero altera propositio significet inesse, altera contingere, concludetur contingere, non inesse. Syllogismus autem erit terminis eodem, quo in prioribus modo habentibus.

2. Primum enim sint attributivi, ac τὸ α omni γ insit, verum τὸ β omni γ inesse contingat.

Conversa igitur propositione β γ erit prima figura, et concludetur contingere ut τὸ α insit alicui β. Nam cum propositionum altera in prima figura significat contingere, etiam conclusio erat contingens. Similiter si propositio β γ significet inesse, propositio vero αγ contingere.

3. Item si α γ sit privativa, β γ attributiva, et utravis sit pura, utroque modo erit conclusio contingens. Iterum enim fit prima figura. Ostensum autem est, cum altera propositio in ea figura contingere significat, etiam conclusionem fore contingentem.

4. Quodsi contingens privativum junctum sit minori extremo, aut ambo intervalla sumpta sint privativa, sane ex iis quæ posita sunt, non erit syllogismus, iis vero conversis erit syllogismus, ut in superioribus.

1. Probata veritate primæ regulæ, probat Aristoteles *secundam regulam* de syllogismis tertiæ figuræ ex altera præmissa de contingenti, altera de inesse, discurrendo per conjugationes primo universales, secundo particulares. Est autem hæc regula, quod si altera præmissarum sit de inesse, altera de contingenti, sequitur conclusio de contingenti, non vero de inesse, si termini et propositiones disponantur prout dictum est cap. xx, cum utraque præmissa est de contingenti; si vero disponantur aliter, non sequitur conclusio.

2. Primo itaque, si utraque præmissa sit universalis affirmativa, sed major de inesse, minor de contingenti, sequitur in Darapti conclusio de contingenti. Ex. gr., si dicatur: *omnis homo est animal; contingit omnem hominem esse musicum;* sequitur: *ergo contingit aliquem musicum esse animal;* convertendo enim minorem per accidens in hanc: *contingit aliquod musicum esse hominem*, sequitur eadem conclusio in Darii, ut dictum est cap. xv, num. 19. Similiter si utraque sit universalis affirmativa, sed major de contingenti, minor de inesse, fit syllogismus; ut si dicatur in Darapti: *contingit omnem hominem esse musicum; omnis homo est animal,* sequitur: *ergo contingit aliquod animal esse musicum;* convertendo enim minorem per accidens in hanc: *aliquod animal est homo,* sequitur eadem conclusio in Darii, ut jam dictum est.

3. Secundo, si major sit universalis negativa, minor universalis affirmativa, utralibet sit de contingenti, sequitur conclusio de contingenti in Felapton. Ex. gr., si dicatur: *nullus homo est equus; contingit omnem hominem esse musicum,* sequitur: *ergo contingit aliquem musicum non esse equum.* Convertendo enim minorem in hanc: *contingit aliquem musicum esse hominem*, eadem conclusio sequitur in Ferio. Similiter si dicatur: *contingit nullum hominem esse musicum; omnis homo est animal,* sequitur: *ergo contingit aliquod animal non esse musicum;* quia per conversionem minoris in hanc: *aliquod animal est homo*, eadem conclusio sequitur in Ferio, ut dictum est cap. xv, num. 18.

4. Tertio, si major sit universalis affirmativa vel etiam negativa de inesse, minor universalis negativa de contingenti, sequitur conclusio de contingenti. Ex. gr., si dicatur: *nullus homo est equus; contingit nullum hominem esse musicum,* sequitur: *ergo contingit aliquem musicum non esse equum.* Nam convertendo minorem negativam de dicto in hanc affirmativam de dicto: *contingit omnem hominem esse musicum*, eadem conclusio sequitur in Felapton, ut dictum est num. 3.

5. Si vero altera propositio sit universalis, altera particularis, cum ambæ sunt attributivæ, aut universalis est privativa, particularis affirmativa, idem erit modus syllogismorum; omnes enim perficiuntur per primam figuram. Unde constat fore syllogismum, quo colligatur contingere, non inesse.

6. Si vero affirmativa propositio sit universalis, privativa in parte, demonstratio fiet per impossibile. Insit enim τὸ β omni γ, et contingat τὸ α cuidam γ non inesse. Necesse igitur est contingere ut τὸ α alicui β non insit. Nam si omni β τὸ α necessario insit, ac τὸ β omni γ ponatur inesse, τὸ α omni γ necessario inerit; hoc enim antea demonstratum est. Verum supponebatur contingere ut cuidam non inesset.

7. Cum autem indefinitæ vel in parte acceptæ sunt ambæ propositiones, non erit syllogismus. Demonstratio autem est eadem, quæ fuit etiam in universalibus, et per eosdem terminos.

5. Explicatis conjugationibus universalibus, explicat Aristoteles particulares. Quarto igitur, si altera præmissa sit universalis, altera particularis, si utraque sit affirmativa, vel universalis sit negativa, particularis affirmativa, sequitur conclusio; et probatur reducendo dictos modos in primam figuram per conversionem. In omnibus autem his infertur conclusio de contingenti, non vero de inesse. Ex. gr., si dicatur in Datisi: *contingit omnem hominem esse musicum; aliquis homo est logicus,* sequitur: *ergo contingit aliquod logicum esse musicum*; quia convertendo minorem in hanc: *aliquod logicum est homo,* argumentum erit in Darii.

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM

QUÆ HOC PRIMO TOMO CONTINENTUR

IN DUOS LIBROS PRIORUM ANALYTICORUM HOC EST RESOLUTORIORUM

LIBER I. SECTUM I. DE CONSTRUCTIONE SYLLOGISMI

SECTUM II. DE INVENTIONE MEDII

SECTUM III. DE REDUCTIONE RATIONUM INORDINATARUM IN FORMAM SYLLOGISTICAM

LIBER II. PARS I. DE POTESTATIBUS ET VIRTUTIBUS SYLLOGISMORUM

PARS II. DE IMPOTENTIIS AC DEFECTIBUS SYLLOGISMORUM

PARS III. DE ANNEXIS SYLLOGISMO

IN DUOS LIBROS POSTERIORUM ANALYTICORUM, HOC EST RESOLUTORIORUM

LIBER I

LIBER II

IN OCTO LIBROS TOPICORUM

LIBER I

LIBER II

LIBER III

LIBER IV

LIBER V

LIBER VI

IN TRES LIBROS RHETORICORUM

LIBER I

LIBER II

LIBER III

IN POETICAM